
7 vols 257



Brown of Waterhaughs

DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room



R. Blokhuysen. Fecit

P 290

GEORGII BUCHANANI,

Scoti, Poëtarum ſui ſeculi facilè Principis,
Praeceptoris Jacobi VI. *Scotorum,*
& Primi Angl. Reg.

OPERA OMNIA,

HISTORICA, CHRONOLOGICA, JURIDICA, POLITICA,
SATYRICA & POETICA.

Non modo in unum jam collecta, & ad optimorum Codicum fidem, ſummo ſtudio recognita, & ab innumeris pene mendis, quibus pleraeque omnes Editiones antea ſcatebant, caſtigata & repurgata; ſed & variis inſuper Notis aliiſque utiliſſimis Acceſſionibus illuſtrata & aucta,

CURANTE

THOMA RUDDIMANNO, A.M.

Cum Indicibus Rerum Memorabilium,

ET PRAEFATIONE

PETRI BURMANNI,

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTA.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM ARNOLDUM LANGERAK,
M D CCXXV.

E
RBR
B918W
V.1

ERUDITO ET AEQUO LECTORI

S. D.

PETRUS BURMANNUS.

Hiſtoriam & rerum geſtarum commemorationem quocumque modo proditam aut ſcriptam prodeſſe, & ad vitam publicam & privatam regendam multum conferre, pervulgata omnium fere eſt oratio. Neque etiam ullum librorum genus magis multiplicari & conquiri videmus, quam quibus populorum & civitatium, tam praeſentis, quam praeteriti temporis, res & fata memoriae traduntur. Nulla gens aut natio, immo paucae urbes & pagi alicujus nominis hodie florent, quae non origines ſuas & fata ab alto repetere, & ad ſua tempora deductam narrationem legere deſiderant, & quarum incolae communibus votis & ſtudiis patriorum Annalium conditores non proſequuntur. Inter Eruditos quoque, licet pro ingeniorum aut negotiorum, ad quae pro ſe quiſque fertur, ratione hic magis in ſacrorum & religionis meditationem incumbat, ille juri publico, aut privato attendat, iſte curandi morbos artificium profiteatur, alius denique ſapientiae ſtudium ad animi cultum, & rerum naturalium cognitionem ſectetur, omnes tamen, ubi a ſeverioribus curis ad amoeniora devertere, & animo otium & relaxationem dare volunt, temporum, locorum & hominum, qui ante ſuam aetatem floruerunt, memoriam, monumentis Hiſtoricorum & antiquitatis commemoratione conſecratam, colligere ſtudent. Quamvis vero ante omnia in Hiſtoricis unicum veritatis ſtudium, & nullis, quae in regnis aut civitatibus animos diducere ſolent, factionibus addictum animum lectores deſiderent, eoque nomine etiam incultos & rudes liberalium artium, & dictionis elegantia deſtitutos, ſcriptores celebrari videamus; major tamen voluptas cum ſuavitate quadam & jucunditate percipitur, ubi veracem ſimul & diſertum Hiſtoricum verſare con-

tingat. Et hinc Reges illos, gentes & civitates aliis feliciores eſſe exiſtimamus, qui non proletarios ex plebe Annalium & Chronicorum Conſarcinatores, temere & ſine ulla cura geſta prioris temporis in acta diurna conjicientes, ſed viros omnibus ingenii & doctrinae copiis inſtructos, qui non modo fideliter narrare, ſed verborum delectu & ſermonis elegantia lucem quandam & claritatem obſcurae antiquitati adfundere poſſunt, nacti fuerunt. Paucas tamen gentes & olim celebres, & hodie rerum geſtarum laude florentes, dignos aeterna memoria Hiſtoricos fuiſſe ſortitas facile oſtendi poſſet; pleroſque vero, qui ad ſcribendum ſe contulerunt, vel copia & gravitate dicendi defectos, vel curis majoribus & negotiis publicis diſtrictos, ita ad res patriae prodendas ſe appuliſſe, ut contenti illa tradere, quae vere accidiſſe ſibi perſuaſerant, parum diligentiae & curae adhibuerint, quo ornatu & dote commentarios ſuos commendarent, ſed etiam ſaepe ex negligentia ſtili, patrocinium fidei & veritatis quaerere conarentur. Sed hi difficultate operis poliendi & tenuitatis ſuae conſcientia, in illam videntur ſententiam abiiſſe, cum conſtet nihil aut ad fructum & voluptatem legentium, aut ad aeternam laudem ſcriptorum eſſe praeſtabilius, quam ſi ea quae facta, aut dicta fuiſſe narrantur, culta, munda, ſimplici, & tracta quadam & fluenti oratione efferantur & ornentur, & dulci ſuavitate & claritate illuſtrentur: ſi enim altius res repetere, & immenſum illud Hiſtoricorum, quos omnis aetas protulit, agmen recognoſcere liberet, facile eſſet evincere, ex immenſa illa turba Hiſtoricorum, qui Graecas & Romanas res memoriae prodiderunt, nullos fere ad noſtras manus perveniſſe & deſcribi dignos viſos, niſi qui ingenii, doctrinae & eloquentiae lumine ſuper alios enituerunt: reliquos vero, qui ſordida & plebeja dictione ipſas, quas narrabant, res obſcurabant, & laudes magnorum virorum ingenii culpa deterebant, tenebris damnatos intercidiſſe. Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium ex Graecis: Salluſtium, Livium, Caeſarem, Suetonium & paucos alios, ex infinita Latinorum turba ſuperſtites hodie manibus verſamus, & cum ſumma admiratione & voluptate, duplicem ad nos ex ipſa rerum geſtarum commemoratione, & diſertiſſimorum hominum divina & incredibili eloquentia, fructum redundare ſentimus. Quam vero reſtingui ardorem & impetum illum prioris aevi res diſcendi & cognoſcendi, quam voluptatem illam & jucunditatem diminui experimur, ubi neceſſitate, quia melioribus deficimur,

cimur, coacti ad ſequentium ſeculorum Annales & Hiſtorias delabimur? In prioribus haeremus, relegendo & retractando quotidie renovari ardorem & redintegrari illam, neſcio quomodo titillantem, voluptatem percipimus; has vero, ut regiones peſtilentia infectas, contagii metu, citato curſu percurrentes, ubi ſeriem illam & ordinem neceſſarium temporum ex eorum monumentis deduximus, raro reſpicere & reviſere ſolemus. Atque haec unica fere & praecipua mihi cauſſa eſſe videtur, cur magis ad antiquae Hiſtoriae ſtudium & ipſi Hiſtoriarum Profeſſores ſe applicent, & adoleſcentes excitare ſoleant. Cum enim rerum cognitioni ſociandum eſſe Eloquentiae & nitidae dictionis ſtudium jure quidem opinentur, ad utriuſque emolumentum nihil aptius ſe conari poſſe credunt, quam ſi ex uno & eodem ſcriptore & temporis antiqui res & exempla proponantur, & ſimul, ad quae ſe conforment adoleſcentes, mundæ & elegantis dictionis leges & praecepta repetantur. Cum tamen, ſi res ipſas ſuo pondere expendamus, non minor, ad civilem illum & πολιτικὸν virum fingendum & formandum, vis & efficacitas ſit in cura & meditatione illorum temporum, quae Imperii Romani damna & decreſcentem ſenectutem, & deinde ruinam, ipſique ſuperſtructa tot Barbararum gentium imperia & regna commemorant, quam ſi in naſcentis Romae incunabulis, vel in admiratione incredibilium incrementorum defixi ſemper haereamus. Sed cum ex unius Populi Romani Hiſtoriis, totius res humani generis, quamdiu certe imperium illud ſtetit, fata, & ex paucis, illisque omnibus eloquentiae laudibus ornatis, ſcriptoribus poſſe hauriri, nobis perſuadeamus, & id magnifica oratione eruditi quotidie diſcipulorum auribus inculcare ament, nos delectati compoſito illo ordine & rerum diſpoſitione, & deinde orationis cultae ſuavitate & guſtu illo dulciſſimae eloquentiae initiati, ad confuſas illas & crebris converſionibus perturbatas gentium, quas barbaras fuiſſe jam praejudicata opinione credimus, hiſtorias, ſordibus etiam & vilitate verborum conſpurcatas, inviti & reluctantes devolvimur. Vincendum tamen id faſtidium, & ut gratae divitibus vices eſſe ſaepe conſueverunt, ita nos quoque ſatiati tam lauta dape & epulis pleni illis exquiſitis & delicatis, quas Graeci & Romani artifices & cupedinarii ingeſſerunt, ad lares parvos & pauperes Gothicorum & Germanorum, & ad vilem & parabilem majorum noſtrorum victum & coenam avidi decurrere ne dedignemur. Si vero illa, quae diligentes quidem, ſed inculti & rudes, tenebricoſis

illis & infelicibus temporibus ſcriptores prodiderunt, ad ſtomachum tam ſuperbum non faciunt, agnoſcamus certe inſignia quiſque ſuorum popularium merita, qui ab eo tempore, quo lux quaedam literis & ſtudiis illuceſcere iterum coepit, non ceſſarunt hanc quoque ſcribendi Hiſtorias diſciplinam emendare, & ad veterem ſplendorem & cultum revocare. Hoc decus, ut decebat, qui primi amiſerant, patriæ ſuæ reſtituere aggreſſi Itali, Leon. Aretinus, Bembus, Sigonius, Folieta, *& alii, ſtimulosque & faces ſubjecerunt aliis gentibus, ne hac laude ſua cujuſque patria careret, & certatim ex monumentis, pulvere & ſitu obſitis, tantam materiem congeſſere, ut ex illa bene diſpoſita & decore ornata opus aliquod perfectum exſtrueretur: Galli quoque* Paullum Aemilium, Ferronum, Thuanum: *Hiſpani* Oſorium & Suritam, *jactare audent: neque nos Belgae, licet parum acuti & ingenioſi reliquis nationibus videamur, hac laude ſtudiorum ita deficimur, ut non magna nomina* Junios, Douzas, Grotios, Emmios, Pontanos *& plures oſtentare poſſimus, qui per veſtigia veterum decurrentes ingenti beneficio patriam & poſteritatem devinxerunt: Britanniae vero, etſi ſemper inſigni proventu virorum ingenio & eruditione praeſtantium floruit, neſcio tamen qua ſortis malignitate acciderit, ut ad Latini ſermonis elegantiam, & dictionis nitorem tam pauci, ſi cum aliis gentium eruditis componantur, aſpiraverint.* Guilielmum *quidem* Camdenum *inter Hiſtoricos ſuos, principe loco collocare ſolent; neque nos intercedimus, quin egregiis ornatum dotibus & doctrina non vulgari & bonarum artium ſtudiis eruditum oſtentent; ſed nemo tamen eum ad elegans illud & accuratum ſcribendi genus acceſſiſſe, aut ulla in parte cum Italis, Gallis aut Belgis comparari poſſe, adfirmare audebit. Singulare enim eſt, & quod a multis obſervatum memini, Latinae linguae cultum numquam ita fuiſſe inter Britannos celebratum, ut non modo ſolutae & liberae orationis laude non potuerint ſuper alios eminere, ſed nullos etiam hanc inſulam, vel certe paucos, protuliſſe, qui Poëtices & culti carminis gloria, quæ tot Italos, Gallos & Belgas decoravit, conſpicerentur; ſive id patriae linguae pervicax & nimia meditatio, ſive ſingularis quaedam indoles & populi habitus, ſive multum ab aliis diſcrepans ſcholarum & Academiarum, antiquae adhuc & exoletae diſciplinae pertinaciter inhaerentium, conditio eos in diverſa abſtulerit; ſive denique occulta quaedam ratio & vis gentem, aliis in rebus multo feliciorem, hac ſola gloria ceteris in-*

inferiorem eſſe voluerit. Quae cum ita ſe habere nemo inficietur, quis non admiratione quadam tacita defixus obſtupeſcat, cum ex ea parte Britanniae, quae Scotia appellari conſuevit, & rudiora & inculta magis ingenia producere, quam beatior ejus portio Anglia, vulgo creditur, provenisſe videat virum, qui utroque dicendi genere, non modo inter ſuos (id enim parum laudis fuiſſet) excelleret, ſed qui Italis & omnibus aliis dubiam in eloquentia, tam ſoluta, quam ligata palmam ita reddiderit, ut ſi non omnium ſuffragiis principatus ipſi ſit delatus, id ſolum obſcuritati & ignobilitati patriae & invidiae, quae raros & magnos viros comitari ſolet, acceptum referre debeat. Si enim Italia Buchananum *protuliſſet, huic uni non modo omnes omnium gentium Hiſtoricos & Poetas, ſed populares & cives ſuos longe poſtpoſuiſſet. Fatendum quidem eſt, inſignia illa incrementa ingenii & doctrinae* Buchananum *non tam patriae ſuae, quam ſub adoleſcentiae ejus temporibus nondum humanioris diſciplinae aura gratior adflaverat, quam Galliae debere. Ibi enim rudimenta cum deponeret, & virorum egregiorum inſtitutione & exemplis conformaret juventutem, divinum illum mentis habitum perfecit, & patriae ſuae elegantiorum literarum lumen deinde inferens, ſignum ad ſtudia optimarum artium celebranda primus ſuſtulit. Induſtriae tamen & ingenii laudem propriam habuit, qui ita, etiam dum viveret, effloruit, & eam apud ſuos & exteros eloquentiae & eruditionis eſt famam conſecutus, ut magna obtrectatione invidiaque ſuperata, omnium gentium praeconiis ornatus, inter principes, qui laude utriuſque eloquentiae inſignes praeter ceteros habentur, ſit collocatus. Nec nobis, poſt tot elogia, quae cumulate a doctiſſimo ultimae editionis Curatore ſunt collecta, in laudando viro, quem nemo umquam fere culpavit, verba perdere neceſſe eſſe arbitror. Loquantur pro me, & virtutes viri eximii confirment ipſa, quae divinum ingenium produxit, opera; doceant ejus merita & ingenii plauſum toties repetitae Hiſtoriae, Carminum & aliorum Opuſculorum editiones, ut inter recentiores ſcriptores, qui a renatis literis nomen ullum ſunt conſecuti, ſi unum* Eraſmum *excipias, nullus oſtendi poſſet, qui toties praela fatigaverit, & tam perpetuo per omnia tempora tenore famam & gloriam tenuerit. Nullum ego, ſi ab antiquioribus deceſſeris, celebrari umquam audivi aut legi, qui cum* Buchanano *contendere poſſit; aut cujus ſcripta*

tam aſſidua doctorum virorum manu verſata, & etiam in publicis & privatis ſcholis pueris & adoleſcentibus ediſcenda fuerint data. Sed quod mirari ſubit, nec niſi in veterum ſcriptorum monumentis ab interitu vindicatis evenire ſolet, Buchanano *ſoli, per toties iteratas editiones, illud accidiſſe videmus, ut, licet opera ejus poſt pervulgatam in omnes gentes Typographicam artem, e manu ejus exierint, tot mendis tamen & variationibus fuerint hîc & illic deformata, ac ſi non uno exemplo ab auctore prodita fuiſſent. Unde eamdem curam & diligentiam, quam veteribus adhibere, propter manu exaratorum codicum diſcrepantias, cogimur, meruit a viris doctis, & praeſertim popularibus ſuis, ut collatis inter ſe a primo ad ultimum uſque editionum exemplaribus, una tandem prodiret, quae veram auctoris manum exhiberet, ſimulque commentariis & adnotationibus illuſtrata ſuaviorem & clariorem ejus lectionem omnibus praeſtaret. Quas partes cum nemo, niſi in illa parte orbis, qua* Buchananus *lucem adſpexit, natus & educatus, obire digne poſſet, ſine controverſia ab omnibus eruditis inſignem iniit gratiam, Vir & rerum patriarum ſcientia, & elegantioris doctrinae copiis inſtructiſſimus,* THOMAS RUDDIMANNUS; *cum hanc in ſe provinciam, plenam taedii & moleſtiarum, ſuſcipere non recuſaret: ſumma hic enim cum induſtria & religione ad emendanda & recenſenda magni* Buchanani *ſcripta ſe accinxit, & anno hujus ſeculi quarto decimo Edinburgi ſplendidam ſimul & accuratam operum ejus editionem emiſit. Quae & a popularibus & ab exteris ea cupiditate & ſtudio eſt accepta, ut brevi omnibus fere exemplaribus divenditis, jam copia eam conſequendi deficere incipiat. Unde cum pretium, animoſe licitantium ardore vehementer incenderetur, & multi ſtudioſorum tam exteri, ad quos parvus numerus tranſmiſſus fuerat, quam Britanni ea carere cogerentur, non modo noſtratium, ſed ipſorum Scotorum, quorum magna manus ſemper ad hanc Academiam capeſſendi cultum ingenii cauſſa confluere ſolet, querelis & flagitationibus inductus, diligens apud nos mercis literariae negotiator* Langerackius *conſilium ceperat, eam eadem cura, ſed aptiori ad uſum forma, renovandi. Et cum ad me ſe applicuiſſet, operamque & conſilium hac in re poſtulaſſet, auctor fui, ut non modo honeſtiſſimo juvenum deſiderio obſequeretur, ſed hoc inſigni beneficio Belgas,*

Ger-

Germanos, & alias gentes, apud quas Buchanani *doctrina & nomen celebratiſſimum eſt, demereretur. Sed cum quaſi dedita opera a me ſimul contendere inciperet, ut novi aliquid lenocinii, quo hæc editio integrata commendari poſſet, conferrem, poenitere fere conſilii dati coepit. Nec tam temporis, quod tot cum maxime curis aliis occupatum habebam, penuria, quam operis difficultas, & adminiculorum, ſine quibus ulla cum laude* Buchanani *ſcripta tractari & illuſtrari poſſunt, indigentia me deterrebant. Cum enim in* Buchanani *ſcriptis antea ſaepe cum voluptate ſumma eſſem verſatus, & novam etiam doctiſſimi* Ruddimanni *editionem jam perluſtraſſem, deprehendebam ſatis, obſcuris* Buchanani *locis lucem tam claram & gratam eſſe per ejus adnotationes adfuſam, ut facile mea opera deinceps carere poſſet, aut, ſi quid a mea manu accedere jam deberet, eam omnem in levioris momenti & quae Latini ſermonis aut elegantiae rationem explicarent, adnotatiunculis poſſe conſumi. Nam ad res ipſas Scoticas, aut ad Hiſtoriam priorum temporum illuſtrandam me unum ex omnibus minime adcommodatum eſſe intelligebam; nec enim gentis Scoticae fata & Regum geſta ita in numerato habebam, aut temporum illorum, per quae decurrit* Buchanani *Hiſtoria, aut locorum, in quibus quae narrat acciderunt, vel tam mediocrem notitiam in me deprehendebam, ut ullo modo vel* Buchanani *auctoritatem vindicare, vel ſi quid admiſiſſet, ejus culpam coarguere poſſem. Inter Scriptorem vero, cui ſemper ſua fides & exiſtimatio conſtitit, & ejus Commentatorem, quem in multis Hiſtoriae patriae capitibus in diverſa abire animadverteram, judicem ſedere velle, tantae arrogantiae & imprudentiae eſſe ſentiebam, ut me facile, ſi id tentare auderem, omnium ludibrio & ſibilis exponere poſſem. Hoc enim opus cenſorium qui ſuſcipere animum inducit ſuum, hunc, non modo in ipſa illa inſula, & ejus quoque parte Scotica, eſſe natum & educatum, omnia loca & regiones cognitas & perſpectas habere, linguae vernaculae copia praeter vulgus inſtructum eſſe, & denique popularium non tantum Hiſtoricorum pervolviſſe, ſi qua exſtant, opera, ſed ipſa ſcrinia familiarum, quae ſemper in imperiis & honoribus ſunt verſatae, & publica tabularia diligenter excuſſiſſe oportet. His omnibus adminiculis inſtructus, ſi praeterea adhibeat animum ab odio, gratia & libidine cavillandi vacuum, tum demum lites & controver-*

ſas, de multis iisque graviſſimis rerum geſtarum momentis, dijudicare, & eam ſententiam proferre, quae lectoribus perſuadeat, res ita vere geſtas eſſe, poterit. Quare jam in eo eram, ut hoc onus recenſendi & retractandi Buchanani *ſcripta deprecarer, & Librario, ut ex ipſa Scotia ſubſidia ſibi arceſſeret, ſuadere inſtituerem. Non enim ignorabam, diviſo, neſcio quo fato, quod per aliquot ſecula Inſulam illam exercet, in factiones Regno, non defuturos, quibus haec a doctiſſimo* Ruddimanno *patriae ſuae &* Buchanano *praeſtita opera diſpliceret, & quibus ea publicorum actorum copia ad manum eſſet, unde* Buchanani *fidem adverſus reprehenſores facile vindicarent. Inaudieram etiam plures jam indignationis pleniſſimas voces edidiſſe, & jam aliquot amore veritatis, & religionis purioris ſtudio inflammatos, coiiſſe, & magno animo ſe accinxiſſe ad omnem injuriam a* Buchanano *depellendam, qui pati non poterant ut a regno, quod per tot annos tenuerat inter Hiſtoricos, detruderetur; ſed qui patrocinium veritati, cujus, quantum quidem homini licet, praecipuam ſemper hic Hiſtoriarum conditor rationem habuit, accommodarent. Huic ergo liti, acerrimae ſane, ut eſſe ſolet inter cives de republica diverſa ſentientes, me immiſcere, quam inter contrarias ſententias numquam dijudicare poſſem, ſtultum & abſurdum eſſe inſtanti Librario oſtendebam. Sed urgere nihilominus, & neſcio quas non modo moras & ambages, per quas illa ex Scotia exſpectanda nova cum vindiciis* Buchanani *editio protrahenda eſſet, ſed inanes forte popularium diſſidentium &* Buchanano *faventium jactationes eſſe, oſtendere pergebat; denique ſuſtinere ſe diutius vota & deſideria hanc Cl.* Ruddimanni *editionem flagitantium non poſſe, ideoque, ſi nihil aliud, hoc modo a me petere, ut praefatione ſuam curam & diligentiam commendarem. Dedi ergo manus, & reſumta, quam paullo antea depoſueram, in manum poſtrema hac editione, legere iterum per otium & ſubceſivas horas* Buchananum *inſtitui, non alio conſilio, quam ſi quas forte offenderem operarum aberrationes caſtigarem, aut ſi quid toto perſpecto corpore, hic & illic ad commodiorem uſum aut lectoris voluptatem innovari poſſe crederem, Librarium monerem. Ante omnia vero curandum eſſe exiſtimabam, ut & varietates diverſarum editionum, & ſimul animadverſiones, ipſis* Buchanani *verbis ſubjicerentur, quod & conſuetudo horum temporum, & inſignis, quae lectoribus inde accedit, commodi-*

ditas & voluptas jure expoſtulare videbatur. Deinde Hiſtoriarum libros, qui more olim uſitato perpetua ſerie & ordine decurrunt, in capita digerendos eſſe cenſebam, non quidem tam moleſte & ſuperſtitioſe, ut ſingulis capitibus certa quaedam facta concluderentur, ſed tantum ut memoriae legentium occurreretur & illorum, qui poſtea aliquid ex Buchanano *promtum aut laudatum quaerere vellent, moleſtia & labor minueretur. Sed, ut fieri ſolet, qui nihil de meo adjicere decreveram, inter legendum ſubinde quaedam mihi ſub manu nata fuerunt, non tam quae res ipſas, quam quae ſermonis, cujus elegantiae & claritati praecipue ſtuduit* Buchananus, *Latini dictionem & vim illuſtrarent, quia id etiam prae aliis egiſſe videram celeberrimum* Ruddimannum. *Et cum fieri non poſſet, quin ſaepe ab ejus ſententia diſcreparem, ea moderatione me uſum fuiſſe ſpero, ut neque* Buchananum, *ſi quando dormitaſſe mihi viſus eſt, praeter meritum obtrectaſſe, neque ejus editori, qui tam egregie de ejus manibus meruit, invidiam ullam feciſſe judicari poſſim. Nam quamvis multa eſſent in mundo, tam in Hiſtoriis, quam Carminibus, in quibus ab anxia & moleſta illa ſermonis Latini munditia & proprietate diſceſſiſſe oſtendere potuiſſem, honori tamen & famae tanti viri, quo ego nullum ex recentioribus Hiſtoricum elegantiori ſimul & faciliori ſtilo res geſtas conſcripſiſſe puto, conſulendum eſſe ſum arbitratus; neque in ſingularibus quibuſdam vocibus, aut etiam dictionis univerſae complexu carpendo, aut in modorum & numerorum ratione, ſaepe non religioſe ſatis ex Poëtarum antiquorum dictatis & exemplis obſervata, excutienda nimium ingenioſus & doctrinae rarioris oſtentator eſſe volui. Quare ſatisfeciſſe me genio meo & deſiderio Librarii & lectorum, levi hic opera & ſtudio adjuvandi honeſtiſſimos conatus arbitror. Utinam modo ita placeret haec renovata editio, & numeris omnibus abſoluta in manus doctorum venire poſſit, ut prioribus ſe facile carere poſſe omnes exiſtimarent. Magnam certe curam & induſtriam adhibitam eſſe adfirmare licet, ut non tantum nitore & elegantia vinceret antiquiores, ſed ut operarum lapſus, qui in aliis diligenter adnotati erant, emendarentur. Non permiſere quidem catenatae occupationes, quibus & publice & privatim diſtineor, ut per me ſpecimina typographorum excuterem, ſed hae partes aliis mandandae fuerunt, quas ita egiſſe illos ſpero & confido, ut ſi non omnino expers (hoc enim*

quis hodie ſperare audeat) certe non plane deformata vitioſis lectionibus apparere poſſit. Unicum eſt, quod non tam in editoribus, quam quidem in lectoribus deſiderare poſſint, non ipſe modo poſt ſua fata Buchananus (*qui certe homo & errori obnoxius ſine dubio non ſemper & ubique ita veritati ſoli litavit, ut nefas eſſet unquam ab ejus ſententia diſcedere*) *ſed omnes ingenui & libertatis cum aequitate conjunctae amantes, ut eam animi adfectionem, quam in ſcribendo ab auctore exigant, in legendo ipſi exhibeant. Rigidi illi omnium ſcriptorum, & praecipue Hiſtoricorum Cenſores, ſupercilio quodam Catoniano ſeveras & tetricas de ſcribenda hiſtoria leges ferentes, numquam non nobis occinere ceſſant, Hiſtoricum patriam, mores avitos, ſacra a majoribus tradita, factiones & ſtudia, & omnia denique, quae animum & mentem a veritatis ſolius ſtudio abducere poſſunt, ita debere ejurare & exuere, ut nullis indiciis deprehendi poſſit, cui parti addictus vixerit. Hoc nobis non eruditi modo & ſapientes, qui in republica literaria ordinem quemdam tueri & ſuffragia jure ferre poſſunt, ſed proletarii & capite cenſi, qui quanti negotii ſit Hiſtoriam ſcribere, & res geſtas poſteris tradere, non magis ſciunt quam ſub ferula pueri, & qui nondum aere lavantur, quotidie cantare non deſiſtunt. Sed aequiori jure a lectoribus & cenſoribus ſuis exigeret Hiſtoricus liberum ab omni vitioſa adfectione animum, & ut ipſi prius de ſacris & religionum varietate praejudicatas opiniones abjicerent, & ſtudia partium, quibus regna & reſpublicae diſtrahuntur, deponerent, nec ſuae gentis mores & inſtituta aliarum omnium potiora & ſanctiora ducerent, antequam carpere & obtrectare ſcriptorem rerum geſtarum inſtituerent. Sed nos omnia haec & plura etiam in uno ſcriptore deſiderare ſolemus, cum interim nemo noſtrum vacuus a communibus his & fere innatis vitiis ad legendos Hiſtoricos accedat, & non ſtatim illis iraſci ſoleat, & omnem ſcriptionem infamare, ubi eos receptis ſententiis & opinionibus noſtris inveteratis non reſpondere deprehendimus. Et hinc jam facile effici videmus, eumdem ſcriptorem in coelum a quibusdam laudibus evehi, qui ab aliis infra infimos deprimitur & projicitur. Hoc* Buchanani *quoque praeter alios fatum fuit. Sciſſâ enim ejus in factiones patriâ, ſi huic olim parti placeret, ab altera lacerabatur maledictis: & cum partes illas*

non

non modo non exſtinctas, ſed quotidie novo quodam furore reviviſcere videamus & doleamus, etiam adhuc hodie vapulare cogitur, & ab omnibus, qui impotentiori dominationi & Tyrannidi, tam civili quam eccleſiaſticae, patrocinia ſua accommodant, non modo obliquis carpi orationibus, ſed acerbis conviciis & probris quotidianis proſcindi & traduci pergit. Hi celebrem hunc Hiſtoricum, odium in Tyrannos & dominatores ſemper prae ſe ferentem, nullam fidem mereri clamant. Altera pars, libertatis ſtudium ſaepe licentiae & ſolutiſſimae diſciplinae praetexens, ideo in ſola Buchanani *auctoritate acquieſcendum putat, quia auſus fuit ea ſcribere, quae Regibus & regiae ſuperbiae miniſtris placere non poſſe ſciebat: immo hoc nomine illum praecipue laudandum cenſent, quod non regiorum miniſtrorum modo arrogantiam & incivilitatem, aut regum ipſorum delicta & importunitatem, ſed ipſam majeſtatem & vires Regias inſectari magno animo ſuſtinuerit. Talesne lectores, in hanc aut illam partem peccantes, de Hiſtoricis ſententiam ferre patiemur? & ab horum judiciis pendere ſapientes, & qui per ſe res aeſtimare ſolent, cogemus? Quis non, benevole lector, mecum videt & ſimul ingemiſcit, humanae vitae conditionem tam miſeram & deplorandam, ut pauciſſimi reperiantur, qui a ſtudiis & factionibus ſe abſtinere poſſint, ſed gladiatoriis animis in ipſo eruditionis & humanitatis ludo ita concurrant inter ſe, ut cum utriusque partis ſcripta legeris, nihilque veri, nihil certi, in quo conſiſtas, reperias, omnes tandem Hiſtoricos ſuſpectos habere, & nulli fidem, nulli religionem aliquam fuiſſe fateri fere cogaris? Sed nos, ut nullius veteris Hiſtorici, ita nec hodie* Buchanani *cauſſam agemus, neque, ob cauſſas modo dictas, judicis partes nobis arrogabimus, ſed aliis Scoticarum rerum peritioribus relinquemus. In* Mariae *tamen Scoticae (hoc enim totius fere accuſationis caput eſt) rebus auſum fuiſſe tam impudenter mentiri* Buchananum, *recenti admodum memoria, & viventibus tot, qui rebus geſtis interfuerant, minime mihi ſit credibile: eoque magis confirmari, etiam ab ipſis obtrectatoribus, ejus fidem poſſe credo, quod, qui in contrarias abiere partes, non modo dubia & incerta, ſed illa etiam, quae publice conſtiterunt, negare auſi, auctoritatem magnam ſcriptis* Buchanani *ipſi addiderint. Qui enim ſtudio obloquendi & carpendi oc-*

cae-

caecatus modum excedit, non veritati ſtudere, ſed odio auctoris vel factionis ſtudio auferri creditur. Imprudenter vero Buchanano *ſemper* Cambdenum (*cui nemo ſanus doctrinae laudem negabit, ſed qui neque majori fide res geſtas prodidiſſe, quam* Buchananus, *affirmari poteſt,*) *obducunt, coactum a* Jacobo VI. *ſcribere quae ille juberet, & ſcripta ex miniſtrorum regiorum libidine mutare & inducere. Hunc nimis ſemper extollendo, ſuſpectiſſimum, ut factioni Regiæ plus aequo faventem, reddiderunt. Vehementiſſime etiam in* Buchananum, *ut multi olim, ita nuper invectus eſt* Thomas Smithus, *cui vitas illuſtrium aliquot Anglorum debemus. Hic in vita* Petri Junii, *cui ſubjecit compendiariam narrationem de vita & morte* Mariae, *quam* Junius *ipſe conjecerat in commentarios, neſcio quae in* Davidem Chytræum, *qui* Buchananum *ſecutus erat, convicia congerit, & Reginae exiſtimationem eum indigniſſimis modis laceraſſe contendit. Sed qui* Buchananus *aut* Chytraeus *moroſo huic cenſori placere poſſit, cui nec haec* Junii *narratio ſatis placebat; quia nimis parce, frigide ac jejune, & metu procerum perterritus criminationes iſtas* Buchanani *depuliſſe ipſi viſus eſt. Sed nec* Junius *nec* Cambdenus, *ambo beneficiis luculentis aucti & honorati,* Buchanano *graviores ſcriptores cenſeri, aut magis ex animi ſententia ſcripſiſſe videri jure poſſunt, cum uterque in gratiam* Jacobi, *& ut* Eliſabethae *invidiam, quam ex* Mariae *caede contraxerat, adderet, contraria prodidiſſe veroſimilius judicetur. Praeterea* Cambdeni *Annales ſuſpectos maxime faciunt ea, quae* Burnetus *in ſcriptis contra* Varillaſum *prodidit; quae notiſſima hîc repetere nolo, cum legi poſſint in* Struvii *Bibliotheca Hiſtorica Cap.* XV. §. II. *ſed quae inter elogia non adducta miror, cum ex ejusdem capitis* §. XIX. *elogium* Buchanani, *ſed non plenum, adſcripſerit Editor nuperrimus. Denique nemo aequius judicium adhuc de* Buchanano & Cambdeno *tuliſſe mihi videtur, nuperrimo Hiſtoriae Anglicae ſcriptore,* Rapino Thoyraſio, *qui paſſim in Hiſtoriae illa parte, qua regnum Eliſabethae enarrat, utriuſque merita & fidem examinat, & ſingula excutiens, ubi* Buchanano *fides habenda ſit, ubi* Cambdeno, *diligentiſſime & elegantiſſime oſtendit. Cui ſimiles Hiſtoricos utinam plures haberemus, cum plerique regiae majeſtatis vel foediſſimi reperiantur adulatores, vel ſtudio partium a vero abducantur. Sed quid,*

quid

quid id eſt, *cum* Smitho *exſpectabimus veram adhuc hiſtoriae hujus ex actis Authenticis illuſtrationem. Ne miremur vero obtrectatores tam acerbos & vehementes Hiſtoriae ſuae reprehenſores nactum fuiſſe* Buchananum, *Poëticae etiam laudem & gloriam ipſi detrahere voluiſſe quosdam vidimus. Inter quos praecipue nomen ſuum profeſſus fuit olim* Georgius *quidam* Egliſemmius, *de quo in praefatione ſua pluribus egit* Robertus Fribarnius, *quae hîc non repetemus, ſed operae pretium eſſe duxi non praeterire de inſani hujus Paedagogi maledicentia ſummi Viri* Danielis Heinſii *judicium, quod ex Epiſtola ejus ad virum nobis ignotum, (nomen enim in Autographo deerat) ſcripta, & a nobis in Sylloge Epiſtolarum, quae mox prodibit, T.* 11. *pag.* 451. *edita, hîc deſcribere eſt viſum, quia egregium ſimul eruditionis & morum* Buchanani *teſtimonium exhibet.* Vidi lepidas feſtivitates, quas hoc die ad me miſiſti. Non eſt noſtrae opis efficere, ut nemo inſaniat: ſane non magis, quam ne quiſquam ſit aeger: Quanquam iſte morbus eſt profecto: & ut recte judicavit medicus, qui homini reſpondet; jugere ellebori curandus. Carmen illud ab autore paulo ante accepi. *Eglishemii* (rectius *Egliſemmius* vocatur) παιδαγωγικὴν μανίαν non videram. Eſt in paedagogicis ingeniis quotquot vidi, nota quaedam, quam vix toto mari eluas. ſaepe mecum cogitavi, an ab educatione ſit hoc vitium. Verum uſu didici, plerumque tales naſci. Ajunt *Buchananum*, virum ſuo ſaeculo majorem, cum vix unquam Academiam vidiſſet, ſed in Gallicis collegiis conſenuiſſet? ad Reginam ſuam, monſtrum illud faeminae, attuliſſe, quod mirari ſatis ipſa non poſſet. Nam cum affectaret libertatem quamdam in cenſura morum, diluebat ſpecie ſimplicitatis omnem protinus offenſam. Ut non tantum aulae natus videretur; ſed & huic emendandae. Quominus eſt ferendum, eſſe hominem tam confidentem, qui leoni mortuo inſultet. Sed & pulices & pedes idem faciunt: animalia quae e putredine naſcuntur. Equidem cum iſto praeceptore uſi eſtis, plus pro oblectatione, quam pro inſtitutione debuiſtis homini. Verſus enim ſunt inepti: judicium φρενοβλαβές: numeri, quos reprehendit, exquiſiti & cum cura adhibiti. Homerus, ait ille, alibi dormitat. Pſalmus iſte rex eſt caeterorum. Quod ſi verſus leonini ſunt, quos iſte notat, dabo integras elegias Ovidii,

quae talibus pentametris contextae ſunt. Non poteſt *Buchanani* manibus de illo ſatisfieri, niſi conſtet ſaeculo, larvarum plenum eſſe. Cave tamen credas ſolum hunc eſſe, qui ſic deſipit. Narro tibi, nauſea tenet ad plurimorum penſa, quae chartis hoc tempore illinuntur. & praecipue eorum, qui ſe literas tractare exiſtimant. Inprimis ubi faſtus paedagogicus & ignorantia conſpirant. Ibi enim filia, quae naſcitur, phreneſis eſt. Cujus in hoc Scoto ſpecimen habemus.

Denique mendacium, quo Buchanano notam inuſſit Caſpar Egaſſius Bulaeus *referre ſufficiet; nam refutare vix opus eſſe puto, cum neminem invenerim, cui fides a ſcriptore illo facta ſit. Narrat ille in Hiſtoria Univerſ. Pariſienſis Tom.* VI. *pag.* 935. *haec de Buchanano.* Calvinianam haereſim miſere amplexus in Patria male audiit: Quod tempore quadrageſimae Agnum Paſchalem Judaeorum more comediſſet, a Jacobo V. vocatus, non erubuit confiteri, immo & auſus eſt aſſerere, Regem ſimiliter debere agnum comedere. Sed habito Theologorum conſilio, auditoque Joanne Majore, quod Georgius Judaizaret, convictus ſceleris fugit in Luſitaniam. Et etiam ibi pro haeretico habitus. Itaque Lutetiam rediit, ubi & haereſeos ſigna edidit. Demum Edimburgum transfretavit, ubi obiit 28. Sept. A. 1582. aetat. 76. *Ubi omnia confuſa eſſe ejus vitae tempora facile patet, & quae de carnibus a Buchanano tempore quadrageſimae comeſis, in vita ejus ad A.* 1550. *narrantur, per calumniam ad agnum Paſchalem transferri.*

Atque haec quidem de Buchanano, *& hac editione praefanda duximus, plura, ſi otium foret, quae in Hiſtoria, Carminibus & aliis operibus obſervari poſſent, addere poſſemus, ex quibus inſignia viri merita & eruditio poſſet magis perſpici & commendari. Sed mordet liber carceres, & temporis, intra cujus ſpatium proditurum hoc opus Librarius promiſerat, jam fere elapſi meta, noſtrae quoque curae modum eſſe ſtatuendum admonet. Vale, & his fruere Lector, & aequo & a ſtudiis partium vacuo animo, Lector, ipſe per te judica. Leidae Kal. Jul.* CIϽIϽCCXXV.

GEOR-

TABULA
Regum Scotiæ
CHRONOLOGICA.

	Regum ſeries.	*An. ante C. N.*	*Anni regni.*	*Pag.*
1.	Erguſius I. *regnum iniit*	330.	*regnavit* 25.	100
2.	Feritharis	305.	15.	101
3.	Mainus	291.	29.	103
4.	Dornadilla	262.	28.	*ibid.*
5.	Nothatus	233.	20.	*ibid.*
6.	Reutherus	213.	26.	104
7.	Reutha	187.	14.	105
8.	Thereus	173.	12.	*ibid.*
9	Joſina	161.	24.	106
10.	Finnanus	137.	30.	*ibid.*
11.	Durſtus	107.	9.	*ibid.*
12.	Evenus I.	98.	19.	107
13.	Gillus Nothus	79.	2.	*ibid.*
14.	Evenus II.	77.	17.	109
15.	Ederus	60.	48.	110
16.	Evenus III.	12.	7.	*ibid.*
17.	Metellanus	4.	39.	*ibid.*
		An. poſt C. N.		
18.	Caratacus	35.	20.	111
19.	Corbredus I.	55.	18.	*ibid.*
20.	Dardannus	72.	4.	*ibid.*
21.	Corbredus II. *cog.* Galdus	76.	35.	112
22.	Luctacus	110.	3.	114
23.	Mogaldus	113.	36.	*ibid.*
24.	Conarus	149.	14.	116
25.	Ethodius I.	163.	33.	118
26.	Satrael	195.	4.	*ibid.*
27.	Donaldus I.	199.	18.	119
28.	Ethodius II.	216.	16.	121
29.	Athirco	231.	12.	*ibid.*

Regum ſeries.	*An. poſt C. N.*	*Anni regni.*	*Pag.*
30. Nathalocus	242.	11.	121
31. Findocus	253.	11.	122.
32. Donaldus II.	264.	1.	123
33. Donaldus III. Inſulanus	265.	12.	124
34. Crathilinthus	277.	24.	ibid.
35. Fincormachus	301.	47.	125
36. Romachus	348.	3.	126.
37. Anguſianus	351.	3.	ibid.
38. Fethelmachus	354.	3.	127
39. Eugenius I.	357.	3.	ibid.
40. Ferguſius II.	404.	16.	133
41. Eugenius II.	420.	32.	136
42. Dongardus	451.	5.	142
43. Conſtantinus I.	457.	22.	ibid.
44. Congallus	479.	22.	144.
45. Goranus	501.	34.	145
46. Eugenius III.	535.	23.	151.
47. Convallus	558.	11.	ibid.
48. Kinnatellus	569.	1.	ibid.
49. Aidanus	570.	35.	152.
50. Kennethus I.	605.	1.	154.
51. Eugenius IV.	606.	16.	ibid.
52. Ferchardus II.	621.	12.	ibid.
53. Donaldus IV.	632.	14.	155
54. Ferchardus II.	646.	18.	ibid.
55. Malduinus	664.	20.	156
56. Eugenius V.	684.	4.	ibid.
57. Eugenius VI.	688.	10.	157
58. Amberkelethus	697.	2.	ibid.
59. Eugenius VII.	699.	17.	ibid.
60. Murdacus	715.	16.	158
61. Etfinus	730.	31.	ibid.
62. Eugenius VIII.	761.	3.	ibid.
63. Ferguſius III.	764.	3.	159
64. Solvathius	767.	20.	ibid.
65. Achajus	787.	32.	ibid.
66. Congallus II.	819.	5.	161

REGUM SCOTIÆ CHRONOLOGICA.

Regum ſeries.	*An. poſt C. N.*	*Anni regni.*	*Pag.*
67. Dongallus.	824.	7.	161
68. Alpinus.	831.	3.	162
69. Kennethus II.	834.	20.	*ibid.*
70. Donaldus V.	854.	5.	166
71. Conſtantinus II.	859.	16.	167
72. Ethus *cog.* Alipes.	874.	2.	168
73. Gregorius.	876.	18.	169
74. Donaldus VI.	893.	11.	171
75. Conſtantinus III.	904.	40.	*ibid.*
76. Milcolumbus I.	943.	9.	174
77. Indulfus.	952.	9.	*ibid.*
78. Duffus.	961.	5.	175
79. Culenus.	966.	4.	177
80. Kennethus III.	970.	24.	180
81. Conſtantinus IV.	994.	2.	187
82. Grimus	996.	8.	189
83. Milcolumbus II.	1004.	30.	190
84. Duncanus I.	1034.	6.	195
85. Macbethus	1040.	17.	198
86. Milcolumbus III. *cog.* Capito.	1057.	36.	201
87. Donaldus VII.	1093.	1.	207
88. Duncanus II.	1094.	2.	*ibid.*
89. Edgarus	1098.	9.	208
90. Alexander I.	1107.	17.	*ibid.*
91. David I.	1124.	29.	210
92. Milcolumbus IV.	1153.	12.	215
93. Gulielmus I. *cog.* Leo	1165.	49.	218
94. Alexander II.	1214.	35.	223
95. Alexander III.	1249.	37.	226
96. Joannes *Balliolus*	1293.	4.	239
97. Robertus I. *Bruſſius*	1306.	24.	252
98 David II.	1329.	41.	271
99. Eduardus *Balliolus*	1332.		276
100. Robertus II. *Stuartus*	1371.	20.	301
101. Robertus III.	1390.	14.	321
102. Jacobus I.	1406.	31.	341
103. Jacobus II.	1437.	24.	362

	Regum ſeries.	*An. poſt C. N.*	*Anni regni.*	*Pag.*
104.	Jacobus III.	1460.	26.	398
105.	Jacobus IV.	1488.	29.	440
106.	Jacobus V.	1513.	30.	482
107.	Maria I.	1542.	25.	508
108.	Jacobus VI.	1567.	58.	657
109.	*Carolus* I.	1625.	24.	
110.	*Carolus* II.	1649.	36.	
111.	*Jacobus* VII.	1685.	4.	
112.	*Gulielmus* II. & *Maria* II.	1689.	14.	
113.	*Anna*	1702.	13;	
114.	*Georgius*	1714.		

---

* Monendus eſt Lector Tabulam hanc Regum Scotiæ Chronologicam non ex ſolo Buchanano, ſed ex aliis etiam Hiſtoricis Scotis, & in primis ex ipſis Regni Actis publicis, eſſe concinnatam: Buchananus enim non ab aliis modo, ſed a ſe ipſo toties diverſus abit, ut qui ejus rationes in omnibus ſequutus fuerit, in multos Anachroniſmos prolabi neceſſe ſit: id quod in Notis ad ipſius Hiſtoriam fuſius oſtendimus.

GEOR-

GEORGII BUCHANANI
OMNIUM OPERUM,

aliorumque quæ huic Editioni acceſſere,

SYLLABUS ET ORDO.

TOMI I.

1. Roberti Fribarnii Præfatio.
2. AUCTORIS *Vita*.
3. * Doctorum virorum de G. BUCHANANO ejusque ſcriptis Teſtimonia.
4. * Catalogus variarum Editionum & Codicum MSS. ejus Operum.
5. *Rerum Scoticarum Hiſtoria*, *præmiſſa Auctoris ad Jacobum* VI. *Dedicatione*, * & Tabula Regum Scotiae Chronologica.
6. * Ad Hiſtoriam ejus Annotationes.
7. * Index Rerum memorabilium.
8. * Propriorum nominum Interpretatio.
9. *De Jure Regni apud Scotos Dialogus.*
10. *Detectio Mariæ Reginæ Scotorum.* &c.
11. * In *Jus Regni* & *Detectionem.* Notæ aliquot & Emendationes.
12. *Chamaeleon*, *ſive Satyra in G. Mætellanum Lethintonium.*

Tom. II.

1. GEORGII BUCHANANI *Poemata omnia in duas partes diſtincta.*

Prima parte continentur, 1. Pſalmorum Davidis Paraphraſis Poetica: cui in fine ſubjuncta ſunt aliquot ejus Poëmata & Fragmenta, nunquam antea cum aliis ejus Operibus edita. 2. Jephthes, ſive Votum, Tragœdia. 3. Baptiſtes, ſive Calumnia, Tragœdia.

Parte autem ſecunda continentur alia ejus Poëmata, ſcil. Franciſcanus, Fratres fraterrimi, &c.

2. * In ejus Poëmata Annotationes.
3. * De Metris Buchananæis Libellus.
4. *Rudimenta Grammatices Thomæ Linacri ex Anglico Sermone in Latinum verſa.*
5. *De Proſodia Libellus.*
6. *Ad viros ſeculi clariſſimos, eorumque ad eundem Epiſtolæ.* * Subjectæ ſunt aliquot NOTÆ.

RO-

ROBERTUS FRIBARNIUS LECTORI BENEVOLO S.

PRODEUNT tandem in lucem GEORGII BUCHANANI Scoti Opera; tardius quidem illa voto noſtro, ac hominum doctorum exſpectatione: ſed ita tamen (quod æquanimitate tua confiſi ſperamus) ut diuturniorem hanc moram fœnoris fere amplitudo compenſet. Id autem, totiuſque adeo conſilii noſtri ratio, quo tibi melius conſtare poſſit, fas nobis erit rem omnem altiore principio & ab ipſis quaſi incunabulis repetere.

Cum diu multumque, non popularium modo meorum, ſed exterorum etiam flagitationibus expetitam animadvertiſſem novam Buchanani noſtri operum, præſertim Hiſtoriæ Scoticæ, editionem; neque quenquam æque atque hominem Scotum ad eam procurandam reperiri poſſe idoneum: aliis ſegniter ceſſantibus, atque a ſe onus invidiamque removentibus, animum tandem meum, amicorum etiam ſtimulis ſubinde impulſum, rem tantam aggrediendi ambitio inceſſit. Gnarus autem jam inde a principio opus vere arduum atque periculoſæ aleæ plenum memet perficiendum ſuſcepiſſe, nihil prius habui, quam ut virum aliquem diligentem, idonea linguæ Latinæ facultate præditum, & (quod præcipuum fuerat) rerum apud Scotos geſtarum cognitione haud vulgari imbutum, in partes advocarem, cujus ſubſidiaria ope inſtitutum feliciter tenere, atque ad umbilicum deducere poſſem. Talem igitur virum nactus, ejuſque fideli conſilio ac ſtrenua opera, quantum per alias occupationes licuerat, uſus, poſt varias demum moras, quarum cauſſas non attinet hic recenſere, extrema, Deo juvante, longo operi manus eſt admota. Quid autem a nobis in hac editione præſtitum, quoque eam pacto adornaverimus, proximum eſt ut exponamus. Poſtquam igitur animo meo ſtetiſſet opera omnia Buchanani noſtri ſimul edendi propoſitum, duo in primis, eaque non ſegniter aut perfunctorie, ſed ſumma ope ac diligentia mihi peragenda proſpiciebam: primum ut univerſa nobiliſſimi atque omnium ſuffragio incomparabilis Auctoris ſcripta (ſive ea antea impreſſa, ſive typis nondum vulgata fuiſſent) undique conquirerem: deinde ut ea in unum collecta quam fieri poſſet emendatiſſima, ac celeberrimo Scriptore digna prodirent.

Quibus autem rationibus geminam hanc provinciam obierimus, non alias melius intelligi poſſe exiſtimamus, quam ſi ſingulatim & per partes omnia exſequamur. Buchanani autem opera in duo

ſe genera ſuapte quaſi ſponte diſpeſcunt; quorum ſcil. altera pars ſoluta, altera ligata oratione ſunt conſcripta. Nos igitur eundem fere ordinem ſecuti in binos pariter Tomos ea tribuenda exiſtimavimus, quorum primus *Hiſtoriam rerum Scoticarum*, aliaque non abſimilis argumenti opera proſo ſermone exarata contineat, alter vero ejus *Poëmata*, adjectis etiam *Epiſtolis*, opuſculiſque ad rem Grammaticam ſpectantibus, complectatur. De his, inverſo licet ordine, primum; deinde de illis, ut commodum erit, dicemus.

PSALMI. I. Inter Buchanani autem Poëmata principem facile locum ſibi vindicat Divina pene dixerim atque omni laude major PSALMORUM PARAPHRASIS. Eorum complures in numeros Latinos ſe ipſe in Vita ſua tum redegiſſe teſtatur, cum in Luſitania agens ab inimicis & religionis illic Pontificiæ vindicibus in Cœnobium eſſet relegatus, circa annum M. D. LI. reliquos poſtea, partim in Gallia, partim in Britannia, abſolviſſe videtur. Memor autem præcepti Horatiani non præcipitavit editionem, ſed in nonum forte & amplius annum premi voluit. Prodiit enim in lucem immortale illud opus anno demum exeunte M. D. LXV. aut ineunte M. D. LXVI. quo fere tempore e Scotia in Galliam profectus videtur, eo potiſſimum conſilio, ut celeberrimis Typographis [1] *Henrico* ac *Roberto Stephanis*, magni illius *Roberti* filiis, Paraphraſeos ſuæ edendæ curam committeret. Cæterum quamvis Buchananus unus omnes, qui ante vel poſt eum id argumenti pertractarint, longo intervallo ſuperaverit; qua ſumma tamen fuerat ingenii excellentia, quod in ea Paraphraſi in melius mutaret, ipſe invenit. Unde factum eſt ut eam ſæpius ad incudem revocaret, quod & ipſe aperte Epiſt. III & XXVII. ſignificat, quibus, *Se multa in Pſalterio correxiſſe, & plura etiam atque inte-*

1 Aliam tamen, eamque ab Henrico Stephano ortam, editionis protelandæ cauſſam adfert Hadr. Junius, Animadverſ. p. 390. Edit. Roter. Anno 1708, qui *paſſim inter Gallos ſermonibus divulgatum* affirmat, *H. Stephanum illam Pſalmorum Verſionem, cujus autographum a Buchanano ſibi traditum habebat, diu apud ſe preſſiſſe, eo nimirum conſilio, ut ſi quid interim Buchanano humanitus accidiſſet, eam poſtea editam pro ſua venditaret.* Verum, ut libere dicam quod ſentio, hanc adverſus Stephanum criminationem, non tam ex vero, quam ex inimicitiis, quæ nobiles Junium inter & Stephanum ardeſcebant, profectam putem. Nam, ut omittam illibatam illam quæ poſtea atque ad extremum uſque viguit inter Buchananum noſtrum & H. Stephanum amicitiam, quæque adeo Buchanani animum ab omni ejuſmodi fraudis ſuſpicione ſuadet immunem; dolum illum H. Stephani nullo fere negotio viri eruditi perſenſiſſent: neque enim eum occultum habere ſiviſſent vera ipſius poëmata, quæ cum (ut a Cl. Joan. Clerico obſervatum eſt, Biblioth. Select Tom XV. p. 394.) præ Buchananæis illis jejuna ſint & exſanguia, non poterant non ſe diverſo prorſus fonte derivata oſtendere.

integros Pſalmos mutaturum teſtatur, *niſi ætas ingraveſcens jamdudum ſibi extorſiſſet Poëmata.* Id autem ut faceret antea hortabatur Theod. Beza, Epiſt. IX. *Ego*, inquit, *Pſalmorum tuorum lectione incredibiliter delector: qui etſi tales ſunt, quales a te uno proficiſci potuerunt, opto tamen ut eos, quod tibi minime difficile fuerit, ex bonis etiam optimos reddas, vel, ſi mavis, optimis, quales jam ſunt, meliores.* Cum itaque Buchananus, ſive ſua ſponte, ſive amicorum hortatu, Pſalterium ſuum multis in locis mutarit, nemini dubium poteſt eſſe, quin ex editionibus, quæ ipſo adhuc vivo prodierint, poſteriores fere præſtent, utpote quibus maturior ipſius caſtigantis manus acceſſerit. Eam ob cauſſam, quamvis antiquiſſimos *Stephanorum* & *Plantini* codices neutiquam negligendos arbitraremur; eos tamen præcipue duximus ſequendos, qui paullo ante annum M. D. LXXXII. quo Auctor noſter fato eſt functus, ſunt in publicum emiſſi. In gratiam tamen eorum, quos illas a Buchanano ipſo factas mutationes cognoſcere forte juvabit, variantes vetuſtiorum editionum lectiones ad paginæ calcem ubique ſubjecimus.

Ex iis autem quæ poſt Buchanani mortem vulgatæ ſunt Pſalterii editiones, tres quatuorve nobis præcipue memorandæ ſunt, Herbornenſis ſcil. anni 1585, cum Annotationibus *N. Chytræi*; Londinenſis anni 1620, cum Ecphraſi *Alex. Julii*; Edimburgenſis *And. Harti*, anni 1615; & quarta denique ab *Alexandro Moriſone*, ſororis ipſius Buchanani filio, procurata. Quod ad *Chytræi* Collectanea attinet, quanquam ejus minime ſpernendus, nec ſuo honore fraudandus ſit labor; cum tamen (quod unicum præ ſe fert) vocabula tantum nonnulla & modos loquendi Poëticos, in rudiorum gratiam, ſibi explicandos *Chytræus* deſumſerit, exiguum admodum fuerat, quod inde ad emendatam Pſalmorum editionem, qui ſolus fere nobis eſt ſcopus propoſitus, potuerat hauriri.

At haud paullo diſpar Ecphraſeos Julianæ ratio: ea enim cum facili ac perpetua interpretatione non verborum modo, ſed ſententiarum etiam genuinum intellectum ac ordinem ubique retexat, non parum inde lucis derivatum ad rectam ac veram lectionem eruendam ſtabiliendamque multis in locis ſumus experti. Et ne ſolius Julii auctoritate in re tanta niteremur, is in Præfat. teſtatur, ſe Ecphraſin ſuam Buchanano ipſi magna ex parte acceptam referre, quippe quem „adoleſcens ſæpenumero adiiſſet, ut quæ in „Divino illo opere obſcura eſſent, illuſtraret, phraſes perplexas „expediret, ſuoſque errores caſtigaret, & ſic ab eo doctior rediret.„ Quæ autem in hac interpretatione, ſuæ, quæ Buchanani ipſius partes fuerint, ſic paullo fuſius poſtea Julius declarat. „Huic oneri, inquit, ferendo, alioqui humeris meis impari, ad-

 „jumen-

„ jumento fuerunt, quæ multis abhinc annis ab eodem D. Buchanano ex tempore dictata in ſchedas quaſdam retuli, & ex „ Muſæo D. *Roberti Buchanani* Paſtoris Eccleſiæ Syreſſenſis, diſcipuli olim mei, eadem plane & meis omnino conſentanea ad „ me ab eo perlata accepi; quæ quidem D. Georgio temere dictante, calamo *Thomæ Buchanani*, Præceptoris quondam mei, „ magna ex parte excepta fuiſſe probe memini: ex quo etiam intellexi D. *Georgium* patruum ſuum vetuiſſe, ne in lucem prodirent; quippe qui exponenda potius, quam in apertum proferenda exiſtimaſſet puerilia illa, quæ vocabat, extemporanea, „ rudia & impolita. Erat enim vir ille ea ingenii dexteritate, ut „ cum pueris repueraſcere, & ad omnes omnium ætatum uſus „ modeſte & ſapienter ſeſe accommodare & poſſet & vellet. Attamen ne quid vel temere ab illo in hoc genere prolatum oblivione obrueretur, hic ego induſtria nonnulla & diligentia adhibita, puerilia illa quodam modo quaſi adulta feci, extemporanea elaboravi, impolita & rudia cultu nonnullo accuratius „ expolire ſtudui, ac urſæ de more libenter occœpi informem „ lambendo fingere fœtum.—— Jecit ergo *Georgius* ille *Buchananus* primum operis hujus fundamentum, materiamque rudem „ & impolitam magna ex parte ſuffecit, unde hæc ſtructuræ forma clementer ac molliter aſſurrexit; in qua ne unguem quidem „ latum ab ejus mente & ſententia diſcedere fas eſſe judicavi, „ quem in toto hoc opere præcipuum auctorem & gravem veræ „ Exegeſis teſtem habere, ab omnibus bene de re literaria ſentientibus probatum fore mihi minime dubitandum eſt.„ Hæc ille. Unde & illud perſpicue colligitur, quo pretio habenda ſit pulcherrima illa *Julii* Ecphraſis, quantumque inde inter ancipites variantium codicum lectiones ſubſidii adferatur ad veram ſinceramque indagandam & confirmandam: nec proinde temere a nobis factum, qui noſtram hanc editionem ad *Julii*, vel Buchanani verius, interpretationem fere ſemper exigere inſtituerimus.

De editione porro *Andreæ Harti* anno 1615, quod ea alia etiam Buchanani Poëmata complectatur, commodior ſe poſtea offeret dicendi locus.

Reſtat denique illa, quam caſtigatam meminimus ab *Alexandro Moriſone*, quem propterea princeps literarum *Joſephus Scaliger* eleganti hoc Epigrammate cenſuit ornandum:

Iſta, Caledonii vertit quæ Muſa Poëtæ,
Jam prius Hebræa carmina culta lyra,
Typographi primum fœdis damnata lituris
Vati nuper erant inficianda ſuo.
Excoluit Moriſon, & doctus avunculus illis

Quod

Quod dederat, non eſt paſſus abeſſe decus.
Gaudete, O ſummi vatis, pia numina, Manes,
Si nova cognati vos benefacta juvant:
Nunc opus hoc, Moriſon quod luminis edit in oras,
Veſtrum eſt, Typographus fecerat ante ſuum.

Cum autem inter libros, quibus nos ſumus uſi, nullus hoc *Scaligeri* elogium habeat præſcriptum, neque aliter de tempore aut loco quo editus eſt, poſſimus amplius quidquam pro explorato proferre, quam illum in lucem exiſſe inter annum 1582, quo Buchananus, & 1609, quo *Scaliger* fatis conceſſere; non tanti rem eſſe arbitramur, ut ideo tuum noſtrumve otium vanis conjectationibus diſperderemus: præſertim, cum facta nobis tot aliunde exemplarium (& in his ejus forte ipſius a *Moriſone* recenſiti, aut eum, nomine licet tacito, imitantis libelli) copia, parum utique damni ex hac qualicunque jactura noſtræ huic editioni adveniſſe metuendum ſit.

De aliis minorum gentium editionibus non attinet quidquam adjicere, cum eæ aliæ fere ex aliis ſint deſcriptæ, nec manuſcripti cujuſquam codicis ope, aut obſtetricante viri celebris opera ſe prodant concinnatos.

Poteram jam ad alia Buchanani Poëmata me conferre, niſi invitum de via quaſi retraxiſſent malevoli quidam Pſalterii ejus obtrectatores, qui cum egregium opus omnium quotquot ſunt hominum elegantiorum & cordatiorum calculis jamdudum comprobatum non ignorarent, in pulcherrimo tamen corpore nævos ſe aliquos deprehendiſſe novi hi Lyncei ſibi volunt videri. In his autem agmen ducit Jeſuita, & eo ipſo nomine juratus Buchanani hoſtis, *Ludovicus Crucius* Olyſipponenſis, cui, cum probe conſcius eſſet Buchanani Paraphraſin ſuæ, quam tum (anno ſcil. 1598) concinnaverat, haud parum obfuturam, viſum eſt illius famam inſigni mendacio elevare. Ait enim (in Præfat.) *Buchananum, etſi princeps Poëtarum ſui temporis inſcribatur, id egiſſe, ne clariſſima notiſſimaque de Chriſto Opt. Max. vaticinia, quæ Pſalmis continentur, ſuo in carmine apparerent.* Quantum autem a Buchanani mente abfuerit, quod iſte nefas comminiſcitur, vel ſecundus Pſalmus plane oſtendit, ubi ne inſigne illud de Servatore noſtro, Deo in æternum benedicto, vaticinium vel minimum imminuiſſe videretur, voce utitur Romanæ Poëſeos parentibus incognita, eum CHRISTUM, non vero *Unctum Domini* diſerte appellans. Quin ſi utriuſque velimus inter ſe verſiones componere, Buchananum reperiemus horum vaticiniorum vim & conſilium, ut *Crucio* elegantius expreſſiſſe, ita ſolertius & accuratius attendiſſe. Teſtis inter alia ſit Pſalmi VIII. verſ. 5. ubi pro, *Minuiſti eum paullo minus*

nus ab Angelis, ut in Vulgata; vel Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, ut in LXX virali verſione habetur, Buchananus reddit,

[1] *Hunc Deo æqualem prope reddidiſti*,

memor in textu Hebræo ita ad verbum exhiberi, *Deficere facies eum paullulum a Deo*, & ab Apoſtolo ad *Heb.* II. 8. ad Dei filium hæc referri. Videſis de hac *Eraſmum* cum *Fabro Stapulenſi* digladiantes, huncque (*Fabrum* innuo) impietatis crimen *Eraſmo* intentantem, quod eodem fere ſenſu quo *Crucius* hæc vertiſſet. Eraſmus autem prædictum Apoſtoli locum interpretatur, *Feciſti eum paullulo inferiorem Angelis*: *Crucius* vero Pſaltæ verba hoc pacto carmine exprimit,

Condidiſti ſi minorem
Angelorum cœtibus:
Inclytum tamen creaſti
Mente, forma, gloria.

Rurſus quanto cum carminis nitore, tum ſententiæ claritate, a Buchanano vertitur nobile illud de Chriſti reſurrectione vaticinium, Pſal. XVI. 10.

Nam nec degere Tartari
Permittes animam ſub tenebris meam,
Aut ut putre cadaver reſolutum in cineres fluat.

Confer iſtis hoſce *Crucii* verſus,

Spero equidem Stygiis animam nec ſedibus addes,
In cineres verti nec mea membra ſines..

nonne tibi non venuſtate modo; ſed & perſpicuitate deſtituti videntur?

Porro quam Poëtice, quam vividis coloribus depictum nobis exhibet Buchananus æternum Salvatoris noſtri ſacerdotium, Pſal. CX. 4.

Juravit, & ſe adſtrinxit immutabili
Dominus ſacramento tibi,
Tete futurum Melchiſedecis ſibi
Ritu ſacrorum antiſtitem,
Sol inquieto lucis orbe dum diem,
Dum Luna noctem illuminet.

Contra

1 [De hoc verſu agens auctor Bibliothecæ Antiq. & Hodiern. T. XIX. Part. II. p. 242. credit melius facturum fuiſſe Buchananum, ſi vertiſſet, *Angelis æqualem prope reddidiſti*: ſed Buchananus religioſius leges metricas ſervare didicerat.]

Contra quam illepida ac lutulenta iſta *Crucio* fluunt:

Juravit Dominus, quæ non juraſſe pigebit,
Melchiſedecis te ſacerdotem fore.
Scilicet antiquo ventura in ſecula more,
Dum pulcher aſtra ducet æther ignea.

Ex paucis hiſce exemplis abunde liquere arbitror, quam nulla ratione fulta ſit *Crucii* adverſus Buchananum noſtrum accuſatio: quod niſi Lectoris patientiæ parcendum videretur, facile nobis eſſet in cæteris itidem oſtendere.

Quod autem Pſalmi LXXII. v. 17. ad æternam Filii generationem *Crucius* detorqueat, hoc modo,

Sit nomen ejus nobile cantibus,
Quod eſt parentis Filius optimi:
Et jam vigebat Solis ante
Quam nitidæ micuere flammæ:

ipſe, non Buchananus, in errore verſari videtur. Optimi quippe Interpretes & Commentatores conſentiunt nihil hic aliud ſignificari, quam Solomonis (aut, ſi mavis, Meſſiæ ejus Antitypi) nomen cum Sole permanſurum, Hebr. ad verb. *Coram ſole* (vel, *ad fa ies ſolis*) *filiabitur* (ſeu ſoboleſcet) *nomen ejus*. i. e. explicante *Vatablo*, *Grotio*, &c. *Quamdiu ſol videbitur, nomen ejus erit memoriale ejus.* q. d. *Ut filius ducit nos in memoriam patris, ſic erit nominis ejus memoria in ſeculum.* Qui proinde verus ac genuinus horum verborum ſenſus a Buchanano hic elegantiſſime exprimitur,

Nomen æterno juveneſcat ævo,
Filii nomen, jubar uſque ſolis
Dum vagæ fundet radiata terris
Lumina flammæ.

Ut tamen *Crucio* nonnihil indulgeamus, unicum eſt de Chriſto Opt. Max. vaticinium, Pſal. XLV. 6. *Sedes tua, Deus, in ſeculum ſeculi:* ubi vox [DEUS] a Buchanano quidem omittitur, at nullam aliam ob cauſſam, quam quod ita poſtulare carminis nexus & concinnitas videretur. Neque enim mortalium quiſquam mihi perſuaſerit, id eo quod *Crucius* fingit conſilio factum, cum vel ipſius Buchanani verba,

Nec maris aut terræ ſpatium, nec terminus ævi
Finiet imperium.——...

in ſolum Dei Filium convenire queant. Quin & ipſos Arianos Socinianoſque, a quorum partibus Buchananum ſtare *Crucius* cauſſatur,

ſatur, nunquam ea religio tenuit, ut CHRISTUM DEI nomine appellare reformidarent. Verum futili huic *Crucii* commento eluendo fuſius forte, quam par erat, ſumus immorati: ad alios igitur pergamus.

Proximus autem Buchananææ famæ inſectator inventus eſt popularis ſuus *Georgius Egliſemmius*, qui Thraſonico faſtu tumens palam auſus eſt cum Buchanano de lauru contendere, editoque, cui POETICO DUELLO Anglicum potius, quam Latinum, nomen indidit, libello, a ſe confectam Pſalmi CIV. Verſionem Buchananææ longe anteferre. Sed ineptam hominis vanitatem ſatis ſuperque retuderunt *Gulielmus Barclajus* Medicus, & *Arthurus Jonſtonus* Poëta elegantiſſimus; hic falſiſſimo carmine, cui nomen dedit *Conſilium Collegii Medici Pariſienſis de Mania hypermori Medicaſtri*; ille κριτικοτάτῳ de eo certamine *Judicio*. Utrumque Londini primum anno 1620, ac deinde Edimburgi anno 1696, junctim prodierunt.

Neutiquam vero ad Buchanani noſtri vituperationem hic retulerim illud *Abrahami Cowleji*, Poëtæ egregii ac viri ſanctiſſimi dictum, in Præf. ad Odas ſuas Pindaricas, quo *Buchanani carmina tanto Davidicis inferiora* affirmat, *quanto terra Judæa Scotiam antecellit*. Eodem enim loco inſignis ille Anglus, ex omnibus Pſalmorum Interpretibus Buchananum longe præſtantiſſimum, & ingentem ſane virum lubens agnoſcit: cæteros vero omnes (ne gentili quidem ſuo *Geo. Sandæo* excepto) *tantum abeſſe* ait, *ut Davidem ſuis Verſionibus honeſtarint*, *ut dedecorarint potius*, *indigniuſque quam ipſe Shimeius exceperint*. Cæterum nulli tam inepte Buchanani ſumus fautores, ut ejus carmina, cæteroquin in ſuo genere ſupra modum eximia, cum Davidicis, hoc eſt, humana cum Divinis audeamus conferre, quippe quæ infinito novimus intervallo diſtare. Quod vero ab aliis omnibus miſere neglectum queritur *Cowlejus*, *ut* nempe *in ſuis Verſionibus*, *pro exoletis jam aut prorſus ignotis Linguæ Hebraicæ veneribus*, *novas ac ſuæ linguæ proprias ſubſtituerent*, id certe, ſi quiſquam alius, Buchananus eſt aſſequutus; non ſine quorundam reprehenſione qui *Olympum*, *Tartarum*, *Stygias undas*, aliaque innumera Romanis Poëtis uſitata vocabula & locutiones Divinis hymnis intermiſceri ægre ferentes, quod unice *Cowlejus* factum volebat, id Buchanano culpæ tribuunt: & illud quidem longe præter rationem, cum non aliter ſuus Latino carmini genius, ſuaque venuſtas conſtare poſſit.

Poſtremo autem, duo non ita pridem exſtiterunt Angli, *Joſeſephus Trappius* & *Leonardus Welſtedius*, qui nobiliſſimam Pſalmi CXXXVII. Paraphraſin ſollicitandam duxerunt. Et *Trappius* quidem, [1] ſed paullo modeſtius, Buchananum criminatur, quod *in*

1 Prælect. Poët. p. 90.

in Paraphraſtica Pſalmorum verſione inter alia ſcribat,

Dum procul a patria mœſti Babylonis in oris
Fluminis ad liquidas forte ſedemus aquas,
Flevimus & gemitus luctantia verba repreſſit,
Inque ſinus liquidæ decidit imber aquæ.

„ Non opus autem fuit (*inquit ille*) ut vel *ſemel*, multo minus „ trium verſiculorum ſpatio *bis* admoneremur aquam eſſe *liquidam:* „ rem ita habere jamdudum norunt omnes; neque per iſtud Epi- „ theton vel minime illuſtratur res quam deſcribit Poëta.„ Bene autem habet quod mox hoc nomine haud raro peccantem Ovidium *Trappius* inducat, neque ejus (ſi qua culpa eſt) Horatium & Virgilium omnino exſortes fateatur. Quod vero bis trium verſiculorum ſpatio hoc a Buchanano admiſſum cauſſetur, memoria lapſus videtur vir doctiſſimus (neque enim de induſtria factum putem) qui medios hoſce duos verſiculos prætervectus,

Illa animum ſubiit ſpecies miſeranda Sionis,
Et nunquam patrii tecta videnda ſoli.

quatuor illos modo memoratos continuos poſuit. Ad rem vero ipſam quod attinet, ignorare non poteſt vir Cl. epitheton LIQUIDUS duplici apud Latinos ſenſu accipi, interim ſcilicet pro *fluido* ſive *humido*, quatenus nimirum *arido* ſeu *ſicco* opponitur; interim vero pro *puro* & *limpido*, *nec limo aut ſordibus ullis turbulento.* Priore quidem ſignificatu proprium eſt & perpetuum *aquæ* epitheton: poſteriore autem non item, oſtendunt Ovid. Met. I. 370.

——.... *Adeunt pariter Cephiſidas undas*,
Ut nondum liquidas, *ſic jam vada nota ſecantes.*

Horat. 2. Epiſt. II. 120.

Vehemens & liquidus, *puroque ſimillimus amni.*

Et Virg. Georg. IV. 102.

——... *Hinc cœli tempore certo*
Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, *quantum*
Et liquida, *& durum Bacchi domitura ſaporem.*

Liquida, i. e. *pura* & *defæcata*; nam quæ omnino *fluunt*, mala eſſe admonet Servius. Atque hoc (uti ego quidem exiſtimo) Buchananus hic ſenſu loquutus videtur, Euphratis undas tum puras & illimes fluxiſſe ſignificans. Certe Pomponius Mela [1] eum *acceptis ripis celerem & frementem* deſcribit, quales fere fluvii aquas minus turbidas aut lutulentas devolvunt. Plinius [2] vero *Euphratem* ait *limum*

1 Lib. III. c. 8. 2 Lib. XVIII. c. 17.

limum in agros non invehere, ſicut in Ægypto Nilum. Non inepte autem hoc ſignificatu Buchananus, verſ. *6.* lacrymas cadentes *liquidas* appellat, quippe quibus nihil fere limpidius videamus. Utut vero hæc ſint, Poëtam noſtrum abunde excuſant non Ovidius modo & alii paſſim, ſed & ipſe Virgilius Æn. V. 860.

Cumque gubernaclo liquidas projecit in undas
Præcipitem. —— . . .

Et Æn. VII. 760.
Te liquidi flevere lacus.
Et Æn. IV. 526.
Quæque lacus late liquidos, quæque invia dumis
Rura tenent. —— ....
Item Homerus, Odyſſ. Δ. 458.
Γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ, καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον.

Longe autem atrocior *Welſtedii* cenſura, qui Annott. ſuis ad Anglicam Longini *de Sublimi* verſionem ſubjunctis, in Buchananum immanem in morem invehitur. Pravam enim plurimorum de carminibus Latino ſermone ſcriptis opinionem perſtringens, exempli loco adducit *celebratiſſimum* (quod invitus fatetur) *Buchanani Pſalmum, qui ſic incipit,*

Dum procul a patria, &c.

Moxque in eum incondito clamore hæc deblaterat. There never was any thing ſo Barbarous, ſo Gothick, ſo truly Modern, as theſe Verſes: They are only a continued Jangle of Dactyls and Spondees, which chime on, like a Pack-Horſe, in the ſame Pace; a Heap of Subſtantives accompanied with moſt wretched. Adjectives; You may know the Poſition of the Words, in every Line, without looking into it. Is there any thing like this in Tibullus, Ovid, nay, even in Martial, or any ancient Writer whatever? The Lines indeed ſeem to run pretty much into what they call the Golden Verſe; but even that, if not a Fault, is yet no Beauty, and at beſt but a Monkish Invention. In ſhort, all ſuch Poetry as this is but one Degree ſuperior to Latin Rhimes. *i. e.* „ Nihil tam „ barbarum, tam Gothicum, tam vere neotericum, atque hi „ ſunt verſus, uſquam exſtitit. Nihil quippe ſunt aliud quam „ clangor perpetuus Dactylorum & Spondæorum, eodem tenore, „ ſarcinarii equi inſtar, ſibi concinentium; Subſtantivorum ineptiſſimis Adjectivis ſtipatorum congeries. Ut quo quæque loco voces ſint poſitæ cognoſcas, inſpecto non eſt opus. An quidquam huic ſimile, apud Tibullum, Ovidium, addo & Martialem, ullumve ex veteribus ſcriptorem reperitur? Verſus quidem plerique omnes ex eorum fere genere eſſe videntur quos „ Aureos appellant. Id vero ſi maxime culpa vacaret, nulla „ tamen

„ tamen venuſtatis laude commendatur, merumque eſt Monacho-
„ rum inventum. In ſumma, verſus omnes hujuſcemodi uno
„ duntaxat gradu Rhythmis Latinis ſunt ſuperiores. „

Unde novus hic ac hypercriticus Cenſor, aut verius unicus Reip. literariæ Dictator non *Scaligeris* dico, *Turnebis*, *Grotiis*, *Voſſiis*, ſed univerſo erudirorum orbi, longe, ſi diis placet, antecellens, nobis exortus. Tanti ſcil. res eſt, Longinum *de Sublimi* Anglice vertiſſe, ut hic ejus interpres, Pegaſi quaſi alis in altum ſublatus, omnes mortales cum faſtu deſpiciat, deque doctiſſimorum virorum ſcriptis pro imperio ſtatuendi jus ſibi ab Apolline conceſſum opinetur. Cui vero non Scoto tantum, ſed bonas literas amanti, bilem non moveat, Poëtarum non Scotiæ, non Britanniæ, ſed omnium terrarum multarumque ætatum longe maximum ab obſcuro homine tam procaciter ſugillari? Nimirum non alio pacto ſummis erat Buchananus Poëtis annumerandus, quam ut ſuos itidem Zoilos & Mævios haberet. Nobis autem feliciter obtigit, quod cum neque hominem ſic vatum præſtantiſſimo impune inſultantem omittere oporteret, neque ad ejus injurias ex merito refutandas ad alia properantibus otium ſuppeteret; id in ſe oneris paullo ante derivaverat erudiriſſimus ſimulque nobis amiciſſimus vir, *Andreas Roſſius*, Humaniorum literarum in Academia Glaſcuenſi Profeſſor, qui ingentes Buchanani Manes inultos non paſſus, publicis ſuis Prælectionibus ab importuni hujus Critici calumniis fuſe & egregie eum vindicavit. Præmiſſa enim luculenta totius Pſalmi Metaphraſi, tot delibatos ſententiarum floſculos, tot Veneres longe pulcherrimas, quot fere voces, in eo oſtendit: deinde, excuſſis omnibus *Welſtedianæ* accuſationis partibus, nihil per totum Pſalmum affectati, nihil quod aut Barbariem, aut Gothiciſmum, aut Neoteriſmum vel minimum redoleat; quin contra omnia tum argumenti, tum carminis indoli aptiſſime quadrantia, atque innumeris clariſſimorum Poëtarum exemplis firmata, pleniſſime ſimul & ſolidiſſime demonſtrat. Eas autem *Prælectiones*, cum non Buchanani modo, ſed & literarum communium cauſſa agi videatur, in apertam propediem lucem producturum virum elegantiſſimum ſperamus.

II. Atqui tempus monet, ut ad alia Auctoris noſtri Poëmata tranſeamus. Proximum autem poſt Pſalmos locum poſtulare ſibi videntur TRAGOEDIÆ ejus quatuor, quarum duæ, argumento e ſacris literis petito, ab ipſo Buchanano ſunt confectæ, alteræ duæ e Græcis Euripidis tranſlatæ. Ex iſtis vero primum (quod ipſe [1] teſtatur) conſcripta fuit BAPTISTES, & quidem, uti ego conjicio, circa annum 1540, licet ultima omnium, nec ante TRAGOEDIÆ.

1 In vita ſua, circa annum 1540.

ante annum 1576, typis expreſſa. Eam ſecuta eſt *Medea*, quam Burdegalæ actam anno 1543, & tum forte primum prælo mandatam ad Buchanani Vitam alibi obſervavimus. Quo primum tempore reliquæ duæ prodierint, nondum licuit inveſtigando reperire. Porro, ut de Tragœdiis ſuis omnibus, tum præcipue de *Medea* modeſtiſſime ſentiebat Auctor. „ Eam enim non in hoc ſcri- „ ptam ut ederetur, ſed amicorum flagitatione ſibi invito quaſi „ extortam, „ ipſe ſcribit ad *Danielem Rogerſium* Epiſt. XXVII. oſtenditque „ ſe, cum multa negligentius in ea elapſa eſſent,[1] poſt „ aliquot annos retractaſſe eam, & quædam in ea vulnera ita ſa- „ naſſe, ut adhuc cicatrices appareant; reliquas autem majore „ cum labore effudiſſe. „ Æquiora de iis doctorum virorum judicia in Teſtimoniis mox ſequentibus habentur: quæ paullo iniquiora ſunt, peti poſſunt ex *Bailleti* Judic. Eruditor. *&c.* Tom. IV. Part. 5. & *Teiſſerii* Elog. Thuan. Tom. III. In his *Joh. Ger. Voſſius*[2] Buchanano vitio vertit, quod, „ cum drama unici diei „ naturalis ambitu peragi, aut ſane paullum excedere debeat, is „ tamen Jephtham ſuam ad duorum minimum menſium ſpatium „ extendat. „ Porro *Lud. Balzacius*[3] latæ eum culpæ inſimulat, quod Jephthæ perſonis Hebraicis nomina Græca, qualia ſunt *Storge* & *Symmachus*, indiderit; quod in Baptiſte Eumenidum meminerit, Judæumque ſuæ religioni addictiſſimum, qualia Græco ſacerdoti conveniebant memorantem, in theatrum induxerit.[4] Ipſe denique maximus virorum *H. Gròtius*,[5] licet alioquin ſummus

mus

1 Quo magis incredibile videtur, quod ab Henrico Stephano, *de bene inſtituendo Ling. Græc. ſtud.* pag. 116. narratur, cujus verba hic adſcribam: *Eodem certe modo* (inquit) *furti inſimulatum fuiſſe Georgium Buchananum audivi, quum ejus Medea (id eſt, Euripidis Medea ab eo Latine verſa) in lucem prodiit. In aliqua enim Bibliotheca latentem ſurripuiſſe, ac ſuam tandem feciſſe.* Vid. etiam Janſonium ab Almeloveen Plagiar. Syllab. in Addend. p. 87.

2 Inſt. Poët. lib. 2. cap. 3.

3 Diſſert. de Herod. infanticid.

4 Hos tres verſiculos (neque enim ullos alios huic culpæ affines reperio) reſpexit *Balzacius*, qui habentur in Choro Bapt. p. 246. ℣. 1127.

Crinitæ colubris Eumenides nigris,
Et jejuna avidi guttura Cerberi,
Et nunquam ſaturi copia Tantali.

Quibus non Buchananus modo, ſed & Græcorum Romanorumque ſapientiſſimi nihil aliud ſignificari volebant, quam nullas graviores dirioreſque de ſontibus pœnas poſſe exigi, quam quas male patratorum conſcientia, luxuria, avaritia, aliaque ejuſmodi vitia per ſe ipſa miſeris infligunt. Neque propterea Buchananus magis culpandus videtur, quam plerique ſacrorum Bibliorum Interpretes, qui Jobi IX. 9. *Aſh, Ceſil & Cimah*, per *Arcturum*, *Oriona* & *Pleiadas*, nomina non minus Hebræis ignota, quam Græcorum fabulis celebrata, reddiderunt. Nihil certe a Buchanano hic tam graviter commiſſum, ut ideo iiſdem, quas nominat, Furiis inſtigatus a *Balzacio* pronunciari meruerit. Quod ſi ea quam ſupra retulimus Cl. *Cowleji* ſententia nobis ſtandum ſit, in laude potius, quam vituperio hæc Buchanani noſtri ponenda videntur.

5 Epiſt. V.

mus Buchanani admirator, utpote quem *numen Scotorum* inſigniat, prædicetque *Tragœdiam redivivam reduxiſſe*, eum tamen *a cothurni gravitate degeneraſſe* criminatur. Ludibrium utique debuerim, ſi ego poſt tam illuſtria nomina judicium hic meum interponere auſim. In hoc certe omnes conſentientes habemus, nihil illi, poſt inſtauratas literas, ob ſummam ſermonis puritatem ſimile uſquam reperiri: quo magis Poëtæ cæteroquin præſtantiſſimo danda eſt venia, ſi a rigidis cothurni legibus, nondum eo ſeculo accurata ſatis trutina examinatis, nonnuſquam inopinus deerrarit. Quod attinet ad varias harum Tragœdiarum editiones, idem fere nobis, quod ſupra de Pſalterio, licebit affirmare, eas nempe potiſſimum videri præferendas, quæ ſub Auctoris mortem, aut non multo poſt, lucem conſpexerunt.

III. Poſt Tragœdias memoranda veniunt Buchanani *Aſtronomica*, ſive quos DE SPHÆRA Libros inſcripſit, quoſque ſi afflicta valetudo & Hiſtoriæ ſcribendæ labor abſolvere ſiviſſet, Manilium ipſum, quem ſibi in hoc genere exemplar propoſuit, æquaturus, vel etiam ſuperaturus videtur. Id opus primum aggreſſus eſt, cum *Timoleonti*, *Caroli Coſſæi* Franciæ Mareſcalli filio, inſtituendo operam daret: id quod carmen ipſum non uno in loco oſtendit. Auctor vero, Epiſt. ad *Tychonem Brahe* anno 1576 ſcripta, [1] *ſe proximo biennio*, ait, *adeo graviſſimis morbis conflictatum*, *ut*, *cum multa alia leviora*, *tum quinque libros* de Sphæra *jam dimidiatos omittere*, *ac ſpem ſcribendi carminis in poſterum penitus abjicere coactus fuerit*. Epiſt. autem XXVII. *Dan. Rogerſium* (qui Epiſt. XXVI. omnium ejus Poëmatum editionem flagitabat) monet, *Aſtronomica ſe non tam abjeciſſe*, *quam extorqueri invitum tuliſſe*. Quare effectum eſt, ut quamvis viri docti opus illud in ſuo genere agnoſcant egregium, in quo quippe vegetus animus, nec ſuis partibus ſuſtinendis impar ſe maximi prodat Poëtæ ingenium; nonnullis tamen in locis majorem carminis æqualitatem requirant. Primum autem prodiit Libri primi fragmentum, hiſce verſibus terminatum, SPHÆRA.

Nam cum ſtelliferi ſurſum undique machina cœli
Aſſurgat, *telluſque ſua gravitate deorſum.*

quod ex *Dan. Rogertis* (ſive *Rogerſii*) apographo deſcriptum Typographus teſtatur, qui illud cum aliis ejus carminibus Genevæ edidit anno 1584, ac denuo anno ſequente 1585. Poſt biennium vero totius quod exſtat operis editionem primus procuravit *Joan. Pincierus* Medicus e duobus MSS. exemplaribus, quorum alterum e

[1] Epiſt. XV.

e Scotia Herbornam a *Roberto Hovæo*, juvene prædocto allatum, alterum ab ornatiſſimo juvene *Joan. Jonſtono* Helmſtadio ad ſe miſſum ipſe in Præfat. commemorat: additque porro ſe ejuſdem *Jonſtoni* aliorumque ſuorum amicorum adhortationibus adductum, ut Libris quarto & quinto ab Auctore nunquam abſolutis Supplementa pertexeret. Quæ quidem omnia Herbornæ primum anno 1587 ab eodem *Pinciero* publici juris ſunt facta. Hanc editionem aliæ deinceps exceperunt, una Genevæ (ut ego quidem haud levibus argumentis mihi colligere videor) anno 1594, altera apud Petrum Santandreanum 1597, tertia in Bibliopolio Commeliniano anno 1609, editionis fere Herbornenſis veſtigiis inhærentes, atque propterea non multum nobis hic memorabiles.

Poſt Pincieranum igitur illum tres præcipue ſunt codices, quos in hac noſtra editione duces nobis ſequendos cenſuimus. Primus eſt Edimburgenſis *And. Harti* anno 1615, qui quamvis innumeris Typothetarum vitio corruptus ſit maculis, eum tamen cum ex Auctoris autographo caſtigaſſe ſe narret *Joan. Rayus*, Ludimagiſter Edimburgenſis, haud levem apud nos fidem merito ſuo poſtulare videbatur. Proximus huic codex Salmurienſis anni 1621, nobis hac in parte potiſſimum laudandus, „quod (referente in „ calce Typographo) vir quidam doctus in libris hiſce *de Sphæra* „ emendandis plurimum operæ poſuerit, cum quod in iis multa „ eſſent vindice digna, tum quod plura ad eam rem haberet adju- „ menta; utpote præter exemplaria typis impreſſa (in quibus E- „ dimburgenſe facile primas tenebat) optimum MS. a doctiſſimo „ viro *Gul. Geddeo* nactus, quod ejus frater *Joannes Geddeus* di- „ ctante ipſo Buchanano olim exaraverat. Quæ autem (*porro in-* „ *quit Typographus*) in editione Edimburgenſi ex auctoris autogra- „ pho emendata ſunt, manuſcriptum pene omnia confirmat, „ quædam etiam in melius mutat, *&c.*„ Verum de utraque hac, tam Edimburgenſi, quam Salmurienſi editiöne, quod alia ejus opera Poëtica contineant, infra nobis erit dicendum. Denique, præter libros hoſce impreſſos facta nobis tandem eſt ex inſtructiſſima Bibliotheca Academiæ Edimburgenæ optimi codicis MSti copia, de quo alibi etiam a nobis eſt dictum, quem ſcilicet vir accuratiſſimus *Ad. Regius* ſe ait ad Poëtæ autographum, quem apud ſe habebat ultimis ipſius curis elaboratum, recenſuiſſe; quemque non Supplementis modo, ſed juſtis etiam Commentariis, egregiam & in omnes ſcientiarum partes diffuſam viri eruditionem teſtantibus, auctum, quo minus in publicam lucem, quam inſigniter merebatur, non emiſerit, dura fatorum neceſſitas invidiſſe videtur. Cum autem tardius, nec niſi poſt abſolutam majorem hujus operis partem ad notitiam manuſque noſtras perveniſſet præſtantiſſimus ille liber; quod proximum fuit, nos

ſche-

ſchedas noſtras cum illo curavimus quam diligentiſſime conferendas, varianteſque lectiones inter Annotata ad calcem adjiciendas: quas tamen cum editione *And. Harti* & codice MSto *Geddeano* plerumque convenire, aut magna ex parte leves eſſe & ambiguas, ut neſcias quæ quibus ſint anteferendæ, nonnunquam noſtris deteriores, pauciſſimis certe locis iis potiores, Lector non iniquus facile comperiet.

IV. Supereſt ut de reliquis Buchanani carminibus aliquid adjiciamus. Et FRANCISCANUM vero in Scotia ſcribere aggreſſus eſt *Jacobi V.* juſſu. Poſtea per otium, reverſus domum, quæ deeſſe videbantur, explevit, carmenque ſic abſolutum Patrono ſuo *Jacobo Moraviæ Comiti* eleganti Epiſtola Nonis Juniis anni 1564 nuncupavit, quam propterea, licet nulli ejus Satyræ editioni antea præmiſſam, neutiquam in hac noſtra duximus omittendam. FRANCISCANUS.

V. Eodem fere tempore abſoluta eſt illa variorum carminum farrago, quibus FRATRIBUS FRATERRIMIS nomen impoſuit. Prima, quam viderim, *Franciſcani* & *Fratrum*, editio prodiit Baſileæ Rauracorum, anno (uti videtur) 1568, ac deinde anno ſequente apud *Hen. Stephanum*, una cum aliis Buchanani & *Bezæ* poëmatis. FRATRES FRATERRIMI.

VI. Cum alia, quæ ſparſa jacebant Auctoris noſtri carmina, amici obnixe efflagitarent, quædam ipſe ex iis recollecta, atque in ſua capita diſpertita, ELEGIARUM ſcilicet Librum I. SILVARUM I. HENDECASYLLABΩN I. ad *Pet. Danielem* miſit anno 1566, ut poſtquam ea *Montaureo*, *Memmio*, aliiſque amicis Philologis oſtendiſſet, ex eorum ſententia de iis ſtatueret. Quod auctoris conſilium ille ſecutus ea *Hen. Stephano* edenda tradidit, e cujus prælo primum exierunt anno 1567, præmiſſa ad *Pet. Danielem* ea de re Buchanani Epiſtola, quam etiam ſuæ eorundem editioni præpoſuit *Mamertus Patiſſonius* anno 1579, nos inter alias ejus Epiſtolas tertiam collocavimus. Eadem autem illa Epiſtola promittit Buchananus ſe brevi miſſurum JAMBΩN, EPIGRAMMATΩN & LYRICΩN libros ſingulares, quod tamen per decennium non præſtitiſſe conqueritur *Pet. Daniel*,[1] atque *per ſacras Muſarum* τελετὰς hortatur, *ut rem adeo deſideratam pro communi omnium ſtudioſorum utilitate amicis non denegaret.* Cum vero iiſdem literis Buchanano ſignificet *Pet. Daniel* ad ea edenda paratam eſſe operam *Mam. Patiſſonii*, qui tamen, altero poſt anno, *Elegias*, *Silvas* & *Hendecaſyllabos*, nullo *Jambῶn* &c. auctario adjecto, typis commendavit;) haud abſurde colligere videmur, Buchananum ea in ordinem non redegiſſe ante annum modo memoratum 1579, ut proinde haud facile ſit definire quo primum illa

ELEGIÆ. SILVÆ. HENDECASYLLABI.

IAMBI. EPIGRAMMATA. LYRICA.

1. Epiſt. XI.

illa tempore lucem conſpexerint. Antiquiſſima certe, quam nos eorum editionem viderimus, Genevæ prodiit anno 1584, biennio ab Auctoris exceſſu. Sæpius deinde variis in locis cum aliis ejuſdem carminibus fuere excuſa. Cæterum quem Buchananus *Lyricῶn* librum *Pet. Danieli* erat pollicitus, eundem eſſe reor, qui

MISCELLANEA. Editioni Edimburgenſi anno 1615 MISCELLANEORUM nuncupatur, & eo quidem anno primum vulgatus. Mutatur autem libri inſcriptio, quod iis carminibus Elegiaca quædam & Hexametra intermiſceantur, quæ inepte inter Lyrica retuleris.

SATYRA in Car. Lotharingum. VII. Poëmatum in hac noſtra editione agmen claudit SATYRA, in *Carolum Lotharingum Cardinalem*, ſcripta, uti videtur, paullo poſt deteſtandam illam lanienam Pariſienſem, quæ hujus Cardinalis in primis inſtinctu perpetrata fuit die D. *Bartholomæo* ſacro & ſequentibus, anno 1572. Carmen quidem Buchanano non prorſus indignum, at vivido minus impetu, tardante jam vires ingenii ſenecta, effuſum, cuique etiam, ut credibile eſt, ultima auctoris lima nunquam acceſſit. Eam ob cauſſam quoſdam primi ſubſellii viros dubitaſſe, an is genuinus eſſet Buchanani fœtus, innuit D. *Rob. Sibbaldus*, qui Satyram eam a ſe notis illuſtratam, Commentariis ſuis in *Georgii Buchanani* vitam ſubnexuit. Idem vero vir clariſſimus, tum MSti ſui, quem a doctiſſimo Theologo *Joanne Jamiſonio* nactus erat, auctoritate, quum aliis haud ſpernendis argumentis, carmen illud Buchanano ſtrenue aſſerit; quæ hoc loco haud operæ pretium recenſere videtur, cum locupletius habeamus hujus rei teſtimonium, primam videlicet, eamque *Sibbaldo* incognitam, ejus Satyræ editionem, apud *Iſraëlem Taurinum*, anno 1590, in libro cui titulus *Selectorum carminum ex doctiſſimis Poëtis collectorum nunc primum in lucem editorum libri quatuor*, I. *Iberica*, II. *Guiſiaca*, III. *Varia Poëmata*, IV. *Cantica ſacra:* ubi hoc carmen *Geo. Buchanano* diſerte adſcribitur.

POEMATA omnia. VIII. Hactenus præcipuas editiones recenſuimus, quæ partes tantum aliquas Poëmatum *Geo. Buchanani* complectuntur; reliquum eſt ut eas, ſed leviter, attingam, quæ univerſa ſe perhibent continere. In his autem primas ſibi merito partes depoſcit ſupra laudata editio Edimburgenſis *And. Harti*, anno 1615, *innumeris pene locis* (ita enim in fronte liber promittit) *ex auctoris autographo caſtigata & aucta:* a qua tamen abſunt, præter Satyram in Carolum Lotharingum, Euripidis Medea & Alceſtis. Hanc editionem accuraſſe ſe teſtatur *Jo. Rayus*, Ludimagiſter Edimburgenſis, haud ineleganti ad ampliſſimum virum *Alexandrum Setonium* Fermelinoduni Comitem, ſummum tum Scotiæ Cancellarium, ſcripto Epigrammate, quod & hic placuit adjicere.

Setoni, Phario ſate ſanguine, Regibus orte,
Regibus aucte atavis, munere, mente potens,

Accipe,

Accipe (ſed facilis) Buchanani reddita vitæ
Carmina, in abſtruſo quæ latuere diu.
Namque parens alia expoſuit, mandavit alenda
Furtim alia, agnovit quæ tamen ipſe ſua.
Verum ubi res fractæ Teucrûm, & fortuna receſſit,
Ferre tot orbatis nemo volebat opem.
His ego ſuccurri primum, nativaque novi
Symbola, & in lucem notitiamque tuli.
Ad te confugiunt velut Atthida triſtia ad aram;
Jura patrocinii, tecta fidemque petunt.
Dexter ades miſeris, quorum inclinata recumbit
In te ſpes omnis, præſidioque juva.
Non minus ingenuos alienos tollere natos
Laudis habet, claros quam genuiſſe ſuos.

Et ſane haud exiguam in hac noſtra editione ornanda ex Edimburgenſi illa nos opem traxiſſe, ingrati eſſemus, ſi diffiteremur. Non tamen diſſimulandum eſt, tot ubique Typographorum aut Correctorum vitio eam maculis eſſe fœdatam, ut multum propterea de ejus codicis pretio inde decurtetur; ut mihi adeo plane perſuaſum ſit, non *Rayum* ipſum, ſed virum aliquem, aut indoctum, aut turpiter oſcitantem ſchedis corrigendis adfuiſſe. Hujus rei, præter alia multa, inſigne documentum præbet lib. III. *de Sphæra*, pag. 479, verſus 507, ubi pro

Figat humum, nullaque arbor ſe protegat umbra.
in codice Hartiano ineptiſſime editum eſt,
Figat humum, melius in textu, arbor ſe protegat umbra.

Ut Edimburgenſi illi tempore inferior, ita typorum elegantia & corrigentis ἀκριβεία longe ſuperior nitidiſſima Salmurienſis editio, ſumtibus *Cl. Girardi, Dan. Lerpinerii ac Joan. Burelli*, anno 1621, quam & ſummis elogiis ornant *Cl. Joan. Clericus*, Biblioth. ſelect. Tom. VIII. p. 127. & auctor libri, cui titulus, *Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres tant ancienne que moderne*, Tom. VI. p. 337. Is autem a me proxime memoratus de rep. literaria ſcriptor (dum *variarum editionum & Codicum* MS. *quibus in nova hac operum omnium Geo. Buchanani editione concinnanda ſum uſus, Catalogum*, præmiſſamque ea de re *ad omnes humaniorum literarum cultores Epiſtolam* a me non ita pridem publicatam, denuo exhibet; quod beneficium haud vulgare hic gratus agnoſco) *mirari ſe* ait, *me illam editionem Salmurienſem non comparaſſe.* Et quidem, ut quod res eſt fateamur, ſub aliena facie nos fefellit ea editio; nam quæ ſe Lugduni Batavorum apud *Abrahamum Elzevirium* excuſam falſo venditat, ea prorſus ipſa eſt, quam tantopere celebrat Cl.

Cl. Bibliographus; id quod aliud ejuſdem codicis exemplar, poſt abſolutam demum hanc noſtram editionem, nacti liquido deprehendimus. Utriuſque enim libelli figura & moles, chartæ genus, plagularum menſura, characterum forma, omnia denique examuſſim conveniunt, diſparibus tantum frontibus exceptis. Fraudem autem penes *Elzevirium* fuiſſe oſtendit mendacium horum titulorum charta a reliqua toto codice diverſa. Fatetur porro *Cl. Clericus* primam ſui libri partem *Abrah. Elzevirii*, ſecundam vero *Joan. Burelli* Salmurienſis nomen præferre [1]. Sed miſſo hocce, quod jamdudum Typographis nonnullis, libros falſis titulis mangonizantibus, inolevit, vitio, ad rem ipſam redeam. Exiſtimat autem neſcio quo indicio Cl. Bibliographus editionem hanc Salmurienſem *Joan. Cameronis*, celebris tum illius loci Paſtoris, cura recognitam: quod adeo ſi verum ſit, eundem *Cameronem* fuiſſe oportet, qui varias lectiones & conjecturas addidit ad partem ſecundam; quas omnibus deinceps editionibus ſubnexas, nos ad imam ubique paginam & multo auctiores collocavimus.

Editionem demum Salmurienſem exceperunt plurimæ aliæ apud Belgas, præſertim *Elzevirianæ*, *Janſonia*, *Waesbergiana*, *Wetſteniana*, aliæ ex aliis fere deſcriptæ, nec ulla, præterquam characterum elegantia, re notabiles: nam quæ prioribus mendæ irrepſerant, poſterioribus pene omnibus adhærent. Cujus rei putidiſſimum exſtat exemplum Pſal. VII. verſ. ult. ubi pro, *Gratiaſque lætus agam*, *repetamque laudes*, ne quid durius dicam, omnibus editionibus Belgicis, & Edimburgenſi etiam *Joan. Carneſii repetamque fraudes*, eſt repoſitum.

Atque hæc de variis Poëmatum Georgii Buchanani editionibus dixiſſe ſufficiat; quibus id tantum ſummatim adjiciam, noſmet (haud contentos varia iſthæc evolviſſe ac inter ſe contuliſſe exemplaria) alia etiam in partes advocaſſe ſubſidia. In Pſalterio autem præſertim, ſi quando variantes Lectiones negotium faceſſebant, eam potiſſimum (quod res poſtulabat) in textum curavimus referendam, quæ Regii Pſaltæ mentem propius exprimere, Latinique ſermonis genio maxime congruere nobis videbatur. Hinc optimi ſacri codicis interpretes, illinc ſummi Romanæ Poëſeos patres erant conſulendi. Atque idem fere de reliquis ejus ſcriptis dicendum. Ubicunque enim difficultas aliqua ſuboriebatur, ad eos ſcriptores, qui ambiguis lucem conciliaturi videbantur protinus

1 Quod vero *Cl. Clericus* primæ partis frontiſpicio *Amſtelodamum* adjectum narrat, (niſi alius eſt Typographi dolus) memoria lapſus videtur pro *Lugduno Batavorum.* Falſus etiam videtur quod anno 1620 & in 24 editum dicat, cum & codex noſter, & quo etiam uſus eſt Cl. Bibliographus, anno 1621 & in 12 (minutiore licet forma, ut facile pro 24 fallere poſſit) ſe excuſum teſtetur.

nus erat confugiendum. Quæ quanti laboris res ſit, ii nimirum ſoli intelligunt, qui periculum fecerunt. Poſtquam autem hoc maxime pacto, quoad ejus fieri poſſet, Buchanani textus eſſet redintegratus, proxima cura fuit, ut is quam emendatiſſimus in lucem daretur, ne nobis, quod alias frequenter ſolet, uſu veniret, ut dum animus rebus majoris momenti ſeſe applicat, minora aut parum curaſſe, aut prorſus neglexiſſe deprehenderemur. Præter autem varias vetuſtiorum codicum lectiones ad paginarum oras ſubjunctas, ANNOTATIONES etiam quaſdam, aut levioris notæ librorum diſceſſiones complectentes, aut difficillima quædam loca explicantes in fine adjicere placuit: quæ, ſi nulla alia re, paucitate ſaltem ſua veniam merebuntur.. Additus denique eſt in rudiorum gratiam DE METRIS BUCHANANÆIS *Libellus*, in quo non ea tantum, quæ in Pſalterio, ſed aliis etiam ſuis Poëmatis carminum genera ab Auctore uſurpantur, haud paullo fuſius atque accuratius, quam antea expoſita Lectorem inventurum ſperamus.

IX. Ad alteram pergimus inſtituti noſtri partem, ut nempe oſtendamus quo pacto quibuſque adminiculis, operum Geo. Buchanani ſoluta oratione conſcriptorum editionem accuraverimus. In hac autem ſerie cæteris & mole & dignitate facile antevertit RERUM SCOTICARUM HISTORIA, ab ultima gentis antiquitate repetita, atque ad annum fere Chriſti nati 1573 continuata: in qua etiam condenda, quoad per adverſam valetudinem, & Regis inſtituendi ei tum demandatum munus licebat, maximam deinceps (ab anno, uti ego quidem arbitror 1568) vitæ ſuæ partem poſuiſſe videtur: neque enim integrum (ut alibi obſervavimus) ejus publicationi menſem ſuperfuit. Primum autem in lucem prodiit Edimburgi, apud *Alexandrum Arbuthnetum*, anno 1582, fol. Ad ejus editionis exemplar alia eadem forma excuſa eſt anno proximo 1583, nitidiſſima quidem illa, ſed cui nulla addita eſt loci aut Typographi ſignificatio. Nos Bibliothecæ Thuanæ auctoritate freti Genevenſem eam appellamus; [1] quanquam non deſint, qui Pariſiis impreſſam velint. At inviſum tum Pontificiis Buchanani nomen, & adjectus Regum omnium, in primis vero Galli, rationibus maxime adverſus *De jure Regni Dialogus* rem veri diſſimilem facit. Hanc proxime quod ſciam ſequuta eſt editio Francofurtenſis anno 1594, ſæpius ibidem deinceps iterata. Deinde ad Belgas tranſiit, e quibus, ut alios omittam, elegantiſſimis eam typis expreſſit *Petrus Elzevirius* Ultrajectenſis, anno 1668.

HISTORIA.

1 Cl. *Clericus* Bib. Sel. Tom. 8. p. 137. Edimburgi impreſſam ſcribit, deceptus ultimis hiſce tituli verbis, *ad exemplar Alexandri Arbuthneti editum* Edimburgi.

1668. Cum vero ex Edimburgenſi Genevenſis, ex hac vero, quod non difficile eſſet oſtendere, reliquæ omnes ſint deſcriptæ; ſpe multum fallatur oportet, qui quidquam ab hiſce (poſt principem Edimburgenſem) ſubſidii ſperet ad accuratam *Hiſtoriæ Scoticæ* editionem. Multa, fateor, ſphalmata typographica, quibus paſſim ſcatet prima illa Edimburgenſis, ſuſtulerunt: verum ea ejuſmodi fere ſunt, quæ in hominis vel minimum diligentis oculos incurrant, & ſua ſe fœditate legentibus facile prodant. Cæterum ab hominibus, in rebus, locis, inſtitutiſque Scoticis prorſus peregrinis, omnique alia ope deſtitutis, nihil quidquam quod penitioris eſſet indaginis erat exſpectandum. Sed neque ſemper iis feliciter ceſſit locorum corruptorum emendatio. Interdum enim a vero deerrarunt; interdum parti ſinceræ intempeſtivam medicinam fecerunt; ſæpius vero (quod necopinantibus ſolet contingere) dum vetera vulnera ſanare ſatagunt, haud pauca de ſuo nova incutiunt. Neque hæc a me cujuſquam obtrectandi ſtudio ſunt dicta, quippe qui probe norim non hic mediocrem ſolum doctrinam induſtriamque requiri, ſed longo uſu comparatam rerum Scoticarum eam notitiam, quam ab homine extero iniquus ſit qui poſtulaverit. Hujus rei gnarus celeberrimus *Clericus*, in ſua de ſcriptis Buchananæis accuratiſſima diſſertatione, novam ejus Hiſtoriæ editionem a Scoto aliquo, in ſuæ gentis monumentis haud leviter verſato, unice ſuſpiciendam cenſet & vovet. Ut autem ad inſtitutum revertar, præter principem illam editionem Edimburgenſem, quæ cæterarum omnium dux eſt & cynoſura, benigne nobis inſuper indultus eſt ex nobili Academiæ Edimburgenſis Bibliotheca, codex MS. nitidiſſimus, &, quantum conjectura aſſequi valemus, ab ipſius Buchanani amanuenſi conſcriptus, cujus ope libros impreſſos innumeris in locis caſtigandi facta nobis copia fuit: id quod ſubjectæ *Annotationes* paſſim commonſtrant. Dolendum vero accidit, quod ei codici abſit pars extrema libri XV. & integri quinque ſequentes, nondum, ut credibile eſt, ab Auctore abſoluti: quod inter alia ſuadet liber XIV. & quod exſtat libri XV. in quibus plurima loca, eaſdem quidem res geſtas commemorantia, verbis tamen a libris editis multum diverſis, efferuntur; propterea quod, opinor, neque tum binis hiſce libris ultimam Auctor limam adhibuiſſet: quod etiam circa finem libri primi nonnuſpiam factum animadvertimus [1]. Huc adde diverſo ab editis omnibus ordine in codice MS. libros numeratos; nam qui illis quartus eſt, huic primus atque ita deinceps appellatur; rejectis ex eo cenſu anterioribus libris, qui apparatum potius ad Hiſtoriam Scoticam, quam veram ejus partem conſtituere videntur.

1 Vid. Annot. ad lib. I. cap. 49.

tur. Atque hinc, præter alia, ſummorum virorum, [1] *Clerici* [2] & *Stralochii* [3] noſtri reprehenſioni anſa eſt data, qui tres priores Hiſtoriæ libros aut penitus omittendos, aut a reliquis ſejungendos, aut brevioribus denique finibus coarctandos, nec prorſus immerito cenſuerunt.

Verum, ut ab hoc diverticulo ad editionem noſtram nos recipiamus, ea duobus hiſce codicibus, MSto inquam & primo Edimburgenſi, præcipue atque optimo jure innititur. Cum autem utriuſque ſumma & æqualis propemodum videretur auctoritas, integrum nobis, ſicubi diſſentirent, exiſtimavimus, ex alterutro illud ſeligere, quod fidei Hiſtoricæ Latinive ſermonis puritati maxime convenire arbitrabamur. Quod vero ſæpenumero ab utroque, adeoque editis omnibus diſceſſerimus, paullo accuratius nobis ratio reddenda eſt. Et primum, quod attinet ad orationis puritatem, quam poſt renatas literas nemo unquam mortalium Buchanano noſtro felicius excoluit, ſedulo operam dedimus, ut Orthographiæ leges (quas in MSto & editione Edimb. neglectiſſimas comperiebamus) æquales ſemper ſibique conſtantes, atque ad optimorum de ea materia ſcriptorum normam exactæ ſervarentur. Neque id in vocibus Latinis duntaxat, ſed & in propriis hominum locorumque nominibus nobis licere exiſtimavimus. Ea enim cum eſſent a Buchanano plerumque conficta, & ad aures Latiales ex ingenio accommodata, ſæpius evenit ut ea memoriæ lapſu variis in locis vario modo ſcriberentur, qualia ſunt *Drumenius* & *Dromundus*, *Malavillius* & *Malavillanus*, *Huntilæus* & *Huntlejus*, *Roſaia* & *Rotheſaia*, *Cantiera* & *Kintera*, *Guſia*, *Guiſia*, & *Guiſiana*, &c. Hæc, inquam, atque hujuſmodi vocabula cum Lectores, exteros præſertim, pro nominibus prorſus diverſis fallere poſſent, uno eodemque literarum tenore (quibuſdam forte exceptis, quæ induſtriam quoque noſtram effugerunt) ubique curavimus exſcribenda. Quin & longius audacia noſtra proceſſit, quæque fortaſſe haud æque ſe omnibus eſt probatura. Ea enim veterum ſcriptorum loca, quæ paſſim primo & ſecundo, totoque libro tertio citantur, cum ex depravatiſſimis codicibus, quales Buchanani ævo circumferebantur, eſſent deſcripta, (quod Buchananus ipſe, ſi meliores habuiſſet, erat facturus) nos ex præſtantiſſimis eorum Auctorum editionibus, niſi ſi quando ea ſic reſtituta citantis conſilio adverſarentur, ſana ac ſincera fideliter exhibuimus. Denique (ut huic parti finem imponam) quamplurimos, qui in libris quaſi omnibus inveteraverant, errores ſuſtulimus, ſed eas fere ejuſmodi, qui apertam linguæ Latinæ indoli vim facere, cumque manifeſtis

1 Reflex. de Hiſt. §. 28. p. 252.
2 Bibl. Sel. t. 8. p. 176.
3 Vid. paul. infr.

nifeſtis ejus regulis pugnare deprehendebantur. Neque tamen omnes attingere viſum eſt, ſed eos duntaxat, qui levi paucarum literarum mutatione erant ſanabiles, aut prava ſententiarum diſpunctione, aut voce aliqua vel ſuperflua vel deficiente conſtabant, adeoque non Buchanano ipſi, ſed Typographis Librariiſve vitio (ut credibile eſt) vertendi videbantur.

Atqui, cum non ſermonis modo, ſed rerum etiam ratio nobis eſſet habenda, ſupereſt ut oſtendamus, quid a nobis iis in locis præſtitum ſit, in quibus a vero Buchananus deflexit. In hiſce autem longe alio nobis ordine erat progrediendum. Quamvis enim Veritas ſit Hiſtoriæ anima, *cuique* (ut Tertulliani verbis utar [1] *nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum:* non tamen idcirco ea alieni operis editori licentia permittitur, ut quæ falſa ibi occurrant, protinus expurgare, veraque eorum loco ſufficere audeat. Id enim non jam Correctoris eſt munus, ſed Hiſtorici ipſius ſibi uſurpare: quod quam a ratione, tam a conſilio noſtro fuit alieniſſimum. Hac igitur in parte id ſolum nobis licere putavimus, ut ſicubi (quod haud raro accidiſſe comperimus) Auctor ſibi eſſet plane contrarius, eum ſibi ac veritati conſtantem redderemus. Neque ſic quæ poſſent reperiri ejus generis omnia mutavimus, ſed ea tantum, quæ erant manifeſta, luceque (quod ajunt) meridiana clariora. Atque quo omnem cavillatoribus anſam hac in re præcideremus, quæcunque ſic mutanda cenſebamus, ea diverſis a reliqua narratione characteribus diſtinguere, & uncinulis nonnunquam includere placuit, ut hoc pacto Lector admoneretur voces ejuſmodi in prioribus editionibus aliter exhiberi, ſimulque etiam ut (ſi velit) *Notas* noſtras adeat, unde harum mutationum cauſſas plenius certiuſque cognoſcere poſſit.

His utcunque explicatis, eo rerum ſerie ac ſponte perducimur ut de iis, quarum modo meminimus ANNOTATIONIBUS agamus. Id vero ut recte atque ordine a nobis fiat, neceſſe in primis videtur, ut de Hiſtoria ipſa, diverſiſque de ea doctorum virorum ſententiis quædam præmittantur. Principio autem apud omnes fere in confeſſo eſt, ſi ſubactiſſimum, viri judicium, ſi mirificam inter ſe partium omnium concinnitatem, ſi parem ubique rebus verborum gravitatem majeſtatemque, & æquabili ſemper tenore fluentem, atque inimitabili prorſus ſuavitate Lectoris aures demulcentem orationem ſpectemus, neminem ab omni ævo, ſi unum & alterum e Græcis Latiniſque Scriptoribus excipias, illi parem, nedum ſuperiorem poſſe reperiri. *Rapinus* [2] quidem, acer-

1 De Virgin. veland. c. 1.
2 Reflexion. de Hiſtoriq. § 28. pag. 252.

acerrimi alioquin vir judicii, eum ut *ſervilem nimis Livii imitatorem* perſtringit. At id non tam ex vero, quam ex Vatiniano illo, quo Pontificii plerique, præſertim Lojolæ diſcipuli in eum odio feruntur, dictum exiſtimem. Livium ſane noſter imitatus eſt. At quem virum? Romanæ Hiſtoriæ principem, quoque præſtantiorem quem imitaretur habebat neminem. Atqui non Livium ſolum, ſed alios etiam eſt imitatus, Salluſtium, Cæſarem, Tacitum, *&c.* e quibus omnibus aptiſſimas phraſes, variaque loquendi genera & modos, non ſervilem in morem eſt mutuatus; ſed miro artificio atque felicitate prorſus ſingulari ex univerſis ſtylum ita temperavit, omniaque ad uſum ſuum convertit, ut non aliunde petita, ſed ex ſe orta, ac ſua ſolius propria ubique videantur. Hoc autem pacto non Buchananus modo, ſed Virgilius, Horatius, ipſe Livius, aliique innumeri *ſervum pecus* erunt appellandi. Certe *Wicfortius* tantum abeſt ut Buchananum ſervilem Livii imitatorem arbitretur, ut eum non dubitet huic anteferre [1]. Quod ſi dicendi characterem *Rapinus* hic intelligat, Buchananus quidem, quæ non tam mea, quam aliorum [2] eſt ſententia, Cæſarem potius, quam Livium referre invenietur. Quin alibi æquior *Rapinus* proximum poſt Thucydidem, Xenophontem, Salluſtium, Cæſarem, Livium, quorum Hiſtoriæ, ob ſcribendi genus nobile, grave, purum, ſimplex & inaffectatum, æternum ſunt placituræ, Buchanano noſtro locum aſſignat [3]. Miſſa igitur maligna hac, atque ex invidia profecta, *Rapini* reprehenſione, fixum illud immotumque manere arbitror, neminem (ſi elocutionem, omneſque quæ in dicendo virtutes quæruntur, conſideremus) non modo ab inſtauratione literarum, ſed poſt Cæſaris Liviique tempora, ubivis gentium exſtitiſſe, qui munus Hiſtoricum æque ac Buchananus noſter ab ingenio paratus ſuſceperit, parique ſuſceptam dignitate ſuſtinuerit: [4] adeo ut ſi partium ſtudio fuiſſet immunis, eamque in rebus, quam in verbis, poſuiſſet diligentiam, omnes perfecti Hiſtorici numeros impleturus videatur. At ita natura comparatum eſt humanum ingenium, eaque data mortalibus lex & conditio, ut nihil prorſus conſummatum, omnique ex parte abſolutum in terris unquam naſceretur. Hac autem fatali quaſi rerum neceſſitate abreptus, dum in exquiſitiſſimo verborum ornatu, concinnoque partium nexu & diſpoſitione occupatur, a vera re-

rum

1 De Legatis, Tom. 2. p. 229.

2 Hanc ſuam opinionem mihi ſæpius declaravit ſingulare gentis ſuæ ornamentum, ac inſigni in rebus ejuſmodi vir acumine, *And. Fletcherus* Saltonii Comarchus Cl. tamen *Joan. Clericus*, Bibl. Select. Tom. 8. p. 147. Buchananum exiſtimat Salluſtium Liviumque ob oculos præcipue habuiſſe, illiuſque brevitatem cum hujus nitore & elegantia conjunxiſſe.

3 Reflex. de Hiſt. §. 1. p. 186.

4 Vid. Auctoris Præfat.

rum geſtarum fide, quam Cicero primam Hiſtoriæ legem ſtatuit, quamplurimis in locis Buchananus deſcivit. Duæ autem præcipue res ei in Hiſtoria ſcribenda offeciſſe videntur. Prima, quod provectiore demum ætate id operis aggreſſus eſt, cum jam languens animi vigor, corpuſque continuis morbis obſeſſum & labefactatum, ærumnabili illi labori, qui ad veritatem (quam alto puteo preſſam latere haud inſcite Democritus dicebat) eruendam eſſet neceſſarius, devorando non ſufficerent. Neque enim tum exſpectandum erat, ut annis morbiſque invalidus ſenex tot antiqua gentis noſtræ monumenta, tot Monachorum libros, publicaque regni acta & tabularia, & ipſa ſitu barbarieque ſqualentia, ac proinde terſiſſimis ipſius auribus (optimis hactenus auctoribus aſſuetis) ingratiſſima futura, ea qua par erat diligentia excutere, riteque inter ſeſe componere valeret. Atque ex hoc potiſſimum fonte derivatos arbitror tot & tantos, in re præſertim Chronologica, errores, qui univerſi operis faciem miſere deturparunt. Sed & altera fœdior labes a recto tramite auctorem noſtrum in devia pertraxit; *Moravio* enim factionique illi quæ *Mariam* Reginam de ſolio deturbarat, plus nimio mancipatus, in id omnes ingenii nervos contendiſſe videtur, ut alterius cauſſam juſtam piamque, alterius ſceleratam ac deteſtabilem poſteris tranſmitteret. Atque eam hinc gratiam, illinc ſimultatem, eorum forte temporum iniquitati condonaremus, niſi (quæ virorum longe graviſſimorum eſt opinio) „ ſuperiorum etiam ſeculorum memoriam ad ſuas, vel *Moravii* „ potius, rationes ſtabiliendas oblique detorſiſſet. Quo enim alio „ pertinere (ajunt) toties repetita, *electus eſt*, *ſuffectus eſt*, *populi* „ *ſuffragiis creatur*, *populus regnare juſſit*, & ſimilia, adverſus „ omnium Annalium, omnium actorum publicorum fidem, qui„ bus non populi ſuffragiis, ſed ſanguinis jure, regnum apud „ Scotos perpetuo iniri commemoratur; niſi ut *Mariæ* de ſum„ ma poteſtate dejectio, *Jacobique* ejus filii, aut *Moravii* verius „ in ipſius locum ſurrogatio majorum exemplis confirmarentur? „ Eodem quoque ſpectare, Regum jura contemtui habita, eo„ rumque dicta & facta maligne interpretata: nec ſine cauſſa a „ reverendiſſimo G. *Nicolſono* Carleoli Epiſcopo obſervatum, „ [1] *Buchananum Rege aliquo a ſuis trucidato quaſi geſtire, ipſoque* „ *narrationis genere oſtendere, ejus caput per ludibrium circumlatum* „ *non ſibi minus, quam populo, fore gratum ſpectaculum.* „ Sed præſtabit aliorum hac de re cenſuras, & ipſorum quidem verbis in medium proferre, quas in Teſtimoniis de Auctore noſtro omiſſas in hunc ideo locum viſum eſt reſervare.

Et, ut ab *Adamo Regio*, ſummo alioquin Buchanani fautore, inci-

1 Bibl. Scot. p. 114.

incipiam, is, Præfat. ad Commentarios ſuos in libros de Sphæra, „ Mallem, inquit, inſigne illud de Sphæra opus abſolviſſet, & „ Hiſtoriam noſtræ gentis non attigiſſet. Utrumque feciſſet mi- „ nore noſtro damno; majore apud bonos gratia, & ad poſteros „ ſecundiore fidei fama. Felicior illi ad gloriam poëſis: fœcun- „ dior ad invidiam hiſtoria; ſtylo quidem terſo & gravi elabora- „ ta; ſed quam prioribus libris, neglecta antiquitatis cura, je- „ junius contraxit; poſterioribus gratia aut ſimultas plerumque „ in adfectus ſolutum diſtraxere. Auctoris ergo hujus, ut quæ „ vel novarum rerum ſtudio, vel ad contumeliam Principum ſe- „ neſcenti ſcripta exciderunt, quam vellem aut in ipſo partu ſup- „ preſſa fuiſſent, aut apud rerum temporumque inſcientes minus „ fidei & auctoritatis obtinuiſſent.

Explicatior paullo, ſed nihilo mitior D. *Robertus Gordonius Stralochiæ Comarchus*, in ſuo de Hiſtoriis noſtris judicio MS. apud D. *Rob. Sibbaldum* M. D. [1] „ Georgius, inquit, Buchananus, vir in „ omni humaniori literatura probe exercitus, Poëtarum ſui ſecu- „ li, multorumque præcedentium, omnium conſenſu princeps: „ ille tamen ea aggreſſus eſt, quæ famæ ejus intererat non atti- „ giſſe, & intra Poëſeos limites ſe continuiſſe. Tribus primis „ Hiſtoriæ ſuæ libris conviciatorem agit, non Hiſtoricum; & „ præter jejunam regni noſtri deſcriptionem (quam tamen deſul- „ toria levitate prætervehitur,) doctis viris nihil præſtare vide- „ tur, in re antiquaria non ſatis inſtructus. Sed hæc non impune „ tulit, a *Camdeno*, omnium Britanniæ antiquariorum longe pri- „ mo, male habitus. Procedente Hiſtoria (ut innumera ſphalmata „ taceam,) contra *Kennethum* Regem intonat horrendum, qui le- „ gem de ſucceſſione Regia, quam *Taniſtriam* (barbaro & nobis „ nunc ignoto vocabulo) vocabant, abrogavit: expertus in ma- „ joribus ſuis, quam multas turbas ea lex (ſive conſuetudo fuit) „ dederat, quantumque inde cruoris hauſtum, primus ſtatuit, ut „ Regia proles citra controverſiam regnum ſuſciperet, infirmæ „ ætatis, a delectis gubernatoribus regeretur, præcluſo proximis „ ſanguine jam adultis (quod antea invaluerat) ad ſceptra aditu, „ niſi forte compertæ virtutis & fidei in turbam cum aliis ad hanc „ curam delectis venirent. Etiam contra γυναικοκρατίαν ſtoma- „ chatur, cum ejus ætate ea incidiſſet. At quibus rationibus, „ qui Hiſtoriæ ejus aſſueverint, viderint. Ubi ad ſua tempora „ ventum, Deus bone! jam confuſa rerum facie, & turbis flu- „ ctuante regno, quam aperte in partes tranſit: jam non Hiſtori- cus,

1 Exſtat quoque in ejuſdem Cl. *Sibbaldi* Comment. in vitam Buchanani, p. 56. & in vita *Joan. Forbeſii* a *Corſe* a *Geo. Garden*, S. T. D. conſcripta, ejus operibus præmiſſa, pag. 68.

,, cus, ſed Cauſſidicus, detorta veritate rerum, parum apud eum ,, ſani aut ſinceri. Et hæc omnia, ut unum hominem Mæcena- ,, tem ſuum ſtabiliret: quem tamen, antequam vita exiret, cruen- ,, ta morte ſublatum vidit. Sed non ideo refrixit in eo partium ,, ſtudium. Id teſtatur egregius ille dialogus, aut cento, *de jure* ,, *regni*, quem extrema ætate procudit, ubi illa tractat, quæ per- ,, fectum Theologum & peritiſſimum Juriſconſultum poſtulant; ,, homo ad hæc impar, e ſcholis & ludimagiſtrorum ferulis in ,, hæc ardua rerum evectus. Vapulat tamen a duobus populari- ,, bus ſuis, viris eruditiſſimis, & omnis juris peritiſſimis, *Blac-* ,, *vodæo* & *Barclajo*, quorum doctiſſimi libri de ea re exſtant. Jure ,, ſane cum eo ita actum eſſe fatentur omnes, qui ſine affectu ea ,, legunt. Qui enim centonem *de jure regni* & *Hiſtoriam* ejus exa- ,, cte conſideraverit, inveniet tractatum *de jure regni* theſin pro- ,, poſitam, *Hiſtoriam* autem ſic detortam, ut theſi firmamentum ,, habeatur. Denique Jacobi Regis jam adoleſcentis, Ordinumque ,, regni de hiſce libris judicium, teſtantur acta publica Archivis ,, inſcripta, in quibus hi libri lege lata prohibiti: aut ſi hæc re- ,, tractaverit * idem Rex jam maturus ævi, teſtatur tractatus ab ,, eo ſcriptus, quem Βασιλικὸν δῶρον inſcripſit. Non hæc refero, ,, ut clariſſimi viri manibus inſultem (quis enim & quantulus ,, ego,) hoc enim piaculare; ſed veritati obniti, aut eam celare ,, in rebus tantis impium.

Nec *Davidis Buchanani* [1] gentilis ac propinqui ſui, licet alias in ejus laudes effuſi, reprehenſionem effugit: poſt ampliſſimum enim de ejus ſcriptis, & in his Hiſtoria Scotica, præconium, protinus ſubdit; ,, Hic tamen vir, quantus fuerit, omnia videre ,, non potuit: quis enim omnia? non lux ipſa videt. Deinde ,, ſero & provectiore ætate ſuaſu civium ad hoc ſcribendi genus ,, animum appulit. Adde quod tunc temporis quo ille valebat, ,, non erat omnibus adminiculis inſtructus ad obſcuriorum inqui- ,, ſitionem, errorumque refutationem, quæ nobis hodie plenius ,, ſuppeditat doctorum virorum labor, quo ille caruit. Quare ,, nonnulla prorſus intacta reliquit, de aliis parum egit, de non- ,, nullis obſcure ſcripſit, de quibus omnibus (prout naſcetur oc- ,, caſio) nobis erit dicendum.

Mitto quæ hac de re *Camdenus*, utpote alibi magna ex parte in vita Buchanani commemorata: at præterire non poſſum eruditiſſimi ac ſagaciſſimi viri *Iſaaci Caſauboni* ad Jacobum Aug. Thua-

num

* Ita diſpungenda videtur hæc ſententia, contra quam in libris citt. exhibetur, niſi forte (quod multum ſuſpicor) vox aliqua aut mutata, aut omiſſa ſit.

1 *Sibbaldi* Comment. in vit. Buchanani p. 58. & *Nicholſoni* Biblioth. Scot. Hiſtor. p. 120.

num Epiſtolam, qua in Buchanani tum *Hiſtoriam*, tum *de regno* Dialogum, ſummo cum mentis acumine & judicio Criticam exercet. Ea autem ita ſe habet.

Jacobo Auguſto Thuano [1].

,, QUas ad me nuper ſcripſiſti, Præſes ampliſſime, eas ego ſereniſſimo potentiſſimoque Regi oſtendi, & Majeſtati ipſius legendas exhibui. Cupiebam jamdudum mirifice, ex ipſis literis tuis poſſe Majeſtatem ipſius cognoſcere, quo tu animo erga ipſum eſſes; qua obſervantia, qua veneratione excellentiſſimas ejus virtutes & literarum doctrinarumque omnium notitiam proſequereris ac coleres. Atque hoc ego, quia comperţiſſimum exploratiſſimumque habebam, non dubitavi, poſtquam veni in hanc Aulam, quoties tui acciderat mentio, clementiſſimo Regi omni aſſeveratione confirmare, neminem hodie mortalium vivere, qui aut ſentiat de ipſius Majeſtate magnificentius, aut ejus laudes libentius uſurpet, quam ſolitus ſis ipſe facere. Itaque tua illa Epiſtola, qua hoc ipſum conſtantiſſime aſſerebas, & tuis verbis ſereniſſimæ regis Majeſtati confirmari petebas, nihil ipſo tempore opportunius, aut mihi gratius poterat contingere. Placuit Regi, veritatis amantiſſimo, tuus ille, quem iis literis abunde teſtaris, ejuſdem veritatis amor. Placuit candor, quem profiteris, cum ſcribis, te, ſi quid male doctus narraſti ſecius, ubi melius doctus fueris, mutare & corrigere paratum eſſe. Facis, Præſes ampliſſime, quod te dignum eſt, hoc eſt, eo viro, qui profeſſionem veri, cum in cætera vita, tum in Hiſtoria ſcribenda vel maxime, rebus omnibus ſemper duxit antiquiorem. Enimvero cum ita ſis ipſe animatus, iniquiſſimo fert animo Rex, alioquin æquiſſimus, te in opere contexendo a certis hominibus deceptum, & extra veri regionem longe abductum, de glorioſiſſimi nominis Regina, ſemper veneranda ſibi parente, ea perſæpe in literas retuliſſe, & quidem accurata diligentia κατὰ λεπτὸν commemoraſſe, quæ ſcit ejus Majeſtas, & ſcit certiſſime, falſa eſſe, atque ab illis excogitata, quos univerſa novit Scotia perduelli animo erga τὴν μακαρίτιν fuiſſe, illi dum vixit, quibus poterant cumque modis & rationibus incommodaſſe, ac tandem conſilia omnia ſua, ſtudia, induſtriam, operam ad miſerandæ bonis Reginæ perniciem retuliſſe. Poſtea enim quam ſemel in factiones Scotia fuit diviſa, dictu incredibile eſt, & memoratu horribile, quo furore pars ſereniſſimæ Reginæ contraria in ipſam & eos, ,, qui

[1] Epiſt. 707. p. 372.

,, qui illi adhærebant, ſit graſſata: ȣ̓ γὰρ μικροῖς αὐλίσκοις, ἀλλ'
,, ὁλοαῖς μανίαις eſt inſanitum. Quod verbis opus? reperti ſunt
,, in illa διχοστασίᾳ, qui Regii nominis Majeſtatem in ordinem co-
,, gere; qui dictis, ſcriptis, factis Reginæ ſereniſſimæ, meliori
,, certe fortuna digniſſimæ, res, famam, nomen, poſtremo vi-
,, tam appetere, lædere, opprimere, pietatis officium eſſe duce-
,, rent. Solet ſereniſſimus Rex, cui cognomen OPTIMI ſui
,, mores jure vindicant, de immanitate temporum & rerum
,, omnium confuſione multa narrare & mira. Nos plura & ma-
,, gis mira ab integerrimis viris ſæpe audivimus, qui reformatio-
,, nem tum in Scotia inſtitutam cætera probantes, factioſorum
,, ὀργὴ ſine horrore commemorare non queant. Georgium Bu-
,, chananum, virum inſignem literarum laude, ſed meliorem pro-
,, fecto Poëtam, quam ſubditum, factioſis conſenſiſſe, & de Re-
,, gina benigniſſima, Hera ſua, atque ipſo Regio nomine peſſime
,, fuiſſe meritum, nemo poteſt ignorare qui ſcripta hominis non
,, ignoret. Unicus de Regno Scotiæ liber habitum animi illius
,, palam facit. Quis civis bonus, quis ſubditus fidelis, quis Re-
,, gii nominis amans ſine odio & exſecratione diſſertationem il-
,, lam legit? Contendunt hodie boni omnes, & vere pieque con-
,, tendunt, tot in varios Principes noſtra memoria admiſſorum
,, parricidiorum auctores cenſeri debere, non magis illos, qui ma-
,, num nefariam ſceleri nefario admovent, quam illos, qui pravæ
,, doctrinæ traditione animos facinoroſis addunt, & ſpecie qua-
,, dam ψευδονύμȣ juſtitiæ mentes eorum confirmant. Quid igitur
,, de Buchanano & Scotis aliquot aliis dicemus, qui diſerte ver-
,, biſque expreſſis, (horreſco referens!) legitimos Reges, quos
ipſi Tyrannos appellant, vel publico ſupplicio afficiendos pro-
,, nuntiant, vel privati cujuſvis manu eſſe occidendos? Porro hunc-
,, ce animi habitum ad ſcriptionem Hiſtoriæ ſuæ Buchananum
,, attuliſſe, & queritur Rex; & ipſe res arguit. Ut mirari non
,, debeas, Majeſtatem ejus ferre non poſſe, quod in Reginæ ma-
,, tris rebus exponendis Buchananum tanto ſtudio ſis ſecutus, &
,, malevoli hominis maledicta calamo digna cenſueris. Neque ve-
,, ro eſt, quod exiſtimes, Præſes ampliſſime, id poſcere a te Re-
,, gem, ut in ſuam gratiam, vel tranſverſum, quod ajunt, digitum a
,, vero diſcedas: hoc poſcit, & ſuo jure exigit ab omnibus rerum
,, Scriptoribus, ne falſæ narrationes, a perfidis ſubditis immani
,, auſu concinnatæ pro veris criminibus poſteritati obtrudantur.
,, Jam ſi quid paullo liberius aut etiam licentius a Principibus fue-
,, rit admiſſum, quod ſcire poſteros nihil eorum interſit, pro-
,, ferri id in publicum, & ad memoriam poſterorum tranſmitti,
,, nulla, opinor, Hiſtoriæ lex jubet. Non hæc φιλαλήθεια pro-
,, fecto eſt, ſed hominum odio flagrantium mera & certa κακοήθεια.

,, Cu-

„ Cujus vitii ſi quis nobile quærat exemplum, legat, quæ vel
„ Buchananus, vel alii quidam male feriati Scriptores de eadem
„ nobiliſſima Regina ſceleſte literis mandarunt: quanto pruden-
„ tius tu, Præſes ampliſſime, & humanius, qui in componendo
„ *Æmari Ranconeti* elogio, quam eſſes alienus ἀπὸ τοιαύτης τῆς κα-
„ κοηθείας, clariſſime demonſtraſti; per te enim ignorabit ventu-
„ ra ætas ἀτυχήματα, καὶ ἐλαττώματα viri, ſine controverſia ma-
„ ximi cujus divinum ingenium & ſtupendam doctrinam nemo ſa-
„ tis unquam poterit mirari. Hac igitur plena prudentiæ & hu-
„ manitatis reticentia, & honori memoriæ viri doctiſſimi conſu-
„ luiſti, & opera eadem omnes tibi devinxiſti, qui literas, & li-
„ terarum peritia excellentes venerantur. Cur vero & in ſummo-
„ rum Principum rebus explicandis huic moderationi non ſit lo-
„ cus? Humanum eſt, ajunt, peccare: atqui Reges & Princi-
„ pes non ſolum homines ſunt, ſed etiam homines in terris ἀνυ-
„ πεύθυνοι, cum irritamentis peccandi luctantes aſſidue; quo in
„ certamine ſi aut propriæ naturæ infirmitate, aut ſuorum fami-
„ liarium culpa ſæpius vincantur, miſerari vicem eorum fideles
„ ſubditos, non autem cupide calumniari, æquum, niſi fallor,
„ eſt juſtumque. Non enim de illis Principum peccatis loquor,
„ quæ publicari gloriæ Dei interſit, aut conſcientiæ ſcribentis.
„ At non ea mens factioſis Scotis fuit, qui nihil cum prætermit-
„ tant eorum, quæ ad gloriam Dominæ ſuæ obnubilandam pu-
„ tant pertinere; quæcunque laude digna ab ea Principe ſunt ge-
„ ſta, improbo ſilentio oblivioni tradunt. Nam quis iſtorum fe-
„ licem aliquot annorum Regni adminiſtrationem; poſtquam Re-
„ gina e Gallia redierat, commemorat? quis eo nomine ipſam
„ laudat? Ut igitur tot calumniis ſemel reſpondeatur, aut potius
„ quo memoria earum ex animis hominum deleatur, viſum eſt
„ Regi piiſſimo faciendum, ut accuratam, certam & veriſſimam
„ Hiſtoriam rerum illarum curaret componendam, & ad te mit-
„ tendam. Sperat enim Majeſtas illius, non invitum facturum
„ te, ut vera falſis ſecernas, certa incertis, mendaciis αὐτὴν τὴν
„ ἀλήθειαν. Sperat hoc, inquam, de te Rex ſereniſſimus, atque
„ adeo ut id facias, a te contendit. Eſt in hac urbe nobilis E-
„ ques [1] homo pereruditus rerum vetuſtarum, & omnis Hiſto-
„ riæ, ſive priſcæ, ſive recentis, ſtudioſiſſimus; qui ex ipſis mo-
„ nu-

1 Is erat D. *Rob. Cottonus*, incly-ta librorum MSS. Bibliotheca ab ipſa collecta longè celeberrimus: id quod apparet ex *Thuani* ad *Camdenum* Epiſtola, anno 1613 ſcripta: cujus aliqua verba hic apponam. *Ad Commentarios D. Cottoni quod attinet, ſcito duabus vicibus eos ad me juſſu ſereniſſimi Regis miſſos, qui res veſtras pertexunt uſque ad annum præteriti ſeculi* lxxxII. Vid. Camdeni Epiſt. n. 99. pag. 139.

„ numentis publicis, & Epiſtolis duarum Reginarum Angliæ &
„ Scotiæ veram eorum, quæ geſta ſunt, Hiſtoriam didicit, &
„ jam Regis juſſu eandem componit, digeritque in ordinem.
„ Rex ipſe, quo nemo eſt hodie callentior iſtarum rerum, ſin-
„ gula recenſet, atque ad exactiſſimam veritatis trutinam exigit,
„ miſſurus ſtatim ad te, ut veram narrationem tuæ Hiſtoriæ inſe-
„ ras, falſam & calumniarum plenam rejicias. Neque autem ve-
„ rendum tibi eſt, ne propterea levitatis ullam apud bonos ſuſpi-
„ cionem incurras. Laudabunt quinimo æqui & docti judices
„ omnes, quod ubi veritas primum affulſit, καὶ τὰ ἴυγα ἀναιρεῖν
„ quod Philoſophus ait, non ſis cunctatus. Exiſtimat Rex ſere-
„ niſſimus, e re futurum, ſi cum novam narrationem publica-
„ bis, Lectorem feceris certiorem, quos olim, quos nunc fueris
„ ſecutus Auctores. Non erit longa promiſſorum ὑπομνημάτων
„ exſpectatio; neque differeris ultra paucos a Paſchali ſolemni-
„ tate dies; ſerio enim & ſedulo Rex eam curat curam. Vale,
„ Præſes illuſtriſſime, Hiſtoriæ recentis Pater unice. *Londini*,
„ *a. d.* v. *Kalend. Mart.* M. DC. XI.

At omnium longe acerrime, ac præter æquum, in eum de-bacchatur *Gul. Barclaſus* J. C. *de regno & regal. poteſt. adverſus Buchan. Brutum, Boucherium & reliquos Monarchomachos*, *lib.* III. *cap.* I. dum ait, „ Ac Buchananum quidem, non ſolum deprava-
„ tis deſperatiſque moribus ex libero Liberi Veneriſque manci-
„ pium factum ſciunt omnes, quotquot eum probe noverunt; ſed
„ & hæreticum inſignem, & mendacem Hiſtoricum, ſacra juxta
„ ac profana audaci conatu temerantem, oſtendit illud ejus opus,
„ cui *Rerum Scoticarum Hiſtoria* titulum dedit. —— Jam vero
„ Hiſtoriam reliquam ea fide ſcripſit, quam in meo me pudet
„ populari reperire: probiſſimos quoſque lancinat maledictis, pios
„ per calumniam opprimit: quo autem quiſque ſceleratior, &
„ promtior ad malum manu, eo pluribus illi laudibus celebratur.
„ Quid multis? In illa ejus Hiſtoria, quæ ultra *Boëthii* nobilis
„ Hiſtoriographi Epitomen ſe profert, tot mihi mendacia occur-
„ runt, ut cum vera videam, vix vera eſſe, niſi cunctanter, cre-
„ dam. Idipſum & alii mecum queruntur, gnari temporum,
„ quæ res geſtas poſtremis ab eo libris mandatas continent. Sed
„ erit, ſpero, veri patriæque amantior aliquis qui venenatum
„ ejus ſtyli mucronem retundet, & fraudem fide ſolida patefa-
„ ciens incorruptos eorum temporum Annales evulgabit „

Ultimo denique loco a nobis adjiciatur graviſſimum RAPINI, non tam de Buchanano noſtro, quam de Hiſtorico in genere judicium. * *Quand* (inquit) *un Auteur prend la plume a la main, il com-*

* Reflex. de Hiſt. §. 27. p. 244.

commence a ſe reveſtir du caractere d'un homme public : & il ſe degrade de cet honneur des qu'ils prend des ſentimens de particulier, pour penſer a luy-meſme, en vengeant ſes querelles, comme Procope, qui mecontent de l'Empereur Juſtinien, & de l'Imperatrice Theodora, ecoute ſa paſſion, & corrompt la verite : ou en ſuivant ſa preoccupation, comme Euſebe & Theodoret, qui ſe ſont ſervis de leur Hiſtoire pour etablir leur erreur : ou en flattant ceux auſquels on veut plaire, comme Bucanan, qui dans ſon Hiſtoire d'Eſcoſſe fletrit l'honneur de Marie Stuart, pour gratifier Elizabeth Reine d'Angleterre.

Infinito proximum eſſet omnes in Buchanani noſtri Hiſtoriam cenſuras hic repræſentare; quamobrem his paucis contentus ad Annotationes noſtras redeo. Principio autem nobis nihil aliud erat propoſitum, quam ut ea tantum, quæ ad textus ſinceritatem vel eruendam vel confirmandam pertinerent, attingeremus. Verum cum ex priſcis illis Scotiæ ac aliarum etiam ei finitimarum gentium monumentis, quæ ad hanc rem accurandam ſedulo excuti ac inveſtigari oportebat, quamplurimos a Buchanano admiſſos errores offenderemus; cumque in omni Hiſtoria potiſſimum & ante omnia ſpectari debeat rerum geſtarum veritas; operæ pretium haud exiguum facturi videbamur, ſi, in ἀληθοφίλυ Lectoris gratiam, ea apud Buchananum loca indicaremus, in quibus, ſive humani ingenii imbecillitate lapſus, ſive meliorum monumentorum ope deſtitutus, ſeu denique partium ſtudio abreptus a vero deerrarit. Non ſumus neſcii quanta in Charybdi hic laboremus, multoſque, quibus hactenus ſacroſancta viſa eſt Buchanani auctoritas, graviter indignaturos, tanti nominis Hiſtoricum toties cenſoria obſcuri hominis virgula notari. At cum omnes uno ore fateantur Veritatem ſolam eſſe atque unicam Hiſtoriæ normam, ad quam, veluti lapidem Lydium, exigenda ſunt omnium virorum quantumvis clariſſimorum ſcripta; quotquot veri ſincerique amore ducuntur, non æquo modo, ſed & grato animo accepturos ſperamus, noſtræ gentis Hiſtoriam, a quocunque demum ſcriptam, hæc trutina examinari. Neque id mirum aut inſolens, hoc tempore præſertim, cuiquam debet videri, qui in memoriam revocarit, quanto ſtudio & induſtria omnes fere politiores gentes, noſtra ſuperiore ætate, in id certatim & communi quaſi conſilio incubuerint, ut majorum ſuorum res geſtas non modo e tenebris in lucem eruerent; ſed eas etiam ab omni cum fabularum vanitatate, immanique illa, quæ apud barbarorum ſeculorum Scriptores diu invaluerat, fingendi licentia, tum quoque ab adhærentibus adhuc poſteriorum auctorum maculis perpurgatas, veras ac ſinceras orbi exhiberent. Et ſane quamvis præclaram hac in parte operam Buchananus noſter præſtiterit, multa tamen illi ad hanc rem ſubſidia defuerant, multaque ſunt impedimenta injecta, quæ non

unius

unius hominis, nedum ſenis valetudinarii, circumſtrepente belli civilis omnium longe funeſtiſſimi procella, ſed conjuratus multorum virorum labor, longuſque annorum decurſus poterant amoliri. Horum laudatiſſimæ diligentiæ debemus tot ab interitu vindicata veterum ſcripta, publicaque acta & monumenta, quæ prius latentia, ac tantum non æterna nocte ſepulta, principum Hiſtoriæ noſtræ conditorum notitiam effugerunt.

Et (ut innumera taceam aliarum gentium, Anglorum, Gallorum, *&c.* ſcripta, e quibus etiam haud parum lucis ad Hiſtoriam noſtram redundavit) inter Scotos præcipue memorandi ſunt tres *Mackenzæi*, unus nobiliſſimus *Georgius* Cromartiæ Comes, [1] alter ſingulare Scotiæ lumen, ac ſtrenuiſſimus ejus jurium & antiquitatum aſſertor ac propugnator; D. *Georgius Mackenzæus* Vallirosanus, Regius apud Scotos Advocatus, jucundiſſima ad poſteros memoria, ac ſcriptis æternum victuris celeberrimus, [2] tertius denique *Georgius Mackenzæus* M. D. clariſſimus. [3] Item ſpectabiles & eruditiſſimi viri, D. *Jacobus Dalrymplius* J. C. [4] D. *Robertus Sibbaldus* M. D. [5] *Jacobus Anderſonus*, [6] *David Crafordius*, [7] *David Simſonus*, [8] *Joan. Sagius*, [9] *Patricius Abercrombius*, [10] *Georgius Crafordius* [11] *&c.* qui omnes alius alia via doctiſſimis ſuis lucubrationi-

1 *Vindiciæ pro legitimis natalibus Roberti III. Regis Scotorum*, Edinb. 1695. 4*to*.

2 Ut ſcripta ejus Juridica & Ethica prætercam, Hiſtoriam Scoticam maxime illuſtrant. I. *Defenſio antiquitatis Regiæ apud Scotos proſapiæ adverſus G. Luidium Epiſcopum Aſaphenſem*, *Lond.* 1685, 8*vo*. II. *Ulterior ejuſdem defenſio contra Eduardum Stillingfletium*, *Lond.* 1686, 8*vo*. *Jus regium vindicatum adverſus Buchananum, Dolomannum*, &c. Lond. 1684, 8*vo*. IV. *De re Gentilitia*, Edinb. 1680, *fol.*

3 *Vitæ & Elogia Scriptorum Scoticorum*, 2 *Vol.* Edinb. 1708 *&* 1711, *fol.*

4 *Collectanea de Hiſt. Scotica ante obitum Davidis* I. &c. Edinb 1705, 8*vo*.

5 *Scotia illuſtrata*, Edinb. 1684. *fol.* *Commentarius in vitam Geo. Buchanani*, ibid. 1702, 8*vo*. *De libera & abſoluta Regni & Eccleſiæ Scotiæ poteſtate*, Edinb. 1713, 4*to*. *Collectanea de Vita & rebus geſtis Gul. Vallæ*, Edinb. 1708, 8*vo*. *Reſponſio ad Rymeri Epiſtolam* II. *ad Epiſcopum Carleolenſem miſſam, qua vetuſtiſſimum fœdus, inter Gallos & Scotos a Carolo magno Achaio initum, defenditur & vindicatur*, Edinb. 1704, 8*vo*. Item plurima alia ad res Scoticas illuſtrandas pertinentia, partim Latine, partim Anglice ſcripta.

6 *Tentamen Hiſtoricum, quo abſoluta ſceptri regnique Scotici aſſeritur & demonſtratur adverſus Atvodum Anglum*, Edinb. 1705. 8*vo*.

7 *Commentarii rerum Scoticarum ab anno* 1566, *ad annum* 1582, Lond. 1706, 8*vo*.

8 *Introductio ad Hiſtor. Genealog. & Chronol. Familiæ Stuartorum*, Edinb. 1712, 8*vo*.

9 *Fundamentalis charta Presbyterii in Scotia*, Lond. 1695, 8*vo*. Item, *Introductio ad nuperam Edit. Hiſtoriæ quinque Jacoborum Regum Scotiæ a Gul. Dromundo ſcriptæ*, Edinb. 1709, *fol.*

10 *De bellicis virtutibus gentis Scoticæ*, 2 *Vol.* Edinb. 1711 & 1715, *fol.*

11 *Præfecturæ Renfroanæ deſcriptio. Cui ſubjuncta eſt Regiæ Stuartorum familiæ Hiſtoria*, Edinb. 1710, *fol.* Item, *Genealogica de Nobilitate Scotica tractatio*, nondum edita. Hæc omnia (quibuſdam exceptis a Cl. *Sibbaldo* Latine editis) Anglico ſermone ſunt conſcripta.

tionibus noſtræ gentis Hiſtoriam mirum in modum illuſtravere: e quibus plurima nos hauſiſſe, quæ ad editionem hanc noſtram elimandam faciebant, ac largam etiam Annotationum ſupellectilem ſuppeditabant, grato ac ingenuo animo confitemur. Sed propoſitum noſtrum omnium maxime juvit *Thomas Crafordius*, Philoſophiæ & Matheſeos in Academia Edimburgena ante annos fere 60 Profeſſor, qui vir, ſi quis alius, in rebus Scoticis verſatiſſimus, duplici libello Buchanani Hiſtoriam dilucidavit. Altero enim, cui *Nomenclaturæ* titulum dedit, propria hominum & locorum nomina ſermone vernaculo deſcripta exhibuit; quem deinde *Chriſtophorus Irvinus* haud pœnitendo incremento ampliatum edidit anno 1682. Altero autem ſuo libello, Anglice itidem ſcripto, perpetua notarum ſerie Buchanani textum explicat & caſtigat. Harum quidem pars longe maxima in familiarum nobilium genealogiis recenſendis impenditur; re certe popularibus ſuis non minus jucunda, quam utili, eoque magis quod ipſe Buchananus (ne quid, credo, ſermonis venuſtati inde decederet) eam plus nimio neglexiſſet. Illi autem lubenter accepta referimus quamplurima in contextu ſphalmata emendata, quæ aut librarii aut typographi incuria obrepſere, aut etiam (quod non abſurdum eſt creditu) parum nonnunquam caviſſe ipſe Auctor videtur. Raro admodum rei geſtæ veritatem in dubium *Crafordius* vocat, neque uſquam (quod factum oportebat) ullius ſcriptoris monumentive publici aut privati teſtimonio ſententiam ſuam confirmat: unde factum eſt, ut quamvis paucis in locis virum accuratiſſimum a vero deflexiſſe deprehenderimus, neutiquam tamen tutum in re tanta rebamur ſola illius auctoritate niti: quin contra, quoad licuit, omnes Hiſtorias, aliaque, quæ undecunque nanciſci potuimus, monumenta ſedulo excuſſimus, ut abditam latentemque rerum veritatem aut aſſequi aut confirmare pro virili poſſemus. Ubique autem, ne Lector ſibi fucum factum quereretur, eos Auctores ſcriptaque antiqua in teſtimonium citavimus, ut ſi cui illorum copia adſit, animuſque & otium ad eam rem ſuppetant, ea ipſe monumenta conſulere queat. Porro has *Thomæ Crafordii* Notas, cum paucorum antea manibus tererentur, primus ipſe typis deſcribendas curavi, anno 1708. Quas autem longe locupletiores, adjunctis ſuis & *Chriſtoph. Irvini* Collectaneis, pollicetur Cl. *Sibbaldus*, [1] nondum (quod optandum erat) licuit intueri.

Neque interea nobis inutiles erant *Andreæ Melvini* ad Buchanani

ſcripta. Fuſiorem verò eorum, quæ tum exſtabant, enarrationem pete ex reverendiſſimi Præſulis Carleolenſ. *Gul. Nicolſoni* Bibliotheca Hiſtorica Scotiæ, *Lond.* 1702, 8*vo.*

1 Apud *Nicolſoni Biblioth.* Hiſt. Scot. p. 121.

ni Hiſtoriam Notæ, quarum, principi Editioni Edimburgenſi ſua manu allitarum, copia nobis facta fuit ab eruditiſſimo juxta ac humaniſſimo viro, *Gulielmo Scoto*, literarum Græcarum in Academia Edimb. Profeſſore: quanquam, ut verum fateamur, eæ extra primum ſecundumve librum, in lemmatis fere ſummiſque rerum capitibus, memoriæ juvandæ gratia, notandis, comitante raris in locis nonnullorum Epigrammatum luſu, occupentur. Luſtravimus etiam ejuſdem *Melvini* SCOTIAM, Theatro Blaviano præmiſſam, quæ nihil aliud eſt quam liberior paullo Topographiæ ejuſdem Buchananææ carmine Latino facta Paraphraſis, e qua tamen oppido parum, ad rem noſtram quod attineret, utilitatis fœnerabamur.

Atque hi quidem proxime a nobis recenſiti doctorum virorum labores unicam prope Buchanani Hiſtoriam reſpiciunt. Nos tamen ſolis hiſce opibus haudquaquam nitendum exiſtimantes, alia nobis duximus prata rimanda, alios apium more flores premendos; ſi qui inde veritatis ſucci, ſolida ſua ac ſincera dulcedine animos hominum perfuſuri, ſedulitate noſtra elici poſſent. Ut autem prætercam Hiſtoriæ noſtræ ſcriptores typis editos, Chronicorum videl. Mulroſſenſium auctores; item *Jo. Fordonum*, *Jo. Barbarum*, *Jo. Majorem*, *Hect. Boëthium*, ejuſque Interpretem, ſeu verius Interpolatorem, *Jo. Ballendenum*, *Jo. Ferrerium* Pedemontanum, *Jo. Leſlæum* Epiſcopum Roſſienſem, *Dav. Camerium* Ormundiæ Comarchum, *Jo. Knoxium*, *Jac. Melvillium*, *Raph. Holinshedium*, *Geo. Conæum*, *Jo. Spotiſvodium* Fani Andreæ Archiepiſcopum, *Dav. Caldervodium*, *Tho. Dempſterum*, *Alex. Petreium*, *Gul. Dromundum*, *Dav. Humium*, *Dav. Crafordium*, *Geo. Mackenzæum*, *Pat. Abercrombium*, *&c.* ut hoſce, inquam, & præcipuos vicinarum etiam gentium ſcriptores hic taceam, quorum pleroſque Lectoribus Hiſtoriarum amantibus haud ignotos eſſe arbitramur; alii præterea a nobis, & quidem ſæpiſſime, Auctores citantur, quorum, cum nunquam ſint in lucem vulgati, ætates & elogia viſum eſt hoc in loco breviter indicare.

Primus autem ex hoc numero ſe nobis offert *Andreas Vintonus*, Canonicus regularis S^ti^ *Andreæ*, & Prior Inſulæ in lacu Levino. Is a mundo condito exorſus, primis quinque ſui operis libris Hiſtoriam univerſalem leviter quidem ac deſultorie Rhythmis Scoticis perſequitur; poſterioribus quatuor a Milcolumbi fere III. temporibus ad res duntaxat Scoticas decantandas ſe convertit: ſcriptor neutiquam ſpernendus, quippe qui res ſua ætate & paulo ſuperius geſtas multo aliis fuſius & accuratius pertractet. Claruit autem circa annum 1408, rem Scoticam pro Rege Jacobo I. tum apud Anglos captivo, adminiſtrante Roberto ejus patruo, duce Albiniæ. Ejus Chronici exemplar nitidiſſimum, ſub id tempus,

uti

uti videtur, ſcriptum, in Bibliotheca Juriſconſultorum Edimburgi aſſervatur.

Proximus huic *Liber Perthenſis*, a Monacho quodam (ut credibile eſt) Cœnobii Carthuſianorum eo in loco ab Jacobo I. fundati, conſcriptus. Continet autem Hiſtoriam rerum Scoticarum a gentis primordiis e Fordono (quod in initio auctor ipſe affirmat) ejuſque Continuatore *Waltero Bowmaker*, Abbati S^{ti} Columbæ, ad Jacobi I. mortem, collectam.

Hunc excipiunt *Extracta de Chronicis Scotiæ*, quem *Librum Dumblanenſem* nonnulli appellant, qui cum ex Monaſteriorum libris plerumque jam deperditis, & ſtylo haud ineleganti, ut ea ferebant tempora, ſit compilatus, nulli ex veteribus ſcriptoribus ſecundus, in re Chronologica omnibus ſuperior nobis videtur. Nos exaratum conjectamus paullo poſt Jacobi IV. deceſſum.

Neque hic nobis prætereundus eſt *Alexander Millius*, Abbas Cœnobii Cammiskennethi, poſteaque primus ſupremæ apud Scotos Curiæ Juridicæ, ab Jacobo V. inſtitutæ, Præſes, qui Canonicus adhuc (ut loquuntur) ejus Capituli, Epiſcoporum Dunkeldenſium vitas perſcripſit: Opus quidem ſtylo ſatis gravi & æquabili compoſitum, at in quo orationis cultum impenſiorem merito deſideres. Deductum eſt autem a primis ejus Epiſcopatus temporibus ad initia *Galvini Duglaſſii*, nobiliſſimi Æneidos Virgilianæ Paraphraſtæ, cui & librum ſuum Auctor inſcribit circa annum 1516.

Qui ſequuntur Auctores ſunt inferioris ſubſellii: *Robertus Lindeſius Pitſcottienſis*, qui Hiſtoriam Scoticam ab Jacobi I. obitu, in quem deſierat *Boëthius*, ad annum pertexuit 1575, alia deinde manu ad annum 1598, continuatam. *Lindeſius* autem, quanquam ſe magnis auctoribus in ea ſcribenda uſum teſtetur, *Patricio Lindeſio* Byriæ Regulo, *Gul. Scoto*, Balvirio, *Andrea Vodio* Largoo, *Dav. Lindeſio* Montano, *Gul. Bruſſio* Erliſhallio, Equitibus, & *Joan. Majore* Theologiæ Doctore, neſcio tamen quo pacto haud raro ab aliis ſcriptoribus, & a vero, præſertim in temporibus notandis, devius feratur. Ejuſdem quoque notæ *Patricius Anderſonus* M. D. qui derelicta a *Boëthio*, ſtylo haud polito, nec pro materia ſatis gravi, tribus voluminibus ſua manu ſcriptis, ad regnorum Britanniæ coalitionem perduxit. Vixit autem patrum noſtrorum memoria, nec ullos fere ſuæ narrationis, præter vulgatos rerum Britannicarum ſcriptores, teſtes profert. His demum adjungo D. *Jacobum Balfurium*, Fecialium regnante Carolo I. principem, qui annales rerum Scoticarum a Milcolumbo III. ad annum 1641, duobus voluminibus, ſcriptis conſignavit; at non ea fide nec induſtria, quam a viro cæteroquin docto,

ac rei antiquariæ ſtudioſiſſimo (quod innumera id genus libri [1] ab eo collecti teſtantur) par fuerat exſpectare.

Verum omnibus hiſce Hiſtoriæ noſtræ tum accurandæ tum explicandæ adjumentis longe longeque antecellunt, *Fœdera, Conventiones, Literæ, & cujuſcunque generis acta publica, inter Reges Angliæ, & alios quoſvis Imperatores, Reges, Pontifices, Principes, vel Communitates, ab ineunte ſeculo duodecimo, ad noſtra uſque tempora, habita aut tractata:* Opus vere Regium, & auguſtiſſima ac beatiſſima Principe ANNA Britanniarum Regina digniſſimum, cujus auſpiciis cœptum, &, accurante *Thoma Rymero*, multis & ingentibus voluminibus eſt continuatum. Ex nobiliſſimo hoc & auro ac gemmis pretioſiore theſauro Hiſtoriæ in primis Scoticæ nova ac incognita lux affulſit: in quo, præter innumera alia, poſtliminii quaſi jure non modo nobis reſtituta, ſed in orbem univerſum diffuſa eſt magna pars eorum monumentorum, quæ Eduardi I. Angli ſævitia abſtulerat, aut conſumſerat bellorum civilium rabies, aut male credula denique plebis ſocordia ſuperſtitionis damnarat. Hic perennis & inexhauſtus rem antiquariam tractantibus fons, poſt hominum memoriam longe uberrimus, nec ullo ſatis præconio concelebrandus.

Eodem quoque pretio, mole licet impares, haberi merentur *Epiſtolæ a Regibus & Gubernatoribus Scotiæ, ad Imperatores, Reges, Pontifices, Principes, Communitates*, &c. *ab anno* 1505 *ad annum* 1545, 2 *vol. fol. perſcriptæ*: digniſſimæ omnino, ob inſignem, ſupra quam illis temporibus credibile eſt, ſermonis Latini elegantiam, quæ in apricum protrahantur, ac non rei Hiſtoricæ modo, ſed ornatioris etiam literaturæ cultorum manibus verſentur.

Porro in hunc numerum conjici debent *Mandata ab Henrico VIII. Anglo ad Radolphum Sadlerium, ſuum in Aula Scotica legatum, data; ejuſque itidem literæ ad Regem ſuum & principes curiæ viros remiſſæ*, res a ſe anno 1539 & 1543 geſtas exponentes, ac conſummatam viri prudentiam cum inſigni aſſiduitate conjunctam teſtificantes.

Ejuſdem etiam notæ ſunt, nec minoris æſtimandi, Reverendiſſimi, ſuæque Principi fideliſſimi Præſulis, *Joan. Leſlæi Epiſcopi Roſſienſis Commentarii, MSS.* quibus res in ſua ad Elizabetham Anglam, a Septemb. 1568, ad 26 Martii, 1572, legatione geſtas, fuſa & dilucida narratione ad Mariam Scotorum Reginam perſcribit; quos reverendus admodum Carleolenſium Antiſtes, *Gul. Nicolſonus*, Juriſconſultorum Collegio muneri miſit.

Neque interea a nobis ſilenda ſunt *Davidis Crafordii*, Regii non ita pridem apud Scotos Hiſtoriographi, e præſtantiſſima *Biblio-*

[1] Vid. *Sibbaldi* Memoriam Balfurianam. Edimb. 1699, 8*vo.*

bliotheca Cottoniana Collectanea, in quæ, tribus, iiſque ſatis amplis voluminibus, innumera pene Acta publica, conventiones, literas, aliaque id genus inſtrumenta, ad res Scoticas ab exceſſu Jacobi V. ad annum fere 1588 ſpectantia, congeſſit, quæque jam morti proximus in florentiſſima Juridicorum Bibliotheca vir ingenioſiſſimus reponi præcepit.

Ultimo denique loco, omnibus licet aliis auctoritate priora, in hunc cenſum a nobis referenda ſunt SCOTIÆ *Acta publica & Tabularia*; quorum quidem, quæ ad rem Hiſtoricam illuſtrandam maxime conferre videbantur, apographa, illuſtriſſimi olim viri, *Thomæ Hadintonæ Comitis*, ac Regiſtri & Rotulorum (ut noſtri loqui amant) tum Cuſtodis, juſſu, ex ipſis Archetypis deſcripta, in ſæpius laudata Juriſconſultorum Bibliotheca aſſervantur; ad quorum (cæterorumque a nobis ſupra memoratorum, tam impreſſorum quam MSS. librorum) facilem uſuram, quæ ſumma eſt poſſidentium benignitas, ac bonas literas promovendi ſtudium, nunquam non aditus eſt nobis permiſſus. Sicubi vero ſcrupulus eſſet injectus, aut alioquin neceſſe videretur, haud raro ad ipſa e proximo autographa penitius intuenda decurrere placuit.

Atque hæc præcipua ſunt fundamenta, quibus noſtræ hæ quales quales in Buchanani Hiſtoriam Animadverſiones innituntur, quæ ideo longius a nobis ſunt expoſita, ut Lector, non modo quorum teſtium fides in illis adhibeatur, clarius dignoſcere, ſed & ſingulorum merita expendere valeat.

Cæterum, ne Annotationes noſtræ (quod in tanta rerum ac Collectaneorum ſilva factu erat proclive) extra præſcriptas textus Buchananæi vel reſtituendi vel explicandi metas evagarentur, ſedula ubique a nobis data eſt opera. In rationibus quidem Chronologicis diſpungendis aliquanto nonnunquam ſumus prolixiores. Neque id tamen temere aut inconſulto factum. Cum enim (quod bene ac ſapienter magnus ille Caſaubonus[1] judicavit *ſine accurata temporum adnotatione omnis rerum geſtarum narratio ſit cœca & fabulæ non diſſimilis:* nos vero eam partem ab Hiſtoricis noſtris, & a nullo fere magis (quod dolentes referimus) quam a Buchanano, aut plerumque neglectam, aut miſere involutam, aut inſignibus denique erroribus deformatam reperiremus; nulla in re melius utiliuſve induſtriam noſtram collocari poſſe exiſtimavimus, quam ſi fœdiſſimam hanc maculam Annalibus noſtris, quantum pote, elueremus; ut ſingula rerum momenta ſuis apte temporibus tributa, & inter ſe conſiſtere, & cum aliarum gentium monumentis congruere poſſint. Statueramus quidem annorum ſeriem ſummæ ubique paginæ præfigere: verum cum tot in locis Buchananum temporum ratio-

1. Præf. in Hiſt. Polyb. Synopſin Chronol.

rationes turbaſſe conſpiceremus, coacti tandem fuimus (niſi vellemus aut nos veritati, aut eum ſibi pugnantem inducere) conſilium alias utiliſſimum omittere, ſatiſque habere, annos quo prius modo marginibus adnotare; huicque adeo (quod ſolum licuit) malo ex Annotationibus medicinam arceſſere.

Etſi haud leviter nobis verendum ſit, ne juſtos jamdudum præfandi limites ſimus egreſſi, prius tamen quam Annotata hæc noſtra miſſa faciamus, unicum adhuc nobis reſtat, & quam breviter poterimus, expediendum. Illud vero eſt, ut, ſi non prorſus avertere, emollire ſaltem queamus hominum quorundam offenſionem, qui nos miſerandæ Scotorum Reginæ æquo faventiores exiſtimabunt. In hac nimirum difficillima omnium Hiſtoriæ noſtræ parte, quod fretum Siculum navigantibus ſolet, id nobis eventurum animo præcipimus:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet. —— [1]

Fieri enim vix poteſt, ut in ancipiti hoc ac importuoſo mari deprehenſi, non in ſcopulum aut hinc aut illinc aliquem vel impingamus, vel pro diverſo Lectorum ſtudio impegiſſe videamur. Si qui autem adeo ſint Buchanano in hac parte quaſi mancipati, ut cuncta ejus ſcripta oraculorum inſtar, & tanquam e tripode prolata devenerentur, nihil illis aliud eſt, quod nunc reponamus, quam magnanimum illud Scythæ dictum, [2] *Nec ulli* hoc pacto *ſervire cupimus, nec imperare deſideramus.* Sin vero ad æquiores judices ſit appellandum, ad nos illis purgandos ſufficere arbitramur, ſi primum diligentius nobiſcum attendant, nihil hic eſſe a nobis pronuntiatum, quod non prius, & ab Auctoribus alias idoneis, memoriæ ſit proditum. Deinde id nobis jure licere, quod omnibus rationis uſu pollentibus, ut ſcil. excuſſis, atque inter ſe collatis diſſidentium opinionum momentis, animus tandem, aut æquilibratis utrinque ponderibus pendulus hæreat, aut eo quo major videtur veri ſimilitudo propenſior inclinet. Atque ad hunc quam maxime potuimus mentis habitum nos noſtraque omnia compoſuiſſe, nec ſcientes volenteſque via erraviſſe, liquido & audacter aſſeveramus. *At male*, inquiunt aliqui, *ſubductæ ſunt vobis rationes.* Fortaſſe: & id quidem cum illis commune habemus; nam, ut in Mimo eſt, *Cuivis accidere quod cuiquam poteſt:* At qua in re tandem, & quo pacto, edoceant. *Iis nempe ſcriptoribus plus nimio confiditis, qui aut adverſarum partium ſtudio impliciti, aut alieno errore decepti, aut gratia denique aut odio impulſi videntur.* Sint ita ſane.

1 Virg. Æn. 3. 420. 2 Q. Curt. lib. 8.

ne. Alios igitur teſtes prodire jubeant, his affectibus vacuos, ab ira & aſſentatione alienos, nec ſpe nec metu ullo præoccupatos: aut, ſi tales (qui nulli ſunt) edere nequeunt, id ſaltem nobis oſtendant, qui magis Buchanano, *Moravio*, cæteriſque eam ſectam ſecutis, quam *Leſlæo*, *Melvillio*, *Camdeno* Jacobo VI. quam omnibus denique regni Ordinibus contraria referentibus credere par ſit. *Atqui Jacobi*, ajunt, *magnopere intererat*, *matris ſuæ probra*, *haud parvam ſuo nomini maculam inuſtura*, *quantum in ipſo erat*, *pro falſis haberi* [1]. Quaſi vero non magis e re eſſet *Moravio* illiuſque factionis hominibus, fidem iis ab omnibus adjungi, quæ niſi vera crederentur, non modo exiſtimationis jacturam, ſed certam fere ac inevitabilem perniciem in capita auctorum erant pertractura. *At longe maxima civium pars*, & *in his religioni Pontificiæ addicti complures*, *rei*, *ut videtur*, *atrocitate perculſi*, *manifeſtiſque criminis indiciis permoti*, *Mariæ exturbandæ auctores fuerunt*. Maximam civium partem in id facinus conſenſiſſe prorſus negamus: deinde ex his ipſis, qui conſenſerant, novimus complures (haud ſcio an elucente paullatim veritate) non multo poſt ſententiam mutaſſe, Reginæque ſuæ partibus nomina dediſſe. Papanorum autem (quod multos latere video) in initio hujus Tragœdiæ a Maria animos præcipue averterant ipſius cum *Bothuelio*, tum (ut illi loquuntur) Hæretico, nuptiæ, eæque ab Apoſtata (quem vocabant) Orcadum Epiſcopo celebratæ. Quantopere autem non Papanos modo, ſed alios etiam facti pœnituerit, vel illud indicio eſt, quod patronum ſuum Buchananus ab omnibus fere derelictum queratur: [2] ac niſi ipſe cæterique Proreges validis Anglæ opibus fuiſſent ſuffulti, rebus tandem everſis prorſus ſuccumbere, ac victas manus dare coacti fuiſſent. *At mariti ſui interfectori nupſit Maria*. Nupſit quidem, & infeliciſſimis avibus. Sed neque tum *Bothuelium* interfeciſſe conſtabat: contra vero infenſiſſimi Reginæ inimici eum non modo crimine abſolverant, ſed ſe ejus exiſtimationis defenſores, ac harum nuptiarum proxenetas futuros juramento interpoſito ſolenniter obſtrinxerant [3]. Celeberrimus denique Reformationis Anglicæ Hiſtoriographus, *Gilbertus Burnetius*, Epiſcopus Sariſburienſis, [4] Achilleum ſe argumentum nactum opinatur, e vita *Vincentii Laurei* Cardinalis (tum montis Regalis Epiſcopi, atque ad Mariam Scotam a Pio V. legati) [5] ab Abbate *Pinarolii*, qui ei ab Epiſtolis fuerat, conſcripta: in qua eadem fere de

1 Vid. Jo. Clerici Bibl. Select. Tom. 8. p. 150. & ſeqq

2 Hiſt. lib. XIX. cap. 48. & in fine cap 49.

3 Vid. Annot. noſtras ad cap. 23. lib. XVIII.

4 Tom. III. p. 324, & ſeqq.

5 Vid. Thuan. Hiſt. lib. 40 pag. 814. Edit. Francof. anno 1625.

de *Darlæi* cæde, infauſtiſque Reginæ cum *Bothuelio* nuptiis, quæ a Buchanano, commemorantur. Primum autem neutiquam liquet, hanc rerum narrationem ab ipſo *Laureo* (quod reverendiſſimus Præſul vult videri) ſed ab Abbate illo, & longo poſt tempore, eſſe profectam. Deinde, ſi ex ipſius adverſariis eſſet petita, poterit *Laureus*, ob tot moras injectas, paullo irritatior exiſtimari. Nec mirum, ſi magni animi vir [1] qui ob id ipſum in Scotiam erat legatus, ut labefactatam ibi religionem Pontificiam reſtitueret, a Maria eſſet animo alienatus, cum non modo intelligeret legationem ſuam in nihilum recidiſſe, ſed etiam ſibi male metueret, ne hæ Mariæ cum Hæretico nuptiæ, quod reliquum erat in Scotia Papanarum partium eruerent penitus ac profligarent. Poterat etiam *Laureus* primos forte, nec eos ſemper veriſſimos, a Scotis quibuſdam diverſarum partium ſparſos rumores adhucdum ſequutus hæc ſcripſiſſe. Quicquid vero horum ſit, haud equidem video quæ major Pontificio, qui rei geſtæ non interfuerat, nec Scotiam vel e longinquo unquam ſalutaverat, quam Reformatam Religionem profitentibus, quos ejus rei cura propior tangebat, quibuſque major patebat veri noſcendi opportunitas, a nobis fides debeatur. Sed nos tempus jubet ac creandi tædii metus, a materia prorſus illætabili, totieſque ac tanta animorum contentione utrinque diſceptata, noſmet ſubducere, poſtquam illud in fine monuerimus, nos ea tantum hic ſectari voluiſſe, quæ vero videbantur ſimiliora: certam autem ac indubitabilem harum rerum veritatem, illa demum dies plene manifeſtabit [2] qua *Deus in lucem proferet occulta tenebrarum, & animorum conſilia patefaciet.*

Ut autem quæ de Hiſtoria dicenda ſunt tandem abſolvamus, ne quidquam, Lectori quod ex uſu foret, a nobis omitteretur, poſtremo ſupererat ingratiſſimus totius operis labor, INDEX reconcinnandus. Ille enim, quem ab editore Genevenſi primum vulgatum cæteri deinceps libri ſequuntur, ut innumeros admiſtos errores hic taceam, cum non primam familiarum, (quod factum oportebat) ſed nominum baptizatis inditorum, literam ducem ſequi inſtituerit, Lectorem ſæpe ſuum aut turbat aut fruſtratur: qui cum memoria probe teneret rem aliquam ab *Hamiltonio* quodam, *v. g.* aut *Duglaſſio* geſtam, niſi itidem reminiſceretur, quo vulgato apud Scotos nomine, *Alexander*, *Jacobus*, *Georgius*, *Gulielmus*, *&c.* is appellaretur, multa, prius quam quæſitum inveniat, In-

1 Cardinalis de Sancta Cruce ad Cardinalem Borromæum ſcribit, hunc *Vincentium Laureum* a Rege Navarræ inter alios electum, qui filii ſui pueritiæ moderaretur, quem & ad Cardinalitiam dignitatem jam tum aſpiraſſe ſignificat, anno 1562, Vid. *Synodes Nationaux des Egliſes Reformées de France, par Monſieur Aymon*, Tom. I. pag. 65.

2 1. Corinth. 4, 5.

Indicis loca, lento & interdum inutili labore, habebit percurrenda. Nos itaque ut hoc tædio Lectorem levaremus, non tantum familiarum ſeu cognominum ordinem (Regum unice exceptis) ubique ſervavimus; ſed ne idem nomen variis Hiſtoriæ locis repetitum, Lectorem haud raro diſtineret ambiguum diverſine, an unus idemque vir hic illic ſignificaretur, (quod & prioris Indicis conſarcinatorem ſæpiuſcule fefellit,) nos, inquam, ſuo quæque loco accurate digeſſimus, ac inſuper etiam, quo omnia magis aperta eſſent, eorum qui illuſtriore loco erant nati, ſanguinis ac honoris ſeriem (a Buchanano, ut ſuperius diximus, plus nimio neglectam) ex aliis noſtris ſcriptoribus, Genealogiſtis præſertim, nominatim indicavimus.

Operam denique in hac parte noſtram claudit PROPRIORUM NOMINUM, non hominum modo, ſed locorum etiam, in Buchanani Hiſtoria occurrentium INTERPRETATIO, ex *Thomæ Crafordii* & *Chriſtoph. Irvini Nomenclaturis*, in exterorum præcipue gratiam, concinnata. Ad oppidorum vero, vicorum, & quæ ſunt ejuſmodi, nomina quod attinet, non eſt quod fuſam eorum deſcriptionem a nobis hîc quiſpiam exſpectet: inſtituto noſtro ſufficere videbatur, ſi, adſcripto primum cujuſque apud nos nomine vernaculo, qua deinde in præfectura aut regione id ſitum eſſet, breviter exponeremus. In propriis vero Cognominibus ſeu Familiis explicandis, Lectori jucundum nec inutile cenſebamus, obiter etiam indicare qui viri etiamnum nobiles inde propagati, ac principem in iis locum obtineant.

X. Ad reliqua tandem Buchanani opera ſoluta oratione ſcripta devenimus: quo autem diutius Hiſtoriæ ipſius ſumus immorati, eo leviore pede quod ſupereſt percurremus. Proximum igitur huic locum mereri videtur famigeratiſſimus DE JURE REGNI APUD SCOTOS Dialogus, ſcriptus, ut ipſe teſtatur, cum apud nos res turbulentiſſimæ eſſent, *i. e.* ut ego conjicio, anno 1569, editus autem in lucem decennio poſt, ineunte ſcilicet anno 1579, nec ſine *privilegio Regali*, *Edimburgi apud Joannem Roſſæum pro Henrico Charteris*, quaternaria forma. Iteratus ibidem anno proximo 1580, ac tertium anno 1581, niſi (quod multum ſuſpicor) fraus eſt Typographorum, libros ſuos novis titulis venditantium: nam quæ duo nos evolvimus hujus Dialogi exemplaria, eadem prorſus (ſi frontes diverſiſſimas excipias) per omnia invenimus. Eum in Anglia recudere, & aſſentiente quidem Auctore, deſtinarat ipſius amicus in paucis cariſſimus *Dan. Rogerſius* [1] id vero anne unquam præſtiterit, nondum auſim affirmare. Prodiit deinde

DE JURE REGNI.

1 Vid. Epiſt. XXVII.

deinde Genevenſi primum, [1] ac aliis deinceps omnibus Hiſtoriæ editionibus ſubjunctus. Ad textus noſtri γνησιότητα quod attinet, quanquam nos primariam illam Editionem Edimburgenſem, quæ cæterarum omnium norma exiſtit, unice ſequendam propoſuerimus, non dubitavimus tamen mendas nonnullas, quæ omnes pariter libros obſidebant, eluere. Eum denique comitari permiſimus pauculas *Notas*, aut noſtras emendationes & conjecturas firmantes, aut textum nonnullibi explicantes. Quam autem obnixe vellemus Buchananus hujuſmodi argumento abſtinuiſſet, tam caute nobis abſtinendum rati, in cauſæ, quod dicitur, arcem nunquam invadimus; utpote haud ignari materiam eſſe longe omnium vexatiſſimam, nec calamo ſed ferro definiendam. Quam malam autem hoc ſcripto ab alumno Rege ac civibus ſuis gratiam Buchananus inierit, quantamque inde ſibi odii molem conflarit, teſtes nimio plus locupletes habemus tot libros, a *Blacvodæo*, *Winzeto*, *Barclaio*, *Turnero*, *G. Burnetio* Epiſ. Sarisburienſi, D. *Mackenzæo*, aliiſque popularibus ſuis, adverſus eum Dialogum conſcriptos, in primis graviſſimam legem [2] ab ipſo Rege tribuſque regni Ordinibus latam, qua non tantum is liber ſeditionis damnatur, ſed & omnibus ipſius lectio aut aſſervatio interdicitur.

DETECTIO. XI. Eodem tempore, eodemque fere conſilio ſcriptus videtur Libellus, cui vulgo DETECTIO nomen datur, cum ſubnexa atrociſſima *in Mariam Scotorum Reginam invectiva*. Quo anno aut loco, neque quo Auctore is prodierit, nuſquam liber ipſe ſignificat. A Buchanano quidem ſcriptum omnes conſentiunt, & res ipſa, ſimilis ſcil. ſtyli elegantia & acerbitas, in primis vero integræ fere ex eo in Hiſtoriam tranſlatæ periodi liquido oſtendunt. Editus autem videtur anno 1571, ac non multo poſt Anglica ipſius Interpretatio, ſub hoc titulo, Ane DETECTIOUN of the Duinges of MARIE Quene of SCOTTES; touchand the Murder of hir Husband / and hir Conſpiracie / Adulterie / and pretenſed Mariage with the Erle Bothwell. And ane Defence of the trew Lordis Mainteineris of the Kingis Graces Actioun and Authoritie. Tranſlatit out of the Latine / quhilke was written by G. B. In fine autem multa adjecta ſunt, quæ in Latina editione non habentur. Eam verſionem vulgo perſuaſum eſt ipſius Buchanani eſſe: ego vero ab alio, nec Buchanani ſententiam ubique aſſequente, interprete confectam arbitror; quod & in ſubjectis notis uno & altero exemplo monſtravi. *Blacvodæus* quidem [3] Buchananum

1 Anno 1583. Nullam autem hac Genevenſi Dialogi Editione antiquiorem conſpexiſſe videtur Cl. D. *Geo. Mackenzæus*; ſecus enim non ſcripſiſſet, eum proximis quam in lucem editus eſſet Comitiis, a tribus regni Ordinibus damnatum. Vid. ejus jus Reg. p. 8

2 Jacobi VI. Parliam. 8. Act. 134. Maji 22. anno 1584.

3 Apolog. pro Regibus adverſus Buchan. edit. Pariſ. 1644, p. 17.

num ait eam in Mariam orationem ex Latina Gallicam reddidiſſe. Narrat porro, *id ſcripti paſſim hic* (in Gallia ſcil.) *manibus hominum teri pro famoſo libello, cum nec orationis, nec Hiſtoriæ ullam præ ſe ferat imaginem: eoque nec malis probari, propter inelegantiam ſtyli, nec bonis, propter argumenti falſitatem, & proditionis infamiam.* Gallicam eam verſionem nondum mihi videre licuit, nec adeo (etſi idoneus eſſem ejus rei arbiter) an ea ſit Buchanani ipſius, atque iſta, cujus eam *Blacvodæus* inſimulat, ſtyli inelegantia conſcripta, dijudicare.

XII. Sub idem tempus ſcripti ſunt duo illi libelli famoſi, quibus nomina impoſuit. Ane ADMONITION direct to the trew Lordis Maintenaris of the Kingis Graces Authoritie/ M. G. B. i. e. ADMONITIO *ad fideles Proceres, Regiæ* [Jacobi VI.] *auctoritatis aſſertoribus.* Et CHAMÆLEON, Or/ a Satyr againſt the Laird of Lidingtone, i. e. CHAMÆLEON, *ſive Satyra in Comarchum Lethintonii.* Priore in illuſtriſſimam Hamiltoniorum familiam, nullam aliam ob cauſſam, quam quod Reginæ ſuæ partibus firmiter adhæreret, cum effrenata verborum licentia declamat. Poſteriore vero *Gulielmum Mætellanum* Lethintonium tanquam Chamæleonte mutabiliorem exagitat [1]. De utroque hoc, ac ſuperius modo memorato libello, cum alibi a nobis dictum, nec ulla re magis ſint, quam inſigni & Buchanano ipſi pigenda linguæ intemperie, notabiles, plura hic addere non eſt opus.

ADMONITIO, &c.

CHAMÆLEON.

XIII. Porro de RUDIMENTIS GRAMMATICES *Thomæ Linacri, ex Anglico ſermone in Latinum verſis*, deque ejus *de* PROSODIA Libello, cum nullam inde eruditionis laudem Buchananus quæſierit, nihil aliud hic attinet dicere, quam pari nos atque in reliquis ejus operibus diligentia uſos ab innumeris, quas eis affricuerat Typothetarum incuria, maculis utrumque repurgaſſe.

RUDIMENTA T. Linacri.

PROSODIA.

XIV. De paucis denique quæ ſuperſunt EPISTOLIS, cum abunde ſuo loco ſimus præfati, non eſt quod plura hic addamus: unicum tamen monendum reſtat, ſcil. poſt abſolutam earum impreſſionem, duas nos alias *Epiſtolas* nactos, alteram, ab ipſo Buchanano ad *Thomam Randolphum*, alteram a *Daniele Rogerſio* ad Buchananum, perſcriptam. Hæc inter Epiſtolas Jacobi IV &

EPISTOLÆ.

1 In *Gul. Camdeni* & illuſtrium virorum ad eum Epiſtolis, una habetur, a *D. J Mætellano*, hujus *Gulielmi* filio, ad Camdenum ſcripta, pag. 305. in qua *ſe* refert, *dum Elizabethæ Annales perlegeret, in loca quædam incidiſſe, in quibus parentis ſui mentio non ſatis honeſta facta eſt; at jure factum nullo modo ſibi potuiſſe perſuadere.* Deinde a *Camdeno* poſtulat *ut literas aliquas, quæ ab eo citantur, patris ſui famæ haud leviter detrahentes, in primis vero librum illum* CHAMÆLEON *nomine, ad ſe mitteret, quo de fide eorum & auctoritate plenius clariuſque cognoſcere poſſet.* Quid ad has literas reſponſi dederit *Camdenus*, nuſquam, quod ſciam, commemoratur.

& V. Regum Scotiæ neſcio quo caſu interjecta deliteſcebat. Illam ex autographo ſuo accurate deſcriptam mecum communicavit vir literarum cognitione & morum candore juxta ſpectabilis, *Radolphus Thoresbius* Anglus, R. S. S. Cum utramvis perire indignum videretur, nec alibi nobis relinqueretur locus, hic eas inſeri Lectorem haud ægre laturum ſperamus.

To Maiſter Randolf Squiar, Maiſter of Poſtes to the Quenes Grace of England.

Maiſter, I haif reſavit diverſe letters frome you, and yit I have anſourit to naine of thayme; of the quhylke albeit I haif mony excuſis, as age, forgetfulnes, beſines, and diſeaſe, yit I wyl uſe nane as now, eccept my ſweirneſs, and your gentilnes; and geif ye thynk nane of theiſe ſufficient, content you with ane confeſſion of the falt, w^t^out fear of punition to follow on my onkindnes. As for the preſent, I am occupiit in writyng of our hiſtorie, being aſſurit to content few, and to diſpleaſe mony tharthrow. As to the end of it, yf ye gett it not or thys winter be paſſit, lippin not for it, nor nane other writyngs from me. The reſt of my occupation is wyththe gout, quhilk haldis me beſy both day and ny^t^. And quhair ye ſay ye haif not lang to lyif, I traiſt to god to go before yow, albeit I be on fut, and y ryd the poſt: praying you als not to diſpoſt my hoſte at New werk, Jone, *of* Kelſterne. *Thys I pray you, partly for his awyne ſake, quhame I tho^t^ ane gud fellow, and partly at requeſt of ſyk as I dar no^t^ refuſe. And thus I tak my leif ſhortly at you now, and my lang leif quhen God pleaſis, committing you to the protection of almy^t^ty. At* Sterling *xxv. day of* Auguſt, 1577.

Yours to command w^t^ ſervice,
G. BUCHANAN.

Daniel Rogerſius Georgio Buchanano, S.

„ AD quintum Kalend. Martii, cum ex Belgio ſingulari feſti-
„ natione in aulam ſereniſſimæ Reginæ redirem, inter alios
„ quos ſalutavi, incidi *Cockburneum* Centurionem, cujus conſpe-
„ ctus longe mihi fuit gratiſſimus: ex quo illud commodi percepi,
„ ut de ſtatu tuarum rerum abunde omnia cognoſcerem, ac ejus
„ medio ad te literas darem. Quamvis enim temporis anguſtia
„ excluderet, nolui tamen committere, quin te hiſce pauculis
„ compellarem, ex quibus intelligeres literas tuas, Kalend. No-
„ vemb. ad me ſcriptas, ſub finem ejuſdem menſis in Morinis
„ mihi fuiſſe redditas, [*una cum*] iis quas ad *Jacobum Sturmium*
„ & *Philippum Mornajum* miſeras. Ac huic quidem ſuas paullo

„ poſt

,, poſt Bruxellis coram tradidi; alteras in Germaniam *Sturmio* de-
,, ferendas tabellario dedi. Vehementi deſiderio teneor videndi
,, *Hiſtoriam*, in qua ſcribis te totum occupari. Faxit Deus Opt.
,, Max. ut valetudo tibi contingat proſpera, ut ad finem pertexas
,, inchoata. Scripſi ante ſexennium, quod ex *Abrahami Ortelii*
,, theatro cognoſcere potuiſti, de antiqua Britannia commenta-
,, rium, quemadmodum & de Romanorum in Britanniis imperio.
,, Quare tuum de origine gentium Britannicarum judicium avi-
,, diſſime exſpecto. Recte enim *Humfridum Fluidum* perſtringis,
,, qui dum Antiquarium ſe præſtare vult, futiles & aniles nugas
,, mordicus tuetur, nullis antiquitatis monumentis confirmatas.
,, Illud miror, dum *Sphæricorum* tuorum meminiſti, eaque citas
,, quæ de *Jure regni Scotiæ* πολιτικῶς καὶ πλατωνικῶς differuiſti, nul-
,, lam abs te mentionem factam *Tragœdiæ Joannis*, cujus ante de-
,, cennium Pariſiis participem me feciſti. Promiſiſſe te inſuper
,, memini olim nobis *Jambicorum* librum unum, *Epigrammatum*
,, alterum, *Lyricorum* item unum: quæ ſingula ne pereant, ela-
,, borandum tibi cenſeo, ut pluribus argumentis famam nominis
,, tui poſteritati commendes, ſeculum tuum, adeoque Britanniam
,, univerſam, magis magiſque ingenii tui dotibus illuſtres. Ego
,, hiſce quinque poſtremo elapſis menſibus varie me exercui, co-
,, mes additus *Thomæ Wilſono* in Belgium Legato. Unice cu-
,, pio Reip. reſtituendæ operam navare. Sed hoc ævi ſenium
,, agnoſcis. Quod ſi Joannes Auſtriades auctoritatem ſuam in Bel-
,, gio confirmarit, quas ille turbas excitabit, qui cum imperitia
,, rerum ſingularem faſtum ſecum attulit? Pax ſane promulgata
,, Bruxellis fuit, XIX. Februarii, quam ratam & inviolatam nec
,, opinor fore, nec velim. Cæterum quæ de his rebus cenſeo,
,, non licet in præſenti ob temporis brevitatem perſcribere. Quis
,, vero Galliarum & Belgii ſtatus ſit ex his incluſis ſchedis facile
,, perſpicies. *Philippus Sydnæus* Proregis Hibernici filius, illu-
,, ſtriſſimæ virtutis juvenis, nuper ad Imperatorem Rudolphum
,, a ſereniſſima Regina legatus eſt, qui Caſimirum Ducem, fra-
,, tremque Electorem in itinere conveniet, de mediis quibus fœ-
,, dus Anglis cum Proteſtantibus Germanis coire poſſit ad religio-
,, nis ſalutem tuendam. Equidem Chriſtiana Reſp. in primis id
,, flagitare videtur. Quod ad Principem Orangianum attinet,
,, ipſius res, ſi bello ab Auſtriade impetatur, meliori quam ſole-
,, bant loco ſunt, ob Harlemum, Sparendamum, aliaque oppi-
,, da in Batavia nuper hoſtibus erepta, quemadmodum in Zelan-
,, dia, præter recuperatas Saldenſes & Duvelandicas inſulas, Ame-
,, landiam & Tolam ſibi adjunxit, quibus longe confirmatior eſt.
,, At nihil optimum Principem magis muniet, quam ſereniſſimæ
,, Reginæ erga ipſum benevolentia, quæ hoc tempore vehemen-

„ ter ad illum promovendum & ornandum inclinat. Sed ego longior ſum, Buchanane, quam permittunt anguſtiæ temporis. „ Finem itaque facio, a ſuperis firmam tibi valetudinem exoptans, „ ut ſcriptis quæ inchoata habes poſtremam manum imponas, ac „ Regem nobis magiſteriis tuis reddas Chriſtianiſſimum; in quo „ recte formando, non de Caledoniis tuis tantum & Britannis reliquis, verum de univerſa Europa lauream longe glorioſiſſimam „ retuleris. Bene vale. Ex Regia Monaſterienſi, pridie Kalend. „ Martias M. D. LXXVII. αὐτοσχεδιαστί.

EPIGRAMMATA & Fragmenta aliquot omiſſa.

XV. Præter binas haſce alieno loco poſitas literas, deprecandam itidem habemus ſimilis noxæ offenſionem, quod tria ſcil. Buchanani *Epigrammata*, Fragmentumque unum & alterum, quæ paullo ſerius, & tabulis jam quaſi obſignatis, in manus noſtras pervenerunt, Pſalterium inter & Jephthen media collocaverimus. At, præter duram nobis impoſitam hac in re neceſſitatem, facilem apud benignum Lectorem nobis veniam conciliabit nativa eorum carminum elegantia, quæ tanta eſt, ut, cum alia non ſupereſſet, optimis proximam ſedem meruerint. His autem addi etiam debebat inſignis ſententiæ Ciceronianæ emendatio, quam (neſcio qua incuria & operarum feſtinatione ibi omiſſam, ne quidquam a tanto viro profectum a reliquis ejus operibus ſejungeretur, hic in inferiore pagina libuit adjicere *.

Atque

* *G. Buchanani palmaria correctio loci corrupti in Cic. Philip. II. cap. 20. referente Dion. Lambino in ſuis Annott. ad Ciceronis Opera, Edit. Pariſ. 1584.*

Aude dicere, te prius ad parentem tuam veniſſe.] Sic hunc locum reſtitui, Georg. Buchanani auctoritatem ſecutus. Vulgata autem ſcriptura eſt hæc, neque aliter habent cod. manuſcr. *Veniſti e Gallia ad quæſturam petendam. Aude dicere, te prius ad patrem tuum veniſſe, quam ad me.* niſi quod nonnulli habent, *parentem tuum.* His argumentis ac verbis Buchananus hanc lectionem oppugnat, atque adeo evertit. „ Etſi in hac lectione „ omnia conſentiunt exempla, ſi „ quis tamen propius inſpexerit, „ mendum deprehendet. Nam pater Antonii, atque etiam vitricus, Lentulus, qui in conjuratione fuerat Catilinæ, multo ante „ hoc tempus exceſſerant e vita. „ Neque *patruum* legi poteſt. Nam „ C. Antonius, *M.* Antonii patruus, „ damnatus fuerat repetundarum accuſantibus Macedonibus, Coſſ. „ Cæſare & Bibulo, ut ex Cicerone & Suetonio perſpicuum eſt. „ Cicero enim in oratione pro domo ſua ita ſcribit: *Hora fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in judicio, cum „ C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de republica, quæ mihi „ viſa ſunt ad illius miſeri cauſam pertinere. Hæc homines improbi ad quoſdam viros forte longe aliter atque a me „ dicta erant, detulerunt. Hora nona, „ illo ipſo die, tu es adoptatus.* Ex quibus Ciceronis verbis intelligere „ licet, quo die P. Clodius a patribus ad plebem tranſiit, eo die C. „ Antonium cauſam dixiſſe: Clodium vero ad plebem tranſiiſſe „ conſtat ex Suetonio, Cæſare & „ Bibulo Coſſ. Iiſdem igitur Coſſ.

C.

Atque hæc ſunt univerſa, quæ uſquam potuimus reperire magni noſtri Buchanani opera. Quod ſi alia forte nonnulla in obſcuro quodam terrarum angulo ignota deliteſcant, doctorum hominum fidem teſtamur, nullam penes nos eſſe ejus rei culpam, quippe qui per multos annos, quibus hanc Editionem moliebamur, non deſtiterimus, publice privatimque, omnes, quos literarum amor teneret, monere, rogare, flagitare, ut ſi qua Buchanani ſcripta haberent, ea vellent nobis impertiri, ac dias in luminis auras proferre.

Non me latet in Bibliotheca Academica Edimburgi *Commentarios MSS. in Virgilii Bucolica, Georgica, ſeptemque primos Æneidos libros*, qui Buchanani ſe ferunt, aſſervari. Verum cum ii aut pueriles ſint, aut ad puerorum captum quam maxime accommodati, &, ſi Buchanani ſunt, quod necdum audeam pro certo affirmare, ab eo ex tempore fuſi, nullo edendi conſilio, videantur, famæ Buchananææ melius conſultum, ſi publico prohibeantur, putamus.

Habentur etiam in Bibliotheca Juridica, quæ a Buchanano ſcriptæ exiſtimantur, *Conſultationes aliquot de rebus Academiæ Andreapoli-*

,, C. Antonius in exſulium abiit,
,, damnatus repetundarum, neque
,, dum redierat M. Antonio & Do-
,, labella Coſſ. Exprobrat enim Cic.
,, in hac Philippica M. Antonio,
,, quod ceteris ab exſulio revocatis
,, patruum non reſtituiſſet. M. au-
,, tem Anton. præfectus equitum
,, cum Gabinio profectus fuerat in
,, Syriam, e Syria cum Ptolemæo in
,, Alexandriam, ab Alexandria in
,, Galliam ad Cæſarem, e Gallia
,, Romam rediit ad quæſturæ pe-
,, titionem etiam tunc exſulante
,, patruo. Non poteſt igitur, ut
,, ante dixi, pro *patrem*, ſupponi
,, *patruum*. Neque, *ad fratres tuos*,
,, poſſe legi arbitror, ſive quod non
,, tam facilis ſit lapſus ex mutatio-
,, ne tot literarum, ſive quod fra-
,, tres ejus, etiam tunc adoleſcen-
,, tes, & ignoti eſſent, nec nulla
,, re poſtea, niſi flagitiis nobilitati.
,, Itaque, *ad matrem tuam*, legendum
,, cenſeo. Fuit autem ex vicinitate
,, literarum librario facilis peccan-
,, di occaſio. Præterea ſatis conſtat
,, Juliam M. Antonii matrem,
,, matronam illuſtrem, & ſpe-
,, ctatæ probitatis, ad triumvira-
,, lem uſque proſcriptionem vixiſ-
,, ſe, ac L. Cæſarem fratrem ſuum
,, proſcriptum ſervaſſe. Una igitur
,, mutata litera, *matrem tuam*, legen-
,, dum cenſeo.,, Hæc Buchananus.

Si quis tamen propius accedens ad ſcripturam antiquæ, *parentem tuum*, *parentem tuam*, legendum eſſe contendet, non pugnabo. Cum hæc olim anno M. D. LXV. ſcripſiſſem, & Ciceronem eo ipſo tempore edidiſſem, P. Victorius tamen libris var. Lectionum poſterioribus, anno M. D. LXIX. editis, hoc eſt, annis quatuor poſt noſtram primam Ciceronis editionem ſcripſit, cap. XVII. lib. XXXIII. hunc locum eſſe mendoſum, ut vulgo legitur, & fortaſſe legendum eſſe *ad parentem tuam*: quaſi rem aliquam novam, & a nemine excogitatam, immo ne cogitatam quidem, afferens: cum diſſimulare, aut negare non poſſit, meam illam Ciceronis editionem a ſe eſſe viſam. Hæc cujus ſunt hominis? *Lambinus.*] *Hanc Buchanani emendationem ſuffragiis ſuis etiam comprobant P. Manutius, Lal. Biſciola, Nic. Abramus, Jan. Gruterus, & Jo. Geo. Grævius.*

politanæ recte adminiſtrandis, quæ cum non tam ſtudiorum rationem, quam ſtudioſorum victum & corporis cultum reſpiciant, hominum luce & celebritate haud ſatis dignæ videbantur.

Præterea *Thomas Dempſterus* Buchanano tribuit Librum *De rebus geſtis Hiſpanorum ad Dium in India*, quem editum dicit ſuppoſito nomine *Jacobi Tevii*, primum in Hiſpania, tum Romæ. Sed, quod recte Cl. *Sibbaldus* [1] & ante eum *Nic. Antonius* [2] animadverterunt, injuria id facit *Dempſterus*, qui, ſi librum ipſum (quod non videtur) oculis luſtraſſet, tum ex *Jacobi Tevii* Epiſtola nuncupatoria eum librum ſibi vindicantis, tum ex Georgii Buchanani librum librique Auctorem laudantis Epigrammate, Tevium verum ejus ſcriptorem perſpicere poterat.

Affirmat porro celeberrimus *P. Bælius* [3] Buchananum Mariæ Reginæ partibus primum faviſſe, atque pro ea *Apologiam* ſcripſiſſe: additque inſuper ad ejus rei fidem faciendam, eum, qui hæc ſibi narraverat, aſſeveraſſe, ſeſe, cum Reverendiſſimum *G. Sancroftium* Archiepiſcopum Cantuarienſem rogaret, an eam *Apologiam* vidiſſet, ab eo dono accepiſſe. Accuratiſſimo *Bælio* litem non moveo; at hic ejus index, quiſquis demum ille fuerit, hac in re hallucinatus mihi videtur: nam, (ut omittam viros doctos, quos plurimos de *Apologia* illa ſum percontatus, nihil de ea vel fando ſibi auditum retuliſſe,) ante male ominatas ſuas cum Bothuelio nuptias nullius Maria Apologiæ indigebat; poſt eas vero, adverſis ſe partibus Buchananum addixiſſe, & a *Moravio*, ad colloquium Eboracenſe Reginæ accuſandæ cauſa proficiſcente, comitem adſcitum, & ipſe & alii omnes teſtantur.

Denique acta Eruditorum Lipſienſ. [4] &, referente *Placcio*, [5] *Mich. Piccartus*, Buchanano tribuunt ſatis celebrem illum libellum, cui titulus, *Vindiciæ contra Tyrannos*, *ſive de Principis in populum*, *populique in Principem*, *legitima poteſtate*, *Stephano Junio Bruto Auctore.* Falſo utrique, eo, ut videtur, decepti, quod prima ejus libri editio Edimburgi (ſuppoſito loci nomine) impreſſam ſe prodat, anno 1579. deinde quod Buchananus idem argumentum in ſuo *de Regno* Dialogo, eodem vere loco ac tempore primum vulgato, pertractarit. Cæterum hujus libri alii *Philip. Mornajum*, alii *Hub. Languetum*, alii *Franc. Hotomannum*, Auctorem ſtatuunt: quidam *Theod. Bezæ* quidam *Iſ. Caſaubono*, quidam denique *Joan. Crellio* e grege Socinianorum decantatiſſimo eum adſcribunt. [6] Sed hæc hactenus.

Hoc

1 Comment. in vit. G. Buchan. pag. 48.

2 Biblioth. Hiſpan. Tom. I. pag. 246.

3 Diction. Hiſt. & Crit. nomine *Bucanan.*

4 Anno 1684, pag. 22.

5 De Scriptoribus pſeudonymis, Tom. II. pag. 143.

6 Videſis de hac re Diſſertationem *Pet. Bælii* in Addit. ad Diction. Critic. Tom. II. pag. 1286.

Hoc autem loco jus & æquum poſtulat, ut quam fidem publice obſtrictam dedimus, eam nunc liberemus, ut nempe grato animo recolamus eorum beneficia, qui huic editioni ſive ampliandæ ſive ornandæ ſymbolas contulerunt. Inter eos autem primas ſibi facile vindicat ingens togatorum decus, ac ſingulare Muſarum Scoticarum præſidium, D. *David Dalrymplius*, Eques, ac Advocatus Regius diſertiſſimus, qui inſigni ſua comitate & in bonas literas ardore ductus, non e ſua ſolum quam ampliſſimam lectiſſimamque inſtruit Bibliotheca, ſed undecunque quæſitis ſubſidiis, quaſi rem ſuam ſerio ageret, penuriam noſtram ſublevavit; nec ante deſtitit reſidem nonnunquam induſtriam noſtram acuere, promtoque ac ſtrenuo conſilio juvare, quam ad optatam metam res eſſet perducta. Proximus huic nobis commemorandus eſt *Andreas Fletcherius* Saltonii Comarchus, Cato noſtri ſeculi, ac

Virtutis veræ cuſtos, rigiduſque ſatelles,

qui non minor antiquiorum morum, quam literarum cultor, ex locupletiſſimo, quem poſſidet, rariſſimorum librorum penu, haud paucos, eoſque inventu alias difficillimos, benigne nobis ſuppeditavit. Dici autem vix poteſt quantum debeamus Medico incomparabili *Archibaldo Pitcarnio*, qui non ſolum in arte ſua, quam utiliſſimis ſuis inventis mirifice nobilitavit, ſed in omni elegantiore literatura vir maximus, ac Poëta ſoli fere Buchanano ſecundus, nonnulla ejus opera de morte reduxit, plurima male affecta loca ſanitati reſtituit, ac ſingulari quodam favore conatus noſtros fovit & adjutavit. Verum eheu! dum medio fere curſu labor noſter ferebatur, terris ereptum eſt ſalutiferum illud ſidus, muſas Patrono benigniſſimo, nos grandi rerum noſtrarum ſolatio orbatos relinquens. At enim diſcedere præſtat a mœſtiſſimi caſus commemoratione, per quam obductum temporis diuturnitate vulnus recrudeſcit, animique moleſtia non mediocriter renovatur. Huic porro a nobis accenſendi ſunt viri præcipua eruditionis laude florentes, *Joannes Dromundus*, Medicinæ Doctor, *Laurentius Dundaſſius*, Humanarum literarum in Academia Edimburgena Profeſſor, *Jacobus Anderſonus*, Scriba eximius, *Joannes Gillanus*, *Joannes Macdouallus*, *&c.* qui, qua pollent bonarum literarum aut rei antiquariæ peritia, ſi quando nodi aliqui tantis vindicibus digni incidiſſent, ſuam prolixe operam nobis commodarunt: quibus (ſi cœptis noſtris publicus favor aſpirarit) quas noſtræ opis non eſt, eruditorum orbis grates perſolvet.

Poſt tanta autem adjumenta, tot laboris noſtri duces & auſpices, ut pro nobis tandem ipſis loquamur, etſi, quantum ingenio conniti, & præſtare diligentia nobis licuerat, ad eam curam uni-

ce incubuerimus, ut hæc noſtra Editio omnium elimatiſſima, ac ingente Buchanano digna prodiret; non tamen adeo ſumus immemores conditionis humanæ, noſtræque in primis tenuitatis, ut in tam longo, tamque varii argumenti opere, nobis non aliquando ſomnum obrepſiſſe ſperare audeamus. Παροράματα quidem ejuſmodi aliquot, a nobiſmetipſis dum ſchedas revolvimus detecta, hic ſubjiciuntur: alii forſan & plura deprehendent. A te autem, Lector Benevole, ſummopere expetimus, ut hæc aliaque peccata noſtra, quæ nec multa nec gravia futura auguramur, non acerbe nimis exigas, ſed potius, qua vivitur ſorte expenſa, ea homo ipſe homini condones.

GEORGII BUCHANANI
VITA,

Ab ipſo ſcripta biennio ante mortem.

GEORGIUS BUCHANANUS [1] in Levinia Scotiæ provincia natus eſt, ad Blanum amnem, anno ſalu-
1506. tis Chriſtianæ milleſimo quingenteſimo ſexto, circa Ka-
lendas Februarias, in villa ruſtica, [2] familia magis vetuſta, quam opulenta. Patre in juventæ robore ex dolore calculi exſtincto, avoque adhuc vivo decoctore, familia ante tenuis pene ad extremam inopiam eſt redacta.

GEORGII BUCHANANI VITA.]. Brevem hanc vitæ ſuæ expoſitionem aggreſſus videtur Buchananus amicorum ſuaſu, præſertim *Thomæ Randolphi Angli*, qui a Buchanano humanioribus literis eruditus, eum impenſe tota deinceps vita colebat. Exſtat ea de re *Thomæ Randolphi* ad *Petrum Junium* Epiſtola, Kalend. Martiis ſcripta anni 1579, (in noſtra hac Editione XXIII. eam præcipue ob cauſſam inſerta,) qua *Petrum Junium* ad Geo. Buchanani vitam perſcribendam obnixe hortatur, dum *ſcil.* Buchananus, in vivis adhuc agens, multa de ſe rebuſque ſuis memorare poſſet, quæ ipſo exſtincto perpetuis oblivionis tenebris adoperta interirent. His rationibus adductus *P. Junius*, a ſe quidem onus removiſſe, atque compendiariam hanc, quæ præ manibus eſt, Buchanani vitæ deſcriptionem ab ipſo Buchanano, qui omnium optime poſſet, extorſiſſe videtur. Hanc opinionem haud leviter confirmat quod eo ipſo anno, quo hæc *Randolphi* Epiſtola, ſcripta eſt Geo. Buchanani vita, & quidem ante initium Februarii anni 1580, uti ex extremis vitæ ipſius verbis colligitur, quibus ſe 74 annum agere affirmat: circa Kalendas autem Februarii (ad quas ſuos natales refert Buchananus) anno 1580, non jam 74 ætatis annum agebat, ſed compleverat.

1 *Buchananus*] De nominis *Buchanani* origine irrito labore conjectans *Nathan Chytræus* initio Collectaneorum ad ejus Pſalmorum Paraphraſin, edit. Herbornæ 1585, exiſtimat Buchanani majores a *Buchania* Scotiæ regione id nominis traxiſſe: ſed facile fuit viro extero in re ejuſmodi

cta. Matris tamen *Agnetis Heriotæ* diligentia liberi quinque mares & tres
puellæ ad maturam ætatem pervenerunt. Ex iis *Georgium* avunculus *Ja-
cobus Heriotus*, cum in ſcholis patriis ſpem de ingenio ejus concepiſſet,
[3] Lutetiam amandavit [4]. Ibi cum ſtudiis literarum, maxime carminibus 1520.
ſcribendis, operam dediſſet, partim naturæ impulſu, partim neceſſitate
(quod hoc unum ſtudiorum genus adoleſcentiæ proponebatur,) intra
biennium avunculo mortuo, & ipſe gravi morbo correptus, ac undique 1522.
inopia circumventus, [5] redire ad ſuos eſt coactus.

Cum in patria valetudini curandæ prope annum dediſſet, [6] cum auxi- 1523.
liis Gallorum, qui tum in Scotiam appulerant, ſtudio rei militaris co-
gnoſcendæ in caſtra eſt profectus. Sed cum ea expeditione [7] prope inu-
tili, [8] hieme aſperrima per altiſſimas nives reduceretur exercitus, rurſus
in valetudinem adverſam incidit, quæ tota illa hieme lecto affixum te-
nuit. [9] Primo vere ad Fanum Andreæ miſſus eſt, ad [10] *Joannem Majorem* 1524.
au-

modi falli. Non enim a *Buchania* regione, ſed a *Buchanano* prædio ruſtico (*Baroniam* noſtri appellant) in regione Levinia, a *Buchania* longe diverſa, unde (pro more Scotorum cognomina ab agris olim aſſumentium) aliquis e Buchanani majoribus ante multa retro ſecula id ſibi gentilitium adſcivit, a quo recta ſerie oriundus qui non ita pridem *Buchanani* Comarchus, familiæ ſuæ Princeps; quo ſine liberis exſtincto id prædium ſub illuſtriſſimi Ducis *Montiſroſani* ditionem conceſſit.

2 *Familia magis vetuſta*] Domus Buchananæa a longo tempore latifundia quædam in Levinia poſſederat, propagines etiam quaſdam emiſerat, ex una quarum, cui villa de *Drummakill* titulum dederat, ortus eſt Auctor noſter in Parœcia de *Killerne. Sibbald. Not. in Buchan. vit. Spotiſvod. Hiſt. Eccleſ.*

3 *Lutetiam*] In quo Collegio ſeu Schola Pariſiis ſtuduerit non multum referre arbitror: nimis longe petita eſt Cl. D. *Sibbaldi* conjectura, qui eum in Collegio Montis Acuti literis operam dediſſe exiſtimat ex eo verſu *Eleg.* 1.

Curritur ad Montem magno cum murmure Acutum.

ea enim Elegia, diu poſtea ſcripta, non diſcentium, ſed docentium miſerias exponit, quo tempore ipſe in Collegio Barbarano, non vero Montis Acuti, claſſi Grammaticam diſcentium præfuit.

4 *Lutetiam amandavit*] In Galliam primum profectus videtur Buchananus ætatis anno 14, Salutis humanæ 1520, *Vid. quæ mox ſequuntur.*

5 *Redire ad ſuos*] Ex iis quæ mox ſubjiciuntur, colligitur Buchananum in patriam rediiſſe anno 1522, ætatis vero 16; proximo enim anno ſe in caſtra profectum refert, anno *ſcil.* 1523, ut modo oſtendemus.

6 *Cum auxiliis Gallorum*] Auxilia hæc fuere, quæ *Jacobus* Dux Albinus anno 1523 e Gallia attulerat, tria *ſcil.* peditum millia, centumque cataphracti, referente ipſe Buchanano, *lib.* XIV. *pag.* 263. quo tempore annum ætatis agebat decimum octavum; nondum vero compleverat, quod ait D. *Sibbaldus*, qui perperam Joan. Albini in Angliam expeditionem in annum conjicit 1524.

7 *Prope inutili*] Nihil enim memoria dignum ea expeditione actum eſt ob Scotorum, qui Angliam ingredi renuebant, pervicaciam.

8 *Hieme aſperrima*] Reverſus eſt in Scotiam Dux *Albinus* VIII. Kal. Octob. Ad IX. Kal. Novemb. ad limitem Angliæ duxit exercitum. Inde reverſus III. Idus Novemb. primum ad Cœnobium Monacharum (Eccleſiam vocant) pervenit. Inde de tertia vigilia Lauderam profectus, itinere nocturno, propter ſubitum nivis caſum hominibus & jumentis vehementer afflictis. *Vid. Buch. lib.* 14. *cap.* 23. Dura hæc Buchanano noſtro militiæ rudimenta, indeque contracta illa adverſa valetudo, quæ tota illa hieme eum lecto affixum tenuit; ac forte tum primum jacta illa morborum ſemina quibuſcum multis ante obitum annis ſe graviter conflictatum conqueritur.

9 *Primo vere*] Anni *ſcil.* 1524, cum annum ætatis iniſſet 19. Fallitur ergo *Joan. Clericus*, qui eum 18 tantum annum tum ingreſſum affirmat. *Vid. Bibl. Choiſie, Tom.* VIII. *pag.* 109.

10 *Joan. Major.*] Hic eſt *Joan. Major* Hadintonanus, Hiſtoria Scotica ſcriptiſ-

que

audiendum, qui tum ibi Dialecticen, aut verius Sophiſticen, in extrema ſenectute docebat. Hunc in Galliam [11] æſtate proxima ſequutus, in [12] flammam Lutheranæ ſectæ, jam late ſe ſpargentem, incidit: ac bien-
1526. nium fere cum iniquitate fortunæ colluctarus, [13] tandem in Collegium [14] Barbaranum accitus, prope triennium [15] claſſi Grammaticam di-
1529. ſcentium præfuit. Interea cum [16] *Gilbertus* Caſſiliſſæ Comes, adoleſcens nobi-

que Theologicis clarus, quem poſtea Buchananus ſalſo carmine, *Lib.* I. *Epig.* 51. perſtrinxit, multum indignante *Chriſtoph. Irvino*, qui eam ob cauſſam in Buchananum tanquam ingratum & beneficiorum immemorem acerrime invehitur. *Vid.* ejus *Nomencl.* voce *Major.*

11 *Æſtate proxima*] Ejuſdem anni 1524, non vero 1525, uti exiſtimat *D. Sibbaldus.*

12 *Flammam Lutheranæ ſectæ*] h. e. cum *Martini Lutheri*, qui erroribus Pontificiorum paucis ante annis palam renunciaverat, dogmata grandem ſermonibus materiem ſuppeditarent, atque ſecundis multorum auribus Lutetiæ audirentur, in quibus Buchananum noſtrum jam tum fuiſſe haud injuria liceat exiſtimare.

13 *Tandem in Collegium Barbaranum*] Hoc eſt, ut ego quidem cenſeo, anno 1526, cum nondum vigeſimum primum expleſſet ætatis annum.

14 *Barbaranum*] Vulgo *de St. Barbe.*

15 *Claſſi Grammaticam*] Ærumnas, quas tum paſſus eſt, eleganter expreſſit carmine primo Elegiarum, cui titulus eſt, *Quam miſera ſit conditio docentium literas humaniores Lutetiæ*, quod ſic incipit,

Ite leves nugæ, ſterileſque valete Camœnæ,
Grataque Phœbæo Caſtalis unda choro, &c.

Scripta autem videtur hæc Elegia anno 1529, ætatis ſuæ 23, cum, relicto Collegio Barbarano, Comitis Caſſiliſſæ ſtudiis formandis ſe primum applicaret, quod ex poſtremis verbis colligimus,

Ite igitur Muſæ ſteriles, aliumque miniſtrum
Quærite: nos alio ſors animuſque vocat.

16 *Gilbertus Caſſiliſſæ Comes*] Hic filius erat *Gilberti Kennedi* Comitis Caſſiliſſæ, *Jacobi Hamiltonii* nothi & *Hugonis Cambelli*, præfecti Juridici Aerenſis inſidiis occiſi anno 1527, de quo *Buchan. lib.* XIV. *cap.* 30. Cui eleganti Epitaphio parentavit *lib.* II. *Epig.* 19.

Hic ſitus eſt heros humili Gilbertus in urna
Kennedus, antiquæ nobilitatis honos. &c.

Joan. Clericus, *Vit. Buchan. p.* 111. hoc carmen *Gilberto* ejus filio, de quo modo loquitur, conditum exiſtimat: at Epigramma ipſum repugnat; ait enim,

Occidit inſidiis fallaci exceptus ab hoſte,
Bis tria poſt vitæ luſtra peracta ſuæ.

Quorum neutrum de hoc *Gilberto* Buchanani patrono verum eſt; illum enim Diepæ ſuum diem clauſiſſe 28 Octob. 1558, & quidem *non ſine ſuſpicione veneni*, inquit *Buchananus*, *lib.* XVI. *cap.* 17. Aliud autem eſt veneno tolli, aliud inſidiis a fallaci hoſte occidi. Deinde, ait eum 30 annos natum occubuiſſe; hic autem *Gilbertus* quadragenario major exſtinctus videtur: anno 1527, quo pater interfectus eſt, licet impubes, ea tamen erat ætate, ut ſuam familiæque ſalutem *Archibaldo Duglaſſio* Quæſtori Regio, ad quem confugerat, commendare poſſet; neutiquam facere potuiſſet, ſi eo anno, quo pater eſt interfectus, ipſe eſſet natus: quod tamen oportuit, ſi anno 1558, quo fatis conceſſit, bis tria tantum vitæ luſtra peregiſſet. Huc adde, quod Lutetiam profectus, atque ibi Buchanani ingenio & conſuetudine oblectatus anno 1529, ut ſupra oſtendimus; quæ omnia eum tum adoleſcentem, ac 12 minimum ætatis annum ſupergreſſum commonſtrant.

Nec minus hallucinatur *Geo. Crafordius*, qui hoc Buchanani Epitaphium hujus *Gilberti* filio ivit aſſertum. Nuſquam enim vel apud *Crafordium* ipſum, vel alium quemvis rei Scoticæ ſcriptorem, eum vel inſidiis petitum, vel acerbo vulnere exſtinctum legimus: neque fieri poteſt, ut qui, ipſo referente, inter Mariæ Reginæ Conſiliarios cooptatus eſt anno 1562, fatoque functus anno 1576, non plures quam 30 annos vixerit; niſi velimus exiſtimare 16 annorum adoleſcentem, necdum ſuarum rerum ſatis compotem, idoneum qui de arduis regni negotiis in conſilium adhiberetur.

nobilis, in ea vicinia diverſaretur, atque ingenio & conſuetudine ejus oblectaretur, [17] eum quinquennium ſecum retinuit, atque [18] in Scotiam una reduxit.

Inde cum in Galliam ad priſtina ſtudia redire cogitaret, a Rege eſt retentus, ac [19] *Jacobo* filio notho erudiendo præpoſitus. [20] Interea pervenit ad Franciſcanos [21] Elegidion per otium ab eo fuſum, in quo ſe ſcribit per ſomnium a D. Franciſco ſollicitari, ut ejus ordini ſe adjungat. In eo cum [22] unum aut alterum verbum liberius in eos emiſſum eſſet, tulerunt id homines, manſuetudinem profeſſi, aliquanto aſperius, quam patres, tam vulgi opinione pios, [23] ob leviculam culpam decere videbatur: & cum non ſatis juſtas iræ ſuæ immodicæ cauſſas invenirent, ad commune religionis crimen, quod omnibus, quibus male propitii erant, intentabant, decurrunt: & dum impotentiæ ſuæ indulgent, illum ſponte ſua ſacerdotum licentiæ infenſum acrius incendunt, & Lutheranæ cauſſæ minus iniquum reddunt. 1534

[24] In-

17 *Eum quinquennium ſecum retinuit*] Pariſiis *ſcil.* ab anno (ut videtur) 1529 ad annum 1534, quo eum in patriam ſecum reduxit. Hoc tempore *Linacri* Rudimenta e vernaculo Anglorum ſermone in Latinum vertit; an vero id factum anno ſecundo quo Comitis Caſſiliſſæ ſtudiis regendis eſt admotus (quod exiſtimat Cl. *Sibbaldus*,) nondum mihi liquido conſtat. Dicit quidem Epiſtolæ nuncupatoriæ initio, ſe *ſuperiore anno Linacri Rudimenta Comiti Caſſiliſſæ prælegiſſe*; protinus tamen ſubjicit, id *curſim & memoriæ confirmandæ cauſſa* feciſſe, quod alio quovis æque ac primo anno fieri potetat. Ego potius exiſtimaverim hanc verſionem abſolutam demum fuiſſe anno 1532, adeoque anno quarto quo Caſſiliſſio eſt Tutor adhibitus, ætatiſque ſuæ 27; prima enim ejus Editio prodiit Pariſ. anno inſequente 1533, ut ex *Ant. Vodii Athen. Oxon.* aliiſque cognoſcimus. Utut ſe habeat hæc res, id certum eſt ex omnibus Buchanani operibus, hoc primum typis fuiſſe evulgatum, etſi Poëmata quædam antea ab eo ſcripta, præſertim Elegiam primam, admodum ſit veriſimile.

18 *In Scotiam una reduxit*] Hunc ſecundum Buchanani in patriam reditum ad annum C. N. 1536, refert Cl. *Sibbaldus*: rectius *Joan. Clericus*, qui annorum ab ipſo Buchanano notatorum ſeriem ſecutus, eum in patriam cum Comite Caſſiliſſæ reverſum ſcribit anno 1534. Id vero confirmat ipſe Buchananus, Epiſtola ad *Jacobum* Moraviæ Comitem, Franciſcano præmiſſa, ſcripta Nonis Juniis 1564, cujus primo ſtatim initio hæc verba occurrunt, *Ante annos fere triginta cum ruri apud Comitem Caſſiliſſæ eſſem*, &c. id eſt, ratione rite ſubducta, anno 1534, inter quem & 1564 triginta anni intercedunt.

19 *Jacobo filio notho*] Is eſt *Jacobus Stuartus* primum Fani Andreæ Prior, deinde Moraviæ Comes a Maria Regina creatus, qua regno expulſa Prorex eſt conſtitutus, ingens Buchanani Patronus; cujus ſtudio abreptum indigna multa de Maria ejuſque fautoribus in Hiſtoria ſua ſcripſiſſe paſſim conqueruntur, quotquot genuinos ſinceroſque illorum temporum Annales deſiderant.

20 *Interea pervenit*] i. e. cum primum *Jacobo* notho erudiendo eſt præpoſitus, & forte prius, quam a Comite Caſſiliſſæ diſceſſerat; ſuperius enim memorata epiſtola hanc Elegiam ab eo ſcriptam affirmat cum apud Comitem Caſſiliſſæ eſſet.

21 *Elegidion*] Cui *Somnium* nomen dedit, in ea Carminum farragine *Fratrum Fraterrimorum* titulo appellata, *Carm.* 34. quod ſic incipit,

Mane ſub auroram nitidæ vicinia lucis
Pallida venturo cum facit aſtra die.

22 *Unum aut alterum verbum*] qualia ſunt hæc,

Qui feret hanc, ponat perfricta fronte pudorem.

Et,

Qui feret hanc, fallat, palpet, pro tempore fingat.

Et,

Pervia ſed raris ſunt cœli regna cucullis,
Vix Monachis illic creditur eſſe locus,

23 *Ob leviculam culpam*] Eadem fere

 dicit

1537. [24] Interea Rex e Gallia cum *Magdalena* uxore venit, nec ſine metu ſacrificulorum, qui timebant ne puella Regia, ſub amitæ Reginæ Navarræ diſciplina educata, nonnihil in religione mutaret. Sed hic timor brevi ſecuto [25] ejus deceſſu evanuit. Subſecutæ ſunt in Aula ſuſpiciones [26] adverſus quoſdam e Nobilitate, qui contra Regem conjuraſſe dicebantur. In ea cauſſa cum Regi fuiſſet perſuaſum, non ſatis ſincere verſatos Franciſcanos, Rex Buchananum, forte tum in Aula agentem, ad ſe advocat, & [27] ignarus offenſionis, quæ ei cum Franciſcanis eſſet, jubet adverſus eos carmen ſcribere. Ille utroſque juxta [28] metuens offendere, carmen quidem ſcripſit, & breve, & quod [29] ambiguam interpretationem ſuſciperet. Sed nec Regi ſatisfecit, qui acre & aculeatum poſcebat; & illis capitale viſum eſt, quenquam ipſos, niſi honorifice, auſum attingere. Igitur acrius in eos juſſus ſcribere, eam Silvam, quæ nunc ſub titulo
1539. [30] FRANCISCANI eſt edita, inchoatam Regi tradidit. At brevi poſt per amicos ex Aula certior factus ſe peti, & Cardinalem *Betonium* a Rege pecunia vitam ejus mercari, [31] eluſis coſtodibus [32] in Angliam contendit.

Sed

dicit prius memorata Epiſtola, quam vide.

24 *Interea Rex*] *Balius* in ſuo *Dictionario Critico* cauſſatur Buchananum raro admodum annos diſtinguere; *Magdalena* enim Galla Jacobi V. uxor in Scotiam venit 28 Maji anni 1537. *Vid. Hiſt. lib.* XIV. *cap.* 52.

25 *Ejus deceſſu*] Qui accidit 7 Julii eodem anno. Ibid. Ejus autem acerbam mortem tribus elegantiſſimis carminibus proſequitur, initio *Epigg. lib.* II.

26 *Adverſus quoſdam e Nobilitate*] In ea, cujus ſupra meminimus, Epiſtola, unum hominem nobilem conjurationis in Regem poſtulatum Buchananus indigitat, in qua cauſſa Franciſcanos ſe parum ſincere geſſiſſe Regi erat perſuaſum. Is autem homo nobilis videtur fuiſſe *Joan. Forboſius*, *Alexandri Forboſiæ* Reguli filius & hæres, qui 13 Julii ejuſdem anni damnatus capite luit. Ait autem illa Epiſtola ſe paullo ante illud judicium Regis filio inſtituendo præfectum, unde, & ex ejuſdem initio, colligere licet, eum poſt reditum in patriam anno 1534 apud Comitem Caſſiliſſæ annum unum & alterum manſiſſe, prius quam Jacobo notho erudiendo eſſet admotus.

27 *Ignarus offenſionis*] Hic memorla lapſus videtur Buchananus, illa enim Epiſtola plane contrarium affirmans, ---- *Sed quod*, inquit, *me opinor ſtimulis privati doloris incitatum, acriorem injuriæ publicæ fore vindicem ſperaret*, &c.

28 *Metuens offendere*] Hæc in omnibus cum prædicta illa Epiſtola conſentiunt.

29 *Ambiguam interpretationem*] Illud carmen innuit quod Palinodiam vocat, *Frat. Fraterr. ult.*

30 *FRANCISCANI*] Hanc adverſus Franciſcanos Satyram tum iniquitate temporum intermiſſam, diu poſt retractatam & abſolutam ipſe teſtatur Epiſt. prædicta.

31 *Eluſis cuſtodibus*] Diu multumque diſputat *Balius*, an Buchananus in cuſtodiam incluſus, an obſervatores tantum adhibiti, qui facta dictaque ejus ſpecularentur: ſed hanc controverſiam ipſe diſcutit *Hiſt. lib.* XIV. *cap.* 55. *Initio*, inquit, *anni proximi, qui fuit* 1539, *Lutheraniſmi ſuſpecti complures capti ſunt: ſub finem Februarii quinque cremati: novem recantarunt: complures exilio damnati. In his fuit Georgius Buchananus, qui, ſopitis cuſtodibus, per cubiculi feneſtram evaſerat.*

32 *In Angliam contendit*] Ineunte Martio anni 1539. *Thomas Randolphus Epiſtola* XXIII. prædicta, qua *Petrum Junium* ad Buchanani vitam perſcribendam ſollicitat, inter alia memorari cupit, quo pacto hominum in regnorum limite latrocinia exercentium manus, peſtemque in Anglia Boreali tum graſſantem intactus Buchananus effugerit, quomodo denique apud clariſſimum Equitem *Joan. Ransfortum* aliquamdiu delituerit, cujus benignitate a Papanorum furore eſt ſervatus. De quibus tamen omnibus nihil a Buchanano in vita ſua ſcriptum. *Ransforti* quidem munificentiam alibi deprædicat elegantiſſimo illo carmine *Lib.* II. *Epig.* 24.

Hunc;

Sed ibi tum omnia adeo erant incerta, ut eodem die ac eodem igne utriuſque factionis homines cremarentur, [33] *Henrico* VIII. jam ſeniore ſuæ magis ſecuritati, quam religionis puritati intento. Hæc rerum Anglicarum incertitudo, & vetus cum Gallis conſuetudo, & ſumma gentis humanitas, Buchananum ad ſe traxerunt. [34] Ut Lutetiam venit, Cardinalem *Betonium* peſſime erga ſe animatum ibi legatione fungi comperit.
Itaque ejus iræ ſe ſubtraxit, Burdegalam, invitante *Andrea Goveano*, 1539.
profectus.

Ibi in ſcholis, quæ tum ſumtu publico erigebantur, triennium docuit: quo tempore ſcripſit quatuor Tragœdias, quæ poſtea per occaſiones fuerunt evulgatæ. Sed quæ prima omnium fuerat conſcripta (cui nomen eſt *Baptiſta*) [35] ultima fuit edita, ac deinde [36] *Medea* Euripidis. Eas enim, ut conſuetudini ſcholæ ſatisfaceret, quæ per [37] annos ſingulos ſingulas poſcebat fabulas, conſcripſerat: ut earum actione juventutem ab Allegoriis, quibus tum Gallia vehementer ſe oblectabat, ad imitationem veterum, qua poſſet, retraheret. Id cum ei prope ultra ſpem ſucceſſiſſet, [38] reliquas *Jephthen* & *Alceſtin* paullo diligentius, tanquam lucem & ho-

Hunc, Ramſforte, tuo cineri Buchananus honorem
Dat meritum, duro cultus in exilio, &c.

33 *Henrico* VIII. *jam ſeniore*] Henricus VIII. tum annum ætatis agebat 48.

34 *Ut Lutetiam*] Parvam in Anglia moram traxiſſe videtur Buchananus, hoc enim ipſo anno primum Lutetiam profectus, deinde ab *Andrea Goveano* Burdegalam invitatus, inter Scholarum tum ibi publico ſumtu erectarum magiſtros ante Kalendas ad ſummum Decembres eſt cooptatus; eo enim die, juxta Menagium *Anti-Baillet*, *Tom.* I. *p.* 328. anno 1539, Carolo V. Imperatori publico hoſpitio tum Burdegalæ ſuſcepto nomine Scholæ Burdegalenſis carmen illud obtulit *Silv.* 1. quod ſic incipit,

Vaſconidis regnator aquæ, generoſe Garumna, &c.

Carolus autem V. die D. Andreæ ſacro (i. e. 30. Nov. 1539.) Aurei Velleris (ordinis Equeſtris a ſe inſtituti) feſtum Burdegalæ celebravit, teſtante Mezerajo *Vol.* II. *p.* 1007.

35 *Ultima fuit edita*] Anno *ſcil.* 1576, quo eam *Jacobo* VI. dicavit.

36 *Deinde Medea Euripidis*] Ex his verbis colligit *Joan. Clericus*, *p.* 119. *ubi ſupra*, *Medeam* omnium ultimam typis evulgatam fuiſſe: atque id quidem præ ſe ferre Buchanani verba videntur: quæ tamen alio ego ſenſu accipienda exiſtimo, & vocem *deinde* non ad ejus editionem, ſed ad ſcriptionem referendam. Primo enim ait *Baptiſtam* ultimam omnium fuiſſe editam, adeoque nullam ea poſteriorem. Deinde novimus *Medeam* fuiſſe editam Baſileæ anno 1568, cui Editioni in fine ſubjuncta ſunt hæc, ACTA FUIT BURDEGALÆ ANNO 1543, unde non immerito conjicere liceat eam tum Burdegalæ atque omnium primam fuiſſe impreſſam. Id quod ipſe diſertis verbis confirmat, *Epiſt.* XXVII. *Medeam*, inquit, *non hoc ſcripſeram, ut ederetur, ----- ſed amicis importune flagitantibus edidi, cum Latinas literas Burdegalæ docerem, ac fabulam ſingulis annis pueris agendam dare cogerer.* Ad *Baptiſtam* vero quod attinet, nullam ejus editionem Edinburgenſi anno 1578, reperio priorem. Ea quidem *Jacobo* VI. dicata eſt anno 1576, atque forte tum primum typis vulgata; ejus vero Editionis, ſi qua fuerat, nullum ad conſpectum noſtrum pervenit exemplar. Neque vero credibile eſt, cum Buchanani carmina a viris undique doctis tam avide expeterentur, ejus temporis Typographos, qui Jephthen ſæpius antea ediderant, *Baptiſten* ejus fuiſſe omiſſuros. *Vid. Catalogum variarum ejus operum Editionum.*

37 *Per annos ſingulos*] Cum igitur quatuor fabulas ediderit Buchananus, quarum una unoquoque anno ageretur, videri poterit, cum paullo ultra triennium Burdegalæ docuiſſe, aut earum poſtremam poſt ejus diſceſſum fuiſſe actam.

38 *Reliquas Jephthen & Alceſtin*] Nullam adhuc *Jephthæ* editionem vidi prio-
rem

hominum conſpectum laturas, elaboravit. Sed nec id temporis omnino ei fuit expers ſollicitudinis, inter Cardinalis & Franciſcanorum minas. Cardinalis etiam de eo comprehendendo ad Archiepiſcopum Burdegalenſem literas miſit: ſed eas forte fortuna Buchanani amantiſſimis dederat. Sed hunc metum 39 Regis Scotorum mors, & peſtis per Aquitaniam ſæviſſime graſſata ſedavit.

40 Interea literæ a Rege Luſitaniæ ſupervenerunt, quæ *Goveanum* juberent,

rem illa, quæ apud *Hen. & Rob. Stephanos* prodierat, Pſalmorum Paraphraſi adjecta anno 1566. *Alceſtidos* autem apud *Michaëlem Vaſcoſanum* anno 1557 impreſſæ mihi copia facta eſt ex inſtructiſſima Academiæ Edinburgenæ Bibliotheca, cui in fronte præmiſſum eſt *Henrici* II. Francorum Regis privilegium, VII. Idus Feb. 1553, quod deinde ſequuntur hæc verba; *Impreſſum Lutetiæ menſe Decembri* 1556: atque hæc forte prima ejus editio. Quo autem tempore *Jephthes* primum prodierit, mihi nondum liquido conſtat; cæterum eam ante Alceſtidem in lucem emiſſam a veriſimili non abhorret.

39 *Regis Scotorum mors*] Quæ contigit menſe Decembri anni 1542.

40 *Interea*] *D. Bælius* Buchananum & merito increpat, quod dum elegantiæ ſermonis nimium ſtudet, temporum ſeriem accurate non diſtinxerit: quo enim anno ſcriptæ ſunt hæ ab Joanne III. Luſitaniæ Rege ad *Andream Goveanum* literæ nuſquam legimus. Multa ſunt, quæ fidem facere videntur, eas non fuiſſe ſcriptas anno 1542, adeoque non eo anno, quo mortuus eſt *Jacobus* V. Scotorum Rex, quo & Buchananus Scholæ Burdegalenſi valedixiſſe ſe refert, cum triennium tantum in ea docuerit; illud vero in primis, quod, ſi Chronico Burdegalenſi credimus, *Andreas Goveanus*, tum Scholæ Burdegalenſis Rector, in Luſitaniam profectus eſt anno demum 1547. Neque enim credibile eſt *And. Goveanum*, ſi modo literas ab Luſitano anno 1542, aut 1543, accepiſſet, ejus ſpem quatuor aut quinque annos fruſtraturum, aut Regem ipſum, *Goveano* tam longas moras nectente, non idoneos Conimbricenſi a ſe nuper redintegratæ Academiæ magiſtros aliunde arceſſiturum. Huic accedit non leve documentum Buchanani Elegia IV. ad *Ptolemæum Luxium*, *Taſtæum* & *Jacobum Tevium*, cum articulari morbo laboraret 1544, quo tempore eum tum Pariſiis fuiſſe, quod & Cl. *Bælius* diſertim affirmat, vero admodum eſſe ſimile poſtea oſtendemus, adeoque non protinus poſt depoſitam Scholæ Burdegalenſis curam cum *Goveano* Luſitaniam petiiſſe. Idem quoque confirmare videtur *Thuanus*, qui *lib.* 17. ſub finem, de *Joan. Gelida* ſcribens, *eum* ait *e Cardinalitia Schola, quæ Pariſiis eſt, evocatum, Ludo Aquitanico præfuiſſe, Andrea Goveano Gymnaſiarcha interea ad Joannem Luſitanorum Regem in patriam profecto, ut Conimbricæ ludum aperiret. Sed cum Goveanus intra biennium, quo Burdegalam redire conſtituerat, fato conceſſiſſet, Joan. Gelidam in precaria ludi præfectura, quam per Goveani abſentiam veluti quod ſe depoſitam ſumma cum cura adminiſtraverat, a Senatu populoque Burdegalenſi fuiſſe confirmatum, eamque pari laude totum ſeptennium tenuiſſe, ac tandem XI. Kal. Martiis anni* 1557 *deceſſiſſe*: Quæ omnia cum Chronico Burdegalenſi conſentiunt. Cum enim *Joannes Gelida*, partim ſuo, partim *Goveani* nomine Ludum Burdegalenſem novem annos adminiſtraverit, ad initium uſque anni 1557, palam eſt *Goveanum* non ante annum 1547, in Luſitaniam profectum. Idem quoque elici poteſt ex *Julii Scaligeri* Epiſtola XL. ad *Andream Goveanum*, Gymnaſiarcham Burdegalenſem, qua filium ſuum natu maximum (is erat magnus ille * *Joſephus Scaliger*) ei in diſciplinam tradit. Nullum quidem tem-

* Error eſt manifeſtus: *Sylvius* enim major natu fuit, quem in illa Epiſtola commendat *Goveano*: hoc facile apparebit legenti *Mauſſaci* præfationem in Ariſtotelem de Animalibus. Ipſe *J. C. Scaliger*, in præfatione ad libros de re poëtica, hortatur *Sylvium*, ut fratribus exemplo ſit, quemadmodum ipſe fuerat *Sylvio*: & *Joſephus* in vita Patris, dicit ſe decimum ex quindecim partum fuiſſe, & *Audectum* etiam quinquennio ante ſe natum memorat; *Sylvium* vero, natu omnium maximum, ſe decem annis majorem fuiſſe pag. 49. Epiſtol. Edit. Lugd. 1627.

Deni-

berent, ut homines Græcis & Latinis literis eruditos ſecum adduceret, qui 1546

temporis indicium Epiſtolæ eſt adjunctum; ſcripta autem videtur anno 1546 aut 1547. Natus enim omnium ſuffragio *Joſephus Scaliger* pridie Kal. Auguſti anno 1540. Significat autem tanto filio digniſſimus pater ſe eum paullo tardius quam oportebat ad *Goveanum* miſiſſe, his verbis, *Ac quanquam ejus indoles maturius me acuere debuit, atque ipſius commodis proſpicere; tanta tamen horum eſt acerbitas temporum, ut multum me diuque ſuſpenſum animi habuerit; cum equidem illum mallem inter operas trivialium marceſcere, quam ire perditum ſeſe, atque ætatem ſuam, per eorum inſolentiam ac pravitatem, quorum ipſum & voluiſſem & ſperaſſem futurum aliquando caſtigatorem. Et erat valetudine paullo minus ſecunda*, &c. Unde non abſurde colligitur *Joſephum Scaligerum* puerum ſeptennem, aut minimum ſexennem tum fuiſſe. A vero autem non parum decrrat *P. Freherus*, qui eum anno ætatis 11 Burdegalam primum a patre miſſum, i. e. anno 1551, *Goveanus* enim tres plus minus antea annos diem ſuum obierat. Quod, atque adeo rem omnem, extra dubium ponit *Bibliotheca Hiſpanica*, quæ *And. Goveanum* anno 1548 mortuum eſſe tradit. Et ſane non longum ſpatium a ſuſcepto hoc itinere ad *Goveani* mortem decurriſſe haud obſcure innuit ipſe Buchananus his verbis; *Et principio quidem res præclare ſucceſſit, donec in medio velut curſu Andreas Goveanus morte, ipſi quidem non immatura, comitibus ejus acerba, præreptus eſt.* Sed hic difficilis occurrit quæſtio, quid nimirum interea Buchananus rerum ageret: neque enim veriſimile eſſe, ut totum vitæ ſuæ quinquennium ſilentio præteriret. Cui quæſtioni reſpondeo 1. In compendiaria hac vitæ ſuæ deſcriptione non juſtam atque per ſingulos annos deductam narrationem exhibere, ſed ſumma tantum rerum faſtigia ſequi voluiſſe Buchananum, adeoque multa levioris momenti intacta tranſiliiſſe. 2. Si locus conjecturæ eſſet, cum Cl. *Sibbaldo* exiſtimaverim, eum poſt relictam Scholam Burdegalenſem, quam forte peſtis ea regione graſſata tum diſſipaverat, alicubi in Aquitania per aliquod tempus hæſiſſe. Neque prorſus incredibile eſt, eum apud virum aliquem nobilem Pædagogi vices aliquamdiu ſuſtinuiſſe. Nam circa hoc tempus *Michaël Montanus lib.* I *Tentamine* 25, ſe inter alios Georgium Buchananum Præceptorem domeſticum habuiſſe gloriatur; quod inter annum 1542 & 1544 eveniſſe eſt veriſimile, quo tempore *Montanus* decimum undecimumve ætatis annum agebat, utpote natus, referente *Morerio*, anno 1533. Idem quoque *Montanus* (ut hoc quoque obiter adjiciam) *Tentam. eod.* ſe ait tam promtum facilemque Latine loquendi morem a cunabulis fere acquiſiviſſe, ut Buchananus & *Muretus* cum eo Latine colloqui ſe tum veritos ſibi crebro affirmarint: additque, Buchananum a ſe diu poſtea viſum retuliſſe, ſibi tam ſingulari exemplo permoto propoſitum fuiſſe librum edere de pueris eodem ritu inſtituendis. *Et paullo poſt*, ſe ait, cum tredecim annorum eſſet, perſonas egiſſe, cum Buchanani Tragœdiæ Burdegalæ repræſentarentur, (hoc eſt, ut ego colligo, circa annum 1546,) quas eam ob cauſſam ſæpius repræſentatas fuiſſe oportet. Sed ut ad rem redeam, tacente licet in vita ſua ipſo Buchanano, anno 1544 Pariſiis fuit, quo tempore ſcripta eſt (ut antea diximus) Elegia IV. ad *Ptolemæum Luxium Taſtæum*, & *Jacobum Tevium*, cum morbo articulari laboraret; in ea enim meminit quam officioſe humaniterque tum haberetur a *Carolo Stephano* & *Joanne Gelida*, quorum alterum eo tempore medicinam Pariſiis feciſſe, alterum ibidem in Schola Cardinalitia docuiſſe novimus. Sed hæc res paullo altius repetenda eſt. *Morerius* in *Lexico* ſuo *Hiſtorico*, & *Menagius Anti-Baillet Tom.* I. *p.* 328. narrant *Turnebum*, Buchananum & *Muretum* uno ſimul

Denique quis crederet puerum ſexennem miſſum ad ludos Burdegalenſes, cum *Sylvius* decem annis major, ea ætate eſſet, quæ committi commode poſſet diſciplinæ *Goveani*, & quem, niſi aſperitas temporum prohibuiſſet, maturius, id eſt, annis tribus quatuorve prius, miſiſſet, quod de ſexenni puero ridiculum foret. Neque errat *Paulus Freherus*, qui *Joſephum* XI. ætatis anno Burdegalam a patre miſſum tradit. hoc enim ipſe *Scaliger* p. 50. de ſe adfirmat; ſed *Goveanum* habuiſſe magiſtrum non dicit, habuit ergo alios.

qui in [41] Scholis, quas ille tum magna cura & impenſis moliebatur, literas

ſimul tempore Collegium Pariſienſe Cardinalitium (vulgo *du Cardinal du Moine*) rexiſſe. Addit porro *Menagius*, *Petrum Burbonium* (cujus fidei in rebus iſtiuſmodi multum tribuit) idem ſibi retuliſſe, tres *ſcil.* illos heroas uni Scholæ ſimul præfectos, quibus ſingulis ſingulæ mundi partes feliciter obtigiſſent. Diu multumque ſe torquent viri hi eruditi, quo potiſſimum tempore id potuerit evenire. Et *Menagius*, Quidam, inquit, eos non Cardinalitio, ſed Barbarano Collegio præfuiſſe volunt. Buchananum certe illic docuiſſe ejus vita ſuperius oſtendit; de *Turnebo* idem teſtatur *Admonitio Audomari Talæi*; an vero eodem tempore necdum novimus. At quo minus Buchananus ea in Schola collegam habuerit *Muretum*, *Mureti* ætas plane repugnat. Buchananus enim, ipſo teſte, triennium tantum ei Scholæ præfuit, ab anno, uti ſupra notavimus, 1526 (quo juxta *Menagium* alioſque natus eſt *Muretus*) ad 1529, cum *Muretus* vixdum quatuor, nedum ſex aut ſeptem (quod *Menagius* exiſtimat) annos haberet. Ab anno vero 1529 uſque ad 1543, Buchananum nulli Scholæ Pariſienſi præfuiſſe, ex ipſius vita liquido conſtat. Ex eo enim tempore quinquennium apud Comitem Caſſiliſſæ moratus, cum eo in patriam reverſus eſt anno 1534, nec Scotia uſquam egreſſus ante annum 1539, cujus fere initio ob religionem exulans in Anglia aliquamdiu delituit: nec multo poſt Lutetiam profectus, compertoque Cardinalem *Betonium* ibi tum legatione fungi, ejus iram metuens protinus, invitante *Goveano*, Burdegalam ſe recepit, atque inter ejus Scholæ magiſtros allectus, eo ipſo anno 1539, Carolo V. Imp. tum publico hoſpitio Burdegalæ ſuſcepto carmen obtulit nomine ejuſdem Scholæ, cui deinde triennium, i. e. ad finem anni 1542, aut potius initium 1543, docendæ vacavit. Aliquo igitur tempore inter hunc annum 1542 vel 1543, & annum 1547, quo cum *Goveano* Luſitaniam eſt profectus, (ſi modo unquam) Collegas habuit in Schola Cardinalitia *Turnebum* & *Muretum*; & quidem *Menagius* annum eligit 1544. Eo certe tempore Lutetiæ fuit, uti ſupra indicavimus, prædictaque illa Elegia *Joan. Gelidam* ſodalem vocat, his verſibus,

> *Cæteraque ut ceſſent, Gelidæ pia cura ſodalis*
> *Et patris & patriæ ſuſtinet uſque vicem.*

Ita enim legendum, non *Cæteraque ut ceſſent gelide*, quod plurimis editionibus irrepſit, non tamen omnibus, quod *Menagius* affirmat; in *Editt.* enim *Rob. Stephani* anno 1567, *Hen. Stephani* 1569 & *Mam. Patiſſonii* 1579, recte legitur. *Joannem* autem *Gelidam* in Schola Cardinalitia circa hoc tempus docuiſſe teſtatur *Thuanus*, *ubi ſupra*, indeque evocatum anno 1547, (non 1546 quod ait *Menagius*) ut *And. Goveani* Collegii Burdegalenſis Gymnaſiarchæ, qui tum iter in Luſitaniam adornabat, vices ſuppleret, uti ſupra ex Chron. Burdegal. & eodem THUANO monſtravimus. *Turnebum* autem tum Pariſiis fuiſſe teſtatur eadem Elegia Buchananus,

> *Turnebus, Aonii rariſſima gloria cœtus.*
> *Officiis vacuum non ſinit ire diem.*

Hoc igitur anno 1544, ſi unquam, uti recte *Menagius* colligere videtur, in Schola Cardinalitia hi literarum triumviri plane incomparabiles, *Turnebus*, *Buchananus* & *Muretus*, ſimul docuere; quibus quartus addatur neceſſe eſt *Joan. Gelida*, vir, licet hiſce inferior, doctiſſimus; quos idcirco hoc ordine collocat *Menagius*, ut primæ partes *Turnebo*, ſecundæ *Gelidæ*, tertiæ *Buchanano* noſtro, quartæ denique *Mureto* ſint demandatæ. Sed hic mirari ſubit, cur altum de hac re apud Buchananum ſilentium, præſertim quum Schola Cardinalitia (ſi *Menagio* credamus) Scholâ Barbaranâ (in qua ſe docuiſſe refert) ut multo honoratior, ita lucri feracior exſtiterit. Et ſane haud ſcio, quî alias hoc Buchanani ſilentium excuſari poſſit, quam ut dicamus, eum parvo tempore huic Scholæ præfuiſſe, & forte vicariam tantum operam alicui ex ejus Magiſtris tum abſenti commodaſſe. Neque enim credibile eſt, (ſi unus ex primariis ejus Magiſtris ab iis quorum jus erat conſtitutus fuiſſet) Buchananum eam relinquere voluiſſe, ut poſtea in Luſitaniam peregrinaretur. Cæterum, ut libere dicam quid ſentiam, toto hoc quadriennio & amplius, quod inter annum 1542, (aut 1543) & 1547 interceſſit, Buchananum exiſtimo rerum ſuarum incer-

ras humaniores & Philoſophiæ Ariſtotelicæ rudimenta interpretarentur. Ea de re conventus Buchananus facile eſt aſſenſus. Nam cum totam jam Europam bellis domeſticis & externis, aut jam flagrantem, aut mox conflagraturam videret, illum unum videbat angulum a tumultibus liberum futurum, & in eo cœtu qui eam profectionem ſuſceperant, non tam peregrinari, quam inter propinquos & familiares agere exiſtimaretur. Erant enim plerique per multos annos ſumma benevolentia conjuncti, ut qui ex ſuis monumentis orbi claruerunt, *Nicolaus Gruchius*, *Gulielmus Garentæus*, *Jacobus Tevius* & *Elias Vinetus*. Itaque non ſolum ſe comitem libenter de- 1547.
dit, ſed & [42] *Patricio* fratri perſuaſit, ut ſe tam præclaro cœtui conjungeret.

certum nullo in loco diu conſtitiſſe, ſed huc illuc Galliam pervagatum, doctorum virorum, quibus (ſi unquam alias) ea tum florebat, colloquia captantem; interim etiam per intervalla apud virum aliquem nobilem, quod antea innuebam, hæſiſſe, aut amicis in Schola aliqua docenda auxilia ſubminiſtraſſe. Quæ omnia cum levioris momenti viſa eſſent, ea intacta penitus tranſiliiſſe, quippe cui non juſtam rerum ſuarum hiſtoriam exhibere, ſed ſumma tantum capita ſequi propoſitum fuiſſet. Cæterum Lutetiam ab eo relictam anno ſaltem 1545, nec poſtea conſpectam ad annum uſque 1553, oſtendit *Silva* III. cui titulus eſt *Deſiderium Lutetiæ*. Ejus enim initio ſe Lutetia, quam paſtorali more Amaryllida vocat, ſeptem annis abfuiſſe teſtatur, ita canens,

O formoſa Amarylli, tuo jam ſeptima bruma
Me procul aſpectu, jam ſeptima detinet æſtas:
Sed neque ſeptima bruma nivalibus horrida nimbis,
Septima nec rapidis candens fervoribus æſtas
Exſtinxit vigiles noſtro ſub pectore curas.

Scriptum autem hoc carmen fuiſſe, dum Buchananus in Luſitania adhuc ageret, adeoque anno ſummum 1552, indicant hi verſus,

Et me tympana docta ciere canora Lyciſca,
Et me blanda Melænis amavit, Iberides ambæ:

ubi ſub Lyciſcæ & Melænidis nominibus duas urbes Luſitanas innuere videtur, forte Oliſipponem regni caput, & Conimbricam, in qua docuerat. Idem poſtea clarius ſignificat,

Quam ſuperat Durium Rhodanus, quam Sequana Mundam,
Lenis Arar Sycorim, Ligeris formoſus Iberum, ----
Tantum omnes vincit Nymphas Amaryllis Iberas, &c.

Quod autem hoc tempore in patriam redierit, atque aliquamdiu in Academia Andreana docuerit, quod a quibuſdam memoratum refert Cl. *Sibbaldus*, id, præterquam quod a nullo idoneo auctore ſit confirmatum, a Buchanano ipſo clariſſime refellitur initio *Præfat.* ad *Hiſt. Scoticam*, in qua ſe 24 annos peregrinatum affirmat, quod utique falſum eſſe, ſi anno 1542, aut 1543 in patriam rediiſſet, infra oſtendemus. Sed multo magis abſurdum *Garaſſæ* figmentum, qui Buchananum fabulatur, cum Burdegalæ eſſet, forte vino captum Schola ambulandi gratia togam tantum domeſticam & crepidas indutum exiiſſe, atque navem e portu tum ſolventem fortuna nactum ea in Angliam uſque delatum.

41 *Scholis, quas ille tum magna cura*] Cl. *Sibbaldus*, neſcio quo auctore, Conimbricam ait Academiam a Joanne III. Luſitano inſtauratam anno 1650, (1550 voluit vir doctiſſimus;) quod, ſi tempus ſignificet quo ſuprema ei manus eſt admota, forte verum ſit: at prius Scholas ibi apertas fuiſſe, vel illud indicio eſt, quod Goveanus, & cum eo Buchananus aliique eo tribus ante annis ſint profecti, uti ſupra oſtendimus: quod & ulterius confirmatur ex Epiſtola *Jacobo Tevii*, Conimbricæ Cal. Martiis anni 1548 ſcripta, qua librum ſuum de rebus geſtis Hiſpanorum ad Dium in India eidem Regi nuncupat, cuique in fronte præmiſſum eſt illud Buchanani carmen, quod in omnibus ejus Poëmatum editionibus deſideratum, atque Cl. *Sibbaldi* induſtria in lucem erutum, poſtea ſumus exhibituri.

42 *Patricio fratri*] Quem mortuum carmine proſequitur II. *Epigramm.* 23.

1548. geret. Et principio quidem res præclare ſucceſſit, donec [43] in medio velut curſu *Andreas Goveanus* morte, ipſi quidem non immatura, comitibus ejus acerba, præreptus eſt. Omnes enim inimici & æmuli in eos primum ex inſidiis, deinde palam animo plane gladiatorio incurrerunt: & cum per homines reis inimiciſſimos quæſtionem clam exercuiſſent, tres
1549. arripuerunt, quos, [44] poſt longum carceris ſqualorem, in judicium productos, multis per eos dies conviciis exagitatos, rurſus in cuſtodiam abdiderunt. Accuſatores autem ne adhuc quidem nominarunt.

1550. In Buchananum certe acerbiſſime inſultabant, ut qui peregrinus eſſet, & qui minime multos illic haberet qui incolumitate gauderent, aut dolori ingemiſcerent, aut injuriam ulciſci conarentur. Objiciebatur ei carmen in Franciſcanos ſcriptum, quod ipſe, antequam e Galliis exiſſet, apud Luſitaniæ Regem excuſandum curavit, nec accuſatores quale eſſet ſciebant; unum enim ejus exemplum Regi Scotorum, qui ſcribendi auctor fuerat, erat datum. Crimini dabatur carnium eſus in Quadrageſima, a qua nemo in tota Hiſpania eſt qui abſtineat; dicta quædam oblique in Monachos objecta, quæ apud neminem niſi Monachum criminoſa videri poterant. Item graviſſime acceptum, quod in quodam ſermone familiari inter aliquot adoleſcentes Luſitanos, cum fuiſſet orta mentio de Euchariſtia, dixiſſet, ſibi videri Auguſtinum in partem ab Eccleſia Romana damnatam multo eſſe proniorem. Alii duo teſtes, *Joannes Tolpinus* Normannus, & [45] *Joannes Ferrerius* e Subalpina Liguria, (ut poſt aliquot annos comperit) pro teſtimonio dixerunt, ſe ex compluribus hominibus fide dignis audiviſſe, Buchananum de Romana religione perperam ſentire. Ut ad rem redeam, cum quæſtores [46] prope ſeſquiannum & ſe &
1551. illum fatigaſſent, tandem, ne fruſtra hominem non ignotum vexaſſe crederentur, eum in Monaſterium ad aliquot menſes [47] recludunt, ut exactius erudiretur a Monachis, hominibus quidem alioqui nec inhumanis, nec malis, ſed omnis religionis ignaris. Hoc maxime tempore Pſalmorum Davidicorum complures vario carminum genere in numeros redegit.

1552. Tandem libertati redditus, cum a Rege commeatum redeundi in Gallias peteret, ab eo rogatus ut illic maneret, pecuniola interim accepta in ſumtum quotidianum, donec de conditione aliqua honeſta pro-

43 *In medio velut curſu*] Hæc cum iis quæ ſupra diximus aptiſſime conveniunt, anno enim 1547 ſuſcepta eſt hæc peregrinatio, annoque ſequente 1548, exſtinctus eſt *Goveanus* teſtante Bibliotheca Hiſpanica & Thuano.

44 *Poſt longum carceris ſqualorem*] Carceri incluſus Buchananus videtur anno 1549.

45 *Joannes Ferrerius*] Is eſt *Joan. Ferrerius* Pedemontanus qui inter Scotos aliquot annos agens Hect. Boëthii hiſtoriam continuavit. [Vide de hoc *Ferrerio* Menagian. t. III. p. 188.]

46 *Prope ſeſquiannum*] Carcere igitur emiſſus anno ut videtur 1550, aut 1551.

47 *Recludunt*] Nuſquam invenio hanc vocem hoc ſenſu acceptam, *recludere* enim eſt *aperire*, *patefacere*: *includunt* ergo legendum exiſtimem. [Poteſt ſe tueri Juſtini auctoritate Buchananus, qui lib. XXVI. c. 1. *in carcerem recludere* dixit. immo & potuit Buchananus hac Phraſi, data opera uſus eſſe, quia Monachi quidam *recluſi* proprie dici ſolebant, ut docuit *Valeſius* ad Amm. Marcel. XVI. 10. ubi alia exempla, & ex Iuſtini lib. I. cap. 9. adfert. & patres Chriſtiani verbo *recludere* pro includere ſæpe uſi fuere. vide Tertul. de Idolol. cap. XVII. & ibi comm. quod vero hîc in Buchanano reprehendit commentator, idem in Scholio Hieronymiano culpavit *Clericus* Quæſt. Hierony. x. p. 380. & barbare locutum ſcholiorum auctorem notaverat. ſed ita temere ſæpe pronuntiant, qui omnes ex Lexicis copias ſuas congerunt.]

proſpiceretur. Sed cum procraſtinationis, nec in certam ſpem, nec
certum tempus, tæderet, navem Cretenſem in portu Oliſipponenſi na-
ctus, in ea [48] in Angliam navigavit. Nec hic tamen ſubſtitit, quam-
vis honeſtis conditionibus invitaretur. Erant enim illic omnia adhuc
turbida ſub Rege adoleſcente, proceribus diſcordibus, & populi
adhuc animis tumeſcentibus ab recenti motu civili. Igitur [49] in Galliam 1553.
tranſmiſit, iiſdem fere diebus, quibus urbis Mediomatricum obſidio fuit
ſoluta. Coactus eſt ibi per amicos ea de obſidione [50] carmen ſcribere,
idque eo magis invitus, quod non libenter in contentionem veniret cum
aliis pleriſque neceſſariis, & in primis cum [51] *Mellino Sangelaſio*, cujus
carmen eruditum & elegans ea de re circumferebatur.

[52] Inde evocatus in Italiam a [53] *Carolo Coſſæo* Brixiacenſi, qui tum ſecunda 1554.
fa-

48 *In Angliam navigavit*] Anno *ſcil.* 1552, non vero, quod affirmat *Joan. Clericus*, anno 1551: primum enim de motu civili in Anglia paullo ante ejus adventum loquitur Buchananus, i. e. ut ego interpretor, de diſſidio inter *Somerſeti* & *Northumbriæ* Duces orto, quod aliqua ex parte ſublatum eſt morte *Somerſeti*, qui capite plexus eſt ineunte anno 1552. Præterea ſe ait in Anglia non ſubſtitiſſe, ſed poſt breviuſculam in ea moram recta Galliam contendiſſe iiſdem fere diebus quo ſoluta eſt urbis Mediomatricum obſidio: id vero accidit (referente *Mezeraio* & *Thuano*) ipſis Kalendis Januariis anno 1553, non vero exeunte anno 1551, quod *Joan. Clericus* tradit.

49 *In Galliam tranſmiſit*] Menſe, ut videtur, Januario, anno 1553, paullo poſt ſolutam Metis obſidionem: *Sangelaſii* enim carmen ea de re ante ſuum adventum ſcriptum ſignificat; VII. autem Idus Februarii ejuſdem anni privilegium (cujus ſupra meminimus) ab Henrico II. Francorum Rege obtinuit edendi Euripidis Alceſtim a ſe Latinis numeris cum Burdegalæ eſſet verſam. Porro ſub ipſius in Galliam adventum, ſcripſit lepidiſſimum illud carmen, *Frat. Fraterr.* XXVIII. quod ſic incipit,

Jejuna miſeræ teſqua Luſitaniæ,
Glebæque tantum fertiles penuriæ,
Valete longum. &c.

Circa hoc etiam tempus, quod non temere exiſtimat *Jo. Clericus*, videtur Buchananus mordacibus quibuſdam carminibus quæ in *Frat. Fraterr.* ſparſim inveniuntur, injurias ſibi a Monachis illatas ulciſci voluiſſe.

50 *Carmen ſcribere*] Quod habetur *Miſcell.* VIII.

51 *Mellino Sangelaſio*] *Melin. S. Gelais*, egregio Poëta Gallo, qui multa Epigrammata patrio ſermone ſcripſit: eum laudat Buchananus, I. *Epig.* 57. [*Mellini* vel *Merlini* Sangelaſii magnificum elogium habetur in bibliotheca Crucii Cenomanenſis pag. 321. Vide etiam Baillet jugem. des Poëtes Modernes n. MCC LXXXIII.]

52 *Inde evocatus in Italiam*] Toto hoc anno 1553, quique eum ſecutus eſt 1554, Lutetiæ manſiſſe, aut ſaltem non procul inde divertiſſe videtur Buchananus; Epiſtola enim, 28 Julii anni 1554 Lutetiæ ſcripta, Jephthen ſuum inſcribit eidem illi Carolo Coſſæo cujus filio Timoleonti erudiendo paullo poſt eſt admotus. Ex ejus autem Epiſtolæ verbis haud obſcure colligi videtur jam tum Buchananum a Coſſæo ad docendum filium evocatum: ejus enim in filio inſtituendo curam, atque in ſe liberalitatem deprædicat. Exeunte ergo anno 1654 in Liguriam profectus, atque Timoleonti erudiendo appoſitus videtur. Scripſerat quidem anno ſuperiore ad eundem Carolum Coſſæum carmen de captis ab eo Vercellis, quod extlat *Miſcell.* XXIII. expugnata autem fuit hæc urbs menſe Septembri anno 1553, teſtante Thuano *Hiſt. lib.* 12. at ſe tum nondum Italiam petiiſſe aperte oſtendit ipſe Buchananus primis verſibus,

Quis me nivoſos Alpium trans vertices
Curru volucri deferet?
Quis nube ſeptum me remotis Pegaſus
Siſtet jugis OEnotriæ?

& ſub finem paulo clarius,

Sed quando tanto diſſitis cœlo & ſolo
Sors invida id præcluſerit, &c.

53 *Carolo Coſſæo*] Hic filius erat *Renati Coſſæi* Brixiaci in Andegavia Dynaſtæ filius natu maximus, vir militari ſcientia rebuſque geſtis clariſſimus, qui ob ingentia virtutis ſuæ in Italia, Gallia, Bel-

gio

ſama res in Liguſtico & Gallico circa Padum agro gerebat, nunc in Italia, nunc in Gallia, cum filio ejus [54] *Timoleonte* quinquennium hæſit, uſque [55] ad

gio edita ſpecimina, tandem Franciæ Mareſcallus, ac apud Taurinos Regis Francorum præfectus ab Henrico II. conſtitutus anno 1550, quod munus ſumma cum laude ſuſtinuit ad annum 1559, quo, mortuo Henrico II. in Galliam reverſus Picardiam provinciam regendam eſt nactus, quam pari prudentia & fortitudine adminiſtravit ad annum 1563, cujus ultimo die podagra eſt exſtinctus, anno ætatis ſuæ 57. Ejus defuncti virtutes elegantiſſimo carmine celebrat Buchananus *lib.* II. *Epig.* 25.

54 *Timoleonte*] Tanto patre filio digniſſimo, ut vere de eo Præceptor Buchananus *lib.* I. *De Sphæra* (dum id operis ei inſcribit) ſit vaticinatus,

Tu mihi, Timoleon, magni ſpes maxima patris,
Nec patriæ minor, Aonii novus incola montis
Adde gradum comes, & teneris aſſueſce ſub annis
Caſtalidum nemora & ſacros accedere fontes, &c.
Tempus erit cum tu, veniat modo robur ab annis,
Spumantes verſabis equos in pulvere belli,
Torvus & in patriam aſſurges non degener haſtam.

Brantomius enim *Mem. des Hommes illuſtres Franc.* de eo ſic ſcribit, *Le Comte de Briſſac etant ſous le fouet & gouvernement des ſes Maitres, tout jeune qu'il etoit, montra toujours quelque choſe de gentil & de grand au jour, & pret a porter les armes*, &c. tandemque poſt egregia ejus facinora memorata, illuſtre hoc ac pene incomparabile ſubjungit Elogium; *Bref, ce Comte de Briſſac a ete l'un des plus parfaits & accomplis ſeigneurs que j'aye point vu en notre Cour. Je n'en ay gueres vu qui en leur jeuneſſe n'ayent fait quelque tour de ſottiſe, mais jamais celuy-la n'en a fait*, &c. At hunc egregium juvenem fata terris tantum oſtendere, nam dum Mucidanum in Petrocoriis obſidet, ſclopeti ictu in capite accepto exanimatur, anno 1569, „magno ſuorum deſiderio, „qui (*verba ſunt Thuani lib.* 45.) juve„nem illuſtri patre natum, & vix XXVI. „annum egreſſum, jamque in illa ætate „ad maximos honores & dignitates ple„no gradu properantem morte præma„tura interceptum lugebant.„ Unde (ut hoc quoque obiter attingam) colligimus eum Buchanano in diſciplinam fuiſſe traditum ætatis anno 12.

Sed ut ad Buchananum ipſum redeam, hoc toto quinquennio, quo apud *Car. Coſſæum* hæſit, ab eo non ſolum humaniſſime habitus, ſed ſæpe etiam ad intima conſilia admotus fuerat; ut vere de eo Buchananus prædicarit (Præf. ad Jepht.) quod ſcil. *literas fovendas ac tuendas ſuſcepiſſet, quod doctiſſimos homines ſecum haberet, quibuſcum in medio etiam ſæviſſimi belli ardore*, (quod olim de Gratiano Imp. ab Auſonio dictum) *prælia Muſis temperaret, & Geticum moderaretur Apolline Martem.* Et ne quis hoc temere prolatum exiſtimet, ejus rei teſtem habeo ampliſſimum ipſius Buchanani æqualem atque amicum *Henricum Stephanum*, cujus verba non ab re erit hic adſcribere. Is, *Orat. adverſus Foliet. p.* 163, 164. „Ingratiis (*inquit*) eorum, quibus „a Marte tota, ſed a literis & literatis „nulla gratia debetur; ſunt enim e Mar„tiis viris nonnulli, quibus omnia ad „bellum pertinentia literatorum conſi„lia, præſertim eorum, qui nunquam „militiæ nomen dederunt, non minus „quam ægrotorum ſomnia vileſcant. „Contra autem *Briſſacus* Regis Fran„ciſci primi in Pedemontanis bellis Le„gatus Georgium Buchananum, tum „filii ſui Præceptorem, in conſilium una „cum ipſis exercituum ducibus adhibere „ſolitus erat. Atque huic conſuetudini „occaſionem hoc præbuit, quod cum „Buchananus aliquando e cubiculo ſuo, „ut uni e famulis quidpiam injungeret, „deſcendiſſet in cœnaculum contiguum „aulæ in qua Briſſacus cum ſuis de qua„dam re non parvi ad ſummam rerum „momenti conſultabat, & aliquot a ſe „murmuratis (ut fit) verbis, eam quæ „pluribus placebat ſententiam ſibi diſpli„cere oſtendiſſet, ſubridere quidam e „ducibus cœperit. Subriſus cauſſa intel„lecta intro vocatus a Briſſaco, & libe„re pronunciare ſententiam coactus, „oracula loqui non ipſi tantum Briſſa„co, ſed cunctis ducibus fuerit viſus; „quod ipſa etiam experientia teſtata eſt.

55 *Ad*

[55] ad annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum. [56] Quod tempus maxima 1560.

55 *Ad annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum.*] Hoc anno Buchananum in Scotiam rediiſſe ſcribunt *Thuanus*, *Spotiſvodius*, *Clericus*, aliique: at quo minus id verum ſit, obſtat Buchanani ipſius ad Jacobum VI. Scotorum Regem Hiſtoriæ ſuæ nuncupatio, cujus ſtatim initio ſe viginti quatuor annos peregrinatum teſtatur. Et ne eum memoria forte lapſum exiſtimemus, idem ipſe prius affirmaverat Epiſtola Franciſcano præmiſſa, non multo poſt ejus in patriam reditum, ut mox oſtendemus, ſcripta. Quod ſi anno 1560 in patriam rediiſſet, falſum omnino eſſet, eum viginti quatuor annorum peregrinationem, aut quod ipſe exilium vocat, fuiſſe paſſum. Ineunte enim anno 1539 exulatum abiit, inter quem & 1560 annorum unius tantum & viginti eſt intercapedo. Ex ipſius igitur calculo in Scotiam reverſus eſt anno demum 1563. Sed non parvam hac in re difficultatem parit *Lucæ Fruterii* ad Buchananum Epiſtola (*Vid. Epiſt.* II.) Pariſ. Kal. Februariis ſcripta, quæ quamvis nullam aliam adjectam habeat temporis ſignificationem, datam tamen anno * 1566, & paullo poſt Buchanani ad ſuos reditum, ex ipſius verbis colligi videtur. Principio enim ſe excuſat *quod Buchananum in patriam nuper proficiſcentem ſolemni more non dimiſerit*: deinde verſus aliquot ſubjicit, obſcuros quidem illos, at quibus aliquem ſaltem ſenſum affingas, ſi poſt Reginæ Mariæ cum *Henrico Darlæo* nuptias ſcriptos fateare. Sed *Fruterium* ipſum audiamus: „Audio, inquit, mi Buchanane, non paucis diebus te ventorum „ faſtidia tuliſſe & nuper tamen

Ventis iiſſe tuis dulciſſimæ
Ad alta tecta patriæ,
Quæ te tuoſque canulos jamdudum amat
Vincire caris oſculis.
Quid hic amica gaudia eloquar tua?
Quid gaudia illa Regia?
O ter beata ſorte devinctum caput,
Quod Rexque, paterque, equeſque amant.

Quæ ſunt illa gaudia regia, quive ille Rex, pater & eques? Nullus certe Rex inter Scotos fuerat ab anno 1542, quo mortuus eſt Jacobus V. ad annum 1565, quo Maria Regina quæ toto hoc tempore rerum eſt potita, *Henricum Darlæum* Comitis Leviniæ filium thalami regnique ſocium ſibi copulavit. Franciſcus autem II. Gallus, primus Mariæ maritus, quamvis eo jure nomen Regium aliquamdiu obtinuiſſet, nunquam tamen terram Scoticam vel e longinquo ſalutavit; fatoque præterea functus anno 1560, duobus minimum annis ante Buchanani in patriam reditum. Neceſſe eſt ergo ut ille Rex, cui tam gratum acceptumque fore Buchananum prædicat Fruterius, ſit Henricus ille Darlæus; quem vero patrem nominat, ſit ipſius genitor *Matthæus Leviniæ* Comes; Equitis denique nomine cenſeatur Scotica Nobilitas, cui ob ſingularem ingenii & eruditionis famam Buchananus in pretio atque honore habitus fuerat. Cum autem illæ nuptiæ inter Darlæum & Mariam celebratæ ſint 4 Kal. Auguſti anni 1565, ut ex Actis publicis conſtat, has *Fruterii* ad Buchananum literas Kal. Februariis anni ſequentis ſcriptas fuiſſe oportet: niſi velimus exiſtimare *Fruterium* fatidico furore correptum de *Darlæi* Regali faſtigio nuptiiſque, vix ipſi tum ſperatis, præcinuiſſe. Non ignoro Buchananum *Darlæi* in Scotiam reditum in Idus conjicere Februarii anni 1564: verum hac in re antiquam ſequitur conſuetudinem Scotorum (quæ & etiamdum apud Anglos ſervatur) annum 25 Martii ordientium; quamvis parum ſibi conſtans hunc annum *proximum* vocat poſt eum, quo pater ejus *Levinius* eſt reverſus, quem more Scotico eundem appellare debuerat. Ex aliis autem idoneis auctoribus, præſertim vero ex Secreti Concilii Actis certiſſime novimus conjugium illud celebratum anno, uti diximus, 1565. Quod ſi ſcripta eſt hæc Epiſtola anno 1566, quomodo dicere poterat *Fruterius* Buchananum nuper e Gallia

* Atqui eo anno menſe Martio obiit *Fruterius*, ut patet ex Epiſtola Giſanii ad Canterum edita a Gabbema Cent. III. 43. non ergo æſtate hujus anni, ut ad Epiſtolam I. notatum eſt. quare ego anno priore ſcriptam, licet poſt nuptias Reginæ, credo. Aliud carmen elegiacum *Buchanano* ſcriptum a *Fruterio* inter ejus reliquias pag. 140 editum eſt, quod miror non memorari a doctiſſimo commentatore, ubi de turbis, quibus Scotia agitabatur, & bello Anglico ſit mentio, quod Elogiis inſeremus.

xima ex parte dedit ſacrarum literarum ſtudio, ut de controverſiis, quæ tum majorem hominum partem exercebant, exactius dijudicare poſſet, quæ

ſia fuiſſe profectum, quem, ſi nullum aliud exſtaret ejus rei documentum, in Scotia ſeſquianno antea fuiſſe ipſe indicat in fine ſæpius ſupra memoratæ ad *Moravium* Epiſtolæ, e Fano Andreæ Nonis Juniis anno 1564 datæ? His autem anguſtiis noſmet expediendi nulla alia reſtare videtur ratio, quam ut dicamus Buchananum in patriam reverſum anno 1563, apud patronum ſuum Moraviæ Comitem (cujus uxor & familia ſe Andreapoli fere continebat) aliquamdiu ſubſtitiſſe; exeunte vero anno 1564, aut ineunte 1565, in Galliam, neſcio qua de cauſſa, trajeciſſe; verum a Regina *Maria*, quæ ſe tum gravidam ſenſerat, eodem anno revocatum, ut prolis naſcendæ educationi præeſſet: provida quippe Regina, & ipſa bonas artes, nec ſine Buchanani (ut quidam voluit) opera edocta, eum, ſuorum omnium longe doctiſſimum, filii ſui, ſi forte filium pareret, jam tum Præceptorem deſignaſſe videtur. Hæc licet a nullo idoneo auctore memoriæ prodita, multa tamen confirmare videntur; illud vero in primis, quod nullum ex *Fruterii* Epiſtola ſenſum alio quovis modo elicere poſſe videamur. Neque omni prorſus fundamento deſtituta videtur, quam vulgo jactatam quotidie audimus de Buchanano fabula, eadem fere, quam, mutato tantum tempore & loco, *Garaſſa* Jeſuita tradit: Buchananum *ſcil.* deambulatum egreſſum, forte navem e portu Fani Andreæ ſolventem conſpexiſſe, nemineque ex amicis in rei conſcientiam adhibito, Lutetiam recta perrexiſſe, nec niſi poſt aliquot annos rediiſſe. Huc denique adde, quod Buchananus ipſe ſe *Jacobo* VI. erudiendo præfectum affirmet anno 1565, (ita enim conſtanter exhibent omnes ejus vitæ Editiones,) quod nullo alio ſenſu accipi poteſt, quam Buchananum eo anno e Galliis a Regina *Maria* aut ejus marito *Darlæo* fuiſſe arceſſitum, qui prolis naſcendæ educationi præeſſet: Jacobus enim VI. 19 duntaxat Junii anni inſequentis 1566 eſt natus.

56 *Quod tempus maxima ex parte*] Ex hiſce verbis nec injuria a *Joan. Clerico* eſt animadverſum, Buchananum non magnopere in *Timoleonte Coſſæo* erudiendo fuiſſe occupatum, quippe cui tantum otii ſupereſſet, ut maximam ejus temporis partem ſacrarum literarum ſtudio, controverſiiſque quæ tum majorem hominum partem exercebant, dare poſſet. Quod ſi in memoriam revocemus, quod a *Brantomio* proditum eſt, id præcipue Timoleontis patrem in votis habuiſſe, ut ſuis artibus, id eſt, militari diſciplina, ad quam naturæ ſponte & quidem plus nimio per ſe ipſe erat proclivis, filius erudiretur, non utique mirandum, ſi viro literis deditiſſimo ſtudiis obſequendi ſuis plurimum temporis ſupereſſet. Non eſt tamen quod inde arguamus Buchananum in alumni ſui educatione ſe ſegnem aut remiſſum geſſiſſe: contrarium plane innuit memoratus Brantomius, vir alioqui Buchanano infeſtiſſimus. „ Timoleon (*inquit*) etant en age d'eſtudier & „ d'apprendre, Monſieur le Mareſchal „ luy donna Bucanan, Eſcoſſois, l'un „ des doctes & ſcavans perſonnages de „ notre temps. ----- Ce Bucanan inſtruiſoit ſi bien ſon diſciple, qu'il le „ rendit aſſez ſcavant pour un homme „ de guerre.

Sed duplicem præterea ſenſum Buchanani verba pati poſſunt; & primum quidem, nihil forte aliud iis ſignificari volebat, quam maximam ejus temporis partem, qua ab alumno inſtituendo vacabat, ſacrarum literarum ſtudiis fuiſſe impenſam. Forte etiam illud præcipue tempus intelligit, quod ab ineunte anno 1560 ad annum 1563, quo in patriam eſt reverſus, decurrit: protinus enim ſubdit controverſias iſtas, quibus eo tempore excutiendis animum ſuum appuliſſet, tum domi conquieſcere cœpiſſe, Scotis a tyrannide Guiſiana liberatis; id quod eo ipſo anno 1560 accidit, quo Pontificiorum erroribus profligatis, purior religio apud Scotos introducta, ac legibus latis ſtabilita fuit. Neque tamen ſeverioribus hiſce ſtudiis ita ſe totum tradidit, ut non Muſarum commercia ex intervallo repetere, atque carminibus fundendis genium ſuum oblectare nonnunquam voluerit. Eo enim tempore, ut alia levioris operæ omittam, ſcripta eſt nobiliſſima illa *Ode*, *Miſcell.* I. ad Henricum II. Gallorum Regem poſt victos Caletes, 8 *ſcil.* Januarii anno 1558. Eodem etiam anno conditum

quæ tum domi conquieſcere cœperant, Scotis [57] a tyrannide Guiſiana liberatis. [58] Eo reverſus nomen [59] Eccleſiæ Scotorum dedit. [60] E ſuperiorum autem temporum ſcriptis quædam velut e naufragio recollecta edidit. [61] Cætera vero quæ adhuc apud amicos peregrinantur, fortunæ arbitrio committit. In præſentia ſeptuageſimum quartum annum agens, apud Jacobum Sextum Scotorum Regem, cui erudiendo erat [62] præfectus anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ſenectutis ſuæ malis fractus portum exoptans agit.

(Right margin: 1563, beside the line "beratis. … E ſupe-"; 1579, beside the line "apud Jacobum Sextum … præfe-")

Obiit Edimburgi vigeſimo octavo Septembris, anno ſalutis 1582.

tum eſt Franciſci Valeſii & Mariæ Stuartæ Regum Franciæ & Scotiæ Epithalamium, (*Silv.* IV.) carmen omni laude majus, quo non æquales ſuos dico, ſed ſe ipſe ſuperaſſe, atque veteribus illis dubiam palmam feciſſe videtur. Eo denique tempore ingens de Sphæra opus quinque libris eſt aggreſſus, cui, licet ad umbilicum necdum perducto, poſt Lucretii Maniliique tempora, nihil in eo genere ſimile aut ſecundum eſt reperire.

57 *A tyrannide Guiſiana*] Hoc enim anno Maria Guiſia, Jacobi V. vidua, ac Scotorum Regens, quæ rem Scoticam ex fratrum maxime conſiliis adminiſtraverat, quarto Idus Junias deceſſit; exſtinctoque eodem anno Franciſco II. ejus uxor Maria Scotorum Regina, jam ſui juris, & Gallorum poteſtate libera, ad ſuos anno proxime inſecuto eſt reverſa.

58 *Eo reverſus*] Anno *ſcil.* 1563, uti ſupra monſtravimus.

59 *Eccleſiæ Scotorum*] Diu antea ſe Lutheranæ cauſſæ faviſſe haud obſcure ſignificat Buchananus, ab anno *ſcil.* 1524, quo cum Joan. Majore in Galliam iterum eſt profectus: quam licet animi ſui propenſionem multo poſtea auctiorem reddiderint Monachorum injuriæ, eam tamen tantiſper diſſimulare atque tacitam habere cogebatur, dum ad ſuos, qui jam ritus Pontificios palam ejeraverant, reverſus, eam publice profiteri poſſet.

60 *E ſuperiorum autem temporum ſcriptis*] Poëmata ipſius intelligit, quæ malignitate temporum disjecta, & multis modis male habita conqueritur *Præfat. ad Hiſt.* Vid. etiam ejus Epiſtolam (in hac *Edit.* XXVII.) ad *Danielem Rogerſium* circa hoc tempus ſcriptam, qua pleraque opera ſua, tam edita, quam inedita recenſet, quidque iis factum ſit, aut faciendum velit, fuſius ediſſerit.

61 *Cætera vero*] Ex hoc liquet multa Buchanani ſcripta injuria temporum intercidiſſe, multa quoque non, niſi poſt ejus obitum, typis evulgata, quod alibi commodius ſumus oſtenſuri.

62 *Præfectus anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto.*] Si hæc verba eo quem præ ſe ferre videntur ſenſu ſint accipienda, a vero longiſſime abſunt. Qui enim potuit Buchananus Jacobo VI. erudiendo præfici, prius quam ille natus, vixdum genitus fuiſſet, utpote quem ipſe aliique omnes conſentiunt 19 Junii 1566 vitales primum auras hauſiſſe? Aut ergo numeris mendum irrepſit, atque pro 1565, legendum 1569, quo anno, uti mox oſtendemus, Academia Andreapolitana ad id munus obeundum publico Ordinum decreto Buchananus primum eſt evocatus; aut, quod ſupra conjiciebamus, de eo anno loquitur Buchananus, quo a Regina e Galliis eſt arceſſitus, mortalium fere omnium maxime idoneus, qui tantæ ſpei puero, cum tempus poſceret, Præceptor adhiberetur.

Hactenus vitam ſuam perſecutus eſt Buchananus. Miratur autem Cl. *Belius*, cur non pari modo cætera, atque in primis inſignem illum, quo deinceps eſt uſus, rerum ſecundarum curſum memorare noluerit. Sed nihil hac in re ſine cauſſa a Buchanano admiſſum videtur. Cum enim, quod ſæpius ſupra monuimus, nihil ei minus propoſitum fuiſſet, quam plenam vitæ ſuæ hiſtoriam exhibere, mirandum utique non eſt, ſi nihil in brevi hac narratione, præter ſumma rerum capita, eaque quæ varietate aliqua erant diſtincta, attingere voluerit: quæ cum ad tempora perduxiſſet, quibus uno eodemque tenore vita deinceps ſua perageretur, ſatis ſibi amicisque ſuis factum exiſtimabat, breviter ac carptim oſtendere, ſe, haud paullo poſt ſuum poſtremum in patriam reditum, Jacobo

VI. erudiendo appoſitum, in eodem munere obeundo poſtea perſeveraſſe, ad exitum hujus anni 1579, quo amicorum rogatu hanc vitæ ſuæ Epitomen eſt aggreſſus. Eo enim intervallo nihil fere memoratu dignum ei accidit, quod non cum aliis Scotis fuerat commune, præterquam quod ad honores quoſdam opeſque a Proregibus *Moravio* & *Mortonio* eſſet evectus, quo amplum atque honorificum, quod ſuſtinebat, Regii Præceptoris officium majore cum dignitate obire poſſet. Quæ ille omnia cum parvi penderet, ſilentio prætereunda exiſtimavit, ut vere de eo cecinerit magnus *Scaliger*,

Contemtis opibus, ſpretis popularibus auris,
Ventoſæque fugax ambitionis, obis.

Longe autem errant mea ſententia, ſi qui credant, (quod Cl. *Bælius* fieri poſſe ſuſpicatur) Buchananum jam capulo propinquum, atque ſeria pœnitentia ductum, in vita ſua perſcribenda ulterius progredi noluiſſe, ne proſperam fortunam ſuam narrando memoriam Lectoribus refricaret, quam ingratus erga Reginam Mariam exſtitiſſet, cujus munificentiam, cum multis aliis rebus, tum hac præcipue eſſet expertus, quod eum unum filio ſuo, & prius quidem quam naſceretur, Præceptorem delegiſſet. De hac, quam Buchanano *Camdenus* aliique tribuunt, pœnitentia mox erit dicendi locus, interim quæcunque illa poſtmodum fuerit, nullam certe tum fuiſſe cum vitam ſuam ſcriberet, vel illud indicio eſt, quod hoc ipſo anno librum ſuum *De Jure Regni apud Scotos* primum evulgarit, quo opere omnia a ſe atque ſua factione in Sereniſſimam illam Principem dicta aut facta vindicat & defendit. Huc adde, quod nondum Hiſtoriam ſuam in lucem emiſerat, quam, ſi vera eum tum cepiſſet pœnitentia, aut perpetuis tenebris tradidiſſet, aut ab acerba ſaltem illa, qua Mariæ famam inſectatur, maledicentia repurgaſſet.

Sed his miſſis, ut quod a Buchanano ipſo omiſſum eſt aliqua ex parte ſuppleantur, quod ejus vitæ eſt reliquum, quatenus nobis documenta ſuppeditant, breviter ac ſuccincte exſequemur.

A Regina e Galliis revocatus anno, uti videtur, exeunte 1565, proximo anno ab eadem unus e Profeſſoribus, vel potius Gymnaſiarcha, Collegii Leonardini in Academia Fani Andreæ eſt conſtitutus; quod munus per quadriennium ſingulari cum laude adminiſtravit. Referente enim ex ipſis Academiæ Actis Cl. *Sibbaldo*, *Comment. in Vit. Buchan. p.* 65. ſingulis hiſce annis 1566, 1567, 1568, unus èx quatuor Rectoris Electoribus in publicis tabulis inſcribitur, atque a Rectore unus ex Prorectoribus nominatus eſt, ſub hoc titulo, *Magiſter Georgius Buchananus, Collegii Leonardini Gymnaſiarcha, hujus ſeculi Poëtarum facile Princeps.* In quibuſdam etiam Collegii D. Leonardi Archivis, exſtant quatuor chartæ authenticæ, ab eo, dum Profeſſor primarius fuerat, ſcriptæ, una 12 Aprilis, altera 13 Septembris, anni 1568, tertia 7 Aprilis, quarta 31 Maji 1569, datæ.

Sub finem, uti credibile eſt, anni 1569, cum Jacobus VI. quartum jam ætis annum agens Præceptoris operam ferre atque poſtulare videretur, publico Dominorum ſecreti Concilii aliorumque e Nobilitate & regni Ordinibus decreto, ad hanc provinciam, cui ante quatuor annos a Regina ipſa fuerat deſtinatus, e Collegio Leonardino evocatus eſt Buchananus; permiſſa interim ei facultate, ut quem vellet idoneum virum in locum ſuum ſubſtitueret, quo jure uſus, *Patricium Adamſonum* (eundem, reor, qui poſtea Fani Andreæ Archiepiſcopus eſt creatus) huic muneri exſequendo ſurrogavit. Sed rem quibuſdam Lectoribus haud ingratam facturus videbor, ſi hoc Secreti Concilii Reſcriptum ex Actis publicis erutum oculis ſubjiciam. Illud autem ita ſe habet,

The Lords of Secret Council and others of the Nobility and Eſtates, being concerned for taking Order in the Affairs of this Common-wealth, among other Matters being carefull of the King's Majeſtie's Preſervation and good Education, and conſidering how neceſſary the Attendance of Mr. George Buchanan *Maſter of St.* Leonard's *Colledge within the Univerſity of St.* Andrew's *upon his Highneſs ſhall be, and that it behoves the ſaid Mr.* George *to withdraw himſelf from his Charge of the ſaid Colledge, if he makes continual Reſidence with his Majeſty, no ways willing that the ſame Colledge and Youth being therein ſhall be deſtitute of Regiment and good Inſtruction, through the ſaid Mr.* George's *abſence: He therefore compearing perſonally in Preſence of the ſaid Lords of the Council, Nobility and others of the Eſtates abovewrit-*

written ; at their Deſire, and of his own free Will and proper Motive, dimitted and gave over his Charge and Place of Maſter of the ſaid Colledge in the Favours of his well beloved Maſter Patrik Adamſon, *and no otherwiſe: Of whoſe Honeſty, Qualification, Literature and Sufficiency to adminiſtrate the ſaid Charge and Place, not only the ſaid Mr.* George, *but the ſaid Lords, Nobility and Eſtates, have good Opinion and certain Experience. And albeit the Preſentation, Nomination and Admiſſion of the Maſter of the ſaid Colledge pertained of old to the Prior of St.* Andrew's, *yet the ſame Right and Patronage preſently appertains to our Sovereign Lord, as well by Reaſon of the Lauws of the Realm, as becauſe the Priory of St.* Andrew's *preſently vaiks deſtitute of a Prior or Commendatar: And ſeeing it tends to God's Glory, and the Advancement of the Common-wealth, that good Letters flouriſh and increaſe, and that delay in not placing or admitting of a qualified and ſufficient Maſter to the ſaid Colledge may greatly prejudge and hinder the ſame, and if the Students occaſion to skail and ſeparate themſelves, the ſaid Lords, Nobility and Eſtates therefore, in reſpect of the preſent Neceſſity, in our Sovereign Lord's Name received the ſaid Mr.* George's *Dimiſſion, and thereupon received und admitted the ſaid Mr.* Patrick *to the ſaid Charge and Regiment of the ſaid Colledge of St.* Andrew's, *principal Maſter thereof, with all Immunities, Priviledges, Commodities and Duties belonging to the ſame, ſicklike as the ſaid Mr.* George, *or any other Maſters of the ſaid Colledge, uſed and brooked the ſame of before, and ordain him to be anſwered and obeyed therein in time coming and none other*, &c.

Eodem anno 1569, quo Buchananus abdicato munere Academico Regis educationi eſt præfectus, adſcitus ei Collega eſt a Moravio Prorege *Petrus Junius*, juvenis egregius, qui officii, cui Buchananus ob ingraveſcentem ætatem (quippe jam 64 annum agens) & afflictam ſæpius valetudinem, per ſe ipſe non ſufficiebat, partem haud exiguam in ſe derivaret. Quam vis autem præclaram in Rege docendo operam *Petrus Junius* navaverit, mihi tamen non fit veriſimile, quod a *Thoma Smitho* in ejus vita memoratur, laborem iſtum, ſi non unice, ſaltem maxime per omnem teneræ ætatis gradum ei incubuiſſe. Credere enim fas eſt, Buchananum, omni alia cura jam vacuum, ac impenſo per omnem fere vitam bonas literas promovendi ſtudio flagrantem, tanti taliſque alumni eruditionem in alium non rejecturum, gnarum *ſcil.* non Aulicorum modo in ſe oculos converſos, ſed Scotorum fere omnium, ſpem fortunaſque ſuas, regnique ſalutem & incolumitatem, ex ejus cura atque aſſiduitate reputantium. Neque Buchananus præconceptam de ſe opinionem, exſpectationemque & vota ſuorum civium fefellit; quantum enim Jacobus VI. in bonis literis aliiſque artibus Rege dignis ſub ejus diſciplina profecerit, vidit poſtea Chriſtianus orbis, & obſtupuit.

Neque Regis educationi ſolum, ſed aliorum etiam proſpectum cupiebat Buchananus; circa hoc enim tempus, ejus præcipue auſpiciis, conſilium initum eſt Grammaticæ Latinæ (quæ omnis rei literariæ eſt fundamentum) conſcribendæ. Quæ autem eum cauſſæ impellebant, quidque hac in re præſtitum ſit, Cl. *Sibbaldus Comment. ad ejus vit.* edocet. „ Cum, *inquit*, ad Regis aures delatum „ eſſet, quantam temporis jacturam ju„ ventus Scotica perpeſſa eſſet, quod „ unicuique liceret quam vellet Gram„ maticam docere, & quod plerumque „ in tanta ſcriptorum varietate, non o„ ptima deligerentur, ſed quos vel Lu„ dimagiſtri ipſi didicerant, aut ſæpius „ docuerant, vel quos Bibliopolarum „ commendarat aviditas: unde factum „ ſit, ut quoties parentum, ut fit, ar„ bitrio Præceptor eſſet mutandus, to„ ties vetera dediſcenda, & nova edo„ cenda forent, atque ita puerorum ſtu„ dia non ſolum impedirentur, ſed in„ genia miſere obruerentur: placuit Re„ giæ Majeſtati tot tantiſque malis uno „ antidoto mederi, nempe ut poſt tre„ centos veteres atque novos, qui tum „ de hac arte libros ediderant, nova ex„ ſtaret Grammatica, quam ſolam o„ mnes intra regni ſui fines docere, o„ mnes diſcere tenerentur: quod & proa„ vunculus ejus Henricus VIII. Angliæ „ Rex in gratiam ſuorum quondam fe„ ciſſe fertur. Selecti igitur qui huma„ niorum literarum cognitione inſtructiſſi„ mi videbantur, & Sterlini (ubi Jacobus „ VI. tum commorabatur) Regiis impen„ ſis baſilice aliquot dies ſuſcepti, Bucha„ nano præſente & præſide, eo rem per„ duxerunt, ut methodo præſcripta, & „ pri-

„ primis quaſi ductis lineamentis, ſingulæ artis particulæ ſingulis diſtributæ „ fuerint. Erant autem hi, præter Buchananum tunc Regis Præceptorem, „ *Petrus Junius* Regis etiam Præceptor, „ *Andreas Simonides* & *Jacobus Carmichaël* Ludimagiſtri. Veterem Grammaticam incuſabant, quod nihil definiret, nihil divideret, adeoque nihil „ doceret, ut diſcentibus impedimento „ potius quam adjumento eſſet. Ex his „ *Andreas Simonides* & *Jacobus Carmichaël* imperio paruit; hic prima Rudimenta, ille Etymologiam adornando. „ Georgius autem Buchananus pro ſua „ provincia Proſodiam, edito de ea libello, abſolvit, in qua omnia ea tradidit, quæ cenſuit tironibus ad Poëtices Rudimenta neceſſaria breviter & „ perſpicue expoſita, &c. Sed brevi tempore irritus factus eſt horum virorum labor & conſilium; neque his finibus coërceri potuit Magiſtrorum licentia, dum enim quiſque ſe aliis doctiorem videri vult, novam indies atque novam Grammaticæ Methodum comminiſcitur, tanto bonarum literarum atque juventutis incommodo, ut ni creſcenti malo a Reipublicæ moderatoribus obviam eatur, pene metuendum ſit ne Latina lingua Grammaticarum mole obruatur.

Sed ut ab hoc diverticulo Buchanani vitam repetamus, cum ille, ex quo primum Jacobi VI. Inſtitutor eſt deſignatus, atque deinceps fere quamdiu illi vixerint, ſumma apud Proreges *Moravium*, *Levinium*, *Marrium* & *Mortonium* gratia eſſet, atque ab iis honoribus divitiiſque cumularetur, ut illorum munificentiæ vicem rependeret, ſe totum dehinc eorum partibus ſublevandis, cauſſæque adverſæ deprimendæ addixiſſe videtur. Cum enim anno 1568 colloquium Eboraci ab Elizabetha Angla eſſet indictum. [*Vid. Hiſt. lib.* 19. *cap.* 16.] ut coram Legatis ab ipſa eo miſſis Reginæ Mariæ in Anglia profugæ cauſſa diſceptaretur, viſum eſt Moravio Proregi ſuas per ſe ipſe partes procurare, paucis adſcitis itineris comitibus, atque in his Georgio Buchanano, qui eo tempore, aut non multo poſt, Satyram illam, ſeu libellum famoſum, quæ *Detectio* dicitur, Moravii juſſu conſcripſit, quo apud Eliſabetham Anglam patroni ſui res geſtas vindicare, & Mariam Scotam necis Darlæanæ ream ac conſciam fuiſſe, ſumma eloquentia omnibuſque ingenii nervis probare contendit.

Anno 1570 duos ejuſdem farinæ libellos patrio ſermone conſcripſit, quorum altero, cui *Chamæleonti* nomen dedit, *Gul. Matellani* Lidintonii (qui cum Mariæ ab Epiſtolis fuiſſet, ab ea primum ad *Moravium* defecerat, mutatoque paullo poſt conſilio ad Reginæ partes ſe iterum adjunxit) verſatile ingenium multa verborum acerbitate perſtringit: Altero vero, cui titulus eſt, *AN ADMONITION TO THE TRUE LORDS*, in omnes qui Reginæ exuli favebant, præcipue *Hamiltonios*, immani audacia debacchatur, tot injuriis, conviciis, & probris illuſtriſſimæ & de re Scotica optime meritæ familiæ famam & exiſtimationem dehoneſtare ac proſcindere adnititur, ut non illius magis quam Buchanani ipſius cauſſa dolendum ſit.

Sed quod reliquorum omnium caput & fons eſt, quodque nimis amplam non ſermonibus modo, ſed turbis tumultibuſque materiam præbuit, eſt ipſius Dialogus *De Jure Regni apud Scotos*, qui ſub hoc tempus primum ſcriptus, licet diu poſtea evulgatus, videtur.

Quo anno Hiſtoriam Scoticam eſt aggreſſus nondum liquido conſtat, cæterum a veriſimili non abhorret eam non multo poſt tempus primum ſuſceptam: neque enim res tantæ molis & laboris a ſene afflictiſſimæ valetudinis, ac alumni Regii cura aliiſque occupationibus toties interpellato, paucorum annorum curriculo abſoluta videtur. Ita enim de ea ipſe loquitur ſub finem Epiſtolæ XXVII. *Acceſſit eo*, inquit, *Hiſtoriæ ſcribendæ labor, in ætate integra permoleſtus, nunc vero in hac meditatione mortis, inter mortalitatis metum & deſinendi pudorem, non poteſt non lentus eſſe & ingratus, quando nec ceſſare licet, nec progredi lubet.* Scripta autem eſt hæc Epiſtola tribus fere annis ante ipſius mortem, adeoque & ante Hiſtoriam evulgatam, quod uti maximum, ita ultimum pene mortalium ei fuit, utpote cui in lucem emiſſo vix integrum menſem ipſe ſuperfuerit.

De honoribus præmiiſque ei a Proregibus conceſſis ut breviter dicam, ex D. Jo. Scoto de *Scotſtarvet* diſcimus eum Cancellariæ Regiæ Directorem, ac poſtea Secreti Sigilli Cuſtodem conſtitutum fuiſſe. Hoc munus ei a *Mortonio*, illud

a *Moravio* Proregibus demandatum exiſtimat Cl. *Sibbaldus*, qui etiam adjicit eum inter Regios Conſiliarios allectum, ac proventibus Cœnobii Crucis Regalis (vulgo *Coſſragwell*) locupletatum; cujus rei documentum adfert diploma Regium, magno ſigillo munitum, quo Jacobus VI. terras de Kippis *Jacobo Bodio*, Cl. *Sibbaldi* proavo materno, conceſſit, conſenſu Jacobi Comitis de Morton Regentis; teſte inter alios dilecto ſuo familiari Conſiliario Magiſtro Georgio Buchanano, Penſionario de *Croſſragwell*, ſui ſecreti Sigilli Cuſtode; apud *Holy-rude-houſe* 15 die menſis Februarii, anno Domini 1573, & regni ſui ſeptimo.

Anno tandem 1581, ſenio & morbis fractus omni ſe munere abdicavit, atque ad privatam vitam, vel potius ad placidam mortem, ſe totum compoſuit: quod ipſe teſtatur *Epiſt.* XXXVII. ad *Eliam Vinetum*, his verbis, quæ magnus *Thuanus* memoriæ altius ſibi infigenda exiſtimavit; *Ego vero*, inquit, *literis jamdudum valedixi. Nunc id unum ſatago, ut quam minimo cum ſtrepitu, ex inæqualium meorum, hoc eſt, mortuus e vivorum contubernio demigrem.* Ab hoc tempore, Aula relicta, Edinburgi ſe continebat, qua in urbe fatis demum conceſſit, paullo poſt horam quintam matutinam, die Veneris, 28 Septembris, anno 1582, ætatis ſuæ 77.

Hunc vitæ finem habuit Georgius Buchananus, vir, ſi totum ſpectes, plane incomparabilis, nec Scotiæ tantum & ſeculi ſui inſigne decus & ornamentum, ſed cui in omni fere literarum genere ab heroïcis uſque Latini ſermonis temporibus vix quidquam ſimile, nedum majus eſt reperire: de cujus ſtupendis ingenii dotibus, poſt tot egregia virorum doctiſſimorum elogia, nihil aliud effabor, quam quod olim de Carthagine pronunciavit Salluſtius, *Tacere ſatius eſt, quam pauca dicere.* Hic tamen vir, quantus quantus fuit, ſuos nævos, eoſque nimium conſpicuos habuit. Iniquitate enim eorum temporum, atque factionis ſuæ cauſſæ adverſantis odio, multa ſcripſit, quibus ſe prorſus abſtinuiſſe, aut alio quidem more tractaſſe, famæ ejus multum interfuiſſet. Dum enim omnia ad ſua ſuarumque partium conſilia aptare adnititur, *Jus regni* apud Scotos eſt commentus, quale nuſquam fere gentium, non certe apud Scotos, locum habuiſſe, abunde norunt rerum noſtrarum periti. Quamvis autem nemo prope mortalium majore bonarum artium ſupellectile inſtructus ad Hiſtoriam ſcribendam acceſſit, adeo ut poſt Salluſtii Liviique ætatem, ſive ſubactum judicium, ſive ſermonis puritatem ſpectes, nihil in eo genere cum ea comparari poſſit; ubique tamen dominari partium ſtudium conqueruntur non modo ipſius hoſtes & obtrectatores, ſed nominis Buchananæi amantiſſimi, qui nonnunquam in eo fidem, ſæpius vero animi moderationem requirunt.

Eum vero qui ubique ſe prodit Regalis faſtigii contemtum, ac in primis eam linguæ intemperiem, qua Reginam Mariam ejuſque fautores inſectatur & exagitat, plerique omnes averſantur. Certe alumno ejus Jacobo VI. regnique Ordinibus ejus Hiſtoria & de Jure Regni Dialogus adeo fuere ingrata, ut anno 1584, biennio *ſcil.* ab ipſius morte, lege lata damnarentur, gravi pœna indicta ſi qui ea legere aut aſſervare auderent. Quam autem Regi inviſa fuerit hanc ob cauſſam Buchanani Hiſtoria, ipſe poſtmodo in Baſilico Doro declarat. Cum enim Henrico filio ſuæ gentis Hiſtoriam commendat, protinus ſubdit, *Non illos Buchanani libellos famoſos, quos qui in tua uſque tempora aſſervarit, ſentiat ille mearum legum pœnas.*---- At neque Regem tantum, ſed & Buchananum ipſum ſuum opus damnaſſe affirmat Cl. *Camdenus*, cujus verba operæ pretium eſt hic ſubjicere, ad ann. 1567. *Cum*, inquit, *ille* [*Buchananus*] *partium ſtudio & Moravii munificentia abreptus, ita ſcripſerit, ut libri iſti falſitatis damnati fuerint ab Ordinibus regni Scotiæ, quorum fidei plus tribuendum, & ipſe ingemiſcens coram Rege, cui fuit pædagogus, ſubinde ſe reprehenderit* (*ut accepi*) *quod tam virulentum calamum in Reginam bene meritam ſtrinxiſſet, morienſque optaverit, ut tantiſper ſupereſſet donec maculas quas maledicentia falſo aſperſerat, revocata veritate vel ſanguine elueret; niſi quod* (*ipſe dixit*) *hoc vanum eſſet, cum præ ætate delirare videretur.* Hæc *Camdenus*, cui geminum eſt quod a *Fam. Strada* (*Bell. Belg. Decad.* II. *lib.* 8. *ad annum* 1587, *pag.* 486) narratur, e *Camdeno* (uti credibile eſt) deſumtum. At longe aliter ſe rem habuiſſe refert *Thuanus reſtitutus*, ſive Sylloge locorum variorum in Thuani Hiſtoria deſideratorum. *Amſt.* 1663. is autem refert; *Cum morti proximus eſſet*

Buchananus, a Rege alumno rogatus, ut quæ de Maria parente nimis libere ſcripſerit, revocaret, & infamiam ejus nomini ſcriptis ſuis inuſtam inſigni aliquo teſtimonio elueret; nihil aliud reſpondit, quam brevi fore, ut ipſius deſiderio abunde ſatisfieret. Repetitis deinde vicibus per fidos eadem de re interpellatus, hoc poſtremo reſponſo Regi ſatisfecit: Se quæ ex animi ſententia vere ſcripſerat, revocare quidem non poſſe: cæterum ubi exſpiraverit, in Regis poteſtate futurum, ut de ſcriptis illius pro arbitrio ſuo ſtatueret: tantum quid in ea re acturus eſſet pro prudentia ſua ante mature conſuleret, ſciretque Reges cum ſoluta poteſtate a Deo conſtitutos nihil non poſſe; ſed veritatem, quæ a Deo vires ſumit, quantum Deus hominibus major eſt, tantum potentia adverſus Reges ipſos præpollere. Eadem fere habet *Varillas Præf. du* 5. *Vol. d l'Hiſt. de Hereſ. & Liv.* 28. *pag.* 271. Ex pugnantibus hiſce fronte adverſa ſententiis quam potiſſimum ſequar nequeo ſatis expedire, ad *Camdeni* tamen teſtimonium magis inclinat animus, his rationibus præcipue adductus. Primum quod *Camdenus* hæc a Rege ipſo, qui aliiſve rei geſtæ interfuerant, accipere poterat; ille vero * ignotus ſcriptor, qui Thuani reſtitutorem ſe vocat, nullum ſententiæ ſuæ adfert adſtipulatorem; *Varillas* autem, ſubleſtæ alias fidei auctor, hac in re vacillando ſibi ipſe fidem abrogavit. In *Præfat.* enim, id ait a minore Puteano Hiſtoriæ *Thuani* adſcriptum, quod tamen in libro ipſo a manu ipſius *Thuani* dicit profectum. *Camdeni* denique ſententiæ non leve pondus addit Reverendi viri, morumque ſanctitate juxta ac ſcriptis egregiis clariſſimi, *Joan. Sagii* ſuffragium, qui Epiſtola ad amicum anonymum 17 Octob. 1709 ſcripta, ejuſque vitæ nuper editæ ſubnexa, ſe ait, cum ante 28 annos ad Innermejam in Iernia eſſet, ſermone forte orto de Georgio Buchanano, a Roſſythiæ Comarchi uxore, fœmina lectiſſima, tum provectæ ſenectutis, & ipſa e domo Buchananæa oriunda, pro re certa ac indubia accepiſſe, veram fuiſſe eam, quam *Camdenus* narrat, Georgii Buchanani pœnitentiam: ſe enim, cum juvencula eſſet, ea de re edoctam a *Davide Buchanano*, tum ſene admodum, ac patris ſui hoſpitio ſuſcepto, qui ſeſe Georgio Buchanano morienti adfuiſſe, eumque culpam ſuam agnoſcentem audiviſſe, ſibi ſæpius affirmaverat.

Interim non ab re erit hic adjicere quod a *Nathane Chytræo*, initio Collectaneorum ad Buchanani Pſalmos, memoriæ proditum eſt, quod ſingulare quiddam nec a propoſito noſtro alienum in ſe continere videretur. Ejus verba ita ſe habent, *Imo*, inquit, *ne poſtea quidem eum a priori illa ſua erga Regem Scotorum παῤῥησίᾳ deſciviſſe, teſtatur narratiuncula* Joan Metelli *Sequani V. Cl. ex ore filii fratris Buchanani excepta, & bona fide perſcripta ad eloquentiſſimum Oratorem D.* Andream Dudithium, *mihique nuper ab amico meo integerrimo D.* Jacobo Menavio, *patritiorum Bratiſlavienſium ornamento, candide communicata, quæ talis eſt.*

Quoniam mihi quidam retulit, te ex neſcio quibus hauſiſſe, Buchananum a Scotiæ Rege ſublatum, referam quidnam hic mihi, ea de re interrogatus a me ſedulo illius fratris filius reſponderit, qui morienti adſuit. Patruus, inquit, *meus, erat natura ſalſus & mire urbanus. Cum videret Regem omnia omnibus, quæ peterent, concedere: ut Regem, cujus erat Præceptor, hac parte emendaret, Regem adiit, cum duobus libellis ſupplicibus, in quibus quæ ſtatuerat petiit. In quorum uno ſupplex poſcebat, Regem ſe, permiſſu Regis Scotiæ, cum libera regni adminiſtratione, ad quindecim dies fore. Rex, cum ille verbis non exponeret, ſed, quæ in libellis continebantur, poſceret, petenti annuit, & utrique libello manu propria ſubſcripſit. Buchananus egreſſus, cum a quodam procerum nomine ſolito ſalutaretur, faciem ab eo avertit, Sum Rex, ait: magnamque ac Regiam majeſtatem præ ſe tulit. Idem toto quindecim dierum tempore, ſe Regem eſſe, omnibus affirmavit. Quo exacto, ad Regem rediit, & ſe quoque Regem eſſe confirmavit. Rex admiratus, Tu*, inquit, *mihi Scotiæ regnum donaſti. Rex eum magis admiratus, cum hoc negaret, ac forte putaret illum eſſe mente mota, En*, inquit, *literas manu tua de regno mihi abs te donato ſubſcriptas. Eumque cœpit, tanquam diſcipulum præceptor, graviter reprehendere, quod quæ peterentur, non perpenſa concederet, tum quanta inde ei damna evenirent. In poſterum igitur ne quid cuiquam*

* [Fuit *Abrahamus de Wicquefort*, editor. vid. Bayl. Lexic. t. II. pag. 685. & Le Long Biblioth. Hiſt. de France. pag. 442.]

quam indulgeret, niſi prius illud, quidnam eſſet, probe noſſet, & cui beneficium conferret. Hinc nata occaſio adverſariis, ut ſpargerent, illum fuiſſe inſanum, & arceſſitum læſæ majeſtatis. Non multo vero poſt obiit; ſed morbo ſenectutis. Exceſſerat enim ætatis annum octogeſimum. Hactenus Metellus.

Falſum eſt quod extremis verbis de Buchanani ætate narratur, de reliquo ex arbitrio ſuo ſtatuat lector.

Quod ad Buchanani mores vivendique rationem attinet, *David Buchananus*, quem illi non ſolum nomine, ſed genere conjunctum exiſtimare liceat, eum teſtatur auſtero fuiſſe ſupercilio, (quod & ipſius imagines adhuc præferunt) & toto corporis habitu ſubagreſtem; at ſtylo & ſermone perurbanum, quum ſæpiſſime vel in ſeriis multo cum ſale jocaretur. Quamvis autem cœlibem vitam, ſive naturæ ſponte, ſive incerta rerum ſuarum conditione, ſit amplexus, amoribus tamen nonnihil indulſiſſe, oſtendere videntur varia ejus carmina, laſciviore, quam decuit, vena effuſa. Sed hoc forte non tam hominis vitium, quam Poëtæ, cujus vaſtum nulliſque metis coërcendum ingenium periculum ſui facere volebat, an quod alios fere omnes Poëtas tam feliciter expreſſerit, his quoque Catullum, Ovidium & Martialem imitari poſſet; adeo ut illud veteris Poëtæ in re ſimili uſurpare potuerit,

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.

Neque enim alio referenda eſt ejus ad *Briandum Vallium* Senatorem Burdegalenſem pro Lena Apologia: (*Vid. Eleg.* III.) quam *Obad. Valkerius De Educat. Part.* I. *cap.* 11. miſere narrando depravavit. Is enim fabulatur Buchananum, cum Scholam Burdegalenſem moderaretur, audito puellam generoſam, quam ipſe deperibat, capitis fuiſſe poſtulatam, e veſtigio Curiam ingreſſum ejus cauſſam verſibus Heroicis ex tempore fuſis egiſſe, adeo ut non modo virginem periculo liberarit, ſed Judices etiam in ſummam ſui admirationem rapuerit. Quicunque enim hanc Apologiam vel leviter oculis luſtraverit, eam non pro amica, ſed lena, nec Heroico, ſed Elegiaco carmine ſcriptam, neque denique rem ſeriam hic agi, ſed ingenii luſum eſſe comperiet. Cæterum, cum ad graviora ſe ſtudia Buchananus recepiſſet, non tantum ludicra hæc depoſuit, ſed, ſi per amicos licuiſſet, ſempiternæ ea oblivioni conſecrare voluiſſe non ſemel ipſe profeſſus eſt. *Vid. Epiſt.* III. & XXVII. Ex quo autem in patriam poſtremo reverſus, puriori religioni nomen dedit, eum virtutes omnes, atque in primis pietatem coluiſſe non modo ipſius ſcripta, ſed aliorum etiam, qui quotidiana ejus conſuetudine fruebantur, teſtimonia declarant. Quin ipſe *Jacobus Melvillius*, licet alias Buchanano iniquior, eum teſtatur virum religioſum fuiſſe, ac omni fere cum ſuis ſermone, brevia vitæ ac morum exempla, quorum ei larga copia ſuppetebat, recitare ſolitum; unde, & a neglecto corporis habitu, Stoicum eum Philoſophum appellat. Idem tamen *Melvillius* credulitatem ei exprobrat, qua haud raro factum ſit, ut ex vagis conviventium ſermonibus dicendi ſcribendique materiem arriperet. Maximum autem Buchanani vitium fuiſſe ait implacabilem vindictæ cupiditatem, qua omnes qui ipſum læſiſſent perſequebatur. Hæc Buchanano a viro gravi & illorum temporum æquali ſcriptore objecta vitia, uti nec refellere, ita neque affirmare auſim: ea tamen in majus aucta ab homine diverſarum partium haud temere crediderim. Vero magis affine eſt quod a *Thoma Smitho* aliiſque memoriæ proditur, Buchananum, poſtquam Regi docendo eſt adhibitus, extremo ſaltem tempore, moribus paullo aſperioribus, ac ingenio nonnihil tetrico ac minus tractabili fuiſſe. Id autem non naturali ipſius indoli acceptum referendum, ſed morbis continuis, aliiſque quæ ſenectus ſecum adfert malis, quæ viros etiam egregios exacerbare, & non amicis modo, ſed ipſos ſibi graves reddere ſolent.

Hic vero ſcriptores Pontificii, ac in primis Jeſuitarum cohors, plenis velis, atque immani qua pollent maledicendi licentia, in Buchananum invehuntur. *Genebrardus* eum Monachum excucullatum, Bacchicum Hiſtrionem, & Atheum Poëtam appellat; *Garaſſa* & *Sandæus* potorem tricongium, Bacchi Veneriſque nepotem inſigniunt, contractaque ex ebrietate hydrope, nullis tamen Medicorum hortatibus temperare potuiſſe, vinoque Vaſconico, quod ſibi morienti apponi juſſiſſet, ſe ingurgitantem, *purpuream* tandem *animam vomuiſſe* tradunt. Alii eum tempore quadrageſimæ pro cœna Dominica agnum Paſchalem more & ritu Judaico comediſſe, alii Plinium ſacris literis prætuliſſe, ac extrema jam in

morte

morte orationem Dominicam dicere juſſum, ejus vice primam Propertii Elegiam recitantem exſpiraviſſe. At pura puta hæc nulloque prorſus ſundamento innixa mendacia, indignatione potius, quam reſutatione excipienda. Quid enim illis hominibus agas, qui omni veri falſique diſcrimine omiſſo, modo male dicant, nihil penſi habent quid vel ipſi dicant, vel alii de illis ſentiant. Buchananum certe Monachum nunquam fuiſſe, cum ipſius ſcripta, tum vitæ ratio oſtendunt; pietati vero ſinceroque Dei cultui ſtuduiſſe, vel illud indicio eſt, quod ſingulari exemplo, Synodi Nationalis, quæ Edinburgi haberi cœpta eſt 25 Junii anno 1567, Præſes ſive Moderator eſſet electus, tum Collegii Leonardini Rector, nulloque ſacri muneris auctoramento honeſtatus. Sed piget portentoſis hiſce calumniis diutius immorari, a quibus qui Buchananum fuſius purgatum velit, *Balii* Dictionarium Criticum adeat, aut ſi illud non erit ſatis, immortalia petat ejus ingenii monumenta, in primis vero divinum Pſalterii opus: quæ ubi attentus ac ſerio perlegerit, tum quidem ſi poſſit, animum inducat ſuum ea ab homine ebrioſo, impio, omniſque religionis experte conſcripta exiſtimare: quin potius, ni vaniſſimus ſim augur, cum *Nathane Chytræo*, ex opere opificem cernente, Buchananum *virum optimum & innocentiſſimum, immortalique hominum memoria propter doctrinam & gravitatem plane eximiam omnino digniſſimum* pronunciabit.

In
GEORGIUM BUCHANANUM
Scotum Epitaphia.

JOSEPHI SCALIGERI.

POſtquam laude tua patriam, meritiſque beaſti,
Buchanane, tuis Solis utrumque latus:
Contemtis opibus, ſpretis popularibus auris,
Ventoſæque fugax ambitionis, obis;
Præmia quina quater Piſææ ſunctus olivæ,
Et linquens animi pignora rara tui:
In quibus haud tibi ſe anteferent quos Itala vates
Terra dedit: nec quos Gallia mater alit,
Æquabunt genium felicis carminis, & quæ
Orbis habet famæ conſcia ſigna tuæ.
Namque ad ſupremum perducta Poëtica culmen
In te ſtat, nec quo progrediatur habet.
Imperii fuerat Romani Scotia limes:
Romani eloquii Scotia finis erit.

ANDREÆ MELVINI.

ERGO ſilent magni Buchanani in funere Muſæ?
Nec vatem Aonidum flet pia turba ſuum!
An ſecum Buchananus habet montem, unde Camœnæ
Devolvunt mœſtis murmura trunca modis?
An ſecum Buchananus habet fontem, unde Poëtæ
Pieriis poti collachrymantur aquis?

Aonio

Aonio fruſtra quæruntur vertice
Muſæ:
Caſtalio fruſtra e fonte petuntur
aquæ.
Pro monte eſt cœlum, pro fonte eſt
Chriſtus: utrumque
Et Chriſtum & cœlum nunc Bu-
chananus habet.
Hauſiſti hinc ſacros latices, divine
Poëta:
Fudiſti hinc ſummo carmina di-
gna Deo.
Hauriat hinc quiſquis Buchanani in
funere mœret,
Ut vatum fundat carmina digna
Deo.

JOANNIS JONSTONI.

SCOTIA quem genuit, fovit,
cum Pallade Muſa
Diva beat, tanto ſeſe hoſpite Gallia
jactat,
Ingenſque ingentem Tellus miratur
& Aether,
Seu canit Hiſtoriam, ſeu grandi car-
mina plectro:
Quem decorant Reges, qui ipſos
decorat quoque Reges
Et Solymæ & propriæ gentis: qui-
que entheus almi
Facta Dei, laudeſque virum, qui
ſidera dixit;
Exiguo magnus ſub ceſpite Bucha-
nanus
Heic Vates recubat. Nomen viget
alite fama,
Atque orbem immenſum complet.
Jamque arduus ipſe
Cœlum habet, & gaudet permiſtus
cœlitibus Diis.

**JO. ADAMSONI de ceſpititio GEO. BUCHANANI tumulo.*

MArmoreæ cur ſtant hic omni
ex parte columnæ,
Signaque ab artificum Dædala fa-
cta manu?
Ut ſpectent oculis monumenta inſi-
gnia vivi,
Per quæ defunctis concilietur ho-
nos.
Talia nonne etiam debet Buchana-
nus habere,
Doctius aut melius quo nihil or-
bis habet?
Gloriolas vivus qui contemnebat
inanes;
An cupiet Divus ſe decorent la-
pides?
Illis fas pulchro nomen debere ſe-
pulchro,
Qui nil quo melius nobilitentur
habent.
Per te olim tellus eſt nobilitata Bri-
tanna,
Et decus es tumulo jam, Bucha-
nane, tuo.

* Ejus cura Buchanani cranium de ſepulchro erutum in Bibliotheca Academiæ Edinburgenæ aſſervatur, rotundius quidem ac tenuius, ut lux per id tranſpareat. *D. Rob. Sibbaldus*, pag. 62.

DOCTORUM VIRORUM
DE
GEORGIO BUCHANANO,
Scoto,
Ejuſque Scriptis,
TESTIMONIA.

JACOBUS AUGUSTUS THUANUS
Hiſt. ſui temporis, lib. LXXVI.

GEORGIUS BUCHANANUS, vir ingenii felicitate & ſcribendi facultate, quod ejus ſcripta ad omnem æternitatem victura vel fatente invidia teſtantur, noſtra ætate incomparabilis, in Levinia Scotiæ provincia ad Blanum amnem natus, ſed adoptione noſtras, qualis Antonius Goveanus, Luſitanus, ſummus & ipſe Buchanani amicus, dici & exiſtimari volebat. Nam poſt prima utriuſque linguæ tirocinia apud ſuos facta, omnem fere ætatem in Gallia exegit, Lutetiæ literas humaniores primum profeſſus, & poſtea Burdegalæ in Gymnaſio Aquitano; unde ab Andrea Goveano in Luſitaniam, cum Nicolao Gruchio, Gulielmo Guerentæo, Jacobo Tevio, Elia Vineto, & Patricio fratre abductus Conimbricæ juventuti erudiendæ operam dedit; toto eo tempore inſignem illam poëticam Pſalmorum Paraphraſim commentatus. Dum in Luſitania eſſet, ob liberius carmen in Franciſcanos ſcriptum exagitatus eſt, quamvis Jacobi V. Scotorum Regis juſſu id feciſſet, ultionem contra eos quærentis, quod in conjuratione a quibuſdam e Nobilitate contra ſe inita minus ſincere verſatos illos perſuaſum haberet. Inde in Galliam reverſus operam ſuam Timoleonti Coſſæo Briſſaci equitum tribuni filio addixit, cum quo quinquennium totum hæſit, & ad annum uſque 1560, quo bellorum civilium apud nos ardente incendio ad patriam antiquam, alumna & nutrice Gallia relicta, reverſus eſt. Ibi Proteſtan-

teſtantium doctrinam palam amplexus, tandemque poſt regno exutam Mariam Reginam, erudiendo Jacobo VI. ejus filio appoſitus, in ſenili otio patriam hiſtoriam aggreſſus eſt; quam tanta puritate, prudentia & acumine ſcripſit, quamvis interdum libertate genti innata, contra Regium faſtigium acerbior, ut ea ſcriptio non hominem in pulvere literario verſatum, ſed in media hominum luce & in tractandis reipublicæ negotiis tota vita exercitatum redoleat: adeo ingenii felicitas & animi magnitudo omnia obſcuræ & humilis fortunæ impedimenta ab eo removerant, ut propterea non minus recte de maximis rebus judicare & ſcribere prudenter poſſet. Et ſane memini Petrum Ronſardum, virum acerrimi judicii, qui licet in diſpari fortuna conſtitutus tota vita ſcholaſtico otio oblectatus fuerat, cum de Buchanano, Hadriano Turnebo, Antonio Goveano, M. Antonio Mureto, quibuſcum arcta amicitia conjunctus fuerat, verba faceret, dicere ſolitum, illos homines nihil pædagogicæ præter togam & pileum habuiſſe, & tamen de vulgo pædagogorum ſic cenſere, nunquam incorrigibilis ineptiæ ex pædagogica contractæ characterem vel longiſſimi ævi curriculo deleri poſſe.

THO. DEMPSTERUS Hiſt. Eccleſiaſt. gentis Scotorum lib. II. pag. 109.

GEorgius Buchananus natus eſt nobili loco in Levinia, ſed tenui, Kalend. Februarii anno 1506. *Prima ſtudia in patria, mox Pariſiis exercuit. Vir factus magna cum gloria Lutetiæ eſt profeſſus bonas artes, tum Burdegalæ, ac deinde in Luſitania, ubi periculum adiit, ad quæſitores impietatis delatus. Inde in Angliam, & feſtinato curſu in Liguriam contendit, Timoleontis Coſſæi pueritiæ admotus, cujus pater Prorex magnos exercitus in ea gente ductabat. Tandem ad Scotos ſuos redux, Jacobo VI. Regi, qui nunc totius magnæ Britanniæ ſceptra unus conjunxit, erudiendo præpoſitus: præter viri boni partes, omnia executus; Principi ſanctiſſimæ, Reginæ ac dominæ ſuæ famam elevare contumelioſiſſima Satyra quatuor libris hiſtoriæ ſuæ ultimis eſt conatus, mercenarius ſcilicet Jacobi nothi, qui tum magnis conatibus Proregis auctoritate ad principatum tendebat. Ut hominis*

minis igitur impietatem damno, ita laudibus in eruditione non vulgaribus lubens faveo. Obiit vero 28 Septemb. anno 1582.

DAVID BUCHANANUS de claris doctrina Scotis, MS. penes D. Robertum Sibbaldum M. D. Equitem auratum.

GEorgius Buchananus Poëta & Hiſtoricus, in Levinia Scotiæ provincia natus eſt, ad Blanum amnem, in villa ruſtica, familia magis vetuſta quam opulenta, a pueritia in literis utiliter educatus. Poſtquam avunculus ejus in ſcholis patriis ſpem de ingenio ejus concepiſſet, Lutetiam amandavit ubi circiter biennium literarum ſtudiis, maxime carminibus ſcribendis, operam dedit. Poſtea morbo correptus ad ſuos eſt reverſus, & cum auxiliis Gallorum in caſtra eſt profectus, urgente ſua neceſſitate. Anno autem proxime ſequente, primo quoque vere, factus eſt auditor Joannis Majoris in Academia Andreapolitana. Hunc in Galliam æſtate proxima ſecutus, tandem in collegium Barbaranum accitus prope biennium Grammaticam docuit. Deinde a Gilberto Caſſiliſſæ Comite, poſtquam quinquennii ſpatio ei adhæſerat, in Scotiam eſt reductus, ubi a Rege rogatus in Franciſcanos Silvam protulit. Hinc patriam derelinquere eſt coactus, atque per Angliam in Galliam denuo proficiſcitur, ibique Burdegalæ biennium docuit. Sæpius etiam exinde ſedem commutavit, nunc in Scotiam, nunc in Angliam, Galliam & Italiam ſe recipiens. Denique poſt 24 annorum peregrinationem Regem nativum Jacobum VI. diſcipulum ſuum habuit. Qui ubi adoleverat, eum a conſiliis & privati ſigilli cuſtodem fecit. Vir erat ingenio pollens, animique dotibus pulcherrime ignitus, de literis optime meritus, & cui comparando ob ſingulares ingenii dotes ætas noſtra vix parem vidit, non per Scotiam ſolum, ſed nec per Angliam, Galliam, Germaniam, & (ut compendio dicam) per ipſam ſtudiorum matrem Italiam. De cujus viri laudibus non eſt cur multis hic agam, quas ſcio notiores eſſe, quam ut frigida prædicatione mea indigere videantur: Liberiore veluti ſtudio (ut de Joviano Pontano ſcribit Paulus Jovius) Muſas per omnes numeros exercuit, tanta habilis ingenii fœcunditate, ut neque Poëtis, neque Oratoribus, qui tum maxime florerent, dignum ſecundæ famæ locum relinqueret.

Erat

Erat auſtero ſupercilio, & toto corporis habitu (imo moribus hic noſter) ſubagreſtis; ſed ſtylo & ſermone perurbanus, quum ſæpiſſime, vel in ſeriis, multo cum ſale jocaretur. Denique vir, quem mirari facilius, quam digne prædicare poſſis.

ROBERTUS JONSTONUS Hiſt. Rerum Britannicarum, &c. lib. III. ad annum 1582, p. 81.

PER idem tempus Georgius Buchananus, celeberrimi ingenii vir, domi foriſque doctrina clarus, provectus ad ſeptuageſimum ſextum ætatis annum fato obiit, qui Poëticam Pſalmorum paraphraſin varii generis verſibus compoſuit ſingulari felicitate, nec minori elegantia Tragœdias ſcripſit & Epigrammata. Item proſa oratione Hiſtoriam gentis Scoticæ tenus civili bello viginti libris complexus eſt, addiditque librum modicum immoderata libertate, cujus argumentum & titulus eſt, De Jure Regni apud Scotos. *Hic vir judicio doctiſſimi Scaligeri & publico decreto Senatus literati Poëticæ culmen attigit: haud pariter probatus in Hiſtoria ſui temporis, in qua plus dignitatis eloquentiæque, quam veritatis & fidei; quippe Mariæ Reginæ infenſus, invidia iraque fœdiſſima quæque objectavit multa cum acerbitate, haud recordatus compoſita a ſe paullo ante in memoriam virtutis carmina. Addictus Moravio patrono, & multis beneficiis obſtrictus, eum laudibus cœlo æquavit. Orta inter eos contentione, quam æquus judex fuerit in eo negotio fides ſit penes lectores, qui iniquitatem ſcribentis arguere poſſunt ex dubia argumentorum fide, temerariis ſuſpicionibus, & inurbana dicacitate patrono haud ingrata, cæteris mortalibus inviſa. Præterea in libro* De jure Regni, *prætendens ſeverum & reſtrictum laudatorum Principum imperium, ac ſpecioſa nomina libertatis & moderati regiminis, procerum plebiſque animos obſtinatos pro legitimo imperio, jure majeſtatis, & ſummæ poteſtatis, callidis artibus ſubruit, contra jus, fas, & inſtituta regni. Improbus liber qui circumfertur, & in ore hominum eſt ob ſcribendi genus elegans & temperatum; graviſſimo judicio prudentiorum neutiquam probari potuit, ob falſa in Principes probra, legitimi imperii dedecus, ſummæ & abſolutæ poteſtatis diminutionem, propter quæ paſſim & propalam vileſcit ac comtemptui eſt. Nemo in libera civitate*

natus majore obtrectatione aut malevolentia jus Regium inſectatus eſt, editis annalibus, & non occultato De jure Regni *libro. Rex cum ulciſci auctorem pœna legitima poſſet, tulit maledicta patienter educatoris & præceptoris ſui, haud facile dixerim majore moderatione an prudentia; nam ſi qua alia in Jacobo virtus, fuit & contumeliarum inſignis patientia: hoc facto conviciatori dedecus, ſibi gloriam æternam apud poſteros peperit. Antequam moreretur, ſubeunte animum ſera pœnitentia procacis linguæ & immodice liberæ, ſive naturæ vitio ſuæ, ſive conſuetudine, librum cremandum cenſuit, ſed amore præſtantiaque ſtyli manſit editus & occultatus: a Blacvodeo & Barclajo I. C. Scoticæ originis exemplis & argumentis confutatus eſt.*

Sir JAMES MELVIL'S *Memoirs, p.* 125.

MR. *George Buchanan* was a Stoick Philoſopher, who looked not far before him, a Man of notable Endowments, for his Learning and Knowledge in *Latin* Poëſie; much honoured in other Countries, pleaſant in Converſation, rehearſing at all Occaſions Moralities ſhort and inſtructive, whereof he had Abundance, inventing where he wantod. He was alſo religious, but was eaſily abuſed; and ſo facile, that he was led by every Company that he haunted, which made him factious in his old Days: For he ſpoke and wrote as thoſe who were about him informed him; for he was become careleſs, following in many Things the vulgar Opinion; for he was naturally Popular, and extremely revengeful againſt any Man who had offended him, which was his greateſt Fault.

Dr. JOHN SPOTTISWOOD *Archbiſhop of St.* Andrews, *Hiſt. of the Chucrh of* Scotland, *p.* 325.

MR. *George Buchanan*, a Man ſo well deſerving of his Country, as none more; he was of an excellent Wit, and Learning incomparable, born nigh to the Highlands, within the Pariſh of *Killern*, and of the Houſe of *Drummakill*. His Uncle by the Mother, called *Heriot*, took Care to have him trained up in Letters, perceiving his Inclination to be ſet that Way: Wherein he profited ſo much, as he went beyond all his Inſtructors; Nature, it ſeems, having formed him thereunto. In the Year 1539, being called in Queſtion by the *Franciſcan Friars* upon the Malice they bare him for ſome bitter Verſes written againſt them and their Profeſſion, which he did to pleaſe King *James V.* whom they had in ſome Things offended, he was committed as ſuſpected of *Lutheraniſm*, but made

made his eſcape to *France*, where he lived a long time, and became acquainted with many learned Men, with which that Country did then abound. His Paraphraſe of the Pſalms, a rare Work, and other Poems, he wrote for the moſt part whilſt he ſtayed abroad; and for his Learning and quick Ingine, was admired of all Men. Returning into *Scotland* about the Year 1560, after he had profeſſed Philoſophy ſome Years in St. *Leonard's College*, within the Univerſity of St. *Andrews*, he was choſen to attend the King, and bring him up in Letters.

In his Age he applied himſelf to write the *Scottiſh* Hiſtory, which he pennend with ſuch Judgment and Eloquence, as no Country can ſhew a better. Only in this he is juſtly blamed, that with the Factions of the Time, and to juſtify the Proceedings of the Noblemen againſt the Queen, he went too far in depreſſing the Royal Authority of Princes, and allowing their Controulment by Subjects.

His Bitterneſs alſo in wriring of the Queen, and Troubles of the Time, all wiſe Men have diſliked. But otherwiſe no Man did merit better of his Nation for Learning, nor thereby did bring it to more Glory. He died in a great Age at *Edimburgh*, and was buried in the common Place, though worthy to have been laid in Marble, and have had ſome Statue erected for his Memory. But ſuch pompous Monuments in his Life he was wont to ſcorn and deſpiſe, eſteeming it a greater Credit, as it was ſaid of the *Roman Cato*, tho have it asked, *Why he doth lack a Statue, than to have had one, though never ſo glorioſly erected.*

Sir JOHN SCOT *of* Scots-Tarvet, *MS.* cui Titulus eſt, *The Staggering State of the* Scots *Stateſmen from* anno 1550 *to* 1650.

MR. *George Buchanan* Inſtructor in Learning to King *James* in his Youth, is ſo renowned by his Works extant to the World in Proſe and Verſe, that it were ſuperfluous to ſpeak any Thing of him in this Catalogue of Stateſmen. For Reward of his good Service, he got firſt the Office of Director of the Chancery, and then was made Keeper of the Privy Seal in his old Age. But of both the Places he reaped but little or no Advantage. He left neither Lands nor Sums of Money to his Friends. He was never married. He was in ſo great Diſguſt with the State before he died, that they cauſed ſummon him before them ſitting in Council, for ſome Paſſages in his Hiſtory, too plain of the King's Mother and Grand-Mother; and he had undoubtedly run a greater Hazard of his Life, if the Lord had not freed him of the Miſeries of this World betwixt the Citation and the Day of Compearance. He told the Macer that ſummoned him, he was to compear before an higher Judge; which ſo fell out. Yet was his Chronicle prohibited to be printed, which none of them could get hindered, ſeeing it has many times been re-printed in *Germany*, and is extant in all the famous Libraries in *Europe*.

Dr.

Dr. GILBERT BURNET *Hiſt. of the Reform. of the Church of* England, *Book III. p.* 311.

AMONG thoſe that were at this time (*An.* 1541.) in hazard, *George Buchanan* was one. The Clergy were reſolved to be revenged on him for the ſharpneſs of the Poems he had written againſt them. And the King had ſo abſolutely left all Men to their Mercy, that he had died with the reſt, if he had not made his Eſcape out of Priſon. Then he went beyond Sea, and lived twenty Years in that Exile, and was forced to teach a School moſt part of the time; yet the greatneſs of his Mind was not oppreſſed with that mean Employment. In his Writings there appears, not only all the Beauty and Graces of the *Latin* Tongue, but a Vigour of Mind and Quickneſs of Thought, far beyond *Bembo*, or the other *Italians*, who at that time affected to revive the Purity of the *Roman* Stile. It was but a feeble Imitation of *Tully* in them; but his Stile is ſo natural and nervous, and his Reflections on Things are ſo ſolid, (beſides his immortal Poems, in which he ſhews how well he could imitate all the *Roman* Poëts, in their ſeveral Ways of Writting, that he who compares them, will be often tempted to prefer the Copy to the Original,) that he is juſtly reckoned the greateſt and beſt of our Modern Authors.

ADRIANUS TURNEBUS Adverſariorum lib. I cap. 2.

NEMINEM eſſe exiſtimo in Gallia paullo humaniorem, cui Georgius Buchananus non ſit notus, non ſolum eximius Poëta, verum etiam vir omni liberali eruditione non leviter tinctus, ſed penitus imbutus.

THO. SMETONIUS, Reſponſ. ad Hamiltonium Apoſtatam p. 89.

VIVIT adhuc, & utinam diu vivat, orbis terrarum, non Scotiæ tantum decus Georgius Buchananus; quem inepte facerem, ſi a rabidi canis latratu defendere conarer, extra omnem ingenii aleam omnium judicio conſtitutum.

GUL. CAMDENUS, Annal. rerum Anglicarum regnante Elizabetha, ad annum 1582.

—*PAULLO poſt obiit* [*Buchananus*] *Vir, qui nec cœlo, nec ſolo, nec ſeculo erudito, ut ille cecinit, natus, ad ſum-*

ſummum tamen Poëticæ facultatis culmen tam feliciter aſcendit, ut Poëtarum hujus ſeculi princeps merito habeatur.

JOH. AND. QUENSTEDT de patriis illuſtrium doctrina & ſcriptis virorum.

NEC intactum abire patiar inter Scotiæ lumina haud poſtremum, Georgium Buchananum, ex Levinia Scotiæ provincia ad Blanum amnem in villa ruſtica oriundum, cultiſſimum vatem, & lacteæ venæ patrem, verſione Pſalmorum Davidis vario carminis genere feliciſſime expreſſa, & deſcriptione Hiſtoriæ rerum Scoticarum clarum. Sane aurea ejus & cum omnibus priſcis comparanda poëmata, jure merito omnium verſantur manibus.

ROB. ROLLOCUS Comment. in Epiſt. Pauli ad Theſſ. I. in Epiſt. dedic. ad Tho. Buchananum.

NON ſine auſpiciis Georgii Buchanani patrui tui, viri, omnium quos tulit hæc natio, literatiſſimi.

GILBERTUS GRAIUS Orat. de illuſtribus Scotiæ ſcriptoribus, præmiſſa Geo. Mackenzæi M. D. Scriptoribus Scotis p. 32.

SED quo te piaculo taceam Buchanane? aut quo præconio celebrem unicum Muſarum hujus ævi decus? Nam cum perfectum Oratorem vix ſingula ferant ſecula, in te uno ſummi Oratoris laus cum ſummi Poëtæ conjuncta eſt. Tu Poëtarum noſtri ſeculi princeps tuo jure haberi meruiſti; in te omnes, quas dormienti Heſiodo in Parnaſſo monte aſperſerunt Muſæ, violas, omniaque Virgilii, Flacci, Naſonis capiti aptaverunt ſerta, in te, inquam, quis dubitat eadem eſſe collata? Cæterum, Auditores, noſtro huic Poëtæ majoremne gloriam pepererint ſcripta, an doctiſſimi Regis Jacobi VI. cui præfuit, educatio incertum eſt.

THO. SMITHUS Vit. Pet. Junii pag. 5.

BUCHANANUS ſane, cui primæ partes ob famam ingenii & eruditionis delatæ erant, &c.

JEAN le Clerc, Biblioth. Choiſie. Tom. VIII. Art. III. p. 107.

MAIS *il n'y en a point d'exemple, que je ſâche, plus célebre que celui de* George Buchanan; *dont le ſtyle, dans l'une & l'autre maniere d'écrire, ſurpaſſe celui de* Grotius, & *auquel il n'y a encore eu perſonne, que je ſâche, que l'on puiſſe égaler à ces deux égards.*

Et pag. 127.

La premiere choſe, que l'on y voit, (de Editione Salmurienſi ejus Poëmatum loquitur) *c'eſt ſon incomparable traduction des Pſeaumes en vers; qui a été & qui ſera toûjours l'admiration de ceux, qui ont quelque goût pour ces ſortes d'Ouvrages.* Theodore de Beze, *qui a fait une ſemblable Paraphraſe de Pſeaumes en vers, a raiſon de ceder le pas à* Buchanan, & *quand il la fit imprimer à* Geneve *en* 1593. *en parallele avec celle de* Buchanan, *il hazarda beaucoup, en égard à la réputation de bon Poëte. La comparaiſon, que l'ont peut faire de l'un avec l'autre, ne fait pas honneur au Théologien.*

Et pag. 129.

En tout cela, ſi l'on en excepte les Tragedies, & les livres ſur la Sphere, qui ne ſont pas ſi travaillez que le reſte, parce que l'Auteur n'y a pas mis la derniere main, il n'y a rien qui ne ſoûtienne la haute réputation de Buchanan, *dans la Poëſie Latine. On y voit par tout beaucoup d'invention, & un ſtile pur, net, élegant & autant relevé que la matiere le demande. D'ailleurs le tour en eſt ſi facile & ſi heureux, que les plus beaux endroits ne ſemblent rien avoir coûté à l'Auteur. Ceux qui ont lû les Anciens Poëtes reconnoiſſent par tout, qu'il les ſavoit par cœur; & il les imite ſi heureuſement, qu'on diroit qu'il ne débite jamais que ſes expreſſions & ſes penſées, lors même qu'on reconnoit qu'il avoit dans l'eſprit quelque paſſage des Anciens.*

De

De Scriptis ejus Poëticis, & in primis Pſalmorum Paraphraſi.

GEORGIUS FABRICIUS Chemnicenſis.

PSALTERIUM verterunt Germani aliquot pie: Itali, ut ſolent eleganter: in primis Flaminius. Sed nunc omnium induſtriam vicit Georgius Buchananus, Scotus, varietate ſententiarum, & puritate ſermonis.

JUL. CÆS. SCALIGER ad Georgium Buchananum.

FELIX Georgi, lacteæ venæ pater,
Quæ ditat immenſum mare:
Quid Barbarorum voce ſquallentem abſona,
Meriſque nugis obſitum,
Inepturientem non ferendis artibus,
Audire memet poſtulas?
Plectrumne Phœbo temperante Marſyas
Tentabit ictum pollicis?
Amabiles Thalia ſi faciat modos,
Garrire pica geſtiet?
Te, natum ad alta Pegaſi cacumina,
Tepente ſuſceptum ſinu
Regina ſacri magna Calliope ſoni
Liquore non noto imbuit;
Deditque palmam ferre de tot gentibus,
Latina quot colit cohors.
Puris beata voce teſſellis nitor
Perſtringit aures candidas:
Flexuque ducta vena dulcis aureo,
Quam ſuſtulit, iterat ſitim.
O me ſuperbum, mole ſublatum nova,
Te litteratorum Deo!
Deſideratum abeſſe me, ut ſcribis, doles,
Quod aliquid eſſe me putes.
Tu te ipſe contemplator, in quo cuncta ſunt;
Et vota lenies tua.

Idem de Georgii Buchanani carminis venuſtate.

HERI legebam nuper allatum mihi
Sapidum, tenellum, molle carmen, aureum,
Intelligendum vel puellis omnibus,
Si ſplendor, atque puritas, decus, nitor,
Animum ſubire luculentum ullum queat:
Intelligendum non facile doctis viris,
Niſi mentis excitetur ardor efficax,
Sententiarum propter ardorem merum.
De me ut loquaris, ut ego de me ipſo loquar,
Intelligebam primulum ut ſimplex puer:
At ubi vir eſſe, ubi eſſe volui intelligens,
Vocis ſerena luce perculſus tuæ,
De intelligenti intelligens nihil fui.
Hoc te volebam ſic monere, ne petas
Me velle reſpondere: non enim audeo
Hocque eſſe reſpondere, non reſpondeo.

SCALIGERANA prima, edita Cologne. An. 1695. p. 72.

BUCHANANUS unus eſt in tota Europa omnes poſt ſe relinquens in Latina Poëſi.

CAR. UTENHOVIUS.

*TRES Italos * Galli ſenos vicere, ſed unum*
Vincere Scotigenam non potuere virum.

* *Tres Galli fuerunt Michaël Hoſpitalius, Franciæ Cancellarius, Adrianus Turnebus, & Joannes Auratus: ſex autem Itali erant Accius Sincerus Sannazarius, Hieronymus Fracaſtorius, Antonius Flaminius, M. Hier. Vida, Andreas Naugerius & Petrus Bembus Cardinalis.*

LUCÆ FRUTERII carmen ad virum maximum Georg. Buchananum, *quod legitur in reliquiis* Fruterii *pag.* 140. *& miſſum fuiſſe videtur cum Epiſtola* Fruterii II. *vid. notas ad vitam Buchanani ad Ann.* 1560.

QUid? niſi crudeli flagraret Scotia motu,
Angliaque hoſtili ſumeret arma manu,
Divideretque ſui furiales conjugis iras
Nereïne terris, Nereïne pelago;
Ille, Buchanani felix cognomine, vates
Se eriperet noſtris perpetuum ex oculis?
Ille, cui geminæ dives facundia linguæ
Ponit honoratis æmula ſerta comis,
Quemque adeo Muſæ (ſic ſint mea gloria Muſæ)
Et docuere ſacros, & didicere modos.
Sic adeo magnum eſt, Muſas habuiſſe Magiſtras:
Qui didicit docuit, qui docuit didicit.
Dicite Piërides Latiæ, vos dicite Grajæ,
Quale bonum terris attulit e patriis?
Sic ego: ſic contra natæ Phœbeïdes orſæ
(Sit mihi cœleſtum carmine fata ſequi)
Venit, ïo, tempus, Grajæ hæc audite Camœnæ
Quo ſtet iners veſtris gloria Homeridibus.
Venit, ïo, tempus (Latii hæc audite Poëtæ)
Quo minor e veſtro carmine ſurgat honos.
Ille ſacer Vates, noſtrarum Buccina laudum,
Venit ab extremis in ſua regna locis.
Doctaque vivaci permittet carmina famæ,
Carmina cum lingua, tum ſale Piërio,
Vatis Jeſſaei ſacras referentia curas,
Poſt Eratûs luſus, Uranienque ſuam.
O tantum liceat, Muſæ, mihi ferre Poëtam,
Tunc ego ſim fama major, Homere, tua.

Di-

Dicam ego, quod de ſe jactare modeſtia neſcit:
Nil. mihi cum Muſis, magne Poëta, tuis.
Dicam animum facilem ſacriſque caloribus aptum,
Et priſca imbutum relligione caput.
Hei quantum de ſe licet inſanire Poëtis!
Hoc, precor, indulge laudibus omne tuis.
Utque nihil veſtræ condonent carmina famæ,
Carmina ſub titulis vitam habitura tuis;
At mihi ſunt animi faciles, & amoribus apti,
Nec minor in noſtro ſpirat amore fides.
Vive, vale: & faciles Elegos ne deſpice, Vates,
Alcinoo & multos poma dediſſe puta.

THEOD. BEZA in Epiſtola nuncupatoria ſuæ Pſalmorum Paraphraſi præmiſſa.

Q*UEM meum conatum etſi doctiſſimi & plane cum veteribus etiam optimis comparandi, meo judicio, Poëtæ Georgii Buchanani editum poëma retardavit.* —— Et paulo poſt. *Et ut luminibus meis — Buchananus — officiat, — illud Maronis me conſolabitur,* Æneæ magni dextra cadis.

Ejuſdem in Geo. Buchananum carmen.

AUdieram Gottos, & quos Septentrio quondam
Barbarus immanes ultricem in numinis iram
Effudit populos, ſceleratæ mœnia Romæ,
Et quæcunque prius ſpoliato ex orbe ſacrarant
Imperii faſtuſque ſui monumenta Quirites,
Partim æquaſſe ſolo, partim injeciſſe voraci
Conſumenda rogo: ut quæ olim faſtigia cœlis
Intulerat, ſeptem attollens in nubila montes,
Nunc proſtrata ſuis celebretur Roma ruinis.
At non ingenium ſolers, linguamque diſertam,
Æternis quibus illa opibus tot ſecula felix
Roma olim cunctas inter caput extulit urbes,
Hæc, inquam, reliquis longe anteferenda tropæis,
Non equidem audieram Gottoſve aliaſve feroces
Quas procul Oceanus gentes glacialis inundat,
Noſcere, mirari nedum potuiſſe: rapaces
Barbarus ut prædæ iſtius dulcedine captus
Injiceret Muſis ungues, quas deinde rigenti
Captivas ſic diligeret coleretque ſub Arcto,
Ut medias inter glacies Boreæque ſonori
Pectora nata gelu, Muſarum ardore calerent.

Attamen hoc factum ſi quis dubitaverit, idem
Vel medio lucere die Titana negarit,
Vel te virtuteſque tuas ignorat ineptus,
Aonidum immortale decus, Buchanane, ſororum.
Namque tibi extremæ prope nato ad littora Thules,
Os tenerum Aonides ſic formavere puellæ,
Sic Grajo pariter melle illevere labella,
Pectora Romano ſic implevere ſonore,
Ut te Roma, licet Scotorum ad littora natum,
Æquoreas inter cautes atque horrida cete,
Tanquam urbe in media civem ſibi vindicet ortum.
Inde autem magni te Mantua clara Maronis
Juret ſtirpe ſatum, ac contra Verona Catulli:
Aſſerat hinc Venuſinus, & hinc Pelignus; & inde
Corduba te repetat, repetat quoque Bilbilis inde.
At vatem interea Buchananum Scotia jactes
Una tuum, felix tantis natalibus una:
Macte quoque ingenii tanta virtute, Georgi,
Æternum, & Latii ſpoliis ornatus opimis,
Invidiaque omni major, Buchanane, triumpha.

ADAMUS BLACVODÆUS, pro Regibus Apologia adverſus Geo. Buchanani Dialogum de Jure Regni apud Scotos. Poſt Præf.

SI tu Mæonii premeres veſtigia cycni,
Si tu Thebanæ plectra ſonora lyræ,
Si tu Veroni feſtiva poëmata vatis
Tractares, thyrſo liberiore jocans;
Quis genio, Buchanane, tuo certare valeret,
Si Phœbo dignos perſequerere modos?
Nunc tibi Mercurius ridet, qui legibus orbem
Turbas, & Nomii deſeris antra Dei.
Exhilarat Jovis ille dapes, & carmine Divos
Mulcet, Terrigenum prælia dira canens.
At tu terrigenis pugnas, cœlumque laceſſis,
Et ſceptrum eripiunt impia plectra Jovi.
Mutato liquit genio te Phœbus, & ille
Quem ſequeris, refugit te quoque Mercurius.
Mercurius Phœbuſque Jovis ſunt pignora, patrem
Titanas contra juvit uterque ſuum.
Sceptraque firmarunt uni, quæ turba rebellis
Multorum voluit ſeditione regi
Tu turbam regnare jubes, & legibus ima
Exæquans ſummis, ſceptra ligone domas.
Dixiſti certa quondam ſub Apolline lege,
Nunc ſub Mercurio lege ſolutus agis.

Et

Et pag. 9, & 10.

Qui ſi Poëticis ſe fabulis oblectare maluiſſet, quam adminiſtrandi regni legibus animum appellere, omnium ſuffragiis propriam ingenii doctrinæque laurum adipiſceretur. Nam, vel me tacente, vivent mellitiſſima poëmata, vivet omnium ſeculorum memoria Pſalterium illud Muſis & Apolline digniſſimum. Atque utinam illa potius imitari poſſemus, quam perperam ac temere ſcripta reprehendere.

NINIANUS WINZETUS, Velit. in Geo. Buchan.

——*NISI quod nollem tuo nomini, ſatis ob ſuaviores Muſas jam celebri, tam tetram labem inuri.*——

GUL. BARCLAJUS contra Monarchomachos lib. I.

BUCHANANUS, vir multis vel ſola Poëſi notus. *Et paullo poſt.*—— Homo videlicet in quo ſi multijugem eruditionem ſpectes, præclara multa invenias.

PASCHASIUS GROSIPPUS, ſive GASPAR SCIOPPIUS, Rhetor. Exercit. cap. II.

GALLORUM vel Italorum nemo eſt, cui idem quod Buchanano contigerit, ut in quovis carminum genere ſummam obtineret: cujus quidem rei laude omnem etiam antiquitatem Buchananus provocat; ut tanta illa ingenii, vere unici & incomparabilis, ornamenta ad impietatem converſa fuiſſe, vehementer non ipſius magis, quam Reipublicæ cauſſa, dolendum ſit.

HUGO GROTIUS Epiſt. ad Thuanum V.

TIBI hæc mittuntur, qui poſt Scotiæ illud numen [*Buchananum,*] redivivam nobis reduxiſti Tragœdiam.

Le P. VAVASSEUR dans Remarq. anonym. ſur les Reflex. touchant la Poëtique p. 66.

DIT, que de tous ceux qui ont écrit en Latin, *il ne connoiſſoit perſonne qui ſe poſſedaſt davantage, qui fuſt plus le maiſtre de ſes idées, & qui fiſt plus aiſement ce qu'il luy plaiſoit de ſon ſtile & de ſes expreſſions que* Buchanan.

THO. SAVILIUS Epiſt. ad Gul. Camdenum, Edit. a D. Tho. Smitho, Lond. 1691, p. 11.

DE Buchanano gratulor tibi illam ſegetem gloriæ; quanquam enim revera non erat operæ magnæ ſeneſcentem Rhetorem exarmare, & præ-

præbere nobis γοργεῖα γυμνά: at certe hominem popularem nimis, & auctoritate, quam poëmatibus apud doctiſſimos ſibi comparavit, feroculum coërcere, video fore non inglorium.

Le P. RAPIN, Reflexions ſur la Poëtique, Part. II. 30 p. 166.

BUCANAN a des Odes dignes de l'Antiquité: mais il a de grandes inégalitez par le meſange de ſon caractére, qui n'eſt pas aſſez uny.

GILL. MENAGE * Anti-Baillet Tom. II. cap. 27.

LE Pere Bourbon diſoit, qu'il ût mieux avoir fait les Seaumes de *Buchanan*, que d'être Archevêque de Paris.

* Idem prius retulerat ipſe Menagius in ſuis ad Malherbii opera Obſervationibus, p. 395. de quo etiam Teiſſer, *Addit. aux Elog. de Monſieur de Thou*, *Vol.* 2. & Baillet *Jug. de Scavans Tom. IV. Part.* 3. *pag.* 346.

Monſieur BAILLET, Jugemens des Scavans ſur les Poëtes, Tom. IV. Part. III. p. 344.

IL avoit le genie egalement heureux, fecond, & capable des plus grands efferts dans l'Art Poëtique. C'eſt ce qu'il a fait voir dans divers genres de Poeſie, ſur leſquels il s'eſt exercé.

GUY PATIN, Lettre 151.

JE ſcay bien les vers de *Buchanan*, il y a long-tems; *Non ego Romulea, &c.* & même il y a plus de dix mois que Noel Falconet les a mis dans ſon cahier: J'ay autrefois ſceu par cœur tous ſes Epigrammes, ſon *Franciſcanus, & Fratres fraterrimi*, mais donnez-vous le plaiſir de voir celle *in Romam*, qui commence ainſi: *Hi colles, ubi nunc vides ruinas, Et tantum veteris cadaver urbis, &c.* & qui finit ainſi, *Nihil comperies, niſi lupercos, Lupercale, lupos, lupas, lupanar.* Et l'autre qui intitulée, *Imago ad peregre venientes, religionis ergo*, qui commence:

Fare, age, qui terras luſtras, vagus hoſpes, & undas,
Quid petis hinc? longæ quæ tibi cauſſa viæ? &c.

Virgile ne fit jamais mieux, mais il a falu quinze ſiécle pour faire un Poëte comme Virgile.

BORRICHIUS de Poëtis, pag 150.

GEORGII Buchanani Scoti Poëmata varietate argumenti, dictionis nitore, ſchematum lumine, & inaffectata decori cuſtodia, omnium fere doctorum amorem, laudeſque provocarunt. Magnifice Joſephus Scaliger, dum eum reſpectat:

Imperii fuerat Romani Scotia limes,
Romani eloquii Scotia finis erit.

Quam

Quam religioſis, ſed & quam puris manibus intendit lyram Davidicam? quam floret in Elegis? quam plenus eſt gravitatis in Jephthe & Baptiſta Tragœdiis? quam clarus in V. illis de Sphæra libris Epicis? quam floridus in Lyricis, Miſcellaneis, Epigrammatis? quam denique in Franciſcano & Fratribus vehemens & aculeatus?

ANT. TEISSIER Nouv. Additions aux Eloges des Hommes Scavans, pag. 298.

MR. Menage aſſûre que *Buchanan* a été un Poéte trés célébre dans ſon tems, que tous ſes vers ſont excellens, mais qu'il y en a qui ſont ſi beaux, qu'il ſe faiſoit un plaiſir de les repeter ſouvent, par exemple ceux ci où il parle de ſa Maîtreſſe,

Illa mihi ſemper præſenti dura Neæra,
Me quoties abſum ſemper abeſſe dolet.
Non deſiderio noſtri, non mœret amore,
Sed ſe non noſtro poſſe dolore frui.

LUDOVICI CASTELVETRI in Georgium Buchananum.

VATIS Idumæi ſacro quod percitus œſtro
Exprimis Auſonia carmina culta lyra,
Non tibi quas ſolvat dignas pro munere grates,
Romanus, quamvis maximus, orbis habet.
Divinis nam ſiqua fuit vox auribus apta,
Per te illa alloquitur concelebratque Deum.

Incerti Auctoris in eundem.

LUDICRA Chriſticolæ ponant: Æneide majus
Exit opus, celebri majus & Iliade.

HENRICI STEPHANI in eundem.

ECCE, Caledonia Maro, Naſo & Flaccus in ora,
Pro Jove nunc diſcunt poſſe ſonare Jovam.

EJUSDEM.

DAVIDIS hic corpus, ſed tectum veſte Latina,
Quæ picta eſt Flacci, picta Maronis acu.

EJUSDEM.

ASSERE te auctorem: collatas Zoilus inquit
Vatibus a priſcis hoc operas in opus.

EJUSDEM.

ORAS ſi repetat ſuperas Maro, te ſibi juret
Heroum tandem ſurripuiſſe pedem:
Reddita ſi fuerit lux Flacco, juret & ille
Te lyricos numeros ſurripuiſſe ſibi.
Fallor ego: & potius ſtupefactus credet uterque
Se quondam numeros ſurripuiſſe tibi.

EJUSDEM.

LEGERAT hoc Phœbus, turba comitante ſororum,

Carmen : at incertus carminis auctor erat.
Miratur Phœbus, Muſæ mirantur & ipſæ,
Jamque alio metuunt abs Helicone ſibi.
Tum Phœbus, Vates priſcos agnoſcite, ritus
Qui didicere novos, dedidicere meos.

EJUSDEM.

QUÆREBAM, Buchanane, tibi quis & unde dediſſet
Nomen, & an Graja hæc vox foret, an Latia:
Inventa eſt tandem mihi nominis hujus origo:
Ex re hoc, divino numine, nomen habes.
Et quicunque ex re te nomen habere negabit,
Quid Βυχάνη *Græcis, ſe quoque ſcire neget.*

EJUSDEM.

CUR non vel prius hæc donaſti carmina luce,
Vel non perpetuis obruis hæc tenebris?
Tot vatum labor ecce perit, Germania nobis,
Gallia quos nobis, quos dedit Auſonia.
Carmina tot vatum, tam longo ſcripta labore,
Siccine tam facile deleat una dies?
Namque ea quis volvet, Cereris niſi fruge reperta
Gaudeat iligna pellere glande famem?
Verum quam male tu famæ nunc conſulis horum,
Tam bene diceris conſuluiſſe tuæ.

EJUSDEM.

FRUSTRA hæc Davidis conati reddere multi,
Conatus contra vicit at iſte ſuos.

EJUSDEM.

HUNC erga Hebræum miracula maxima vatem
Ediderat mundi maximus ille parens.
Quis non obſtupuit juvenilibus acta lacertis
Saxa neci vaſtum poſſe giganta dare?
Quis non attonitus tanti faſtigia regni
Ex humili vidit proſiluiſſe caſa?
Quis non attonitus fundentem oracula vidit
Qui modo lanigeras paſtor agebat oves?
Hoc in vate igitur divina potentia quondam
Virtutis dederat tot documenta ſuæ:
Non contenta iſtis, en noſtro rurſus in ævo
Miraclum antiquis addidit illa novum.
Nam quo Muſarum tenuis perlapſa nec aura,
Hic pandit vati nunc Helicona ſuo.

EJUSDEM.

HIC ſacra Calliope, ſacer eſt hic, lector, Apollo:
Caſtalis hic ſacra eſt, hic ſacer eſt Helicon.
At dum tu vobis, Buchanane, profana ſacraſti,
Sacraſti ſeclis te quoque perpetuis.

PAU-

PAULI MELISSI FRANCI.

DIVERSOS multi varie elicuere ſonores,
Aptando Latiæ plectra Syriſſa lyræ.
Barbiton hic, citharæque fides, chelyn increpat alter:
Et ſuus ex merito quemque ſecutus honos.
Quod, Buchanane, canis, modulamina cætera vincit:
Ceu reliquas liquidæ Daulia vocis aves.
Et quiſquam dubitet plenis edicere buccis,
Hæc ſuperat cunctas buccina clara tubas?

CHRISTOPH. MANLIUS Luſatus, ad Joan. Langium in Delic. Poët. German. Tom. IV. pag. 253.

DUM Jephthen tragico Buchananus ſyrmate veſtit,
Dum Latia Iſaiden tangere plectra docet,
Dum caſtis ſic tincta jocis Epigrammata ludit,
Ut metuat palmæ Bilbilis ipſa ſuæ:
Cernis ut ad Scotos migrent, Helicone relicto,
Laurigeræ, tanti vatis amore, Deæ?
Nec vivo hoc reditus ſpes eſt. Utrum ergo vocabo,
Langi, Heleconiades, anne Caledonides!

Et rurſus de eodem, Ibid.

Illic imperium fore jactavere Quirites,
Eſſet ubi ſedes, Scipio magne, tua.
Illic Pierides, illic erit alma Poëſis,
Illic Phœbus erit, qua Buchananus erit.

HENNINGUS CUNRADINUS.

TANTUM Scotia protulit Poëtam,
Quamvis ſit ſub iniquiore cœlo,
Quantum non capit ipſa tota regno.
Vix Graji & Latii tulere tantum,
Quamvis ſint ſub amœniore cœlo,
Quantum Scotia protulit Poëtam.

STEPHANUS PASCHASIUS in Icon. Delic. Poët. Gall. Tom. II.

VIRGILIIS, Flaccis, Naſonibus, atque Catullis,
Hiſne ego ſi tantis vatibus inferior?
In genere unicuique ſuo concedo; ſed in me
Collige cuncta ſimul, plus ego promerui.

IDEM.

IN te uno quod ſint multi, Buchanane, Marones,
Ac dederint talem ſecula nulla virum.
Hoc de te primo cœlum ſpondebat ab ortu,
Nomine ſubque tuo nomen & omen erat.
Nam canere eſt vatum; vatum tuba, buccina, bucca,
Et canis annis nobilitatur opus.
Hæc tua ſunt, Buchanane, tuoque in nomine cuncta
Canus & annus, item buccina, bucca, cano.

ANONYMUS.

NOMEN ab ore tibi, quia bucca & lingua lepore
Plena eſt, mellifluis plenaque verba modis.
Hanc prudens animus doctis conceptibus ornat,
Formatis doctæ Palladis ingenio.
Pallada cum Phœbo Aonides comitantur, & implent
Cœleſti dono quæ tua Muſa canit.
Hinc te omnes merito laudant, celebrantque canentem
Quæ ſemel edideris, dum tua ſcripta legunt.

ALIUS.

ASPICIS ut Claria vates nutritus in aula
Nectareos roſeo fundit ab ore ſonos.
Atque imo Pindum cerebro ſibi condit. & una
Præcellit vena Bellerophontis aquas.

ΦΕΔΕΡΙΚΟΥ ΙΑΜΩΤΙΟΥ

εἰς Γεώργιον Βουκανανὸν ᾠδή.

Στροφή.

Φαντὶ ῥήσιες παλαιαὶ
Υἱὸν Ἀλκμήνας, ὃς ἔλυμ-
πόνδ' ἔβα, πολλοὺς ἐπὶ γᾶς,
Πολιᾶς θ' ἁλὸς κτενὼν
Θῆρας αἰδροδίκας, Κελτῶν παρ' ἔχ-
θαις
Ἀνθερεῶνος ἀπορρίψαντα δεσμὸν
Ὠσὶν ἑλκύσαι τὸ πλῆθος·
Καὶ τὸ δ' ἔπειτα κατασχόμενον.
Ζανὸς ἐξαίφνης ἑπέσθαι
Ὀβρίμῳ θάλει βιασθέν.

Ἀντιστροφή.

Ἀλλὰ γαρύεσθ' ἄμεινον,
Ἀντισάζεται μελιοσᾶν
Κρείω, τὰν Βουκανανοῦ
Γλυκερωτάταν ὄπα,
Τοῦ καὶ ἀπὸ στόματος παγαὶ ῥέοντι
Ἀδυμελεῖς ἐπέων νέκταρ χέισαι,
Τᾶν κορᾶν τᾶς χρυσοπέπλου·
Μναμοσύνας δόσιν ἁγνοτάταν,
Τῷ καταβρέχων ἰαίνει
Ἀλκίμων ἀνδρῶν ἄρουραν.

Ἐπῳδός.

Παῖς γάρ τ' ἀκαμαντοπόδων
Βροντᾶν ἐλατῆ-
ρος Διὸς, εἵλξεν ἄμουσον
Πρόσθεν ἀνθρώπων γένος·
Νῦν δ' ὀρθοβούλων καὶ σοφῶν
Ἀνδρῶν κραδίας ὅδε σύρει,
Τᾶν ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν,
Ἀδυφώνων καὶ μελῶν
Παντᾶ περάγων σοφίᾳ,
Τᾷ καὶ δὲ οὐ βύρυσθενοῦς
Ἡρακλέος πάνσυρτον ἕλκοι τὰν πέ-
δαν.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΥ ΠΟΡΤΟΥ ΕΙΣ

Γεώργιον Βουκανανὸν, τοὺς τοῦ Δαβὶδ ψαλμοὺς Ῥωμαϊστὶ ἐν ἔπεσι μεθερμηνεύσαντα.

Σιγὴ νῦν λαοῖς· Δαβὶδ ἄλλος θέσπιν ἀοιδὴν
(Θαῦμα μέγ') ἐντύνει πᾶσιν ἐπιχθονίοις.
Ἀλλ' ὁ μὲν ἀντολίης ναέταις θεοῦ μέλπετο κάρτος·
Ἑσπερίοις ὁ δέ τ' εἰς ἔσχατον ὠκεανόν.
Ἢ σε Παλαιστίνων ὀπὶ κεῖνος γ' αὐτὰρ ὃ ῥυθμοῖς
Αὐσονίοις θέλγει νῦν νόον εὖ μερόπων.
Εἰ δὲ μέλη προτέροιο, τύπῳ τόδε νεύσατο Χριστοῦ
Ἔξοχον οὐρανόθεν παντοκράτωρ βασιλεύς.

ΕΡΡΙΚΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΥ εἰς τὸν αὐτόν:

Πατρὶς μὲν σ' ἔτεκεν, μοῦσαν δὲ σὺ πατρίδι τίκτεις,
Τῇ γενετὴν δούσῃ ἀντιδιδοὺς γενετήν.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ εἰς τὸν αὐτόν.

Ἤγαγέ σε περιφρόωσδε πάτρη, ἣν νῦν σὺ φαείνεις·
Ὡς σοὶ ἔδωκε φάος, καὶ φάος ἀντέλαβεν.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ εἰς τὸν αὐτόν.

Καλλιόπη τί σὺ τόσσον ὀδύσσαο Κελτίδι γαίῃ,
Καὶ χθονὶ Γερμανικῇ, Αὐσονικῷ τε πέδῳ,
Ὥστε Καληδονίων μετανάστρια ἴχνεα θεῖναι
Οὔδει, πάγχυ μάλα πρίν ποτὲ βαρβαρικῷ;
Ἵλαθι Καλλιόπη, ἐπανέρχεο· ἢ μετανάσται
Εἰς τὸ Καληδονίων οὖδας ἅμ' ἑψόμεθα.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ εἰς τὸν αὐτόν.

Τίπτε Καληδονίων Μοῦσαι περιβεβούλατε οὖδας;
Πῶς τὸ πρὶν ἔχθιστον, φίλτατον ὔμμι πέλει;
Εἰς Ἑλικῶνα θεαὶ ἐπανήκετε· ἤγε καλεῖσθε
Οὐχ Ἑλικωνὶ ἐμοί, ἀλλὰ Καληδόνιαι.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ εἰς τὸν αὐτόν.

Φασὶ Καληδόνιης μοῖράν τινα τὸ πρὶν ἐπῳδῶν
Ἴσορα πολλάων καὶ κακότεχνον ἔμεν.
Θαῦμά μ' ἔχει, ᾠδαῖς πῶς ἀντήλλαξεν ἐπῳδάς.
Τοῦτ' ἄπορόν μοι ἐὸν νῦν λύε Καλλιόπη.
Πάνσοφε Καλλιόπη σὺ δ' ὁμῶς ἀποροῦσα σιωπᾷς;
Σῆς κρεῖττον σοφίης πάνσοφε τοῦτο πέλει;
Μήποτε σὰς ᾠδὰς ἰδίαις κατέθελξεν ἐπῳδαῖς,
Ἴυγγός τε κακῇ δῆσεν ἀλυκτοπέδῃ;
Θάρρει Καλλιόπη, θελκτήρια μείζονα οἶδας.
Μεῖναν ἀοιδαὶ σαί, αἱ δὲ ἐπῳδαὶ ἔβαν.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ εἰς τὸν αὐτόν.

Μισήσασα θεὰ σὴν πατρίδα πῶς φιλέει ὧδε;
Ἀντὶ δὲ μισήτρων φίλτρα πατρὶς τίν' ἔχει;
Σὴ πάτρη Βυκανᾶνε τεῷ ἐχρήσατο φίλτρῳ·
Τούτῳ θελγομένην ἤγαγε Καλλιόπην.
Ἀλλὰ τίς ἦν φίλτρου χρεὼ πρὸς σε φιλοῦσαν ἐκείνην;
Μᾶλλον σοὶ φίλτρον αὐτὴ ὅπασσε θεά.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ εἰς τὸν αὐτόν.

Σοὶ ζωὴν ἔπορεν πάτρη, πόρες οὔνομα πάτρῃ·
Οὔνομα νῦν παρὰ σοῦ καὶ κλέος ἐσθλὸν ἔχει.
Ἀλλὰ πόρε ζωὴν μινυώριον· οὔνομα δῶκας
Ὃ ζῇ, ζῇσε πάρος, ζήσεται ἀθάνατον.

JOH. LUNDORPII.

Μάντιος Ἰσαΐδου λυρογηθέας οἳ μετάφρασαν
Πάμπολλοι ψαλμοὺς ἄνδρες ἀοιδοπόλοι.
Ἀλλ' ἐνὶ πᾶσιν ἀριστεύει Βυκανᾶνος, ἰδ' ἐστὶν
Ἦν διὰ θεσπεσίην ἔξοχος εὐεπίην.
Τίπτε σὺ βασκαίνεις ἔτι, βάσκανε; εἰσόκε λάμψῃ
Ἠέλιος, λάμψει ἔξοχα τοῦδε κλέος.

Ἄλλο.

Ὅς Βυκανᾶνον ἀπαὶ βυκάνης ὄνομ' εἶπε λαχέσθαι,
Εἶπε κατ' αἶσαν. ὁ γὰρ ναὶ πέλεται βυκάνη
Εὐκέλαδος, περιβοῶσα θεοῦ κλέος ὑψιμέδοντος,
Παντὶ ἐνὶ κόσμῳ ἧς κελαδεῖ κέλαδος.

Ἄλλο.

Κἄν, Βυκανᾶνε, πατρὶς Σκοτίη σοι, κἂν ὀνομάζῃ
Σὺ Σκότος, οὐ σκότος εἶ, ἀλλὰ φάος Σκοτίης.

Ἄλλο.

Σιγὴ μουσοπόλοισι παλαιοῖς' κρείττονα κρείττων
Νῦν γὰρ ἀοιδιάει μουσοπόλος νεαρὸς,
Μουσοπόλος Βυκανᾶνος, ἄεθλον τῷ μὲν Ἀπόλλων
Κεῖνος ἐν νεαροῖς ἔν τε παλαιγενέσιν.
Ἣν τάχα βασκαίνῃ τις, τί πλέον; αἰὲν ὀπηδεῖν
Λωΐστοις εἴωθε πρήγμασι βασκανίη.

ANDREAS MELVINUS
Geo. Buchanano Præceptori
ſuo & Muſarum parenti.

NUPER te, Buchanane, cum viderem
Ægrum, languidulum, toro jacentem.
Et fato & capulo heu nimis propinquum;
Viſus tum mihi ſum videre Muſas
Ægras, languidulas, toro jacentes,
Et fato & capulo heu nimis propinquas.
Te ſenſi ut meliuſcule te habere,
Nec triſti vigilem toro jacere,
Verum exſurgere, munia ampla obire,
Regem viſere, Regis & ſenatum;
Mox Muſas meliuſcule ſe habere,
Nec triſti vigiles toro jacere,
Verum exſurgere, munia alta adire,
Regem viſere, Regis & ſenatum,
Regem cœlicolum, poli ſenatum,
Senſi: hinc nomine pene reſtitutæ
Valetudinis & tuæ & ſororum,
Doctarum, Buchanane, dux ſororum,
Quæ tecum in torulo ſimul jacebant
Ah longum nimis, ah nimis nimiſque
Ægræ, languidulæ, parum loquentes:
Quæ tecum in tumulo ſimul jacebunt
Ah brevi nimis, ah nimis nimiſque
Et ſurdæ & gelidæ & nihil loquentes:
Ergo hoc nomine pene reſtitutæ
Valetudinis & tuæ & ſororum,
Ut ſortem tibi gratularer iſtam,
Gauderem mihi gaudium renatum,
Et longum tibi comprecarer ævum
Exſors tædii & anxii laboris,
Conſors gaudii & otii beati,
Inſcriptum tibi carmen exaravi:
Et pingui rudis arte lineavi,
Hauſtum e fontibus abditis ſacriſque,
Et ſponte & ſubito calore fuſum:
Non quale incolumes ſolent Camœnæ
Altum, grandiloquum, & nimis venuſtum;
Sed quale invalidæ queunt ſorores
Deductum & tenue & minus venuſtum:
Hoc, inquam, tibi carmen exaravi,
Doctarum, Buchanane, dux ſororum,

Incul-

Incultum ut coleres, & impolitum
Unus, qui inſtar es omnium, polires:
Proſciſſum veluti colonus arvum
Exaranſque, iteranſque tertianſque:
Procuſum velut artifex metallum
Elimans, poliens & elaborans:
Ut verſum ſemel, uſque & uſque verſum,
Incudi quoque redditum remittas,
Non quale invalidæ queunt ſorores
Deductum, & tenue, & minus venuſtum:
Sed quale incolumes ſolent Camœnæ
Altum, grandiloquum, & nimis venuſtum.

JACOBUS DUPORT in Præfat. ad Græcam Pſalmorum Metaphraſin.

IN hoc argumento facile omnibus palmam præripuit Buchananus.

BUCHANANI Divinitatem inacceſſam admiratur JOAN. RAYUS.

MIRANDE vates, fons beati carminis,
Latina Syren, patriæ
Illuſtre decus, & mel leporis Attici,
Doctiſſime nepos Romuli,
Latinæ Athenæ, Flacce duplex, & triplex
Homere, mens Poëſeos,
O abſque vitio monſtrum, & abſque fluctibus
Pontum profundum, nubibus
Cœlum abſque purum; o poſteris miraculum
A fonte Muſas Pegaſi
Primus canoras qui advocaſti ad inclytæ
Sionis hymnos aureos:
Venamque ditem cœlitum qui Principi
Laudando ſic indulſeris.
Calore mentis cœlum oberrans entheo
Solis labores, ſidera,
Lunæque curſus, indicaſti ut indiges
Mortalis inter cœlites.
Sic prorſa, vorſa fundis auſpice alite
Aptans cothurnos ſocculis,
Ut artium omnium deus & auctor unicus,
Et meta naturæ cluas.
Te voce qualis, quantus es depingere
Nemo poteſt niſi Deus.
O ſi perenni fons benigni fluminis
Fluore noſtrates riget,
Rerum ut parentem ter beato carmine
Cum laude, teque concinant.

JO. RAYUS.

ALEX. BODIUS, Literularum centuria I.

TRANSLATIONIS populari meo facile defertur palma: Epigrammatis quoque, ſi paterentur Itali, adjicerem dignitatem, & velint, nolint, cothurnum ſibi hircumque vindicabit.

JO.

JO. POSTHII Archiatri Palatini, P. L.

SIDEREUM aſcendit nuper Buchananus Olympum
Vocante Rege cœlitum,
Miſtus ubi ſanctis jam vatibus aurea templa
Cantu ſuorum carminum
Mellifluo replet, cœtu admirante piorum,
Stupente & ipſo Davide:
Qui, merito ſuperis, ait, iſta probantur & orbi,
Ter maximi laudes Dei
Clarius ac melius referentia, quam mihi quondam
Modulata Hebræa barbito.

PAUL. FREHERUS, Theat. virorum eruditione clarorum, Tom. II. p. 1475.

EDIDIT Buchananus—— Paraphraſin Poëticam Pſalmorum Davidis ad unguem elaboratam & cedro dignam.

LAMB. LUDOLPHUS PITHOPOEUS Daventrienſis, de Caledonia Buchanani patria.

IN hanc Aonides migraſſe Muſas
Cum dulci Charitum choro ſororum,
Phœbæo auſpicio, Joviſque ductu,
Illa olim domina orbis, urbs Quiritum,
In vitam revocata ſi videret,
Obſtupeſceret, Atticæque Athenæ
Præreptam ſibi gloriam dolerent,
Doctrinæ, ingenii, eloquentiæque,
Et vitæ ſimul elegantioris,
In ſeptemque abiiſſe jam Triones.
Et Roma tamen Atticiſque Athenis
Hæc Caledonia, axe ſub Boreo
Procul diſſita, plurimos & olim,
Et noſtro tulit hoc viros in ævo,
Doctrinæ, ingenii, eloquentiæque
Conjuncta ſapientia celebres,
Morum & laudibus elegantiorum,
Quos inter, veluti nitet minora
Inter ſidera Cynthia orbe pleno,
Et tantum caput extulit decorum,
Inter quantum humiles ſolent myricas
Quercus ardua, populuſve vivo
Gaudens flumine, nigra vel cupreſſus:
Sic Georgius ille, lux Scotorum,
Buchananus, amor decuſqve Phœbi,
Mel, & delicium, ſuaviumque,
Et cura Aonidum novem dearum,
Maxima eminet, eruditionis,
Ingenî & genii, eloquentiæque,
Et priſcæ fidei, ſeveritatis
Comitateque, laude temperatæ;
Quantumque eſt hominum elegantiorum,
Inde ab Occiduis ad uſque Eoas,
Boreas, Notiaſque Solis arces,
Jucundiſſimus omnibus, Poëtas
Inter eximios Poëta ſummus:
Qui Gallos, Italos, & unus omnes
Vincit laude Poëtica, vel æquat,
Germanos, facieque aduſta Iberos,
Editis celebres metris poëtas;
In quo Virgilios, Horatioſque,
Revixiſſe queas putare cunctos,
Naſoneſque, Propertios, Tibullos,
Catullos, Ciceronas, & Platonas,
Et quantum eſt hominum eruditiorum,
Roma quos dedit, Atticæque Athenæ,
Tantum terra virum tulit Scotorum.

De Franciſcano & Fratribus VALENTIS CORVIVOTI ad Georgium Buchananum carmen.

BUCHANANE *jubar tenebricnum,*
Qui te Grammaticas tribus vereri
(Cenſor ſit modo Beza) ne vel hilum
Scriptis nuper es editis profeſſus;
Huc accede tuo comes patrono,
Et me (quandoquidem ſemel vocaſti
Cenſorem quoque carminum tuorum)
In ſalſis, mihi quos dicas, Iambis,
Doctorum licet omnium vel unus
Sis doctiſſimus, edocendus audi.
Eſt quod verſibus in tuis requiram,
Eſt quod verſibus in tuis refutem,
Eſt quod te peragam reum Solœci,
Ipſis Grammaticæ tribus magiſtris
Contra te facientibus, meæque
Suffragantibus accuſationi,
Magno non ſine teſte Priſciano,
Cujus fuſte caput feris colurno,
Excidit tibi quando Solœciſmus.
Vis paucis doceam ſit ecquid iſtud?
Verſus vel ſemel hos tuos revolvas,
Te ipſum validis tui Valentis
Convictus rationibus nec ipſe,
Ni diſpar tibi factus es, negabis.
Commendas mihi ter quaterque Fratres,
Buchanane, tuos ſatis ſuperque
Spectatos mihi cognitoſque dudum.
Sed quorſum Pleonaſmus ille Fratres?
Fratres dicere ſat ſemel fuiſſet:
Fratres dic ſemel hos, habeſque pictos
Belle mehercle λακωνικωτάτως τε.
Cur fraterrimus hic vel ille dictus
Eſt frater tibi: fratre quando frater
Haud eſt fratrior alter altero, nec
Pater patrior alter altero, nec
Mater matrior altera altera, nec
Soror vel magis hac ſoror vel illa,
Prior nec prior hoc, prior nec illo:
Primi dicier ergo non priores
Debebant, hominum Terentianè
Qui ſe non dubitant vocare primos,
Nec ſunt: claſſis in ultimæ referri
Digni centurias, vel in profundum
Detrudi potius Stygis barathrum.
Ponti nec magis iſte Fex, nec ille:
Omnes Pontifices fabrique Pontis,
Pontis ſed Phlegethontis æſtuoſi:
Omnes Pontifices fabrique Ponti,
Ponti qui Stygios vomit ceraſtas:
Omnes Pontifices, licet nec unum
Pontem fecerit hic vel ille, pontem
Præter, (nomen & hinc habent) Averni:
In quo Pontibus eſt opus, Paludes,
Rivi, flumina, ſtagna ubi lacuſque:
Hanc propter quoque Pontibus libenter
Cauſſam Cœlicolæ carent beati:
Hanc propter quoque Pontifex & ipſe
Cauſſam creditur exulare cœlo,
Cum conſortibus & phalange fratrum.
Nam quis Pontibus eſt locus, vel uſus
Docti Pontificis, precor, nec unum
Flumen repperias ubi? Proinde
Cœlo Pontifices procul, tremendi
Ditis regna petant, petant Averni
(Illic flumina ſunt,) tenebricoſam
(Illic Pontibus eſt opus,) profundi
(Illic Pontifice eſt opus,) Paludem.

VALENS CORVIVOTUS,

H. prælo currente funditabat.

Du Livre des Regrets de JOACH. Du-BELLAY Angevin, Sonnet.

B*UCHANAN*, qui d'un vers aux plus vieux comparable,
Le ſurnom du Sauvage oſtes à l'*Eſcoſſois*,

Si j'avois Apollon facile en mon Françoís,
Comme en ton Grec tu l'as & Latin favorable,
Je ne ferois monter ſpectacle miſerable
Deſſus un eſchafault les miſeres de Roys,
Mais je rendrois par tout d'une plus ſimple voix
Le nom de *Marguerite* aux peuples admirable:
Je dirois ſes vertus, & dirois que les cieulx
L'ayant fait naiſtre icy d'un temps ſi vicieux
Pour eſtre l'ornement, & la fleur de ſon aage,
N'ont moins en ceſt endroict demonſtré leur ſcavoir,
Leur pouvoir, leur vertu, que les Muſes d'avoir
Fait naiſtre un *Buchanan* de l'*Eſcoſſe* Sauvage.

A la Royne *d'Eſcoſſe* Douariere de *France*, *Sonnet* de CHAR. UTENHOVE.

MADAME tu m'as faict ſi bon recueil à l'heure,
Que je receu ceſt heur de me voir pres de toy,
Qu'encores aujourdhuy grand aiſe je recoy,
A penſer ſeulement au lieu de ta demeure.
Buchanan *eſt heureux pour autant quil demeure*
Chéz celle qui le rang tient de Royne & de Roy,
Et elle heureuſe auſſi d'avoir celuy chez ſoy
Qui fait que de David l'Harmonie ne meure:
Celui qui aujourdhuy par un nouveau ſentier
Incognu à noz yeulx aux Romains *le premier*
A monſtré la facon d'eſcrire en leur langage.
Defen Phœbus defen, pren la querelle en main,
Puis que ton Buchanan *ſurmonte le* Romain,
Que la brave Eſcoſſois *ne ſoit plus dict Sauvage.*

Elegiæ ad GEORG. BUCHANANUM Scotum Fragmentum MEXENTII.

In Bullam Papalem, & Bullam Latronem de quo Dion in vita Severi Imp.

ILLITA funigerum venabula ſanguine Fratrum,
Tinctaque Purpurei tela cruore Patris
Muſa Caledoniis nuper tua legit in agris,
Lectaque ſacravit munera grata mihi.
Neve retundantur tuus eſt præfixus Iambus,
Dentibus Arcadii plus metuendus apri.
Quo te non rabies, non lingua proterva, nec ultrix
Ira repertorem ceu prius Archilochum,
Sed dolor armavit ſpatio maturus & annis,
Sed ratio ſimplex & pietatis amor.
Et merito: quis enim niſi quem haud dolor afficit ullus,
Ni pietatis egens, ni rationis inops?

Qui

Qui ferat orbe truces patulo regnare latrones?
  Inque Dei Antitheon quis probet æde coli?
Sunt tibi magna nimis Pater o ſanctiſſime regna.
  Jugera proventus ſunt nimis ampla tui.
Cuncta ſed exuperans hominum patrimonia cenſus
  (Eloquar an taceam?) contigit unde tibi?
Nobilis hiſtorico memoratur Bulla Dioni
  Mille latrociniis, mille fuiſſe dolis.
Pluribus è ſpoliis Romani Curia Papæ
  Crevit, & eſt bullis amplificata ſuis:
Quemque Dion credit fatis ceſſiſſe revixit
  Salvus adhuc, multis conſpiciturque locis.
Cernis ut hujus opes ope Cerberus ille triformis
  Congerat, & ſummi perdat ovile Dei?
Dic mihi cui vita eſt humana ſimillima bullæ,
  Qui fit in hac ſummum ponat ut ille bonum?
Scilicet haud bonus eſt Dialecticus, hinc etiam illi
  Bulla ὑποκείμενον eſt, vita κατηγορικόν.

Val. Cor. H. 1568.

JOH. PINCIERUS, in Præfat. Supplem. ad Sphæram Geo. Buchanani.

S*PHÆRÆ a Geo. Buchanano Poëtarum noſtri ſeculi præſtantiſſimo, verſibus cultiſſimis deſcriptæ exemplum manuſcriptum ſuperiore anno e Scotia Herbornam Robertus Hovæus juvenis prædoctus attulit.* —— Et infra. —— *Ego cum Buchanani verſuum majeſtate, tum mei ingenii tenuitate territus.* —— Et poſtea. —— *Plus autem inter Buchanani meumque carmen quam philomelæ & cuculi cantum intereſſe libenter fateor.*

De Hiſtoria rerum Scoticarum.

De vera cauſſa & uſu Hiſtoriæ RO-BERTI ROLOCI *carmen.*

MULTA Deus fragili vitæ documenta beatæ
  Mortali indulget; ſive intus ſemina ſpargat
Notitiæ fœcunda ſuæ, ni pectoris obſtet
  Aſperitas; ſive ingentis ſpectacula mundi
Fulta manu, Regiſque ſui teſtantia numen
  Oſtendat, regimenve duplex aut ordine certo
Naturæ conſtans, aut cæco tramite flectens
  Res hominum, monſtret. Sic ſe mortalibus infert
Ille opifex rerum, ſic olim ab origine mundi
  Noſcendum dederat. Verum hæc in limine primo

Deficiunt, ſubit error iners, oblivio mentem
Occupat immemorem. Nam mens ſentina malorum eſt.
Sed Deus inſtaurat vires, dat tempore natum
Certo illum Chriſtum populi peccata luentem.

Utque tot acta Dei, nunquam peritura, manerent,
Scriptorum obſignat clauſtris, geminumque volumen
Porrigit in dextras hominum: ſcripta altera ſacrum
(Quæ violare nefas) Jovæ ſpirantia cultum
Hic credenda tibi videas de numine ſola,
Sola tenenda tibi, ne te vagus auferat error.
Altera ſunt (abſit libris injuria ſanctis)
Scripta quidem (ſed dona Dei) producta cerebro
Humano. Nullum hic videas prope numinis expers:
Quod ſi non pleno ore, tamen veſtigia ſtringit
Mirandorum operum, naturæ aut abdita rimans,
Aut mores hominum, aut etiam divina penetrans.
Vertice ſublime exſerto. Sed in agmine tanto
Humani fœtus, alias non certius offert
Conſilium Jovæ æternum ſe contemplandum
Humanis oculis, vario moderamine mundi,
Quem virtute ſua nunc huc, nunc dividit illuc;
Quam tabulis rerum geſtarum. Credidit illas
Fortunæ monumenta vagæ totidem impius error.
Hic pietas, tanquam in ſpeculo, certiſſima Jovæ
Conſilia advertit, dum nunc juſtiſſimus edit
Exemplum ſceleris domiti, cohibetque tyrannos,
Nunc reficit miſeros bonus, atque attollit in altum.
Interea (mirum) bonitas ſe fundit in omnes.
Hinc pietas ſurgit duplici diſcrimine ſecta,
Ultoriſque metu, ac reverendo patris amore:
His aptata Deo genuinos ſacrat honores:
Diſcit & exemplis, varios ſe ſcindere in actus,
Diſparibus, fugiendo malum, & meliora ſequendo.

Felix poſteritas, cui vivunt facta parentum
In tabulis, vivoque & vero picta colore.
Felix is regni cuſtos, quicunque magiſtram
Hiſtoriam vitæ ſequitur. Nam propria Regum eſt
Hiſtoria. Et felix tu tanto Scotia dono:
Felix o regni cuſtos hoc munere tanto.
Ecce tibi Buchananus adeſt: tuus ille magiſter,
Qui teneros finxit, maturos imbuit annos.
Quod corpus ſenii feſſum gravitate negabat,
Non negat ingenium melior pars. Illud ad omne
Officium vitæ præſto comitatur euntem,

Sive

Sive animo pietas divinum ſuadet honorem:
Sive Regis populos hac, qua te, lege refrenas:
Sive paras aciem, quam dulci pace reſolvis.
Ingenii pignus te tanto Principe dignum.
Ne pigeat monitoris, habes quem maximus orbis
Suſpicit, & quo te, Rex, præceptore beatum
Clamat, & hanc patriam tam pulchro germine fauſtam.

Ejuſdem Epigramma ad Regem.

CERNE o Rex, da audere: pius quem concitat ardor,
Interrogat, uter eſt, putas, amicior?
Illene, qui imperium, quod ferret, ſuadet? an ille,
Qui regna, quorum ne ipſe perferret jugum?
Illene, qui imperium, quod longum duret? an ille,
Qui regna ſuadet, Rex quibus ſuus ruat?
Multa licet teneram crepet aſſentator in aurem,
Crede mihi Buchananus tuus favet tibi.
Quæ modo de regno umbravit, nunc vivida cernis,
Loquentur hæc avi tui longo ordine.
Ecce illos coram, facies non omnibus una:
Hic lege gaudet, luget hic tyrannidem.
Diſce manere eadem quoque te, vel præmia juſti,
Vel pœnam iniqui. Namque manet idem Deus.
En tibi imago viri, dum pingit imagine patres:
Arceſſet hæc te, ſi quid egeris male.
Ergone jam moriens Regi modulabere carmen
Buchanane cygneum? caneſne & mortuus?

Aliud ejuſdem ad Buchananum.

CREDO, novem veteres olim finxere Camœnas:
Quod, qui calleret ſingula, nullus erat.
Vixiſſes Buchanane, foret tantum una Camœna,
Quod, qui calleres ſingula, ſolus eras.
Maluit at nobis per te Deus unicus, unum
Eſſe boni fontem dicere. Muſa vale.

Patria alloquitur Regem ſuum.

SCOTIA luminibus cerno duo ſceptra duobus,
Rurſus in unum abeunt, lumina, ſceptra duo.
Altera ſceptra Deo cedunt, tibi cætera Regi,
Corporis hæc oculus, pectoris illa videt.
Jamne videns patria ipſa videt, civeſque videntes,
Et Regem? At proavis non fuit ante datum.
Uno vixque oculo (quid enim niſi juncta valebunt
Lumina?) vix vidi civica jura prius.
At nunc pura Dei cernentem numina Solem
Fronte gero, lucem hinc, altera Luna capit.

Ergo beata tuo Rex ſceptro patria, tuque
Chriſti. Teque & me, major utroque, regit.

Credin? volve tibi Buchananum: narrat avorum
Devia, qui ante tibi, nunc quoque monſtrat iter.

JACOBUS USSERIUS Archiepiſcopus Armachanus, Epiſt. de Brit. Eccleſ. Primordiis, c. 16.

QUO nemo diligentius Antiquitates patrias eſt perſcrutatus.

HERMANNUS CONRINGIUS, de Civili Prudentia, cap. XIV. p. 334.

S*COTIA in ſua gente nacta eſt nemini prudentiæ & eloquentiæ laude cedentem, rerum ſuarum ſcriptorem, Georgium Buchananum, dignum qui unus pro multis æſtimetur.*

Dr. WILLIAM NICOLSON Biſhop of Carliſle, *Scottiſh* Hiſtorical Library, p. 12.

G. BUCHANAN, who juſtly condemns *Hector*'s Raſhneſs and Credulity, was better acquainted with the *Greek* and *Roman* Writers; and therefore diſcourſes far more ſenſibly of the ancient Names of Men and Places. He is indeed ſingular in his Opinions about the Name of *Albion*, the placing of *Severus*'s Wall, and ſome other Matters; and we ought to acknowledge that he always writes with ſuch an Air of Eloquence and Learning, that 'tis hard to contradict even where we cannot believe him. He's ſo intemperately hot upon *Humph. Lhuid* and his *Prydania*, that he appears to an unprejudic'd *Engliſh* Reader to have more *Welſh* Blood in him than he's aware of; proving unadviſedly, what he will not allow his Antagoniſt to have done, that the ancient *Britains* and *Scots* are of one Family and Kindred.

JAMES TYRRELL. Hiſt. of England Vol. II. Pref.

B*UCHANAN, who tho he was juſtly a celebrated Hiſtorian, yet*, &c.

THO. CRENIUS Diſſertat. de Singularibus Scriptorum, p. 58.

AUCTOR Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philolog. Curioſæ P. M. 146. fatetur quidem Buchanani Scoticam Hiſtoriam elegantiſſimo ſtylo conſcriptam, verum in Reginam Mariam nimis & præter meritum haud raro acerbam eſſe.

BURCARDUS GOTTHELFFUS STRUVIUS, Selecta Biblioth. Hiſtor. cap. XVI. §. 19.

OPTIMUS in Hiſtoria Scotica eſt Georgius Buchananus, qui *Rerum Scoticarum Hiſtoriam* libris XX. ſcripſit *Edimburgi* 1582. *f.* quæ editio eſt optima, & *Francofurti* 1594. 8. Hiſtoria eſt gentis Scoticæ a prima origine uſque ad annum 1572, perducta eleganti ſermone, omni fide & judicio exquiſito perſcripta, licet eundem Mariæ Scoticæ infeſtiorem eſſe velit Camdenus, ſed ſine cauſſa.

JEREMY COLLIER Eccleſiaſt. Hiſt. of *Great Britain*, Vol. II Book III. p. 174.

ABOUT this Time George Buchanan *was committed for ſome Satyrical Verſes againſt the* Franciſcans, *but he made his Eſcape and got into* France. *This* Buchanan *was an extraordinary Genius, and a great Maſter of the* Latin *Tongue, as appears from his Poems and Hiſtory.*

DAVID BUCHANANUS de claris doctrina Scotis, MS. penes D. Robertum Sibbaldum M. D. Equitem auratum.

GEORGIUS Buchananus ſcriptorum aquila, cum judicio & acumine ſtupendis, Monachorum nugas, cum Senecionum fabulis, clare & dilucide refellit, aliorum negligentiam modeſte caſtigat, & optime emendat, male feriatorum hominum pervicaciam ita retundit, ut neque ipſi, neque ullus eorum nomine in ſeculum vel contra hiſcere auſurus ſit. Omnia hæc tanta ſermonis elegantia condit, ut nullum locum ulli poſt ſe reliquerit ipſum vel e longinquo ſequendi, multo minus imitandi, ſed omnium minime æquandi: nam in hoc genere ſcriptionis (ut nihil aliud de tanto viro hoc in loco dicam) ad perfectum culmen aſcendit, atque ſcalam ut dici ſolet, per quam aſcendit, poſt ſe traxit, ita ut nullus poſt eum eo aſcendere poſſit; &, ut ait ille de Diodoro Siculo, eſt hic primus Græcorum qui nugari deſinit, ſic noſter Hiſtoricus & Poëtarum princeps, eſt primus e noſtris qui cum incomparabili judicio abſtruſa evolvit, a fictis & falſis genuina & certa diſcrevit, confutatis mendaciis veritatem aperuit, ſeriem rerum felici ſtyl conditam deducit.

Hic tamen vir quantus quantus fuerit, omnia videre non potuit; quis enim omnia, non lux ipſa videt. Deinde ſero & provectiore ætate ſuaſu civium ad hoc ſcribendi genus animum appulit: adde quod tunc temporis quo ille valebat, non erat omnibus adminiculis inſtructus, ad obſcuriorum inquiſitionem, errorumque refutationem, quæ nobis hodie plenius ſuppeditat doctorum virorum labor, quo ille caruit: quare nonnulla prorſus intacta reliquit, de aliis parum egit, de nonnullis obſcure ſcripſit.

Atque

Atque hæc ex infinitis pene de Georgio Buchanano *doctorum virorum Teſtimoniis ſelegiſſe ſufficiat. Quæ autem in Epiſtolis ad ipſum ſcriptis habentur ea quamvis egregia conſulto omiſimus, ne actum agere videremur. Cæterum, qui omnium Elogiorum inſtar obtineat, Catalogum variarum (quæ quidem ad notitiam noſtram pervenerunt) Editionum operum* Georgii Buchanani *hic ſubjicimus, ut vel hoc ſolo indicio pateſcat, quam avide ubique expetita, quantoque in honore habita fuerint.*

CATALOGUS

Variarum Editionum, *ut & Codicum* Manuſcriptorum,

OPERUM OMNIUM

GEORGII BUCHANANI SCOTI.

NOT. Quibus affixus eſt Aſteriſmus, eas in hac nova Editione procuranda fuiſſe adhibitas, alias vero e Bibliothecarum Catalogis Hiſtoriiſque rei literariæ eſſe depromtas

* RERUM SCOTICARUM HISTORIA, Ms. autograph. *Ex Bibliotheca Academiæ Edinburgenæ*,	——	Fol.
— * *Edinburgi, apud Alexandrum Arbuthnetum*, * Adſcripta ſunt in margine ſumma rerum capita & Animadverſiones quædam autograph *And. Melvini.*	1582.	Fol.
—— * *Genevæ, ad exemplar Alex. Arbuthneti*,	1583.	Fol.
—— *Francofurti ad Mænum, apud Wechelum*,	1584.	8.
—— * *Francofurti ad Mænum, apud Sigiſm. Feyrabend.*	1598.	8.
—— *Ibidem*,	1624.	8.
—— *Ibidem*,	1638.	8.
—— * *Lugduni Batavorum, ad exemplar Alex. Arbuthneti*,	1643.	8.
—— * *Amſtel. apud Ludovicum Elzevirium*,	1643.	8.
—— *Ultrajecti, apud Petrum Elzevirium*,	1663.	8.
—— * *Ultrajecti, apud Petrum Elzevirium*,	1668.	8.
—— *Lipſiæ*,	1669.	8.
—— * *Ultrajecti*,	1697.	8.
—— * *Edinburgi, e Typographæo Georgii Moſman*,	1700.	12.

* DE

* DE JURE REGNI APUD SCOTOS DIALOGUS. *Edinburgi, apud Joan. Roſſæum pro Henrico Charteris,* 1579. 4.

—— *Ibidem,* 1580. 4.

—— * *Ibidem,* 1681. 8.

* Item cum præcedentibus Editionibus, præter primam Alexandri Arbuthneti.

* PSALMORUM DAVIDIS PARAPHRASIS POETICA. *Apud Henricum Stephanum & ejus fratrem Robertum Stephanum Typographum Regium,* —— 8.

—— * cum ejuſdem JEPHTHE Tragœdia. *Apud eoſdem,* 1566. 12.

—— * cum JEPHTHE. *Antverpiæ, ex officina Chriſt. Plantini,* 1566. 12.

—— * cum Pſalmis aliquot in verſus Græcos tranſlatis. *Argentorati, excudebat Joſ. Rihelius,* 1566. 12.

—— * cum JEPHTHE & Pſalmis aliquot Græcis. *Antverpiæ, ex officina Chriſt. Plantini,* 1567. 8.

* Davidis PSALMI aliquot Latino carmine expreſſi, a quatuor illuſtribus Poëtis, quos quatuor regiones, Gallia, Italia, Germania, SCOTIA genuerunt; in gratiam ſtudioſorum Poëtices inter ſe commiſſi ab Henrico Stephano, cujus etiam nonnulli Pſalmi Græci cum aliis Græcis itidem comparatis in calce libri habentur. —— 8.

—— cum ornamentis marginalibus, & argumentis Antonii Flaminii in ſingulos Pſalmos. *Argentorati,* 1568. 8.

—— *Antv. apud Chriſt. Plantinum,* 1571. 8.

—— * cum ornamentis marginalibus, &c. *Argent.* 1572. 8.

—— * cum JEPHTHE. *Lutetiæ ex officina Rob. Stephani,* 1575. 12.

—— cum Pſalmorum aliquot Græca Serrani Metaphraſi. *Apud H. Steph.* 1575. 12.

—— cum argumentis M. Ant. Flaminii, & Pſalmis aliquot Græcis. *Argent.* 1575. 12.

—— * cum JEPHTHE. *Lut. ex officina Rob. Stephani,* 1580. 12.

—— * cum JEPHTHE. *Lond. excudebat Thomas Vautrollerius,* 1580. 12.

—— * cum Bezæ Pſalmorum Paraphraſi, & JEPHTHE. *Morgiis, excudebat Jean. le Preux illuſt. Dominorum Bernenſium Typographus,* 1581. 8.

—— cum argumentis & melodiis N. Chytræi ejuſdemque Collectaneis. *Franc.* 1585. 12.

—— cum argumentis, &c. N. Chytræi. *Herb. Naſſoviorum,* 1586. 12.

—— annotatis ubique carminum generibus, *Coloniæ,* 1586. 8.

—— cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Genevæ,* 1590. 16.

—— * cum argumentis ac melodiis N. Chytræi, ejuſdemque Collectaneis, *Herbornæ Naſſov.* 1590. 12

— cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Lug. Bat.* 1591. 24.
— * cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Typis Jacobi Stoer,* 1591. 12.
— * cum Bezæ Pſalmorum Paraphraſi, & JEPHTHE & BAPTISTE. *Genevæ, apud Franciſcum le Preux,* 1594. 8.
— * cum JEPHTHE. *Lug. Bat. apud Fr. Raphelengium,* 1595. 12.
— cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Witteb.* 1595. 12.
— cum JEPHTHE. *Lug. Bat. apud Fr. Raphelengium,* 1600. 24.
— * cum argumentis & melodiis N. Chytræi, ejuſdemque Collectaneis. *Herbornæ Naſſov.* 1600. 12.
— cum JEPHTHE. *Catalauni,* 1601. 12.
— * cum JEPHTHE. *Ex officina Plantiniana Raphelengii,* 1603. 12.
— * cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Ex officina Plant. Raphelengii.* 1609. 24.
— cum argumentis & melodiis N. Chytræi, ejuſdemque Collectaneis, *Herb. Naſſov.* 1610. 12.
— * cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Sumptibus Henrici Laurentii,* 1618. 12.
— * cum argumentis, melodiis & Collectaneis N. Chytræi. *Herbornæ Naſſov.* 1619. 12.
— * cum Ecphraſi Alexandri Julii. *Lond. apud Geo. Eld.* 1620. 8.
— * cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Edinburgi, apud And. Hart.* 1621. 12.
— * cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Lug. Bat. Typis Iſaaci Elzevirii, jurati Academiæ Typographi, ſumptibus Hen. Laurentii,* 1621. 12.
— cum argumentis & melodiis N. Chytræi, &c. *Herb. Naſſov.* 1646. 12.
— * cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Edinburgi, apud Gid. Lithgo,* 1660. 8.
— * cum JEPHTHE & BAPTISTE. *Edinburgi, apud Geo. Moſman,* 1694. 12.
— * cum Ecphraſi Alexandri Julii. *Typis J. W. Impenſis Jo. Vallange, Edinburgi.* 1699. 12.
* PSALMUS CIV. cum judicio Gul. Barclaji de certamine G. Egliſemmii cum Buchanano pro dignitate Paraphraſeos ejus Pſalmi. *Lond. apud Geo. Eldum,* 1620. 8.
* PSALMUS CIV. cum judicio Gul. Barclaji, &c. *Edinb. apud Hæredes And. Anderſon,* 1696. 8.
* PSALMUS CXX. cum Analyſi organica Joan. Jacobi Beureri, & aliis aliorum ejuſdem Pſalmi Paraphraſibus. *Baſileæ per Sebaſtianum Henricpetri.* 1586. 4.
* BAPTISTES ſive Calumnia, Tragœdia. *Edinburgi apud Hen. Charteris,* 1578. 8.
* BAPTISTES, ſive Calumnia. *Francofurti, apud And. Wechelum,*

chelum, 1578. 8.
* ALCESTIS, Tragœdia. *Lutetiæ, apud Mich. Vaſcoſanum*, 1557. 4.
* MEDEA & ALCESTIS Euripidis, Latino carmine redditæ. *Apud Hen. Stephanum*, 1567. 12.
* TRAGOEDIÆ ſacræ & exteræ. *Apud Petrum Sanctandreanum*, 1597. 8.
* DE CALETO recepta carmen. *Lut. apud Robertum Stephanum*, 1558. 8.
FRANCISCANUS & FRATRES, quibus accedunt varia ejuſdem & aliorum POEMATA. *Baſileæ Rauracorum, apud Thomam Guarinum Nervium, anno* (ut videtur) 1568. 8.
* ELEGIÆ, SILVÆ, HENDECASYLLABI. *Pariſ. apud Rob. Stephanum*, 1567. 12.
* Th. Bezæ poëmata. Item, *Geo. Buchanani* FRANCISCANUS, ELEGIÆ, SILVÆ, HENDECASYLLABI, &c. *Apud Henr. Stephanum*, 1569. 8.
* ELEGIÆ, SILVÆ, HENDECASYLLABI, & BAPTISTES. *Lutetiæ, apud Mamertum Patiſſonium, Typographum Regium, in offic. Rob. Stephani*, 1579. 12.
* DE SPHÆRA libri V. cum Supplementis Jo. Pinc. *Herb. ex officina Chriſt. Corvini*, - 1587. 8.
* DE SPHÆRA libri quinque, cum Commentariis, Supplementis & Argumentis Adami Regii Scoti, Ms. *in Bibliotheca Academiæ Edinburgenæ*, —— Fol.
* FRANCISCANUS, ELEGIÆ, SILVÆ, HENDECASYLLABI, EPIGRAMMATA, De SPHÆRA Fragmentum. *Genevæ*, 1584. 8.
—— Eadem. *Ibidem*, 1585. 8.
* FRANCISCANUS ELEGIÆ, &c. & Libri De SPHÆRA. *Anno.* 1594. 8.
* FRANCISCANUS, ELEGIÆ, SILVÆ, &c. Libri De SPHÆRA, & TRAGOEDIÆ ſacræ & exteræ, 2 partibus. *Genev.* 1597. 8.
FRANCISCANUS, ELEGIÆ, SILVÆ, &c. & Libri De SPHÆRA. *Salmurii*, 1608. 8.
—— Eadem 2 partibus. *In Bibliopolio Commeliniano*, 1609. 8.
* POEMATA omnia [præter Medeam & Alceſtin.] *Edinburgi, apud And. Hart*, 1615. 24.
—— *Salmurii*, 1 pars *apud Abr. Elzevir.* 2 pars *apud Joan. Buræum*, 1620. 8.
—— * cum Medea & Alceſtide. *Lugd. Bat. apud Abr. Elzevirium*, 1621. 24.
—— *Salmurii*, 1621. 8.
—— * *Ex officina Elzeviriana*, 1628. 24.
—— * *Ex officina Elzeviriana, eodem anno, ſed edit. diverſa* 1628. 24.
—— * *Amſtelædami apud Joan. Janſonium*, 1640. 24.
—— *Amſt.* 1647. 12.
—— * *Amſt. apud Waesberge*, 1665. 24.
—— * *Amſt. apud Dan. Elzevirium*, 1676. 24.
—— * *Edinburgi, apud Joannem Cairns*, 1677. 12.
—— * *Londini, apud B. Griffin*, 1686. 8.
—— * *Amſtel. apud Henricum Wetſtenium*, 1687. 24.
* SATYRA IN CARDINALEM LOTHARINGUM, (quæ in nulla alia ejus operum Editione reperitur) cum aliis ejus & aliorum carminibus. *Apud Iſ. Taurinum*, 1590. 8.
VITA ab ipſo ſcripta biennio ante mortem. —— 1608. 8.
* VITA ab ipſo ſcripta biennio ante mortem, cum Commentario D. Roberti Sibbaldi Equitis Aurati. Acceſſit *Satyra* in Cardinalem Lotharingum cum ejuſdem notis. *Edinburgi, Ex Typographæo Geo. Moſman*, 1702. 8.

—— * Et cum multis ejus Poëmatum Editionibus ————

RUDIMENTA GRAMMATICES Thomæ Linacri, ex Anglico)
Sermone in Latinum verſa. *Lutetiæ. ex officina Rob. Stephani*,) 1533. 8.

—— * Eadem. *Lugduni, apud Hæredes Simonis Vincentii*, 1539. 8.

—— Eadem. *Lugduni, apud Sebaſtianum Gryphium*, 1544. 8.

—— * Eadem. *apud eundem Pariſ.* 1546. 4.

—— * Eadem. *apud eundem Pariſiis*, 1546. 8.

—— * Eadem. *apud eundem Pariſ.* 1550. 8.

—— Eadem. *apud Seb. Gryphium, Lugduni*, 1552. 8.

De PROSODIA Libellus. *Edinburgi*, 1640. 12.

—— * Et cum multis Grammaticæ Deſpauterianæ Editionibus, *Edinb.* ————

* DETECTIO, ſive de MARIA Scotorum Regina, totaque ejus con-)
tra Regem Conjuratione, fœdo cum Bothuelio adulterio, nefaria)
in maritum crudelitate & rabie, horrendo inſuper & deterrimo)
ejuſdem parricidio, plena & Tragica plane Hiſtoria) —— 8.
Item, Actio contra Mariam Scotorum Reginam, in qua ream & con-)
ſciam eſſe eam hujus parricidii, neceſſariis argumentis evincitur.)
Item, Literæ Reginæ Scotiæ ad Comitem Bothueliæ ſcriptæ.)

—— * Eadem. *Edit. a priore nonnihil diverſa*, —— 8.

* An ADMONITION **direct to the Trew Lordis Maintenaris of the**)
Kingis Graces Authoritie. *Stirling, by Robert Lekprevik*,) 1571. 12.

—— Eadem Ms. *in Bibliotheca* Cottoniana, 1570.

—— * Eadem Ms. *in Bibliotheca Juridica Edinburgenſi.* ————

* CHAMELEON, **or a Satyre againſt the Laird of Lidington.** Ms.)
in Bibliotheca Cottoniana,)

—— * Eadem. Ms. *in Bibliotheca Juridica Edinburgenſi.* ————

—— * Eadem. *Edit. cum* Hiſtoria Jacobi V. Regis Scotorum. Lond. 1711. 8.

* Ad viros ſui ſeculi clariſſimos, eorumque ad eundem EPISTO-)
LÆ, ex Mss. accurate deſcriptæ. *Londini.*) 1711. 8.

* Eædem EPISTOLÆ cum aliis nonnullis nondum editis, Ms. auto-)
graph. *e Bibliotheca Juridica Edinburgenſi*,) —— Fol.

* Ad Jacobum VI. Scotorum Regem EPISTOLA Ms. autogr. *e Bibl.*)
Academiæ. Edinb.) —— Fol.

* OPERA OMNIA, curante Thoma Ruddimanno, Edinburgi,)
apud Robertum Freebairn, Typographum Regium.) 1715. Fol.

Huc adde aliquot ejus Operum VERSIONES: HISTORIÆ Anglicam *Lond.* 1690. *Fol. Item*, Ms. unam a me viſam, aliam a Reverendo Præſule Gul. Nicolſono memoratam: FRANCISCANI Gallicam a Fl. Chriſtiano, *Sedani*, 1599. 8. JEPHTHÆ Gallicam ab eodem, *Pariſ. apud Rob. Steph.* 1573. 8. Buchanani & Garnerii TRAGOEDIARUM Verſ. Gallicam, *apud Mamert. Patiſſonium* ------- 8. DETECTIONIS Anglicam, *apud Rob. Lekprevik* ------- & *Lond.* 1651. 12. & *Lond.* 1690. 8. De Jure REGNI Anglicam *Lond.* 1689. 4. & *Edinb.* 1691. 12. FRATRUM frater. EPIGRAMM. & MISCELL. Anglicam a Rob. Montetho, *Edinb.* 1708. 8.

GEOR-

GEORGII BUCHANANI,

Scoti,

RERUM SCOTICARUM

H I S T O R I A;

Summo ſtudio recognita, ac innumeris pene locis, cum aliorum Scriptorum, tum præcipue optimi Codicis manuſcripti ope emaculata.

Acceſſerunt ANNOTATIONES partim Hiſtoricæ, partim Philologicæ;

Item,

Locupletior quam antea, ac multo utiliore methodo concinnatus Rerum memorabilium Index.

Subnexa eſt

Propriorum Nominum Interpretatio.

GEORGIUS BUCHANANUS
JACOBO SEXTO
SCOTORUM REGI
S. P. D.

CUm poſt viginti quatuor annorum peregrinationem tandem in patriam rediſſem, nihil prius habui, quam ut ſchedas meas malignitate ſuperiorum temporum disjectas, & multis modis male habitas, recolligerem. Partim enim nimio amicorum erga me ſtudio, dum immaturam adhuc editionem præcipitant, partim librariorum in alienis operibus immodica licentia, cum cenſorum perſonam induiſſent, multa pro cujuſque libidine plerumque immutata, nonnulla fœde corrupta, comperio.

His ego cum incommodis mederi conarer, ſubitæ amicorum preces omnes meas rationes conturbarunt. Omnes enim, velut conſpiratione facta, hortabantur, ut ab [1] levioris operæ libellis, qui ma-

1 *Levioris operæ libellis.*] Ita recte emendat And. Melvinus, cum in omnibus editionibus [*levioris operis*] legeretur. [Neſcio an ex ſententia Buchanani ſic emendetur: ut enim, hiſtoriam *magni operis rem* aggreſſus Pompejus dicitur Juſtino in Præfat. (ubi vide notas Gronovii & Grævii) ita *levioris operis libelli* ſunt Poëmata & alia ſcripta, quæ proprie *levia*. vid. ad Phædr. IV 1. Plinius quidem in præfatione ſuos *libellos levioris operæ* vocat. quem potuit imitari Buchananus, ſed & potuit ab eo diſcedere, ut editiones oſtendunt.

magis aures oblectarent, quam animum erudirent, me ad Hiſtoriam noſtræ gentis conſcribendam conferrem. Id enim & ætate, & civium de me exſpectatione dignum eſſe: neque aliud eſſe argumentum, aut uberius ad laudem, aut firmius ad memoriæ conſervandam diuturnitatem. Cæteras autem rationes ut omittam, cum Britannia noſtra una ſit totius orbis inſula celeberrima, ejuſque Hiſtoria res in omnes partes maxime complectatur memorabiles, vix in omnis ævi curſu reperies, qui rem tantam ſuſcipere ſit auſus, aut ſuſceptam ſuſtinere potuerit.

Non mediocriter etiam me illud impellebat, quod [1]meam ſic oper m tibi nec indebitam, nec [2]ingratam fore exiſtimarem. Abſurdum enim ac pudendum videbatur, te, qui in iſta ætatula omnium prope nationum res geſtas perlegeris, plurimas memoriter teneas, domi quodam modo peregrinari. Præterea cum partes ingenii tui excolendas mihi commiſſas per valetudinem incurabilem obire non poſſem, proximum exiſtimavi id genus ſcriptionis eſſe, quæ ad animum comparata eſt. [3]Quo [*igitur*] hanc ceſſationis culpam, quoad poſſem

1 *Meam ſic operam.*] Idem And. Melvinus legit [*meam hic operam:*] at nulla, me judice, mutatione opus, cum vox [*ſic*] ſatis commodam admittat interpretationem, idemque fere innuat quod *hoc pacto*, ſive *ita elocatam*, in Hiſtoria ſcil. noſtræ gentis ſcribenda.

2 *Ingratam fore exiſtimarem.*] Ita omnino legendum, non [*exiſtimares,*] uti idem vir doctus admonuit.

3 *Quo igitur hanc ceſſationis.*] Ita ſententiam hanc diſpungendam, vocemque [*igitur*] interpolandam exiſtimavimus, quod aliter hiulca atque male coagmentata videatur oratio: ita enim in omnibus libris habetur, ——— *Proximum exiſtimavi id genus ſcriptionis eſſe quæ ad animum comparata eſt, quo hanc ceſſationis culpam*, &c. Id viiii dudum ſenſit And. Melvinus, quod & hoc pacto tolli poſſe

ſem, delerem. ſtatui fidos ex Hiſtoria monitores ad te mittere, quorum conſilio in deliberationibus uti, & in re gerenda imitari virtutem queas.

Sunt enim inter Majores tuos in omni laudis genere viri præſtantes, & quorum nullam unquam poſteritatem pigebit. Et, ut cæteros omittam, neminem in ullis rerum reperias monumentis, quem cum Davide noſtro conferas. [1]Quod ſi illi non modo miſerrimis, ſed etiam flagitioſiſſimis temporibus

ſe arbitratur, —— *Proximum exiſtimavi* —— *ad animum comparata eſt, quo hanc ceſſationis culpam, quoad poſſem, delerem. Statui igitur fidos*, &c. At priore modo omnia rectius concinniuſque conſiſtere videntur.

1 *Quod ſi illi.*] Diu multumque ſe torquent viri eruditi, ut ex reliqua hac Epiſtola ſanum ſincerumque ſenſum eliciant. Mihi quidem omnia nequicquam tentanti, non obſcura modo ac miſere involuta, ſed magna ſui parte truncata oratio videtur. Primum enim nil video quod huic clauſulæ [*Quod ſi illi* —— *Divina benignitas eſt elargita*] reſpondeat; cum enim memorare debuerat, quidnam id potiſſimum eſſet, quod Davidi noſtro Divina benignitas ſit elargita; hoc prorſus omiſſo ad Jacobum VI. protinus orationem convertit. Quidam, ut hoc incommodo ſe expediant, vocem [*Quod*] pronomen hoc in loco eſſe volunt, ſententiamque antecedentem reſpicere, ut ſenſus ſit, *Quam rem*, id eſt, *heroicam illam virtutem, inſigneſque eas animi dotes quibus omnibus ubique gentium Regibus David noſter præcellebat.* Sed neque hoc pacto ſententia recto talo conſiſtet, aut ſequentia verba cum præcedentibus apte cohærebunt. Nam, ut taceam turbatum vocum ordinem, & abſonam particulæ [*ut*] repetitionem, qualis amabo efficietur Buchanani ratiocinatio? Quia ſcil. nos Scoti optimum Regem miſerrimis temporibus ante quingentos fere annos habuimus, ideo jure poterimus ſperare, quem jam ſumus nacti Principem, omni virtutis genere præſtantem, ſummæque, quæ vel votis optari poſſit, felicitatis compotem futurum. At quis unquam ſanus, & quo jure, id ſperaverit? niſi velimus exiſtimare homines nihil optare poſſe, quod non jure etiam ſperare queant. Malis quidem temporibus bonus Princeps omnibus votis expetendus, at non ideo jure exſpectandus eſt, cum nimis crebro aliter eveniſſe omnium fere gentium experientia commonſtret. Sed quantumlibet juſta hæc eſſet ſperandi occaſio, manca tamen eſt ſententia; nam ea ut juſta ac plena efficiatur, de miſeria ſuorum temporum mentionem factam fuiſſe oportuit. Præterea haud ſcio an Latine poſſit dici, *Poterimus ſperare ut fias*, ſed, *te fore*, vel *futurum eſſe*. Alii igitur his anguſtiis undique circumventi duabus voculis additis hoc modo ſententiam reſtituendam volunt, *Quod ſi* [tibi ut] *illi non modo miſerrimis, ſed etiam flagitioſiſſimis temporibus Divina benignitas eſt elargita.* Sed hoc quamvis ad Buchanani mentem omnium proxime accedere videatur, ſic tamen *elargita erit* vel *fuerit*, potius quam *eſt elargita*, erat dicendum, quum puerum ſedecim tantum annorum alloqueretur.

bus divina benignitas eſt elargita, ([1] ut ait vates Regius) ut matribus tu quoque menſura fias voti, quoties bene precantur liberis, [2] jure poterimus ſperare, [3] hanc poteſtatem, in omnium rerum exitium & ruinam properantem, poſſe interim etiam ſufflaminari, donec ad ea tempora veniatur, cum ex æterno res humanæ conſecutæ [4] decretum certum, ſuum finem ſint habituræ.

Edimburgi IV. *Calend. Septemb.*

T A-

1 *Ut ait vates Regius*] Non tam Regii vatis verba Buchanani hic animo obverſabantur, quam ſua ipſius Paraphraſis, e qua, iiſdem fere vocibus ſervatis, hæc ſunt depromta, *Pſ.* 21. *verſ.* 6.

Felicitatis ei favor dedit tuus,
Exemplar ut ſit poſteris,
Menſura voti ut matribus ſit, quum bene
Blandis precantur liberis.

Davidis autem verba ita fere redduntur, *Poſuiſti eum in benedictiones in ſeculum*: hunc autem eorum ſenſum Buchananus uni, quod ſciam, Vatablo acceptum debet, qui ea ſic interpretatur, *Effeciſti ut alii per eum benedictionis formulam accipiant*: Nam dicturi ſunt, *Diligat te Deus proinde atque Davidem dilexit. Tanto rerum ſucceſſu polleas, quanto David.*

2 *Jure poterimus ſperare, hanc poteſtatem.*] Si hæ voces [*jure poterimus ſperare*] antecedentia illa [*ut menſura fias voti, &c.*] reſpiciant, copula inſerta erat opus, hoc modo, [*& hanc poteſtatem, &c.*]

3 *Hanc poteſtatem.*] Non hic jus Regium, ſive regimen Monarchicum, intelligit, quod quibuſdam eſt viſum, ſed regnum ipſum, ſive rempublicam Scoticam, quæ per multos annos miſerrime afflicta, ac ſuis pene viribus obruta fuerat.

4 *Decretum certum ſuum finem.*] Perplexus eſt vocum ordo, ut neſcias cum quo potiſſimum vocabulo τὸ *certum* conjungas: ego quidem cum Melvino ad *decretum* referendum exiſtimo, ſententiamque ita legendam, —— *cum ex æterno res humanæ decretum certum conſecutæ, ſuum finem ſint habituræ.* Porro, ex his quæ ſupra adnotavimus, plane apparet ultimam Buchanani manum huic ejus Epiſtolæ neutiquam acceſſiſſe, quippe qui jam fato propinquus, ſolitoque vigore defectus, animum ad hæc intendere nequibat: vix enim integrum menſem ſuperfuit.

GEORGII BUCHANANI RERUM SCOTICARUM HISTORIÆ

LIBER PRIMUS.

CUm res geſtas majorum noſtrorum a fabularum vanitate liberare, & ab oblivionis injuria vindicare ſtatuiſſem; non ab re mihi facturus videbar, ſi a primordio uſque repeterem, (quantum in tanto intervallo temporum, & literarum primum egeſtate, deinde calamitate, fieri poſſet,) qui regionum ſitus, quod [1] ſoli cœlique ſit ingenium, quæ vetuſta nomina & mores, qui primi cultores fuerint inſularum, quæ veteribus BRITANNIÆ vocantur; quæque inter Hiſpanias & Germaniam magno terrarum ſpatio Galliæ prætenduntur. Earum reliquas magnitudine duæ longe præcellunt, *Albium* & *Hibernia*. De his primum dicam: deinde, ut commodum erit, cæterarum ſitum & nomina explicabo.

Cap. I. Prima magnitudine eſt *Albium*, quæ nunc ſola nomen *Britanniæ* retinet, quod antea omnibus erat commune. De ejus longitudine ac latitudine cæteri fere ſcriptores cum Cæſare conſentiunt: eſſe videlicet longam a ſeptentrionibus in meridiem octingenta millia porrectam: qua vero latiſſima eſt, (ut quidam ſentiunt) qua Galliam ſpectat, aut (ut aliis viſum eſt) a Meneviæ angulo ad Jari fluminis oſtium, fere ducenta millia patere: inde paullatim in anguſtum cogitur, donec ad Scotiæ limitem ſit perventum. Romani, quibus ulteriora nondum ſatis erant nota, totam inſulam triquetram crediderunt: verum paullatim ulterius progreſſi, cognoverunt ultra vallum [2] Hadriani eam ſe latius ſenſim diffundere, & ad orientem æſtivum procurrere. Hæc in ſumma de ejus magnitudine dicta ſint. Cœlum Gallico temperatius, ut ait Cæſar; verum utroque mitius eſt Hibernicum. Aër raro ſerenus, ſed caligine denſa plerumque obſcurus, [3] ac, hieme ſatis miti, magis pluvius quam nivoſus. Terra benigne fruges gignit, ac

1 *Soli cœlique.*] MS. *cœli ſolique.*

2 *Hadriani.*] Ita nummi & lapides conſtanter, non vero *Adriani*, quod vulgo legitur. Vid. *Caſaubonum in Spartiani Hadrianum, cap.* 1.

3 *Ac hieme ſatis miti, magis pluvius.*] Quibuſdam forte legendum videbitur [*magis pluvia quam nivoſa*,] ſed nulla mutatione opus; facile enim ſibi conſtat ſententia, ſi diſtinguas poſt [*ac*,] voceſque [*hieme ſatis miti*] ita reſolvas, *Cum hiems ſatis mitis exiſtat.*

ac præter fruges etiam omnis generis metalla. Pecore tota fœcundiſſima. Qui partes inſulæ extremas ac magis frigore infeſtas habitant, avenaceo pane utuntur; vinum e frugibus corruptis conficiunt: plerique ſerum lactis excoquunt; ac in doliis complures menſes defodiunt; iſque multis potus non ſolum ſalubriter, ſed etiam jucunde bibitur.

II. De nomine Britanniæ nulla inter veteres controverſia fuit, niſi quod Græci Βρεττανίαν, Latini BRITANNIAM, eam nominabant. Cæteræ gentes aut hos, aut illos, pro ſuo quiſque arbitrio, imitabantur. Nuper emerſerunt homines, non tam veritatis cupidi quam contentionis, qui ex hominum clariſſimorum ſugillatione clareſcere ſe poſſe ſperarent. Neque enim fieri poſſe exiſtimarunt, ut non in magna eruditionis opinione vulgo eſſent, qui cum tota antiquitate certamen ſibi propoſuiſſent: & quanquam de re non admodum magna lis eſſet, tamen, quia de nomine ipſo patriæ ageretur, tanquam pro aris & focis, omnique totius gentis vetere gloria, ſibi contendendum putarent. Tria vetuſta inſulæ, ut ipſi volunt, nomina, diverſos habent aſſertores, PRUDANIA, PRYTANEIA & BRITANNIA. Pro *Prudania*, totis ingenii viribus, Luddus: pro *Prytaneia*, Thomas Æliotus, Eques Britannus, ſed modeſtis ſtudiis, contendit. *Britanniam* cæteræ fere gentes retinere conantur.

III. Pro PRUDANIA utitur Luddus fragmenti cujuſdam veteris ea auctoritate, quam ſitus, & caries, & temporis longinquitas, pene ſacroſanctam facit. Eam, tametſi per ſe firmam, tamen & etymologia, & Bardorum carminibus, & patrii ſermonis conſuetudine, & vetuſtatis veneranda quadam rubigine, confirmat. Fragmentum quidem illud, in quo cauſæ columen & firmamentum eſt poſitum, ante omnia interrogo, unde? quando? aut quo patre natum, prodiit? aut quid tandem ait, quod pro cauſa faciat? De loco, de tempore, de auctore, forſitan inquies, hæc omnia, quod incerta ſunt, vetuſtatem ejus probant. Præclara ſane probatio. Ex ignorantia, ignobilitate & obſcuritate, certitudo, fides & auctoritas teſtimoniorum pendet: & quod ad rem controverſam explicandam aſſumitur, plus habet obſcuritatis, plus infirmitatis, quam cauſa, ad quam probandam affertur. Quis teſtimonium hic dicit? Neſcio. Quid pro teſtimonio dicit? Ne id quidem ſcio: illud autem audivi, in illo fragmento *Prudaniam* nominari. Quid iſta *Prudania?* monſne an fluvius? vicus an oppidum? vir an mulier eſt? Neſcio: ſed Britanniam hoc nomine ſignificari puto. Age vero, *Prudania* Britanniam ſignificet. Quid tandem pro te facit hîc tuum fragmentum? Illud ſcire velim, verumne nomen inſulæ *Prudaniam* eſſe affirmet, an eorum inſcitiam coarguat, qui falſum hoc nomen inſulæ tribuunt? Ne hoc quidem ſcio: ſed ſonum Britannicum hîc quidem agnoſco, viſque ſermonis Britannici in ipſa vocis etymologia ſe oſtendit: eſt enim *Prudania*, quaſi *Prudcania*, hoc eſt, excellens pulchritudo, a PRYD, quod eſt forma, & CAM, quod eſt candidum, emollita paullum aſperitate vocis. At iſta ratione non *Prudaniam*, ſed *Prudamiam* factam oportuit: quam vocem in patrio ſermone *Prudam* Bardi pronunciant. Omitto hîc, quam ſit levis, fallax, & plerumque ridicula, tota

hæc

hæc [1] originis vocum quærendi ratio. Omitto M. Varronem, alioſque excellenti doctrina viros, qui in hoc genere ſæpenumero ridentur: totum Platonis Cratylum taceo. Hoc tantum affirmo, facilius æquis auribus me probaturum Cambros e canibus & brutis eſſe factos, quam tu *Prudaniam* e *Prudcamia* coaluiſſe perſuadebis: iſto enim modo quidlibet e quolibet licebit effingere. Sed quam parum ſit in his omnibus firmamenti indicat Luddus, qui iſtis præſidiis parum confiſus arceſſit in auxilium Bardos, ſane pervetuſtum genus hominum, ſed quos veteres nihil ſcripſiſſe aſſeverent. Sed de eis alias nobis plura erit dicendum.

IV. Ad ultimum Luddi perfugium veniamus. *Cæſar*, (ait) *qui primus Romanorum hujus inſulæ nomen Latinis literis commendavit*, *eam Britanniam appellavit*, *quem omnes fere Latini ſcriptores ſecuti*, *idem nomen haud mutavere.* Hîc ab illuſtri mendacio Luddo viſum eſt ordiri, quod videlicet Cæſar primus Latinorum *Britanniam* nominavit: nam [2] ante Cæſarem natum Britanniæ Lucretius meminit: [3] Ariſtoteles longe prius apud Græcos. Et non multo poſt

1 *Originis vocum quærendi ratio.*] Hic & alibi jungit Buchananus gerundium in *di* genitivo ſingulari generis fœminini. Voſſius quidem, eumque ſecutus Novæ Methodi auctor, id faciendum permittunt. Nullum tamen ejus rei exemplum, exceptis unis pronominibus, vel ipſi adducunt, vel me legiſſe memini. Quanquam enim ejuſmodi gerundia cum genitivo plurali generis fœminini juncta haud raro reperiam, & par ratio atque analogia utrobique videatur, ægre tamen vocibus fœmininis in genitivo ſingulari ejuſmodi gerundia adhibuerim, adeoque, ni omnes codices obſtarent, cum And. Melvino *quærendæ* hic potius quam *quærendi* legendum exiſtimarim. [crediderim *origines* legendum eſſe.]

2 *Ante Cæſarem natum.*] Graviter hic hallucinatur Buchananus, tantum enim abeſt, ut ante Cæſarem natum Lucretius Britanniæ meminerit, ut ne ipſe quidem tum natus fuerit. In lucem enim editus eſt Julius Cæſar anno U. C. 654. quinque annis ante Lucretium, qui natus eſt Olympiadis 171. anno ſecundo, Euſebio & Hieronymo teſtibus, i. e. U. C. 659. Quocirca vox [*natum*] omnino delenda. Sed neque ita ſatis conſtat Lucretium prius quam Cæſarem Britanniæ meminiſſe. Cæſar enim Britanniæ meminit *lib. Commentt.* 2. eo anno quo Belgas, Nervios, *&c.* perdomuit, U. C. ſcil. 697. cum Lucretius annum ageret ætatis 38. i. e. ante ipſius mortem annis 5 aut 6. (alii enim eum anno ætatis 43. alii 44. interiiſſe tradunt.) Cum autem Lucretius extremò ſuo opere, quod morte præreptus nunquam abſolverat, Britanniæ meminerit, veriſimile eſt eum jam morti propinquum, ſaltem non 5 aut 6 ante ſuum obitum annis, adeoque poſt Cæſarem, ejus mentionem feciſſe. Cæterum temere omnino Luddus hic a Buchanano illuſtris mendacii reus inſimulatur. Virum forte egregium fefellit Pet. Crinitus, qui neſcio quo auctore Lucretium ſcribit Terentio Varrone & M. Tullio fuiſſe paullo antiquiorem, quem etiam Car. Stephanus, Luidius & Hofmannus Lexicographi ſequuntur. Videſis Bælium, *Diction. Crit.* copioſe hac de re diſſertantem, erroreſque Lambini, Paræi, Brietii & aliorum refutantem.

3 *Ariſtoteles.*] Librum illum *De Mundo* intelligit, qui vulgo Ariſtoteli tribuitur: ſed diu eſt, ex quo viri docti, & in his ipſe Buchananus lib. 2. de auctore hujus libri dubitarunt. Certe Daniel Heinſius, Diſſertatione ea de re ſcripta, non modo Ariſtoteli, aut Theophraſto, aut cuicunque illius ævi ſcriptori, eum abjudicat, ſed & vel Auguſti tempore, vel infra etiam, & forte a Nicolao Damaſceno, ſcriptum exiſtimat.

[Thomas Hearnius in præfat. ad Guiliel. Neubringenſ. pag. 22. Herodotum jam

poſt Cæſarem Propertius IV. III. 35. cum ait,

Cogor & in tabula pictos ediſcere mundos,

indicat ſua ætate mundi deſcriptionem parietibus affigi ſolitam. Te ipſum rogo, [1] crediſne Cæſarem illum, in omni liberali diſciplina eruditum, deſcriptionem orbis nunquam vidiſſe? aut viſam non legiſſe? aut, cum reliquus orbis deſcriberetur, Britanniam inſulam unam, totius orbis maximam, jam tum Latinis & Grajis monumentis tam illuſtrem, in tabulis illis omiſſam fuiſſe? Crediſne illum, qui de rebus Britannicis tam diligenter ſibi inquirendum putavit, qui homines eam regionem & tum & jam olim habitarent, quæ ſtirpium, quæ animantium genera in ea naſcerentur, quibus legibus & moribus viveretur; cum, inquam, credis, cum de his tam fuiſſet ſollicitus, in univerſæ regionis nomine tam fuiſſe negligentem? aut qui tanta fide & diligentia ſua Gallorum urbibus nomina reddidit, Britannos antiqua ſua gloria fuiſſe fraudaturum? Vetus autem (quoniam in hac maxime parte ſe Luddus jactat) [2] cur nomen *Prudaniæ* exiſtimet, nihil video, niſi forte e putris chartæ ſitu etiam verba ſenectutem contraxerint. Hæc ſatis ad Luddum in præſentia, qui teſtibus domo productis, ſuiſque inſomniis, adverſus omnium, qui uſquam ſunt aut fuerunt, doctorum hominum conſenſum, certandum ſibi putavit.

V. Cum Ælioto minus erit negotii. Is non modo conjecturis veriſimilibus, ſed non obſcuris etiam auctoribus inductus, credit, aliquando eam regionem PRYTANEIAM fuiſſe appellatam. Non enim incommode exiſtimavit, inſulam, omnium rerum, quæ ad vitam inſtruendam vel ornandam ſunt neceſſariæ, copia redundantem, ſic dici poſſe. Hic ſi cauſſas nominum expendere oporteat, Sicilia *Prytaneia* potius dici debebat, nonnullæque aliæ, tanto Britannia fertiliores, quanto terrarum ſpatio ſunt minores. Præterea, apud auctores, quorum teſtimonio nomen *Prytaneia* confirmatur, facile apparet, ſcripturam eſſe vitiatam. In Stephano quidem ſumma inconſtantia eſt. In voce ALBION, inquit eam eſſe inſulam *Brettanicam*, ſecutus, ut ipſe ait, Martianum. In vocibus *Juvernia* & *Juverna*, *Prætanica* ſcribitur. Alibi, inquit eſſe in Oceano inſulas *Brettanicas*, quarum cultores *Brettani* dicantur: ſed Martianum & Ptolemæum in iis vocibus P literam primam facere. Quos locos ſi quis conferat, comperiet procul dubio ſcripturam eſſe corruptam, Stephanumque ipſum ſentire *Brettaniam* per B primam, & duo TT ſcribi debere.

Hæc

jam Britanniæ meminiſſe credit lib. IV. 49. ubi Iſter dicitur fluere per totam Europam, & incipere a Celtis, *qui omnium in Europa ad ſolis occaſum præter Cynetas, ſunt extremi:* per *Cynetas* vero *Cantii* incolas intelligit. ſed valde dubito an non *Cynetas* Hiſpaniæ populum intelligat, qui *Celtis* in Hiſpania, unde *Celticum* promontorium, & *Celtiberis* magis adhuc ad occidentem ſunt remoti; hos *Curetes* vocat Juſtin XLIV. 4. vide. Voſſ. ad Melæ lib. III. cap. I. ubi ſitos non longe a Gadibus fuiſſe oſtendit. ibi vero Solis cubilia fuiſſe credita ſatis notum. quare jure *Cynetas* omnium ad occidentem extremos dicit, ex ævi ſui ſententia, Herodotus.]

1 *Crediſne.*] MS. *credaſne.*

2 *Cur nomen Prudaniæ.*] MS. *Cur id nomen Prudaniæ.*

1 *Quam*

Hæc Æliotus, cum, opinor, non ignoraret, quæ homines gloriæ famelici ad oſtentationem eruditionis undique convenrunt, admonuiſſe quantum ſatis eſt contentus, ſuum lectori judicium relinquit. Luddus vero, ut hîc ingenium noſcas, e tribus nominibus inſulæ maximæ id maxime probavit, quod pauciſſimos habuit aſſertores, nempe *Prudaniam*. Proxime *Prytaneiam* amplectitur. *Britanniam* vero, quod nomen jam per omnes nationes erat illuſtre, quod (ut ait Plinius) *Græcis & Latinis monumentis erat celebratum*, velut corruptum rejicit; & ſero tandem, idque a C. Julio Cæſare, ait corruptum: [1] quem falſo exiſtimat (uti dictum eſt) nomen *Britanniæ* Latinis literis commendaſſe primum, cæteroſque ſecum in eundem errorem traxiſſe.

VI. Ego vero antiquitatem vocis hujus BRITANNIA, multis & quidem locupletiſſimis teſtibus, probare poſſem, ſi res in controverſo eſſet: & a Cæſare non vitiatam, ſed per manus a majoribus, & quidem puram, fuiſſe traditam, niſi quod veteres geminum TT ſcribere ſoliti videntur. Hinc factum opinor, ut Lucretius iſtius nominis primam ſyllabam fecerit longam. Nunc autem alterum T ſolet omitti Latinis, quod in voce BRITTO perpetuo retinetur. Græci, qui Βρεττανίαν ſcribunt, [2] proxime ad patrii ſermonis prolationem accedunt, quam & ipſi Britanni & omnes vicini adhuc retinent. Nam & Galli propiores BRETTAS appellant omnes fœminas Britannicas, & BRETTER Britannice loqui: & promontorium Aquitaniæ vulgo CAP-BRETTON dicitur: & utrique Scoti, hoc eſt Albienſes & Hibernenſes, ſic loquuntur. Id tantum intereſt, quod qui Germanica dialecto gaudent, interdum tranſpoſitione literarum utuntur, ac BERTON pro BRETON proferunt. Dionyſius autem Afer, in illo verſu 284.

Ὠκεανοῦ κέχυται ψυχρὸς ῥόος· ἔνθα Βρετανοί,

in altero τ rejiciendo uſus eſt licentia poëtica, quemadmodum idem in Σαμάται pro Σαρμάται fecit. Hic tot nationum pene ab initiis uſque rerum conſenſus, & inter ſe, & cum vetuſtiſſimis Græcorum & Latinorum, pluris apud me erit, quam omnia Luddi ῾Ρακώματα, e luto ad ludibrium collecta, ad ignominiam ſervata, & ad falſum teſtimonium adverſus antiquitatem dicendum, quamlibet impudentem habeant patronum, tamen nondum egredi auſa. Proferat ille, ſi poteſt, qui ante Ariſtotelem ſcripſerit PRUDANIAM. Id autem, ut in omnia ſe vertat, nunquam efficiet: cum certum ſit, poſt Ariſtotelem aliquot ſeculis, Bardos nihil ſcripto commiſiſſe. Faceſſat illa glorioſa, dicam, an ſtolida jactatio antiquitatis, cujus nullum argumentum, nullum veſtigium, imo ne veſtigii fragmentum reperiri poteſt.

VII. Inter has variarum opinionum diſcordias, diverſaſque loquendi conſuetudines, Luddus putat conſultiſſimum, vetuſtatem, & patrium loquendi morem, velut Cynoſuram quandam, ſemper ſpectare, atque inde omnis ſermonis

1 *Quem falſo.*] Vid. Not. 2. p. 3.
2 *Proxime.*] MS. *proximi.*

nis curſum dirigere. Ab eo [1] ego non magnopere diſſentirem, ſiquidem, quod in vetere conſuetudine poſitum eſt, & ideo certum exiſtimatur, id ſemper teneri poſſet. Sed pluribus de cauſſis id fieri non poſſe animadverto. Primum, quod in omni ſermone vetuſtiſſima invenire ſit difficillimum, tutiuſque ſit hîc ſequi doctiorum conſuetudinem, quam retro ſemper origines, velut Nili fontes, vano & ridiculo labore perquirere; præſertim cum vocabulorum initia non a ſapientiorum judicio pendeant, ſed a vulgi maxime rudis & inculti arbitrio; cujus conſilium anxie inquirere, ſupervacaneæ cujuſdam eſt diligentiæ, & ubi inveneris, non magnum feceris operæ pretium. Nam, ut in reliquarum omnium rerum generatione, [2] quæ aut ſponte naturæ proveniunt, aut ab hominibus ad uſus vitæ excogitantur, primi fœtus quodammodo imperfectiores, & non ſolum ad [3] uſus commodi, ſed aſpectu minus jucundi exeunt; cultu deinde manſueſcunt, & tractando paullatim lævigantur: eadem certe eſt in ſermone ratio, qui primum ab hominibus craſſis & rudibus editus, aſper plerumque & inſuavis & impolitus eſt exortus; mox tractando ſenſim genitalem horrorem exuit, & manſuetius & jucundius [4] ad aures accidebat, & multo facilius in animos hominum influebat. Itaque in hac parte, ut ſi qua alia, conſuetudini politiorum hominum aliquid indulgendum cenſeo; & voluptatem, [5] minime illam illiberalem & inhumanam, quatenus moribus eſt innoxia, [6] minime abominandam. Quod ſi quis ita [7] Muſis iratis eſt natus, ut Catonis & Ennii ſermonem potius amet, quam Ciceronis & Terentii, &, inventis frugibus, glandibus tamen veſci malit, [8] jubeamus miſerum eſſe, libenter quatenus id facit.

VIII.

1 *Ego non.*] MS. *Ego quidem non:* quod haud ſpernendum, niſi quod continuo ſequatur *ſiquidem.*

2 *Quæ aut ſponte.*] Deeſt [*aut*] in omnibus Editt. quod ex MS. repoſuimus.

3 *Uſus commodi.*] And. Melvinus legendum cenſet *incommodi;* nos tamen cum omnibus exemplaribus retinuimus *commodi*, repetendo vocem *minus.* Non enim primi fœtus rerum ad vitæ uſum ſunt incommodi; ſed imperfectiores tantum: non magis quam craſſus ille priſcorum hominum ſermo nullius uſus dici poſſit ad animi ſenſa exprimenda, ſed tantum minus jucunde ad aures accidere, quam cum uſu paullatim eſt expolitus,

4 *Ad aures accidebat.*] Non *accedebat*, quod quidam forte velint, ita enim Cic. in Vatin. 2. *Non putas fas eſſe verbum ex ore exire cujusquam, quod non jucundum & honorificum ad aures tuas accidat*, quemadmodum in optimis codicibus legitur; aliis tamen *accedat.* Liv. lib. 8. *Quod ubi ad aures accidit Regis.* Lucret. lib. 2. verſ. 1023.

Nam tibi vehementer nova res molitur ad aures
Accidere ———

[*Vid. ad Ovid.* v. *Faſtor.* 360. *& Giſan. Ind. Lucret. in accidere.*]

5, 6 *Minime.*] Iteratio vocis [*minime*] in eadem periodo non ita grata auribus videtur, forte poſteriore loco *neutiquam* legendum.

7 *Muſis iratis natus.*] MS. Edinb. Genev. & Francof. Editt. *Muſis iratus natus:* non dubitavimus tamen cum Elzev. monente etiam Crafordio, tritum ſatis Proverbium *Muſis iratis natus*, reſtituere. *Vid.* Eraſmi Adagium, *Diis ſecundis.*

8 *Jubeamus miſerum eſſe.*] Dacierius & alii hæc Horatii, Sat. 1. unde & noſter ea depromſit, commate diſtinguunt poſt *eſſe*, ſenſum enim eſſe, *Eum infelicem eſſe ſinamus, quippe qui ſuæ naturæ ſponte id faciat.*

VIII. Sed hæc noſtra diſputatio non eſt de puritate & elegantia ſermonis Latini: ad hanc enim nihil intereſt, quo ſono Britanni olim literas efferrent. Hæc enim tota contentio eo tendit, ut Latini Britannicum, non Britanni Latinum, ſonum diſcant. Quod ad me attinet, malim ignorare veterem illam & anilem priſcorum Britannorum balbutiem, quam dediſcere quodcunque hoc eſt ſermonis Latini, quod magno cum labore puer didici. Neque aliud eſt, cur minus moleſte feram priſcam Scotorum linguam paullatim intermori, quam quod libenter ſentiam barbaros illos ſonos paullatim evaneſcere, & in illorum locum Latinarum vocum amœnitatem ſuccedere. Quod ſi in hac tranſmigratione in alienam linguam, neceſſe eſt alteros alteris concedere, nos a ruſticitate & [1] barbaria ad cultum & humanitatem tranſeamus: & quod naſcendi infelicitate nobis evenit, voluntate & judicio exuamus: aut, ſi quid opera & induſtria poſſimus, id omne eo conferamus, ut linguam Græcam & Latinam, quas orbis pars melior tanquam publicas recepit, pro viribus expoliamus, & ſi quis ex contagio barbari ſermonis adhæſit ſitus & ſqualor, quoad fieri poſſit, extergeamus. Quid, quod hæc nimis anxia diligentia, in nominibus peregrinis præſertim in alienam linguam transferendis, nec ſervari poteſt, nec, ſi poſſet, expedit? Quæ enim non literas & ſonos habet, quæ alterius ſermonis characteribus omnino exprimi non poſſunt? Quæ natio præter Germanos W literam proferre poteſt? Quis Latinis literis eum ſonum reddet, quem Hiſpani, Brittones & Scotorum pars in literis D. G. P. T. X. & Z. efferunt? Ob hanc, opinor, ſoni abſurditatem, Plinius, enumerans Hiſpaniæ oppida, quædam negat *Latiali ſermone dictu facilia:* alia vocat *ignobilia, & barbaræ appellationis:* alia *citra faſtidium nominari poſſe* negat.

IX. Quid hîc, rogo, faceret Luddus, ſi ei Latine ſit ſcribenda hiſtoria Britannica? Ipſa genuina Brittonum nomina quomodo enunciaret, cum tota ſua barbarica rubigine, opinor, non haberet. Nam, cum tam anxie ſe torquet, quomodo *Luddum* ſcribat, *Lhuydumne*, an *Lludum*, an vero *Luddum?* quorum nullum nec Latinis literis exprimi, nec ore Latiali efferri, nec ab auribus Latinis ſine faſtidio audiri, poteſt. Si verum ſonum retineat, non Latinam, ſed ſemibarbaram faciet orationem: ſin ad genuinum Latini ſermonis ſonum inflectet voces peregrinas, non minus flagitioſe peccabit, quam Cæſar in verbo BRITANNUS feciſſe dicitur. Quid igitur Luddo faciemus, ut hominem & moleſtum & moroſum placemus? [2] *Prudamiam* dicemus potius quam *Britanniam?* Hoc nec Luddus tam ſeverus aliorum cenſor exiget; permittet enim ut e *Prudam Prudaniam* declinemus. Quod ſi quis BRITANNIAM, aut BRETTANIAM auſit dicere, quid aliud, quam ſacroſanctæ vetuſtatis vio-

1 *Barbaria.*] *Barbaries* frequentius uſurpatur hoc in ſenſu, i. e. pro ruſticitate morum & ruditate ſermonis *Barbaria* tamen utitur Cic. pro Corn. *C. Cæſar inveteratam quandam barbariam ex Gaditanorum moribus diſciplinaque delevit.* Ovid. Amor. 3. Eleg. 8. 3.

Ingenium quondam fuerat pretioſius auro
At nunc barbaria eſt grandis habere nihil.

Heinſius tamen ibi *barbaries grandis* legit.

2 *Prudamiam.*] MS. *Prudamiamne.*

violatæ, & ſermonis antiqui ſincerique contaminati, & e robuſto illo & maſculo ſono in muliebrem mollitiem fracti, reum peraget? Nihilne ergo ex horroris vetuſti ſqualore mutare nobis fas erit? aut, ſi non mutare, ſaltem [1] male tornata perpolire vocabula? & ab inculta illa immanitate paullatim ita inflectere, ut ſaltem vox hominem ſonet? &, quod [2] majores noſtri in *Morinis*, & *Moremaruſa*, & *Armoricis* feciſſe videmus, ut, ſi has voces donare civitate Latina non poſſimus, certe in eis amictum & inceſſum Latinum imitemur? Sed per Luddum, ut video, non licet. Ad auguſtam illam nos revocat Prudanorum vetuſtatem, & a Bardis & Senecionibus vetat uſquam divertere.

X. At vetuſtiſſimos Græcorum & Latinorum nunquam hæc religio tenuit: neque, poſtquam ſermonis antiqui rigor ſe remittere cœpit, quiſquam fuit, qui *famul* & *volup* retinere maluerit, quam quæ in eorum locum ſucceſſerunt recipere. Et in transferendis e Græco Latinis, aut e Latino Græcis, ſumma libertas fuit. Quis unquam Latinis vitio vertit, quod *Polydeucen* in *Pollucem*, quod *Heraclea*, in *Herculem*, quod *Aſclepion* in *Æſculapium* verterint? Aut Græcis, quod pro *Catulo Catlum*, pro *Remo Romum* dixerint? Quid in barbaris ad ſe transferendis? Num Græci dubitarunt AL Punicum in ultimis dictionum ſyllabis in AS convertere? Num, ſi quis *Annibas* pro *Annibal* dixit, omnem hiſtoriæ majeſtatem proculcavit, veritatem corrupit, aut Pœnorum linguæ maculam ullam inuſſit? Videte, quantum veterum Saxonum & Danorum, qui poſterius immigrarunt in Britanniam, humanitatis & cultus ſtudium ab hac Luddi immanitate & ſqualoris [3] affectatione diſſideat. Illi inculti, & omnis eruditionis ignari, cum veniſſent ad homines barbaros & balbutientes, non ſolum eorum [4] ſtribligine ſe paſſi non ſunt infici, ſed guſtata ſemel Græci & Latini ſermonis ſuavitate, multum ex eo, quem ipſi invexerant, horrore abſterſerunt: quædam vocabula aſperiora lævigarunt, ita ut ſine ulla aurium of-

1 *Male tornata.*] Imitatus eſt Horat. Arte 441.

Et male tornatos incudi reddere verſus.

2 *Majores noſtri.*] Ita conſtanter libri omnes: error tamen aliquis ſubeſſe videtur, [*majores*] enim hic quarti eſt caſus; & quanquam apud Salluſtium inveniamus *majores veſtrum*, mihi tamen fere perſuaſum eſt nuſquam *majores veſtri* aut *noſtri* poſſe reperiri, ita ut *noſtri*, vel *veſtri* ſit plurativi caſus ſecundus. Legendum itaque videtur, aut *majores noſtros*, aut verſu ſequente *feciſſe videntur.*

3 *Affectatione diſſideat.*] MS. & omnes editi [*diſſident*] manifeſto errore; unde nobis ſuborta eſt ſuſpicio exſcriptores *n* pro *a* accepiſſe ſimilitudine literarum deceptos; ideoque [*diſſideat*] eſſe legendum. Non autem diſſimulanda eſt viri docti ingenioſa conjectura emendantis *humanitas* pro *humanitatis*, ita ut *humanitas & cultus ſtudium immanitati* & *ſqualoris affectationi* opponantur.

4 *Striblígine.*] Ita Edinb. editi vero reliqui & MS. *Stribiligine*: nos *Stribligine* ſcribendum arbitramur auctoritate nixi A. Gellii qui lib. 5, cap. 20. de ea ſic loquitur, *Solœciſmus Latino vocabulo a Sinnio Capitone ejuſdemque ætatis aliis Imparilitas appellatus vetuſtioribus Latinis* Stribligo *dicebatur, a verſura videlicet & pravitate tortuoſæ orationis.* Unde a voce Græca ϛριϐλὸς i. e. *intortus*, *pravus*, vocem hanc ſuam originem traxiſſe exiſtimat Gronovius. Apud Arnobium quidem *Stribiligo* legitur.

1 *In-*

offenſione tolerari poſſint, qualia ſunt *Oxonia* & *Roffa*, pro *Oxonfordia* & *Raufcheſtria*, & pleraque alia, ne repugnante quidem Luddo. Sed nec ipſe quidem in hoc genere parum ſibi permittit, qui, in uno Britanniæ nomine cum tam duræ ſeveritatis eſt exactor, in tot aliis ſibi tantam aſſumit licentiam. Nunc contra veterem omnium gentium conſuetudinem, pro novo, obſcuro & incerto vocabulo tam pertinaciter nititur: nimirum ne Regium illud nomen Luddi, e Cimbrorum proſapia ductum, & velut Palladium in hunc uſque diem ſervatum, in oblivionem veniret. Id ne fieret, Luddus adverſus multitudinis conſenſum, temporis vetuſtatem, atque adeo ipſam veritatem, ſibi certamen inſtituit.

XI. Eſt & in vocabulo BRITANNIA illa adhuc obſervatio: quod apud exteros ſcriptores id inſulæ totius eſt nomen; Brittones autem & Angli, qui res Britannicas literis mandarunt, nunc cum exteris conſentiunt, nunc tantum Britanniæ nomine cenſent eam inſulæ partem, quæ provincia Romana fuit: idque varie, prout belli eventus limites mutavit: [1] interim enim Hadriani, interim Severi vallum finem imperio faciebant: reliquos, qui extra vallum erant, nunc Barbaros, nunc Tranſmarinos, appellabant. Beda libri primi initio ſic ſcribit: *Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per ſeptentrionales inſulæ partes cœperunt: nam auſtrina Brittones occupaverant.* Idem cap. 34. [2] *Aidanus, Rex Scotorum, qui Britanniam habitant.* Et lib. IV. cap. 4. dum reditum Colmani ex Anglia in Scotiam ſcribit, ait: *Interea* [3] *Colmanus, qui de Scotia erat, relinquens Britanniam.* Et alibi: *Exinde cœperunt per plures dies de Scotorum regione venire in Britanniam.* Item, *Occiſus eſt Oſualdus juxta murum, quo Romani ob arcendos Barbarorum impetus totam a mari uſque ad mare præcinxerant Britanniam.* Eadem loquendi forma eſt apud eundem lib. II. cap. 9. Hanc peculiarem Britannis loquendi formam non videtur ignoraſſe Claudianus, cum ſcribit, *Legionem* Romanam, *quæ Scoto dat frena truci*, *prætentam* fuiſſe *Britannis*, hoc eſt, oppoſitam Scotis, ut eorum furorem a Britannis propelleret, in extrema quidem Britannia, ac Scotiæ limite. Frequentiſſime hoc genere ſermonis utuntur Gulielmus Malmesburienſis, & Galfridus Monumetenſis, non obſcuri inter Britannicarum rerum ſcriptores: apud quos facile cuivis erit animadvertere, BRITANNIÆ vocabulo nominari, quod intra Severi vallum tantum continetur. Id apud eos etſi adeo perſpicuum eſt, ut neminem latere poſſit, tamen magnos apud ætatis proximæ ſcriptores peperit errores, qui Aluredum & Athelſtanum, alioſque nonnullos Saxonum Reges, totius inſulæ aliquando potitos ſcriptum reliquerunt; cum tamen Severi vallum nunquam tranſcenderint. Nam, cum legerent eos totius Britanniæ tenuiſſe imperium, totam inſulam ab eis poſſeſſam exiſtimabant.

XII.

1 *Interim.*] Sæpiſſime utitur hoc vocabulo Buchan. pro *interdum*, ſive *aliquando:* neque deſunt exempla, ut Trajanus apud Plin. lib. 10. Ep. 7. *Prudenter autem conſtitui interim navibus, interim vehiculis uti.* Similiter quoque Tacitus, Quintilianus, Seneca.

2 *Aidanus.*] Beda ex edit. Chifletii; *Edan Rex Scotorum qui Britanniam inhabitant.*

3 *Colmanus.*] Beda *Colmanus Epiſcopus.*

XII. Nec diſſimilis interim obſervatio eſt, in [1] horum nominum uſu, BRITANNUS & BRITTO. [2] Veteres enim omnes Græci & Latini ſcriptores totam inſulam BRITANNIAM, incolas autem ejus omnes ſine diſcrimine BRITANNOS, vocabant. Primus, quod ſciam, Romanorum BRITTONES nominavit Martialis, in illo verſu lib. XI. Ep. 22.

Quam veteres bracchæ Brittonis pauperis. ——

BRITTONES fere vulgus appellat peninſulæ Gallicæ habitatores: quanquam & ipſam BRITANNIAM, & incolas BRITANNOS Gregorius Turonenſis ſemper vocet. Romani ſuos provinciales conſtanter BRITANNOS dicunt: quanquam ipſi provinciales ſeſe BRITTONES appellari gaudeant. Utriuſque vero nominis una radix & origo eſt, BRITANNIA. Et ſicut utrumque nomen ab uno fonte promanat, ita res eadem prorſus utroque indicatur. Id autem maxime perſpicue oſtendit Auſonii poëtæ carmen Epigr. CIX.

[3] *Silvius ille Bonus, qui carmina noſtra laceſſit,*
Noſtra magis meruit diſticha Britto Bonus.
Silvius hic Bonus eſt. Quis Silvius? Iſte Britannus.
Aut Britto hic non eſt Silvius, aut malus eſt.
Silvius iſte Bonus fertur, ferturque Britannus:
Quis credat civem degeneraſſe bonum!
Nemo bonus Britto eſt: ſi ſimplex Silvius eſſe
Incipiat, ſimplex deſinat eſſe Bonus.
Silvius hic Bonus eſt: ſed Britto eſt Silvius idem.
Simplicior res eſt, credite, Britto malus.
Silvi, Britto, Bonus, quamvis homo non bonus eſſe
Ferris: nec ſe quit jungere Britto Bono.

XIII. [4] Qui Britannos Gallorum colonos eſſe contendunt, hi Herculem e Celto puella Gallica Britannum filium genuiſſe produnt: a quo gentem Britannam pro-

1 *Horum nominum uſu.*] MS. *Uſu horum nominum.*

2 *Veteres enim.*] MS. & editi omnes; *Veteres enim omnes totam inſulam Græci & Latini ſcriptores Britanniam*, turbato prorſus verborum ſenſu & ſitu; quæ nos ſuo quæque ordini reddere non dubitavimus.

3 *Silvius ille Bonus.*] Epigramma hoc in Brittonem quendam, non unicum eſſe, ſed ſingularia diſticha ſex, monuerunt Scaliger & Grævius, & unumquodque legendum eſſe ſeparatim, repetito ſæpius titulo, *In eundem*, aut *De eodem*, prout in recentioribus codicibus videre eſt. Notandum præterea Brittoni iſti cognomen fuiſſe *Bono*, unde Poëta argutiæ opportunitatem captavit. Cum igitur (quod & alias ei uſu venit) mendoſo libro Buchananus fuerit uſus, neminem nobis vitio daturum ſperamus, quod integrum hunc locum ex optimis editionibus exhibuimus, gnari ſcil. Buchananum ipſum idem facere voluiſſe, ſi earum ſibi copia ſuppetiſſet.

4 *Qui Britannos.*] Hic totus Paragraphus uſque ad *Antiquiſſimum inſulæ nomen creditur fuiſſe Albion*, &c. in MS. deſideratur. Videtur autem ab auctore ipſo interjectus, cum ſchedæ ſuæ jam prælo da-

propagatam. [1] Hanc nationem Plinius vicinam Morinis, Atrebatibus, Geſſoriacis, collocat. Qui e Græcis [2] hæc confirment, non deſunt Grammatici, Suidas, & qui Etymologicon Magnum ſcripſit. In eadem ſententia mihi fuiſſe videntur C. Julius Cæſar, & C. Cornelius Tacitus, aliique ſcriptores Latini non indocti, [3] non ita celebres tamen. Item ſacra, ſermo, inſtituta, gentiumque quarundam ad mare Gallicum habitantium mores, id confirmant. [4] E quibus mihi Britanni transmigrationibus exhauſti, Morini paullatim conſumti videntur. [5] *Morinus* quidem a MORE, (id vetere Gallorum lingua *mare* ſignificat,) ſuam mihi originem teſtari videtur. [6] Venta, Belgarum, & ab Icio di-

darentur, idque raptim nec ea cura, quæ cæteris eſt adhibita: unde & forſan eſt quod tanta laboret, præſertim in initio, obſcuritate.

1 *Hanc nationem.*] Plinius quidem Britannos Belgicos nominat, inter Geſſoriacenſes & Ambianos medios, ac proinde (quod eruditiſſimus Harduinus exiſtimat) ea loca tenentes, ubi nunc oppida Stapulæ, Monſtrolium, Heſdinium & adjacens ager Ponticus ad Somonam amnem. Cluverius tamen German. Antiq. lib. 2. cap. 27. diſſentientibus licet omnibus libris, legendum contendit *Brionnos*, adfertque non ſpernendas ſuæ opinionis rationes.

2 *Hæc confirment.*] Non id ſcil. *gentem Gallicam fuiſſe Britannos nominatos*, ſed quod initio dixerat, *Britannos eſſe Gallorum colonos*: h.e. ex Gallia primum in Britanniam migraſſe.

3 *Non ita celebres.*] Edinb. *non incelebres tamen.* Melvius corrigit, *Non tam docti, non incelebres tamen.* Crafordius tria poſtrema vocabula delenda cenſet. Melius tamen Edit. Genev. eamque ſecutæ Francof. & Elzev. quam nos ſequendam duximus.

4 *E quibus*] Tria hic occurrunt difficilia intellectu. Quo referendum ſit τὸ *quibus*; qui ſint hi *Britanni*, & quid denique hic ſibi velit vox [*exhauſti.*] Et primum quidem illud τὸ *quibus* vel ad ea omnia quæ antea dixerat, refertur, ut ſententiæ ſenſus ſit, *Ex hiſce quæ jam diximus.* Vel reſpicit ſacra, ſermonem, inſtituta moreſque gentium quarundam ad mare Gallicum habitantium, ut ſenſus ſit, *Ex ſimilitudine ſacrorum, ſermonis*, &c. *quæ veteribus Gallis cum Britannis*, i. e. *inſulæ Britanniæ habitatoribus intercedit, veriſimile eſſe hoſce Britannos tranſmigrationibus fuiſſe exhauſtos*, i. e. *ex Gallia deductos & propagatos*, & *Morinos, unde commigraverant, crebris hiſce colonorum tranſmiſſionibus paullatim conſumtos*, i. e. *indies imminutos & ad exiguum numerum redactos.* Verum, ut alia omittam, utramque hanc conjecturam labefactare videtur vox [*exhauſti,*] quam apud nullum idoneum auctorem pro *deducti* & *propagati* uſurpatam commemini. Alia igitur mihi Buchanani mens videtur, hæc videlicet: *E quibus*, i. e. inter quas gentes, vel de numero quarum gentium ad mare Gallicum habitantium, *Britanni*, non inſulæ habitatores, ſed natio Gallica Morinis, Attrebatibus & Geſſoriacis finitima, Plinio memorata, *tranſmigrationibus exhauſti*, i. e. quaſi e ſedibus ſuis exciti, in Britanniam inſulam etiam cum nomine ſe contuliſſe, & *Morini* eorum vicini *paullatim conſumti*, i. e. frequentibus eodem deductis coloniis indies pauciores redditi *videntur.*

5 *Morinus.*] Quæ ſequuntur admodum perplexa ſunt & involuta. Id autem agit Buchan. ut ex ſimilitudine nominum & vocum Gallicarum & Britannicarum, alterum ex altero populo oriundum oſtendat.

6 *Venta, Belgarum.*] Ita omnes libri, quod & nos retinuimus, ne quid temere immutaſſe videremur: addere tamen libuit diſtinctionem poſt [*Venta,*] quaſi forte ita ſe haberet ſententia: *Venta*, in numero multitudinis, *h. e.* duo ejus nominis oppida, unum ſcil. Ventam (vel potius, ut ſibi conſtet, Ventum) *Belgarum*; alterum Ventum *Icenum* (pro *Icenorum*) *ab Icio* portu *dictum*, *etiam in alienum ſolum ſecum*, &c. Multa tamen hic culpanda ve-

dictum Icenûm, etiam in alienum ſolum ſecum cognominis loco patriam vocem extuliſſe ſit veriſimile: atque in ipſo ſtatim aditu [1] occurrentes Britannos, velut progeniem agnoſcentes, domum ſuam tanquam in hoſpitium deducere velle. *Morinus* enim Gallis veteribus *marinum*, & [2] *Moremaruſa mare mortuum*, ſignificat: quanquam hæc poſtrema duo nomina Goropius, dum ſuos Aduaticos nimis ambitioſe vult excolere, pene nobis ſurripuit. Nec Aremorici aut Armorici ſe noſtri generis negare poſſunt: habemus enim [3] majores & propinquos penes nos obſides. Nam AR vel ARE vetus eſt præpoſitio linguæ Gallicæ, quod *ad* vel *ſuper* indicat, quaſi dicas, *ad mare*, vel *ſuper mare*, hoc eſt, *maritimum*. *Moremaruſa* vero a MORE, hoc eſt, *mare*, [4] declinat, ultima ſyllaba producta [5] in morem participii Græci. *Aremorica* quidem ſeu *Armorica*

veniunt, & illud in primis quod contra quam ipſe libro II. Antonini Itinerarium, aliique quod ſciam omnes, qui *Ventam* in genere fœminino primaque declinatione inflectunt, ille in neutro & declinatione ſecunda extulerit, vel indeclinabile poſuerit. Non equidem ſum neſcius probatos etiam auctores in hujuſmodi nominibus nonnunquam variare, modo V. G. *Bactra*, *Bactræ*; *Hieroſolyma*,-*mæ*, modo *Bactrorum* & *Hieroſolymorum* declinantes. At id, præterquam quod raro admodum, nec niſi exemplo idoneo præeunte, licitum videatur, hic minime factum oportebat, quum tanta inde toti ſententiæ obſcuritas vel potius ambiguitas offundatur. Præterea cum nuſquam occurrat oppidum nomine *Icenum*, inepta prorſus videtur Syncope pro *Icenorum*. Quare totam ſententiam ſic conſtituendam arbitror; *Ventam Belgarum*, *& ab Icio dictam Icenorum*, *etiam in alienum ſolum*, &c.

1 *Occurrentes Britanni.*] Hic rurſus aqua hæret: neque enim ſatis liquet quinam ſint hi *Britanni*, Galliæne an Albii incolæ. Ego quidem poſterius exiſtimo, atque hoc voluiſſe Buchananum, q. d. Cum Belgæ & Iceni (ſive populus mare Gallicum circa Icium portum accolens) novas ſibi ſedes quærentes in Britanniam primum appuliſſent, *Britannos*, qui non ita pridem ex iiſdem regionibus in Albium commigrarant, eis *occurentes*, tanquam ſui generis (erant enim omnes Galli Armorici) & quaſi ex ſe ortos liberos eos *agnoviſſe*, *& domum ſuam*, i. e in eam Britanniæ partem quam ipſi incolebant, *deduxiſſe*, locumque domicilii dediſſe.

2 *Moremaruſa.*] Plinius & Solinus *Morimaruſam* vocari ajunt eam Oceani Septentrionalis partem quæ a Cimbris, *h. e.* ſinus Codani faucibus (vulgo *The Sound*) ad Rubeas promontorium (nunc *Noortkyn*) pertinet. Utrique autem *Morimaruſa*, non *Moremaruſa* ſcribitur: quia tamen Buchan. hanc vocem a *More* deducit, neque præterea multum interſit, nos *Moremaruſa* retinuimus. Parum autem hæc ad Buchanani opinionem ſtabiliendam faciunt. *Mor* enim vel *More* non ſolis Gallis & veteribus Britannis proprium eſt vocabulum, ſed illis cum Scythis, Cimbris, omnibuſque fere gentibus Septentrionalibus commune; adeoque nihil erat metuendum, ne Goropius Becanus Buchanano, aut hic illi ſurriperet vocabulum a tot gentibus æquo jure vindicatum.

3 *Majores & propinquos.*] Ipſe inuſitatam hanc loquendi formulam lib. II. explicat. Per [*majores*] autem hic intelligit *vocabula primitiva*, ex quibus vox *Armorici* eſt conflata, *ar* nimirum Præpoſitionem, i. e. *ſuper*, & *Mor* ſive *More*, i. e. *mare*: *propinquos* autem vocat *ejuſdem originis vocabula*, quale eſt *Moremaruſa*, quod etiam a *More* deducitur & Britannica voce *Maru*, Hibernice *Marv*, Armorice *Maro*, i. e. *mortuus*. Vid. Eduardi Luidii Vocabularium Comparativum linguarum Britanniæ & Hiberniæ primigeniarum.

4 *Declinat.*] An potius legendum *declinatur*.

5 *In morem participii Græci,*] ut ἐχίων, ἐγει-

ca (qui ſtatim auditum non agnoverit, is veterem linguam Gallicam prorſus ignorat,) & ipſum quoque *maritimum* ſignificat, vel Strabone interprete, qui Græce pro eo nobis ſemper reddit [1] Παρωκεανίτας. Cæſar de Armoricis hæc lib. v. 53. *Magnas Gallorum copias earum civitatum, quæ Armoricæ appellantur, oppugnandi ſui cauſa conveniſſe:* & lib. VII. 75. *Univerſis civitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæque eorum conſuetudine Armoricæ appellantur:* & lib. VIII. 31. *Cæteræque civitates poſitæ in ultimis Galliæ finibus,* [2] *Oceano conjunctæ, quæ Armoricæ appellantur.* Cæſar, quoties harum civitatum meminit, ſemper adjicere ſolet, QUÆ APPELLANTUR: ſed ita adjicere, ut non nomen proprium eſſe intelligas, ſed aut epitheton, aut loci cognomen. Sed nec apud quenquam alium idoneum ſcriptorem id civitatis nomen fuiſſe reperitur: cum tamen latiſſime in illa ora vox illa vagaretur, ab Hiſpania videlicet ad Rhenum; interque tot ſcriptores unum Plinium reperiam, qui genuinam nominis vim non videatur intellexiſſe: omnem namque Aquitaniam ita putat aliquando fuiſſe appellatam. Sed hæc in præſentia: nam plura nobis de ſermone Gallico diſputandum erit.

XIV. Antiquiſſimum inſulæ nomen creditur fuiſſe ALBION, aut, ut [3] Ariſtoteles, vel potius Theophraſtus, in libro qui *De mundo* inſcribitur, [4] recenſet, ALBIUM. Sed hoc nomen magis e libris eruitur, quam in communi ſer-

ἐγειροῦντα, ἐγεῖρον, ab ἐγείρω. Forte hoc Buchananus dixerit, quod Philemon auctor Græcus (unde Plinius, & ab eo rurſus ejus Epitomator Solinus, vocem hanc *Morimaruſam* habuerunt) ad modum participii ſuæ linguæ eam declinaverit, cum gentibus cui propria erat, *Mor maru* appellaretur.

1 Παρωκεανίτας.] Ita ex Strabone ipſo reſtituimus, cum antea omnibus editionibus irrepſerit *Apoceanitas*, ſive ἀπωκεανίτας, manifeſto errore. Nam, præterquam quod vox ἀπωκεανίται neque apud Strabonem, nec alium quenquam auctorem reperiam, tantum abeſt, ut Buchanani ſenſum explicet, ut ei plane contraria ſit. Quid enim aliud ſignificare poteſt ἀπωκεανίται, quam ἀπὸ τοῦ ὠκεανοῦ οἰκοῦντας, i. e. *longe a mari habitantes?* Strabo autem Armoricos non modo παρωκεανίτας, ſed & interdum παροικοῦντας τὸν ὠκεανὸν appellat. Sed neque ſolus peccavit Buchananus, aut ejus librarius, eundem enim errorem erravit Camdenus, alio etiam de ſuo adjecto, qui Armoricos ἀποκεανίδας pro ἀπωκεανίτας, & hoc pro παρωκεανίτας, a Strabone nominatos affirmat.

2 *Oceano conjunctæ.*] Ita exhibent optimæ Cæſaris editiones, non *Oceanoque*, quod in omnibus Buchanani exemplaribus eſt ſcriptum.

3 *Ariſtoteles, aut potius Theophraſtus.*] Vid. quæ nos ſupra ad *pag.* 3. *Not.* 2.

4 *Recenſet, Albium.*] Turpiſſimum hic prima fronte mendum ſubeſſe videtur: quaſi vero Britannia, olim ab aliis *Albion* vocata, in libro Græco, quicunque demum ejus fuerit auctor, *Albium* vocetur. Imo vero in eo libro *Albion* vocatur, nec aliter vocari poterat, cum *um* terminatio Græca non ſit. Nihilo tamen ſecius recte ſe habet vetus lectio; quæ atque adeo Buchanani mens ut clarius intelligi poſſit, advertendum eſt varie ab antiquis auctoribus ſcribi vocem *Albion*; Ptolemæo enim Ἀλουίων, Stephano Ἀλβίων, Ariſtoteli autem, ſive libri de Mundo ſcriptori, Ἀλβίον dicitur. Obſervandum præterea ſolenne Latinis ac in more poſitum fuiſſe nomina a Græcis accepta quæ in ων deſinebant, nulla mutatione facta in *on* itidem terminaſſe; qualia plerumque erant regionum, urbium, montium ac fluviorum nomina, veluti, *Babylon*, *Chalcedon*, *Calydon*, *Marathon*, *Cithæron*, *Lacedæmon*, *Ladon*, &c. aut ν finalem abjeciſſe, ut *Pla-*

ſermone uſurpatur, niſi præſertim apud Scotos, qui ſe ALBINICH, ſuam regionem ALBIN, adhuc vocant. Multi nomen inditum inde putant, quod appellentibus e Gallia albæ rupes primæ occurrant. Mihi vero abſurdum in primis videtur, Britannici nominis originem e Latino ſermone repetere, tam raro tum inter feras gentes commercio. Sunt qui ab *Albione* Neptuni filio id nomen inditum putent, quem aliquando Britanniæ fuiſſe Regem comminiſcuntur, audaci prorſus mendacio, & nullo penitus antiquitatis teſtimonio nixi. Super hoc tamen tam invalido cognati nominis fundamento regnum exſtruere eos non puduit: nullam enim aliam hujus commenti ex hiſtoriis occaſionem datam video. Meminerunt enim [1] *Albionis* & *Bergionis*, e Græcis quidem, Diodorus Siculus & Strabo; e Latinis, Cato, Hyginus & Mela. E quibus id fere colligi poteſt, [2] *Albionem* & *Bergiona* Neptuni filios, Ligures, ex agro Albicorum itinera, quæ in Italiam ferrent, latrociniis infeſta habuiſſe. [3] Hi, cum Herculem ex Hiſpania [4] Geryone victo redeuntem præda exuere tentaſſent,

Plato, *Zeno*, *Apollo*, pro Πλάτων, Ζήνων, Ἀπόλλων, &c. Quæ omnia cum Græcis quintæ Declinationis eſſent, Latini per tertiam ſuam Declinationem, quæ quintæ Græcorum reſpondet, inflectunt. Contra vero Græca nomina in ον excuntia Latini ſæpius in *um* mutarunt, veluti *Drepanum*, *Lilybæum*, *Dyrrhachium*, *Poſidium*, *Actium*, *Thurium*, *Byzantium*, item *ſymbolum*, *gymnaſium*, &c. quæ omnia Græcis in ον finiuntur, & tertiæ ſunt Declinationis, ad quam proxime ſecunda Latinorum accedit. Hiſce rite intellectis, nullo fere negotio Buchanani ſententia ſe oſtendit: ea autem eſt hujuſmodi; *Antiquiſſimum*, inquit, *inſulæ nomen creditur fuiſſe Albion* (ſive Ἀλβίων, ut apud Stephanum, aut Ἀλουίων, uti apud Ptolemæum) *aut*, *ut Ariſtoteles*, *vel potius Theophraſtus*, *in libro qui De mundo inſcribitur*, *recenſet*, *Albium*, i. e. Ἄλβιον. Eodem ſenſu alibi intelligendus eſt, præſertim pag. hac *ſive Albion*, *ſive Albium ſit*, i. e. ſive Stephanum, ſive Ariſtotelem ſequamur, & ratione utriuſque linguæ habita ex Græcis terminationibus Latinas faciamus. Atque hæc mihi cauſa videtur cur ſæpius inſulam *Albium*, incolaſque *Albienſes*, quam *Albionem* & *Albionenſes* appellet; quod Ariſtotelem, aut Theophraſtum (quem libri *De Mundo* auctorem putat, utpote Stephano & Ptolemæo vetuſtiorem, potius ſequendum exiſtimaverit. Apulejus tamen, qui hunc ipſum *De Mundo* librum Latina, licet interdum liberiore, interpretatione donavit, *Albion*, non *Albium*, inſulam appellat.

1 *Albionis & Bergionis.*] Ex his quinque quos Buchan. nominat auctoribus, ſolus Mela *Albionis* & *Bergionis* meminit. Fabula quidem, quam ille de Campo Lapideo adjungit, apud eos habetur, Diod. Sic. lib. 4. Strab. lib. 4. Hyginum Poët. Aſtron. lib. 2. cap. 6. Melam, lib. 2. cap. 5. Caton. de Originibus. Sed hunc poſtremum ſuppoſititium eſſe omnes fere docti conſentiunt. His adde Plin lib. 3. cap. 4. Solin. cap. 2. Dionyſ. Halicarn. lib. 1. pag. 27.

2 *Albionem & Bergiona.*] Quod quartum horum nominum caſum ita variet, ut poſterior aliquid trahat ex Græco, imitatione factum eſt vetuſtarum editionum Pomp. Melæ lib. II. cap. 5. quas etiam ſequutus in hoc ſcriptore edendo Iſaacus Voſſius. Gronovius tamen *Albionem & Bergionem* edidit, Epiſtolaque ad D. Arch. Pitcarnium, Buchananum noſtrum ſecus ſcribentem non tam arguit quam excuſat.

3 *Hi cum Herculem.*] Variat hic ab indirecto, quem vocant, ad directum, & a directo rurſus ad indirectum ſermo: alias enim legendum videtur, *Hos, cum Herculem ex Hiſpania,---eum excepiſſe:* continuo enim ſequitur, *eum---demiſiſſe*, & *manſiſſe campum Lapideum*. Non deſunt tamen apud probatos auctores exempla, quibus ſe Buchananus tueatur.

4 *Geryone*] Ita emendavimus, cum an-

ſent, tam atroci prœlio eum exceperunt, ut pene deſperatis rebus Jovis auxilium implorare ſit coactus: eum, ut filio laboranti opem ferret, imbrem lapideum cœlo demiſiſſe: ejus pugnæ indicium ad poſteros manſiſſe [1] *Campum Lapideum*. Neque ego tamen abnuerim ab *Albo* & inſulam, & latronem nomen accepiſſe.

XV. Verum ALBUM contendo plurimarum gentium commune fuiſſe vocabulum, [2] apudque eos non modo coloris, ſed altitudinis nomen fuiſſe. Et [3] Feſtus quidem Pompejus, quæ Latinis *Alba* dicuntur, ea Sabinis *Alpa* vocari aſſerit, indeque *Alpibus* nomen inditum, quod perpetuis nivibus albeſcant. Ego quidem, ut de altero aſſentior, ALBUM & ALPUM pro eodem a veteribus fuiſſe dicta, non Feſti ſolum, ſed etiam Strabonis auctoritate fretus: ita *Alpes* potius ab altitudine quam candore nominatas arbitror. Primum, quod, cum ALBA multarum ſit in Italia, Gallia, Hiſpania, urbium nomen, omnes in collibus, aut prope colles, ſint ſitæ. Deinde, quod Strabo abſque diſcrimine hæc nomina, *Alba*, *Alpa*, *Alpia*, [4] *Alpionia*, *Albici*, in ſignificatione altitudinis, velut ab eadem radice declinata agnoſcat: ideoque has voces uſurpari maxime oſtendat, ubi Alpes ſe attollere incipiunt. Hinc in Liguria *Albingaunum*, & *Albium* [5] *Intemelium*. In [6] Japodibus autem [[7] *Albium*] jugum eſt editiſſimum, ubi Alpes deſinunt. Sunt & alia loca, quæ ab altitudine nominata poſſunt videri. In Ita-

antea in omnibus libris *Gerione* legeretur.

1 *Campum Lapideum.*] Aliis Herculeus Campus, regiuncula Provinciæ lapidibus obducta inter Rhodanum fluv. & ſtagnum Aſtromelam, vulgo jam *Le Crau*. Vid. Valeſii Notit. Galliæ.

2 *Apudque eos.*] Ita libri omnes, [*eas*] tamen malim.

3 *Feſtus quidem Pompejus.*] in voce *Album*: videſis in eum Dacierium, qui non ſolum a Feſto diſſentit, ſed Buchanani ſententiam confirmat, auctoritate Iſidori, qui Gallorum lingua *Alpes* montes altos vocari aſſerit, & Livii, cujus hæc verba lib. 21. cap. 30. *Quid aliud Alpes eſſe credentes quam montium altitudines?*

4 *Alpionia.*] non *Albionia*, ut in aliis libris: apud Strabonem enim lib. 4. Ἀλπιόνια ſcribitur. Commentatores autem ejus nonnulli, & in his Cluverius, Ital. Antiq. pag. 318. cum vocem Ἀλπιόνια plane nihili eſſe, & nullius ſenſus arbitrarentur, ſic emendarunt, Ἀλπίων ἔνια, i. e. *Alpium quædam partes.*

5 *Intemelium.*] Ita ſcribendum cum Strabone, Plinio & Tacito, non *Intimelium*: quibuſdam tamen conjunctim *Albintemelium*, quemadmodum & *Albingaunum*, aliis *Albigaunum*, & *Albium Ingaunum* dicitur.

6 *Japodibus.*] Crafordius legendum vult *Japydibus*: ſed nihil mutandum, Strabo enim, quem hic noſter præcipue ſectatur, Ἰάποδες ſcribit, uti obſervavit Jac. Cellarius Geog. Antiq. l. 2. c. 8. Dio quidem Caſſius, Ptolemæus & Plinius Ἰάπυδες, ſive Iapydes, habent Græca litera.

7 *Albium jugum eſt.*] Hoc vocabulum in omnibus exemplaribus omiſſum, ad ſenſum tamen plane neceſſarium, ex Strabonis lib. 4. repoſuimus, cujus hæc verba ſunt, Καὶ γὰρ τὸ ἐν τοῖς Ἰάποσιν ὄρος ὑψηλὸν, συνάπτον πως τῇ Ὄκρᾳ καὶ ταῖς Ἄλπεσιν, Ἄλβιον λέγεσθαι, ὡς ἂν μέχρι δεῦρο τῶν Ἄλπεων ἐκτεταμένων, i. e. *Quippe in Japodibus excelſum jugum Ocræ & Alpibus contiguum, Albium vocari, veluti huc uſque porrectis Alpibus.* Et lib. 7. Ἵδρυνται δ' οἱ Ἰάποδες, ἐπὶ τῷ Ἀλβίῳ ὄρει, τελευταίῳ τῶν Ἄλπεων ὄντι, ὑψηλῷ σφόδρα, i. e. *Siti ſunt Japodes ſub Albio monte, qui finis eſt Alpium, admodum alto.*

Italia quidem, *Albula* fluvius ex Etruriæ, [1] *Albulæ* aquæ e Tiburtinis montibus effuſæ. In Gallia Narbonenſi, *Albici* populi montani. In Germania, *Albis* fluvius, in Boëmorum montibus natus. In Aſia, *Albanus* fluvius e Caucaſo defluit: & *Albani* populi velut eiſdem montibus infuſi. Ex his, opinor, non abhorret a vero, ALBUM non unius, ſed multarum gentium fuiſſe vocabulum; [2] cum, omnibus quos nominavi locis, altitudo perpetuo & immutabiliter, albeſcere vix paucis menſibus, nec omnibus ſemper accidat. Faciunt ad hanc quoque conjecturam & ipſa gigantum Ligurum nomina, *Albion* & *Bergion*, utrumque, ut opinor, a proceritate corporis impoſitum. Ac de ALBO jam quid veteres ſenſerint, diximus. Germanis vero BERG pro alto dici, notius eſt quam ut pluribus indicandum ſit. Et Gallis olim eodem intellectu dictum fuiſſe oſtendit locus Plinii, libro tertio Cap. 17. quem ita legendum contendo: [3] *Unde Bergomates Cato dixit ortos, etiam nomine prodentes ſe altius quam felicius ſitos.*

XVI.

1 *Albulæ aquæ.*] Vid. eundem Cluverium, pag. 717.

2 *Cum, omnibus quos.*] MS. & editi omnes, *Cumque omnibus*, &c. Quod ſi ita legamus, imperfectam atque mutilam ſtatuemus ſetentiam: cujus rei gnarus Crafordius, poſt has voces [*ſemper accidat*] ſtatim ſubjungendas cenſuit, *Apparet hoc potius altitudinis quam coloris nomen apud eas gentes fuiſſe.* Et quidem hanc Crafordii emendationem non leviter confirmare videntur, quæ hujus Paragraphi initio dixerat Buchananus. Ibi enim duo ſibi probanda ſuſcipit; primum, vocem *Album* non unius ſed plurimarum gentium commune fuiſſe vocabulum, & deinde apud eas id non tam coloris quam altitudinis nomen fuiſſe. Debuit igitur in fine, cum argumentorum pondera ſummatim recolligeret, utrumque quod probaturum ſe receperat, indicare: ſecus enim dimidiam tantum propoſiti partem exſecutus videbitur. Verumenimvero, ne quis tot vocabulorum adjectionem ſibi præfidentis audaciæ inſimularet, tutius exiſtimavimus leviore correctione re utcunque defungi, extrita nimirum a fine vocis [*cumque*] particula *que*: quanquam ex Crafordii emendatione ſententiam clariorem multo & Buchanano magis dignam effici haud inviti fateamur.

3 *Unde Bergomates.*] In Plinii editionibus fere univerſis ita legitur; *In hoc ſitu interiit oppidum Orobiorum Barra, unde Bergomates Cato dixit ortos, etiamnum prodente ſe altius quam fortunatius ſitos*, vel *ſitum*, ut in vetuſtioribus codicibus, & editione Harduini. Paullo ſupra dixerat Plinius, *Orobiorum ſtirpis eſſe Comum, atque Bergomum, & Licini forum, & aliquot circa populos, auctor eſt Cato: ſed originem gentis ignorare ſe fatetur, quam docet Cornelius Alexander ortam a Græcia, interpretatione etiam nominis vitam in montibus degentibus.* Quæ Buchanani conjecturam haud parum adjuvare videntur: cum enim Bergomum Orobiorum eſſet oppidum; Orobii autem, teſte Alexandro, παρὰ τὸ τὸν βίον ἄγειν ἐν ὄρεσι vocitarentur, *BERG* autem lingua Germanica, qua Galli antiqui (ut notat Dacierius in Feſtum, voce *Album*) utebantur, *altum* ſignificet, veriſimillimum eſt Bergomates ita nominatos, quod in montibus locisve editis ſedes ſuas haberent. Hujus conjecturæ Buchananææ Harduinus non meminit, quamvis æquior Dalecampius prætereundam non cenſuit. Interim non ulla rei ipſius ratione, ſed memoriæ lapſu factum videtur, quod Buchananus vocem *felicius* pro *fortunatius* ſubſtituerit; cum utrumque ex æquo ipſius conſilio ſit accommodatum. Quod autem Buchananus pro [*etiamnum prodente*] [*etiam nomine prodentes*] legendum exiſtimet, non poſſum ejus ſententiæ adſtipulari. Neque id modo,

XVI. *Albion* igitur & [1] *Bergion*, homines, ut videtur, cæteris vicinis corporum proceritate præſtantes, & fiducia virium in ea Ligurum ora latrocinium exercentes, quos Hercules, cum illac iter haberet, armis compeſcuit. In Britannia autem regnaſſe nemo veterum eos prodit, & rem omnino diſſimilem veri facit rerum, qui tum erat, Gallicarum ſtatus. Nec veriſimile Britannicum multo fuiſſe tranquilliorem: qua in terra regnum maximum magnus ille *Albion* reliquit, ut domi latrocinaretur. Nos vero, etſi non multum ab eorum opinione diſcedimus, qui *Albionem* ab *Albo* dictam fuiſſe ſcripſerunt, ita non colorem, ſed altitudinem montium, occaſionem nomini imponendo dediſſe arbitramur. Qui autem hoc nomen impoſuerunt, puto nonnihil impulſos comparatione Angliæ cum Hibernia, inter quas anguſto mari navigatur. Nam, cum alterum littus totum in montes conſurgere viderent, alterum depreſſum & humile in campos æquales explicari, illam ab altitudine *Albionem* dixerunt. Huic autem ab humilitate an nomen aliquod dederint, longinquitas temporis, & incolarum negligentia in memoria rerum vetuſtarum prodenda, fecit incertum. Huic præterea meæ ſententiæ etiam illud ſuffragari videtur, quod nomen iſtud inſulæ ab *Albo* ductum, ſive *Albion*, ſive *Albium* ſit, adhuc in Scotia, velut natali ſolo, pertinaciter hæret; neque inter mutationes habitatorum, regnorum, linguarum, aliarumque rerum viciſſitudines, unquam exſtirpari potuit. Hæc etſi nobis aut vera, aut veris proxima, videntur, tamen ſi quis afferet meliora, facile in ejus ſententiam tranſibimus.

XVII. HACTENUS de vetuſtis inſulæ nominibus. Proximum eſſe videtur, ut terrarum ſitum exſequamur. Ac [2] Angliæ quidem domeſtici ſcriptores ſatis diſerte atque explicate ſingulas regiones tradiderunt. Hector autem Boëthius in Scotiæ deſcriptione quædam parum vere prodidit, & alios in errorem induxit

do, quod a fide omnium MSS. (quod in rebus iſtuſmodi non temere faciendum) diverſus abeat, ſed & illud præcipue me movet quod non videam quomodo Cato, vir doctiſſimus, nec Græcæ linguæ ignarus, Orobiorum originem neſcire ſe fateatur, Germanicas tamen origines voceſque cognoverit. Porro, ſi id maxime voluiſſe dicatur vel Plinius vel Cato, addere inſuper vel hic vel ille debebat, vocem *BERG*, cum neque Græca ſit nec Latina, ſed Germanica aut Gallica, hiſce gentibus *altum* ſignificare. Quomodo enim aliter Romanis, in quorum gratiam uterque ſcripſere, potuit vox *Bergomates* ſuo nomine, de cujus origine erant prorſus ignari, *prodere ſe altius quam fortunatius ſitos*. Neque denique, ſi vel maxime linguam Germanicam callerent, poterat nomen *Bergomum*, ſed res ipſa, oſtendere oppidum iſtud *altius quam fortunatius ſitum*, niſi altera compoſitæ vocis pars *Comum* infortunatum ſignificet, vel *BERG* utramque ſignificationem in ſe contineat, vel denique omne quod altum eſt protinus infortunatum dicatur: quæ omnia, uti a vero, ita a Catonis vel Plinii mente longe videntur aliena. Igitur Harduini ſententiæ accedo, qui id voluiſſe Plinium ait, *Oppidum Barram*, (id enim potius reſpicere videntur voces, *etiamnum prodente*, &c.) *quoniam in editi montis vertice olim conditum, Catonis autem ætate jam deficiens atque caducum, & paullo poſt funditus interiturum fuit, vere intuenti prodere ſe altius quam fortunatius ſitum.*

1 *Bergion, homines.*] ſupplendum *erant*, vel *fuerant*.

2 *Angliæ quidem.*] Hanc emendationem MSto debemus, cum editi omnes *Angli* legant; vel nullo vel inepto ſenſu.

3 *Tri-*

duxit; dum ipſe, quibus ea inquirendi dedit negotium, nimis credulus, eorum ſententiam temere vulgavit. Nos, quæ comperta erunt nobis, leviter & perfunctorie attingemus, quæ aut obſcure, aut minus vere, prodita videbuntur, quoad poterimus, corrigemus. Angliam commodiſſime, quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat, dividunt quatuor flumina: duo in mare Hibernicum decurrentia, Deva & Sabrina; totidem in mare Germanicum, Tameſis & Humber. Inter Devam & Sabrinam [1] triplex regionibus diſtincta includitur Vallia: inter Sabrinam & Tameſim totum illud latus Angliæ, quod Galliam ſpectat: inter Tameſim & Humbrum interjectæ regiones tertiam portionem conſtituunt: quartam, quicquid terrarum ab Humbro & Deva ad Scotiam pertinet. Dirimitur autem Scotia [2] ab Anglis, primum Tueda fluvio, Zeviota monte altiſſimo, &, qua mons deficit, vallo non adeo pridem facto, ac deinde Eſca & Solvæo fluminibus. Citra hos limites, a mari Scotico ad Hibernicum, regiones hoc ordine jacent. Marcia, in qua Bervicum oppidum nunc Angli tenent, ſiniſtrum Tuedæ latus attingit: ad orientem Forthæ æſtuario, ad meridiem Anglia clauditur. Ad occidentem, ad utrumque Tuedæ latus, eſt Teviotia, a Tevioto amne nomen adepta: Zeviota monte dirimitur ab Anglia. Poſt hunc regiones non magnæ, Lidalia, Evia & Eſcia; a tribus fluminibus cognati nominis, Lidalo, Evo & Eſca, nominatæ. Ultima Annandia, & ipſa ab Annando amne, prope mediam dividente, appellata: [3] ſecundum Solvæum in mare Hibernicum decurrit.

XVIII. Jam ut rurſus ad Fortham redeamus, is [4] ab ortu Lothianam claudit: Cocburni ſaltus & Lamyrii montes eam a Marcia ſeparant. Contingit deinde paullum ad occaſum inflexa Lauderiam & Tuediam, alteram a [5] Laudero oppido, alteram ab amne Tueda mediam ſecante [[6] *nominatas.*] Tuediam ad meridiem & occidentem contingunt [7] Lidalia, Nithia, Glottiana. Nithiæ Ni-

1 *Triplex regionibus diſtincta.*] Vallia enim antiquitus a tribus populis incolebatur, Siluribus nempe, Dimetis & Ordovicibus: hodie etiam in Septentrionalem, Auſtralem & Occidentalem diſtinguitur.

2 *Ab Anglis.*] An potius *ab Anglia*; quemadmodum paullo ante *Angli* pro *Angliæ* eſt ſcriptum.

3 *Secundum Solvæum* ——— *decurrit.*] Vide annon potius *excurrit* ſit legendum: Latini dicunt, *ager*, *campus*, *terra excurrit*, vel *procurrit*; *fluvius* vero vel *amnis decurrit*: at *terra decurrit* nullus memini. [vel poteſt legi, *qui* (Annandus) *ſ. S. i. m. H. decurrit.*]

4 *Ab ortu.*] Forthæ æſtuarium intelligit, ſed neque illud ab ortu Lothianam claudit, ſed potius à Borea vel ortu æſtivo, quod ipſe mox affirmat pag. 19. *ab oriente*, inquit, *æſtivo finitur Fortha, ſive mari Scotico*, quæ ſententia prorſus ſupervacua, idem enim hic dicitur, ſi vocem addas, *æſtivo*.

5 *Laudero oppido.*] An potius a Laudero amne interſecante, præſertim cum reliquæ pene omnes circumcirca regiones a fluminibus non ab oppidis (ipſo Buchan. ſuffragante) nomina ſua ſint ſortitæ. Porro cum flumina oppidis ſint antiquiora, atque (ut ipſe ait lib. 2.) inter eas res ſint, quæ æternæ quodammodo exiſtimentur, verius eſt hæc ab illis, quam e contrario derivari.

6. *Nominatas.*] Hanc vocem, quæ MS. & editis omnibus intercidit, neceſſario requirit orationis ſenſus & tenor.

7 *Lidalia.*] Ut a viris iſtarum regionum gnaris accepi, Lidalia nuſquam Tuediam contingit, hinc Teviotia, illinc Eſcia mediis interjectis.

Nithus amnis nomen dedit, per eam in mare Hibernicum labens. Lothiana, [1] a Lotho Pictorum rege nominata, ab oriente æſtivo finitur Fortha, ſive mari Scotico. Vallem Glottianam ſpectat ab occidente hiberno. Hæc regio humanitatis cultu, & rerum neceſſariarum ad uſum vitæ copia, cæteras longe præcellit. Quinque amnibus irrigatur; Tina, utroque Eſca, (qui, antequam in mare cadant, in unum alveum coëunt) Letha, & Almone. Hi partim e Lamyriis, partim Pictlandicis montibus, in Fortham defluunt. Oppida habet Dumbarum, Hadinam, vulgo Hadintonam, Dalkethum, Edimburgum, Letham, Limnuchum.

XIX. Magis ad occidentem jacet Glottiana, utramque Glottæ fluminis ripam complexa, quæ ob longitudinem in duas præfecturas dividitur. In ſuperiore præfectura collis eſt non admodum editus, e quo in tria diverſa maria flumina effunduntur; Tueda in mare Scoticum, Annandus in Hibernicum, in Deucaledonium Glotta. In ea urbes inſigniores ſunt, Lanarcum & Glaſcua. Hanc ab occidente hiberno Coila contingit. Ultra Coilam eſt Gallovidia. Ea ſeparatur a Nithia Cludano amne; tota fere in meridiem vergens: ac ab littore ejus reliquum illud Scotiæ latus tegitur. Univerſa pecoris, quam frumenti fertilior. Amnes habet in Hibernicum mare decurrentes, Urum, Devam, Kennum, Cream & Luſſum. Nuſquam fere in montes attollitur, ſed collibus tantum frequentibus intumeſcit. In convallibus inter eos aqua reſtagnans innumeros prope lacus efficit, e quibus primis ante æquinoctium autumnale imbribus rivi augentur: unde multitudo incredibilis anguillarum deſcendit, quas accolæ naſſis vimineis exceptas ſale condiunt, ac non modicum inde quæſtum faciunt. Extremum lateris eſt [2] Novantum promontorium, ſub quo in oſtio Luſſi fluminis ſinus eſt, qui Ptolemæo Rerigonius vocatur. Ei ex adverſo influit ex æſtuario Glottæ ſinus, vulgo lacus Rianus, Ptolemæo Vidogara. Quod inter hos ſinus terræ procurrit, incolæ Rinum, hoc eſt, Gallovidiæ aciem, appellant. Ab eiſdem [2] Novantum [[3] *promontorium*,] Mula, [4] hoc eſt, roſtrum ſive rictus, nominatur. Tota autem regio Gallovidia ([5] nam Gallovid priſcorum Scotorum lingua Gallum ſignificat) appellatur.

XX.

1 *A Lotho.*] Quidam (quibus magis aſſentior) non a Lotho Pictorum Rege, ſed a Letha amne mediam ſecante Lothianam deductam, indeque *Lethianam* potius dicendam putant. Vid. Atlantem Scotiæ Blavianum. Vero tamen proxime accedere videtur eorum conjectura, qui a populo eam incolente regioni nomen inditum, atque pro Γαδηνοὶ, quos ea plaga Ptolemæus collocat, Λαδηνοὶ legendum exiſtimant.

2 *Novantum promontorium.*] in Edinb. quæque eam ſecutæ ſunt editt. perperam ſcribitur *Nonantum*: Ptolemæo enim populus Νοουάντας appellantur.

3 *Promontorium.*] Hanc quoque vocem in omnibus editionibus deſideratam ſupplendam duximus: non enim *Novantum* hic Nominativus ſingularis eſt, quod quidam forte autument, ſed Genitivus pluralis.

4 *h. e. roſtrum.*] Irvinus tamen Nomencl. & Atlas Scotiæ pag. 49. Mulam non roſtrum ſive rictum, ſed glabrum ſive detonſum ſignificare ajunt.

5 *Nam.*] Illud *nam* mihi otioſum videtur, niſi etiam addidiſſet, aut prius dixiſſet gentem aliquam veterum Gallorum, aut Brittonum, quos Scoti ab initio Gallos appellabant (Vid. lib. 11. 28.) ibi aliquan-

XX. Infra Vidogaram a tergo Gallovidiæ [1] leviter declinat ad Glottæ æſtuarium Caricta. Eam duo amnes interſecant, Stinſiarus & Grevanus: uterque multis amœnis villis cingitur. Inter amnes, qua in modicos colles tumet, paſcuis fœcunda, nec infelix frumento eſt. Tota terreſtribus maritimiſque copiis non modo ſibi ſufficiens, ſed vicinis multa ſuppeditans. Dunus amnis eam a Coila ſeparat, ortus ex ejuſdem nominis lacu, qui inſulam complectitur modicæ arcis capacem. Sequitur Coila, quam a meridie Gallovidia claudit: ab ortu æſtivo Glottianam attingit: ab occaſu Irvino fluvio a Cunigamia diſtinguitur: mediam Aëra, amnis dividit. Ad eum ſita eſt Aëra; emporium non ignobile. In univerſum regio eſt feracior virorum fortium, quam frugum aut pecorum: tota quippe tenui & arenoſo ſolo: quæ res hominum induſtriam acuit, & parſimonia vires animi & corporis confirmat. Cunigamia poſt hanc ad ſeptentriones procurrit, & Glottam ſubmovet, ac prope ad juſti amnis modum coërcet. Nomen regioni Danicum eſt, quod eorum lingua Regis domicilium ſignificat: quæ res indicio eſt eam Danos aliquando tenuiſſe. Proxime ad orientalem ejus plagam ſita eſt Renfroana, ab oppidulo, in quo conventus ejus celebrari ſolent, appellata: vulgo Baronia dicta. Mediam eam [2] ſecant duo amnes, quibus utriſque Carthus eſt nomen. Poſt Baroniam eſt Glottiana, ad utramque Glottæ ripam protenſa, [3] & ipſa in plures juriſdictiones ob magnitudinem diviſa. Amnes nobiliores fundit: a læva Avennum & Duglaſſum, qui in Glottam decurrunt: item a dextra alterum Avennum, qui Lothianam ab agro Sterlinenſi dirimit. Hi duo fluvii [4] communem amnium appellationem loco proprii nominis acceperunt, quemadmodum in Vallia diverſa dialecto is, quem Avonem vocant.

XXI. Sterlinenſem agrum a meridie ſeparat a Lothiana Avennus, ab ortu æſtuarium Forthæ, donec paullatim ſeipſo minor, ad juſtam fluminis magnitudinem redactus, prope Sterlinum pontem patitur. Secat regionem fluvius unus,

quando ſedes cepiſſe. lib. autem v. 8. diſerte ait Gallovidiam Hibernis ſorte fuiſſe datam; rationem autem nominis addit, quod id nomen apud Hibernos tum celebre eſſet. Hæc duo loca inter ſe collata haud videntur apte convenire.

1 *Leviter.*] An *leniter*? [nihil opus. licet paſſim hæc vocabula confundantur etiam apud veteres ſcriptores in MSS. Jul. Cæſ. II. de B. G. 8. *Collis leviter faſtigiatus*, ubi vide D. Voſſii notas. & ad Quinct. 1. Declam. 3. Schult. & Burm. & Walker. ad Cicer. de Natur. Deor. II. 57. unde parebit parum referre. nihil etiam infra lib. IV. 31. mutare ſuſtineo in Pſalmo XVIII. metri ratio omne tollit mutationis arbitrium. *leniter inclinat juſſum faſtigia cælum.*]

2 *Secant duo amnes.*] MS. *Mediam eam ſecat Carthus amnis, non longe a Paſleto in æſtuarium Glottæ decurrens.*

3 *Et ipſa in plures juriſdictiones.*] MS. *Et ipſa in plures juriſdictiones ob magnitudinem & agrum Glaſcuenſem diviſa, cujus incolæ Glaſcua jus petunt:* Verum utcunque hæc ſcribenda ſint, parum hoc in loco neceſſaria videntur. Cap. 19. enim h. L. Glottianæ deſcriptionem dedit, cum hac fere cætera conſentientem, niſi quod hic fluminum, illic urbium in ea præcipuarum meminerit: ſatius tamen fuiſſet aut hoc, aut illo loco totam abſolviſſe.

4 *Communem amnium appellationem.*] Priſcis enim Scotis & Hibernis *Avan*, Vallis *Avon*, fluvium ſignificat.

unus, qui memoratu ſit dignus, Carron: juxta quem aliquot vetuſta ſunt monumenta. Ad lævam Carrontis duo terreni ſunt tumuli, hominum opera (ut res indicat) ædificati: vulgo Duni Pacis appellantur. Inferius autem ad eundem amnem, ad duo fere millia paſſuum, eſt ædificium rotundum, ſine calce, ſed ſaxis aſperis ita conformatis, ut ſuperioris lapidis pars in inferiorem ſe inſerat, ita ut totum opus [1] mutuo complexu & ſaxorum pondere ſe ſuſtineat, paullatim ab imo ad ſummum in arctum ſe colligens. Summa pars aperta eſt. Vulgus alium atque alium uſum, & auctorem ejus ædificii, pro ſuo quiſque ingenio, comminiſcitur. [2] Ego certe aliquando conjectura fui inductus, ut crederem templum Termini fuiſſe, quod (ut accepimus) rotundum, & ſuperne apertum, ædificari ſolitum erat. Nonnihil etiam conjecturam noſtram juvare videbantur Duni Pacis propinqui: quaſi facta ibi pace, cujus monumentum hi colles eſſent, [3] illic terminum ſuæ ditionis Romani ſtatuiſſent. Neque alia res me ab hac opinione deduxiſſet, niſi reſciſſem ex hominibus fide

1 *Mutuo complexu.*] Ita MS. & Edinb. at Genev. Francof. quæque eas plerumque imitantur cæteræ editt. male [*complexum*] exhibent.

2 *Ego certe aliquando.*] Hanc ſuam conjecturam diſerte extulit lib. IV. cap. 37. Ex illius autem loci cum hoc collati verbis plane apparet librum quartum ante primum, adeoque ſecundum & tertium, ſcriptum fuiſſe: eademque ratione nititur, ut totam rerum Scoticarum Hiſtoriam primum abſolutam, ac deinde tres primos libros ei Præfationis quaſi loco adjectos credamus. Porro Buchananus, in elegantiſſimo illo Franciſci Valeſii & Mariæ Stuartæ Regum Franciæ & Scotiæ Epithalamio, hoc monumentum Templum Termini fuiſſe exiſtimat, his verſibus,

Roma ſecurigeris prætendit mœnia Scotis,
Hic ſpe progreſſus poſita, Carrontis ad undam
Terminus Auſonii ſignat divortia regni.

In hujus loci deſcriptione Camdenus cætera Buchanano conſentiens, non tamen Termini ædem fuiſſe, ad quod credendum ſe ſatis alias proclivem oſtendit, ſed Nennii auctoritate inductus a Carauſio arcum triumphalem erectum arbitratur. Quod ad me attinet, non obſtante Nennii auctoritate, qua Camdenus nititur (ſi a tanto viro diſſentire liceret) monumentum illud Termini ædem potius, quam arcum triumphalem fuiſſe exiſtimarem; arcus enim triumphales utrinque patere ſolebant inſtar portarum urbis, huic autem ædificio unum tantum eſt oſtium, idque ſatis humile, nihil magnificum præ ſe ferens. Præterea haud leviter ambigo, an ulli arcus triumphales rotundi eſſent. Contra vero multa huic ædificio cum Termini templo, quale a viris antiquitatis peritis deſcribitur, communia occurrunt; illud vero in primis quod quemadmodum huic ædificio, ita Termini templo foramen ineſſet ingens & patulum in tecto, ne ſcil. Terminus ſuo templo clauderetur: & ob eandem forte rationem nullæ erant oſtio valvæ, quibus Buchan. non tantum illud carere, ſed earum nullum exſtare veſtigium affirmat. Porro non tam a Carauſio (quod Nennius ſcribit, qui eum etiam Carronti fluvio nomen dediſſe autumat) quam a Julio Agricola, quem varia caſtella in hoc limite poſuiſſe Tacitus tradit, hoc monumentum erectum credere fas eſt; unde forte in hunc uſque diem *JULIUS HOOF.* i. e. Julii domicilium, nuncupatur.

3 *Illic terminum.*] Impreſſi codices omnes, [*quod illic terminum*] Nos MS. ſecuti vocem illam [*quod*] utpote non otioſam modo ſed cæteram ſententiam conturbantem faceſſere juſſimus.

de dignis in [1] inſula quadam compluria eſſe ædificia, cætera quidem ædiculæ, cujus meminimus, ſimilia, niſi quod majuſcula & laxiora eſſent. Duo item in Roſſia ſimili forma ſunt ſacella. Ea res ſuſpendere ſententiam me coëgit, ac judicare monumenta rerum geſtarum hæc eſſe, ac potiſſimum [2] tropæa, ac pene extra orbem terrarum, ut tuta ab injuria hoſtium eſſent, conſtituta. Sed certe, ſive hæc tropæa ſunt, ſive (quod quidam ſuſpicantur) clarorum virorum ſepulchra, fuiſſe credo monumenta, ad æternitatem memoriæ perpetuandam conſecrata, ſed ab hominibus indoctis incultiſque, ad ſimilitudinem illius ædiculæ, quæ eſt ad Carrontem, conſtructa. A dextero Carrontis latere, ager, fere cætera planus, in collem paullum prominet, medio fere ſpatio inter Dunos Pacis & ædiculam. In eo, ad ipſum anguli flexum, modicæ urbis veſtigium adhuc apparet. Sed murorum fundamenta, & vicorum deſcriptio, partim cultu ruſtico, partim eruendis ad propinquas ditiorum villas conſtruendas lapidibus quadratis, confuſa eſt. Hunc locum diſerte [3] Beda Anglus Gui-

1 *Inſula quadam.*] In MS. pro voce [*quadam*] lacuna ſive ſpatium relinquitur, cui poſtea, ut videtur, ipſum inſulæ nomen, quod forte Buchanano exciderat, inſcriberetur.

2 *Tropæa.*] Ita omnino ſcribendum, non *Trophæa*, oſtendit Caſaubonus in Suet. lib. I. contra Marcellum Donatum, Græce enim τροπαῖον eſt, *h. e.* monumentum fugæ hoſtium, a τροπὴ, *verſio*, ſeu *converſio in fugam.* Cæterum laxiore ſenſu Buchananus *tropæa* hic accipere videtur pro monumentis quibuſcunque rerum geſtarum: Tropæa enim proprie ſic dicta ex lignis veteres erexere, idque in jugis montium & editioribus locis; hoc autem monumentum ex lapidibus & humili quidem loco eſt ædificatum. [Recte Buchananus: nam licet e ligno plerumque eſſent, ſaxeas tamen turres, & ſuper illas *tropæa* figere aliquando ſolitos fuiſſe patet ex Floro lib. III. 2. ubi vid. Freinshem. & talis illa *altiſſima* turris a Caligula ſtolide excitata apud Sueton. Calig. 46. & hinc forte hoc ædificium deducendum. quod inde veroſimile, quod tam anguſtum fuerit, ut vix decem homines capere potuerit. quod templo vix convenit. Aggeres etiam ſtruxiſſe, & iis tropæa impoſita docet Tacit. II. Ann. 18. unde forte reliqui quidam aggeres adhuc ſuperſunt, nam duos fuiſſe prope hoc ædificium dicit noſter lib. IV. 37.]

3 *Beda Anglus Guidi vocat.*] Multum ambigo an urbs illa quam Beda *Guidi* appellat, eadem ſit quam Buchananus hic innuit haud procul a Carrontis oſtio ſitam: aliam plane fuiſſe ejus verba indicare videntur, lib. I. cap. 12. *Orientalis*, inquit, [ſinus maris] *habet in medio ſui urbem Guidi: occidentalis ſupra ſe, hoc eſt ad dexteram ſui, habet urbem Alcluith.* Quis enim urbem aliquot ſtadiis a mari diſtantem in medio ſinus maris ſitam affirmaverit? Lubens igitur clariſſimi Equitis D. Jacobi Dalrymplii ſententiæ accedo, qui hanc urbem a Beda memoratam in una aliqua ex Forthanis inſulis, aut ſcil. in Æmona, quæ celebri Cœnobio poſtea erat nobilitata, aut in inſula Ketha (vulgo *Inch-Keith*) quæ & quandam adhuc nominis imaginem retinere videtur, ſitam exiſtimavit. Non ignoro nuperum ſcriptorem (Annot. ad D. Jac. Dalrymplii Hiſt. Collect. pag. 22.) hanc ejus opinionem ideo damnare, quod ex hiſce inſulis altera non ſatis ampla, altera prorſus inepta ſit in qua urbs ædificaretur. At quid ſi Beda nihil aliud per urbem hic intellexerit quam caſtrum aliquod ſive præſidium, quo Romani ſive Brittones prohiberent ne Scoti Pictique, jam terra excluſi, in Romanam provinciam mari exſcenſiones facere conarentur? Certe ex multis locorum nominibus in *Ton* ſive *Town* exeuntibus, plane apparet Saxones ſive veteres Anglos, e qua

Guidi vocat, atque in ipſo [1] valli Severi angulo collocat.

XXII. Multi præclari ſcriptores Romani ejus valli meminerunt: multa veſtigia exſtant, multi lapides inſcripti eruuntur, quibus aut teſtimonia ſalutis per tribunos & centuriones acceptæ, aut ſepulchrorum inſcriptiones, continentur. [2] Et cum (ut utriuſque veſtigia indicant) raro minus centum millibus paſſuum diſtat hoc vallum Severi ab eo, [3] quod ante Hadrianus conſtruxerat;

e qua gente Beda fuerat, non oppida modo, ſed villas etiam vicoſque, aliaque ejuſmodi loca, urbium olim nomine appellare conſueviſſe. Huc adde: quod ſi Beda has duas urbes ſimili modo, hanc orientali, illam occidentali maris ſinui finitimam exiſtimaſſet, non tam diſpari loquendi formula uſurus videatur, potiuſque explicaturus quid per voces [*in medio ſui*] quam voces [*ſupra ſe*] intellexerit, cum hæc locutio ſatis crebro, illa vero Buchanani ſenſu accepta nuſpiam quod ſciam reperiatur.

1 *Valli Severi angulo.*] De vallis hiſce ſive Prætenturis (quas vocant) quæ Romanum olim imperium ad Boream terminabant, mirum quantum pulveris excitaverint ſcriptores, alii alio loco eas ſtatuentes. Sex ejuſmodi Prætenturas variis temporibus per tranſverſam inſulam ductas fuiſſe pene apud omnes in confeſſo eſt: 1*mam*, Ab Agricola. 2*dam*, Ab Hadriano Imp. 3*tiam*, A Lollio Urbico legato Antonini Pii. 4*tam*, A Severo. 5*tam*, A Brittonibus ſuaſu Gallionis Ravennatis. 6*tam*, Denique a Romanis, Brittonibus una operam conferentibus. 1. De harum prima nulla eſt controverſia, Agricola enim (auctore Tacito) anguſtum illud terrarum ſpatium, quod Bodotriam & Glottam interjacet, non vallo, neque muro, ſed præſidiis caſtelliſque, modicis intervallis ſejunctis, firmavit, hoſtibus velut in aliam inſulam ſubmotis. 2. De Hadriani vallo fere inter omnes convenit, illud nimirum inter Itunæ æſtuarium & Tinæ oſtia exſtructum per 80 paſſuum millia, ut Spartianus tradit. 3 Quo autem loco ductus ſit murus Antonini Pii haud ita facile eſt determinare: alium ab Hadriani vallo fuiſſe exſerte indicat Capitolinus in Pio. cap. 5. Quidam eodem loco poſitum exiſtimant, quo Hadriani vallum. Ego iis potius aſſentior qui eodem limite ductum arbitrantur quo Julius Agricola præſidia caſtellaque diſpoſuerat; quam opinionem haud leviter confirmant lapides inde eruti Antonini nomen inſcriptum habentes. 4. At maximam difficultatem faceſſit Severi vallum; Camdenus enim (quem non populares ſui modo Uſſerius, Luidius Epiſcopus Aſaphenſis, Stillingfletius, &c. ſequuntur, ſed præiverant etiam Hier. Surita, Guid. Pancirollus & Boethius etiam noſter) id eodem loco quo Hadrianus ſuum conſtruxerat poſitum contendit; Buchananus vero, Ortelius, Sanſonius & Cellarius inter Forthæ & Glottæ æſtuaria (ubi prius Agricola provinciam terminaverat) conſtructum affirmant. Sed neutra pars ſuas rationes ſatis expedire videtur. Beda certe, quem uterque & Buchananus & Camdenus in ſuam ſententiam pertrahere nititur, ita hac in re incertus & ambiguus mihi apparet, ut cui potiſſimum opinioni faveat haud facile dignoſcam; animus tamen inclinat ut pro Buchanano magis facere videatur. Videſis Cl. Dalrymplii Collect. Scot. cap. 2. De reliquis duabus Prætenturis non attinet dicere, cum ex hiſce ſupra memoratis earum ſitus omnino pendeat.

2 *Et cum.*] MS. & editi omnes ſic habent, *Et cum ab Adriani vallo* (*ut utriuſque veſtigia indicant*) *raro minus centum millibus paſſuum diſtat hoc vallum Severi ab eo quod* [Edin. *quem*] *ante Adrianus conſtruxerat:* ubi cum primo adſpectu liquido appareat idem bis eſſe dictum, aut, cum Melvino, delendæ hæ voces, *ab eo quem ante Adrianus conſtruxerat*, aut, quod eodem redit, hæ in initio, *ab Adriani vallo*, uti nos fecimus.

3 *Quod ante.*] Edinb. *quem*, & ita etiam in MS. ſcriptum videtur, atque a recentio-

rat; aut magna inſcitia fuit eorum, qui res Anglicas ſcripſerunt, ſi Latinos, qui hæc tradiderunt, non intellexerunt; aut incuria, qui dilucide tradita tam confuſe reddiderunt. Utrumcunque ſit autem, res mihi digna eſt viſa, ſi non reprehenſione, ſaltem levi admonitione: præſertim cum ex monumentis jam dictis, & Bedæ Angli hiſtoria, ſatis conſtet, ibi aliquando inter Brittones & Scotos limitem fuiſſe. [1] Qui vero hic Camelodunum fuiſſe fabulantur, iidem contendunt, quam diximus, ædiculam Claudii Cæſaris fuiſſe templum: vaniſſimo in utroque mendacio: cum & [2] Camelodunum, colonia Romanorum, ultra trecenta millia paſſuum ab eo loco abſit, [3] ſi Ptolemæo & Antonini Itinerario fides habenda ſit. Cornelius Tacitus lib. XIV. Ann. cap. 31. hunc eorum errorem apertiſſime oſtendit, cum reliqua tota narratione, tum maxime, quod Romanos, amiſſa Cameloduno, in templum Claudii Cæſaris confugiſſe ſalutis tuendæ cauſſa ſcribit. Ædicula autem illa, ſive templum Termini, ſive alterius rei monumentum fuerit, [4] ſine foribus, quarum nullum habet veſtigium, & ſuperne ad jactus lapidum patens, ne decem quidem milites non modo tegere, ſed vix quidem continere, potuerit. Quid, quod, [5] quadrageſimo fere anno poſt Claudii Cæſaris expeditionem, Julius Agricola Romanorum primus in eas partes penetravit; quod, [6] quinquageſimo poſt Agricolam anno, Hadrianus limitem provinciæ inter Tinam & Eſcam vallo ducto ſtatuit: cujus adhuc multis in locis veſtigia ſuperſunt? Septimius au-

tiori manu in [*quod*] mutatum: quod quidem omnino factum oportuit, aut addendum [*muro*] poſt [*eo,*] uti cenſuit Melvinus.

1 *Qui vero hæc Camelodunum.*] Boethium procul dubio innuit Buchan. qui hoc diſerte affirmat, atque idem *Camelodunum* Pictorum fuiſſe ſedem Regiam ad illius uſque gentis excidium.

2 *Camelodunum.*] *Camulodunum* verum nomen eſt, uti ex Plinio, Dione, præcipue vero ex numiſmatis inſcriptionibuſque antiquis monſtravit Camdenus, pag. 347.

3 *Si Ptolemæo.*] Duplex videtur eſſe Ptolemæo *Camulodunum* (minima ſaltem nominum eſt differentia) alterum Trinobantum Camulodunum, Brigantium alterum Camunlodunum ſub 57. grad. lat. Quod forte Boethium noſtrum in errorem induxit.

4 *Sine foribus.*] Vid. lib. IV. 37. qui locus cum hoc pugnare videtur: ſed facile ſibi conſtabit auctor, ſi per [*fores*] nihil hic aliud intelligamus quam *valvas ligneas*, quas non ſolum abeſſe, ſed earum nullum exſtare ait veſtigium, *i. e.* uti ego conjicio, cardines nullos, aut foramina quibus ii inſerebantur, nec acciſos (quod fieri ſolet) exterius vel interius oſtii poſtes, quo valvæ iis aptarentur, ut intuentibus palam eſt. [Recte hæc capit vir doctiſſimus. nam *Fores* diverſæ ſunt a porta ſive janua, quæ aperturam indicat, quæ patere poteſt ſine foribus. nam *Fores* ſunt *quæ foras aperiuntur*. Serv. ad Virg. I. Æneid. 449. ita Livius XXVIII. 6. *ibi poſiti erant, qui fores portæ objicerent.*]

5 *Quadrageſimo fere anno.*] Claudii Cæſaris expeditio in Britanniam in annum incidit C. N. 43. Julii vero Agricolæ in annum 79. juxta Petavium & alios; interſunt ergo anni tantum 36. & ſi Echardum Anglum ſequamur (qui Julii Agricolæ expeditionem in annum Salutis conjicit 78. anni intercedunt duntaxat 35. Sed ſibi ſatis cavere viſus eſt Buchan. adjecta voce [*fere.*]

6 *Quinquageſimo.*] Non ita commode hîc excuſari poteſt Buchananus: exſtructum enim eſt Hadriani vallum anno Salutis, juxta ſupputationem Petavii, 121. Tyrelli & Echardi 120. qui diſtat ab anno 79. aut 78. annis tantum 41. aut 42.

1 *Ac-*

autem Severus, circa annum a Chriſto nato ducenteſimum decimum, Britanniam ingreſſus, ultra limitem ab Hadriano factum centum millia paſſuum, ab æſtuario Glottæ ad confluentem Forthæ & Avenni vallum duxit, cujus adhuc plurima & perſpicua remanent indicia? [1] Accedit ad hæc, quod in antiquis monumentis nuſquam comperimus [2] ſummam rei Pictıcæ Cameloduni fuiſſe, ſed Abrenethii & regiam, & primatis Epiſcopi ſedem, quæ poſtea ad Fanum Andreæ translata eſt. Quod ſi quæratur, quid Romanos impulerit, ut coloniam illuc deducerent, & quomodo eam in agro tam ſterili & tum (ut res erant) ſilveſtri & inculto, & hoſtium ferociſſimorum obnoxiam quotidianis injuriis, aluerint; reſpondebunt, opinor, (nam non video quid aliud reſpondere poſſint,) copiis maritimis eam fuiſſe ſuſtentatam, quando adverſo Carronte tum naves ad urbis uſque portas appellere ſolerent. Id ſiquidem verum fuit, neceſſe eſſet agros ad utramque ripam Forthæ jacentes tum inundationibus Oceani obrutos, ac [3] perinde ſteriles, fuiſſe, quos tamen in illo tractu ſolos frumentarios eſſe oportebat. Illa prope difficilior occurrit quæſtio, [[4] quod,] cum utrinque circa Fortham loca aquæ marinæ obtinerent, cur illic Romani non potius vallum finirent, quam ſupervacuo labore ulterius per multa millia paſſuum producerent?

XXIII. Ultra Sterlinenſem agrum eſt Levinia, a Renfroana præfectura Glotta, a Glaſcuenſi Kelvino amne, [5] diviſa. Ab agro Sterlinenſi montibus, a Taichia Fortha dirimitur: tandem in montem Grampium deſinit, ad cujus radices per vallem cavam Lominius lacus ſe explicat, viginti quatuor millia paſſuum longus, octo latus. Supra viginti quatuor inſulas complectitur. Præter multitudinem aliorum piſcium, habet & ſui generis eſu non inſuaves: Pollacas vocant. Tandem erumpens meridiem verſus, Levinum amnem, qui regioni nomen dedit, effundit, qui prope Britannodunum arcem, & eodem no-

1 *Accedit ad hæc*] Hic & ſupra Buchan. Boethii opinionem impugnat, qui non tantum Camelodunum veterum ad Carrontis ripam ſtatuit, ſed & eandem Pictorum regiam ſedem fuiſſe affirmat. Ut autem hæc verba cum prioribus aptius cohæreant, multo clarius omnia Lectori procederent, ſi aut antea pag. præced. dixiſſet. *Qui vero hic Camelodunum, eandemque Regiam Pictorum ſedem fuiſſe fabulantur, iidem*, &c. vel potius hic, *Accedit ad hæc, quod non levius ii errent, qui Camelodunum regni Pictorum caput conſtituant; in antiquis enim monumentis nuſquam comperimus*, &c. Vel brevius ſic —— *ſummam rei Pictica Cameloduni fuiſſe, quod iidem ſcriptores affirmant, ſed Abrenethii*, &c.

2 *Summam rei Pictica Cameloduni.*] MS. & editi omnes legunt [*non Cameloduni,*] ſenſu aut nullo, aut menti Buchan. plane contrario.

3 *Perinde ſteriles.*] An forte *proinde* legendum [Non ignorabat Buchananus uſum harum vocum, quæ ſæpe permutatæ fuere a librariis. vid. ad Quinctil. v. de Inſt. Orat. 9. & VIII. 3. & Cl. Græv. ad Flor. I. 13. Buchan. lib. IV. cap. 6. *vitam ignavam, & perinde ignobilem egit.* & lib. IX. 53. *ingens corpus, & perinde vires.* aperta imitatione Salluſtii apud Quinctilian.]

4 *Quod cum.*] Illud [*quod*] parelcon videtur.

5 *Diviſa.*] Ita omnino legendum, non [*diviſus*] ut in MS. & omnibus editis; in una tamen Melvini codice [*diviſa*] legitur.

nomine oppidum, in Glottam ingreditur. Leviniæ partem extremam Grampii montis ultimi colles attollunt, ſinu maris exiguo, quem Gerlochum a brevitate appellant, interciſi. Ultra hunc eſt ſinus multo amplior, quem Longum vocant, a Longo, qui in eum cadit, fluvio. Is limes eſt inter Leviniam & Covaliam. Ipſa Covalia, Argathelia, ſeu potius [1] Ergahelia, & Cnapdalia, multis [2] ſinubus anguſtis, ex æſtuario Glottæ infuſis, in multas partes dirimuntur. Unus [3] inter cætera inſignis lacus [4] Finis vocatur, a Fino fluvio, quem recipit. Is ultra ſexaginta millia paſſuum in longitudinem porrigitur. Eſt & in Cnapdalia lacus Avus, in quo eſt inſula exigua, & arx munita. Ex eo fluvius Avus effunditur, qui unus in illis regionibus in mare Deucaledonium exit. Ultra Cnapdaliam ad occidentem hibernum excurrit Cantiera, hoc eſt regionis caput, Hiberniæ occurrens, [5] a qua modico freto dirimitur: ipſa longior quam latior, adeo arctis faucibus Cnapdaliæ conjungitur, ut vix mille paſſus expleant, idque ſpatium nihil aliud quam arena ſit, adeo humilis, ut per eam naviculis traductis nautæ plerumque navigandi compendium quærant. Hanc attingit Lorna, Argatheliæ adjacens, & vſque ad Abriam pertinens: regio plana, nec infœcunda.

XXIV. Qua Grampius mons [6] humilior eſt, & magis pervius, Braid Albin regio vocatur, hoc eſt, quaſi altiſſimam Scotiæ partem dicas: ac, ubi [7] maxime pars illa attollitur, Drum Albin, id eſt, Scotiæ dorſum, vocatur, nec omnino ſine cauſſa. Ex eo enim dorſo flumina in utrumque mare decurrunt, alia in ſeptentrionem, alia in meridiem. Ex Ierno enim lacu Iernam fluvium in orientem hibernum fundit, qui in Taum illabitur ad tria millia paſſuum infra Perthum. Ab hoc fluvio cognomen accepit ad utrámque ripam affuſa vetere Scotorum lingua Strathierna dicta. STRAT enim regionem ad fluminum decurſum jacentem appellare ſolent. Inter montes ejus regionis & Fortham porrigitur Taichia, a Taicho fluvio, qui mediam ſecat, nomen adepta. Excipiunt eam Ocelli montes. Ipſi quidem magna ex parte, atque ager ad eorum radices adjacens, in Iernenſi præfectura cenſentur: verum reliquum agri,

1 *Ergabelia.*] MS. *Argabeliæ.*

2 *Sinubus.*] Ita ſemper Buchan. (Vid. Huj. lib. cap. 29.) Nunquam mihi apud probatum aliquem ſcriptorem hanc vocem in dandi aut auferendi pluralis numeri caſu videre licuit: in vetuſtioribus quidem Bedæ editionibus *ſinubus* legitur; at recentius impreſſi, & melioris notæ MSS. *ſinibus* habent.

3 *Inter cætera.*] Ita omnes libri: an (*inter cætera*) generaliter pro *inter alias res*, an potius *inter cæteros* legendum, ſive ſinus iſtos ſive lacus reſpicias? [Credo Buchananum non temere *inter cetera* dixiſſe. Horat. 1. Ep. x. 2. *hac in re ſcilicet una Multum diſſimilis, ad cetera pene gemelli.* cur non & ibi *ad cæteras* dicendum foret, ſi Grammaticos audiendos crederemus.]

4 *Finis.*] Diſtinguendi gratia lacum *Finem*, fluvium vero *Finum* appellat, quemadmodum poſtea fluvium *Iernam*, lacum *Iernum* nominat.

5 *A qua.*] Scil. Hibernia: in Genev. tamen Francof. Elz. aliiſque omnibus præter unam Edinb. *quo* legitur.

6 *Humilior eſt.*] Et tamen *Braid-Albin* vocatur, h. e. *altiſſima Scotiæ pars?*

7 *Maxime.*] Ita reſtituimus, repugnantibus licet omnibus libris, in quibus *maxima* legitur.

1 *Ad*

agri, ad Fortham uſque, ambitio in varias præfecturas diſſecuit, Clacmananam, Culroſſianam & Kinroſſianam. Ab his & Ocellis montibus, quicquid agri a lateribus Fortha & Taus claudunt, in orientem anguſte cuneatur ad mare. Ea uno nomine vocatûr Fifa, omnibus rebus ad uſum vitæ neceſſariis ſibi ſufficiens. Qua lacus Levinus eam ſcindit, latiſſima: inde utrinque ſe colligens in anguſtum, uſque ad Caraliam oppidum. Amnem unum, qui memoratu ſit dignus, Levinum fundit. Totum littus frequentibus oppidulis præcingitur: e quibus maxime eſt memorabile propter bonarum artium ſtudia Fanum Andreæ, quod priſci Scoti Fanûm Reguli appellant. Interius in media fere regione eſt Cuprum, quo reliqui Fifani ad jus accipiendum conveniunt. Qua Iemiam contingit, eſt Abrenethium, vetus Pictorum regia. Hic in Taum influit Ierna.

XXV. Ipſe autem Taus e lacu Tao, qui eſt in Braid Albin, viginti quatuor millia longo, erumpit, fluviorum Scotiæ facile maximus. Is ſe ad Grampium montem inflectens, Atholiam attingit, regionem fertilem, in ipſis Grampii ſaltibus collocatam. Ejus partem, ſub radicibus montis in planitiem explicatam, Blaram vocant; quæ vox liberum arboribus ſolum ſignificat. Infra Atholiam, [1] ad dexteram Tai ripam, ſita eſt Caledonia oppidum, vetus tantum nomen retinens, vulgo Duncalden, hoc eſt, tumulus corylis conſitus. Corylus enim, cum per inculta ſe latiſſime funderet, & ſilvarum opacitate agros tegeret, & oppido & genti nomen dabat. Caledones enim, aut Caledonii, gens olim inter Britannorum clariſſima, alteram partem regni Pictorum faciebant, quos Ammianus Marcellinus lib. XXVII. 8. in Caledones & Vecturiones dividit, quorum nunc vix nominis veſtigium aliquod ſupereſt. Infra Caledoniam ad duodecim millia paſſuum in eadem dextra ripa eſt Perthum. Ad ſiniſtram ripam, ſub Atholia, ad orientem ſpectans eſt Gorea, frumentariis campis nobilis. Et ſub hac iterum inter Taum & Eſcam porrecta Anguſia, ſive, ut priſci Scoti loquuntur, Æneia. Sunt qui Horeſtiam, aut, juxta dialectum Anglorum, Foreſtiam dictam putent. In ea ſunt urbes, Cuprum, & quod Boethius, patriæ ſuæ gratulans, ambitioſe Deidonum vocat. Vetus enim Taodunum fuiſſe reor, a Duno, id eſt, colle, ad Taum ſito, ſub cujus radicibus oppidum eſt exſtructum. Extra Taum, ad XIV. millia paſſuum recto littore, occurrit [2] Aberbrothium, alio nomine Abrinca. Deinde Ru-

1 *Ad dexteram Tai ripam.*] Non ad dexteram ſed ſiniſtram Tai ripam ſita eſt Caledonia: quia autem mox addit [*in eadem dextra ripa,*] poſteaque, quaſi flumine tranſmiſſo [*Ad ſiniſtram ripam,*] nihil mutare voluimus, ne orationis ordo & concinnitas turbaretur. Cæterum ſi veri normam ſequi voluerimus, hoc fere modo ſcriptum oportebat, *Infra Atholiam ad ſiniſtram Tai ripam*, & infra, *In dextra Tai ripa.* Buchananum forte fefellit, quod a quibuſdam memoratur, Caledoniam oppidum ad dextram Tai ripam olim ædificatum, cujus & veſtigia adhuc nonnulla ſuperſunt.

2 *Aberbrothium.*] *Abrenethea* libri impreſſi omnes, præter unam Edinb. Moſmanni anni 1700. in qua Crafordii monitu *Abrebrethea* eſt repoſitum, quod & MS. exhibet: nos vero in *Abrebrothium* mutavimus, quo nomine cum ab aliis, tum a Buchanano ipſo id oppidum poſtea ſemper

Rubrum Promontorium, ſatis longe conſpicuum. Eſca fluvius cognomento Auſtralis mediam ſecat: alter Eſca Septentrionalis eam a Mernia dividit. [1]Ea magna ex parte ſolo eſt campeſtri & plano, donec ultra [2]Fordunum, & Dunotrum Comitis Martialis arcem, occurrat Grampius, paullatim ſe demittens, & in mare ſubſidens.

XXVI. Ultra eam ad ſeptentriones eſt Devæ, vulgo Deæ, fluminis oſtium, & plus minus mille paſſus ulterius Dona. Ad alterum Abredonia eſt, ſalmonum piſcatu nobilis, ad alterum Epiſcopi ſedes, & ſcholæ publicæ, omnium ingenuarum artium ſtudiis florentes. Hanc [3]citeriorem invenio vetuſtis monumentis Abredeam appellatam. Nunc utrumque oppidum, Abredonia, Veteris & Novæ cognominibus diſtinctum, vocatur. Ab hac tam anguſta fronte inter hæc flumina incipit Marria, ac ſeſe paullatim dilatans, ad ſexaginta in longitudinem millia, ſe protendit Badenacham uſque. Ea regio perpetuo dorſo continetur, & in utrumque mare [4]flumina evergit. Badenachæ confinis eſt Abria, ad mare Deucaledonium modice prona, regio (ut inter Scotos) in primis copioſa maritimis & terreſtribus commodis. Eſt enim & frumentis & paſcuis in primis felix, & præterea nemorum umbris, & rivulorum fontiumque amœnitate, jucunda: piſcium vero proventu adeo fertilis, ut nulli prope Scotiæ regioni cedat. Nam, præter fluviatilium copiam, quam tot rivi ſufficiunt, mare longo canali per planum ſolum infuſum penetrat, ibique terræ paullo altiore margine coërcitum ſe latius diffundit, ac ſpeciem ſtagni, aut verius lacus, præbet; unde Abriam, id eſt, ſtationem, patrio ſermone appellant. Idem quoque nomen regioni circumcirca vicinæ dant. Qui Anglice loquuntur, utramque, hoc eſt, & ſinum illum maris, & regionem, perperam & abſurde Lochabriam vocant. Hæ tres regiones, Abria, Badenacha & Marria, latitudinem Scotiæ inter duo maria complectuntur.

XXVII. Ad Plagam ſeptentrionalem, proxima Marriæ eſt Buchania, Dona fluvio ab eo diviſa. Ea omnium Scotiæ regionum longiſſime ſe in mare Germanicum exporrigit. Paſcuis oviumque proventu admodum felix, cæteriſque commodis ad vitam neceſſariis ſibi ſufficiens. Fluvii ejus cum ſalmonibus abundent, Ratram amnem tamen id genus piſcis non ingreditur. Eſt in ejus littore ſpelunca, cujus natura prætereunda non videtur. Aqua e naturali fornice guttatim deſtillans, ſtatim in lapidum pyramidas vertitur, ac, niſi opera hominum antrum ſubinde purgaretur, ſpatium uſque ad fornicem brevi compleretur. Lapis autem qui ita gignitur, velut mediam naturam inter glaciem &

ſemper appellatur. Interim obſervandum lacunam in MS. pro voce [*Albrinca*] relictam, quam quidem nuſquam alibi reperio.

1 *Ea magna ex parte.*] Ita MS. at impreſſi omnes, *Ea ex magna parte*, ſed alterum illud multo elegantius Latiniſque auribus magis aptum.

2 *Fordunum.*] Poſt vocem [*Fordunum*] addit MS. [*oppidum*] nec male.

3 *Citeriorem.*] Ita MS. & Edinb. at Genev. Francof. Elzev. anni 1644. *citeriorum* habent nullo ſenſu.

4 *Flumina evergit.*] Livium imitatus eſt lib. 44. c. 3. *Montes ingentis altitudinis ſpem faciebant, eo magis, quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere latices.*

1 *Per-*

& ſaxum obtinet: eſt enim friabilis, neque ad marmoris duritiem unquam conſolideſcit. Nos cum Toloſæ eſſemus, circiter annum ſalutis M. D. XLIV. accepimus ex hominibus fide dignis, ſimilem per omnia huic ſpeluncam eſſe in proximo Pyrenæo.

XXVIII. Ultra Buchaniam ad ſeptentriones duæ ſunt regiunculæ, Boina & Ainia, quæ uſque ad Spæam flumen [1] pertinent, qui ſeparat eas a Moravia. Oritur autem Spæa [2] e dorſo Badenachæ, cujus meminimus: nec longe ab ejus fonte lacus eſt, unde erumpit Lutea, ac ſe in occiduum mare devolvit. Ad oſtium ejus ferunt oppidum nobile fuiſſe, a fluvio Ennerluteam nuncupatum. Certe ſive terræ vicinæ ſpectes ingenium, ſive navigationis & ſubvectionis maritimæ commoditatem, locus eſt admodum emporio aptus. Priſci quoque Reges, has opportunitates ſecuti, aliquot ſeculis ibi habitaverunt, in Evonia arce, quam nunc multis falſo perſuaſum eſt eſſe Stephanodunum. Ejus enim arcis rudera & veſtigium adhuc in Lorna monſtrantur. Sunt regiunculæ aliquot exiguæ [3] inter Buchaniam & mare occiduum interjectæ: ſed cum nihil habeant inſigne, ac narratu admodum memorabile, non eſt quod in eis explicandis immoremur.

XXIX. Ultra Spæam uſque ad Neſſum, ſequitur Moravia, olim (ut creditur) Varar dicta. Inter eos amnes Oceanus Germanicus velut retro in occidentem terram agens, ſinu vaſto ejus laxitatem caſtigat. Tota quanta eſt hæc regio frugibus & paſcuis fœcunda, amœnitate vero, & fructiferarum arborum proventu, totius regni facile prima. Duo memoratu digna habet oppida, Elginam ad [4] Loxiam amnem, qui nomen antiquum adhuc retinet, & Neſſum ad cognominem fluvium. Neſſus e lacu Neſſo, longo viginti quatuor millia, effluit. Aqua ſemper fere tepida, nec unquam ita frigida, ut congelet. Quin & aſperrima hieme, fragmina glaciei [5] in eum invecta tepore aqua-

1 *Pertinent.*] Ita Genev. Francof. & Elzev. MS. tamen & Edinb. *pertinet:* ſed vox [*eas*] quæ utramque reſpicit, *pertinent* potius quam *pertinet* flagitare videtur. Boina quidem Spæam fluvium non attingit, ſed Buchan. has duas regiunculas junctim quaſi pro una accipit, atque hoc ſenſu non inepte ad Spæam pertinere, atque eo a Moravia ſeparari dici poſſunt.

2 *E dorſo.*] Edinb. & reliqui omnes impreſſi [*a dorſo*] nos MS. ſecuti *e dorſo* repoſuimus, ut & paullo infra cap. ſeq. [*e lacu Neſſo*] pro [*a lacu.*]

3 *Inter Buchaniam*] Buchania cum ſe longiſſime omnium Scotiæ regionum in mare Germanicum exporrigat, ut ſupra Buchanano obſervatum eſt, ea & regiones ipſam inter & mare occiduum interjectæ totam Scotiæ latitudinem, qua maxima eſt, complectuntur. Cum autem inter eam & mare occiduum regiones interjectæ, Gariocha, vallis Bogiana, Marria, Atholia, Badenacha, Abria, magna antea ex parte Buchanano expoſitæ, nec exiguæ ſint, nec memoratu indignæ, perſuaſum mihi eſt *Badenacham* hic a Buchanano ſcriptum, quod affinitate vocum decepti exſcriptores in *Buchaniam* mutarunt: Badenachæ autem modo meminerat; regiunculæ vero inter eam & mare occiduum interjectæ, exiguæ quidem & nihil inſigne habentes iſtæ occurrunt, *Glen Tarff*, *Glen Roy*, *Glen Gluy*, *Glen Gariff*, *Glen Elg*, *Glen Moriſden*, *Knodeort*, *Murron*, *Ariſaig*, *Mudeort*, &c.

4 *Loxiam amnem, qui nomen.*] In Ptolemæi enim tabulis *Loxa* appellatur.

5 *In eum invecta.*] Melvinus legendum vult *injecta*, MS. *conjecta*, nos editos libros

aquarum brevi ſolvuntur. Ultra Neſſum lacum, occidentem verſus, [1] octo millia continentis terræ protenduntur. Tantillum ſane eſt, quod obſtat quo minus maria coëant, & quod reliquum eſt Scotiæ inſulam reddant. Nam quod ſpatii ab iis faucibus ad mare Deucaledonium interjicitur, fere ſinubus maris in terram irrumpentis eſt interciſum.

XXX. Quod ultra Neſſum & fauces illas anguſtas eſt [2] interjectum, in quatuor provincias [3] ſolet dividi. Ultra oſtium Neſſi, qua mari Germanico immergitur, eſt Roſſia, in mare promontoriis altioribus excurrens, quod & nomen ipſum indicat. ROS enim Scotis promontorium ſignificat. Ea tota longior eſt quam latior. Nam a mari Germanico ad Deucaledonium porrigitur: qua in montes attollitur, aſpera & inculta; qua ſe in campos explicat, frugum fertilitate nulli prope Scotiæ agro inferior. Valles habet amœnas, piſcoſis amnibus irriguas; lacus piſcoſos complures, ſed maximum omnium [4] Lubrum. A mari Deucaledonio littus paullatim ſe caſtigat, & in orientem æſtivum reflectit. Ab altero littore, mare Germanicum inter rupium excelſarum ſcopulos iter ſibi pandens, interius in ſinum ſe ſpatioſum explicat, adverſus omnes tempeſtates [5] portum ſalutiferum ac certum perfugium. Eſt enim ingredientibus non difficilis aditus, intus vero adverſus omnes cœli mariſque injurias tutiſſima ſtatio quantumlibet magnis claſſibus. Proxima Roſſiæ extremæ ſeptentrionem verſus eſt Navernia, a Naverno amne appellata: quam vulgo, proprietatem ſermonis patrii ſecuti, Stranaverniam appellant. Eam a meridie

bros ſecuti *invecta* retinuimus: neque id omnino temere. Liv. enim lib. 2. cap. 5. *Inſulam inde paullatim, & aliis quæ fert temere flumen eodem invectis factam.* Et Plin. lib. 4. cap. 1. *Achelous e Pindo fluens —— Artemitam inſulam aſſiduo terræ invectu continenti annectens.*

1 *Octo millia.*] Fruſtra eſt Melvinus, qui hic *paſſuum* addendum, vel *milliaria* legendum ſuadet. Nulla enim optimis auctoribus fere uſitatior Ellipſis.

2 *Eſt interjectum.*] Inepta prorſus videtur hæc vox [*interjectum*] ad Buchan. mentem explicandam: mihi igitur vix dubium eſt quin *projectum*, *protenſum*, aut ſimile quid ab eo ſit ſcriptum.

3 *Solet dividi.*] Poſt has voces ſequitur in libris omnibus [*Naverniam, ſeu, ut vulgo Stranaverniam, a flumine Naverno dictam:*] quæ ſententia, ut dudum monuit Crafordius, & Anglicus Buchanani interpres, prorſus ſuperflua eſt, utpote quæ paullo infra & clarius habetur. Atque non ob hanc ſolum rationem, ſed quod inſuper orationis tenorem interturbet, neque cum ſequentibus apte cohæreat, eam expungendam cenſuimus.

4 *Lubrum.*] Hunc lacum lib. 1. cap. 42. *Briennum* vocat, quod & hic reponendum vult Crafordius: at nihil mutandum, Boethius enim *Loubroum* appellat, vulgo *Loch-Broom*: quod alibi autem eundem *Briennum* nuncuparit, ideo factum eſt, quod nonnunquam *Loch-Bryan* appelletur.

5 *Portum Salutiferum.*] Sinum ſive æſtuarium Cromartiæ intelligit, quamvis nomine proprio non appellet: Boethio *navigantium Salus* nuncupatur. Quin & excelſi illi hinc atque hinc ſcopuli.

—— *Quorum ſub vertice late*
Æquora tuta ſilent ——

accolis etiam *The Souters of Cromartie* vocantur, *i. e.* (ut Cromartiæ Comarchus, D. Thomas Urchartus, ingenioſe interpretatur,) Σωτῆρες, ſeu *Servatores*, Cromartiæ.

1 *Eam*

die Roſſia claudit, ab occaſu & ſeptentrione mare Deucaledonium [1] eam alluit, ab oriente Cathaneſiam contingit. Sutherlandia his omnibus ita interjecta eſt, ut omnibus ſit finitima, atque ab aliqua regione cœli eas contingat. Nam ab occidente Stranaverniam, a meridie & oriente Roſſiam, a ſeptentrione Cathaneſiam habet objectam. Cultores magis ex natura regionis [2] paſcuo quam arvo dediti. Nihil in ea, quod ſciam, ſingulare, niſi quod montes candidi marmoris habet, rarum in regionibus frigidis miraculum, & prope in nullos uſus comparatum, quod nondum ejus affectatrix luxuria eo immigrarit.

XXXI. Cathaneſia, ultima ad ſeptentrionem Scotiæ regio eſt, qua in plaga ei Navernia occurrit: hæque duæ regiones Scotiæ latitudinem in frontem anguſtam contrahunt. In ea fronte tria attolluntur promontoria: altiſſimum in Navernia, quod Ptolemæo eſt Orcas, ſive [3] Tarvedum: reliqua duo, nequaquam æque ſublimia, in Cathaneſia ſunt, [4] Vervedrum, nunc Hoia, & [5] Berubium, falſo Hectori Boethio [6] Dume appellatum, nunc Dunis Bei vulgo dicitur, alii Duncans Bei vocant. Ex hoc nomine, aliquot literis exemtis, vox Dunis Bei facta videtur. Ad radicem collis ſinus eſt permodicus, quo portu naviculæ ab inſulis Orcadibus appulſæ utuntur. Sinus autem maris vulgo BEI vocatur. Hic igitur ſinus cum Duncani vel Donachi ſinus a vicinis appellaretur, ex his vocabulis utcunque conjunctis ſermo popularis Dunis Bei effinxit. In hoc tractu Ptolemæus collocat Cornavios, cujus nominis adhuc veſtigia quædam reſtant. Arcem enim Comitum Cathaneſiæ vulgo Gernico vocant. Nam, qui Ptolemæo & exteris Cornavii ſunt, Britannis Kernici fuiſſe videntur. Nam, cum non in hoc tractu modo, ſed in diverſiſſima inſulæ parte, nempe in Cornovallia, Cornavios ponat, eoſdem, qui vetuſtum ſermonem Britannicum retinent, adhuc Kernicos vocant. Ac fortaſſe non abſurde judicabit, ſi quis Cornovallas, pro Kernicovallis, id eſt, Kernicis Gallis, dictos exiſtimaverit. Videntur & in media inſula, obſcura quidem illa,

1 *Eam alluit.*] Iteratio vocis [*eam*] hic neutiquam neceſſaria eſt, & lin. ſeq. elegantius forte *Cathaneſia* quam *Cathaneſiam* dixiſſet.

2 *Paſcuo quam arvo.*] Sal. Jugurth. cap. 90. *Quod Numidæ pabulo pecoris magis quam arvo ſtudent.*

3 *Tarvedum.*] Variant Ptolemæi editiones: quibuſdam enim *Tarvedum*, aliis *Tarvedume*, aliis *Tarvedrum*; quod forte præferendum, utpote propius accedens ad ſonum alterius illius promontorii *Vervedrum*, cujus ultimam ſyllabam litera *r* conſtanter ingreditur in omnibus libris

4 *Vervedrum.*] Quod Buchan. Boethium ſecutus in Cathaneſia, alii in Navernia collocant, idemque ſtatuunt eſſe quod nunc *Row Raeby* ſeu *Straby-head* appellatur; quod & Ptolemæi tabulis magis conſentire videtur. Buchanani vero & Boethii *Hoiam* nuſquam in Cathaneſia reperio: forte promontorium vulgo *Windicknap-head* vocatum eo nomine indigitant: Irvinus Hoiam cum Berubio confundere videtur.

5 *Berubium.*] Ita omnino ſcribendum, ut in MS. & Edinb. non *Betubium*, ut in aliis omnibus libris; Ptolemæo enim Οὐερούβιον appellatur, i. e. *Veruvium*, aut (quod non omnino inſolens eſt) υ Græco in *b* Latinum mutato, *Berubium*.

6 *Dume.*] Id tantum dicit Boethius, promontorium quod nunc *Dunsbey* appellatur, a Ptolemæo *Dume* nominari: atque id quidem falſum, aut e vitiatis codicibus deſumtum.

illa, ſed hujus tamen nominis veſtigia remanſiſſe. Valli enim Severi initium ſcribit Beda non procul abeſſe a cœnobio Æbercurnig. Et monaſterii quidem illic nullum indicium in illis locis relictum: manet autem non procul illinc ſemidiruta Duglaſſiorum arx, Abercornum nomine. Horum autem vocabulorum utrumque an alterum ſit a Kernico corruptum, lectori dijudicandum relinquo.

XXXII. Reſtat nunc ut de Inſulis aliquid dicamus, (quæ pars hiſtoriæ Britannicæ maximis erroribus eſt implicata.) Sed omiſſis vetuſtioribus, a quibus nihil certi nobis eſt traditum, quæ ab hominibus noſtri temporis & verius & apertius ſunt prodita, proſequemur. Inſularum omnium, quæ Scotiam veluti coronant, tres fecerunt, vel claſſes, vel ordines, Occidentales Orcadas, & Zelandicas. Occidentales appellant, quæ ab Hibernia pene [1] ad Orcades, in mari Deucaledonio, lateri Scotiæ occidentali prætenduntur. Eas, qui nunc, aut patrum ætate, aliquid de rebus Britannicis ſcripto evulgarunt, Hebridas appellant, nomine certe novo, & cujus nullam originem aut veſtigium e ſcriptoribus priſcis oſtendunt. In illo enim maris tractu alii Æbudas vel Æmodas collocarunt; ſed tanta inter ſe inconſtantia, ut vix unquam in numero, ſitu aut nominibus conveniant. Straboni (ut ab antiquiſſimo incipiam) fortaſſe venia danda ſit, quod ea parte orbis nondum [2] ſatis explorata, famam incertam ſecutus videri poſſit. Mela Hemodas ſeptem, totidem Martianus Capella Acmodas, Ptolemæus & Solinus quinque Æbudas, Plinius ſeptem Acmodas, & triginta Æbudas numerat. Nos in nominibus frequentiſſima antiquis retinebimus; Æbudaſque omnes Occidentales inſulas appellabimus: ſitum, & ſingulorum naturas commoditateſque, ex auctoribus, ut recentioribus, ita multo certioribus, recenſebimus. In primis autem Donaldum Monroum ſequemur, hominem & pium & diligentem, qui eas omnes & ipſe peragravit & oculis perluſtravit. Hæ vero in mari Deucaledonio ſparſæ jacent, numero ſupra trecentas & . . . . . Ab ultimis uſque temporibus omnes Scotorum Reges eas tenuerunt, uſque ad Donaldum, Milcolumbi Tertii fratrem, qui [3] eas Regi Norvegiæ ceſſit, ut ejus opera in regno Scotorum adverſus jus faſque occupando adjuvaretur. Tenuere eas Dani & Norvegi circiter annos centum ſexaginta, donec ab Alexandro Tertio Scotorum Rege ingenti prælio victi eis ceſſerunt. Tentarunt interdum, & viribus freti, & ſeditionibus adducti, ſe in libertatem vindicare, & ſibi Reges creare. Regium enim nomen cum alii, tum non adeo pridem Joannes e Donaldina familia uſurpavit.

XXXIII. In victu, veſtitu, totaque rei domeſticæ ratione, antiqua utuntur

1 *Ad Orcades.*] Mallem *Orcadas* ut eadem linea.

2 *Satis explorata.*] Ita ex MS. reſtituimus: in editis autem omnibus [*explicata*] perperam legitur.

3 *Eas Regi Norvegiæ ceſſit.*] Haud ſcio an ſatis Latine [*eas cedere*] dicatur, malim igitur *eis* dixiſſet, ut mox h. c. [Nihil eſt, quod Latinitati metuat vir doctus. vid. ad Quinct. Declamat. x. 6. & ad Juſt. I. 10. quæ notant viri eruditi.]

1 *Lu-*

tur parſimonia. Opſonatio illis eſt venatus & piſcatio. Carnem aqua in omaſum aut cæſi pecoris pellem infuſa coquunt: in venationibus interim, ſanguine expreſſo, cruda veſcuntur. Pro potu eſt jus carnium elixarum. Serum lactis aliquot annos ſervatum in conviviis etiam avide bibunt. Id potionis genus Blandium appellant. Major pars aquâ ſitim ſedat. Panem ex avena & hordeo, (quæ ſola frugum genera in illis regionibus proveniunt) conficere non injucundum, ex diuturno uſu, peritia quadam adhibita conſueverunt. Mane ex eo paullum deguſtant, eoque contenti venantur: aut, ſi quid aliunde operis eſt objectum, uſque ad veſperum cibo abſtinent. Veſte gaudent varia, ac maxime virgata. Colores amant maxime purpureum ac cæruleum. Majores ſagis verſicoloribus plurifariam diſtinctis utebantur, ut adhuc pleriſque mos eſt: verum plures nunc magis fuſcas, & ericæ frondes proxime imitantes, ne in ericetis cubantes [1] luce floridæ veſtis agnoſci poſſint, ferunt. His involuti potius, quam tecti, ſæviſſimas tempeſtates ſub dio tolerant, ac interdum nivibus obruti ſomnum capiunt. Domi etiam ſuæ humi cubant. [2] Subſternunt filices, aut ericam, ſed hanc radicibus deorſum, frondibus ſurſum verſis: adeoque ſcite hac ratione lectos concinnant, ut mollitie cum pluma certent, ſalubritate longe ſuperent. Erica enim, naturali ſiccandi vi prædita, ſupervacuos humores exhaurit, nerviſque eorum moleſtia liberatis ſuum vigorem reſtituit, ita ut, qui veſpere languidi & laſſi decubuerunt, mane vegeti & alacres reſurgant. Omnibus non negligentia modo in culcitris & ſtragula veſte, ſed affectatio inculti horroris & duritiei ſumma eſt. Si quando uſus aut neceſſitas eos in peregrinum ſolum trahit, culcitras & hoſpitum ſtragula humi provolvunt, ac ſuis veſtibus involuti ſe quieti componunt: ſolliciti videlicet, ne barbara illa (ut ipſi vocant) mollities patriam & ingenuam duritiem contaminet. In bello autem, quibus corpora tegant, arma ſunt, caſſis ferrea, & lorica [3] ferreis annulis conſerta, plerumque ad talos uſque demiſſa. Tela adverſus hoſtem, arcus, & ſagittæ, maxima ex parte humatæ, ferreis utrinque barbulis eminentibus, quæ, niſi vulnere late patefacto, e corpore extrahi non poſſunt. Sunt qui enſibus latis aut ſecuribus pugnent. Lo-

1 *Luce floridæ veſtis.*] Ita MS. alii omnes, *luce florida.*

2 *Subſternunt filices.*] Editt. Genev. Francof. Elzev. &c. *filices* haſce in *ſilices* mutarunt, duri (ut cum Plauto loquar) lectiſterniatores.

3 *Ferreis annulis conſerta.*] Libri impreſſi omnes [*confecta*] & MS. etiam prima manu, at poſtea in [*conſerta*] mutatum. Virgilium imitatus videtur Æn. 3. verſ. 467.

Loricam conſertam hamis auroque trilicem,

Et Æn 5. verſ. 259.

Levibus huic hamis conſertam auroque trilicem
Loricam ———

Quod & And. Melvino ob oculos fuerat in ſua Scotia (quæ nihil aliud eſt quam Poëtica Chorographiæ hujus Buchananææ Paraphraſis;) ita enim ille,

In bello arma tegunt hæc corpora: ferrea caſſis,
Et lorica hamis ferri conſerta trilixque
Demiſſa ad talos ———

 1 *Ma-*

Loco tubæ tibia utuntur utriculari. Muſica maxime delectantur, ſed ſui generis fidibus; quarum aliis chordæ ſunt æneæ, aliis e nervis factæ, quas vel unguibus prælongis, vel plectris, pulſant. Unica autem illis ambitio eſt, ut fides multo argento exornent & gemmis. Tenuiores pro gemmis cryſtallum adhibent. Accinunt autem carmen non inconcinne factum, quod fere laudes fortium virorum contineat: nec aliud fere argumentum eorum Bardi tractant. Vetere Gallorum ſermone paullum [1] mutato utuntur.

XXXIV. Inſulæ circa Scotiam, quæ priſca utuntur lingua, quæque Occidentales vocantur, ita fere ſe habent. Prima omnium eſt [2] Mana, [3] falſo quibuſdam dicta Mona, ab antiquioribus Eubonia, a Paullo Oroſio Mevania, aut potius Menavia. Priſca enim lingua Manim dicitur. Superior ætas [4] oppidum in ea Sodoram appellabat, in qua Inſulanorum Epiſcopus ſedem habebat.

Æquo

1 *Mutato.*] Excidit hæc vox Edinb. atque adeo cæteris omnibus Editt. eam autem non tam Crafordii admonitu, quam quod diſertim in MS. habeatur reſtituimus.

2 *Mana.*] Vel potius Manna, ut alibi.

3 *Falſò quibuſdam dicta Mona.*] Hectorem Boethium & Polydorum Virgilium intelligit, quos hanc ipſam ob cauſſam Humfredus Luddus mordaciſſima ad Ortelium Epiſtola inſectatur. Et ſane mirum eſt hic Buchananum, Luddo alias tam infeſtum, cum eo adeo amice conſentire. Id vero in Luddo neutiquam ferendum, quod culpæ, qua non minus ipſe quam Boethius teneatur, eum inſimulet. Boethius enim Monam inſulam Cæſari & Tacito memoratam unam eandemque exiſtimavit, quo etiam in errore hæret ipſe Luddus: hoc vero inter utrumque diſcriminis intercedit, quod hic Angliſciam, ille Mannam inſulam eſſe contendat, & uterque quidem aliquo ſenſu vere ex auctoris quam ſequitur ſententia. Monam enim Cæſaris nihil aliud quam Mannam eſſe, vi veritatis coacti Camdenus Brit. pag. 1051. & Tho. Brunus diſſertatione ea de re ſcripta, aliique jamdudum agnovere. Monam vero Taciti ſoli Angliſeiæ convenire apud omnes in confeſſo eſt. Quid ergo Boethio hic vitio datur? Ille nimirum, & cum illo Polyd. Virgilius, affinitate nominis decepti, tabuliſque Geographicis deſtituti, Monam Taciti pro Manna inſula accepere. Luddus contra, *Julium Cæſarem, Dionem Caſſium, & Plinium nihil de Mona inſula* ait *in medium attuliſſe, præter nudum nomen, & eam in mari inter Britanniam & Hiberniam ſitam eſſe.* Mitto Dionem & Plinium, id vero de Cæſare prorſus falſum; ejus enim verba nulli alii inſulæ præterquam Mannæ congruere poſſunt. Nam Bell. Gall. lib. 5. de Hibernia loquens, *Dimidio,* inquit, *minor, ut exiſtimatur, quam Britannia; ſed pari ſpatio transmiſſus atque ex Gallia eſt in Britanniam: in hoc medio curſu eſt inſula quæ appellatur Mona.* Quibus verbis non ſolum eam inter Britanniam & Hiberniam ſitam indicat, ſed æquo fere intervallo ab utraque diſtare: quod utique de Angliſeia nullus affirmaverit; quippe quæ freto admodum exiguo, quod & æſtu recedente vado tranſiri poſſit, a continente Britanniæ dirimatur.

4 *Oppidum in ea Sodoram.*] quod nomen a Græca voce Σωτὴρ i. e. *Salvator*, deductum exiſtimatur: q. d. Salvatoris oppidum ſeu fanum, quod Capgravius a Mordaio Mannæ Rege, Boethius ex Veremundo, atque ex eo rurſus Spotiſvodius a Crathilintho Scotorum Rege conditum affirmant. Chriſtoph. vero Irvinus, & Gul. Sacheverellus in ſua Mannæ deſcriptione, nullum in ea ejus nominis oppidum aut fanum agnoſcunt; veram autem Sodoram in Jona inſula fuiſſe contendunt. Videſis utrumque, præcipue Sacheverellum prolixe ea de re diſputantem.

1 Vi-

Æquo fere ſpatio ab Hibernia, Gallovidia Scotiæ, & Cumbria Angliæ, provincia, ſita eſt. [1] Viginti quatuor millia paſſuum in longum, octo in latum protenditur. Proxima in æſtuario Glottæ ſurgit Aliſa, rupes ardua, undique præter unum aditum præceps. Toto fere anno humano cultu vacua, niſi quod ſtatis temporibus navicularum ingens numerus ad aſellos piſcandos eo conveniat. Frequens eſt cuniculis, avibuſque marinis, eoque maxime genere anſerum, quas Solanas vocamus. Ex æquo fere ſpectat ad orientem hibernum Carictam, ad occidentem hibernum Hiberniam, ad occidentem æſtivum Cantieram. Ad viginti quatuor millia ab hac ſita eſt Arania, fere in ſeptentriones vergens: longa viginti quatuor millia, ſedecim lata. Tota in altiſſimos atque aſperrimos montes aſſurgit. Sola maritima ora colitur. Mare, qua humilior eſt, irrumpens, in ea ſinum ſatis magnum facit, cujus aditum claudit inſula [2] Molas. [3] Itaque montibus undique ſe attollentibus, ac ventorum impetum frangentibus, portus navibus intus eſt tutiſſimus; & in aquis perpetuo tranquillis piſcatio adeo copioſa, ut ſi quid, ultra quam quod in unum diem ſit ſatis, capiatur, accolæ in mare, tanquam in piſcinam, id projiciant. Nec longe ab Araniæ littore jacet inſula exigua Flada, cuniculorum feraciſſima. Bota, octo millia paſſuum longa, quatuor lata, interius in æſtuario Glottæ ſita eſt, ab Arania [([4] uti dictum eſt)] octo millia paſſuum ad orientem æſtivum diſtans. Ab occidente æſtivo abeſt ab Argathelia plus minus quingentos paſſus, ad orientem a Cunigamia ſex millia paſſuum. Tota fere humilis eſt, & frugibus & paſcuis ſatis commoda. Unam habet inſulæ cognominem urbem, & in ea veterem arcem Rotheſaiam. Aliam habet arcem ad ſinum, qui ſermone patrio [5] Cames, hoc eſt, Καμψὸς, vocatur. Ad occidentem hibernum eſt inſula Mernoca, humilis, & pro magnitudine fertilis, & culta, mille paſſus longa, quingentos lata. Interius in æſtuario Glottæ ſunt Cumbra major & minor, modico ſpatio diremtæ: major frugum, minor platyceroton ferax.

XXXV. A promontorio Cantiera paullo plus mille paſſus abeſt Avona, id eſt, portuoſa; id cognomen adepta ab ſtatione navium, quod, cum Dani inſu-

1 *Viginti quatuor millia paſſuum.*] Sacheverellus, qui ei inſulæ præfuit, 30. millia in longum, ab 8 ad 10 in latum patere affirmat.

2 *Molas.*] MS. *Molaſſa*, incolis autem *Lamlash*, Monroo *Molaſs* appellatur.

3 *Itaque.*] Crafordius legendum vult *Iſque.*

4 *Uti dictum eſt.*] Ubi autem hoc dictum? Non ſane prius, quod oportebat. Recte igitur has voces delendas admonet Crafordius, quas eam ob cauſſam uncinulis includendas exiſtimavimus.

5 *Cames*, h. e. Καμψὸς.] Ita literis Græcis, non Latinis, ut in MS. Καμψὸς autem Heſychio *inflexum* ſeu *curvum* ſignificat. Quod vero Editio Edinb. hanc aliaſque voces Græcas Latinis literis exhibuerit, characterum ſeu typorum (quos vocant) Græcorum inopia factum eſt. Cæterum Buchananus hic ſubindicare videtur vocem *Cames* a Græco Κάμπτω, i. e. *flecto*, derivari, *Cames* enim Hibernice & Celtice *Ciame*, *curvum* ſignificat, unde & Pontanus vocem *Camurus*, apud Virg. Georg. 3. 55. deducit,

——— *Camuris hirtæ ſub cornibus aures*,

i. e. *curvis* ſeu *inflexis* cornibus, uti Servius interpretatur.

1 *Ab*

ſulas tenebant, ad eam claſſes eorum curſus dirigebant. Ab eodem promontorio, ad occidentem hibernum, contra Hiberniæ littus porrecta eſt Raclinda. Et a Canticra quatuor millia, exigua inſula Caraia. Nec longe ab ea ſita eſt Gigaia, ſex millia longa, mille & quingentos lata. [1] Ab hac quatuor & viginti in longum porrecta abeſt Jura. Duodecim autem millia diſtat a Gigaia. Maritima cultu ſatis frequentia ſunt: interiora, ſilvis operta, cervorum varii generis copia abundant. Sunt qui exiſtiment eam antiquitus [2] Deram fuiſſe nominatam: quod nomen cervum Gothico ſermone ſignificat. Ab hac duo millia abeſt Scarba, ab oriente in occidentem quatuor millia paſſuum in longitudinem excurrens, mille lata: raris in locis ab hominibus culta. Æſtus maris inter eam & Juram tam violens eſt, ut nec velis nec remis, niſi certis tempeſtatibus, ſuperari poſſit. Poſt hanc multa ignobiles inſulæ deinde ſparguntur, Bellach, aut Geniſtaria, Geuraſtilla, Longaia, utraque [3] Fidla: tres item Garvæ, cognominibus diſtinctæ; Culbrenina, Dumchonel, Luparia, [4] Belnahua, Vikerana, Vitulina, Luinga, Seila, Seuna. Hæ tres proximæ, pecore & frugibus ſatis fœcundæ, Argatheliæ Comitibus parent. Proxima his Sclata, quod e rupe ejus tegulæ, quas Sclatas vocant, excidantur. Deinde Naguiſoga, & Eiſdalſa, ac Skennia, & quæ vocatur Thiana, ab herba frugibus noxia, non diſſimili luteæ, niſi quod magis diluto ſit colore: & Uderga, & inſula Regia: mox Duffa, hoc eſt, nigra, atque inſula Eccleſiæ, & Triaracha. Deinde inſula Ardua, Humilis, & Viridis, & Ericæa. Item Arboraria, Capraria, Cunicularia, & quæ Otioſorum dicitur, & Abridica. Item Liſmora, in qua olim ſedes Epiſcopalis Argatheliæ fuerat, longa octo millia paſſuum, lata duo. In ea, præter communia cum cæteris commoda, metalla inveniuntur. Deinde Ovilia, & Siuna, inſula Trajectus, inſula Ovicularis. Item Flada, & inſula Saxi, & Greſſa, & inſula Magna, & Ardieſcara, & Muſadilla, & Bernera, olim ſacroſanctum aſylum dicta, [5] ſilva taxi nobilis

1 *Ab hac quatuor & viginti.*] Non hoc intelligit Buchan. quaſi 24. millibus diſtaret Jura a Gigaia, mox enim 12. tantum millibus ab ea diſtare affirmat. Hæ autem voces Juræ ipſius longitudinem, non ejus ab alio loco diſtantiam ſignificant. Quid ergo eſt, *Ab hac abeſt Jura?* Nihil aliud ſcilicet, quam, *Haud longe ab ea ſita eſt*, vel *proxime poſt eam memoranda occurrit.*

2 *Deram.*] Monroo *Dura* appellatur, qui eam ait *Deiram* potius vocari debuiſſe. Ego vero *Diuram* primum, poſtea *Djuram*, ac poſtremo *Juram* nominatam arbitror, *cervus* enim Danis (qui eam forte aliquando tenuerunt) *Diure* appellatur. Ejuſdem originis eſt Anglo-Saxonicum *Deor*, Belg. *Dier*, Teut. *Thier*, Angl. *Deer*, quæ omnia non abſurde a Græco θὴρ, i. e. *fera* deduci poſſunt.

3 *Fidla.*] Ita MS. Monroo *Fidlachaille.* In Edinb. quoque edit. eſt *Fidla*, evaneſcente tamen ſuperiore parte literæ *d*, quod non ſatis attendentes ſequentium editionum procuratores & Melvinum etiam in ſua Scotia pro *o* fefellit: potius tamen *Findla* dici debuit, nam ab incolis, altera *Findla na Rugha*, *Findla na Keiliach* appellatur. Vid. Irvinum.

4 *Belnahua.*] Monroo *Belnachna*; & ita forte ſcribendum.

5 *Silva taxi nobilis.*] In omnibus editis & MS. etiam *Silva* hic cum majuſcula *S* ſcribitur, quaſi id proprium nomen inſulæ eſſet. Sed cum nulla Monroo, Martino, alterive cuiquam ſcriptori hoc nomine

lis, Molochaſgir, Drinacha, ſpinis, ſambuco, & magnarum ædium ruinis, operta. Inſula Vici fabrorum, ſilvæ fertilis. Item Ranſa, & Kervera.

XXXVI. Maxima poſt Juram ad occidentem eſt Ila, longa viginti quatuor millia, ſedecim lata: a meridie in ſeptentrionem porrecta: pecorum, frumenti, cervorum, item plumbi fertilis. Amnem aquæ dulcis habet, nomine Laiam: item aquæ marinæ ſinum, in quo inſulæ variæ: præterea aquæ dulcis lacum, in quo eſt inſula [1] Falangama dicta, olim omnium Inſulanorum Regia, in qua inſularum Regulus aſſumto nomine Regio ſolebat habitare. Huic propinqua, ſed minor, eſt inſula Rotunda: cui etiam a conſilio nomen eſt inditum. In ea enim curia erat, in qua quatuordecim e primoribus jus aſſidue dicebant, ac de ſumma rerum etiam agitabant conſilia: quorum ſumma æquitas & moderatio pacem domi foriſque præſtitit, & pacis comitem rerum omnium affluentiam. Inter Ilam & Juram ſita eſt inſula parva, a cumulo lapidum cognominata. Ad auſtrale latus Ilæ jacent hæ deinceps inſulæ, Colurna, Mulmoris, Oſrima, Brigidana, Corskera, inſula Humilis, Imerſga, Beathia, Texa, Ovicularia, Naoſiga, Rinarda, Cana, Tarſcheria, Achnarra, inſula Magna, inſula Figuræ humanæ, inſula Joannis, Stacbadis. Ad occidentalem Ilæ angulum Overſa. Ibi quoque fretum torrentiſſimum, niſi certis horis, impermeabile eſt navibus. Inſula Mercatoris: & ad occidentem æſtivum ſpectans Uſabraſta, & Tanaſta, & Neſa, & inſula Textoris: & ad octo millia ab Ila magis in ſeptentriones verſa Oruanſa, & ei proxima Porcaria, & quingentos paſſus ab Oruanſa, Coluanſa. Ultra Coluanſam ad ſeptentriones jacet Mulla, duodecim millia paſſuum diſtans ab Ila. Hæc inſula quatuor & viginti millia in longum, totidem in latum porrigitur, aſpera quidem illa, ſed frugum non infœcunda. Habet ſilvas frequentes, magnoſque cervorum greges, portumque ſatis tutum. Ex adverſo inſulæ Columbæ habet duos amnes ſalmonum fœcundos: alios item minores non omnino ſteriles: duos item lacus, & in ſingulis ſingulas inſulas, ſuaſque in eis arces. Mare diverſis in locis irrumpens quatuor facit ſinus, omnes halecum abundantes. Ad occidentem hibernum ſita eſt Columbaria, ſive inſula columbarum: ad orientem æſtivum Era: utraque pecori, & frumentis, & piſcatui, commoda.

XXXVII. Ab iis duo millia paſſuum abeſt [2] inſula D. Columbæ, longa duo

mine inſula appelletur, has voces ad inſulam proxime nominatam referendas arbitror, quemadmodum mox *Drinacha ſpinis & ſambuco operta*, & *inſula Vici fabrorum ſilvæ fertilis* deſcribitur. Præterea ſi proprium eſſet inſulæ nomen, inepta prorſus & a Buchanani oratione aliena videtur vox *nobilis*.

1 *Falangama.*] Irvino *Falingamia*, MS. *Falingana*, Monroo *Furlogan* (niſi mendum eſt Librarii,) Martino & aliis *Finlagan*.

2 *Inſula D. Columbæ.*] Eadem quam alibi Jonam nominat, Bedæ *Hyi* appellatam. Porro Buchanano *Columbus* ſæpius, interdum *Columba*, ut infra in hoc cap. & lib. V. 33. 35. & 38. vocitatur: nos ubique, ut ſecum ipſe conveniret, *Columba* repoſuimus, ex incuria enim vel ipſius, vel ejus amanuenſis profectum videtur, quod nomen

duo millia paſſuum, ſupra mille lata, fertilis quidem omnium, quæ ea cœli plaga gignere ſolet, & veteribus, ut in ea gente, monumentis illuſtris: ſed D. Columbæ ſevera diſciplina & ſanctitate clarior. Erant in ea duo monaſteria, alterum monachorum, alterum monacharum; curia una, ſive (ut nunc loquuntur) parochialis Eccleſia, multaque ſacella ex munificentia Regum Scotorum & Regulorum Inſulanorum. In cœnobio veteri D. Columbæ Inſularum Epiſcopi ſedem ſtatuerunt, vetere domicilio, quod erat in Eubonia, ab Anglis capto. Remanet adhuc inter veteres ruinas ſepulchretum, ſive cœmiterium commune omnium nobilium familiarum, quæ in Occidentalibus inſulis habitabant. Eminent inter cæteros tumuli tres, modicis intervallis diſtantes, tribus impoſitis domunculis in orientem verſis. In occidentali cujuſque parte lapis inſcriptus, quorum tumuli ſint, indicat. Qui medius eſt, titulum habet, TUMULUS REGUM SCOTIÆ: ferunt enim quadraginta octo Reges Scotorum ibi fuiſſe humatos. In dextro inciſus eſt titulus, TUMULUS REGUM HIBERNIÆ: quatuor enim Reges Hiberniæ illic conditi fuiſſe dicuntur. Qui eſt in ſiniſtra parte, inſcribitur, TUMULUS REGUM NORVEGIÆ: hujus enim gentis octo Reges illic fuiſſe ſepultos fama eſt. In reliquo cœmiterio ſeorſum claræ Inſulanorum familiæ habent ſua conditoria. Circa eam ſex proximæ inſulæ exiguæ, nec tamen infœcundæ, ab antiquis Regibus & Inſulanorum Regulis cœnobio Columbæ donatæ fuerunt. Soa, etſi ovibus commoda habet paſcua, major tamen proventus eſt ex avium marinarum incubatu, & maxime ex ovis. Proxima eſt Mulierum inſula, ac deinde Rudana, mox Reringa. Poſt eam Skennia, quingentos paſſus a Mulla diſtans. Habet ſuum parochum: ſed parochiani magna ex parte in Mulla habitant. Littora cuniculis abundant. Ab hac mille paſſus abeſt Eorſa. Hæ omnes cœnobii Columbæ monachis parent.

XXXVIII. Ab Eorſa duo millia abeſt Ulva, quinque millia paſſuum longa, frumento & paſcuis pro magnitudine fœcunda. Habet ſtationem navibus longis commodam. Auſtrali ejus lateri prætenditur Coluanſa: agrum habet non infœcundum, ac ſilvam columnam. Ab hac fere trecentos paſſus ſita eſt Gomatra, duo millia longa, mille paſſus lata, a meridie in ſeptentrionem excurrens. Deinde a Gomatra quatuor millia paſſuum meridiem verſus Staſa: utraque portuoſa. Quatuor ab hac millia paſſuum, ad occidentem æſtivum recedunt duæ Kerniburgæ, major & minor, rupium ita circumvallatæ præcipitiis, & æſtu torrentiſſimo, ut, naturali munimento induſtria adjuto, ſint pla-

men hocce Scoticis aliiſque monumentis tam celebre in *us* terminaverit: ſcriptores certe, quod ſciam, omnes Buchanano ſuperiores vel æquales conſtanter *Columba* ſcripſerunt. Nec Fordonum tantum, Boethium, Leſlæum, Majorem, alioſque Hiſtoricos Scotos intelligo, ſed Bedam, Notkerum Balbulum in Martyrologio, &, quod rem extra omnem controverſiam ponit, ipſius diſcipulum vitæque ſcriptorem Adamannum. Non ignoro alios Buchananum ſecuros ſæpius eum *Columbum* appellare, alios item Columbanum; nonnullos etiam cum cum Columbano Luxovienſis in Burgundia & Bobienſis in Italia Cœnobii conditore confundere, uti dudum obſervavit eruditiſſimus Uſſerius Brit. Eccleſ. Ant. pag. 360.

1 *Præ-*

plane inexpugnabiles. Ab his mille paſſus diſtat inſula, cujus terra fere tota eſt nigra, ex putribus vetuſtate ſilvis & muſco concreta. Ejus glebas ad uſum ignis deſiccant: inde dicta inſula Monadum: nam ita genus illud terræ vocant, quæ Anglico ſermone MOSSA dicitur. Deinde Lunga, duo millia in longitudinem porrecta: dimidio minor Baca. Ab hac ad occidentem ſex millia recedit Tircia, octo millia longa, tria lata, omnium inſularum omnibus ad vitam rebus neceſſariis longe copioſiſſima. Nam & pecore, & frumento, piſcatu, & marinarum avium fœtu, abundat. In ipſa eſt lacus aquæ dulcis, & in ea vetus arx: habet & portum longis navibus non incommodum. Hic duo millia abeſt Gunna: & a Gunna pari ſpatio Colla, duodecim millia longa, duo lata, in primis fertilis. Nec procul hinc eſt Calfa, tota prope ſilvis operta. Poſt duæ inſulæ cognominatæ Virides, major & minor. Item totidem eiſdem cognominibus ex adverſo promontorii Mullæ. Jacent non longe ab ea duæ inſulæ cognominatæ Glaſſiæ, hoc eſt, cæruleæ. Deinde Ard an ridir, id eſt, alta inſula Equitis. Deinde Luparia, ſive inſula Luporum. Poſt eam inſula Magna. A Colla inſula, ſeptentrionem verſus, protenditur ab oriente in occidentem, ſedecim millia longa, ſex lata, montibus arduis & ſilvoſis aſſurgens, Ruma: &, quia raris in locis habitata eſt, aves marinæ paſſim in campis ova ponunt, quorum quantum libet quivis vere adulto colligit. In rupibus excelſis marini anſeres (de quibus ante a nobis dictum eſt) abunde capiuntur. Ab ea quatuor millia ad orientem hibernum eſt inſula Equorum: & ab ea quingentos paſſus Porcaria, pro magnitudine rerum neceſſariarum abundans. Nidificat in ea falco: habet & portum ſatis commodum. Non longe ab hac ſunt Canna & Egga, modicæ inſulæ, ſatis fœcundæ, poſterior etiam anſeribus marinis, quas Solanas vocant. Deinde Soabretilla, venatui quam aliis vitæ commodis aptior.

XXXIX. Hinc a ſeptentrione in meridiem porrigitur Skia, omnium inſularum circa Scotiam maxima, [[1] *præter Leogum*,] quadraginta duo millia paſſuum longa, alibi octo, alibi duodecim lata, in montes pluribus locis ſe attollens; ipſi ſilvis, ſilvæ paſcuis abundant, campi frugum & pecorum fertiles in his præter alia pecora greges equarum. Quinque amnes habet majores, ſalmonum fœcundos: multos etiam minores, nec eos ſalmonum ſteriles. Mare, ab omni parte in terram penetrans, multos aquæ ſalſæ ſinus facit, tres præcipuos, tredecim item alios, omnes halecum fœcundos. Habet & lacum aquæ dulcis, & quinque arces. Inſula pri-

1 *Præter Leogum.*] Has voces ex margine MS. eadem ut videtur manu ſcriptas inſerendas putavimus. *Leogus* enim, ipſo teſte cap. 43. lib. 1. cum Haraia, quæ unam tantum faciunt inſulam, in longum patet 60 millia, in latum 16. adeoque Skia duplo major eſt. Crafordius locum hunc aliam ob cauſſam mendoſum arguit, Hethlandia enim Skia major eſt, uti patet cap. 50 huj. lib. adeoque pro *omnium inſularum circa Scotiam maxima*, legendum vult, *omnium Æbudarum maxima.* Hic vero non eſt diſſimulandum Martinum in ſua Æbudarum deſcriptione Skiam 40. mill. longam, alibi 20, alibi 30 latam ſtatuere, adeoque haud facile dictu eſſe, utra harum an Skia anne Leogus ſit major.

priſcorum Scotorum ſermone Skianacha, hoc eſt, alata, vocatur, quod promontoria, inter quæ mare ſe infundit, velut alæ ſe obtendunt. Uſus tamen obtinuit, ut Skia, id eſt, ala, vulgo diceretur. Circa hanc ſparſæ jacent inſulæ minores, Oranſa, frugibus & pecore, Cunicularia, nemoribus & cuniculis abundans; Paba, latrociniis infamis, quod in ejus ſilvis prædones transeuntibus inſidias locant. Inde Scalpa, octo millia ad æſtivum occidentem ſita. Præter alia commoda magnos cervorum greges in ſilvis alit. Inter oſtium Caronis ſinus & Raarſam jacet Crulinga, ſtatio navibus tuta. Et a Scalpa duo millia in ſeptentriones porrigitur Raarſa, ſeptem millia longa, duo lata: ſilvas habet betuleas, & in eis cervos. Quingentos ab ea paſſus eſt Rona, ſilvis & erica operta. Portum in intimo ſinu habet latrociniis infeſtum prætereuntibus, [1] inſidiis tegendis aptum: & in ſinus (qui a brevitate Gerloch vocatur) ore eſt ejuſdem nominis inſula. Et a Rona ſex millia ſeptentrionem verſus Flada, & a Flada duo millia Tuilmena, & ad auſtrale Skiæ latus Oranſa, & mille paſſus ab ea Buia parva, deinde Buia major, ac deinceps quinque parvæ inſulæ ignobiles. Poſt quas Iſa, fertilis frugum: & juxta eam Ovia, deinde Askerma, & Lindilla, & ad octoginta millia a Skia ad occidentem æſtivum projecta Linga, & Gigarmena, & Bernera, & Megala, & Paba, & Flada, & Scarpa Verveeum, & Sandera, & Vaterſa, quæ, præter alia commoda plurima, ſtationem habet multarum & magnarum navium capacem, in quam ex omnibus circumjacentibus regionibus, ſtatis temporibus, magna piſcatorum frequentia convenire ſolet. Hæ novem poſtremæ inſulæ ſub dominatu ſunt Epiſcopi Inſularum.

XL. A Vaterſa duo millia abeſt Barra, ſeptem millia longa, ab occidente hiberno ſe ad orientem æſtivum exporrigens: frugum non infœcunda, piſcatu aſellorum maxime inſignis. In hanc ſinus maris anguſtis faucibus infunditur, interius latius rotundatur. Inſulam habet unam, & in ea arcem munitiſſimam. In ſeptentrionali plaga Barræ aſſurgit collis, ab imo ad ſummum herbidus: e ſummo ebullit fons aquæ dulcis, e quo rivus, qui defluit, ſecum in mare vicinum defert velut minuta quædam, ſed adhuc informia, animalia, quæ aliqua ex parte, ſed obſcure, ſpeciem conchularum, quas vulgo vocamus cochleas, præferre videantur. Hanc littoris partem, in quam deferuntur, accolæ Magnas Arenas appellant, quod ibi, recedente maris æſtu, ultra mille paſſus arena nudetur. [2] Illinc magnæ conchæ effodiuntur, quas vicini credunt ex illo velut ſeminio, quod rivus e fonte defert, aut naſci, aut certe in mari incrementum ſumere. Inter Barram & Viſtum jacent hæ deinceps exiles inſulæ, Orbanſa, Ovia, Hakerſæta, Garulanga, Flada, Buia major, Buia minor, Haia, Helliſaia, Gigaia, Lingaia, Feraia, Fudaia, Eriſcaia.

XLI. Ab his in ſeptentriones excurrit [3] Viſtus, longa triginta quatuor, la-

1 *Inſidiis.*] Melvinus legendum vult *inſidiiſque*, male.

2 *Illinc.*] MS. *illic.*

3 *Viſtus.*] Hic & alibi legendum vult Crafordius *Viſtus* triſſyllabum, nomen enim inſulæ, inquit, eſt *Viſle* ſive *Ooſle*: nihil ta-

lata ſex millia. Hæc inſula, influente duobus in locis maris æſtu, trium velut inſularum ſpeciem præbet: rurſus nudatis æſtu recedente arenis, in unam coit. In ea plurimi ſunt lacus aquæ dulcis: ſed unus præcipua magnitudine tria millia paſſuum longus. Ad hunc, exeſa terra, mare viam ſibi patefecit, nec ab incolis objecto ſexaginta pedum aggere excludi potuit, quo minus inter ingentia ſaxa male coagmentata ſe inſinuet, & marinos piſciculos perſæpe relinquat. In eo piſcis capitur, cætera ſalmoni ſimilis, niſi quod ventre albo, dorſo nigro ſit, & ſine ſquamis inſtar ſalmonis. Item in eo prope innumeri ſunt aquæ dulcis lacus. Speluncas habet erica tectas, latronum latibula. In ea ſunt quinque ad ſacrorum uſum curiæ. Inde octo millia occidentem verſus jacet Helſcer Vetularum, ita, reor, cognominata, quod ad monachas Jonæ inſulæ ſpectet. Deinde, paullo longius ad ſeptentriones ſe attollit Haveskera, in quam certo anni tempore vituli marini frequentes appellunt & capiuntur. Sexaginta fere ultra hanc millia ad occidentem æſtivum recedit Hirta, frugum, pecorum, ac maxime ovium, ferax; proceriorefque gignit, quam ulla aliarum inſularum. Incolæ prope omnium artium, ac maxime religionum, rudes. Eo, poſt ſolſtitium æſtivum, dominus inſulæ procuratorem ſuum ad vectigalia colligenda mittit, & una cum eo ſacerdotem, qui pueros proximo anno natos baptizet: is autem ſi forte deſit, ſuos quiſque baptizat. Domino pendunt certum numerum vitulorum marinorum, & ſole duratorum vervecum, & avium marinarum. Tota inſula non ſuperat longitudinem mille paſſuum, totidem prope lata: nec ab ulla aliarum inſularum videri pars ejus ulla poteſt, præter tres montes in littore ſe attollentes, qui ex locis editioribus cernuntur. In iis montibus ſunt oves eximiæ pulchritudinis: ſed ob violentiam æſtus marini vix cuiquam eſt ad eos aditus.

XLII. Jam ut ad Viſtum redeamus, a promontorio ejus ſeptentrionali ſita eſt inſula Valaia, mille paſſus lata, duplo longior. Inter promontorium & Haraiam inſulam hæ fere ſunt interjectæ, exiguæ quidem, ſed non infrugiferæ, Soa, Stroma, Pabaia, Barneraia, Eniſaia, Keligira, Saga parva, Saga magna, Hermodraia, Scarvaia, Gria, Linga, Gillinſa, Hea, Hoia, Ferelaia, Soa parva, Soa magna, Iſa, Seuna parva, Seuna magna, Taranſa, Slegana, Tuemen, & ſupra Haraiam Scarpa. Et ad occidentem æquinoctialem ſupra Leogum quinquaginta millia abſunt ſeptem inſulæ, quas alii [1] Flananas, [2] alii Sacras, [*aut*] Aſyla vocant, in montes herbidos conſurgentes, ſed ab omni humano cultu de-

tamen cenſuimus mutandum. Neque enim Buchan. hanc ſibi normam ſequendam duxit in locorum nominibus, quin ut gratius ad aures vocabula illa barbara & inculta acciderent, ea varie immutare & inflectere non dubitavit.

1 *Flananas.*] Ita legendum, non *Blavanas*, ut Genev. Francof. Elzev. *&c.* & Blavii Theatrum Scotiæ, *Blananæ* enim Martino, Timotheo Pont. & Irvino appellantur. Quin & in MS. *Blananas* ſcribitur, & in Edinb. haud facile dignoſcas an litera quarta ſit *u* an *n*.

2 *Alii ſacras* [*aut.*] In aliis omnibus, *Alii ſacras*, *Aſyla vocant*, ſcriptum eſt. Nos voculam [*aut*] interjiciendam exiſtimavimus. Eas inſulas fuſe deſcribit Martinus pag. 16, 17, 18. & præcipue pag. 19. ubi de inſita iis ex vulgi opinione ſanctitate edifferit.

deſertæ. Neque quadrupedem fere ullum præter oves feras habent; quæ quidem a venatoribus capiuntur, ſed ad nullum victus uſum: carnis enim loco arvinam habent, aut ſi quid ſit carnis, id adeo inſuave eſt, ut nemo attingat, niſi in extremo famis periculo. Deinde, prope eodem tractu, propius ſeptentrionem jacent, Garvellan, id eſt, aſpera inſula, & Lamba, & Flada, & Kellaſa, & Bernera parva, & Bernera magna, & Kirta, & Buia parva, & Buia magna, & Vexaia, & Pabaia, & Sigrama magna, (Cunicularia ab ejus animalis fœcunditate vocata,) & Sigrama parva, & Pygmæorum inſula. In hac fanum eſt, in quo credunt vicini populi olim Pygmæos fuiſſe humatos. [1] Multi exterorum, terra altius effoſſa, repererunt, & adhuc deprehendunt, capita parva & rotunda, aliarumque corporis humani partium oſſicula, nihil famæ vetuſtæ derogantia. In eo littore Leogi inſulæ, quod in orientem hibernum ſpectat, duo ſinus maris in terram irrumpunt, quorum alterum lacum Meridionalem, alterum Septentrionalem, vocant. Uterque toto anno piſces abunde captantibus ſuppeditat. Ex eodem littore Leogi magis ad meridiem vergit Fabilla: deinde Adami inſula: deinde inſula Agnorum. Item Hulmena, & Viccoilla, & Haverera, & Laxa, & Era, & inſula Columbæ, & Tora, & Iſſurta, & Scalpa, & Flada, & Seuta. Ad orientale latus hujus inſulæ iter eſt ſubterraneum, ſuperne fornicatum, longum ultra jactum ſagittæ, ſub quam cryptam naviculæ minores velis aut remis agi ſolent, dum fugiunt violentiam æſtus, qui ad propinquum promontorium magno cum fragore & navigantium periculo ſævit. Magis ad orientem jacet inſula, quam Vetuſtum Caſtellum appellant, locus naturali munimento tutus, & frugum & piſcium copia, & ovis ibi nidificantium volucrum marinarum, abunde commeatum incolis ſufficiens. Ad littus, ubi ſinus Briennus terras firmas aperit, inſula Eu ſita eſt, tota fere ſilvis umbroſa, ac latronibus tantum, qui prætereuntibus inſidiantur, accommoda. Magis ad ſeptentriones jacet inſula Gruinorta, & ipſa itidem ſilvis opaca, & latronibus infeſſa: & in eandem cœli plagam ſpectans inſula Sacerdotum vocata, præter pabula, ovis volucrum marinarum abundans. Proxima huic eſt Afulla. Deinde ei propinqua Habrera magna: poſt eam Habrera parva: juxta eam inſula Equorum: juxta eam rurſus inſula Mertaica. Hæ octo proximæ inſulæ ante oſtium ſitæ ſunt ſinus quem vulgo lacum Briennum vocant.

XLIII. Ab his inſulis, quæ ſinum Briennum præcingunt, abſunt Haraia & Leogus, ſeptentrionem verſus excurrentes. In longum patent ſexaginta millia, in latum ſedecim. Hæ quidem unam faciunt inſulam: non enim maris infuſi æſtuariis, ſed limitibus agrorum & [2] dominorum ditionibus de-

1 *Multi exterorum.*] Cur *exteri* magis quam inquilini? mendum hic ſubeſſe videtur.

2 *Dominorum ditionibus.*] Vocem *ditio* hic & alibi (Vid. lib. XI. 24.) nonnunquam pro *regione*, *provincia* aut *prædio ruſtico* Buchan. uſurpat, quo tamen ſignificatu nullus probatus ſcriptor ea uſus eſt: iis enim *poteſtatem* aut *imperium* ſemper ſignificat. Vide Cellarii Cur. poſter. pag. 376. Vorſtium de Latinit. merito ſuſpecta, Sciopp. Infam. Famiani.

1 *In*

definiuntur. Pars autem ad meridiem expoſita ſolet Haraia vocari. In ea fuerat monaſterium, Roadilla dictum, a Macclodio Haraienſi conditum. Ager frugum ſatis fertilis, ſed quæ magis ex fodiendo quam arando illis proveniunt. Paſcua ſunt in ea ovium paſturæ commoda, præſertim mons præaltus, ad ſummum uſque faſtigium gramine virens. Narrat Donaldus Monrous, homo doctus & pius, ſe, cum illic eſſet, vidiſſe oves admodum annoſas, ut in eo pecoris genere, ſine certis dominis vagas; quarum proventum illic auget, quod ibi nuſquam cernatur vulpes, lupus, aut ſerpens; quanquam inter hanc partem & Leogum magnæ interjectæ ſunt ſilvæ, quæ cervos alant frequentes, ſed humiles, & mole corporis minus conſpicuos. In hac inſulæ parte fluvius eſt ſalmonum ferax. In parte ad ſeptentriones projecta eſt Leogus, ſecundum littus ſatis frequenter culta. Quatuor habet curias, arcem unam, ſeptem amnes majuſculos, ac duodecim præterea minores, omnes pro cujuſque magnitudine ſalmonum fœcundos. Plurimis in locis màre in terras penetrat, in ſinuſque ſe diffundit, omnes halecum copia abundantes. Magnus ibi pròventus ovium, quæ in ericetis ac ſaltibus libere vagantur. Eas, in locum anguſtum, ac velut caulas, ſingulis annis coactas, incolæ antiquo more vellunt. Soli campeſtris magna pars ericetis conſtat: in quibus terra ſuperne eſt nigra, ex muſcò & ſilvis putreſcentibus multis ſeculis coalita, ad altitudinem circiter pedalem. Hæc velut ſuperior cruſta in ceſpites oblongos & tenues conſciſſa, & ad ſolem deſiccata, [1] in uſum ignis colligitur, & lignorum vice uritur: proximo poſt anno nudum ſolum alga marina ſtercoratum ſeritur hordeo. In hac inſula tanta plerumque balænarum capitur copia, ut aliquando (uti ſeniores narrant) viginti ſeptem, partim prægrandes, partim minuſculæ, decimarum nomine ſacerdotibus ſint exhibitæ. Eſt & in hac inſula ſpelunca ingens, in qua, recedente æſtu, aqua duas orgyias alta manet: ubi vero rediit æſtus, ſupra quatuor eſt profunda. Ibi in rupibus ſedens omnis generis ſexus & ætatis multitudo, hamis & ligno magnam vim piſcium promiſcue ducit.

XLIV. Ad orientem æſtivum, ſexaginta fere millia paſſuum a Leogo, ſita eſt inſula parva, ſolo humili, ac plano, ac ſatis frequenter culto: nomen eſt Rona. Cultores homines rudes, ac prope omnis religionis expertes. Dominus ejus, qui eam colant certum familiarum numerum finit, eiſque majorum & minorum pecorum aſſignat quantum ſatis videtur, unde & ipſi commode vivant, & [2] vectigalia ſolvant. Quod ultra victum provenit, ad Leogum ſingulis annis [3] ad agri ſui dominum mittunt. Hæc fere ſunt, quæ vectigalis nomine pendunt: magnam vim farinæ hordeaceæ, in pellibus ovium inſutam, (apud eos enim [4] hoc genus frugum copioſe naſcitur,) carnis ovillæ, & marina-

1 *In uſum ignis.*] Ita MS. & princeps editio Edinb. alii fere omnes *in uſum igni.* Fefellit Edit. Edinb. in qua litera *s* a reliquis pallum eſt disjuncta.

2 *Vectigalia ſolvant.*] MS. *vectigal ei ſolvant.*

3 *Ad agri ſui dominum.*] Editis omnibus deeſt præpoſitio [*ad,*] quam ad ſenſum explendum omnino neceſſariam MS. nobis ſuppeditavit.

4 *Hoc genus frugum copioſe.*] MS. *Hoc genus frugum unicum copioſe.*

1 *Deeſ-*

narum avium ſole duratarum, quantum ex annuo proventu ſuperat. Ac ſi quando multitudo capitum abundat, ſupernumerarios quoque domino annumerant. Atque ita ſoli, ut opinor, in univerſo orbe ſunt, quibus nihil unquam deeſt, omnia ad ſatietatem redundant: juxta luxus & avaritiæ ignari: quique innocentiam, & animi tranquillitatem, quam alii magnis laboribus ex inſtitutis & præceptis ſapientiæ petunt, ex ignoratione vitiorum comparatam habent: nec aliud quicquam, præterquam quod ſuæ conditionis commoditatem non intelligant, ad ſummam felicitatem [1] deeſſe videatur. Eſt in hac inſula ſacellum, D. Ronano ſacrum. In eo (ut majores natu ferunt) ligo perpetuo relinquitur; quo, cum quis moritur, ſepulchri locum inveniunt deſignatum. In hac inſula, præter aliam piſcationem, plurimæ balænæ capiuntur. Ab hac millia paſſuum ſedecim, occidentem verſus, jacet inſula Suilskeraia, mille paſſus longa: ſed quæ nullam herbam, ac ne ericam quidem, gignat. Rupes tantum nigras attollit, quarum quædam muſco nigro teguntur. Volucres marinæ paſſim ibi ova ponunt & excludunt. Ad eas, nondum ad avolandum maturas, proximi e Leogo inſula adnavigant, ac plus minus octo dies eis legendis tribuunt, donec earum carne vento durata plumiſque naviculas onerent. In hac inſula rarum & aliis regionibus ignotum genus avis conſpicitur, Colcam vocant, magnitudine paullo infra anſerem. Ea vere ſingulis annis eo adventat, pulloſque excluſos eouſque educat, dum ipſi ſibi proſpicere poſſint. Ad id fere tempus plumæ ſponte defluentes e toto corpore nudam deſtituunt: ac tum demum ad mare ſe recipit, nec ante proximum ver uſquam conſpicitur. Illud quoque eis eſt ſingulare, quod earum pennæ caulem non habent; ſed levi, & cui nihil prorſus duri adeſt, pluma totum corpus velut lanugine veſtiunt.

XLV. Sequuntur Orcades, in mari partim Deucaledonio, partim Germanico, ad ſeptentrionalem Scotiæ partem ſparſæ. Harum de nomine inter ſcriptores veteres & recentiores ſatis convenit. Rationem autem nominis nemo (quod adhuc ſciam) explicavit. Sed neque, qui eas primi tenuerint, ſatis conſtat. Omnes Germanicæ originis eos fuiſſe tradunt. At e qua natione Germanorum advenerint, id non proditur. Si e ſermone conjecturam faciemus, & olim, & nunc quoque, vetere Gothica lingua utuntur. Sunt qui Pictos eos fuiſſe arbitrentur, hoc maxime argumento, quod fretum eos a Cathaneſia dividens Picticum cognominatur; Pictoſque ipſos generis Saxonici fuiſſe exiſtimarint, Claudiani carmine maxime freti e ſeptima Panegyrica, in IV. Conſul. Honor. 31.

—— Maduerunt Saxone fuſo
Orcades: incaluit Pictorum ſanguine Thule.
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.

Sed

1 *Deeſſe videatur.*] An forte legendum *videtur.*

Sed eorum refutari facile error poteſt : partim ex Beda Anglo-Saxone, qui, cum quinque diverſis linguis a Britannis Dei laudes cani aſſeveret, unam ex eo numero Picticam eſſe ait : quod ſi tum Saxonice Picti locuti fuiſſent, eam a Saxonica, (qua tum Angli incorrupta utebantur) non ſeparaſſet : partim quod in illis verſibus Claudianus diſerte Pictos a Saxonibus alios eſſe oſtendat, cum alteris Orcadas, alteris Thulen, patriam eſſe affirmet. Sed undecunque ſunt oriundi, noſtra adhuc ætate lingua a Scotis & Anglis diverſa utuntur, & quæ a Gothica non multum diſcrepet.

XLVI. In convictu quotidiano, multum e vetuſta parſimonia adhuc vulgus retinet. Itaque perpetua corporis & animi ſanitate fere omnes fruuntur. Rari morbis, plerique omnes ſenio ſolvuntur : pluſque apud eos deliciarum ignorantia, quam apud alios medicorum ars & diligentia, ad ſalutem tuendam prodeſt. Eadem parſimonia, & ad formæ elegantiam, & ad ſtaturæ proceritatem, plurimum facit. Frugum proventus eis exiguus eſt, præterquam avenæ & hordei, ex quibus eis & panis & vinum ſuppetit. Ex gregalibus animantibus, oves, boves & capræ, non infrequentes ; unde multus eis lactis, caſei & butyri eſt uſus. Aves marinæ innumeræ : ex his fere & piſcibus victus eorum magna ex parte conſtat. Nullum ibi venenatum animal, ac ne deforme quidem aſpectu, apparet. Sunt eis equulei, ſpecie quidem contemtibiles, ſed ad omnes uſus, ſupra quam credi poteſt, ſtrenui. Nulla uſquam arbor, ac ne frutex quidem, præter ericam, nec id tam cœli, aut ſoli vitio, quam incolentium ignavia ; quod facile oſtenditur ex arborum radicibus, quæ pluribus in locis eruuntur. Quoties exotica vina navibus invehuntur, avide ſe ingurgitant. Scyphum habent antiquum, quem (ut major crapulæ ſit auctoritas) Divi Magni, qui primus ad eos Chriſti doctrinam attulit, fuiſſe prædicant. Is cum ita ſuperet communium poculorum amplitudinem, ut e Lapitharum convivio reſervatus videri poſſit, eo ſuos Epiſcopos, initio ad ſe adventantes, explorant : qui plenum uno hauſtu ebiberit, (quod admodum raro evenit) miris cum laudibus proſequuntur, atque hinc velut læto augurio ſequentium annorum proventum animis præcipiunt. Unde facilis conjectura eſt, illam quam dixi parſimoniam, non tam a ratione & ſtudio, quam penuria, ortam eſſe : eademque, quæ eam initio pepererat, diu apud poſteros conſervavit, neceſſitas : donec, vicinis nationibus invaleſcente luxuria corruptis, paullatim diſciplina vetere labefactata, blandientibus quoque deliciis ipſi ſeſe dedidere. Multum etiam præcipitantem temperantiam impulere piratarum commercia : qui regiones continentis habitatoribus frequentes adire non auſi, ex inſulis aquantur ; & vina merceſque alias aut commeatibus mutant, aut vili pretio diſtrahunt : & Inſulani, & pauci numero, & inermes, & in mari procelloſo ita ſparſi, ut mutuis auxiliis ſe tueri non poſſint, infirmitatis ſuæ conſcii, non omnino inviti ſecuritatem cum lucro conjunctam, adblandiente etiam voluptate, vel receperunt, vel non rejecerunt. Sed hæc morum labes in potentiores fere & ſacerdotes incubuit. Apud vulgus multa priſtinæ moderationis adhuc veſtigia reſtant.

XLVII. Mare illis non ſolum ventorum violentia & ſiderum poſitu ſævum & tempeſtuoſum eſt, ſed æſtibus contrariis ex Oceano occidentali incitatis, & inter anguſtias terrarum confligentibus, nulla vi remorum aut velorum, [1] freti, ex adverſo recurrentis & in ſe contorti, vortices ſuperari poſſunt. Si qui propius accedere audent, aut impetu violento rurſus in mare rapiuntur, aut fluctuantis æquoris rapiditate abrepti, in rupes & ſcopulos compelluntur, aut in ſe convolutis aquarum cumulis abſorbentur. Duæ ſunt tempeſtates, quibus hæ anguſtiæ ſunt ſuperabiles: aut cum æſtuum relapſu, ceſſante undarum conflictu, mare tranquillatur: aut ubi pleno alveo æquor ad ſummum incrementi pervenit, langueſcente utrinque vi illa, quæ undas concitabat, velut receptui canente Oceano procellis, & vorticoſis pelagi commoti molibus ſe velut in ſua caſtra recipientibus. De numero quoque Orcadum inter ſcriptores non convenit. Plinio ſunt inſulæ quadraginta, cæteris fere triginta. Proxime ad verum acceſſit Paullus Oroſius, qui triginta tres prodit, e quibus tredecim habitentur, cæteræ deſertæ, & pecori paſcendo relictæ. Sunt enim pleræque humiles, & ita ſpatiis anguſtis, ut vix colonum unum aut alterum, ſi colerentur, alerent. Aliæ nudis ſcopulis aut opertis muſco ſqualentes.

XLVIII. Orcadum maxima multis veterum Pomona vocatur. Hodie Continentem appellant, quod longe alias magnitudine præcedat. Patet enim in longum triginta millia paſſuum. Hæc ſatis frequenter habitatur. Habet enim duodecim, ſive curias, ſeu parochias ruſticas: præterea oppidum unum, quod Dani, quorum in ditione Orcades diu fuerunt, Cracoviacam appellabant: nunc nomine corrupto Kircua Scotis dicitur. In hoc duæ ſunt velut modicæ arces propinquæ, altera Regis, altera Epiſcopi. Inter eas ſitum eſt templum, ut in locis illis ſatis magnificum. Inter templum & arces utrinque ſunt non infrequentia ædificia, quas duas urbes incolæ appellant: alteram Regiam, alteram Epiſcopalem. Tota inſula excurrit in promontoria: inter quæ ſinus maris infuſi, ſtationes navibus tutas, & interim portus faciunt. Sex diverſis in locis hujus inſulæ metalla ſunt plumbi albi & nigri, tam probi, quam uſquam in Britannia reperiatur. Hæc inſula a Cathaneſia circiter viginti quatuor millia abeſt, interjecto freto Pictico, de cujus natura jam diximus. In eo freto ſparguntur inſulæ complures, e quibus Stroma quatuor a Cathaneſia millia abeſt, non infœcunda pro magnitudine. Sed hanc, ob propinquitatem [2] terræ Britanniæ, & quod Cathaneſiæ Comites eam ſemper tenuerint, inter Orcadas non numerant.

XLIX. Ab hac ad ſeptentriones naviganti prima Orcadum occurrit Ranalſa auſtralis, quæ a ſinu Duncani, aut verius Donachi, abeſt ſedecim millia: quod ſpatium duabus horis, æſtu ſecundo, etiam ceſſantibus ventis, navicu-

lae

1 *Freti, ex adverſo recurrentis.*] Ita monente Crafordio emendavimus, reclamantibus licet omnibus libris in quibus *recurrentes* legitur.

2 *Terræ Britanniæ.*] Non *Britannicæ*, ita enim Cæſar Bell. Gall. I. 30. *Ex uſu terræ Galliæ.* Liv. XXV. 7. *Donec hoſtis in terra Italia eſſet.* Vide Voſſium de Arte Gramm. lib. VII. cap. 2.

1 Gra-

læ conficiunt: tanta hujus freti eſt violentia. Hæc quinque millia paſſuum longa eſt, habetque portum ſatis commodum, a D. Margarita cognominatum. Ab ea paullum in orientem projectæ ſunt inſulæ duæ exiguæ & incultæ, pecori paſcendo relictæ. Holmas illi gentili vocabulo eas appellant, hoc eſt, planities herbidas, aquis aſſitas. Ad ſeptentrionem eſt Burra inſula, & duæ inter eam & Pomonam Holmæ. A Burra occidentem verſus ordine tres inſulæ jacent, Suna, Flata, & Fara: & ultra eas Hoia & Valis, quas alii duas, alii unam inſulam vocant: quod circa æquinoctia, (quo tempore maria violentiſſime incitantur ac fervent,) æſtu recedente, nudantibus ſe arenis, anguſtis faucibus cohærent, unamque inſulam faciunt: redeunte æſtu, rurſus interjecto mari, duarum inſularum ſpeciem præbent. In hac inſula omnium, quas Orcades habent, altiſſimi ſunt montes. Hoia & Valis decem millia in longum porriguntur: ab Ranalſa abſunt octo, a Fano Donati in Cathaneſia ſupra viginti millia paſſuum. A ſeptentrione eſt inſula, [1]Graniſa, in freto admodum anguſto ſita: abeſt enim Hoia a proximo Continentis, id eſt, Pomonæ, promontorio, duo modo millia. Hæ fere inter Pomonam & Cathaneſiam ſunt inſulæ, in ipſo freto ſitæ. Latus Continentis occidentale mare apertum ſpectat, nullis in eo nec inſulis nec ſcopulis apparentibus. [2]Ab orientali ejus promontorio paullum procurrit Cobeſa: a Borea eam velut tegit littori propior Siapinſa, paullum ſe in orientem inflectens, ex adverſo Cracoviacæ duo millia ſita, [3]ipſa ſex millia longa. [4]A ſeptentrionali parte Pomonæ jacet Ruſa, ſex mil-

1 *Graniſa.*] An potius *Gramiſa*, vel *Gramſa*, vulgo enim *Gramſoy* appellatur.

2 *Ab orientali ejus promontorio paullum procurrit Cobeſa: a Borea eam velut tegit littori propior Siapinſa*, &c.] Ita diſpungendam eſſe hanc ſententiam & verus harum inſularum ſitus, & orationis recta Syntaxis omnino poſtulant. In editis autem omnibus ita ſe habet. *Ab orientali ejus promontorio paullum procurrit. Cobeſa a Borea eam velut tegit. Littori propior Siapinſa paullum ſe in Orientem inflectens*, &c. Quæ verborum interpunctio non Anglico modo interpreti fucum fecit, ſed ipſi etiam Crafordio, qui hic interrogat. *An Paullum nomen inſulæ, an mendum ſubeſt?*

3 *Ipſa ſex millia longa. A ſeptentrionali parte Pomonæ.*] Plurimum hic ab omnibus impreſſis diſcrepat liber MS. qui reliquas Orcadum inſulas multo fuſius, ac alio prorſus modo perſequitur: in eo enim poſt hæc verba, *ipſa ſex millia longa*, ita pergit Buchananus. *Mox ad occidentem duæ inſulæ parvæ, Gerſa, Vera; & Egliſa quatuor millia longa, in qua ſepultus eſſe dicitur D. Magnus. Poſt hanc Continenti propior Ruſa, longa quatuor millia, & lata alicubi tria, frequens cultoribus. Ultra eam ad Occidentem parva inſula eſt Broca. Supra has ad ſeptentriones jacet alius inſularum tractus, e quibus proxime Orientem poſita eſt Stronza, & juxta eam Linga, in longum quinque, in latum duo M. P. protenta, compluresque Holmæ. Etba ſe porrigit in longum quinque, in latum duo millia paſſuum, cui ad orientem adjacet Fara. Ultra eam inter Septentrionem excurrit Veſtra, in multa parva ſe ſpargens promontoria. Supra Stronzam ad Orientalem Etbæ plagam ſe exporrigit in Septentrionem Sanda, decem in longum millia, quatuor lata, ubi latiſſima. Ea ſupra reliquas frugum eſt fertilis, ſed ignis materia omni deſtituitur. Itaque nigra terra, cujus glebis ad ignem prope omnes nationes ſeptentrionales utuntur*, [illegible]

ſer-

millia longa. Ab ea propius orientem ſita eſt Egliſa, ubi Divum Magnum fama eſt eſſe ſepultum. Hinc ad meridiem adjacent Vera, Gerſa: nec longe illinc Veſtra, a qua Hethlandia abeſt millia paſſuum LXXX. [1] Papa, Stronza diſtat ab Hethlandia LXXX. millia paſſuum. In hoc medio fere curſu jacet Fara, hoc eſt, bella inſula, utriſque & Orcadibus & Hethlandiæ conſpicua. Aſſurgit enim in tria altiſſima promontoria, rupibus excelſis præcincta, & undique inacceſſa, niſi quod ad orientem æſtivum paullum ſeſe demittens, ſtationem tutam naviculis præbet. Incolas habet longe pauperrimos. Piſcatores enim, qui ex Anglia, Hollandia, cæteriſque propinquis Oceano [2] regionibus, piſcatum in illa maria ſingulis annis prætemavigant, omnia pro arbitrio rapiunt & ferunt.

L. Proxima poſt illam eſt inſula Hethlandicarum maxima, quam ob eam cauſſam incolæ Continentem appellant, ſexaginta millia paſſuum longa; lata alicubi ſedecim, in plurima parva ſe promontoria ſpargens. Duo tantum ſunt, quæ nominare non pigeat: alterum longum, ſed anguſtum, in ſeptentriones excurrit; alterum latius in orientem hibernum. Maritima fere habitantur. Interiora nullum animal præter volucres adit. Superioribus annis, incolæ latius, quam majores eorum ſolebant, excolere tentarunt: ſed nullo prope ſucceſſu. Divitiæ eis ſunt a mari, ab omni parte ſumma piſcandi commoditate objecta. Ab ea ad decem millia ſeptentrionem verſus eſt Zeal ſita, ſupra viginti millia lon-

permutatione a vicinis Ethanis mercantur. Ultra Sandam eſt quam Septentrionalem Ranalſam dicunt, lata ac longa duo millia. Ea non aditur niſi adulta æſtate, idque tranquillo mari. Deinde, poſt quatuor aut quinque linearum capacem lacunam, ſequitur, *Papa Stronza diſtat ab Hethlandia* 80. *millia paſſuum*, &c. Quæ autem rationes Buchananum impulerint ut prolixiorem hanc reliquarum Orcadum expoſitionem, præſertim multas hic memoratas inſulas, tacitus prætterierit, non ita facile eſt ſtatuere. Interim credere fas eſt id præcipue ab eo factum, quod earum hic traditam deſcriptionem neutiquam (quod res eſt) accuratam exiſtimaret.

4 *A ſeptentrionali parte.*] Omnes libri habent *occidentali*: Crafordius legendum vult *orientali*: male utrique, Ruſa enim ſeptentrionali Pomonæ lateri eſt obverſa.

1 *Papa, Stronza.*] Perplexa hæc ſententia: Crafordius legendum vult *Papaſtronza* unico vocabulo; in errore autem verſatur vir doctus, nullam enim Orcadum ita appellatam ab earum incolis accepi. Stronza autem ab oriente Sandæ adjacet, Papa inter Veſtram & Ranalſam Septentrionalem fere media occurrit: Mendum tamen hic ſubeſſe non eſt dubium: tum quod nihil hic reperiatur, cui vox *Papa* reſpondeat, prorſuſque abſurdum ſit, ut tres inſulæ, recto fere tramite Hethlandiæ reſpectu jacentes, pari milliarium intervallo ab ea diſtarent: neque ſi id maxime verum eſſet, Buchanani genio dignum videtur, ut 80. *millia paſſuum* & *Hethlandiam* adeo frigide iteraret. Mihi igitur veriſimilius videtur, ſententiam unam aut alteram, ſive Typographi, ſive exſcriptoris vitio, hic intercidiſſe, qua ſcil. inſularum Ethæ, Papæ, Ranalſæ Septentrionalis, præcipue vero Sandæ omnium fere poſt Pomonam maximæ, brevem licet, aliquam tamen deſcriptionem exhibuerat.

2 *Regionibus, piſcatum.*] Libri omnes abſurde hic inferciunt vocem *quæ*, legentes, *regionibus, quæ piſcatum*: non enim *regiones prætemavigant*, ſed piſcatores eas incolentes.

1 *Omni-*

longa, octo lata: adeo fera, ut nullum animal niſi illic natum ferat. In hac habitare dicitur Bremenſis mercator, qui omnes merces exoticas, quarum illic uſus, abunde [1] omnibus ſuppeditet. Inter hanc & Continentem jacent iñſulæ minores, Linga, Orna, Bigga, Sanctferri. Ultra hanc circiter novem millia ad ſeptentrionem jacet Vuſta, ſupra viginti millia in longum porrecta, in latum ſex: plana, & alioqui non inamœna aſpectu, niſi quod longe ſæviſſimo mari ambiatur. Inter hanc & Zeal ſunt interjectæ Via, Ura, Linga. Extra eam occidentem reſpiciunt Skeniæ duæ, Burra: ad orientem Balta, Honnega, Fotlara, ſeptem millia longa, ab Vuſta ſeptem diſtans, octo a Zeale, & objecta freto quod Vuſtam a Zeale dividit. Multæ deinceps inſulæ ignobiles prætenduntur orientali Continentis lateri, Mecla, Skeniæ orientales tres, Chualſa, [2] Noſtunda, Braſa & Muſa. Latus occidentale cingunt Skeniæ occidentales, Rottia, Papa parva, Vonneda, Papa major, Valla, Trondra, Burra, Haura major, Haura minor; & inter eas totidem fere Holmæ [3] interſperſæ.

LI. Victus ratio Hethlandicis eadem quæ Orcadenſibus: niſi quod juxta copias domeſticas paullo aſperior. Veſtiuntur Germanico ritu, ſed juxta facultates non indecore. Proventus illis eſt ex panno ſui generis craſſo, quem Norvegis vendunt, ex oleo e piſcium inteſtinis confecto, e butyro, e piſcatu. Piſcantur [4] naviculis duorum ſcalmorum, [5] quas factas [6] e Norvegis coëmunt. Quos ceperint piſces, partim ſale condiunt, partim vento ſiccant. Ex iis fere rebus divenditis pecuniam conficiunt, unde vectigalia ſolvunt; domos, in quibus habitent, ſupellectilem univerſam, ac magnam victus partem, parant. In domeſtico inſtrumento, qui elegantiæ ſtudent, nonnihil argenti habent. Menſuris, numeris, ac pondere, ad morem Germanicum utuntur. Germanicus etiam, aut pene vetus Gothicus, eſt illis ſermo. Ebrietatem ignorant, niſi quod ſingulis menſibus ſe mutuo invitant; eoſque dies hilare & ſimpliciter, ſine rixis & cæteris, quæ fert ebrietas, vitiis, tranſigunt: eamque conſuetudinem ad mutuam amicitiam retinendam facere ſibi perſuadent. Salubritatis firmitudo in Laurentio quodam noſtra ætate apparuit, qui poſt centeſimum annum

1 *Omnibus ſuppeditet.*] Ita MS. in omnibus tamen editis legitur, *quarum illic uſus abunde omnibus ſuppeditet, apportet.* Quamvis autem non me lateat vocem *ſuppeditet* nonnunquam abſolute accipi, idemque quod *ſuppetat* ſignificare, adeoque aliquem hoc pacto ſententiæ ſenſum affigi poſſe: mihi tamen vix dubium eſt, quin vox *apportet* gloſſema hic ſit, ab inſcio exſcriptore textui inſertum.

2 *Noſtunda.*] In MS. Edinb & Genev. *Noſtuada* perperam legitur, alii omnes *Noſtunda* habent.

3 *Interſperſæ.*] Ita omnino legendum, non *interſparſæ*, ut in omnibus aliis libris.

4 *Naviculis duorum ſcalmorum.*] Cic. de Orat. lib. 1. cap. 38. *Citius hercle is qui duorum ſcalmorum naviculam portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit.*

5 *Quas factas.*] Libri omnes *quos factos*, quaſi vero non naviculas, ſed ſcalmos e Norvegis coëmant?

6 *E Norvegis.*] Forte *a Norvegis*, vel *e Norvegia*.

num uxorem duxit: centeſimum quadrageſimum annum agens, ſæviſſimo mari in ſua navicula piſcatum prodibat: ac nuper, nulla vi gravioris morbi labefactatus, ſed ſenio ſolutus, deceſſit.

LIBER SECUNDUS.

I. Repetenti mihi rerum Britannicarum memoriam ſupra duo millia annorum, cum multa ſe impedimenta objiciunt, tum illud in primis, quod in eis regionibus, unde noſtræ originis eruenda eſt cognitio, diu literæ nullæ fuerunt: & cum ſero tandem adveniſſent, in ipſo prope ortu interierunt. Omnes enim nationes, quæ in Britannia ſedes ad hunc uſque diem collocarunt, jure mihi videor affirmare poſſe, e Galliis, Hiſpaniis, & Germania, in hanc inſulam commigraſſe. Galli primum characteres literarum a Maſſilienſibus Græcis accepere, quibus uterentur ad rationes conficiendas, & literas inter ſe miſſitandas, [1] Græcis quidem figuris elementorum, ſed ſermone Gallico. Leges autem, & ſacrorum ritus, ne Julii quidem Cæſaris ætate literis committebant; res vero geſtas multo minus, quas tamen veriſimile eſt fuiſſe multo maximas. Quæ in Italia, Germania, Thracia, Macedonia, Græcia, & Aſia, vel fecerunt, vel paſſi ſunt, in eadem fuiſſent apud poſteros oblivione, niſi exteri ſcriptores ea memoriæ prodidiſſent. In Hiſpania vero, Græcis, & ante eos Phœnicibus, qui interni maris occupaverant littora, & unis e Barbaris (ut Strabo ſcribit) Turdetanis, fuit quidem literarum uſus: ſed veteris memoriæ ſcriptor, quod adhuc ſciam, exſtitit nemo. Varro enim & Plinius, & ſi qui alii Latinorum de primis Hiſpaniarum cultoribus obiter aliquid attigerunt, conjecturis magis, quam ſcriptorum teſtimoniis, in hac parte fidem ſuarum opinionum confirmant. In ea parte Britanniæ, quam Cæſar attigit, nulla prorſus vetuſtarum rerum erat memoria. Apud interiores vero, qui longe incultius agebant, longe minus: adeo ut, cum illos de gentis origine, & veterrimis inſulæ cultoribus, rogaret, nihil certi ſe comperiſſe ſcribat. Poſt Cæſarem Cornelius Tacitus, non minore fide quam diligentia ſcriptor, jam perluſtrata Romanis claſſibus Britannia, intimiſque latebris ejus excuſſis, ne ipſe quidem quicquam certi, quod poſteritati proderet, invenit. Gildas quoque, qui ſupra

1 *Græcis quidem figuris elementorum, ſed ſermone Gallico.*] Ita Buchananus multique alii viri docti Cæſaris verba interpretantur Bell. Gall. lib. 1. cap. 29. *In caſtris Helvetiorum tabulæ repertæ ſunt, literis Græcis confectæ, & ad Cæſarem perlatæ.* Eruditiſſimus autem Sam. Bochartus, *Judic. de Ant. Goſſelini veterum Gallorum Hiſtoria* pag. 1190. contra nititur, gravibuſque argumentis contendit non Græcos tantummodo characteres, ſed ſermonem ipſummet Græcum hic a Cæſare ſignificari.

2 De-

pra quadringentos annos poſt Tacitum vixit, ſe non e monumentis, quæ nulla erant, ſed ex tranſmarina relatione, quæ ſcribit, tradere affirmat. Germania vero poſtrema omnium literis fuit expolita. Sed illa, pro reliqua ſua ingenuitate, cum nihil haberet, quod ex antiquis monumentis pro vero afferret, nihil monſtri novi ipſa ſibi confinxit. Igitur, qui de veteribus annalibus Britannorum originem afferre ſe aſſeverant, reddenda, opinor, illis erit ratio, quis primus iſta tradiderit, ubi tamdiu latuerint, quomodo ad nos tot poſt ſeculis incorrupta pervenerint.

II. Quod autem ad *Bardos* & *Seneciones*, veteris memoriæ cuſtodes, quidam confugiunt, prorſus perridicule faciunt. Id autem multo magis intelligetur, ſi explicavero, quale fuerit id genus hominum, cui de tantis rebus, tam obſcuris, & a memoria noſtra tam procul remotis, fidem haberi volunt. Primum, *Bardi* qui fuerint olim, & nunc ſint, luculenter a Strabone & Ammiano exprimitur: ſed breviter, & dilucide, quod ad præſens inſtitutum ſit ſatis, a Lucano his verſibus, lib. 1. 447.

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtas,
Laudibus in longum vates [1] *demittitis ævum,*
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Sed horum antiquiſſimi literarum prorſus erant ignari, & qui nulla de rebus vetuſtis reliquerunt monumenta. Alterum genus eſt *Senecionum*, ut ipſi vocant, e quibus veterum familiarum principes, & præterea plerique opibus præſtantes, aliquem alunt, qui patroni ſui majores, a primis uſque rerum initiis, [2] recitet memoriter. Sed & hi cum literas prorſus ignorent, expendat apud ſe quiſque, quantum eis fidei ſit habendum hominibus, quorum omnis res & ſpes ex adulatione pendeat. Deinde, ut maxime vera ſint, quæ afferunt, non magnopere ſcriptorem hiſtoriæ juvare poſſunt. Poſtremo, etiam illud cogitemus, quoties in manifeſto errore deprehendantur ſcriptores rerum geſtarum; quoties nutent, dubitent, æſtuent; quantum non modo alii ab aliis diſſentiant, ſed & ipſi ſibi ſæpe non conſtent. Hæc ſi contingunt iis, qui magno labore in ſtudium veritatis incumbunt, quid ab illis ſperandum eſt, qui, ſine literarum auxilio, (quo qui temere labuntur poſſint erigi, & de induſtria mentientes redargui,) ſoli confidunt memoriæ? Ut omittam, quod ea incultu ſoleat imminui, & ætate debilitari, & morbo penitus exſtingui. Ad hæc ſi accedat (ut fit plerumque) patronis adulandi ſtudium, aut diſcedat obſe-

1 *Demittitis ævum.*] Ita omnes quæ quidem melioris ſunt notæ Lucani Editiones, non *diffunditis*, quod omnia Buchanani exemplaria præferunt.

2 *Recitet memoriter.*] MS. Edinb. Genev. Francof *recitent*, male. [*Recitare* eſt ex ſcripto legere, ut notum viris doctis: ita *recitare ſenatum*, *literas in ſenatu* & ſimilia. abſurdum ergo eſt, *recitare memoriter.* hoc *reddere* dicit Horat. IV. od. 6. & II. & I. Ep. XVIII. 13. & Art. Poet. 158. & alii: quæ enim ediſcendo accepit aliquis, reddit poſtea voce ſine ſcripto.]

ſequendi voluntas, aut interveniat ira, odium, invidia, quæ animi judicium ſolent pervertere; quis audeat, ex horum auctoritate, quicquam pro vero affirmare, aut ceu falſum refellere? aut quis pro certo tradet, quod a tam incertis auctoribus acceperit? In tanto igitur ſcriptorum veterum ſilentio rerum antiquarum, & ſuæ plerumque ætatis ignorantia, ubi nihil comperti, nihil ſinceri, eſſe poteſt, modeſtius eſſe reor, quæ neſcias ſilendo, pudori ſervire, quam, falſa comminiſcendo, tuam impudentiam prodere, & aliorum judicia contemnere. Apud omnes igitur Britannorum nationes tanta fuit ſcriptorum penuria, ut, ante Romanorum illuc adventum, omnia ſilentii vaſtis tenebris conſepulta jacuerint; ac ne res quidem a Romanis ibi geſtas aliunde quam e Græcis Latiniſque monumentis colligere poſſimus; & quæ adventum eorum præceſſerunt, de his, magis eorum conjecturis, quam noſtris ſit credendum commentis. Nam, quæ noſtri ſcriptores de ſuæ quiſque gentis origine prodiderunt, adeo ſunt abſurda, ut non exiſtimarem refellenda eſſe diligentius, niſi eſſent, qui illis commentis velut ſeriis oblectarentur, & alienis plumis ornati ſibi magnifice placerent.

III. Nec minimam in hoc negotio difficultatem affert recentiorum ſcriptorum, diverſa tradentium, tanta inter ſe diſcordia, ut non facile ſit judicare, quem potiſſimum ſequamur; tanta vero abſurditas, ut omnes propemodum jure optimo videantur repudiandi. Neque ego tam demiror veterum in re tam obſcura ſilentium, aut recentiorum in fingendo diſcordiam, quam paucorum concordem impudentiam. De illis enim temporibus, quibus omnia erant inſtabilia & incerta, tam conſtanter omnia affirmant, ut aurium potius vanam oblectationem, quam narrationis fidem, ſpectaſſe videantur. Primis enim illis temporibus, cum Britannis, perinde ac plurimis aliis nationibus, rarus foret agri colendi uſus, divitiæque omnes in pecore eſſent: homines, nulla rerum ſuarum, quæ prope nullæ erant, caritate imbuti, dum vel a potentioribus pellerentur, vel infirmiores ipſi pellerent, vel uberiora in locis vaſtis & incultis paſcua ſequerentur, facile ſedes mutabant, facile etiam cum novis dominis locorum nomina mutabantur. Multum etiam attulit difficultatis opulentiorum illa ambitio, qui, uti ſui memoriam poſteris commendarent, nationes, provincias & oppida in ſuum nomen adoptabant. Omnibus fere urbibus Hiſpaniæ bina erant nomina, omnium in eadem cultores, &, cum cultoribus, urbium & regionum nomina ſæpe fuerunt mutata. Ut autem Ægyptum, Græciam, & longinquiora omittamus, nonne

Sæpius & nomen poſuit Saturnia tellus?

Accedit quod eiſdem gentibus, in eadem terra degentibus, non eadem ſemper nomina ſoleant eſſe. Nam quæ Romanis eſt Hiſpania, Græcis Iberia, poëtis Heſperia, Divo Paulo in epiſtolis, Theodoreto & Sozomeno in hiſtoria, Spania vocatur. Græcorum, tam celebratum Latinis omnibusque Europæ gentibus, nomen, Græcis ipſis eſt obſcurius. Hebræi & Arabes omnibus fere nationibus vetuſta ſervant vocabula, ne fando quidem audita cæteris populis.

Sco-

Scotus & Anglus vulgata gentium Britannicarum nomina ſunt, quæ hodie quoque priſcis Scotis & Britannis prope ſunt ignota: alteros enim Albinos, alteros Saxones appellant. Quare nemini mirum videri debet, ſi, in tanta rerum humanarum inconſtantia, de nominibus hominum locorumve non ſemper conveniat, inter ſcriptores, diverſis temporibus natos, magnis terrarum intervallis diſſitos, lingua & moribus diſſidentes. Hæc cum retro gentium repetentibus, origines magnas pariant difficultates, recentiorum quidam, prava ambitione impulſi, denſiſſimis omnia tenebris involverunt. Nam, dum ſuæ quiſque gentis originem e longinquo petunt, & ſe fabuloſis commentis fruſtra nobilitare nituntur, nimia fingendi licentia hoc tantum proficiunt, ut, quas illuſtrare res debuerant, eas obſcurent: &, ſi quando vera dixerint, toties tamque inepte mentiendo, ipſi ſibi fidem derogent: ac tantum abeſt, ut quam ſperarant aſſequantur gratiam, ut mendaciis in lucem proditis, ab eis ipſis, quorum aſſenſionem captabant, rideantur.

IV. Primum omnium, ut ab antiquiſſima gente, ita ab impudentiſſimo exordiar mendacio. Qui veterum Britannorum novam commenti ſunt hiſtoriam, interpolata Danaidum fabula, Regem quendam Syriæ *Diocletianum* fingunt, ex uxore *Labana*, triginta tres genuiſſe filias, quæ, in ipſis nuptiis occiſis maritis, a patre in navem ſine gubernatore & remigibus impoſitæ, in Britanniam, tum deſertam, pervenerunt: ſolæque, in regione frigida, fructuumque ſponte naſcentium parum fœcunda, non modo vixere, ſed e malorum Dæmonum compreſſu Gigantes genuere, quorum genus uſque ad *Bruti* adventum perſeveravit. Inſulam ajunt ab *Albine Albionem* fuiſſe appellatam. Is autem *Brutus* dicitur fuiſſe Æneæ Trojani pronepos, Æneæ Silvii filius. Ab hoc *Bruto* cum temere miſſo telo pater fuiſſet occiſus, factum quidem cunctis infelix ac miſerabile eſt viſum: ſed quia lædendi voluntas aberat, mortis pœnam remiſſam, exilium vel indictum, vel ſponte ſuſceptum, affirmant. Interemtorem igitur, conſulto Dianæ oraculo, varia fortuna uſum, per tot maria atque terras, decimo tandem anno in Britanniam appuliſſe, cum magno comitum numero; multiſque congreſſibus Gigantum immanitate ſublata, totius inſulæ imperium tenuiſſe. Ei vero tres fuiſſe filios, *Locrinum*, *Albanactum* & *Cambrum*: iis inſulam diviſam. Ab *Albanacto Albanis*, qui *Scoti* poſtea fuerunt, ab *Cambro Cambris*, qui nunc ſunt *Valli*, imperatum. Eos ſuorum quemque regnorum imperium ita tenuiſſe, ut ſumma rerum penes *Locrinum* eſſet, qui reliquis Britannis præfectus, *Loegriam* ſuæ parti nomen dederit. Adjiciunt poſteriores, ut & ipſi fabuloſum illud imperium pro virili propagarent, *Locrino* ſucceſſiſſe *Vendolinam* filiam, *Vendolinæ Madanum*, *Madano Menpricium*; ei deinde *Ebrancum*, qui e viginti uxoribus totidem genuerit filios. Ex his undeviginti in Germaniam migraſſe; eamque regionem, adjutos Albæ Silvii propinqui ſui copiis, armis ſibi paraſſe: ab eis fratribus *Germaniæ* nomen fuiſſe impoſitum.

V. Hæc ſunt fere quæ Brittones, & poſt eos quidam Anglorum, de primis Britanniæ cultoribus tradunt. Eorum autem nobis hic ſubit mirari con-

ſilium: quod, cum facile poſſent, ac ſine invidia, imitari Athenienſes & Arcadas, aliaſque gentes in primis illuſtres, ſeſeque dicere indigenas; neque dedecori ſibi exiſtimare eam originem, quam prope nobiliſſima & prudentiſſima totius orbis civitas gloriæ ducebat, præſertim cum ea opinio non poſſet e ſcriptoribus antiquis refelli, atque etiam non ignobilès haberet aſſertores; maluerunt tamen ex omnium gentium colluvie ſibi majores affingere, quos & ipſa narrandi ſeries vulgo etiam imperito poſſet facere ſuſpectos, nec vetuſtiorum quiſquam vel tenui ſuſpicione confirmaret. Deinde, ſi id minus placuiſſet, cum eis fuiſſet liberum, ut quidam poëtarum ſcripſere, *honeſtos majores e quocunque vellent ſumere libro*, miror, quid eis in mentem venerit, ut eos potiſſimum eligerent, quorum omnem poſteritatem ſemper puderet. Quanta enim illa eſt ſtultitia, nihil exiſtimare magnificum vel illuſtre, quod a magno ſcelere vel flagitio eſt alienum? Nec deſunt tamen, qui talibus nugis ſeſe imperitis venditent. Ac Joanni Annio, homini non indocto, ignoſcendum puto, cum ſciamus poëtis eſſe conceſſum, ut familiarum & nationum origines fabularum figmentis ornare conentur. Qui vero ex profeſſo ſcripſerunt hiſtoriam, neſcio an æquum ſit hanc veniam concedi.

VI. Ut igitur ab ultimis repetam, quid magis abhorret a fide, quam puellas paucas, abſque virorum auxilio, e Syria uſque, per tot maria, (quæ navigatio, claſſe firma, omnibus rebus ornata, in tanta navigandi ſcientia & uſu, hodie rei navalis peritis eſſet formidabilis,) extra orbem terrarum delatas in deſertam inſulam? ibique nullis frugibus, nullis arborum fructibus, victitaſſe? fœminaſque Regii generis, ſub frigido cœlo, rerum omnium inopes, non modo duraſſe, ſed Gigantes etiam genuiſſe? ac, ne parum digno potirentur matrimonio, a Cacodæmonibus compreſſas? *Diocletianus* autem iſte, quo tempore, qua in parte Syriæ, regnavit? quo pacto fiat, ut nulla de eo apud rerum ſcriptores ſit mentio? præſertim, cum nullius gentis res geſtæ diligentius, quam Syrorum, proditæ ſint poſteris? Unde accepit nomen *Diocletiani?* quod ſupra mille annos, poſt eum, inter Barbaros ſit natum, & ab origine Græca ad formam Latini ſermonis ſit declinatum?

VII. Proxima deinde nobilitatis acceſſio *Brutus* parricida, ne videlicet in hac parte Romulo eſſet inferior. *Brutus* autem iſte, quicunque fuit, quem & gentis & nominis auctorem *Brittones* edunt, quibus opibus, quo linguæ commercio, illis præſertim temporibus, eo penetravit, quo Romana arma, florentiſſimo ſtatu Reipublicæ reliquo fere terrarum orbe perdomito, vix tandem pervenire potuerunt? Nam & ante Romam conditam, quam res Italorum fuerint tenues, quam ipſi ab omni longinqua peregrinatione abhorrentes, ſupervacuum eſt diſſerere. Nec illud habeo neceſſe quærere, terra an mari venerit, Alpibus ad eum uſque diem uni Herculi perviis, & Gallis ob inſitam feritatem adhuc ab exterorum commercio alienis. Oceanum vero navibus ingredi, vix ſero, & florentibus domi rebus, auſi ſunt Carthaginienſes, & Græci, qui Maſſiliam incolebant; ac ne tum quidem dominandi ſed ſpeculandi cauſſa: nedum Albanos paſtores, ſemiagreſte genus hominum, tam audax facinus aggreſſuros fuiſſe credamus. Præter hæc, nemi-

mi-

mini, qui Latinas literas non ignorat, ignotum eſſe poteſt, *Bruti* nomen, anno poſt commentitium iſtum Brutum fere quingenteſimo, ſub Tarquinio demum Superbo celebrari eſſe cœptum, cum L. Junius, [1] homo nobilis, [*qui*] contemtu ſui Regiam effugere vellet crudelitatem, ſimulatione ſtultitiæ novum illud ſibi cognomen peperiſſet, atque ad poſteros transmiſiſſet.

VIII. Sed monachus ille, hujus Brutinæ fabulæ poëta & artifex, videre viſus eſt commenti abſurditatem: verum, objecta ſpecie religionis, omnium ora ſe poſſe obſtruere exiſtimavit; ac Dianæ oraculo eos paruiſſe videri voluit. Non ſcrutabor hîc diligentius, cur hoc Dianæ oraculum poſteris tam ignotum fuerit, [2] cum Fauni, Sibyllæ oracula, ac Præneſtinæ etiam ſortes, in tanta celebritate tum eſſent. Illud tantum quæro, qua lingua Diana reſpondit? [3] Si Latine, dicant, illud rogabo, quî *Brutus* intelligere potuit ſermonem nongentos circiter annos poſt ſe natum? Nam, cum Horatius, homo doctiſſimus, carmen Saliare, Numa Pompilio regnante compoſitum, fateatur ingenue ſe non intelligere, quomodo *Brutus* iſte, tot annos ante Salios inſtitutos mortuus, potuit intelligere carmina, diu poſt Horatium, ut orationis tenor indicat, facta? Item, quomodo *Bruti*, poſteri ſermonis Latini ita ſunt penitus obliti, ut ne tenue quidem veſtigium ejus apud eos remaneat? & unde eum, quo nunc utuntur, ſunt nacti? Aut ſi Britannice & Dii & homines tum in Italia ſunt locuti, certe non hoc, quo nunc Brittones utuntur, quippe qui ex vicinarum gentium linguis ita ſit conferruminatus, ut multæ nationes in eo ſua vocabula agnoſcant. Sin veteres illos Latinos locutos affirment Britannice, unde monachus ille tam veterem dictionem, bis mille annos ante datam, intellexit? Sed quid iſta minutius perſequimur? cum pluribus aliis argumentis appareat, eundem monachum, & hiſtoriam totam fabricaſſe, & *Brutum* iſtum, qui nunquam fuit, genuiſſe, & reſponſum Dianæ confinxiſſe. Quin carmen ipſum apponemus, ut male callidorum hominum ſe facilius prodat vanitas.

BRUTUS CONSULIT.

Diva potens nemorum, terror ſilveſtribus apris,
Cui licet anfractus ire per æthereos,
Infernaſque domos: terreſtria jura reſolve,
Et dic quas terras nos habitare velis.

Dic

1 *Homo nobilis qui.*] Vocem [*qui*] ad ſenſum omnino neceſſariam hic interſerendam putavimus. Potius tamen, ſi liceret, legendum cuperemus, *ut contemtu ſui Regiam effugeret crudelitatem.*

2 *Cum Fauni, Sibyllæ oracula.*] Forte legendum *Fauni & Sibyllæ oracula*, niſi (quod magis credibile videtur) a Buchanano ſcriptum ſit, *Fauni reſponſa, Sibyllæ oracula, ac Præneſtinæ ſortes*, quippe cujus animo forte obverſabatur illud Virgilii Æn. VII. verſ. 102.

Hæc reſponſa patris Fauni, monituſque ſilenti
Nocte datos, non ipſe ſuo premit ore Latinus.

3 *Si Latine dicant.*] Forte *Latina* legendum, cum præceſſerit, *Qua lingua.*

Dic certam ſedem, qua te [1] *venerabor in ævum,*
Qua tibi virgineis templa dicabo choris.

Reſpondit autem Diana verſibus ejuſdem generis, ut & ab eodem poëta facti videantur, non illis quidem obliquis, ambiguis & flexiloquis, ſed perſpicuis; quibus, quod nunquam datura erat, promittit, imperium videlicet orbis terrarum.

Brute, ſub occaſum ſolis, trans Gallica regna,
Inſula in Oceano eſt undique clauſa mari:
Inſula in Oceano eſt, habitata Gigantibus olim,
Nunc deſerta quidem, gentibus apta tuis.
Hanc pete: namque tibi ſedes erit illa perennis:
Hæc fiet natis altera Troja tuis.
Hic de prole tua Reges naſcentur, & ipſis
Totius terræ ſubditus orbis erit.

Ex hoc, opinor, carmine, cum ipſorum hiſtoriis collato, reliquum commentum deprehendi poteſt: nec id obſcure quidem. Nam, præter vanitatem utrinque promiſſorum, etiam inſulam non tum habitari, ſed habitatam aliquando fuiſſe, nunc vero deſertam eſſe, carmen aſſeverat. Ubi ergo hominum illa portenta, *Gogmagog*, & *Tentagol*, aliaque vaſtiora nomina, ad terrorem, dicam, an ludibrium conficta? Ubi præclara illa certamina *Corinæi*, aliorumque *Bruti* ſociorum, adverſus non terrigenas, ſed Dæmonigenas Gigantes?

IX. Hæc de *Bruto*, eique data dictione. [2] Horum adeo mendaciorum neque pœnitet neque pudet poſteros, ut, ante paucos annos, non ultimi nominis apud eos ſcriptor impudenter confinxerit, Trojanos Britannice locutos. Hujus ſententiæ impudentem vanitatem facile refellunt Homerus & Dionyſius Halicarnaſſeus; quorum ille omnibus Trojanis nomina dat Græca, alter longa & ſeria diſputatione contendit, Trojanos ab ultimis uſque primordiis genere Græcos fuiſſe. Illud vero prætereo, [3] [quod] cum in Angliam appuliſſet, cum non magno comitatu, quomodo intra viginti annorum ſpatium tria regna condiderit; & qui univerſi in primo adventu vix unius modicæ coloniæ numerum explere poterant, tam brevi inſulam, orbis maximam, non pagis modo & urbibus, ſed tribus regnis ampliſſimis, occuparint: quique paullo poſt, abundante multitudine, nec Britannia (ut videtur) eam capiente, Germaniam, regionem tam late fuſam, ceperint: incolaſque victos, in ſuum, non Britanni-

1 *Venerabor in ævum.*] In omnibus libris [*Veneremur*] legitur, ex ipſo autem Galfrido Monumetenſi, fabulæ hujus aut architecto aut tibicine, repoſuimus [*venerabor,*] quod & [*dicabo*] ſequenti verſu poſtulare videtur. Neque dubitavimus ex eodem auctore alia quædam in Dianæ reſponſo immutare.

2 *Horum adeo mendaciorum.*] Hæc in MS. deſiderantur uſque ad, *Illud vero prætereo*, &c.

3 *Quod cum.*] Illud [*Quod*] ſuperfluum videtur.

1 *Ut*

nicum, ſed Latinum nomen tranſire coëgerint; atque ab undeviginti illis fratribus, qui ne ipſiquidem Germani erant, (nam ſingulis fere ſingulæ matres erant,) Germaniam dici. Hoc nos commentum, tam ex omni parte abſurdum, non adduximus in medium, ut confutaremus, ſed [1] ut Germanis irridendum proponeremus.

X. Hæc in univerſum de commentis Brittonum dicta ſint. Conſilium autem fingentium non adeo mihi obſcurum videtur. Illa enim de Dæmonum cum puellis concubitu monſtroſa fabula illuc mihi pertinere videtur, ut *Brutum* ſuum cum duabus vicinarum gentium maximis vel cognatione jungeret, vel de nobilitate cum eis decertaret. Galli enim Cæſare, & Germani Tacito, auctoribus, a Dite patre ſe oriundos ferebant. Similis quoque videtur fuiſſe cauſſa fabulæ de *Bruto* fingendæ. Nam, cum in Epiro Buthrotii, in Sicilia aliquot populi, in Italia Romani, Campani, Sulmonenſes, in Gallia Arverni, Ædui, Sequani, & poſterius Franci, Trojanorum neſcio quos conditores laudarent; Britannicarum rerum ſcriptores, ad ſuæ gentis nobilitatem exornandam, non parum ſibi collaturi videbantur, ſi ex antiquitatis arcanis ejus peterent primordia; idque potiſſimum a Trojanis, vel ob urbis claritatem omnium gentium literis celebratam, vel ob cognationem cum tot nationibus, quæ ex eodem illo velut naufragio prodiiſſe dicerentur. Neque arrogans id mendacium viſum iri exiſtimabant, ſi illius cum tot gentibus communicatæ nobilitatis ipſi in parte aliqua hærerent. Hinc opinor illud de *Bruto* commentum, aliaque antiquiora, non minus ſtulte recepta, quam impudenter ficta: quarum omnium rerum ut vanitas [2] argueretur, ſatis fortaſſe fuiſſet admonere, vetuſtis ſcriptoribus ignota fuiſſe, literis florentibus in lucem prodire non auſa, [3] emorientibus demum nata, ab adulatoribus indoctis prodita, ab hominibus craſſis, & nimium credulis, qui fingentium fraudem non intelligerent, recepta. Impeſtorum enim iſtorum, qui non ex hiſtoriæ veritate communem utilitatem, ſed ex adulatione privatum aliquem fructum petunt, hujuſcemodi eſt ingenium, ut, cum vehementiſſime videntur laudare, tum maxime irrideant. Quid enim aliud iſti faciunt, qui, quorum ornare ſe ſimulant nobilitatem, eam, ut clarius ſplendeſcat, de totius naturæ colluvione petunt? &

ea

1 *Ut Germanis irridendum proponeremus.*] Ita conſtanter libri omnes; ego vero aut animi fallor, aut a Buchanano ſcriptum eſt [*propinaremus*] ad exemplum Terentii. Eunuch. V. 10. 39.

Hunc comedendum & deridendum vobis propino.

[Ita vulgo utuntur hac Terentiana phraſi. ſed ſaniori judicio Buchananus *proponeremus*: verbum enim *propinare* ridiculi gratia Terentius tribuit Gnathoni, qui cum ejus animus in patinis & poculis eſſet, παρὰ προσδοκίαν ſpectatoribus, qui aliud verbum exſpectabant, aptum arti ſuæ paraſiticæ hoc ſubjicit vocibus, quibus proprie illud reſpondere non poterat. ſed non ideo extra ſcenam aut jocum licere puto ex Comicis tales locutiones transferre in hiſtoricum ſtilum. videas tamen paſſim etiam viros doctiſſimos Plautinis etiam ſalibus, quos ille certis perſonis adtribuit, abuti in rebus gravibus. fruantur, per me licet, hac doctrinæ abſurdæ affectatione, nobis modo ſanior mens ſit.]

2 *Argueretur.*] MS. *coargueretur.*

3 *Emorientibus.*] Ita MS. & Edinb. alii omnes perperam duabus vocibus *e morientibus.*

ea generis claritate, homines creduli, dicam, an ſtolidi, ſibi placent, quam nulli finitimorum eis invident?

XI. Qui Scotorum res literis prodiderunt, honeſtiorem, ut ipſis viſum, originem ediderunt: ſed nihilo Brittonum nobilitate minus fabuloſam. Non enim e Trojanorum profugis reliquiis, ſed e Grajis illis heroibus, quorum poſteri Trojam everterunt, majores nobis adoptarunt. Nam cum Græcorum, priſcis illis temporibus, duo maxime genera celebrarentur, Dores & Iones, ac Dorici generis principes eſſent Argivi, Ionici vero Athenienſes; Scoti principem ſuæ gentis conditorem *Gathelum* quendam faciunt: quem Argi, an Cecropis, eſſe filium mallent, incertum reliquerunt. Ac, ne Romanorum in hac parte cederent claritati, validam ei latronum adjecerunt manum: cum qua profectus in Ægyptum præclaras res geſſiſſe dicitur, copiiſque Regiis poſt Moſis diſceſſum fuiſſe præfectus: deinde, cum uxore Scota, Regis Ægyptii filia, totum Europæ littus ad mare internum pertinens circumnavigaſſe. Ac, præteritis tot regionibus, illa ætate deſertis, aut certe raris in locis & paucis habitatis, Græcia, Italia, Gallia, totoque Africæ littore, (ut omittam interim tot maris interni inſulas) alii eum ad Iberi amnis oſtium exponunt; eoque agro, quem tenere non poterat, relicto, in Gallæciam, regionem multo ſteriliorem, traducunt: alii Oceanum, primum, ut arbitror, mortalium, claſſe ingredi auſum, ad Durii fluminis oſtium exponunt: eoque in loco celebre oppidum condidiſſe volunt, quod de nomine ejus *Portus Gatheli* nunc vocetur: [1] unde univerſam regionem, quæ a Luſo & Luſa Bacchi filiis diu Luſitania fuerat appellata, *Portugalliam* dici cœpiſſe. Deinde, coactum illinc in Gallæciam penitus abire, Brigantiam ibi exſtruxiſſe, quæ nunc Compoſtella vocetur: Bracaram item ab eo ad Mundæ amnis oſtium conditam.

XII. Hæc de origine ſuæ gentis fabuloſe tradunt Scoti: in quibus fingendis, quam noſtri parum circumſpecti fuerint, vel hinc æſtimare licet; quod Græco illi *Gathelo*, ſcriptoribus Græcis ignoto, ne Græcum quidem nomen dederint: quod urbi a ſe conditæ Latinum a portu nomen, potius quam Græcum, dederint, præſertim illa ætate, qua Græcorum pauciſſimis Latium ipſum fuit cognitum: quod dubitant, Argine an Cecropis fuerit filius, cum Cecropem Argus prope centum annis anteceſſerit: quod is, qui inter homines omnium ingenioſiſſimos tantum prudentia præſtitiſſet, ut ſecundum a Rege locum teneret, ut Moſi profugo ſufficeretur, ut peregrinus Regiis honoraretur nuptiis; relicta regione totius orbis fertiliſſima, tot prætervectus dextra lævaque continentis utriuſque terras, tot inſulas, proventu frugum omnes, aëris temperie pleraſque, inſignes, Cretam, Siciliam, Corſicam, Sardiniam, quæ illa ætate ab agreſti hominum genere tenebantur verius quam colebantur, in Oceanum, etiam ipſo no-

1 *Unde univerſam regionem.*] Palam eſt Buchananum, aut ejus potius amanuenſem hîc dormitaſſe, in omnibus enim libris [*univerſæ regioni*] legitur, cum quibus quæ ſequuntur quadrare nequeunt; aut igitur ſcriptum oportuit, *unde univerſæ regioni* ——— *Portugalliæ nomen inditum fuiſſe*, aut, uti nos leviore mutatione contenti, *unde univerſam regionem* ——— *Portugalliam dici cœpiſſe.*

1 *Pre-*

nomine formidabilem, eruperit, præſertim cum homines adhuc non magnum rei nauticæ uſum haberent; *Portugalliam*, ſeu *Portum Gatheli*, urbem condiderit ad Durium, cujus urbis nomen nuſquam reperitur ante Saracenorum in Luſitania dominatum; Bracaram etiam ædificarit, ad Mundæ fluminis oſtium, cum inter Bracaram & Mundam interſint multa paſſuum millia, interjectis etiam duobus claris amnibus, Durio & Vacca, Bracaraque omnino maritima non ſit. Subit & illud quærere, qui fiat, ut *Gathelus*, homo Græcus, & illuſtri loco natus, & rebus geſtis clarus, cum e gente eſſet ambitioſiſſima, in ſui nominis memoria prodenda poſteris, magnoque comitatu in extremas orbis totius oras, &, ut tum res erant, prope incultas & barbaras, vectus, oppida condiderit, nulli tamen eorum non modo ſuum, ſed ne Græcum quidem nomen impoſuerit. *Portugalliæ* enim nomen, aut (ut illi malunt) *Portus Gatheli*, tot vetuſtis ſcriptoribus, qui ex profeſſo terrarum & locorum nomina ſibi ſcribenda ſumſerunt, ignotum, ante quadringentos annos celebrari cœptum eſt. Neque minus de iſtius *Gatheli* adventu in Hiſpaniam ſuſpecta eſt omnium Græcorum & Latinorum taciturnitas, præſertim cum Phœnicum, Perſarum, Pœnorum, Iberorum, Gallorum, & comitum Herculis & Bacchi, qui in Hiſpaniam advenerint, frequens & illuſtris mentio ſit apud veteres. Sed noſtri fabulatores, opinor, monumenta veterum non legerunt: alioqui enim, quando illis e Græcia conditorem gentis, & ſuæ nobilitatis auctorem, educere viſum erat, nunquam commiſiſſent, ut hominem potius ignobilem ſibi comminiſcerentur, quam ad Herculem & Bacchum, omnium gentium monumentis celeberrimos, ſuum genus referrent.

XIII. Hæc fere de origine ſuæ gentis a noſtris traduntur: quæ ſi cui pluribus, quam res poſcat, proſecutus eſſe videar, is velim ex adverſo conſideret, quam pertinaciter quidam hæc, tanquam Palladium cœlo demiſſum, propugnent. Id ſi fecerit, non dubito, quin adverſariorum pervicacia ſit eum nobis minus iniquum reddituга. De reliquis gentibus, quæ in hanc inſulam poſterius venerunt, & domicilio locum ceperunt, *Pictis*, *Saxonibus*, *Danis*, *Normanis*, quoniam eorum hiſtoria nihil monſtri continet, poſterius commodiore loco dicemus. Hæ vero duæ nationes (quarum meminimus) e Galliis mihi videntur oriundæ. Id cur ita eſſe exiſtimem, adjiciam; ſi pauca prius de antiquis Gallorum inſtitutis dicam. Gallia omnis, quanquam eſt frugum ferax, tamen & eſt, & fuiſſe dicitur, hominum feracior: adeo ut, Strabone teſte, Celtarum, quæ tertia pars eſt Galliæ, inventa ſint trecenta millia, eorum duntaxat, qui arma ferre poſſent. Itaque, cum in agro, quamvis fertili, multitudine tamen laborarent ſua, ad eam minuendam permiſſum fuiſſe creditur, ut puerorum amoribus indulgerent. Hac tamen ratione cum non ſatis proviſum adverſus inopiam agri videretur, [1]prægravante adhuc turba liberorum capitum; ſæpe decreto publico, interdum privatis conſiliis, ad exhauri-

1 *Prægravante adhuc turba liberorum capitum.*] Liv. lib. XXII. cap. 57. *Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac neceſſitas dedit.* Et lib. XXVI. cap. 47. *Liberorum capitum virilis ſexus ad decem millia capta.*

1 *Gal-*

riendam domi multitudinem, in omnes circumcirca regiones frequentes colonias emiſerunt: in Hiſpaniam autem, ut inde incipiam, tam frequentes, ut Ephorus, teſte Strabone, Galliæ longitudinem ad Gades uſque porrexerit. Et certe totum latus Hiſpaniæ, ad ſeptentriones verſum, populorum & gentium nominibus diu [1] Gallicam teſtata eſt originem. Primi autem nobis occurrunt Celtiberi, apud Lucan. IV. 9.

——— profugique a gente vetuſta
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Hi tam late ſuos fines propagaverunt, ut quamvis aſperam regionem, nec alioqui frugiferam, incolerent, tamen M. Marcellus ſexcenta talenta tributi nomine ab eis exegerit. Sunt etiam a Celtis, aut Celtiberis, oriundi Celtici ad Anam fluvium, Ptolemæo Bætici cognominati; & Celtici alteri, in Luſitania, Anæ propinqui: &, ſi Pomponio Melæ, homini Hiſpano, credimus, a Durii fluminis oſtio, ad promontorium uſque, quod ſive Celticum ſive Nerium vocant, Celtici colunt cognominibus diſtincti, nempe Grovii, Præſamarci, Tamarici, Nerii: ac cæteros quoque Gallæcos a Gallica origine non abhorrere nomen gentis indicat. Ab altera parte, transierunt e Galliis in Italiam, Ligures, Libui, Salaſſi, Inſubres, Cenomani, Boji, Senones, & (ſi nonnullis ſcriptoribus antiquis credimus) Veneti. Hæ gentes quam late dominatæ ſint in Italia, cum nemini, paullum modo in hiſtoriarum lectione verſato, ſit ignotum, non habeo neceſſe explicare. Sed nec inquiram diligentius, quantæ Gallorum manus, vel in Thracia conſederint, vel ex ea egreſſæ, Macedonia Græciaque proculcata, in Bithyniam transierint, regnaque Gallogræcorum in Aſia condiderint, quando ad noſtrum inſtitutum ea res non magnopere pertinet.

XIV. Ad Germaniam feſtinat oratio: ac de coloniis in ea Gallicis locupletiſſimos habeo auctores, C. Julium Cæſarem, & C. Cornelium Tacitum. Ille enim, in Commentariis belli Gallici, ſcribit, quodam tempore Gallos Germanis habitos fuiſſe fortiores: itaque Tectoſages, fertiliſſimam Germaniæ partem circa Hercyniam ſilvam tenuiſſe: & Boëmi, ut alter affirmat, ipſo nomine conditores ſuos Bojos indicant. Et propiora inter Menum & Rhenum amnes aliquando Helvetii tenuerunt: & Gallicæ originis etiam fuere Decumates trans Rhenum, & ad Danubium Gothini, quos Claudianus Gothunnos vocat, Arrianus, in vita Alexandri, Getinos, Flavius Vopiſcus, in Probo, Gautunnos appellat. Sed & Gothunnos inter Getas Claudianus recenſet, & Stephanus putat Getas ab Arriano Getinos dici: ut fortaſſe ne Getæ quidem ipſi a Gallica gente alieni fuerint; quandoquidem certum eſt, multas gentes Gallicas in Thraciam profectas eſſe, atque etiam reſediſſe in ea parte, quam Getæ tenuiſſe dicuntur. Gothinos quoque ætate ſua Tacitus ait ſermone Gallico fuiſſe uſos.

Cimbri

1 *Gallicam teſtata eſt originem*] Ita omnes libri, in conſtructionis normam manifeſte peccantes; [*teſtatum*] enim dici oportebat, niſi quod hoc duriuſculum nec Buchanani ſtylo ſatis dignum videatur, quem, ſi hoc παρόραμα advertiſſet, aliter totam ſententiam conſtituere voluiſſe a veriſimili non abhorret.

1 *In-*

Cimbri quoque, teſte Philemone, & (ſi Tacito credimus) Æſtii ad mare Suevicum, ubi ſuccinum legitur, habitantes, tum locuti ſunt Britannice, qui ſermo erat idem cum Gallico, aut non multum ab eo diverſus. Sunt & alia plurima Gallicarum per Germaniam coloniarum veſtigia, quæ non gravate perſequerer, niſi quæ dicta jam ſunt, abunde ad noſtrum inſtitutum facerent, nempe ut oſtendam, quam late Gallia circa Britanniam ſuas diffuderit colonias. Quid ergo Britannia? quæ nec magnitudine, nec viribus, nec rei militaris peritia, nationes illas æquabat? eane, tam vicina Gallorum fortiſſimis, nec aëris clementia, aut ſoli fœcunditate, propinquis regionibus inferior, nullos exteros colonos accepit? Imo, ut Cæſar & Tacitus aſſeverant, complures; ut autem ego contendo, veteres cultores univerſos. Tres enim antiquitus gentes, ut ſatis conſtat, totam inſulam tenuerunt, *Brittones*, *Picti* & *Scoti:* de quibus deinceps dicemus.

XV. Atque ut a *Brittonibus*, qui latiſſime in Albio regnarunt, exordiar, primus (quod ſciam) C. Julius Cæſar aliquid certi de eis prodidit. Is interiores incolas indigenas putat: ideo, credo, quod diligentius perquirendo, nihil de primo eorum adventu compererat: nec ulla tum erant apud eos monumenta literarum, unde id diſci poſſet. *Maritima inſulæ*, ait lib. v. de Bell. Gal. 12. *teneri a Belgis, quos ſpes prædæ illexerat, agri fœcunditas & cœli clementia detinuerat.* Ejus rei argumentum putat, quod plerique civitatum, unde venerant, nomina retinebant: quod ædificia Gallicis eſſent ſimilia. Addit Cornelius Tacitus, auctor graviſſimus, in Vita Agric. cap. XI. *mores non eſſe diſſimiles, parem & in periculis depoſcendis audaciam, & in* [1] *defugiendis formidinem, magnas utrinque factiones, magnas clientelas fuiſſe.* Denique ſua ætate talem eſſe Britanniam, qualis ante adventum Romanorum fuerat Gallia. Adjicit præterea Pomponius Mela lib. III. cap. 6. *in bello Britannos equitatu, bigis, curribus,* [2] *Gallico armatu, dimicare.* Beda quoque, omnibus, qui fabuloſa de Britannorum origine ſcripſerunt, & ætate major, & auctoritate prior, primos inſulæ cultores ex Armorico tractu veniſſe affirmat. Ab his non diſſentiunt quidam Græcorum [3] Grammatici, qui *Britannos* a *Britanno* Celtûs filio nomen accepiſſe tradunt. In eo certe conſentiunt, quod e Gallia eos intelligi voluerunt oriundos. E recentioribus huic ſententiæ ſubſcribunt, Robertus Cœnalis, &, in vita Diocletiani, Pomponius Lætus, minime ſpernendus auctor: uterque, opinor, vi veritatis coactus. In hoc tamen uterque mihi videtur errare, quod eos e Brittonum peninſula ad Ligerim, quæ nunc Britannia vulgo vocatur, educat: præſertim cum maritimæ Britannorum coloniæ, ipſis (ut Cæſar ait) nominibus, teſtentur, unde demigraverint.

XVI. Sequitur ut de Gallicis coloniis in Hiberniam miſſis agamus. Jam ante oſtendimus, totum latus Hiſpaniæ, quod ad ſeptentriones exporrigitur, Gal-

1 *In defugiendis.*] [*Detrectandis* in Tacito legitur.]

2 *Gallico.*] [In editis legitur, *Gallice armati dimicant.* Ego Buchanani lectionem præferrem.]

3 [Etymologici M. auctor Britannos a Celto, Britanni (vel Βρεττάνου) filia dictos eſſe vult.]

Gallicis colonis occupatum fuiſſe. Ex Hiſpania vero cauſſas in Hiberniam commigrandi video complures fuiſſe. Nam vel in Hiberniam eos pertraxiſſe videri poteſt facilis e propinquo trajectus, vel domo expuliſſe immoderata imperia Perſarum, Phœnicum & Græcorum, in Hiſpanos, bello ſuperatos, & propter infirmitatem eis obnoxios: item inter Hiſpanos ipſos, e multis nationibus homines inter ſe male coaleſcentes, & ſtudium libertatis, & fuga ſervitutis, inter motus civiles, & novas rerum perturbationes, in gente belli avida ſubinde exorientes. Has migrationum cauſſas qui expendet, non mirabitur, opinor, ſi plerique fortunam, quamvis tenuem, foris, modo cum libertate conjunctam, domeſticæ, & quidem acerbæ, ſervituti prætulerint. Retinuit autem illuc advectos turbulentior indies rerum Hiſpanicarum ſtatus, nunc Carthaginienſibus, nunc Romanis, omnia ſervitutis mala in bello ſuperatos exercentibus; & multos præterea ad eandem malorum fugam compulit: præſertim cum Hiſpani tum nullam aliam vicinam regionem haberent, in quam, aut rebus domi florentibus exuberantem multitudinem emitterent, aut unde rebus adverſis calamitatum perfugium peterent. Retinuit & aëris clementia: eſt enim, ut ait Cæſar, *cœlum Britannicum Gallico temperatius:* Hibernicum autem ſolum amœnitate, & cœlum temperamenti æquabilitate, longe Britannicum ſuperat. Præterea homines, in ſolo aſpero nati & educati, otio, ut ſunt omnes Hiſpani, dediti, ad paſcua fere totius Europæ uberrima traducti, ſeſe libenter e domeſticis tumultibus in ſinum externæ pacis recondebant.

XVII. Sed nec gentis cujuſque de ſuis majoribus opinionem, quæ veriſimilibus conjecturis innititur, & teſtimonio vetuſto confirmatur, repudiandam exiſtimo. Nam Cornelius Tacitus occidentale latus Britanniæ, ſive Albii, a poſteris Hiſpanorum coli, certa, ut ipſi videtur, conjectura, affirmat. Veriſimile autem non eſt, Hiſpanos, relicta a tergo Hibernia, terra propiore, & cœli & ſoli mitioris, in Albium primum deſcendiſſe, ſed primum in Hiberniam appuliſſe, atque inde in Britanniam colonos miſſos: quod & SCOTIS contigiſſe omnes eorum annales affirmant, & Beda libro primo teſtatur. Scoti enim omnes Hiberniæ habitatores initio vocabantur, uti indicat Oroſius. Nec ſemel Scotorum ex Hibernia tranſitum in Albium factum noſtri annales referunt: ſed primum, duce Ferguſio Ferchardi filio: deinde, poſt aliquot ætates, domo pulſos in Hiberniam rediiſſe, atque denuo duce Reuthero in Britanniam reverſos: poſt etiam, regnante Ferguſio Secundo, magna auxilia Scotorum Hibernicorum miſſa, quibus ſedes in Gallovidia ſint datæ. Et Claudianus ætate ſua auxilia illinc adverſus Romanos transmiſſa indicat: ait enim, lib. II. de Laud. Stilich. 251.

—— totam cum Scotus Iernam
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys.
Et IV. Conſ. Honor. 33.
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.

Principio autem, cum utrique, id eſt, Hiberniæ incolæ, & coloni eorum in Albium miſſi, *Scoti* appellarentur, ut diſcrimine aliquo alteri ab alteris diſtingue-

guerentur, initio cœpere alteri *Scoti Ierni*, alteri *Scoti Albini*, vocari: ac paullatim utrinque cognomenta loco nominis uſurpata effecerunt, ut vetus nomen *Scotorum* prope oblivioni daretur, ac non ex uſu loquendi, ſed annalium memoria, repeteretur.

XVIII. Quod ad nomen PICTORUM attinet, non patrium & vetus id eis fuiſſe arbitror, ſed a Romanis ex re datum, quod corpora cicatricibus haberent inſcripta, quod & verſus Claudiani [1] indicat, III. Conſ. Honor. 54.

Ille leves Mauros, nec falſo nomine Pictos,
Edomuit, Scotumque vago mucrone ſecutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas.

Item de Bello Getico 416.

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroque notatas,
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Herodianus quoque lib. III. cap. 14. de eadem gente, ſed nomine tacito, loquens, hanc pingendi rationem, niſi quod ferri non meminit, dilucide exprimit. *Neque*, ait, *veſtis uſum cognorunt, ſed ventrem atque cervicem ferro incingunt: ornamentum id eſſe, ac divitiarum argumentum exiſtimantes, perinde ut aurum cæteri barbari. Quin ipſa notant corpora pictura varia, & omnifariam formis animalium: quocirca ne induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant.* Quo vero nomine ſeſe ipſi [2] nuncuparent, in re tam vetuſta difficile dictu eſt. Vicinæ certe nationes in eorum nomine parum ſecum conſentiunt. Nam Brittones PICHTIADES, Angli PICHTOS, Scoti priſci PEACHTOS eos appellant. Locorum vero quorundam nomina, quæ quondam Picticæ ditionis fuerant, nunc vero a Scotis tenentur, diverſam ab omnibus appellationem oſtendere videntur. Nam Penthlandici montes, & fretum Penthlandicum, a Pentho, non a Picto, compoſita videri poſſunt. Sed hæc nomina poſterioribus temporibus, ab Anglis, aut certe Scotis Anglicum ſermonem uſurpantibus, indita fuiſſe crediderim. Eorum enim apud priſcos Scotos nec intellectus nec uſus eſt ullus.

XIX. De nomine vero Pictorum utcunque ſe res habet, ſive Romani vocabulum barbarum in propinquam vocem Latinam tranſtulerint, ſive Barbari Latinam ad ſui quiſque ſermonis ſonum & declinationem proxime accommodaverint, ego certe in magno non ponam diſcrimine. Sed quando de nomine conſtat, & ab orientali cœli plaga, alii e Scythia, alii e Germania, eos in Britanniam appuliſſe rerum ſcriptores fatentur, reſtat, ut veſtigia perſequentes, conjecturis, ſi fieri poteſt, ad veritatem perveniamus. Neque aliud certius veſtigandi initium video, quam a corporis illa pictura. Pingebant autem Britanni, Arii in Germania, & Agathyrſi, corpora: ſed, ut in bello terribiliores hoſti apparerent, ſuccis modo herbarum ſe inficiebant. Sed cum Picti

1 *Indicat.*] An potius *indicant*?
2 *Nuncuparent.*] Mallem *nuncuparint*.

cti ferro cutem variarent, ac diverſorum animalium figuris inſcriberent, verius erit quærere, quæ gentes, vel in Scythia, vel Germania, regionibuſque vicinis, certo illo pingendi corpora inſtituto, non ad terrorem, ſed ad decorem, uterentur. [[1] obſervare.] Occurrunt autem in Thracia, ut Virgilio placet, Geloni, de quibus Claudianus libro primo adverſus Rufinum, verſu 313.

Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe, Gelonus.

Occurrunt apud eundem poëtam in Thracia Getæ, Bell. Get. 481.

Crinigeri ſedere patres, pellita Getarum
Curia, quos plagis decorat numeroſa cicatrix.

Igitur, cum Geloni Virgilio III. Georg. 461. ſint Getis vicini, & vel Gothunni, vel Getini juxta Arrianum, Getis annumerentur, quid vetat, cum, juxta Tacitum de Morib. Germ. cap. XLIII. Gothunni Gallice loquerentur, hinc credere Pictos oriundos? Verum e quacunque natione Germanica advenerint, mihi fit veriſimile, eos fuiſſe de veteribus Gallorum colonis, qui vel ad [2] mare Suevicum, vel Danubium, ſedes habuerunt. Gallici enim generis homines, cum a Germanis alienigenæ, ut erant, haberentur, eorum puto nomen in contumeliam abiit, adeo ut uno vocabulo WALSCH, Gallum, peregrinum, & barbarum, indicent. Ideoque, ſive a vicinis ejecti, ſeu tempeſtatum vi adacti fuerint, facile majores Pictorum Scotis fuiſſe conciliatos puto, atque ab eiſdem, ut traditur, adjutos, ut homines cognatos, ejuſdem fere linguæ, nec diſſimilium rituum: eoque facile impetratum, ut ſanguinem miſcerent, connubiiſque prope in unam gentem coaleſcerent. Alioqui enim non video, quomodo Scoti, qui tum Hiberniam tenebant, homines feri & inculti, peregrinos, omnium rerum egenos, ac tum denique viſos, nullo legum, ſacrorum, aut linguæ commercio conjunctos, tot neceſſitatibus circumventos, in jus affinitatis, ac prope omnium rerum ſocietatem, tam facile aſciviſſent.

XX. Hîc nobis nonnihil obſtare videtur Bedæ Anglo-Saxonis auctoritas, qui unus (quod ſciam) Pictos a Scotis diverſa lingua prodit uſos. Ait enim, de Britannia loquens, *eam quinque linguis, unam eandemque ſummæ veritatis & veræ ſublimitatis ſcientiam ſcrutari & confiteri, Anglorum, Brittonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum.* Bedam autem ego opinor pro quinque dialectis quinque linguas dixiſſe: quod a Græcis in re ſimili factum videmus; item a Cæſare, in exordio Commentariorum belli Gallici: tres enim Galliæ partes linguis moribuſque diverſis eſſe uſas ait. At Strabo, ut Aquitanos a cæteris lingua diſcretos eſſe confitetur, ita reliquos Gallos eadem lingua, ſed paullum variata, uti. Sed nec Scotos a Brittonibus toto ſermone, ſed dialecto potius, diſcrepaſſe arbitror, uti poſterius dicam: cum nunc etiam tam in ſermone conſentiant, ut eodem aliquando uſi fuiſſe vi-

1 *Obſervare.*] Supervacanea hæc vox videtur, atque a Buchanano fruſtra adjecta, utpote oblito ſe prius idem fere voce [*quærere*] ſignificaſſe.

2 *Mare Suevicum.*] Ita Tacitus Germ. cap. 45. *mare Balticum* appellat.

1 *Cor-*

videantur, minuſque inter ſe differant, quam quædam Gallicæ nationes, quæ omnes Gallice loqui dicuntur. Itaque cæteri ſcriptores ne diverſi quidem ſermonis ullam ſuſpicionem faciunt: & ipſi, quamdiu regnum utrumque ſtetit, velut unius gentis homines, matrimonia ſemper inter ſe contraxerunt: ac initio mixti, deinde vicini, ac ſæpius amici fuerunt, uſque ad Pictorum excidium. Sed nec eorum reliquiæ (quas exſtincta militari ætate multas fuiſſe oportet) ulla ex parte Scotorum linguam [1] corruperunt: ac ne in eis, quas reliquerunt, ſedibus, ullum peregrini ſermonis veſtigium remanſit. Omnes enim Pictorum regiones, ac ſingula etiam loca, Scoticas appellationes hodie retinent, præter admodum pauca, in quibus, prævaleſcente ſupra patriam Saxonica lingua, Germanicæ originis nomina ſunt impoſita. Nec illud omittendum, quod, ante Saxonum in Britanniam adventum, nunquam ullas Britannicas nationes inter ſe interpretibus uſas legamus. Igitur, cum uno conſenſu Scoti, Angli & Germani ſcriptores, Pictos e Germania oriundos ferant; conſtetque Gothunnos, ſive Getinos, Gallorum fuiſſe colonos, & Gallice locutos, & Æſtios ad mare Suevicum Britannice: unde potius exiſtimem Pictos prodiiſſe? aut quo, ſedibus ejectos, niſi ad cognatos contendiſſe? aut unde potius connubia impetraturos, quam a populo, ſanguine, lingua, moribus, ſibi conjuncto?

XXI. Quod ſi Pictos a Gothunnis, aut Æſtiis, aut Getis, neget aliquis oriundos, propter earum regionum longinquitatem, is ſecum cogitet, quot & quantæ migrationes in omnes partes factæ ſint illis temporibus, in quæ Pictorum adventus in Britanniam eſt conjectus, ac deinceps multis ſeculis; intelliget, opinor, [2] nihil horum non modo fieri, ſed etiam facile fieri potuiſſe. Gal-

1 *Corruperunt.*] Libri omnes *corruperint.*

2 *Nihil horum non modo fieri, ſed etiam facile fieri potuiſſe.*] Fruſtra eſt Craſordius, qui legendum vult, *Nihil horum non modo fieri, ſed etiam facile fieri non potuiſſe*, vel, *Nihil non horum non modo fieri, ſed etiam facile fieri potuiſſe.* Prior autem ejus emendatio Buchanani ſententiam plane deſtruit, uti cuivis totum hunc paragraphum, ultima præſertim ejus verba, vel minimum attendenti palam eſt. Ad ſecundam quod attinet, dubium quidem non eſt, quin ex iis quæ mox adducit exemplis id colligere voluerit Buchananus, *nemini difficile propter regionum longinquitatem videri debere, Pictos a Gothunnis, aut Æſtiis aut Getis fuiſſe oriundos:* etenim ſic potius ſententia erat reſtituenda, *Nihil horum non modo non fieri, ſed etiam facile fieri potuiſſe.* Sed nulla prorſus correctione opus, apud probatiſſimos enim auctores in ejuſmodi ſententiis [*non modo*] pro [*non modo non*] ſæpiſſime accipi, adeoque poſteriorem negationem eleganter reticeri monſtravit Tho. Linacrus lib. 6. De Adverb. Ellipſi, veluti, Cic. pro Sext. *Quum illi ſoli eſſent præter illum flagitioſum tribunum plebis duo reipub. turbines, qui non modo præcipitanti patriæ ſubvenirent, ſed etiam nimis tarde concidiſſe mererent*, i. e. *non modo non ſubvenirent.* Vide & alia apud Linacrum exempla. Livio autem, quem in Hiſtoria ſcribenda noſter præcipue ſequutus eſt, id longe frequentiſſimum eſt. Sic. lib. 1. cap. 40. *Regnare Romæ advenam, non modo civicæ, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis.* lib. 22. cap. 28. *Ager non modo ſilveſtre quicquam, ſed ne vepribus quidem veſtitum habebat.* lib. 23. cap. 29. *Aſdrubalique non modo in Italiam traducendi exercitus, ſed ne manendi quidem ſatis in Hiſpania ſpem reliquit.* Ibid. cap. 42. *Te ſalvo atque incolumi amico, non modo populum Romanum, ſed ne Deos quidem iratos (ſi dici fas eſt) timeremus.* lib.

Galli Hiſpaniæ, Italiæ, Germaniæ, & Britanniæ bonam magnamque partem coloniis occuparunt: ad Mæotida & Cimmerium [1] Boſporum populando ſunt progreſſi: Thraciam, Macedoniam & Græciam pervaſtantes, in Aſia conſederunt. Cimbri, Ambrones & Teutones, Galliam deprædati, in Italiam penetrarunt. Geloni, qui Virgilio in Thracia collocantur, apud cæteros fere ſcriptores, vicini in Scythia ſunt Agathyrſis. Gothi, obſcura diu natio, diluvii inſtar, brevi tempore Europam, Aſiam, Africam, inundarunt. Multis igitur deinceps ſeculis, dum ferociores finitimorum ſibi ſedes vindicabant, infirmiores potentiorum injuriis obnoxii, patriam, quam retinere nequibant, linquunt; ſi homines, diu cum fortuna colluctati, atque incertis ſedibus per varios errores jactati, ſe in longinquas regiones tandem aliquando contulerunt, nihil, opinor, apud rerum peritos admirationis res habere debet.

XXII. Duas præterea nationes vetuſtas, a ſcriptoribus Romanis collocari videmus, intra eos limites, quibus regna Scotorum & Pictorum aliquando claudebantur, *Mæatas* & [2] *Attacottos*. Ex his *Mæatas*, quos Dion unus (quod ſciam) nominat, Picticæ gentis fuiſſe reor; quando eos in agris Caledoniis proximis conſtituit, quos agros certum eſt Pictos tenuiſſe. *Attacottos* ex Marcellino lib. XXVI. 4. apparet fuiſſe ex eis, qui aliquando vallo Hadriani excluſi, poſtea prolatis imperii finibus, ad Severi vallum uſque intra provinciam ſint comprehenſi: quoniam in libello, *De caſtrenſibus officiis Romanorum per provincias*, inter externa auxilia reperio cohortes aliquot *Attacottorum*, ſicut & *Brittonum*: quo magis miror, audaciam, dicam, an ſtuporem Luddi: audaciam, qui *Attacottos* fuiſſe Scotos, ſed nullo prorſus auctore aut conjectura veriſimili, affirmet: ſtuporem, quod in loco, Marcellini a ſe citato, Scotos ab Attacottis ſeparari non videat. Inquit enim Marcellinus, *Picti, & Saxones, Scoti, & Attacotti, Britannos ærumnis vexavere continuis.* Pari ſtupore ab eo factum eſt, ut contendat Caledonios e Brittonum gente fuiſſe, qui planiſſime Pi-

24. cap. 33. *Et jam non modo pacis, ſed ne belli quidem jura relicta erant.* lib. 28. cap. 29. *Ut non modo ferocior vox adverſus atrocitatem pœnæ, ſed ne gemitus quidem exaudiretur.* Et lib. 25. cap. 26. *Poſtremo ita aſſuetudine mali efferaverant animos, ut non modo lacrymis juſtoque complorata proſequerentur mortuos, ſed ne efferrent quidem, aut ſepelirent:* in quem locum vide Car. Sigonium. [recte: vid. Boſ. ad Cicer. ad Att. IV. 2. & XIV. 2. Gronov. ad Liv. XXV. 26. Græv. ad Ciceron. pro Quinct. 4. Muret. var. lect. X. 7. & quos non?]

1 *Boſporum.*] Ita omnino ſcribendum extrita *h* litera, dictus enim a Βοὸς πορεία, *meabili bovis tranſitu.*

2 *Attacottos.*] Libri omnes *Attacottas*: ſed in hoc aliiſque quam plurimis populorum & locorum nominibus Buchanano impoſuerunt vitioſæ priſcorum auctorum editiones, prius ſcil. quam conſpirante doctorum induſtria veterum ſcripta eſſent redintegrata. Nos vero hic & alibi optimorum fere codicum fidem ſumus ſecuti, præterquam iis in locis, quibus Buchanani rationibus repugnare videbantur: quod & hic ſemel monuiſſe ſuffecerit, ne variantium lectionum farragine lectori faſtidium crearemus. [Puto tamen rectius auctoribus ſuam ſcribendi formam relinqui. præſertim in nominibus, quæ tam varie in MSS. leguntur. eam enim lectionem prætuliſſe unusquiſque videtur, quam expreſſit.]

1 *Qui*

Picti fuerunt: quod perſpicue Luddus, teſtimonio ex Panegyrico, qui dictus fuit Conſtantino, adverſus ſe prolato, demonſtrat. Inquit enim orationis auctor, Eumen. Paneg. Cōſtant. cap. VII. *Caledonum, & aliorum Pictorum ſilvas.* Id teſtimonium ille, qua ſtultitia eſt, pro ſe produxit: &, quo ſtupore eſt, non contra ſe facere animadvertit. Quod ſi vocem inſpiciamus, ea linguæ Scoticæ eſt: CALDEN enim Scotis ea arbor eſt, quæ Latinis corylus dicitur: unde & *Caledoniæ* ſilvæ nomen reor inditum, & *Caledoniorum* oppidum, ad Taum amnem ſitum, *Duncalden* adhuc vocatur, hoc eſt, corylorum tumulus. Et ſi adverſus conſenſum omnium Ptolemæi codicum, mihi aliquid permittere auderem, pro *mari Deucaledonio*, ſcriberem *Duncaledonium:* & apud Marcellinum, pro *Dicaledones*, *Duncaledones*, & mari & gente a Duncaledonio oppido cognominatis.

XXIII. Hæc quæ ſcripſimus, etſi abunde ſatisfacere poſſint lectori non iniquo, nihilominus adjiciemus & alia, quæ C. Plinius manifeſta originum indicia exiſtimavit: nempe ſacra, linguam, oppidorum vocabula. Primum ſatis conſtat, maximum amicitiæ vinculum, & cognationis argumentum, habitam fuiſſe ſimilitudinem religionis, & eandem de Diis opinionem. Apud Britannos autem & Gallos idem plane Deorum erat cultus, idem apud utroſque, & nuſquam alibi, Druidum ſacerdotium, quorum ſuperſtitio adeo utriuſque gentis animos pervaſerat, ut multi dubitarent, utri ab utris eam philoſophiam didiciſſent. Item, eadem ſacra *ex ſuperſtitionis perſuaſione deprehendi* ait Tacitus vita Agricol. cap. XI. Nec ab eo ritu fuiſſe immunes Hiſpanos, ut quorum bona pars e Galliis originem ducebat, indicat tumulus prope Carthaginem novam, [1] qui Mercurius Teutates appellabatur, uti ſcriptum eſt a Livio. lib. XXVI. 44. Idem quoque genus vatum apud Gallos & Britannos in ſummo fuit honore, quos utrique *Bardos* vocabant. Horum & functio & nomem adhuc perſeverat apud omnes nationes, quæ vetere Britannorum lingua utuntur: tantuſque eis honos multis in locis habetur, ut & ipſi ſacroſancti, & eorum domus pro aſylo ſint; & inter infeſtiſſimos hoſtes, ubi crudeliſſime & bellum geritur, & victoria exercetur, perpetua ſit eis eorumque comitibus ultro citroque commeandi poteſtas. Nobiles, eos ad ſe ventitantes, & honorifice ſuſcipiunt, & munifice dimittunt. Carmina autem non inculta fundunt, quæ Rhapſodi proceribus, aut vulgo audiendi cupido, recitant, aut ad muſicos organorum modos canunt. Plurima ex veteribus inſtitutis adhuc manent: nec quicquam fe-

re

1 *Qui Mercurius Teutates appellabatur, uti ſcriptum eſt a Livio.*] Ita quidem Buchanani tempore & diu poſtea excuſæ Livii editiones exhibent, lib. 26. cap. 44. *Quod ubi verſus Scipio in tumulum, quem Mercurium Teutatem appellant, advertit.* Unde commentatores inſigne argumentum ſe nactos exiſtimarunt, quo Hiſpanos a Gallis originem traxiſſe confirment, Galli enim ſua lingua pro Mercurio Teutatem dicebant. At quamvis non alia deſint indicia, quæ Hiſpanos olim Gallorum colonos fuiſſe commonſtrent, nihil tamen ex hoc Livii loco colligi poteſt. *Teutatem* enim illum merum eſſe correctorum figmentum, dudum oſtendit Joan. Frid. Gronovius, qui ex optimis codicibus MSS. ſic edidit, *Quod ubi egreſſus Scipio in tumulum, quem Mercurii vocant, animadvertit.*

re in Hibernia, niſi in cærimoniis & religionis ritibus, eſt mutatum. Hæc de ſacris in præſentia dicta ſint.

XXIV. Supereſt, ut de lingua veteri, ac oppidorum & gentium vocabulis, agamus. Hæ autem partes plerumque nobis erunt promiſcue tractandæ, quod altera alteri ſæpenumero velut fundamento innititur, præcipue cum nomen proprium, aut originatione, aut declinatione, patriam [2] aſſeret. Atque hæc quidem etſi mutua conſpiratione ſeſe confirmant, tamen, quoad fieri poteſt, ea nos docendi gratia ſeparabimus. Primum igitur Tacitus, in vita ſoceri ſui, cap. XI. affirmat, non multo Gallicam a lingua Britannica eſſe diverſam: ex quo facio conjecturam, aliquando eandem fuiſſe, ac paullatim, vel externarum gentium commercio, vel ignotarum ante rerum invectione, vel novarum artium inventione, & frequenti formæ veſtium, armorum, ſupellectiliſque reliquæ, mutatione, ſermonem facile ſequacem, multis in partibus interim auctum, interim adulteratum, ac multa nova vocabula genita, multa vetuſta vitiata. Cogitet apud ſe quiſque, quantum populi inconſtantia ſibi in hac parte ſumat, quantum ei ſemper & fuerit & ſit præſentium faſtidium, & innovandi ſtudium; comperiet profecto illud optimi poëtæ & unici cenſoris (Horat. Art. Poet. 60.) judicium eſſe veriſſimum.

Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Et paullo infra, verſ. 70.

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere: cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

Hæc quidem ille de Romano ſermone ſcripſit, qui magna civium cura incorruptus ſervabatur, quem omnes nationes, quæ intra tam latos imperii fines continebantur, diligenter addiſcebant. Ne admiremur igitur, linguam, ante colonias e Galliis in omnes partes emiſſas jam domi diſcordem, & deinde diverſarum nationum commiſtione pollutam, & ab initio barbaram, & ſuis quodammodo neglectam, ac, poſtquam ab externo ſolo rurſus in Britanniam ſe recepit, in regna exteris plerumque obnoxia diviſam, ſibi non ſemper conſtare. Nam & initio Celtæ & Belgæ diverſa utebantur, ut Strabo cenſet, dialecto. Deinde, cum Celtæ magnas colonias in Hiſpaniam emiſiſſent, ut Celtiberorum & Celticorum indicant nomina, & Belgæ Britanniam maritimam, ut intelligi poteſt ex Ventæ Belgarum, ex Atrebatum & Icenorum nominibus, occupaſſent, non poteſt fieri, ut non hinc Hiſpani, inde Romani, Angli, Dani, Normani, non multa peregrina vocabula ſecum advexerint, patria corruperint. Quin illud potius mirandum cenſeo, quod nunc etiam tanto poſt tempore, tot gentium adventu adulteratis, & magna ex parte mutatis vicinarum nationum linguis, adhuc Britanni non tam ſermone toto, quam proprietate, & dialecto inter ſe diſcrepent: ac ſi quis ex eis, [1] al-

2 *Aſſeret.*] Forte *aſſerat.*

1 *Al-*

[1]alterius nationis Britannicæ hominem audiat loquentem, ſonum tamen ſuæ linguæ agnoſcet, & plurima verba capiet, quanquam ſermonem univerſum non intelligat. Nec, ſi non eadem ſemper apud omnes earundem rerum invenientur vocabula, novum debet videri, reputantibus quantum in ſingularum gentium ſermone quotidie mutent vicinorum commercia, quantum aſſidua conſuetudo; quot nova verba cum rebus nuper inventis naſcantur, quot ex ultimis terris cum ſuis mercibus advehantur, quot vetuſta intereant, quot adjectis literis vel ſyllabis protrahantur, ablatis decurtentur, tranſpoſitis aut mutatis interpolentur.

XXV. Non quæram, quantum & quam brevi ſermo Ionicus ab Attico degeneraverit, quantum ab utriſque reliqui Græci diſſideant. Obſervemus nobiliſſimarum in Europa gentium ſermonem: Gallica, Italica, Hiſpanica lingua, ab eiſdem radicibus ortæ, quam cito a puritate [2]linguæ Latinæ deſciverint? Nec inter ſe interim minus diſcrepant, quam Scotica priſca & Britannica. Imo, ſi ſingulas Galliæ provincias (eas dico, quæ Gallice loqui exiſtimantur) diſpiciamus, quantum diſcrimen inter Galliæ Narbonenſis incolas comperiemus & Vaſcones? quantumque ab utriſque recedunt utriſque finitimi, Lemovices, Petragorici & Arverni? quantum ab his omnibus reliquæ Galliarum provinciæ? Atque, ut propioribus utamur exemplis, leges Anglorum, quingentos abhinc annos a Gulielmo Normano Gallice editas, nemo Gallorum ſine interprete nunc intelliget. Imo, ſi qui longiuſcule vixerunt ſenes, in memoriam revocent, quot vocabula ipſis pueris uſu protrita, nunc prorſus obſoleta ſint, quot autem proavis noſtris inaudita in eorum locum ſucceſſerint; minime mirabuntur, eandem ab initio linguam, apud gentes longe diſſitas, & ſæpius bello diſſidentes, ita ſenſim longinquitate temporis immutari, ut propemodum tota diverſa videatur. Contra vero, cum non tot annis, ſed ſeculis, in ſermone Britannico videam eam concordiam, inter nationes, vel ſpatio terrarum longe ſeparatas, vel mutuis odiis laborantes, quanta non eſt inter multos Gallorum populos, qui ſub eiſdem Regibus & legibus [3]diu vixerunt: cum talem, [*inquam*,] in loquendo concordiam mecum recogito, quæ & veterem cognationem, & non obſcuras ejuſdem originis notas, adhuc ſervet, facile adducor, ut, ante Saxonum adventum, omnibus Britannis non multum diverſam fuiſſe linguam, credam. Ac proximas Gallico littori nationes veriſimile eſt Belgica uſos fuiſſe: e quorum finibus bona pars vicinorum Galliæ Britannorum (ut legere eſt apud Cæſarem) tranſmigraverat. At Hiber-

1 *Alterius nationis Britannicæ hominem.*] Ita ex MS. repoſuimus *Britannicæ*, cum libri editi *Britannice* haberent.

2 *Linguæ Latinæ deſciverint*? Forte abeſſe debet interrogationis ſignum, repetendo ſcil. vocem [*obſervemus*] hoc modo; *Obſervemus* nimirum *quam cito Gallica, Italica, Hiſpanica lingua a puritate linguæ Latinæ deſciverint*. Aliter enim *deſciverunt* potius legendum videatur.

3 *Diu vixerunt: cum talem* [*inquam*] In omnibus quidem libris voces [*diu vixerunt*] periodum terminant: aliaque protinus ſic incipit, *Cum talem igitur in loquendo*, &c. Verum cum hoc pacto ſententia pendula hæreat ac imperfecta, non dubitavi eam cum ſequentibus connectere, ſuffecto in locum τȣ̃ *igitur* voce *inquam*.

berni, & coloniæ ab eis miſſæ, a Celtis Hiſpaniæ habitatoribus oriundi, uti credibile eſt, Celtica utebantur. Hæ gentes cum (velut e longinqua peregrinatione reverſæ) vicinas occupaſſent ſedes, ac prope in unum populum commiſtæ fuiſſent, rurſus, prope confuſis idiotiſmis ſermonis, quandam permixtionem factam reor, ut neutri linguæ, vel Celticæ vel Belgicæ, omnino ſimilem, ita neutri penitus diſſimilem: qualem animadvertere licet in eis nationibus, quæ Germanice loqui putantur, [1] & tamen a vetuſto ſermone multum deſciviſſe conſtat. Intelligo Danos, Saxones maritimos, Friſios, Flandros, & Anglos, in quibus omnibus facile erit deprehendere quaſdam literas, ſones & inflexiones, unis Germanis proprias, & cum nulla alia gente communes. Ex hoc opinor literarum ſono, & familiari ſingularum gentium in certis literis pronunciandis ratione, & aurium judicio, item ex compoſitione & declinatione vocum, certiora ſumi poſſe indicia cognati ſermonis, quam e ſingulorum verborum ſignificatione.

XXVI. Hujus rei exempla ſunt; in literis, W Germanicum; in compoſitione, *Moremaruſa* & *Armoricus*, de quibus dictum eſt; in declinatione, ea, quæ apud Gallos in A C exeunt, quorum prope infinitus eſt numerus: quæ forma apud Scotos eſt Ὑποκοριστικὴ, & apud veteres Gallos fuit. Apud Scotos, a DRIX, quod veprem ſignificat, declinatur DRISSAC, id eſt, veprecula, & a BRIX, quod rupturam indicat, BRIXAC, quod nunc Galli pronunciant BRISSAC. Quod enim BRIX Scotis dicitur, id Galli adhuc BRESCHE appellant, nullo diſcrimine in vocum ſignificatione. Scriptura ut diſcrepet, in cauſſa eſt, quod veteres Scoti, & adhuc univerſi Hiſpani, X litera pro duplici ſſ utebantur. Itaque veteres Galli a BRIX Cenomanorum oppidum *Brixiam* nominarunt, & a *Brixia* rurſus *Brixiacum*, quod vulgo *Briſſacum*. Simili prope forma ab *Aurelia Aureliacum* factum eſt, & ab [2] *Ebura*, quæ Cerealis, vel [3] *Ebora*, quæ Liberalitas Julia Hiſpanis cognominatur, *Eboracum* ab Hiſpanis oriundi Brigantes declinaverunt, Gallici ſermonis proprietatem in declinando exprimentes. Quin & præter ea, quæ nobis commemorata ſunt, totum illud Britanniæ latus, quod ad occidentem hibernum porrigitur, manifeſta & Gallici ſermonis & originis impreſſa retinet veſtigia, eaque etiam perſpicuo gentium exterarum teſtimonio comprobata. Prima in eo latere occurrit, quam multi *Cornuvalliam*, *Cornaviam* veteres, vulgus KERNICO vocant: quemadmodum & apud Scotos *Cornavii*, qui in ultima fere ſeptentrionis plaga ſtatuuntur a Ptolemæo, vulgo KERNIC appellantur. A *Kernico* igitur & *Vallis*, *Cornuvallia* deducta eſt, quaſi dicas *Kernicogallos*. *Valia*

1 *Et tamen.*] Melius forte, *quas tamen.*

2 *Eburá*, *quæ Cerealis.*] Vid. Plin. Nat. Hiſt. lib. 3. cap. 1. Hanc Harduinus eandem exiſtimat quæ nunc *Alcala Real* inter Granatam & Cordubam.

3 *Ebora*, *quæ Liberalitas Julia.*] Ea eſt quæ nunc *Evora* inter Anam & Tagum. Vid. Plin. lib. 4. cap. 22. In omnibus autem Buchanani editt. male *Felicitas Julia* ſcribitur: Plin. enim dicto loco *Oliſipponem Felicitatem Juliam* cognominatam fuiſſe teſtatur. Quin & ipſi Buchanano *Ebora Liberalitas Julia* cognominatur, cap. 35. huj. lib.

1 Id

lia etiam in eodem latere altera peninſula & nomine & ſermone majores ſuos aſſerit. Id ejus nomen, qui ad Germanici ſermonis ſonum propius accedunt, per W, propriam unis Germanis literam, efferunt, quam literam reliqui vicini, qui utuntur ſermone priſco, nullo modo pronunciare poſſunt. Imo ne tormentis quidem a Kernicovallo, Hiberno, aut priſco Scoto, exprimes, ut eam proferat. Gallis vero, qui *Valliam* nominare volunt, G ſemper prima eſt litera. Nec in hoc nomine ſolo id obſervare licet, ſed in aliis multis, quæ a litera G habent initium. Gallicum enim ſermonem, qui ex propinquitate regionum Germaniſſant, WALLUM vocant: & in aliis prope infinitis hac permutatione literarum utuntur. Contra vero, quæ regio eſt Anglis WALES, & NORTH-WALES, ea Gallis eſt GALES, & NORGALES, pertinaciter adhuc in veſtigiis antiqui ſermonis hærentibus.

XXVII. At Polydorus Virgilius velut novo commento ſibi placet, quod rem, nulli ſermonis Germanici mediocriter perito ignotam, ſe unum animadvertiſſe putat; nempe quod vox illa WALSCH, peregrinum ſignificet, atque inde *Vallos*, ſeu peregrinos, ab eis fuiſſe nuncupatos. Hac in re mihi præter æquum ſibi placere videtur. Nam ſi a peregrinitate nomen illud ductum fuiſſet, rectius, opinor, in Anglos adventitios competeret, quam in eos, qui propter antiquitatem indigenæ multis veterum ſunt crediti. Aut, ſi ab Anglis eis impoſitum fuit, cur Scotis & Pictis id nomen non dederunt, qui rectius quam Brittones ita vocari poterant, ut quibuſcum rariora commercia & minorem uſum habebant? Aut ſi Angli tam contumelioſo nomine Vallos notaſſent, num etiam ipſi Brittones, tot ſeculis Anglorum hoſtes infeſtiſſimi, & nunc etiam magis obnoxii, quam amici, [1] id nomen agnoſcerent? quod quidem non inviti faciunt, cum ipſi ſua lingua ſe Cumbros appellent. Quid, quod vox WALSCH, non ſimpliciter Germanis peregrinum ſignificet, aut barbarum; ſed etiam, priore & proprio magis intellectu, Gallum? Itaque vox *Vallia*, [2] ut ego quidem ſentio, a verbo *Gallia* eſt immutata ab Anglis, conſentientibus quidem de nomine cum cæteris vicinis nationibus, ſed obſervata tamen proprietate linguæ Germanicæ, in prima litera enuncianda, *Wallia*. Veteres certe ejus peninſulæ incolas Silures appellabant, ut apparet ex Plinio: quod nomen in parte quadam Valliæ diu apud poſteros reſedit. Lelandus autem, genere Britannus, in ſuæ gentis antiquioribus monumentis proferendis homo apprime diligens, affirmat, Valliæ partem aliquando *Roſſiam* fuiſſe vocatam, quæ vox Scotis peninſulam indicat. Verum nationes propinquæ videntur nomen in loquendo potius uſurpaſſe, quod gentis originem, quam quod re-

1 *Id nomen agnoſcerent.*] Ægre hic aſſequor Buchanani mentem. Quomodo enim Valli hoc nomen non inviti agnoſcunt, qui ſua lingua ſe Cumbros appellant? Nihil forte aliud Buchananus innuit, quam Vallos neutiquam indigne ferre ſe ab Anglis ita nominari, neque quidquam contumeliæ eo nomine ſibi inuſtum cenſere.

2 *Ut ego quidem ſentio.*] Ita omnes libri, melius forte, *cenſeo.* [Sed & Cicero in Lælio cap. 5. *ſed hoc primum ſentio, niſi* &c. & ita paſſim alii.]

regionis ſitum & formam demonſtraret. Idem quoque in Scotorum nomine eſt factum. Nam cum ipſi ſe Albinos, nomine ab Albio declinato, vocent, vicini tamen Scotos eos nuncupant, quo nomine origo eorum ab Hibernis declaratur. Sequitur in eodem latere, & littore occidentali, *Gallovidia:* quam vocem & Scotis & Vallis Gallum ſignificare eſt perſpicuum, ut cui alteri a Gallo, alteri a Vallo nomen dedere. Valli enim *Wallowithiam* eam appellant. Ea magna ex parte patrio ſermone adhuc utitur.

XXVIII. Hæ autem tres nationes, totum Britanniæ latus, quod ad Hiberniam vergit, tenent: nec levia indicia, ſed penitus inuſtas notas Gallici ſermonis & cognationis adhuc ſervant. Illud autem in primis, quod Scoti priſci, omnes nationes, quæ Britanniam incolunt, in duo genera partiuntur: alteros GAEL, alteros GALLE, ſive GALD, appellant; hoc eſt, (ut ego quidem interpretor,) *Gallæcos*, & *Gallos*. Porro *Gallæci* vocabulo, id eſt, GAEL, ipſi ſibi placent: ſuamque (ut dixi) linguam Gallæcam vocant, eaque velut magis culta & elegante gloriantur: reliquos, hoc eſt, *Gallos*, velut barbaros præ ſe contemnunt: & quanquam ab initio Scoti, Brittones, hoc eſt, vetuſtiſſimos inſulæ cultores, Gallos appellarent, tamen conſuetudo loquendi paullatim obtinuit, ut omnes nationes, quæ poſterius ſedes in Britannia collocarunt, contumelioſo potius quam gentilitio nomine, ita compellent. Vox enim GALLE, aut GALD, non eſt minus apud eos ſignificans, quam apud Græcos & Latinos Barbarus, apud Germanos WALSCH.

XXIX. Jam tandem eo ventum eſt, ut ex oppidorum, fluminum, regionum, & aliis id genus nominibus, linguæ inter Gallos & Brittannos communionem, atque ex ea veterem cognationem, demonſtremus. Lubricus ſane locus, & diligenter examinandus. Nam & ſuperius diſſeruimus, quam multis de cauſſis ſermo publicus immutetur. Quanquam enim non penitus [1] ac ſimul innovetur, tamen in perpetuo fluxu eſt, & mutantium inconſtantiam ſua quadam naturæ flexibilitate facile ſequitur. Id autem præcipue apparet in eo rerum genere, quæ non modo temporum momentis, ſed unius etiam cujuſque arbitrio ſunt obnoxiæ: qualia ſunt ſingularum rerum, quæ ad uſum vitæ quotidianum ſunt inventæ, quarum nomina levibus de cauſſis obſoleſcunt, innovantur, & interpolantur. At in iis, quæ ſunt æterna, ut cœlum, mare, terra, ignis, montes, regiones, flumina: item in illis, quæ diuturnitate ſua, quoad naturæ patitur infirmitas, æterna illa & incorrupta quadantenus imitantur, qualia ſunt oppida, quæ tanquam ſempiterna futura conduntur, diverſa longe ratio eſt, Gentium enim & urbium non facile quivis aut nova nomina fingit, aut vetuſta immutat: quippe quæ non temere, ſed fere conſilio & conſenſu populari, dantur ab initio a conditoribus, quos vetuſtas plerumque divinis honoribus proſequebatur, &, quoad poterat, immortalitate donabat. Merito igitur hæc nomina perennant, nec ſine magna rerum omnium perturbatione loco cedunt: ac, reliquo ſermone prorſus mutato, tamen illa pertinaciter hærent, & non niſi invita diſcedunt. Multum etiam ad eorum durationem

1 *Ac ſimul innovetur.*] Libri omnes *ſemel.*

nem facit cauſſa nominis imponendi. Nam in demigrationibus, qui vel pulſi ſedes antiquas linquebant, vel ſponte novas quærebant, amiſſa patria tamen nomen retinebant, & ſono auribus jucundiſſimo libenter fruebantur, & hac qualicunque nominis umbra ſoli natalis deſiderium leniebant, nec omnino ſibi exulare & procul domo agere videbantur. Sed nec deerant, qui ſuperſtitione quadam tacti, ſanctiorem aliquam & auguſtiorem ſpeciem in animis concipiebant, quam quæ in parietibus & tectis conſpici poſſet; [1] ac non ſolum caritate patria ſimulacrum illud, & ſuaviſſimum prioris patriæ pignus, amplectebantur.

XXX. Certius igitur ex hoc verborum genere cognationis argumentum ſumetur, quam ex illis, quæ leviſſimis, ac ſæpe nullis de cauſſis, rebus momentaneis & dantur & adimuntur. Nam, ut caſus efficere poteſt, ut idem vocabulum in diverſis regionibus uſurpetur, non tamen credibile eſt, tot gentes, tam longe lateque fuſas, eiſdem in nominibus dandis toties fortuito conſenſiſſe. Proximo loco ſunt ea, quæ ex primis deflexa ſunt aut compoſita. Sæpenumero enim declinationis & compoſitionis ſimilitudo propius indicat ſermonis communionem, quam vocabula prima: quod hæc fortuito ſæpe imponuntur, illa una ac certa ratione declinantur, & ad certum quoddam exemplum diriguntur, quod Græci Ἀναλογίαν vocant. Hæc igitur certa & perpetua ratio cognationis (ut Varro loquitur) nominalis, nos quodammodo ad generis cognationem, & veterem ſermonis communionem, ducit. Eſt & quædam in ſingulis verbis primogeniis obſervatio, unde quadantenus, quæ ſint inquilina, quæ patria, dignoſci poſſit. Nam & *Philoſophia*, & *Geometria*, & *Dialectica*, quamvis ſæpe uſurpentur a Latinis ſcriptoribus, vix ullum tamen habent in lingua Latina cognatum vocabulum, aut ex ſeſe progenitum, aut unde ipſa trahere originem poſſe videantur. Contra, *Paradiſus*, & *Gaza*, in uſu ſunt Græcis, & tamen eſſe inquilina vel illinc facile apparet, quod nec majores, nec progeniem in Græcam civitatem aſcriptam, poſſint oſtendere. Eadem obſervatio, in reliquis etiam linguis, ad dijudicandum, quæ domeſtica, quæ aliunde arceſſita ſint, proficiet.

XXXI. Hæc de univerſo genere dicta ſint. Nunc e ſingulis partibus proponamus exempla: ac prima nobis occurrunt, quæ in [2] BRIA, BRIGA, & BRICA, finiuntur. BRIAM Strabo lib. VII. & cum eo conſentiens Stephanus, ait urbem ſignificare. Id ut confirment, hæc nomina inde facta proferunt, [3] *Poltymbria*, *Brutobria*, *Meſembria*, & *Selymbria*. Sed quæ illis eſt *Bru-*

1 *Ac non ſolum caritate patria.*] Obſcurus hic locus, & cui aliqua forte verba exciderint: nihil enim eſt quod vocibus *non ſolum* reſpondeat.

2 *Bria.*] [Hæc vox *Bria*, *Briga*, *Brica*, & aliis modis variara, nomen dedit multis urbibus, in Hiſpania, Gallia & aliis regionibus; a ponte, quo fluvii ſunt juncti, ut multis oſtendit Valeſius in notitia Galliæ. Vid. in *Briovera*, *Briva*, *Bribodurum*, *Briva Curretia* & aliis. & hinc Urbs *Bruga* in Flandria, olim *Briga*. vide Mejer. Comit. Fland part. I. pag. 18. Et Belgica adhuc lingua *Brug* dicitur.]

3 *Polymbria*, *Brutobria*, *Meſembria* & *Selymbria*.] Ita hæc nomina apud Stephanum ſcribuntur, & ita etiam apud Strabonem ſcribi debere cenſet Cluverius Germ.

Brutobria, aliis eſt *Brutobrica*; & quæ Ptolemæo finiuntur in BRIGA, Plinio exeunt in BRICA, ut veriſimile ſit, BRIAM, BRIGAM. & BRICAM, idem ſignificare. Verum originem omnibus e Gallia eſſe vel hinc apparet, quod Galli antiquitus in Thraciam & Hiſpaniam, non autem illi in Galliam, colonos miſiſſe dicantur. Igitur apud ſcriptores idoneos hæc fere hujus generis leguntur.

Abobrica, Plinio, in conventu Bracarenſi.
Amalobrica, in [1] Itinerario Antonini.
Arabrica, Plinio, in conventu Bracarenſi.
Arabrica altera, Ptolemæo, in Luſitania.
Arcobrica, Ptolemæo, in Celtiberis.
Arcobrica altera, Ptolemæo, in Celticis Luſitanis.
Arcobrica tertia, Plinio, in conventu Cæſarauguſtano.
Artobrica, Ptolemæo, in Vindelicis.
Auguſtobrica, Plinio & Ptolemæo, in Luſitania.
Auguſtobrica alia, Ptolemæo, in Vectonibus.
Auguſtobrica tertia, Ptolemæo, in Pelendonibus.
Axabrica, Plinio, in Luſitania.
Bodobrica Itinerario Antonini, & libro de notitia imperii Ro. in Germania prima.
Brige, Itinerario Antonini, in Britannia.
Brige vicus, Straboni, ad Cottias Alpes.
Brutobrica, Stephano, inter Bætim & Turdulos.
Cœliobrica, Ptolemæo, Cœlerinorum.
Cæſarobrica, Plinio, in Luſitania.
Catobrica, in Turdulis, Itinerario Antonini.
Corimbrica, Plinio, in Luſitania: ſed, niſi fallor, corrupte, pro *Conimbrica*, cujus meminit Itinerarium Antonini, & quæ ſuum vetus nomen adhuc ſervat, ad Mundam amnem.
Cotteobrica, Ptolemæo, in Vectonibus.
Deobrica, Ptolemæo, in Vectonibus.
Deobrica altera, Ptolemæo, in Autrigonibus.
Deobricula, Ptolemæo, Morbogorum.
Deſſobrica, non longe a Lacobrica, Itinerario Antonini.
Flaviobrica, Plinio, ad *Amanum* portum. Ptolemæus, in Autrigonibus, *Magnum* vocat: ac neſcio, an apud Plinium, *Magnum* ſcribi debeat.
Gerabrica, in conventu Scalabitano, quæ in eodem *Jerabrica*.
Juliobrica, Plinio & Itinerario Antonini, in Cantabris, olim *Brigantia*.

La-

Germ. Antiq. lib. I. cap 7. in pleriſque tamen Strabonis exemplaribus *Poltiobria* & *Selybria* legitur.

1 *Itinerario Antonini*] In omnibus poſt Edinb. editionibus pro *Antonini Antonii* ſcribitur. De hujus Itinerarii auctore conſule Jo. Alb. Fabricii Bibliothecam Latinam.

Lacobrica, in Vaccæis, Plinio, & Ptolemæo, & Feſto Pompejo.
Lacobrica, in Sacro promontorio, Melæ.
Lancobrica, in Celticis Luſitanis, Ptolemæo.
Latobrigi, vicini Helvetiis, Cæſari.
Medubrica, cognomento Plumbaria, Plinio, in Luſitania. Hæc, ni fallor, in Itinerario Antonini vocatur *Mundobrica*.
Merobrica, cognomento Celtica, in Luſitania, Plinio & Ptolemæo.
Mirobrica, in Oretanis, Ptolemæo.
Mirobrica altera, in Bæturia, ſive Turdetanis Bæticis, Plinio & Ptolemæo.
Nemetobrica, in Celticis Luſitanis, Ptolemæo.
Nertobrica, in Turdulis Bæticæ, Ptolemæo.
Nertobrica altera, in Celtiberis, Ptolemæo; in Itinerario Antonini *Nitobrica*.
Segobrica, in Celtiberis, Plinio; Ptolemæo vero Celtiberiæ caput.
Talabrica, in Luſitania, Plinio & Ptolemæo.
Turobrica, in Celticis Bæticæ, Plinio.
Tuntobrica, inter Bracares Gallæcos, Ptolemæo.
Vertobrica, cognomento Concordia Julia, Plinio, in Celticis Bæticis.
Volobrica, Nemetum, Ptolemæo.

XXXII. Ad hanc formam pertinere videntur plurima oppidorum & gentium nomina, in omnibus provinciis, in quas Galli colonias deduxerunt. Nam, ut a BURGO *Burgundus* & *Burgundio*, ita a BRIGA *Brigantes* deduci videntur. Rectus autem caſus hujus vocis apud Stephanum eſt *Brigas*, unde inflectimus *Brigantes*, ut a *Gigas Gigantes*. Sunt autem *Brigantes* Straboni ad Cottias Alpes, & in eodem tractu *Brige* vicus; & *Brigiani* in tropæo Auguſti inter Alpinas gentes recenſentur: & *Brigantium* oppidum eſt Alpinum; & *Brigantii* in Vindelicis, Straboni; & *Brigantia*, in Itinerario Antonini; & *Briga* mons, Ptolemæo, prope fontes Rhodani & Danubii; & *Brigantium*, in Rhætis, Ptolemæo, (oppidum opinor, quod in libro, *De notitia provinciarum populi Romani*, eſt *Brecantia*,) & lacus *Brigantinus*; & in Hibernia, *Brigantes* populi, Ptolemæo; & in Albio, *Brigantes*, Ptolemæo, Tacito & Senecæ; & *Brige* oppidum, & *Iſobrigantium*, Itinerario Antonini; & *Brigantium* oppidum, Oroſio, ad Celticum promontorium; & *Flaviobrigantium*, Ptolemæo, in Magno portu; & recentior *Brigantia*, nunc in regno Luſitaniæ.

XXXIII. Eſt & alia nominum forma, vel a DUNO inchoantium, vel in eam vocem exeuntium, quam Gallicam fuiſſe oſtendunt cumuli illi arenæ in littore Morinorum, qui *Duni* adhuc appellantur, & in mari cumuli adverſus Anglicum littus; quibus idem eſt nomen, & Plutarchus, (is dico, qui *De fluminibus* libellum ſcripſit,) qui exponens *Lugduni* originem, DUNUM pro vocabulo Gallico agnoſcit. In nominibus autem vicorum & oppidorum exprimendis, non eſt fere alia vox frequentior, apud nationes, quæ veterem Gallicam linguam prope integram ſervant: intelligo Brittones in Gallia Celtica, & priſcos Scotos in Hibernia & Albio, & Vallos & Kernicovallos in Anglia.
Ne-

Neque enim quiſquam eſt harum gentium, qui id vocabulum pro ſuo non agnoſcat. Id modo intereſt, quod Galli veteres compoſitas inde voces in DUNUM finiebant, Scoti plerumque in principio verborum eam collocant.

Hujus generis in GALLIA hæc reperiuntur.

Auguſtodunum, in Æduis.
Caſtellodunum, agri Carnotenſis.
Melodunum, ad Sequanam.
Lugdunum, ad confluentem Araris & Rhodani.
Auguſtodunum, in Arvernis, Ptolemæo.
Lugdunum, in Convenis, Ptolemæo.
Novidunum, in Tribocis, Ptolemæo.
Uxellodunum, Cæſari.
Juliodunum, in Pictonibus.
Iſodunum, & Regiodunum, in Biturigibus.
Laodunum, agri Rhemenſis.
Cæſarodunum, in Turonibus, Ptolemæo.
Segodunum in Rutenis, Ptolemæo.
Vellaunodunum, Cæſari.

In HISPANIA.

Caladunum, Ptol. Bracar.
Sebendunum, Ptolemæo.

[1] In BRITTANNIA.

Camulodunum, in Brigantibus, Ptolemæo.
Camulodunum, colonia Romana, Tacito.
Dunum, oppidum Durotrigum, Ptolemæo.
Maridunum Demetarum, Ptolemæo & Itinerario Antonini.
Rigodunum, in Brigantibus, Ptolemæo.
Cambodunum, Itinerario Antonini.
Margidunum, Itinerario Antonini.
Sorviodunum, vel *Sorbiodunum*, Itinerario Antonini.
Segodunum, & *Axelodunum*, lib. de notitia imp.

Recentiora in ANGLIA.

Venantodunum.
Dunelmum.

In SCOTIA.

Duncaledon, quæ & *Caledonia*.
Deidunum, aut verius *Taodunum*, ad Taum amnem.
Edinodunum, quam vocem priſci Scoti adhuc retinent, at qui Germaniſſant *Edimburgum* malunt.

[1] *Du-*

1 *In BRITTANNIA.*] MS. *In BRITANNIA*, *vetere.*

1 *Du-*

[1] *Dunum*, Hiberniæ oppidum.
Noviodunum, vel Dunum Novum, in Covalia.
Britannodunum, ad confluentem Glottæ & Levini.

Sunt autem hoc tempore innumera nomina arcium, aut vicorum, aut collium, hinc compoſita.

In GERMANIA, apud Ptolemæum leguntur,

Lugdunum, *Segodunum*, *Tarodunum*, *Robodunum*, *Carrodunum*.

In ALPIBUS.

Ebrodunum, & *Sedunum*.

In VINDELICIS, RHÆTIA, & NORICO.

Cambodunum, *Carrodunum*, *Geſodunum*, *Idunum*, & *Noviodunum*, libro de notitia imperii Romani, *Parrodunum*.

In SARMATIA, & DACIA, Ptolemæo.

Carrodunum, *Singidunum*, ad Danubium: *Noviodunum*, ad oſtium Danubii: item *Noviodunum* alterum.

XXXIV. Sunt & in eiſdem provinciis non pauca a DUR declinata, quæ vox veteribus Gallis & Britannis aquam ſignificabat, & apud quoſdam in eodem intellectu adhuc perſeverat.

In GALLIA.

Durocottorum in Rhemis, Ptolemæo: legitur & *Durocortium*: meminit & Cæſar. *Divodurum* Mediomatricorum, Tacito. *Divodurum*, prope Lutetiam, Itinerario Antonini. *Batavodurum*, in Batavis, Ptolemæo & Tacito. *Breviodurum*, Itinerario Antonini. *Ganodurum*, prope Rhenum, Ptolemæo. *Gannodurum*, in Helvetiis, Ptolemæo. *Octodurum* vel *Octodurus*, in Veragris, Cæſari.

In RHÆTIA, VINDELICIS, & NORICO.

Bragodurum, *Carrodurum*, *Ebodurum*, *Gannodurum*, & *Octodurum*, Ptolemæo. *Venaxamodurum* & *Boiodurum*, libro de Notitia provinciarum.

In HISPANIA.

Octodurum, & *Ocellodurum* Ptolemæo. *Durius* amnis in Oceanum, *Duria* in mare internum fluens, & in Hibernia *Dur* fluvius Ptolemæo.

In BRITANNIA.

Durocobrivæ, *Duroprovæ*, *Durolenum*, *Durovernum*, *Durolipons*, *Durotriges*, *Durocornovium*, *Durolitum*, *Duronovaria*, *Lactodurum*. Ad hanc fortaſſe pertinent originem *Doria* major & minor, Alpina flumina, alter per Salaſſos, alter per Taurinos, in Padum influentes: item *Iſſidorus*, & *Altiſſiodorus*, urbes Galliæ, a ſitu (ut reor) prope flumina dictæ. Huc etiam pertinet DURETA, quæ vox Hiſpanis ſolium ligneum ſignificabat, ut in Auguſto ſcribit Suetonius. Huc pertinet, apud Cæſarem, proprium viri nomen DOMNACUS, quod mihi ex *Dunaco* corruptum videtur: DUNACH enim *Dunanum* & *Dunenſem* ſignificare poteſt, ut ROMACH Romanum. *Dunacus*, ſive potius

1 *Dunum*, *Hiberniæ oppidum*.] Non ergo in Scotia, niſi ſub eo nomine Hiberniam quoque comprehendat. Eſt & *Dunum* Scotiæ in Taichia.

tius *Dunachus*, adhuc inter propria virorum nomina uſurpatur, quod nomen utriuſque linguæ (Latinæ & Britannicæ) ignari, perperam nunc *Duncanum*, nunc *Donatum* vertunt.

XXXV. MAGUS item, vox antiqua, in omnibus provinciis, in quibus publicus fuit uſus Gallici ſermonis, in nominibus urbium exprimendis admodum frequens: quæ res Gallicam eam fuiſſe indicat. Verum e declinatis ab ea magis ſuſpicari poſſumus, quam pro certo affirmare, domicilium, urbem, aut ædificium, ea indicari ſolitum. In libro *De notitia imperii populi Romani* legitur, *Præfectum numeri Pacenſium in præſidio Magis*; item, in eodem libro, *Tribunum cohortis ſecundæ Magnis* collocatum. *Magnos* item in Itinerario Antonini invenimus. Unumne oppidum, an diverſa ſint, non auſim pro certo affirmare: verum magis inclinat animus ut credam diverſa. In MAGUS autem exeuntia hæc fere legimus. Ex Ptolemæo, *Noviomagus* in Santonibus, *Noviomagus* Lexoviorum, *Noviomagus* in Vadicaſſiis, *Noviomagus* Nemetum, *Noviomagus* in Tricaſtinis, *Noviomagus* Biturigum, *Juliomagus* in Andegavis, *Rotomagus* in Veneliocaſiis, *Cæſaromagus* Bellovacorum, *Rotomagus* Nerviorum, *Borbetomagus* Vangionum, in Germania prima, *Vindomagus* in Volcis Arecomicis. Item, ex Itinerario Antonini, *Argantomagus*; & in Germania prima *Noviomagus*. Ex libro *De notitia imperii Romani*, *Noviomagus* Belgicæ ſecundæ. In Rhætia *Druſomagus*, Ptolemæo. In Britannia, ex Itinerario Antonini, *Cæſaromagus*, *Sitomagus*, *Noviomagus*, in Regnis: *Vacomagi*, *Magiovinium*, *Vicomagi* pars Pictorum, Ptolemæo.

XXXVI. Sunt & alia locorum nomina, pluribus harum gentium communia, ſed non tam frequenter uſurpata, nec tam late ſparſa, quam ſuperiora: qualia ſunt, *Hibernia*, Romanis inſulæ nomen, Pomponio Melæ, Ptolemæo & Juvenali, *Juverna*; Straboni, Claudiano & incolis, *Ierna*. Quod aliis *Nerium* promontorium eſt, Straboni *Ierne*. *Iernus* fluvius Gallæciæ, Melæ eſt *Ierna*. *Iernus*, Hiberniæ fluvius, Ptolemæo; *Iernus*, Scotiæ fluvius, in Taum cadens. Alter eodem nomine per Moraviam labitur. Regio utrique vicina *Ierna* vocatur. Ptolemæo, *Mediolanum* oppidum Inſubrum, alterum in Santonis, aliud in Aulercis Eburaicis, aliud ad Ligerim, aliud ad Sequanam, quod nunc (opinor) dicitur *Meulan*, aliud in Germania magna, prope Aſciburgium, aliud ad Danubium, aliud in *Britannia*, cujus etiam meminit Itinerarium Antonini. Item *Marcolica*, Hiſpaniæ oppidum, *Macolicum* Hiberniæ. *Vaga* Luſitaniæ fluvius, & alter Valliæ in Anglia. *Avo* Melæ, *Avus* Ptolemæo, Gallæciæ fluvius, nomen adhuc retinet; in Argathelia ejuſdem nominis fluvius ex *Avo* lacu defluens. *Sacrum* promontorium, alterum Hiſpaniæ, alterum Hiberniæ. *Ocellum* promontorium Britanniæ, *Ocellum* Gallæciæ, in conventu Lucenſi; *Ocelli* montes in Scotia; *Ocellum* ultimum Galliæ togatæ oppidum, Cæſari; *Uxellum* oppidum Britanniæ, forte pro *Ocello*: nam & Marlianus, in antiquis urbium Galliæ nominibus explicandis, id ſe nomen varie ſcriptum inveniſſe teſtatur, *Ocellum*, & *Oſcela*, & *Oſcellum*. Atque hinc fortaſſe *Uxellodunum*, quod & *Uxellodurum* ſolet ſcribi. Item *Tamara*, fluvius Gallæciæ, Ptolemæo, *Tamaris* Melæ; *Tamarici*, populus Gallæciæ,

Pli-

Plinio; *Tamarus* fluvius, & *Tamara* oppidum Britanniæ, Ptolemæo. *Sars*, Gallæciæ fluvius, Melæ, *Sarcus* Scotorum. *Ebora*, oppidum Luſitaniæ, dicta Liberalitas Julia, Plinio & Ptolemæo; *Ebura*, quæ Cerealis, in Bætica, Plinio, Ebora, Ptolemæo; Aulerci *Eburaici* in Gallia Celtica, Ptolemæo; *Eboracum* in Brigantibus Britannis. *Deva*, nunc *Dea*, Angliæ fluvius & Scotiæ, unus in Gallovidia, alter in Anguſia, tertius dividit Merniam a Marria. *Cornavii*, in Anglia ad ultimum occaſum, in Scotia ad ultimum ſeptentrionem: utrique nunc *Kernici* vocantur. Videntur & tertii *Kernici* in Scotia fuiſſe, ad oſtium Avenni fluminis, qui limes eſt inter Lothianam & agrum Sterlinenſem. Nam Beda ad finem valli Severi ſtatuit monaſterium *Æbercurnig*, ubi nunc ruinæ *Abercorni* arcis oſtenduntur. *Avennus* fluvius ſæpius in Scotia & Anglia. AVEN autem Scotis, & AVON Vallis, fluvium ſignificat.

XXXVII. E tribus gentibus, quæ inſulam primæ tenuerunt, poſt Cæſaris adventum, Brittones paullo minus quingentis annis [1] ſub imperio populi Romani, Scoti & Picti ſub ſuis Regibus fuere. Tandem, cum Romani, univerſis circumcirca nationibus in exitium eorum conjuratis, exercitus omnes e longinquioribus provinciis ad patriæ ſalutem tuendam revocaſſent, Brittones, deſtituti externis auxiliis, atque a Scotis & Pictis miſerum in modum vexati, Saxones, tum piratica claſſe mare infeſtantes, conduxerunt. Sed id conſilium illis male vertit. Nam Saxones, repreſſis Pictis & Scotis, ipſi, & regionis ubertate & incolarum infirmitate perſpecta, ad occupandum inſulæ imperium animum adjecerunt. Igitur, poſt variam belli fortunam, cum vi aperta, quo intenderant, pervenire non poſſent, fraude Brittones aggredi ſtatuunt: cujus hæc ratio fuit. Cum ad colloquium utriuſque partis proceres loco & die ſtato conveniſſent, Saxones, ab Hengiſto ſuo duce ſigno accepto, omnem Brittonum nobilitatem trucidarunt, reliquum vulgus in loca montana & aſpera compulerunt, planitiem omnem, ac longe fertiliſſimos inſulæ campos, ipſi inter ſe in ſeptem regna diſpertiti ſunt. Hic fuit ſtatus rerum in Britannia, circiter annum ſalutis noſtræ quadringenteſimum ſexageſimum quartum. Cum autem ab initio tres nationes Germanicæ expeditionem in Britanniam ſuſcepiſſent, reliquæ duæ paullatim in nomen Anglorum conceſſerunt. Sed neque cum Brittonibus, nec ipſis inter ſe Anglis, unquam ſatis fida pace, [2] poſt CCCXVII. fere annum, Dani maris potentes, primum piraticis incurſionibus Angliam ingreſſi, cum acriter fuiſſent repulſi, [3] triceſimo ſexto fere poſt anno, majoribus copiis aucti, exercitum juſtum in terram expoſuerunt. Ac pri-

1 *Sub imperio populi Romani.*] MS. & Edinb. *ſub. imp. Po. Ro.* reliquæ editiones *ſub Imperatoribus populi Romani*, nos *ſub imperio populi Romani*, quod hæc locutio uſitatiſſima, illa paullo inſolentior videretur.

2 *Poſt CCCXVII. fere annum.*] Juxta accuratiſſimos rerum Anglicarum Scriptores Dani primum Angliam ingreſſi ſunt A. C. DCCLXXXVII. adeoque pro CCCXVII. ſcribendum erat CCCXXIII.

3 *Triceſimo ſexto fere poſt anno.*] Iidem Scriptores Danos juſtum exercitum in Angliam expoſuiſſe tradunt, anno 828. *i.e.* poſt primum eorum ingreſſum anno 41.

primo congreſſu victores, vario Marte cum Anglis diu contenderunt, donec ad annum ſalutis M.XII. Sueno, devictis penitus Anglis, publico eorum conſenſu regnum eſt adeptus, quod tamen paucos annos in ejus familia remanſit. Saxones enim, iterum ſuæ gentis Regibus creatis, poſt viceſimum quartum fere annum a Gulielmo Normano victi, nobilitate maxima ex parte exſtincta, agris inter Normanos diviſis, vulgus in miſera ſervitute fuit, uſque ad Henricum ſeptimum, qui parte oneris levata, paullo commodiorem plebejorum conditionem fecit. At qui in honore apud Regem ſunt, aut nobilitate illuſtres videri volunt, univerſi ſuum genus ad Normanos referunt.

XXXVIII. Hæc ſunt, quæ ex antiquis monumentis, aliiſque non obſcuris indiciis, de trium vetuſtiſſimarum in Britannia nationum origine, inſtitutis, & ſermone, potuimus eruere: quæque mihi faciunt fidem, veteres Brittones, cæteroſque Britanniæ incolas, e Galliis oriundos, Gallicoque ſermone ab initio uſos fuiſſe. Quarum rerum multa & manifeſta veſtigia tam in Gallia, quam Britannia adhuc remanent. Nec mirum videri debet, ſi in ſermone, qui ad ſingula vitæ momenta mutatur, pleræque res aliis alibi nominibus in tanta longinquitate temporis vocentur. Imo illud potius admirandum reor, quod idem (ut ita loquar) ſermonis fundamentum, eadem declinandi ratio, in populis magno intervallo diſſitis, tam raro in reliqua vitæ ratione concordibus, ſæpe etiam capitali odio diſſidentibus, adhuc perſeveret. De reliquis tribus gentibus, Anglis videlicet, Danis, & Normanis, non erat quod anxie diſquireremus, cum adventus eorum tempora cauſſæque ſint pene omnibus perſpicuæ. Hic autem labor a nobis eſt ſuſceptus, ut nos majoribus, ac majores nobis, redderemus. Id ſi præſtitimus, non eſt quod nos pœniteat quantulicunque in re non maxima laboris: ſin minus, etiam qui ſententiæ noſtræ non accedent, voluntatem tamen opinor non improbaturos. Ego vero tantum abeſt, ut hæc refelli moleſte feram, ut, ſi quis certiora doceat, ac de errore me deducat, ei maximam gratiam ſim habiturus.

XXXIX. Statueram huic diſputationi, quæ eſt de origine Britannicarum gentium, hîc finem imponere, niſi Luddus me invitum retraxiſſet, dum [1] Scotos Pictoſque non ita pridem in Albium veniſſe contendit. Ejus etſi leviſſimam vanitatem, cum imperitia conjunctam, ſine ullo piaculo contemnere potuiſſem, tamen, ne indoctorum factio nimium ſibi hoc patrono placeret, paucis viſum eſt hominis procacitatem retundere, ac potiſſimum ex argumentis, & teſtibus, quos adverſus nos ipſe producit. Ac primum de genere argumentandi, poſt de re ipſa dicam. *Julius* (inquit) *Cæſar*, *& Cornelius Tacitus*, *tanta diligentia ſcriptores*, *item Suetonius*, *Herodianus*, *cæterique Romani*, *qui de rebus Britannicis ſcripſerunt*, *nuſquam Scotorum & Pictorum meminerunt: igitur*

1 *Scotos Pictoſque non ita pridem in Albium veniſſe.*] Ejus veſtigiis inſiſtentes Uſſerius, Epiſcopus Aſaphenſis, Stillingfletius, *&c.* idem probare ſunt conati, eo præſertim conſilio, ne Scoti ab Anglis ſuis antiquitatis gloriam prærriperent. At non deſunt Scotis ſui vindices, qui eos in Britannia ſedes habuiſſe multis ante Saxonum adventum ſeculis invictis rationibus oſtendunt, D. Geo. Mackenzæus, D. Jacobus Dalrymplius, Pat. Abercrombius, *&c.*

1 E

tur ea ætate ſedes in Britannia nullas habuerunt. Viſne, Ludde, iſtam conditionem recipere, ut cujus gentis nemo veterum ſcriptorum nomen protulerit, ea nuſquam fuerit? Hanc conditionem ſi accipis, vide, quot uno & altero verſu gentes a ſuis aris & focis exigas: quantam proſcriptionis tabulam proponas: quos etiam viros proſcribas, Brutum, Albanactum & Cambrum: quas gentes e rerum natura tollas, Loegros, Cambros & Albanos, ſicuti tu poſtulas, non modo in hiſtoria, ſed etiam in Grammatica tyrannus, qui *Albanos* ab *Albanacto* declines. Quod ſi iſta, quæ tibi offertur, conditio non ſatis videtur æqua.

—— quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli, nati infelicibus ovis;

aliam tibi proponam, eamque, quam recuſare nec debeas, nec, opinor, audeas. Eſt quoddam probationis genus e fragmentis, unde, ſi paullum frontem perfricueris, nihil eſt, quod non queas probare. Eo autem ut utar, mihi potiſſimum venit in mentem, quod id tu videaris maxime amplecti, ut qui e fragmento, tibi, opinor, uni noto, Cimbrorum illam infinitam multitudinem, ad delendum imperium Romanum emiſeris: [1] e fragmento, inquam, tibi oſtendam, Scotos & Pictos, ante Veſpaſiani ætatem (quod tu negas) in Britannia fuiſſe. [2] In libello tuo, cui tu *Fragmentum Britannicæ deſcriptionis* nomen dediſti, hanc maxime ob cauſſam, opinor, quod exiſtimaſſes te ſatis probaſſe, e duorum fragmentorum altero, [3] *Prudaniam* potius quam *Britanniam* dicendum, ex altero multitudinem Cimbrorum, quantam Britannia tota tum conficere non potuit, evomuiſſes. Hanc ob cauſſam arbitratus es, tuo fragmento ſatis fidei ſolo illo nomine conciliaturum. In eo libro ſcribis, *Scotorum & Pictorum nomen, una cum Francis & Anglis, orbi Romano innotuiſſe.*

XL. Hujus ſententiæ teſtem laudas (ſane idoneum) [4] Mamertinum in Panegyrico, quem dixit Maximiano: qui teſtis, ſi ego eum recte intelligo, contra Luddum

1 *E fragmento.*] Forte, *eo fragmento.*

2 *In libello tuo.*] Hæc ad finem Paragraphi male coagmentata, nec eo quo ſolet Buchananus concinno verborum ordine diſpoſita videntur.

3 *Prudaniam potius.*] Ita omnino legendum, non *Prytaniam*, quod habent omnes libri: non enim Luddus, ſed Tho. Æliotus *Britanniam* olim *Prytaniam*, ſive *Prytaneiam* appellatam contendit. Vid. lib. I. c. 2.

4 *Mamertinum in Panegyrico quem dixit Maximiano.*] Luddus hic in errorem Buchananum ſecum traxit, hic enim Panegyricus, in omnibus quas vidi editionibus, non *Mamertino*, ſed *Eumenio* tribuitur; nec *Maximiano*, ſed *Conſtantio* Cæſari inſcriptus, ſive in ejus laudem coram filio Conſtantino Magno dictus perhibetur. [Leguntur vero verba cap XI. Potuit Buchananus uſus fuiſſe editione Rhenani 1520. in qua hic Panegyricus Maximiano inſcribitur, ſed auctoris nomen non exprimitur. Rhenanus Belgam ſuſpicatus primum, deinde libenter ſe Mamertino tribuere addit. refutavit vero Rhenanum Pighius in Hercule Prodicio pag. 13. qui Eumenii quidem non eſſe vult, ſed ab Æduo quodam tamen Conſtantio Chloro dictam orationem: vid. & Livinei & Acidalii notas in initium orationis.]

dum facit. Nam, cum Mamertinus de primo Julii Cæſaris adventu in Britanniam ſcribit, his verbis utitur. [1] *Ad hoc natio, etiam tunc rudis, & ſoli Britanni Pictis modo & Hibernis aſſueta hoſtibus, adhuc ſeminudis, facile Romanis armis & ſignis ceſſerunt.* Videte, quæſo, quid ex hoc teſtimonio colligat Luddus: primum, *ſolos tum Brittones inſulam incoluiſſe*: deinde, *qui ibi dicuntur Hiberni, poſtea Scotos fuiſſe appellatos.* At horum neutrum auctor Panegyrici dicit. Brittones enim affirmat ante Cæſaris adventum dimicaſſe adverſus Scotos & Pictos, *ſoli Britanni*, id eſt, *in ſolo Britanno habitantes*, hoſtes; ut, *ſoli Britanni*, non rectus, ſed gignendi ſit caſus. Alterum ſibi falſo aſſumit. Arbitror enim me ſatis dilucide oſtendiſſe, ex Paullo Oroſio Hiſpano, & Beda Anglo, omnes Hiberniæ incolas, ab antiquiſſimis uſque temporibus, dictos fuiſſe Scotos, ac tum demum, cum in Albium colonos miſerunt, nomen Scotorum, domi prope exſtinctum, foris celebrari cœpiſſe. Alio loco contendit Caledonios fuiſſe Brittones, non alio argumento, quam quod eos Britannos vocari reperit: quod nomen commune eſt omnibus eandem inſulam colentibus. At nos ſuperius, e loco Panegyrici ab ipſo citati, oſtendimus Caledonios Pictos fuiſſe. Idem confirmat Marcellinus, qui duo eſſe Pictorum genera inquit, *Dicaledones*, ſive (ut ego legendum cenſeo) *Duncaledones*, & *Vecturiones.* At Caledonii, ſive Caledones, ante Veſpaſiani imperium in Britannia habitabant, nec ignoti Romanis erant, ut perſpicue indicat Lucanus, qui Nerone Principe deceſſit; lib. VI. verſu 68.

Aut vaga cum Tethys, Rutupinaque littora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

XLI. Sed quorſum externis teſtibus conquirendis laboramus, cum domeſticum, eumque luculentum admodum, habeamus. Beda enim, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum ſcriptor, ordinem & prope momenta temporum notat, quibus peregrinæ gentes in Britanniam immigrarunt. Hæc ſunt verba ejus, e libro primo, *In primis autem inſula Brittones ſolum, a quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu Armoricano (ut fertur) in Britanniam advecti, auſtrales ſibi partes illius vindicarunt. Et cum plurimam inſulæ partem (incipientes ab auſtro) poſſediſſent, contigit gentem Pictorum de Scythia (ut perhibent) longis navibus non multis Oceanum ingreſſam, circumagente flatu ventorum, extra fines omnes Britanniæ, in Hiberniam perveniſſe.* Et paullo poſt: *Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per ſeptentrionales partes inſulæ cœperunt: nam auſtrina Brittones occupaverant.* Tandem, poſt paucos verſus, adjicit: *Proceden-*

1 *Ad hoc natio, etiam tunc rudis, & ſoli Britanni Pictis modo & Hibernis aſſueta hoſtibus.*] Vix alius apud veteres occurrit locus de cujus ſenſu viri docti tantum pulveris excitarunt. Vide, præter Luddum, alterum etiam Luddum Epiſcopum Aſaphenſem, De antiq. regim. Eccleſ. Britan. ejuſque Hyperaſpiſten Stillingfletium Orig. Brit. qui luculentum hocce de gentis Scoticæ vetuſtate teſtimonium nobis quo jure quave injuria ereptum eunt. At non impune ferre paſſus eſt egregius harum rerum indagator D. Georgius Mackenzæus, qui duobus libris ea de re ſcriptis ſuam Scotis antiquitatem adverſus illorum auctorum cavillationes & effugia ſtrenue aſſeruit.

1 *Ar-*

dente autem tempore, Britannia poſt Brittones & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit. Deinde, poſt multos verſus, addit: *Verum eadem Britannia Romanis uſque ad C. Julium Cæſarem inacceſſa atque incognita fuit.* Quæſo te, quicunque hæc leges, hic animadverte, unde, quo tempore, quo ordine, ſcriptor, Luddo multo antiquior & gravior, has nationes Britanniam ingreſſas affirmet: nempe Brittones ex Armorico tractu, tempore incomperto, externorum ordine primos: Pictos e Scythia in Britanniæ partem adhuc habitatorum vacuam, nec adeo diu poſt adventum Brittonum, qui nondum in tantam multitudinem creverant, ut totam inſulam occupare poſſent. Quid ergo Scoti? quando in Britanniam venerunt? *procedente*, inquit, *tempore:* nempe, concedentibus in ſua parte ſedes vacuas Pictis, ad priores ultimi acceſſerunt. Brittones igitur, teſte Beda, ex [1]Armorica Gallica, nec adeo diu poſt Picti e Scythia, utrique autem in vacua, venerunt: tandem, inſula inter eos diviſa, Scoti non vi ingreſſi, ſed in ſortem Pictorum recepti fuerunt: idque diu antequam Romanis eſſet cognita Britannia. Hîc quid Luddo facies, qui teſtes ſui mendacii Gildam & Bedam facit: nempe quod Scoti & Picti, imperante Romæ Honorio, primum in Britannia ceperint ſedes, [2]anno a Chriſto quadringenteſimo ac vigeſimo: quorum Gildas nihil pro Luddo facit, Beda eum mendacii coarguit. Tu vero, lector, nec Luddo, nec mihi, ſed tuis oculis crede, & utriuſque ſcriptoris locos diligenter expende.

XLII. At vero Dion, inquit, *Caledonios* vocat *Britannos:* vocat ſane & Lucanus, ut ante dictum eſt, & Martialis in illo verſu, lib. x. Epig. 44.

Quinte Caledonios Ovidi viſure Britannos.

Sed nullus eorum propterea Pictos eos fuiſſe negat: ſed jure tamen optimo Britannos vocant. Nam, quemadmodum tota inſula Britannia vocatur, ita univerſi ejus incolæ Britanni merito vocabuntur. Verum, quemadmodum inſulæ Siciliæ habitatores, a Romanis univerſi vocantur Siculi ſine ullo diſcrimine, ipſi vero ſe, [3]alii Σικελὺς, alii Σικελιώτας, appellabant; ita Britanniæ totius incolæ Britanni exteris appellantur, ipſi vero antiquos habitatores ſæpiſſime Brittones, reliquas vero gentes in ea degentes, plerumque privatis nationum nominibus, interim vero communi Britannorum vocabulo, nuncupant. Igitur Caledonii, Picti, Scoti, interim ſuo quæque gens nomine, interim communi Britannorum vocabulo, nec adeo raro, cenſentur. At Brittones eos, quantum memini, nemo adhuc vocavit. Eſt & aliud diſcrimen apud eos animadvertendum in voce Britannia, quale eſt apud Græcos & Latinos in voce Aſia. Eſt enim Aſia interdum tertia pars terræ habitabilis, interim majoris illius Aſiæ pars, quæ citra Taurum montem, & minor Aſia appellari ſolet: ita Britannia, modo nomen eſt inſulæ univerſæ, modo partis ejus, quæ Romanis faſcibus

1 *Armorica Gallica.*] Melvinus legendum cenſet *Gallia*: atqui non eſt opus, pari enim modo Belgicam Armoricam dicit, lib. IV. c. 44.

2 *Anno a Chriſto.*] Addendum forte *nato.*

3 *Alii* Σικελὺς, *alii* Σικελιώτας.] Ita MS. & Græcis quidem literarum characteribus: pro quo editi omnes *alii Sicelos vel Siceliotas* perperam exhibent.

1 *In*

bus parebat: eaque pars nunc Humbro fluvio, nunc Hadriani, nunc Severi vallo, finiebatur. Ejus autem partis habitatores, ſæpius a Britannis ſcriptoribus Brittones, quam Britanni nominantur: cæteros vero inſulæ habitatores, nempe Scotos & Pictos, interim Britannos, interim peregrinos & tranſmarinos, Beda vocat. Idem quoque diſcrimen apud Monumetenſem monachum, & Gulielmum Malmesburienſem, obſervare eſt. Quamobrem Caledonii nihilo magis erunt Brittones, ſi a Dione, Martiale, Lucano, aut alio probo ſcriptore, Britanni dicantur, quam Brutii fient Romani, etiamſi utrique ſint Itali. Hæc ſi animadvertiſſet Luddus, nunquam [1] in tantas tenebras ſe induiſſet, & de re non ſatis cognita tam temere & inconſiderate pronunciaſſet, Caledonioſque, quia vocentur a Dione Britanni, Pictos fuiſſe negaret.

XLIII. Nec eſt quod miretur Luddus, quod cum Scoti & Picti, tot, non dico annos, ſed ſecula, in Britannia habitaverint, nemo tamen paullo vetuſtior ſcriptor eorum meminerit ante Ammianum Marcellinum & Claudianum. Nam, ut omittam Vallos, Cambros, Loëgros, nuper nota mundo nomina, poſſum & ego eum rogare, cum tot Græci & Latini res Græcorum mandarint memoriæ, cur nemo Græcus Græcos, aut Romanus Hellenas, nominet? cur tam ſero nomina nationum, quarum modo memini, in hiſtoriam Britannicam irrepſerint, quæ Cambrobritannus iſte vult videri vetuſta? Item, ſi quem Anglum roges, cujas ſit, nemo Saxonem ſe profitebitur, cum Scoti, Picti, Hiberni, utrique Brittones, (& qui Britanniam & qui Galliam incolunt,) uno conſenſu perpetuo Saxones eos vocent? cur priſci Scoti, ne nunc quidem, Scotorum nomen agnoſcant? Non debet igitur nobis abſurdum videri, ſi Romanis, captivos rogantibus cujus gentis eſſent, alius Mæatam, alius Attacottum, alius Caledonium, ſe eſſe diceret; & quæ ab eis acceperint exteræ gentes, ea nomina retinuerint, & in ſermone publico uſurpaverint. Nec erit, opinor, incredibile, alia nomina hiſtoricis & peregrinis, alia popularibus eſſe notiora.

XLIV. Etſi ſatis ex his liquet, Scotorum & Pictorum in Britanniam adventum, non modo antiquiorem, quam contendat Luddus, ſed non adeo diu Brittonum adventu poſteriorem fuiſſe, adjiciam & alias non ſpernendas conjecturas. Brigantes, magna & valida natio, trans Humbrum, nempe circa Eboracum, habitabant, ac totius inſulæ latitudinem inter duo maria obtinebant. Hos, non e proximo Galliæ tractu, in quo nulli Brigantes habitaſſe dicantur, ſed ex Hiſpania in Hiberniam, ex Hibernia in Britanniam propinquam, immigraſſe eſt veriſimile, nec a conjectura Cornelii Taciti, quam de antiquis inſulæ cultoribus facit, abhorrens. Si ab Hibernia Brigantes advenere, Scotici profecto generis, uti & reliqui omnes Hiberniæ habitatores, fuere. Hanc noſtram ſententiam videtur etiam Seneca confirmare, in elegantiſſima illa de morte Claudii ſatyra, his verbis,

Ille

[1] *In tantas tenebras ſe induiſſet.*] Pari modo quo Plautus Caſ. 1. verſ. 25. dixit *Induere ſe in laqueum.* & Virg. Geo. 1. 188. *Nux induit ſe in florem.*

In

Ille Britannos *Ultra noti* *Littora ponti,*
Et cœruleos *Scuta Brigantas* *Dare Romuleis.*
Colla catenis *Juſſit, & ipſum* *Nova Romanæ*
Jura ſecuris *Tremere Oceanum.*

In his verſibus, pro *Scuta Brigantas*, Joſephus Scaliger Julii filius legendum cenſet *Scotobrigantas*. Is juvenis quanta ſit eruditione & judicio, quaque in vetuſtis ſcriptis conferendis induſtria, & abſtruſis ſenſibus eruendis acumine, monumenta ab eo edita teſtantur. In præſentia autem, cum res Britannicas illuſtrandas ſuſcepiſſem, ejus judicium non cenſui omittendum. Id autem cur verum exiſtimem, paucis exponam. Etenim, cum legamus apud Cæſarem, alioſque ſcriptores non minus diligentia quam eruditione præſtantes, Britannos glaſto ſolitos inficere corpora, ac, juxta Herodianum, ſcutis anguſtis, (qualia Livius Gallis Aſiaticis tribuit,) nec in armis inſigni ullo uſos ornamento; abſurdum videbatur, corporis, quod pingebatur, mentione omiſſa, ſcuti, quod non pingebatur, meminiſſe. Pingebantur autem veteres Britanni, non ad decorem, ut aliæ non paucæ nationes: ſed ut cœruleus color terribiliorem pugnantium ſpeciem in acie hoſtibus offerret. Is vero color quomodo in anguſto ſcuto terribilis videri poſſet, non intelligo. Itaque veriſimile eſt, ab homine doctiſſimo, & Britannicarum rerum perito, ut qui totam inſulam, juxta Dionem, uſuris oppreſſam teneret, *Scotobrigantas* ſcriptum fuiſſe, ut diverſi ab Hiſpanis & Gallis Brigantibus intelligerentur. Eodem quoque pertinet illud, quod eodem carmine Britannos & Brigantes ſperavit, velut diverſas nationes: quod a nonnullis Britannicis ſcriptoribus eſt factum, qui Britanniæ finem Humbrum faciunt.

XLV. Atque hæc res parum animadverſa Hectorem Boethium, opinor, fefellit, qui cum Silures & Brigantes alicubi legiſſet Scotos appellari, utpote ex Hibernia oriundos, eos in parte regni Scotorum [1] in Albio collocaret. Ejus error, etſi alios jure offenderet, non tamen ita erat a Luddo exagitandus, cum ipſe non levius in eodem genere impegerit, qui Cumbros (aut, ut ipſi ſe vocant, Cumros) ad ſpoliandum orbem terrarum e Britanniæ angulo emiſerit. Cimbros enim & Britannos, ex uno & altero vocabulo, quod utriſque commune fuit, ejuſdem gentis fuiſſe colligit. Ea ſunt, *Moremaruſa* & *Trimarchia*. Ubi operæ pretium eſt videre hominis in diſputando acumen, & colligendo ſubtilitatem. Hoc, inquit, vocabulum, *Moremaruſa*, Britannicum eſt. Cimbricum erat, nec ullius præterea, quæ ad mare Balticum habitet, gentis. At cum noſtri ea voce utantur, eodemque nomine cenſeantur cum alteris illis Cimbris, ejuſdem igitur gentis, ejuſdem nationis erant utrique. Primum, hic partim falſa pro veris, partim incerta pro certis ſumit. Nam utroſque Cimbros vocari manifeſtum eſt mendacium, vel ipſo Luddo teſte, qui ſuos cives Cambros, a Rege Cambro dictos, ſcribit, & ſe Cambrobritannum appellat. Poſſem idem omnium civium tuorum teſtimonio falſum convincere, qui ſe non Cimbros, ſed Cumros vocant. Ut hoc autem falſum, ita illud incertum eſt, an

1 *In Albio collocaret.*] Forte *collocavit*, aut altero ante verſu pro *qui*, legendum *ut*.

an alii ad mare Balticum accolentes populi, ea voce, quam tu Cimbris unis tribuis, uterentur: præſertim cum ex Tacito conſtet, plures gentes in eo Germaniæ tractu Gallice locutas, & ſuperius a nobis oſtenſum ſit, eam vocem Gallicam fuiſſe. Sed fuerit utrumque horum verum. Quid? tu id ſatis exiſtimas, ad iſtam concluſionem colligendam? Legiſtine aliquando Cn. Pompeji milites, cum ipſe res in Aſia gereret, ab Albanis, in monte Caucaſo habitantibus, fratres fuiſſe ſalutatos, propter commune nomen Albanorum? Neque dubito, ſi quis utriuſque gentis linguam obſervaſſet, quin unum aut alterum vocabulum, rem eandem ſignificans, inveniſſet. Sed deerat illis Luddus, qui, quod uterque populus quædam vocabula communia haberent, utroſque gentis ejuſdem eſſe oſtenderet. Quid, quod concluſionis vitium cæculus ille viſus eſt animadvertiſſe, cum adjicit, Cimbros a Germanis Æſtiones vocari? Id ut confirmaret, explicandum ei erat, quando & cur Cimbri in Æſtiones, aut Æſtiones iterum in Cimbros, fuerint transformati. Horum ille nihil, niſi quod Britannicam hiſtoriam ex Mileſiis Gallorum fabulis collectam, ac fragmentum quoddam citat, unde iſte, non jam antiquarius, ſed vel veteramentarius, vel ſcrutarius, & (ſi ita loqui liceat) fragmentarius, nova regna novaſque gentes nobis conſuit: idque magno cum labore, nec ullo tamen veriſimili colore: cum tamen obvium ei eſſet (niſi forte id eum refugerat) Cimbrici nominis communicati cum Vallis cauſſas invenire. Plutarchus enim non nationis ſed ſtudii nomen id eſſe putat, eoque Germanis latrones intelligi. In eodem intellectu Suidas, non ignobilis inter Græcos Grammaticus, eandem vocem agnoſcit, & apud Latinos Feſtus Pompejus ſcribit Cimbros a Gallis dici latrones. Horum ſententiam ſi ſequamur, non erit difficile repertu, unde Cimbri, quos Luddus in Britannia collocat, id nomen acceperint, præſertim cum vicini Angli, hoc etiam ſeculo, eorum ab eo ſtudio mores non abhorrere affirment. Livius certe ſervum illum, ad Marium in carcere Minturnenſium occidendum miſſum, Gallum, Lucanus Cimbrum, nemo ſcriptor illuſtrior Britannum, appellat. Hæc ſi Luddus animadvertiſſet, aut ſi animadverſum tenere maluiſſet, quam nova monſtra ſibi confingere, non fuiſſet ei neceſſe, omnem Britanniam uno momento, aut verius uno mendacio, omni militari juventute exhauſta, ſexcentis millibus capitum eductis, propemodum deſertam relinquere.

XLVI. Non vacat hîc minutatim exquirere, quibus pueris Valli Cimbricorum Regum dare nomina ſoleant: id enim etiam homo diligens pro argumento generis nobis affert. Ea autem nomina (niſi fallor) pauca, præ Latinis, Germanis & Syris, comperiet. Quod ſi e propriis virorum nominibus, quæ plerumque aut temere a parentibus dantur, aut ambitioſe ex hiſtoria aliqua adoptantur, ſolidum argumentum peti poſſet, hac ratione Luddus cives ſuos Judæos, Romanos, aut Germanos, facilius quam Cimbros eſſe perſuaderet, aut ſi ſuos admonere voluiſſet, ut in Baptiſmo pueris ex hiſtoriis eruta nomina darent, intra non adeo multos annos, gentem ſuam, in quam vellet nationem, transformandam curaret. De nominibus autem Regum Cimbrorum, quæ pueris ait dari ſolita, illud libenter hominem rogarem, e quo illa oraculo acce-

ceperit, niſi ſcirem, nunquam illi defuturum fragmentum aliquod, unde quidvis probet. Illud autem mirari ſubit, de Cimbrica iſta expeditione, quomodo omni militari ætate emiſſa, intra quadraginta annos (tantum fere ſpatium fuit a bello Cimbrico, uſque ad C. Cæſaris adventum in Britanniam) tam cito tantas vires Vallia veſtra recuperaverit: præſertim cum, rebus Britannicis multo florentioribus, à Maximo longe paucioribus eductis, nunquam deinde Brittones caput extulerint, donec in acerbiſſimam ſervitutem a Saxonibus fuerint pertracti; aut quomodo Cæſar, qui per ætatem belli Cimbrici meminiſſe poterat, cum in Britanniam veniſſet, homo doctus, & Marianarum partium ſtudioſus, nihil de Cimbrica iſta expeditione percunctando compererit. Demum illud ſcire cupio, ludens an ſerio Luddus adjecerit, e pari auri & argenti contemtu colligi utrorumque Cimbrorum cognationem. Hìc libenter ex eo quærerem, parcoſne & frugi ſerio vocet illos Cimbros, qui Galliis & Hiſpaniæ parte, non dico, vexatis aut ſpoliatis, ſed proculcatis & pene ad vaſtitatem redactis, tamen ad prædam magis opimam in Italiam properabant: quorum opulentiam, ex latrociniis collectam, æmulati Helvetii, & ipſi latrones evaſerint, ut eſt apud Strabonem lib. VII. Hos tu homines frugi & temperantes vocare audes: ac, ne parum vere Cimbricum nomen vobis conveniat, tuos cives ſtudiorum, quibus illi aſſueverant, vis æmulos fuiſſe: teque ipſum in primis, qui ad hoc quantulumcunque gloriæ latrocinium per omnes nationes graſſaris: nec contentus, res geſtas Cimbrorum tuis vindicare, niſi æque impudenti figmento Sicambros veſtri generis fuiſſe contendas: & quia in utriuſque gentis nomine quædam ſimilitudo literarum ineſt, ex ea verborum cognatione ſanguinis conjunctionem es commentus.

XLVII. Deinde e Sicambris Franci, & nati natorum, vobis erunt cognati: ac multis demum contabulatis mendaciorum ordinibus, pontem ad retrahendos Brennos illos fugaces ſtruis, quorum alter, qui Romam cepit, cum alterum, qui Delphos obſedit, circiter centum annis præceſſerit, tu utrumque in unum corpus coagmentas, ut novum ex homine vivo & mortuo nobis monſtrum conficias. Quaſi vero difficile eſſet alioqui probare, in ea, quæ te genuit terra, monſtra naſci. At duos, inquit Luddus, Brennos nemo, præter Polydorum Virgilium, tradit. Fugit te, Ludde, ratio, aut certe non legiſti quartum Strabonis librum, ubi ſcribit, alterum Brennum, qui Delphos oppugnavit, a quibuſdam Prauſum exiſtimari. Imo non Strabo ſolus, ſed quicunque Romam a Brenno captam, & ſupra centum annos poſterius Delphos a Brenno obſeſſos, credit, is duos Brennos facit: cum utrumque horum ab uno geri non potuerit. Quod ſi monacho, hiſtoriæ Britannicæ architecto, credimus, Brennus Belini frater hos ambos Brennos trecentis annis præceſſit: qui, ſi in Italiam duxiſſet, non cum populo Romano libero, ſed cum Numa Rege, aut Tullo Hoſtilio, congredi debebat. Sed his omiſſis, videamus, unde novus hic Dialecticus colligat, Brennum fuiſſe Britannum: ex uno videlicet vocabulo *Trimarchia*, quod certe vocabulum Scotis & Gallis erat cum Vallis commune. Pauſanias certe, lib. X. cap. 19. quem tu truncatum citas, ut ad rem tuam faciat, Brennum comiteſque ejus Gallos appellat; & vocem illam pro Gallica

 agno-

agnoſcit. Tu vero, quæ tua eſt impudentia, Brennum, adverſus omnium ſcriptorum fidem, qui Græce & Latine ſcripſerunt hiſtorias, unus, non modo Minerva, ſed Muſis omnibus invitis, Britannum eſſe contendis. Hæc nos fortaſſe paullo pluribus, quam aut rerum obſcuritas deſiderabat, aut Luddi imperitia & inconſtantia merebatur, perſecuti ſumus, non ſtudio reprehendendi, (quod a nobis procul abeſt, ſed ut hominis loquaciter maledici inſulſam procacitatem paullum retunderem, & a rabie, qua in omnes fere ſcriptores graſſatur, aliquando ad ſua eum errata recognoſcenda revocarem. Ac ut cæteros omittam in præſentia, in Hectorem Boethium, non ſolum artium liberalium cognitione, ſupra quam illa ferebant tempora, inſignem, ſed humanitate & comitate ſingulari præditum, incurrit ſcurriliter: ſed ita incurrit, ut nihil in eo reprehendat, quin ipſe in eodem genere turpius errarit. Hector in Gallovidia Brigantes collocavit, falſo quidem ille, neque enim errata ejus defendere eſt animus: Luddus ingentes Cimbrorum copias e Britanniæ angulo educit; quam recte, penes doctos eſto judicium. Hector res ab aliis in Britannia contra Romanos geſtas Scotis ſuis attribuit. Luddus captam Romam, vexatam Macedoniam, afflictam Græciam, nobiliſſimum orbis terrarum oraculum ſacrilegio violatum, Aſiam coactam paucis errabundis tributum pendere, impudenter Brittonibus ſuis aſcribit. Hectori vitio dat, & quidem falſo, quod Gildonem, qui maximum in Africa motum concivit, Scotum faciat: nec ipſe dubitat eundem Gildonem, qui Maurus erat, Gothum affirmare. At Gildus & Gildo propinqua ſunt nomina. An magis, quam Luddus, Lydus, & Ludio? Certe Gildus vetus eſt in Scotia nomen, ut vetus Makgildorum, ſive Makgillorum, gens indicat: e cujus poſteris honeſtæ adhuc in Scotia & Anglia ſunt familiæ. Sed cum ea linguæ intemperantia ſit Luddus, ut, modo male dicat, nihil penſi habeat quid dicat; nos, eo relicto, finem faciamus, hoc tantum admonentes, ut

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

LIBER TERTIUS.

I. [1] QUanquam ſuperioribus libris ſatis demonſtraſſe videmur, quam non modo fabuloſa, ſed portentoſa ſint, quæ rerum Britannicarum ſcriptores de majoribus ſuis tradiderunt; ac certiſſimis indiciis oſtendimus, veteres Britannos e Galliis fuiſſe oriundos: tamen, quia rem nobis eſſe videbamus potius cum hominibus pertinaciter in manifeſto hærentibus mendacio, quam temere per ignorantiam lapſis, operæ pretium me facturum

1 *Quanquam ſuperioribus libris.*] Cum hic tertius liber nihil aliud quam præcipua veterum ſcriptorum qui de Britannia commeminere loca complectatur, Buchanani autem tempore non niſi corruptæ eorum editiones prodiiſſent, dabunt nobis æqui lectores veniam quod recta potius quam prava ſequi volentes ea ex optimis codicibus exhibuimus.

rum exiſtimavi, ſi ex ſcriptoribus, quorum ſumma apud omnes doctos eſſet auctoritas, hominum male feriatorum retunderem audaciam, & viris bonis ac veri ſtudioſis ad cohibendam eorum impudentiam arma ſuppeditarem. Hoc in genere C. JULIO CÆSARI jure principatum tribuendum exiſtimavi, vel ob diligentiam in indagando, vel cognitionis certitudinem, vel explicandi ſinceritatem. Is in *quinto Commentariorum belli Gallici* cap. 12. & ſeq. de BRITANNIA hoc habet.

„II. BRITANNIÆ pars interior ab iis incolitur, quos natos in inſula ipſa „memoria proditum dicunt: maritima pars ab iis, qui prædæ ac belli inferen„di cauſſa ex Belgio tranſierant: qui omnes fere iis nominibus civitatum appel„lantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt, & bello illato ibi reman„ſerunt, atque agros colere cœperunt. Hominum eſt infinita multitudo, cre„berrimaque ædificia fere Gallicis conſimilia: pecoris magnus numerus: utun„tur aut nummo æreo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro „nummo. Naſcitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus, in ma„ritimis ferrum, ſed ejus exigua eſt copia: ære utuntur importato. Materia „cujuſque generis, ut in Gallia, eſt, præter fagum atque abietem. Leporem „& gallinam & anſerem guſtare, fas non putant: hæc tamen alunt animi vo„luptatiſque cauſſa. Loca ſunt temperatiora quam in Gallia, remiſſioribus „frigoribus. Inſula natura triquetra, cujus unum latus eſt contra Galliam. Hu„jus lateris alter angulus, qui eſt ad Cantium, quo fere ex Gallia naves appel„luntur, ad orientem ſolem, inferior ad meridiem ſpectat. Hoc latus tenet „circiter millia paſſuum D. alterum vergit ad Hiſpaniam, atque occidentem „ſolem, qua ex parte eſt Hibernia, dimidio minor, ut exiſtimatur, quam „Britannia; ſed pari ſpatio tranſmiſſus, atque ex Gallia, eſt in Britanniam. In „hoc medio curſu eſt inſula, quæ appellatur Mona. Complures præterea „minores objectæ inſulæ exiſtimantur, de quibus inſulis nonnulli ſcripſerunt, „dies continuos XXX. ſub bruma eſſe noctem. Nos nihil de eo percuncta„tionibus reperiebamus, niſi certis ex aqua menſuris, breviores eſſe noctes, „quam in continente, videbamus. Hujus eſt longitudo lateris, ut fert illo„rum opinio, DCC. millia paſſuum. Tertium eſt contra ſeptentrionem: cui „parti nulla eſt objecta terra, ſed ejus angulus lateris maxime ad Germaniam „ſpectat. Huic millia paſſuum DCCC. in longitudinem eſſe exiſtimatur. Ita „omnis inſula eſt in circuitu vicies centena millia paſſuum. Ex his omnibus „longe ſunt humaniſſimi qui Cantium incolunt: quæ regio eſt maritima omnis; „neque multum a Gallica differunt conſuetudine. Interiores plerique frumen„ta non ſerunt, ſed lacte & carne vivunt; pellibuſque ſunt veſtiti. Omnes „vero ſe Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem: atque hoc „horribiliore ſunt in pugna adſpectu: capilloque ſunt promiſſo; atque omni „parte corporis raſa, præter caput & labrum ſuperius. Uxores habent deni „duodenique inter ſe communes, & maxime fratres cum fratribus, & paren„tes cum liberis. Sed ſi qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, a quibus pri„mum virgines quæque ductæ ſunt.

Et infra, cap. 20.

„ Ab his cognoſcit, non longe ex eo loco oppidum Caſſivellauni abeſſe, ſil- „ vis paludibuſque munitum, quo ſatis magnus hominum pecoriſque numerus „ convenerit. Oppidum autem Britanni vocant, cum ſilvas impeditas vallo „ atque foſſa munierunt, quo, incurſionis hoſtium vitandæ cauſſa, convenire „ conſueverunt. Eo proficiſcitur cum legionibus: locum reperit egregie na- „ tura atque opere munitum: tamen hunc duabus ex partibus oppugnare con- „ tendit. Hoſtes paulliſper morati militum noſtrorum impetum non tulerunt, „ ſeſeque ex alia parte oppidi ejecerunt. Magnus ibi numerus pecoris repertus: „ multique in fuga ſunt comprehenſi atque interfecti.

DE JULII AGRICOLÆ VITA TACITUS, cap. x. & ſeq.

„ III. Britanniæ ſitum populoſque multis ſcriptoribus memoratos, non in „ comparationem curæ ingeniive referam: ſed quia tum primum perdomita eſt. „ Itaque quæ priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tra- „ dentur. Britannia, inſularum quas Romana notitia complectitur maxima, „ ſpatio ac cœlo in orientem Germaniæ, in occidentem Hiſpaniæ obtenditur: „ Gallis in meridiem etiam inſpicitur: ſeptentrionalia ejus, nullis contra ter- „ ris, vaſto atque aperto mari pulſantur. Formam totius Britanniæ, Livius „ veterum, Fabius Ruſticus recentium eloquentiſſimi auctores, oblongæ ſcu- „ tulæ vel bipenni aſſimilavere: & eſt ea facies citra Caledoniam, unde & in „ univerſum fama eſt tranſgreſſa: ſed immenſum & enorme ſpatium procur- „ rentium extremo jam littore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc „ oram noviſſimi maris tunc primum Romana claſſis circumvecta, inſulam eſſe „ Britanniam affirmavit, ac ſimul incognitas ad id tempus inſulas, quas Orca- „ das vocant, invenit, domuitque. Diſpecta eſt & Thyle, quam hactenus „ nix & hiems abdebat. Sed mare pigrum & grave remigantibus perhibent: „ ne ventis quidem proinde attolli: credo, quod rariores terræ monteſque, „ cauſſa ac materia tempeſtatum; & profunda moles continui maris tardius „ impellitur. Naturam Oceani atque æſtus neque quærere hujus operis eſt, „ ac multi retulere. Unum addiderim, nuſquam latius dominari mare, mul- „ tum fluminum huc atque illuc ferre, nec littore tenus accreſcere aut reſor- „ beri, ſed influere penitus atque ambire, etiam jugis atque montibus inſeri „ velut in ſuo. Cæterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ „ an advecti, ut inter Barbaros, parum compertum. Habitus corporum va- „ rii: atque ex eo argumenta. Namque rutilæ Caledoniam habitantium co- „ mæ, magni artus, Germanicam originem aſſeverant. Silurum colorati vul- „ tus, & torti plerumque crines, & poſitu contra Hiſpaniam, Iberos veteres „ trajeciſſe, eaſque ſedes occupaſſe, fidem faciunt. Proximi Gallis, & ſimi- „ les ſunt: ſeu durante originis vi; ſeu procurrentibus in diverſa terris, poſitio „ cœli corporibus habitum dedit. In univerſum tamen æſtimanti, Gallos vi- „ cinum ſolum occupaſſe credibile eſt. Eorum ſacra deprehendas, ſuperſti- „ tionum perſuaſione. Sermo haud multum diverſus: in depoſcendis periculis

„ ca-

„eadem audacia; & ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociæ Britanni præferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam „Gallos quoque in bellis floruiſſe accepimus. Mox ſegnitia cum otio intravit, „amiſſa virtute pariter ac libertate; quod Britannorum olim victis evenit: „cæteri manent quales Galli fuerunt. In pedite robur: quædam nationes, & „curru præliantur: honeſtior auriga, clientes propugnant. Olim Regibus parebant, nunc per principes factionibus & ſtudiis trahuntur. Nec aliud ad„verſus validiſſimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non „conſulunt. Rarus duabus tribuſve civitatibus ad propulſandum commune „periculum conventus: ita dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur. Cœ„lum crebris imbribus ac nebulis fœdum. Aſperitas frigorum abeſt. Dierum „ſpatia ultra noſtri orbis menſuram, & nox clara, & extrema Britanniæ parte „brevis, ut finem atque initium lucis exiguo diſcrimine internoſcas. Quod „ſi nubes non officiant, aſpici per noctem ſolis fulgorem, nec occidere, & „exſurgere, ſed tranſire affirmant: ſcilicet extrema & plana terrarum humili „umbra non erigunt tenebras, infraque cœlum & ſidera nox cadit. Solum, „præter oleam vitemque & cætera calidioribus terris oriri ſueta, patiens fru„gum, fœcundum. Tarde miteſcunt, cito proveniunt. Eademque utriuſ„que rei cauſſa, multus humor terrarum cœlique. Fert Britannia aurum & „argentum & alia metalla, pretium victoriæ. Gignit & Oceanus margarita, „ſed ſubfuſca ac liventia. Quidam artem abeſſe legentibus arbitrantur. Nam „in Rubro mari viva ac ſpirantia ſaxis avelli, in Britannia prout expulſa ſint „colligi. Ego facilius crediderim naturam margaritis deeſſe, quam nobis ava„ritiam. Ipſi Britanni delectum, ac tributa, & injuncta imperii munera, „impigre obeunt, ſi injuriæ abſint: has ægre tolerant, jam domiti ut pa„reant, nondum ut ſerviant. Igitur primus omnium Romanorum D. Julius „cum exercitu Britanniam ingreſſus, quanquam proſpera pugna terruerit inco„las, ac littore potitus ſit, poteſt videri oſtendiſſe poſteris, non tradidiſſe. „Mox bella civilia, & in rempublicam verſa principum arma, ac longa obli„vio Britanniæ etiam in pace. Conſilium id D. Auguſtus vocabat, Tiberius „præcipue. Agitaſſe C. Cæſarem de intranda Britannia ſatis conſtat, ni ve„lox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes adverſus Germaniam conatus „fruſtra fuiſſent. Divus Claudius auctor operis, tranſvectis legionibus auxiliiſ„que, & aſſumto in partem rerum Veſpaſiano. Quod initium venturæ mox „fortunæ fuit, domitæ gentes, capti Reges, & monſtratus fatis Veſpaſianus. „Conſularium primus Aulus Plautius præpoſitus, ac ſubinde Oſtorius Sca„pula, uterque bello egregius: redactaque paullatim in formam provinciæ „proxima pars Britanniæ: addita inſuper veteranorum colonia. Quædam ci„vitates Cogiduno Regi donatæ. Is ad noſtram uſque memoriam fidiſſimus „manſit, vetere ac jampridem recepta populi Romani conſuetudine, ut habe„ret inſtrumenta ſervitutis & Reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus „continuit, paucis admodum caſtellis in ulteriora promotis, per quæ fama „aucti officii quæreretur. Didium Veranius excepit, iſque intra annum ex„ſtinctus eſt. Suetonius hinc Paullinus biennio proſperas res habuit,

„ſuba-

,,ſubactis nationibus, firmatiſque præſidiis: quorum fiducia Monam inſulam,
,,ut vires rebellibus miniſtrantem, aggreſſus, terga occaſioni patefecit.
,,Namque abſentia legati remoto metu, Britanni agitare inter ſe mala ſervitutis, conferre injurias, & interpretando accendere: *Nihil profici patientia, niſi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos ſibi olim Reges fuiſſe, nunc binos imponi; e quibus legatus in ſanguinem, procurator in bona ſæviret: æque diſcordiam præpoſitorum, æque concordiam ſubjectis exitioſam: alterius manus, centuriones; alterius, vim & contumelias miſcere: nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum. In prælio fortiorem eſſe qui ſpoliet: nunc ab ignavis plerumque & imbellibus eripi domos, abſtrahi liberos, injungi delectus, tanquam mori tantum pro patria neſcientibus. Quantum enim tranſiſſe militum, ſi ſeſe Britanni numerent? Sic Germanias excuſſiſſe jugum, & flumine non Oceano defendi: ſibi patriam, conjuges, parentes; illis avaritiam & luxuriam cauſſas belli eſſe: receſſuros, ut Divus Julius receſſiſſet, modo virtutes majorum ſuorum æmularentur: neve prælii unius aut alterius eventu paveſcerent. Plus impetus, majorem conſtantiam penes miſeros eſſe. Jam Britannorum etiam Deos miſereri, qui Romanum ducem abſentem, qui relegatum in alia inſula exercitum detinerent: jam ipſos, quod difficillimum fuerit, deliberare. Porro in ejuſmodi conſiliis periculoſius eſſe deprehendi, quam audere.* His atque talibus invicem inſtincti, Voadica generis Regii fœmina duce (neque enim ſexum in imperiis diſcernunt) ſumſere univerſi bellum: ac ſparſos per caſtella milites conſectati, expugnatis præſidiis, ipſam coloniam invaſere, ut ſedem ſervitutis: nec ullum in Barbaris ſævitiæ genus omiſit ira & victoria. Quod niſi Paullinus, eo cognito provinciæ motu, propere ſubveniſſet, amiſſa Britannia foret: quam unius prælii fortuna veteri patientiæ reſtituit, tenentibus arma pleriſque, quos conſcientia defectionis, & proprius ex legato timor agitabat, Hic cum egregius cætera, arroganter in deditos, & ut ſuæ quoque injuriæ ultor, durius conſuleret; miſſus Petronius Turpilianus, tanquam exorabilior, & delictis hoſtium novus, eoque pœnitentiæ mitior; compoſitis prioribus, nihil ultra auſus, Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius ſegnior, & nullis caſtrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. . Didicere jam Barbari quoque ignoſcere vitiis blandientibus: & interventus civilium armorum præbuit juſtam ſegnitiæ excuſationem. Sed diſcordia laboratum, cum aſſuetus expeditionibus miles otio laſciviret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precario mox præfuit; ac velut pacti, exercitus licentiam, dux ſalutem. Hæc ſeditio ſine ſanguine ſtetit. Nec Vectius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam diſciplina. Eadem inertia erga hoſtes; ſimilis petulantia caſtrorum: niſi quod innocens Bolanus, & nullis delictis inviſus, caritatem paraverat loco auctoritatis. Sed ubi cum cætero orbe Veſpaſianus & Britanniam reciperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hoſtium ſpes: & terrorem ſtatim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quæ numeroſiſſima provinciæ totius perhibetur, aggreſſus. Multa prælia, & aliquando non incruenta: magnamque

,,Bri-

„Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Et cum Cerialis quidem alterius ſucceſſoris curam famamque obruiſſet, ſuſtinuit quoque molem „Julius Frontinus, vir magnus quantum licebat, validamque & pugnacem „Silurum gentem armis ſubegit; ſuper virtutem hoſtium locorum quoque difficultates eluctatus.

CICERO ad Trebatium, *lib.* VII. *Epiſt. Famil.* 7.

„IV. In Britannia nihil eſſe audio neque auri neque argenti. Id ſi ita eſt, „eſſedum aliquod ſuadeo capias, & ad nos quam primum recurras. Sin autem „ſine Britannia tamen aſſequi quod volumus poſſumus; perfice ut ſis in familiaribus Cæſaris.

PAULUS OROSIUS, *de Hibernia loquens*. lib. I. cap. 2.

„V. Hæc propior Britanniæ, ſpatio terrarum anguſtior, ſed cœli [1] ſoliſque „temperie magis utilis, a Scotorum gentibus colitur. Huic etiam Mevania „inſula proxima eſt, & ipſa ſpatio non parva, ſolo commoda, æque a Scotorum gentibus habitatur.

Idem. lib. VII. cap. 17.

„Severus victor in Britannias defectu pene omnium ſociorum trahitur. Ubi „magnis gravibuſque prœliis ſæpe geſtis, receptam partem inſulæ a cæteris indomitis gentibus vallo diſtinguendam putavit. Itaque magnam foſſam firmiſſimumque vallum, crebris inſuper turribus communitum, per centum triginta & duo millia paſſuum a mari ad mare duxit. *Eadem pene ad verbum* „*habet Ado Archiepiſcopus Viennenſis. Utrinque error in numeris eſt corrigendus*; „*nam pro* CXXXII. *ſcribendum eſt* XXXII.

E SOLINI Cap. XXII.

„VI. Multis inſulis nec ignobilibus circundatur: quarum Hibernia ei proximat magnitudine, inhumana incolarum ritu aſpero: alioquin ita pabuloſa, „ut pecua ibi, niſi interdum a paſcuis arceantur, in periculum agat ſatias. „Illic nullus anguis, avis rara, gens inhoſpita, & bellicoſa. Sanguine interemtorum hauſto, prius victores vultus ſuos oblinunt. Fas ac nefas eodem loco ducunt. Puerpera, ſi quando marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inque os parvuli ſummo mucrone (auſpicium alimentorum) leviter infercit, & gentilibus votis optat, non aliter quam in bello & „inter arma mortem oppetat. Qui ſtudent cultui, dentibus mari nantium „belluarum inſigniunt enſium capulos: candicant enim ad eburnam claritatem: „nam præcipua viris gloria eſt in armorum nitela. Interea apes non habent: „advecto inde ſeu pulvere, ſeu lapillo, ſi quid ſparſeris inter alvearia, examina favos deſerunt. Mare quod Hiberniam & Britanniam interluit, undoſum „inquietumque toto in anno, non niſi pauculis diebus eſt navigabile. Navi-
„gant

1 *Soliſque.*] [Rectius *ſolique.*]

„gant autem vimineis alveis, quos circundant ambitione tergorum bubulorum: „quantocunque tempore curſus tenebit, navigantes eſcis abſtinent. Freti lati„tudinem in centum viginti millia paſſuum diffundi, qui fidem ad verum ra„tiocinati ſunt, æſtimarunt. Siluram quoque inſulam ab ora, quam gens Bri„tanna Dumnonii tenent, turbidum fretum diſtinguit: cujus homines etiamnum „cuſtodiunt morem vetuſtum: nummum refutant: dant res, & accipiunt: „mutationibus neceſſaria potius quam pretiis parant: deos percolunt: ſcientiam „futurorum pariter viri ac fœminæ oſtentant. Thanatos inſula adſpiratur fre„to Gallico, a Britanniæ continente æſtuario tenui ſeparata, frumentariis campis „felix & gleba uberi, nec tantum ſibi verum & aliis ſalubris locis: nam cum „ipſa nullo ſerpatur angue, aſportata inde terra, quoquo gentium invecta ſit, an„gues necat.

Ex libro III. *cap.* 14. *HERODIANI*, *Politiano interprete.*

„VII. At Severus, moras de induſtria nectens, ne vacuo ſibi Romam „redeundum foret, cupidus victoriæ cognominiſque Britannici, legatos qui„dem re infecta domum dimittit, ipſe, quæ bello uſui forent, magna ſolertia „comparabat. Sed in primis tamen curæ habuit pontibus occupare paludes, „ut ſtare in tuto milites, [*facileque per eas diſcurrere*] poſſent, atque in ſolido „præliari. Siquidem Britanniæ pleraque loca frequentibus Oceani alluvioni„bus paludeſcunt. Per eas igitur paludes Barbari ipſi natant, excurſantque ad „ilia uſque demerſi, ac pleraque corporis nudi cœnum contemnunt. Neque „enim veſtis uſum cognorunt, ſed ventrem atque cervicem ferro incingunt: „ornamentum id eſſe, ac divitiarum argumentum exiſtimantes, perinde ut au„rum cæteri Barbari. Quin ipſa notant corpora pictura varia, & omnifariam „formis animalium: quocirca ne induuntur quidem, videlicet picturam corpo„ris ne adoperiant. Sunt autem bellicoſiſſima gens, atque avidiſſima cædis: „tantum ſcuto anguſto lanceaque contenti; præterea gladio nudis corporibus „dependente: loricæ ac galeæ penitus ignorant uſum, impedimentum id eſſe „tranſgrediendis paludibus arbitrantes, quarum vaporibus æſtuque cœlum ibi „ſemper caliginoſum.

Ex AMMIANI MARCELLINI libro xx. *cap.* 1.

„VIII. Hæc per Illyricum, perque Orientem rerum ſeries fuit. Conſula„tu vero Conſtantii decies, terque Juliani, in Britanniis cum Scottorum Picto„rumque gentium ferarum excurſus, rupta quiete condicta, loca limitibus vi„cina vaſtarent, & implicaret formido provincias præteritarum cladium con„gerie feſſas: hiemem agens apud Pariſios Cæſar, diſtractuſque in ſollicitudi„nes varias, verebatur ire ſubſidio tranſmarinis, (ut retulimus ante feciſſe Con„ſtantem:) ne rectore vacuas relinqueret Gallias, Alamannis ad ſævitiam „etiamtum incitatis & bella. Ire igitur ad hæc ratione vel vi componenda „Lupicinum placuit, ea tempeſtate Magiſtrum armorum, bellicoſum ſane, „& caſtrenſis rei peritum, ſed ſupercilia erigentem ut cornua, & de tragico, „quod ajunt, cothurno ſtrepentem: ſuper quo diu ambigebatur, avarus eſ-

„ſet

„ſet potius, an crudelis. Moto ergo velitari auxilio, Erulis ſcilicet & Bata-
„vis, numeriſque Mœſiacorum duobus, adulta hieme Dux antedictus Bono-
„niam venit: quæſitiſque navigiis, & omni impoſito milite, obſervato flatu
„ſecundo ventorum, ad Rutupias ſitas ex adverſo defertur, petitque Lundi-
„nium: ut exinde, ſuſcepto pro rei qualitate conſilio, feſtinaret ocius ad pro-
„cinctum.

Ex ejuſdem libro XXVI. *cap.* 4.

„Picti, Saxoneſque, & Scotti, & Attacotti, Britannos ærumnis vexavere
„continuis.

Ex ejuſdem libro XXVII. *cap.* 8.

„Illud tamen ſufficiet dici, quod eo tempore Picti in duas gentes diviſi, Di-
„calidonas, & Vecturiones, itidemque Attacotti, bellicoſa hominum natio,
„& Scotti, per diverſa vagantes multa populabantur: Gallicanos vero tractus
„Franci & Saxones iiſdem confines, quo quiſque erumpere potuit, terra vel
„mari, prædis acerbis incendiiſque, & captivorum funeribus hominum, vio-
„labant. Ad hæc prohibenda ſi copiam dediſſet fortuna proſperior, orbis ex-
„trema Dux efficaciſſimus petens, cum veniſſet ad Bononiæ littus, quod a
„ſpatio controverſo terrarum anguſtiis reciproci diſtinguitur maris, attolli hor-
„rendis æſtibus adſueti, rurſuſque ſine ulla navigantium noxa in ſpeciem com-
„planari camporum: exinde, tranſmeato lentius freto, defertur Rutupias,
„ſtationem ex adverſo tranquillam. Unde cum conſecuti Batavi veniſſent &
„Eruli, Joviique & Victores, fidentes viribus numeri: egreſſus tendenſque
„ad Lundinium vetus oppidum, quod Auguſtam poſteritas appellavit, diviſis
„plurifariam globis, adortus eſt vagantes hoſtium vaſtatorias manus, graves
„onere ſarcinarum: & propere fuſis qui vinctos homines agebant & pecora,
„prædam excuſſit, quam tributarii perdidere miſerrimi. His denique reſtitu-
„ta omni, præter partem exiguam impenſam militibus feſſis, merſam diffi-
„cultatibus ſuis antehac civitatem, ſed ſubito quam ſalus ſperari potuit recrea-
„tam, in ovantis ſpeciem lætiſſimus introiit. Ubi ad audenda majora proſpero
„ſucceſſu elatus, tutaque ſcrutando conſilia, futuri morabatur ambiguus, dif-
„fuſam variarum gentium plebem, & ferocientem immaniter, non niſi per
„dolos occultiores & improviſos excurſus ſuperari poſſe, captivorum confeſſio-
„nibus & transfugarum indiciis doctus. Denique edictis propoſitis, impuni-
„tateque promiſſa, deſertores ad procinctum vocabat, & multos alios per di-
„verſa libero commeatu diſperſos. Quo monitu ut rediere plerique, incenti-
„vo percitus, retentuſque anxiis curis, Civilem nomine recturum Britannias
„pro Præfectis ad ſe popoſcerat mitti, virum acrioris ingenii, ſed juſti tena-
„cem & recti: itidemque Dulcitium, Ducem ſcientia rei militaris in-
„ſignem.

Ex DIONIS . libro XXXIX.

„IX. Cæſar igitur, Rhenum primus Romanorum cum tranſiſſet, & in

„Britanniam poſtea Pompejo & Craſſo Coſſ. tranſmiſit. Ipſa vero regio habet ultra Morinos CCCCL. minimum ſtadia. Prætenditur vero ultra reliquam Galliam, ac totam propemodum Hiſpaniam, in mare ſe porrigens: & quidem Græcorum & Romanorum antiquiſſimis ignota. Poſteris vero, continens an inſula eſſet, dubitatum eſt, & a multis (vera quidem ignorantibus, ut qui nec ipſi quidem ea vidiſſent, nec ab incolis fando accepiſſent, ſed conjecturas ſequerentur) pro utriuſque partis aut otio aut ſtudio, literis mandata fuerunt. Procedente vero tempore, primum Agricola præfecto, deinde Severo Imperatore, inſulam eſſe dilucide deprehenſum eſt. In hanc igitur tum Cæſar, reliquis in Gallia rebus compoſitis, adjectiſque Morinis, tranſire cupiebat, & qua commodiſſimum erat cum pedite trajecit, non tamen ubi oportuit appulit. Audita enim fama adventus ejus, Britanni omnes aditus continentis præoccuparant. Rupem autem prominentem circumvectus, alibi deſcendit: ac victis qui deſcenſum impediebant, prius in terram ſuos expoſuit: eaque potitus eſt, antequam plures hoſtibus ſe conjungerent: ac deinde ſubſidia ipſa expulit. Barbarorum autem non multi cadebant, qui cum e curribus & equis præliarentur, facile Romanos (quippe quibus nondum equitatus eſſet) eludebant. Attoniti vero ad ea, quæ de eis ex continenti nunciabantur, & quod omnino tranſmittere auſi eſſent, & excendere omnino potuerint, mittunt ad Cæſarem quoſdam e gente Morinorum, amicos ſuos, qui legationem perferrent. Ac primum quidem obſides petenti promiſerunt. Verum cum navales Romanorum copiæ, & quæ aderant, & quæ adventabant, tempeſtate vexarentur, ſententiam quidem mutarunt: nec tamen aperte ſunt eos aggreſſi, (caſtra enim valido præſidio tenebantur: quoſdam vero nacti, velut in pacatum, ad rerum neceſſariarum convectionem miſſos, pene omnes interemerunt, (Cæſar enim reliquis celeriter ſubſidio venit:) ac ſtatim ipſa in caſtra impetum fecerunt: atque ibi, nulla re perpetrata, turpiter fuerunt rejecti: non tamen ad conditiones venerunt, antequam ſæpe male accepti fuiſſent: ac ne Cæſari quidem alioqui cum illis erat in animo paciſci. Cum vero & hiems adeſſet, nec ſatis haberet copiarum ad bellum tum gerendum, & quas advexerat eſſent imminutæ, & Galli per ejus abſentiam res novas moliti eſſent, de pace cum eis invitus egit, pluribus tum petitis obſidibus, paucis vero acceptis. Et ille quidem in continentem revectus, res turbatas compoſuit; nullo neque privatim neque publice ex Britannia operæ pretio perpetrato, niſi quod bello eam petiſſe videatur. Ob hoc enim & ipſe ſibi vehementer placebat, & qui Romæ erant mirifice prædicabant. Nam cum viderent quæ prius ignota fuerant in lucem prolata, & quæ ante ne fando quidem erant audita jam ſibi patefacta, ſpem ex his conſecuturam, velut re exhibitam, amplectebantur, & quæcunque ſpe amplexi erant, tanquam voti jam compotes geſtiebant: atque ob has res ſupplicationes in vigeſimum diem decreverunt.

Ex BEDÆ libri primi cap. 1.

„X. Quinque gentium linguis unam eandemque ſummæ veritatis & veræ ſub-

„ ſublimitatis ſcientiam ſcrutatur & confitetur; Anglorum videlicet, Brittonum, Scottorum, Pictorum & Latinorum, quæ meditatione ſcripturarum cæteris omnibus eſt facta communis. In primis autem hæc inſula Brittones ſolum, a quibus nomen accepit, incolas habuit; qui de tractu Armoricano (ut fertur) Britanniam advecti, auſtrales ſibi partes illius vindicarunt. Et cum plurimam inſulæ partem (incipientes ab Auſtro) poſſediſſent, contigit gentem Pictorum de Scythia (ut perhibent) longis navibus non multis Oceanum ingreſſam, circumagente flatu ventorum, extra fines omnes Britanniæ Hiberniam perveniſſe, ejuſque ſeptentrionales oras intraſſe: atque inventa ibi gente Scottorum, ſibi quoque in partibus illius ſedes petiſſe, nec impetrare potuiſſe.

Ex ejuſdem libri 1. *cap.* 5.

„ Severus, genere Afer Tripolitanus, ab oppido Lepti, decimus ſeptimus ab Auguſto imperium adeptus, decem & ſeptem annis tenuit. Hic natura ſævus, multis ſemper bellis laceſſitus, fortiſſime quidem rempublicam, ſed laborioſiſſime rexit. Victor ergo civilium bellorum, quæ ei graviſſima occurrerant, in Britannias defectu pene omnium ſociorum trahitur, ubi magnis gravibuſque præliis ſæpe geſtis, receptam partem inſulæ, a cæteris indomitis gentibus, non muro (ut quidam æſtimant) ſed vallo diſtinguendam putavit. Murus etenim de lapidibus, vallum vero (quo ad vim hoſtium repellendam caſtra muniuntur) fit de ceſpitibus, quibus circumciſis, e terra velut murus exſtruitur ſupra terram, ita ut ante ſit foſſa, de qua levati ſunt ceſpites, ſupra quam ſudes de lignis fortiſſimis præfiguntur. Itaque Severus magnam foſſam firmiſſimumque vallum, crebris inſuper turribus communitum, a mari ad mare duxit: ibique apud Eboracum oppidum morbo obiit.„

Ex ejuſdem libri 1. *cap.* 12.

„ Exin Britannia in parte Brittonum, omni armato milite, militaribus univerſis copiis, tota floridæ juventutis alacritate ſpoliata, quæ tyrannorum [1] temeritate obducta, nuſquam ultra domum rediit, prædæ tantum patuit, utpote omnis bellici uſus prorſus ignara. Denique ſubito duabus gentibus tranſmarinis vehementer ſævis, Scottorum a Circio, Pictorum ab Aquilone, multos ſtupet gemitque per annos. Tranſmarinas autem dicimus has gentes, non quod extra Britanniam eſſent poſitæ; ſed quia a parte Brittonum erant remotæ, duobus finibus maris interjacentibus, quorum unus ab orientali mari, alter ab occidentali, Britanniæ terras longe lateque irrumpit, quamvis ad ſe invicem pertingere non poſſint. Orientalis habet in medio ſui urbem Guidi; occidentalis ſupra ſe, hoc eſt, ad dexteram ſui, habet urbem Alcluith, quod lingua eorum ſignificat petram Cluith: eſt enim juxta fluvium nominis illius. Ob harum ergo infeſtationem gentium, Brittones legatos Romam cum epiſtolis mittentes, lacrimoſis precibus auxilia fla-

„ gi-

1 *Temeritate obducta.*] Ita optima Chifletii editio, *abducta* tamen malim.

N 3

„gitabant, ſubjectionemque eorum continuam, dummodo hoſtis imminens „longius arceretur, permittebant. Quibus mox legio deſtinatur armata: quæ „ubi in inſulam advecta, & congreſſa eſt cum hoſtibus, magnam eorum multitudinem ſternens, cæteros ſociorum finibus expulit: eoſque interim a diriſſima depreſſione liberatos hortata eſt, inſtruere inter duo maria trans inſulam murum, qui arcendis hoſtibus poſſet eſſe præſidio: ſicque domum „cum triumpho magno reverſa eſt. At inſulani murum, quem juſſi fuerant, „non tam lapidibus quam ceſpitibus conſtruentes, utpote nullum tanti operis „artificem habentes,) ad nihil utilem ſtatuunt. Fecerunt autem eum inter „duo freta, vel ſinus (de quibus diximus) maris, per millia paſſuum plurima: „ut, ubi aquarum munitio deerat, ibi præſidio valli fines ſuos ab hoſtium irruptione defenderent: cujus operis ibidem facti, id eſt, valli latiſſimi & altiſſimi, uſque hodie certiſſima veſtigia cernere licet. Incipit autem duorum ferme millium ſpatio a monaſterio Aebercurnig, ad occidentem, in loco qui ſermone Pictorum Peanfahel, lingua autem Anglorum Penneltum appellatur, & tendens contra occidentem terminatur juxta urbem Alcluith. „Verum priores inimici, ut Romanum militem abiiſſe conſpexerant, mox advecti navibus irrumpunt terminos, cæduntque omnia, & quaſi maturam ſegetem obvia quæque metunt, calcant, tranſeunt. Unde rurſum mittuntur „Romam legati, flebili voce auxilium implorantes, ne penitus miſera patria „deleretur, ne nomen Romanæ provinciæ, quod apud eos tamdiu claruerat, „exterarum gentium improbitate obrutum vileſceret. Rurſum mittitur legio, quæ inopinata tempore autumni adveniens, magnas hoſtium ſtrages dedit, eoſque qui evadere poterant, omnes trans maria fugavit, qui prius anniverſarias prædas trans maria nullo obſiſtente cogere ſolebant. Tum Romani denunciavere Brittonibus, non ſe ultra ob eorum defenſionem tam laborioſis expeditionibus poſſe fatigari: ipſos potius monent arma corripere, & „certandi cum hoſtibus ſtudium ſubire, qui non aliam ob cauſſam, quam ſi „ipſi inertia ſolverentur, eis poſſent eſſe fortiores. Quin etiam, quod & hoc „ſociis, quos derelinquere cogebantur, aliquid commodi allaturum putabant, „murum a mari ad mare recto tramite inter urbes, quæ ibidem ob metum „hoſtium factæ fuerant, (ubi & Severus quondam vallum fecerat,) firmo de „lapide collocarunt: quem vidimus hactenus famoſum atque conſpicuum, „ſumtu publico privatoque, adjuncta ſecum Britannorum manu, conſtruebant, „octo pedes latum, & duodecim altum, recta ab oriente in occaſum linea, „ut uſque hodie intuentibus clarum eſt. Quo mox condito, dant fortia ſegni „populo monita, præbent inſtruendorum exemplaria armorum. Sed & in „littore Oceani ad meridiem, quo naves eorum habebantur, quia & inde „Barbarorum irruptio timebatur, turres per intervalla ad proſpectum maris collocant, & valedicunt ſociis, tanquam ultra non reverſuri.

Et paullo poſt.

„Quid plura? relictis civitatibus ac muro, fugiunt ac diſperguntur. Inſequitur hoſtis, accelerantur ſtrages cunctis crudeliores prioribus. Sicut „enim

„ enim agni a feris, ita miſeri cives diſcerpuntur ab hoſtibus: unde a manſio- „ nibus ac poſſeſſiunculis ſuis ejecti, imminens ſibi famis periculum latrocinio ac „ rapacitate mutua temperabant, augentes externas domeſticis motibus clades, „ donec omnis regio totius cibi ſuſtentaculo, excepto venandi ſolatio, vacua- „ retur.

Ex EPISTOLA GILDÆ.

„ XI. Quos juſſit conſtruere inter duo maria trans inſulam murum, ut eſ- „ ſet arcendis hoſtibus a turba inſtructus terrori, civibuſque tutamini.

Et infra.

„ Igitur rurſum miſeræ mittentes epiſtolas reliquiæ ad Aetium Romanæ po- „ teſtatis virum, hoc modo loquentes: *Aetio ter Conſuli, gemitus Britannorum.* „ Et poſt pauca querentes: *Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barba- „ ros. Inter hæc duo genera funerum aut jugulamur aut mergimur :* nec pro eis „ quicquam adjutorii habent.

LIBER QUARTUS.

I. CUm noſtræ gentis hiſtoriam ſcribere aggrederemur, quo reliqua magis aperta legentibus eſſent, pauca viſum eſt ſupra repetere: ſed ea potiſſimum, quæ a fabularum vanitate abeſſent, & a vetuſtis rerum ſcriptoribus non diſſentirent. Primum omnium conſtans fama eſt, quam plurima etiam indicia confirmant, Hiſpanorum multitudinem, ſive a potentioribus domo pulſam, ſive abundante ſobole ultro profectam, in Hiberniam tranſmiſiſſe, ejuſque inſulæ loca proxima tenuiſſe. Deinde, cum & aëris ſalubritas & pabuli fœcunditas invitaret paullatim complures, & propter ſeditiones domi, & exterorum injurias, (quibus Hiſpania ſemper fuit obnoxia,) quietioris vitæ ſpes & cupiditas eodem traxit: eoque facilius, quod ad inſulam, jam a popularium ſuorum multitudine occupatam, tanquam ad alteram patriam, ſe proficiſci ſibi perſuaderent. Stirps autem illa tanta ſobole in terra hominum fœcundiſſima refloruit, ut jam non Hiberniæ finibus contenti, in proximas etiam inſulas minores frequenter emigrarent.

II. Interea Scotis (id enim univerſæ genti nomen erat) per Æbudas inſulas fines propagantibus, ſed ſine Rege ac certo imperio per cognationes tributim ſparſis, appulit ad Hiberniæ littus claſſis Germanica, vel, ut ſcribit Beda, Scythica, eo rejecta tempeſtatibus, ut credibile eſt, quod nec liberos nec uxores ſecum extuliſſent. Hi omnium rerum egeni, cum e longinqua navigatione nihil eis præter arma ſupereſſet, a Scotiſque miſſis legatis ſedes peterent, reſponſum fuit; „ Se exiguas & infœcundas inſulas ob agri penuriam occupare

„ con-

„ coactos, quas ne univerſas quidem, ſi eis cedere poſſent, ſuffecturas tantæ „ multitudini. Communis vero ſortis miſertos, hominibus ſævitia fortunæ af„ flictis, nec genere (ut e ſermone & inſtitutis apparebat) alienis, conſilium, „ & ad efficiendum, quanta poſſent, auxilia daturos.„ Conſilium autem erat; „ Ut propinquam inſulam Albium, & amplam & fœcundam, & multis in lo„ cis adhuc incultam, & propter incolarum, ſicubi eſſent, ingenia, qui mul„ tis tum Regibus inter ſe inimicis parebant, infirmam, peterent. In illis diſ„ cordiis civilibus, facile fore, infirmiores fovendo, regionem ampliſſimam „ occupare. Sua ad id auxilia non defutura. Cum Æbudarum anguſtia, & res, ut tum erant, tenues facerent fidem, Germani (qui poſtea Picti a Romanis & vicinis gentibus ſunt appellati) oram Germanico mari vicinam ingreſſi, pulſis incolis, qui & rari & inter ſe diſcordes erant, magnam ejus oræ partem in ſuam ditionem redegerunt: brevique prima illa cum Scotis amicitiæ auſpicia ſequuti, conjugibus ab eis acceptis, in unam prope gentem coaluerunt. Ita enim effectum eſt, ut frequenti ultro citroque commeatu, magna Scotorum multitudo, vel ab affinibus adhuc infirmis retenta, vel domeſticarum rerum penuria impulſa, vel caritate ſuorum, inter Pictos locum domicilio caperet.

III. Picti primo affinium adventu læti, cum augeſcere paullatim multitudinem cernerent, formidare cœperunt, ne cum primum ſpem vires Scotis facerent, ipſi eis obnoxii redderentur: primo ſecretis coitionibus, deinde palam in conciliis, fremere cœperunt; „ Providendum, ne peregrini ſecum poſt miſce„ rentur, rationemque ineundam, ut quæ adeſſet multitudo minueretur.„ Jactatus etiam vulgo rumor eſt. „ [1] Divinitus Pictis dictionem eſſe datam, fore, ut „ aliquando tota gens a Scotis deleretur. Hæ ſuſpiciones in cauſſa fuerunt, ut nationes ante amiciſſimæ ſeorſum habitarent: Scotique montanis in locis, & agriculturæ minus aptis, (ut qui pecori paſcendo & venationibus magis dediti eſſent,) ſe continerent; Picti agris fertilioribus ſecundum mare Germanicum colendis aſſueſcerent. Ac paullatim tot ante officiis neceſſitudo contracta brevi in funeſtum prope civile bellum vertit. Levibus enim de cauſſis, primum jurgiis, deinde injuriis inter homines feroces ortis, graviſſimorum odiorum ſemina jacta videbantur. Hanc occaſionem Brittones, utriuſque gentis inimici, cum eſſent nacti, diſcordiarum faces admoverunt, & Pictis non poſcentibus auxilium adverſus Scotos offerunt. Id Scoti cum tractari ſentirent, & ipſi adverſus imminens diſcrimen non modo auxilium, ſed Regem etiam peregrinum, adſciſcunt. Inſulanorum duces cum pene pari dignitate eſſent, nec alter alteri cedere in animum induceret, arceſſitur cum copiis ex Hibernia FERGUSIUS, Ferchardi filius, omnium Scotorum & conſilio & manu primus habitus: & ma-

1 *Divinitus Pictis dictionem eſſe datam*] i. e. oraculum, pari modo quo oracula a Græcis interdum λόγια dicuntur, Liv. 8. cap. 24. *Accito* [Alexandro Epirotæ] *ab Tarentinis in Italiam data dictio erat, caveret Acheruſiam aquam, Pandoſiamque urbem, ibi fatis ejus terminum dari.* Vide Turnebi Adverſ. lib. 30. cap. 1. [& Cuper. III. obſ. 7. ita & *dictum* & *dicere.* vid. ad Ovid. Epiſt. v. 33. & Valer. Flac. II. 336.]

magno populi conſenſu Rex declaratur: atque exercitum ad aleam pugnæ, ſi ſit opus, ſubeundam parare jubetur.

IV. Eodem prope momento rumor ad Scotos Pictoſque promanarat, Brittones ambigua conſilia, utrique genti juxta pernicioſa, agitare, ut victos pariter victoreſque bello aggrederentur: & utriſque vel ad internecionem cæſis, vel Albio expulſis, ipſi totius inſulæ potirentur imperio. Ea res utriuſque gentis copias, conſilii incertas, aliquot dies in caſtris continuit. Tandem in colloquium ventum, & detecta Brittonum occulta fraude, de pace agi cœptum: eaque renovata, tres exercitus diverſi domum conceſſerunt. Britto, conatu priore dejectus, alia fraude rem aggreditur. Immiſſis clam latronibus pecora Pictorum abigit. Res repetentibus reſpondet; „Juſtius a Scotis, furtis & latrociniis aſſuetis, eas, quam a ſe, repeti. Ita eluſa legatione, re infecta feciales dimiſſi. Enimvero ea jam aperta ludificatio videri. Itaque, cum fraudulenta conſilia ſe magis magiſque aperirent, recens contumelia vehementius, quam ex priore conatu ira reſidua, utriuſque populi animos inflammavit. Igitur exercitu, quantum poterant, coacto, duo Reges bifariam Brittonum fines ingreſſi, agris ferro flammaque late deformatis, cum igenti præda domum revertuntur. Ad eam injuriam vindicandam, Britto Scotorum fines ingreſſus, ad Dunum uſque amnem penetravit, & minore longe damno quam terrore ea loca pervagatus, in ripa fluminis conſedit. Ferguſius enim, miſſis in montes locaque exercitibus inacceſſa liberis & conjugibus, rebuſque aliis, quæ agi aut aſportari poterant, ipſe aditus omnes obſervabat uſque ad Pictorum adventum. Caſtris tandem cum eis conjunctis, communicatoque conſilio, ſtatuunt bellum ducere, & in regione hoſtili incurſione prope vaſta hoſtem conficere.

V. At Coilus, (id Brittonum Regi nomen erat,) per ſpeculatores cauſſa cunctationis intellecta, quinque millia hominum in loca editiora, ut ibi in inſidiis eſſent, præmittit: ipſe reliquum exercitum recta in hoſtem ducere decrevit. Id quoque cum Picti reſciſſent, inito rurſus cum Scotis conſilio, antevertendum rati, ſtatuunt Brittonum caſtra de nocte aggredi. Igitur eductis copiis, Scoti a fronte, Picti a tergo invaſuri, ad hoſtem ante lucem perveniunt. Ibi Brittones, fiducia incautos, & qui ob ſuperiorum dierum cunctationem hoſtes timere deſierant, adhuc ſemiſomnes obtruncant. Cecidit cum parte majore ſuorum in eo tumultu Coilus ipſe, regionemque in qua pugnatum eſt de ſuo nomine celebrem fecit. Ferguſio victore domum reverſo, Scoti ei poſteriſque ejus regnum jurejurando confirmarunt. Ipſe deinde, rebus in Scotia pacatis, ad comprimendas auctoritate ſua ſeditiones in Hiberniam tranſiit: rebuſque ibi compoſitis, in reditu, non procul evectus e portu, cui Rupes Ferguſii nomen eſt, coorta repente tempeſtate, interiit, anno regni ſui viceſimo quinto. Adventum ejus in Albium in ea tempora conjiciunt, quibus Alexander Macedo Babylonem cepit, trecenteſimo triceſimo fere anno ante Chriſtum natum.

II. REX.

VI. Ferguſio defuncto, duo filii, ſed nondum regni potentes, reſtabant,

FERLEGUS & MAINUS. Eo factum eſt, ut Phylarchis [1] ad prodendum Regem coëuntibus, magna contentione res tranſigeretur, aliis jusjurandum jactantibus, quo adacti erant regnum ſtirpi Ferguſianæ ſe conſervaturos: aliis, quanta domi foriſque, Rege puero, inſtarent pericula, commemorantibus. Tandem, poſt longam diſceptationem, ratio inita eſt, qua nec puer, ætate nondum regno matura, imperaret, nec jurijurando fraus fieret: „Ut videlicet, „Regum liberis nondum adultis, propinquorum, qui maxime videretur regno „idoneus, is rerum ſummæ præficeretur: eo mortuo, regni ſucceſſio ad Re„gis ſuperioris liberos perveniret. Hæc poſtea perpetuo lex valuit, [2] per annos fere MCCLXXIV. uſque ad Kennethum Tertium, de quo ſuo loco dicemus. Hac lege *Feritharis*, Ferguſii frater, regnum eſt adeptus: atque annos quindecim eum honorem geſſit, tanta æquitate & modeſtia, ut & cives juſtum Regem, & pupilli tutorem optimum, eum experirentur. His artibus cum pacem foris, domi caritatem civium comparaſſet, propinquorum tamen ambitionem placare non potuit. Ferlegus enim, regnandi cupiditate jamdudum inflammatus, communicata re prius cum turbulentiſſimo quoque juventutis, ac rerum novarum avidiſſimo, patruum adit, & regnum paternum repoſcit, quod ille non ut ſuum, ſed ut fiduciarium tenebat. Feritharis adeo illo adoleſcentis importuno conſilio non eſt perturbatus, ut, concione advocata, regnum ejerare paratum ſe eſſe oſtenderet: multaque etiam de adoleſcentis laude adjecit. „Regno autem ſibi credito, quod mors propinqua eſſet ablatura, „malle ſponte cedere, & voluntate potius quam neceſſitate pietatem erga pro„pinquos colere. Sed tantum omnium fuit erga Feritharem ſtudium, tantaque caritas, ut hanc præproperam in Ferlego regni cupiditatem, non modo vultu, ſed increpationibus, atque adeo clara totius concionis acclamatione, ſint averſati. Patefacta vero per indices adverſus patruum conjuratione, cum conſilii deteſtabilis auctor ſupplicio graviſſimo dignus haberetur, valuit tamen in Ferlego patris memoria, & patrui præſentis gratia & preces, quo minus graviſſimi ſceleris cogitati morte pœnas lueret. Cuſtodes tantum adhibiti, qui

facta

1 *Ad prodendum Regem.*] i.e. *creandum* vel *nominandum.* Cic. pro dom. *Interrex, quem & ipſum patricium eſſe, & a patricio prodi neceſſe eſt.* Id. pro Milone: *A dictatore Milone prodi Flaminem neceſſe eſt.* Liv. V. 31. *Is deinde L. Valerium Potitum Interregem prodidit.*

2 *Per annos fere* 1274. *uſque ad Kennethum Tertium.*] In omnibus libris 1025. legitur, quos alii etiam ſcriptores nec opinantes ſecuti Anachroniſmum 249. minimum annorum admiſere. Obiit enim Ferguſius I. ante Chriſtum natum anno 305. Kennethus vero III. qui hanc legem abrogavit, deceſſit 994. regni ſui 25. (Vid. lib. VI. 40.) a Ferguſii ergo morte ad Kennethi regni initium anni intercedunt 1274. Sed neque hanc legem a Kennetho III. anno ejus regni primo abrogatam eſt veriſimile; Buchananus enim id ab eo jam ætate grandiore factum narrat. E Fordoni autem Scotichronico, qui Kennethum regnum iniiſſe ait A.C. 970. colligi videtur immutatum fuiſſe ſucceſſionis jus non ante annum ipſius regni 15. adeoque anno C. 985. *i.e.* poſt mortem Ferguſii 1280. Quod ſi Boethii Leſlæique ſupputationem ſequamur, diutius adhuc iſta lex apud Scotos valuit; ii enim Kennethi III. mortem in annum conjiciunt 1000.

facta dictaque ejus omnia ſpecularentur. Sed ille quamlibet brevis moræ ad ſpem animo conceptam impatiens, deceptis cuſtodibus, cum paucis conſciis, primum ad Pictos, deinde, cum ibi nullam rerum novandarum materiam inveniret, ad Brittones confugit, apud quos vitam ignavam, & perinde ignobilem egit. Feritharis vero paucos poſt menſes, incertum morbo an fraude, eſt ſublatus. Ejus mortis ſuſpicionem ſuperior ambitio, ſceluſque detectum, & recens fuga ſic auxit, ut Ferlegus omnium ſententiis abſens damnaretur, quinto decimo fere poſt mortem patris anno.

III. REX.

VII. Ferlego damnato, MAINUS frater ejus Scotorum Rex tertius creatur: vir patri & patruo, quam fratri ſimilior. Is, pace cum vicinis confirmata, domi ſublatis facinoroſis, ſacrorum ritus diligenter obeundo, tantam ſibi juſtitiæ & pietatis opinionem paravit, ut eum lædere ſummum nefas, tam cives, quam pergerini exiſtimarent.. Hac ſanctitatis opinione, quam armis tutior, poſtquam viginti novem annos imperaſſet, decedens, magnum ſui deſiderium apud omnes bonos reliquit.

IV. REX.

VIII. DORNADILLAM habuit & filium & regni ſucceſſorem, & in æquitate colenda patri ſimilem; cæteris vitæ partibus diſparem. Magnam enim temporis partem venationi dedit: id ſtudium in pace decorum, & corpori ſalubri ratus, & ad robur militare confirmandum maxime utile. Animum præterea voluptates maxime puras inde capere: & adverſus avaritiam & luxuriam, cæteraque vitia, quæ ex otio gignuntur, non modice roborari. Hunc fama eſt leges venaticas, quæ apud priſcos Scotos hac ætate obſervantur, tuliſſe. Deceſſit octavo & viceſimo regni anno.

V. REX.

IX. NOTHATUM ejus fratrem populus regnare juſſit, immaturo adhuc ad regendum Reuthero ejus filio. Is imperium, quod ad eum diem fuerat moderatum & legitimum, ſtatim in ſuperbam dominationem convertit: civeſque paſſim juxta ſummos & infimos, velut non in tutelam ſed prædam ſibi datos, multatione bonorum, exilio, morte, omni denique ſuppliciorum genere, ita afflixit, ut nihil ad ſummam immanitatem ſibi reliquum faceret. Cæteris metu torpentibus, Dovalus quidam e Gallovidia, homo ambitioſus, ex odio civium in Regem locum creſcendi datum ratus, cum ſciret ſibi inſidias ab Rege parari, facinus occupare ſtatuit. Omnibus ad id ſatis comparatis, magna clientium & amicorum manu ſtipatus, ad Regem venit. Ei palam cædem nobilitiatis, bonorum direptionem, publicamque ſervitutem, cum exprobraſſet, petit. „Ut „tandem aliquando regnum, quod gerere neſciat, hæredi legitimo reſtituat. Nothatus, præter exſpectationem ultro conviciis petitus, de acerbitate priſtina nihil remittens, reſpondit; „Se, quæ geſſerit, jure Regio geſſiſſe: ſi quid

O 2 „du-

„durius patratum eſſet, non id Regis ingenio, ſed civium contumaciæ tribuen-„dum. His conviciis ira utrinque irritata, cum ad manus ventum eſſet, No-„thatus a Dovalianis obtruncatur, poſtquam crudeliter & avare viginti præ-„fuiſſet annos.

VI. REX.

X. REUTHERUS a Dovali factione, ſine populi ſuffragiis, Rex appellatur. Proceres, fama rei geſtæ ad ſe perlata, etſi Nothatum quovis ſupplicio dignum exiſtimabant, non probabant tamen exemplum. Multo etiam moleſtius ferebant, comitia Regia ſublata, & ad unius arbitrium lectionem ampliſſimi magiſtratus collatam. „Neque id gratuitum facinus exiſtimandum, quod „adoleſcens oneri impar ad ſummum imperium eſſet evectus. Rem vere æſti-„mantibus, ſatis apparere, Reuthero nomen imperii, Dovalo vires eſſe quæ-„ſitas. Neque ſane publice intereſſe, Nothatus an Dovalus præeſſet, niſi „forte commodiorem ſub eo vitam ſperarent, qui privatus Reges interimeret, „privatus privato ſceptra daret, quam ſub ejus imperio, qui non ante inſanie-„rit, quam poteſtatis viribus fretus, & armorum terrore permiſſu populi ſe-„ptus fuiſſet. Nothati propinqui, cum hæc vulgo jactari audirent, in cœtus publice omnium vicem indignantium ſe inſinuantes, perfecerunt, ut bellum adverſus Dovalum decerneretur: copiiſque ducem Ferchardum, Nothati generum, præficiendum curant. Nec Dovalus pugnam detrectavit. Bis eodem die concurſum. Dovaliani, etſi numero ſuperiores, tamen fuſi fugatique ſunt. In fuga plures, quam in prælio cæſi. Præter enim Dovalum factioniſque principes, cecidit cum multis ſuorum Gethus Pictorum Rex. Reutherus novus Rex captus eſt. Profuit ei ad veniam ſimplicior ætas, patris memoria, & Regii ſanguinis reſpectus. Nec incruenta victoribus fuit pugna, cæſis, præter alios, prope omnibus Phylarchis.

XI. Hic conflictus Scotorum & Pictorum res in Britannia ita afflixit, ut qui ſupererant, ne prædæ Brittonibus forent, in loca aſperiora incultaque, & in proximas inſulas defugerent. Brittones enim, quam diu quæſierant, occaſionem nacti, ſtatim ad Bodotriam (is nunc Fortha eſt) nullo reſiſtente perveniunt. Deinde, ibi rebus pro tempore compoſitis, in Caledonios profecti, disjectis, qui ſe ibi congregaverant, regiones Pictorum campeſtres occuparunt. Ibique præſidiis diſpoſitis, bellum confectum rati, domum reduxerunt exercitum. Interea reliquiæ Scotorum & Pictorum, quæ in montibus, ſilvis, aliiſque locis impeditis reſtiterant, direptionibus pecorum & arcium præfectos infeſtabant, & ipſi quoque victitabant. Interim majore etiam manu ex inſulis collecta, vicos urebant, & latius prædas agendo, agros pleriſque in locis incultos reddebant. Brittones, ſive domeſticis diſſidiis detenti, ſive exercitum in loca vaſta & impedita ducere non ſatis tutum rati, cum obviam nulla majore manu irent, ſua ſegnitie hoſtium aluerunt audaciam. His miſeriis Scoti & Picti cum per duodecim annos fuiſſent afflicti, tandem nova ſobole juventutis bellicoſæ (utpote in tantis rerum anguſtiis duriter educatæ) aucti, nunciis in omnes partes miſſis, mutuis adhortationibus confirmati, ſtatuunt fortunam ex-

pe-

periri. Reutherus igitur ex Hibernia in Æbudas, illinc deinde in Albium navigat: atque ad æſtuarium, quem nunc lacum Briennum vocant, copias expoſuit: & cum Getho Gethi filio, eodemque ſuæ uxoris fratre, congreſſus, de ſumma belli deliberat. Optimum factu rati, ad hoſtem incogitantem atque imparatum ducere. Eum ubi primum obviam habuerunt, ita conflixerunt atrociter, ut neutra acies e prælio læta diſceſſerit. Ex eo, utriſque cladibus defatigatis, pax in aliquot annos fuit. Reutherus (ſive, ut Beda vult, Reuda) in antiquam ſedem Argatheliam conceſſit: Scotique diu ab eo Dalreudini appellati. [1] DAAL enim Scotorum lingua partem ſignificat. Inde progreſſus, brevi regnum ad fines antiquos promovit: ac viceſimo ſexto quam regnare cœperat anno deceſſit, Thereo filio e Gethi filia relicto.

VII. REX.

XII. Is quia vix decem erat annorum, juxta legem de Regibus ordinandis jampridem receptam, patruus ejus REUTHA Rex fuit declaratus. Qui a bellis externis otium nactus, populum, primum malis efferatum, deinde victoria, etſi cruenta, inſolentem, ad mitiorem cultum redigere conatus, multas ſanctiones publice utiles fecit: quarum non paucæ apud priſcos Scotos adhuc manent. His artibus cum ſeptemdecim annos imperaſſet, cum ſumma omnium reverentia & amore, ſeu valetudinis adverſæ (quod ipſe cauſſabatur) tædio, ſeu propinqui ſui Therei ambitioſum timens ingenium, multa de laudibus ejus habita oratione, populo ægre permittente, regno ſe abdicavit.

VIII. REX.

XIII. THEREUS ei ſuffectus primis quidem ſex annis ita regnum geſſit, ut Reutha de eo recte vaticinatus fuiſſe videretur. Deinde non ſenſim, ſed repente ita in omnia flagitia præceps abiit, ut nobiliſſimo quoque per calumniam ſublato, facinoroſi homines, amoto metu, totum regnum brevi latrociniis infeſtum fecerint. Phylarchi, deplorato ſtatu publico, cum in eum animadvertere ſtatuiſſent, ille, comperta conjuratione, ad Brittones confugit: ibique, reditu deſperato, in ſummo contemtu & ignominia conſenuit. Interea Conanus, homo prudens ac ſeverus, Prorex electus, ab illo labefactata & concuſſa reſtituit, latrocinia compeſcuit, ac rebus, quoad potuit, compoſitis, in conventu publico, accepto nuncio de Therei morte, magiſtratu ſe abdicavit, [2] duodecimo ferme anno, quam Thereus regnum inierat.

IX.

1 *DAAL.*] [Et Belgarum lingua *Deel* pars vocatur.]

2 *Duodecimo ferme anno.*] MS. *fere.* Interim obſervandum eſt haſce particulas *ferme*, *fere*, *prope*, non ſemper diminutionem indicare, ſed loquentis modeſtiam: Vide Dacierium ad illud Horatii Satyr. III. 96. *Queis paria eſſe fere placuit peccata*, & 98. *Utilitas juſti prope mater & æqui.* Buchanano autem nonnunquam expletiva conjunctio eſt, ad nullum alium uſum comparata, quam ut rotundior plениorque ſententia exeat. Hoc vero in loco ſignificare videtur Buchananus tempus non eſſe ſatis certum & exploratum, q. d. *duodecimo plus minus anno quam Thereus regnum inierat*, Vide quæ nos poſtea ad lib. IX. 39.

IX. REX.

XIV. JOSINA, proximi Regis frater, rerum gubernaculo admotus, nihil in ullam partem geſſiſſe memorabile fertur, niſi quod medicos in honore ſummo habuit: quod, cum exularet in Hibernia cum patre, eis maxime familiariter fuiſſet uſus. Brevi, reliqua nobilitate in Regis mores eunte, factum eſt, ut multis ſeculis nemo eſſet in Scotia illuſtriore loco natus, qui vulnerum curationem non teneret. Reliquarum enim partium medicinæ rarus erat tum uſus, apud homines in ſumma parſimonia educatos, & magnis laboribus exercitatos. Deceſſit autem matura ſenectute, cum viginti quatuor annos regnum tenuiſſet.

X. REX.

XV. Huic ſucceſſit filius FINNANUS, qui paternis inſiſtens veſtigiis, nihil magis laboravit, quam ut civili & moderato imperio ſuos aſſueſceret, & benevolentia magis quam armis auctoritatem Regiam tueretur. Ut autem radices tyrannidis recideret, decretum fecit; „Ne quid Reges, quod majoris eſſet momenti, niſi de publici conſilii auctoritate, juberent. Cum triginta annos regnum tenuiſſet, civibus & peregrinis juxta carus deceſſit.

XI. REX.

XVI. Nec ulla tamen res æque deſiderium ejus auxit, ac DURSTI filii, qui ei ſucceſſit, vita in omnia vitia projecta. [1]Paternos primum amicos, ut moleſtos voluptatum ſuarum interpellatores, a ſe ablegavit, & corruptiſſimum quemque e juventute in familiarem conſuetudinem aſcivit: ac tum demum ſe totum epulis & Veneri dedit. Uxorem, Regis Brittonum filiam, comitibus proſtitutam, abegit. Tandem, facta contra eum nobilitatis conjuratione, velut e ſomno experrectus, cum neque domi quicquam tutum, nec foris exilio locum fidum proſpiceret, quod peregrinis & civibus juxta inviſus eſſet, optimum factu ratus prioris vitæ ſimulare pœnitentiam. Ita enim & ſe imperium retenturum, & de inimicis in tempore pœnas expetiturum. Igitur, primum revocata uxore, Brittones reconciliare conatus eſt. Civium primores ad ſe vocat: graviſſimo ſacramento interpoſito, præteritorum oblivionem ſancit. Flagitioſiſſimum quemque, velut ad ſupplicium ſervatum, in carceres conjicit: ac ſancte pollicetur, ſed nihil in poſterum, niſi de primatum conſilio acturum. His rebus ubi animi ſinceri fidem fecit, concordiam ludis, conviviis, aliiſque, quæ publica fert lætitia, celebrat: ac jam gaudio ſolutis omnium animis, nobilitatem frequentem ad cœnam vocat: eos ubi incautos & inermes in unum locum concluſiſſet, immiſſis percuſſoribus omnes ad unum occidit. Ea calamitas non tam reliquorum animos metu repreſſit, quam iram languentem novis facibus accendit. Igitur coacto magno exercitu, cunctis ad inviſum portentum tol-

1 *Paternos primum amicos.*] Clarius, *Is paternos primum amicos.*

tollendum conjurantibus, Durſtus, omni alia ſpe præciſa, cum paucis flagitioſis, quos metus communis pœnæ ob ſuperioris vitæ ſcelera aggregaverat, prælii fortuna tentata, occiſus eſt, poſtquam novem annos regnaſſet. In omnium Ordinum tam juſto adverſus eum odio, tamen hoc Regio nomini & majorum memoriæ tributum eſt, ut defuncti corpus in monumenta majorum inferretur.

XII. REX.

XVII. In comitiis Regiis magna fuit inter proceres contentio: aliis cenſentibus, juxta ſacramentum Ferguſio præſtitum, veterem eſſe morem ſervandum; aliis metuentibus, ne, ſi quem e Durſti propinquis facerent Regem, vel ſimilitudo morum eum ad flagitia, vel ſanguinis propinquitas ad ultionem impelleret. Tandem EVENUS Durſti frater patruelis, & vitæ ſuperioris commendatione, & inſigni adverſus tyrannum vivum odio commendatus, e Pictis, ubi Durſtum peroſus ſponte exulabat, ad regnum magno conſenſu vocatus eſt. Is primus creditur cives in ſuum nomen ſacramento adegiſſe: qui mos a Phylarchis nunc quoque ſervatur. Evenus, omnium primum, ut mores a ſuperiore Rege corruptos formaret, adoleſcentes ad antiquam in victu, veſtitu, & in conſuetudine quotidiana, parſimoniam revocavit. Ita firmiores ad militiam, & minus domi turbulentos ratus futuros. Omnes regni ſui partes diligenter perluſtravit: jus cum ſumma moderatione dixit: & ſontes pro modo delictorum punivit. Pictorum Regem adverſus Brittones auxiliis juvit: inter quos pugnam longe pertinaciſſimam nox diremit, adeo incerta victoria, ut pari clade, ac perinde metu, uterque exercitus affectus diſceſſerit, Brittones domum, Scoti & Picti in montes proximos: qui poſtridie e ſuperiore loco animadverſa hoſtium fuga, ſpolia legerunt: ac ſe pro victoribus gerentes, exercitus domum reduxerunt. Hoſtibus repreſſis, Evenus iterum ad pacis opera ſe convertit, ac ne moleſtum eſſet Regibus toties regiones omnes (ut tum mos erat) ad jus dicendum obire, judices ordinarios, regno in conventus diviſo, juri dicundo præfecit. Delatores item inſtituit, qui noxios deferrent. Id munus, vitio deprehenſo, incertum legene ſit abrogatum, an ſponte abolitum. Decimo nono regni ſui anno mortem obiit: Gillo filio notho, eodemque vafro & regni cupido, poſt ſe relicto.

XIII. REX.

XVIII. Supererant e legitima Regum ſtirpe proximi Dochamus & Dorgallus, Durſti filii, iidemque gemini. Inter eos cum diſcrimen ætas non faceret, fœdum de regno certamen ortum, GILLI etiam fraude vehementius accenſum eſt. Cum res ad arbitrium propinquorum relata eſſet, ibi, præ pertinaci factionum ſtudio, nihil decerni potuit. Gillus, qui auctor utrique fuerat, ut alter alterum tolleret, cum occulta conſilia parum procederent, procerum & propinquorum primis, ut controverſias finirent, in unum locum coactis, per homines idoneos, ſeditione ſubito excitata, utrumque interimendum curat. Deinde, velut ipſe petitus foret inſidiis, implorata omnium qui ade-

rant

rant fide, in Evonium, locum ab Eveno communitum, profugit. Eo præſidio cum parte nobilitatis & hominibus ſui ſceleris conſciis occupato, e ſuperiore loco multa de fratrum temeritate & pertinacia ad populum frequentem concionatus, multa adverſus cædis auctores locutus, tandem ſubjecit; „Se ab E„veno, non modo rerum domeſticarum, ſed etiam regni, donec novus „Rex eligeretur, curatorem relictum. Hæc qui audiebant, etſi falſa rebantur, tamen, cum eum firmis præſidiis munitum viderent, metu gravioris periculi, ſacramento incunctanter adacti, eum Regem dixerunt. Ille, etſi conſenſu populi utcunque expreſſo regnum ſibi confirmaverat, tamen ſuperſtitibus Durſti poſteris nunquam ſe tutum ratus, animum ad nepotes ejus tollendos adjecit. Erant autem Liſmorus, Gormacus & Ederus, e Dochamo Durſti filio geniti. Hi cum in Manna inſula educarentur, Gillus ipſe ad eos reducendos profectus, duos majores natu omni honoris & humanitatis ſpecie proſecutus, in Albium ſecum abduxit: ut apud ſe (quemadmodum ſimulabat) Regii pueri Regio cultui aſſueſcerent. Cum Edero, qui minimus erat, milites præſidii obtentu reliquit, quibus occulta dederat mandata, ut [1] ſtato die puerum interficerent. Sed, cum Gilli ingenium omnibus eſſet notum, nutrix fraudem ſuſpicata, alumnum clam ſublatum nocte in Argatheliam tranſmiſit: ac, nequicquam ad cædem eum quærente Gillo, aliquot annos occulte in ſpelunca educavit. Ille non modo fratres pueri natu majores, ſed milites etiam cuſtodes occidit: ipſum vero Ederum, cum falſus rumor in Hiberniam delatum pervulgaſſet, quærere deſiit. Sed nec, nepotum Durſti cæde perpetrata, ſatis tutum adhuc ſe arbitratus, quamdiu quiſquam e Regia ſtirpe ſupereſſet, omnes propinquos familiareſque interimendos curavit. Proceres, qui moleſte præſentem rerum ſtatum ferebant, & pejora metuebant, conjuratione clam facta, tanto ſilentio rem texerunt, ut Gillus prius geri, quam parari, bellum ſenſerit. Cum exercitum contra rebelles cogeret, ſenſit quam fluxa fides hominum erga ſceleratos eſſet. Nam & pauci ad eum convenerunt, & hi fere, qui propter ſuperioris vitæ flagitia pacem timebant. Itaque ſuis diffiſus, relicto exercitu, piſcatoria navicula in Hiberniam fugit. Scoti, ne legitimo carerent imperio, Caduallum conjurandi principem, copiis hoſtium in fidem receptis, Proregem creant. Is, cum Gillum, facinoroſos undique cogentem, bellum renovare velle intelligeret, cum, antequam copias majores colligeret, perſequi, quecunque fugeret, decrevit. Primum in Æbudas inſulas navigavit. Ibi Ederum, unum e Durſti progenie ſuperſtitem, ad ſe adductum, liberaliter inſtituen-

1 *Stato die.*] MS. *ſtatuto.* Utrumque recte atque ex uſu optimorum auctorum. Sueton. Claud. cap. 1. *Circa tumulum deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarum civitates publice ſupplicarent.* Plautus Curcul. I. 1. 5. *Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies.* Plin. lib. 9. Ep. 39. *Vetus ſane & anguſta, cum ſit alioqui ſtato die frequentiſſima.* Liv. vero lib. 31. cap. 29. *Concilium Ætolorum ſtatuta die, quod Panætolium vocant, futurum erat.* Cic. de Haruſp. cap. 15. *Multi ſunt etiam in hoc ordine, qui ſacrificia gentilitia illo ipſo in ſacello, ſtatuto loco, anniverſarii factitarint.* Ita etiam ipſe Buchan. lib. IV. 48. [De confuſione harum vocum *ſtatus* & *ſtatutus* egimus ad Valer. Flac. II. 488.]

tuendum dedit. Gillus, audito ejus adventu, rurſus in Hiberniam abiit: proceribus ejus gentis magna ſpe præmiorum ſollicitatis, in primis, ſi ſe reducerent, Æbudas iis ſe donaturum. His pollicitationibus magnum exercitum confecit. Caduallus, cum rebus omnibus ad trajectionem paratus eſſet, prope de curſu revocatus eſt, ut ſe ſuſpicione regni falſa liberaret.

XIV. REX.

XIX. Primum omnium EVENUM, præclara fama virum, Dovallo Finnani Regis fratre genitum, populi ſuffragiis Regem creandum curat. Is, accepto magiſtratu, loca hoſtibus opportuna, ac maxime maritima, firmis præſidiis communit, ne ſubiti hoſtes poſſent impune exſcenſiones facere. Gillus id cum reſciſſet, & ipſe mutato conſilio [1] in Ilam inſulam navigat. Ibi cum omnia late ferro flammaque vaſtaſſet, in Hiberniam rediit. Evenus, ut belli fontem exhauriret, magnum eo exercitum, duce Caduallo, mittit. Nec Gillus certamen detrectat. Sed a ſuis, magis prædam, quam ducem ſecutis, deſtitutus, veſte mutata, in propinquum nemus fugit, paucis e tanto numero eum comitantibus. Reliquus exercitus a ſociis & duce proditus, ſe Caduallo dedidit. Gillus, poſt prælium diu quæſitus, tandem in antro obſcuro repertus, trucidatur, tertio quam regnum occupaverat anno. Caput relatum ad Caduallum. Eum, rebus feliciter geſtis ex Hibernia redeuntem, non eadem fortuna excepit. Majorem enim exercitus partem cum omni præda, fœda tempeſtate vexatus, amiſit: unde tantum concepit mœrorem, ut non adeo diu poſt ægritudine animi confectus interierit: Rege fruſtra conſolante, ac res præclare bello geſtas laudante, adverſa in fortunæ [2] ſævitiem conferente. Rex novus, hoc rerum ſucceſſu clarus, pacem cum Pictis renovavit, & Gethi Tertii Pictorum Regis filia in matrimonium accepta, eam confirmavit. Sed hanc publicam lætitiam ſubitus Orcadenſium in Albium exſcenſus interpellavit. Eos repente Rex aggreſſus, ex agris ad montes, e montibus ad mare compulit. Ibi trepidantes, & in conſcendendo turbatos, adortus, pene ad unum concidit. Belus eorum Rex, deſperata ſalute, ſibi manum intulit. Evenus, bello defunctus, ad pacis opera converſus, duo emporia locis commodis inſtituit: utrique ab amnibus præterfluentibus indita nomina, Ennerlothea & Ennerneſſa. ENNER enim priſci Scoti vocant locum, quo naves appellere poſſunt. Æbudas, longa bellorum licentia tumultuantes, ſublatis inter incolas diſcordiis, pacavit. Brevi deinde poſt, cum ſeptemdecim regnaſſet annis, mortem obiit.

XV.

1 *In Ilam inſulam navigat.*] Elzev. anno 1668. & Moſman. 1700. *in illam inſulam*, male & contra antiquiorum codicum fidem.

2 *Sævitiem.*] Hanc vocem apud unum Apulejum ſequioris ævi ſcriptorem reperio Metam. lib. 6. *Canis ſævitiem offula reliqua redime.* Alii, quod ſciam, omnes *ſævitiam* efferunt.

XV. REX.

XX. Suffectus ei Rex eſt EDERUS Dochami filius. Is cum pace domi foriſque parta frueretur, ac venationibus (ex vetere gentis conſuetudine) indulgeret, ſubito affertur, Bredium inſulanum, Gilli tyranni propinquum, magna cum claſſe appuliſſe, ac late prædas agere. Adverſus hunc tumultuario repente exercitu ducto, noctu hoſtium caſtris, quanto potuit cum ſilentio, præteritis, ſtationem navium aggreſſus, parvo negotio necopinantes in ſuam poteſtatem redegit: cuſtodibus occiſis, claſſem incendit. Mane in hoſtes duxit: ac pari negligentia ibi inventa, primo tumultu incompoſitos fudit. Multi inter cunctationem pugnæ ac fugæ cæſi: reliqui ad mare propinquum, intercluſa fuga, capti, & laqueis ſtrangulati. Præda dominis agnoſcentibus reddita. Similem tumultum ex eiſdem inſulis, poſt aliquot annos, ejuſdem Gilli alius propinquus excitavit, qui ſimilem quoque habuit exitum, deleto exercitu, claſſe incenſa, præda recuperata ac dominis reddita. Ita pace ubique parta, ſenex octavo & quadrageſimo imperii anno morbo eſt exſtinctus.

XVI. REX.

XXI. Huic ſucceſſit EVENUS Tertius, indignus optimo patre filius: qui non contentus centum e nobilitate concubinis, ni ſuam ſpurcitiem latis legibus in vulgus proderet. Tulit enim; „Ut cuivis liceret, pro opibus, quot alere poſſet, „uxores ducere: ut Rex ante nuptias ſponſarum nobilium, nobiles plebejarum „prælibarent pudicitiam: ut plebejorum uxores cum nobilitate communes eſſent. Hanc flagitioſam ejus nequitiam ſecutæ ſunt (ut fere ſolent) comites, luxuria, crudelitas, avaritia. Nam, cum ad ſumtus opes non ſuppeterent, opulentiores confictis cauſſis rapiebantur ad ſupplicium, & commercio Regi cum furibus inito, furandi ſumma erat impunitas. Ita, quam gratiam ab adoleſcentia corrupta ex promiſcuæ libidinis permiſſione ſperarat, eam truculentia & rapacitate amiſit: & conjuratione nobilitatis facta, ſenſit, quam infida malorum eſſet ſocietas. Nam, cum primum in aciem ventum eſt, a ſuis deſtitutus vivus in hoſtium manus venit, ac in cuſtodiam publicam conjectus eſt. Cadallano, qui pro Rege ei ſuffectus erat, rogante de pœna ejus, in perpetua vincula eſt damnatus. Ibi quidam ex inimicis, priorum offenſarum memor, e cæde Regis vel procerum gratiam, vel ſaltem impunitatem ſperans, eum noctu in carcere ſtrangulavit, cum jam ſeptem annos regnaſſet. Ejus facinoris auctor fracta gula pœnas luit.

XVII. REX.

XXII. Secutus eſt METELLANUS Ederi propinquus, non minus ob virtutes egregias omnibus carus, quam Evenus fuerat ob vitam flagitioſe actam inviſus. Ea res tantam ei apud omnes peperit auctoritatem, ut eo imperante perpetua fuerit foris pax & domi tranquillitas. Hoc unum ad ſummam felicitatem ei defuit, quod, nobilitatis in libidinem proclivis pertinacia impeditus,

le-

leges Eveni ſpurcas abrogare non potuerit. Obiit mortem anno regni ſui triceſimo.

XVIII. REX.

XXIII. Eo ſine liberis defuncto, regnum delatum eſt [1] ad CARATACUM, Cadallani filium, generis Regii juvenem. Is, inito ſtatim regno, Æbudas, a morte proximi Regis tumultuantes, non ſine labore compeſcuit. Nec temere tamen crediderim, quod noſtri ſcriptores, Oroſium, Eutropium & Bedam ſecuti, tradunt, Orcadas, eo imperante, a Claudio Cæſare ſuperatas: non quod difficile exiſtimem, paucas inſulas in ſæviſſimo mari disjectas, a paucis incolis & inermibus habitatas, ſingulas aggredi, & cum mutuis auxiliis ſe tueri non poſſent, omnes vincere: nec quod incredibile putem, in eam expeditionem claſſem a Claudio miſſam, homine (ut inquit Oroſius) qui *bellum ubique, & victoriam undecunque quæreret*: ſed quod Tacitus affirmet, ante Julii Agricolæ adventum, eam Britanniæ partem Romanis omnino incognitam fuiſſe. Caratacus regnum annos viginti tenuit.

XIX. REX.

XXIV. Ei ſucceſſit CORBREDUS frater. Is quoque Inſulanos, qui, omnibus ferme interregnis, ſpem novarum rerum ſecuti, novos motus ciebant, multis expeditionibus attrivit: latrones in plebem graſſantes exſtinxit, & pace ibi conſtituta, in Albium reverſus, totamque Scotiam pervagatus, labefactata bello reſtituit, ac decimo octavo regni anno deceſſit.

XX. REX.

XXV. Conventus procerum, præterito ob immaturam ætatem Corbredi filio, DARDANNUM Metellani nepotem regnare juſſit. Nemo ante hunc majore cum exſpectatione regnum iniit, nemo ſpem de ſe conceptam vehementius fefellit. Ante ſuſceptum magiſtratum, multa liberalitatis, temperantiæ

1 *Ad Caratacum.*] Haud facile inducar, ut credam ullum unquam fuiſſe Scotorum Regem Caractacum appellatum. Si quis autem fuerit, alium certe fuiſſe ab eo Caractaco, de quo tam multa præclara a Tacito Annal. lib. 12. commemorantur. cum Silures, quibus imperitabat, tum reliqua narratio oſtendere videtur. Quod ſi ita eſt, haud parum Boethius noſter, eumque ſecutus Leſlæus, a vero deerrarunt, qui omnia ab hoc Brittonum duce adverſus Romanos egregie geſta Scotorum Regi tribuunt. Eorum certe hac in parte fidem Buchananum ſuſpectam habuiſſe vel illud indicio eſt, quod hujus Regis vitam tam perfunctorie & quaſi aliud agens deſcribat, omiſſis eis omnibus, quæ de Caractaco a Tacito traduntur. Neque ſic tamen Rob. Gordonii Stralochii reprehenſionem effugit, qui eum laræ culpæ reum inſimulat, quod Caractacum inter Scotorum Reges recenſeat. Pat. tamen Abercrombius, vir alioqui acerrimi judicii & veritatis Hiſtoricæ unice ſtudioſus, hunc Caractacum a Tacito celebratum, magno quidem auſu, totiſque ingenii viribus Scotis ſuis poſtliminio reſtituere conatur. Sed tot & tam graves obſtare videntur rationes, ut earum viribus me in contrariam partem abreptum invitum dolentemque fateri cogar.

tiæ & fortitudinis dedit exempla. Initio imperii medium ſe Regem geſſit: triennio vix exacto, in omnia vitiorum genera præceps abiit. Probos & prudentes viros, qui patri a conſiliis fuerant, quod ejus adverſarentur nequitiæ, ex aula expulit. Adulatores & novarum voluptatum inventores in præcipuo habebat honore. Cardorum propinquum ſuum, qui juri & æquitati adminiſtrandæ præfectus fuerat ſub Rege ſuperiore, moleſtum ſuarum voluptatum interpellatorem, occidit. Atque intra paucos dies plerique alii divitiis aut virtute præſtantes, alius alia fraude circumventi, periere. Tandem, ut metum ſucceſſoris ſibi demeret, Corbredum Galdum, genere propinquum, fratreſque ejus in ſpem regni liberaliter educatos, tollere decrevit. Negotium eos necandi datur Cormoraco cuidam ex intimis familiaribus. Is magnis muneribus donatus, & promiſſis oneratus, ad ſcelus perpetrandum dimiſſus: ſed rem incautius aggreſſus, a Galdi comitibus ſtrictam ſicam tenens eſt comprehenſus: ac in jus ductus, tormentis adhibitis auctorem totiuſque conjurationis ſeriem confeſſus, ſtatim occiditur. Hoc facinore vulgato, magno conſenſu in Regem conjuratur: cæſiſque ſtatim turpium voluptatum, quos nanciſci poterant, miniſtris, ad ipſum mali caput viam affectant. Interea Conanus, unus ex aſſentatorum grege, obſcuro quidem loco natus, ſed cui omnium rerum apud Regem maxima erat fides & auctoritas, collecta manu, proceribus obviam ire auſus, a ſuis deſeritur, & captus vitam laqueo finit. Multitudo jam Galdum ducem nacta, Dardannum, latebras ſpectantem, & inter prendendum manum ſibi inferre conantem, ad eum perducit. Ibi ſtatim mori juſſus. Capite defuncti ad ludibrium propoſito, corpus in cloacam projectum, cum regnaſſet annos quatuor.

XXI. REX.

XXVI. Huic ſucceſſit CORBREDUS Secundus, cognomento GALDUS, & ſuarum virtutum tirocinio, & patris optimi memoria, & indole præclara, proceribus ac plebi juxta carus. Sunt qui hunc *Galgacum* a Tacito appellari exiſtiment. A Scotis cognomen ei Galdi eſt additum, quod apud Brittones educatus fuiſſet. Scoti enim vetere conſuetudine advenas GALDOS vel GALLOS, velut Germani WALSCH, appellare ſolent: qua de re alibi plura diximus. Hic maximam de ſe ſpem conceptam auxit. Profectus ad inſulas Skiam & Leogum, non minore prudentia quam ſeveritate, motus jampridem ortos, & ignavia Dardanni auctos, compeſcuit: latronum duces interemit: cæteris, pœnæ metu, vel ſibi conſciſcere exilium, vel ad opera ruſtica redire coactis. Hic, opinor, primus Regum Scotorum ſigna cum Romanis contulit, imperio eorum paullatim ſe ad fines ipſius propagante. Nam Petilius Cerialis primus Brigantium vires fregit: & ejus ſucceſſor Julius Frontinus Silures vicit. Ad has gentes, non adeo longe a Scotorum & Pictorum finibus poſitas, non abhorret a vero miſſa fuiſſe auxilia. Succeſſit ſuperioribus Julius Agricola: qui, ſuperatis Ordovicibus, [1] Monaque inſula in poteſtatem

1 *Monaque inſula.*] i. e. *Angliſeia.* Vid. quæ nos ſupra ad lib. I. 34.

1 *Tanm*

tem redacta, cum ad anguſtiſſimam Britanniæ partem veniſſet, ratus non magnum ſibi ad inſulæ finem ſpatium ſupereſſe, animum ad totam perdomandam adjecit. Tertio igitur imperii anno, proximas Pictorum & Scotorum regiones populando percurrit, donec ad [1] Taum amnem pervenit: & quamvis afflicto tempeſtatibus exercitu, ſpatium tamen ponendis idoneo loco caſtellis habuit. Quæ res & conſilia hoſtium vana reddidit, & vires fregit. Antea enim homines ad omnium malorum patientiam indurati, quæ æſtate amiſerant, hieme, legionibus per hiberna diſperſis, recuperabant: ac plerumque caſtella non ſatis munita expugnabant. Tum vero, ſolertia Agricolæ in caſtellis ponendis, & diligentia in muniendis, annuis [2] copiis in ſingula conjectis, artes eorum fruſtrabantur. Quarto imperii anno, perſpecto, quam brevi ſpatio Bodotriæ & Glottæ æſtuaria dirimantur, ac loco præſidiis firmato, regiones in Hibernicum mare verſas depopulatus eſt. Quinto anno, claſſe in Oceanum immiſſa, multis in locis exſcenſiones fecit, ac populationibus maritimam oram infeſtavit, littoraque Hiberniam ſpectantia præſidiis munivit, non modo in uſum præſentem, ſed etiam ut in Hiberniam illinc facilius trajiceret.

XXVII. Hac Agricolæ prudentia Scoti & Picti in anguſtum anguſum concluſi, & a Brittonum commercio ſecluſi, ad ultimum ſeſe periculum comparabant. Nec ſegnius Agricola, claſſe circumire juſſa ad extrema inſulæ exploranda, & ipſe trans Bodotriam ducto exercitu, in Caledonios tetendit. Ibi jam hoſtes (ut in ultimum diſcrimen) parati, caſtella quædam Romanorum oppugnare aggreſſi, tantum intulerunt terroris, ut plerique & multitudinem, & ex deſperatione pertinaciam, timentes, conſulerent, cum exercitu retro in pacatiora loca revertendum. Verum dux propoſiti certus, cum hoſtes pluribus agminibus adventare audiſſet, & ipſe tripartito adverſus eos duxit: quæ res ei pene exitio fuit. Hoſtes enim, ejus intellecto conſilio, univerſi unam legionem de nocte oppugnare aggreſſi, cæſis vigilibus, paullum abfuit quin caſtra caperent. Sed adventu reliquarum legionum impediti, cum uſque ad lucem acriter dimicaſſent, tandem victi, in loca impedita refugerunt. Hæc fere [3] ſeptimo expeditionum anno geſta. In proximam æſtatem utrique ſe ad ultimam dimicationem parabant: Romanis in ea victoria ſpem finiendi belli collocantibus;

1 *Taum amnem.*] Vulgo *The Tay.* Eodem eum nomine Tacitus appellat Vit. Agr. cap. 22. additque *æſtuarii nomen eſſe*, quod argumento eſt eos omnino falli, qui *Taum* Taciti *Tuedam* interpretantur. Vid. Echard. Hiſt. Ang. pag. 22. Nullum quippe ibi æſtuarium, ſive ſinus maris fluvium excipit. Vid. Mackenzæi Def. Ant. Reg. Scot. p. 78.

2 *Copiis.*] [*Copiæ* hic pro annona & victu, more antiquo, a Buchanano intelliguntur. unde *Copiari* verbum caſtrenſe Gell. XVII. 12. & *Copiarii*, qui præbent & curant annonam. vid. Porphyr. ad Horat. I. Satyr. V. 48. l. XX. ff. de compenſ. Tacit. II. Hiſt. 32. & ibi not. Ryckii & aliorum multorum. & hinc colonia *Copia* Lugdunum ducta. vide Harduin. nummos populor. in *Lugdunum.*]

3. *Septimo expeditionum anno.*] Ita omnes libri. Tacitus autem, cujus Buchananus veſtigiis preſſe inſiſtit, hæc omnia ſexto Agricolæ expeditionum anno geſta eſſe affirmat. Et id quidem a Buchanano narrationis ordo & annorum ſeries poſtulabant, ſecus enim quid ab Agricola ſexto expeditionum anno eſſet geſtum, reticebitur.

bus; hoſtibus de libertate, de vita, de omnibus, quæ cara & ſancta ſolent eſſe hominibus, decertaturis. Ac ſuperioribus prælîis ſe rati arte potius, quam virtute victos, ad Grampii montis radices, loco paullum editiore, Romanorum adventum opperiuntur. Ibi cruento prælio congreſſi, cum diu incerto Marte pugnaſſent, tandem Caledoniorum fortiſſimo quoque cæſo, victa pertinacia, in loca tutiora ſeceſſerunt. Neque quiſquam dubitabat, quin Agricola totam Britanniam armis pacaturus eſſet, niſi a Domitiano, non ad [1] honorem oſtentatum, ſed ad necem revocatus fuiſſet. Sub diſceſſum ejus Romana caſtra ſeditione laborarunt: & Scoti Pictique, paullum hac occaſione recreati, e latebris prodire cœperunt. Et cum nec parem ducem, nec eandem diſciplinam, apud Romanos ſenſiſſent, legatis paſſim dimiſſis, non modo popularium animos, ſed etiam Brittonum tentare ſunt aggreſſi. Ac primum levibus præliis reſumta audacia, jam præſidia oppugnare, & acie ſtructa certaminis aleam experiri, non dubitabant. Hac ratione Romani ex agris eorum expulſi, cum Brittonibus de veteri provincia Marte ambiguo decertabant. Galdus, ab armis otium nactus, regiones diligenter obeundo, veteres dominos in agros bello vaſtatos reduxit, in vacua milites miſit; & latrociniis cohibitis, diſſidia cum Pictis orientia compoſuit. Tandem, non minore apud hoſtes, quam cives gloria clarus, deceſſit, anno quam regnum ſuſcepit triceſimo quinto.

XXII. REX.

XXVIII. Patri optimo ſuffectus LUCTACUS, filius flagitioſiſſimus: qui, ſpreto majorum conſilio, ſe totum vino & ſcortis dedit. Nullam ab ejus libidine, vel propinqua cum ipſo cognatio, vel reverentia legum, vel majorum aut maritorum reſpectus, vindicabat. Acceſſere ad hæc inhumana crudelitas & inexplebilis avaritia. Juventus quoque, in pejora proclivis, facile in Regios mores degeneravit. Igitur, cum paſſim omnia ſtupris, rapinis & cædibus contaminaret, nec unus quiſpiam ejus impotentiæ obviam ire auderet, tandem conventu primorum facto, cum liberius coargueretur, & principes, tanquam ſeditioſos, ad ſupplicium rapi juberet, concurſu multitudinis, una cum ſcelerum adminiſtris, fuit occiſus, vix finito tertio regni anno. Datum autem honori patris, ut in ſepulchrum majorum cadaver inferretur. Cæterorum corpora inſepulta projecta.

XXIII. REX.

XXIX. MOGALDUS deinde Rex electus, Galdi ex filia nepos, initio imperii optimis regibus par, ſenior facile vitiorum contagio in avunculi mores abiit. Principio, ut vitioſis ſuperioris Regis inſtitutis, mores publicos fœdantibus, facilius mederetur, pacem cum vicinis coluit; cærimonias veteres, incuria neglectas, reſtituit; miniſtros flagitiorum ex aula expulit: atque ad con-

1 *Honorem oſtentatum.*] Referente enim Tacito, *triumphalia ornamenta, & illuſtris ſtatuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, decerni ei in Senatu* Domitianus juſſerat.

1 *Du-*

conſilia ſeniorum omnia more priſco revocavit: quæ res ei & omnium popularium amorem, & apud vicinas nationes peperit reverentiam. Rebus domi compoſitis, Rex ad ſtudia belli converſus, Romanos regni ſui finibus prohibuit, & Pictos auxiliis ab eorum injuria defendit: & eorum auctoritatem aliquot ſecundis prœliis apud Brittones ita imminuit, ut & ipſi, ſpe libertatis recuperandæ erecti, multis in locis arma ſumſerint. Eam ſpem auxerat, quod Hadrianus Julium Severum, virum acrem, & rei militaris peritum, e Britannia in Syriam ad componendos Judæorum motus tranſtulerat. Igitur Hadrianus, tumultu magis ac magis gliſcente, e Galliis in Britanniam tranſiit. Sed ut erat pacis quam belli ſtudioſior, magiſque tueri parta, quam limites imperii proferre cupiebat, cum Eboracum veniſſet, agroſque ulteriores omni belli clade vaſtatos comperiſſet, ut rem propius inſpiceret, ad Tinam amnem caſtra movit. Ibi a ſenioribus, qui Agricolam ſecuti prope ad ultimos Britanniæ fines penetraverant, edoctus, in reliqua inſula perdomanda plus laboris, quam emolumenti fore, vallo & foſſa, inter Tinæ & Eſcæ fluminum æſtuaria, per octoginta millia paſſuum [1] ductis, Scotos & Pictos a provincialibus excluſit: ac ſtatu provinciæ ordinato in continentem rediit.

XXX. Hujus valli, cum adhuc pluribus in locis exſtent veſtigia, miror a Beda mentionem penitus omiſſam, præſertim cum e Latinis Ælius Spartianus in Hadriano, e Græcis Herodianus in Severo, meminerit. Nec enim mihi perſuadere poſſum, in eo fuiſſe Bedam errore, qui pleroſque adhuc tenet, hoc vallum, non ab Hadriano, ſed a Severo fuiſſe factum. Hac ratione Romana provincia pacata, & vicinorum excurſionibus cohibitis, diu pax utrinque fuit: Britannis otium libenter amplectentibus, & Scotis Pictiſque agrum vicinum, velut prædam oblatam, inter ſe dividentibus. Sed eadem pax, præterquam quod deſidia & otio vires corporis fregit, etiam voluptatum blandientibus jam tum illecebris animi robur emolliit. Itaque adverſus arma hucuſque invictus Mogaldus, avitæ gloriæ oblitus, in vitia præceps abiit: ac, præter alia facinora fœda & publice pernicioſa, legem iniquiſſimam condidit; „Ut damnatorum bona fiſco addicerentur, nullam in partem liberis & uxoribus admiſſis. Eam legem, etſi omnibus iniquam & inhumanam, & tum intelligerent, & nunc intelligant, tamen a fiſci procuratoribus, qui Regum cupiditatibus lenocinantur, hac etiam ætate defenditur. Mogaldus, ſuis vitiis nobilitati & vulgo juxta inviſus, cum eorum conjurationi par eſſe non poſſet, cum uno & altero comite latebras & fugam circumſpiciens deprehenſus interficitur, poſtquam triginta ſex annos regnaſſet, circiter Antonini Pii annum VI.

XXIV.

1 *Ductis.*] Omnes fere libri *ducto:* quod rariſſimum, atque unica Lucani auctoritate quod ſciam defendendum, lib. I. 176. *Hinc leges & plebiſcita coactæ.* [Non ignoraſſe puto Buchananum exempla, quibus tueretur hanc loquendi formam, quæ ſolos Grammaticos male habere poteſt, non viros doctos. Juſtin. XXII. 5. *Urbes caſtellaque Africæ non muris cinctæ, non in montibus poſitæ.* ſed plura exempla dabunt notæ ad Ovid. IV. Metam. 177. & II. Triſt. 315. nec deſunt alia magno numero, ſed hujus non illa loci.

1 *Val-*

XXIV. REX.

XXXI. Hunc ſecutus eſt filius CONARUS, qui ab ſceleſto initio exorſus, regnum flagitioſiſſimum infelici exitu clauſit. Nam non modo conſcius, ſed etiam particeps conjurationis in patrem fuit. Sed ad occultanda initio vitia bellum commode ei incidiſſe videbatur. Vallo enim Hadriani ſuperato, Brittones magnam hominum pecorumque vim abſtulerant. Conſilio igitur communicato, & exercitu cum Pictis juncto, pluribus locis vallum tranſcendunt; Brittonumque agros late populantur: ac demum cum hoſte congreſſi, magno & cruento prælio cum Romanis & Brittonibus confligunt. Utrinque prope par clades pacem in proximum annum præſtitit. Romanus, quia non vicerat, ſibi pro victo videri. Igitur ſuis copiis attritis, & Brittonibus, quos ex ipſius calamitate in ſpem libertatis videbat erectos, non ſatis confidens, ſupplementum ab Antonino Pio petit: culpam violatæ pacis in Scotos & Pictos, acceptæ cladis in Brittones, confert. Miſſus ab Imperatore legatus Lollius Urbicus, hoſtes magno prælio victos ſubmovit, ac vallum denuo inſtauravit. Deinde per annos complures, velut tacitis induciis, ab armis eſt ceſſatum. Romanus enim ſatis habebat, caſtris in propinquo poſitis, hoſtem populatione prohibere: & Conarus, qui nihil in bello præter licentiam amabat, domum, ut ſe totum voluptatibus per otium immergeret, properabat. Ibi ſtatim vitia, quæ ad hominum ſtudia concilianda celaverat, ſe prodiderunt. Hac arte regnum ſibi conciliatum ratus, a majoribus magno labore parta luxu & libidinibus ita profudit, ut brevi ad extremam redigeretur inopiam. Igitur, conventu habito, multa de magnificentia Regibus neceſſaria locutus, & de inopia publica conqueſtus, ſplendoris & elegantiæ honeſtis nominibus vitia ſua tegens, vehementer petere inſtitit; „Ut cenſu habito pro rei familiaris modo tributum indiceretur. Ea oratio cum ad omnium aures ingrata accideret, reſponſum eſt; „Rem eſſe majoris momenti, quam ut in præſentia expediri poſſet.

XXXII. Brevi tempore ad conſultandum impetrato, cum ſingulorum ſententias exquiſiſſent, intellectum eſt, novum hoc infinitæ pecuniæ aucupium, non a primoribus, ſed ab adulatione aulica fuiſſe inventum. Statuunt, Regem, ut parum ad regendum idoneum, in cuſtodia habendum, donec, eo regnum ejerante, alium ſubſtituant. Poſtridie revocatis, qui primus rogatus eſt ſententiam, aſpere in priorem Regis vitam invectus, longa oratione docuit; „Non

1 *Vallum denuo inſtauravit.*] Vallum ab Hadriano inter Eſcæ & Tinæ fluminum oſtia conſtructum intelligit. Potior autem videtur eorum opinio, qui hoc vallum inter Bodotriæ & Glottæ æſtuaria ductum exiſtimant, quod & lapides inde eruti, atque in Bibliotheca Academiæ Glaſcuenſis aſſervati, ulterius teſtantur. Duorum ex iis inſcriptiones non pigebit hic adjungere.

IMP. CAES. TITO. AELIO HA-
DRIANO ANTONINO
AUG. PIO. P. P.
LEG. II. AUG. PER. M. P. III.
D. C. LXVIS.
Q. LOLLIO VR. LEG. AUG.
PR. P. R.

2 *Accideret.*] Vid. ſupra ad lib. I. 7.

1 *Le-*

„Non lenones, paraſitos, ſymphoniacos, & meretricum greges, inſtrumentum eſſe regni: quippe in bello inutiles, in pace moleſtos, ſumtuoſos, infamiæ & dedecoris plenos. Falſam eſſe querelam, Regias opes ſumtibus eſſe impares: quippe quibus tot ſuperiores Reges, bello clari, & formidabiles hoſtibus, in pace honeſte & ſplendide vixerint. Quod ſi cui patrimonium publicum anguſtius videatur, non e civium direptione, ſed e parſimonia domeſtica, quod deeſt, ſupplendum. Sumtuum cuique modum, non ad cupiditates, quæ infinitæ ſunt, ſed ad cenſus menſuram & neceſſitates naturæ componendum. Itaque ſe cenſere, nebulones illos, in quos collatum erat patrimonium publicum, & quorum cauſſa Rex tot homines honeſtos afflixerit, bonis exuerit, trucidarit, cogendos, ut quæ per injuriam aliorum adulando pararint, jure, nec ſine cruciatu, rependant. Regem in cuſtodia interim habendum, dum alium ſufficiant, qui non modo aſſueſcat ipſe, ſed alios exemplo doceat more patrio parce & duriter vivere, & diſciplinam a majoribus acceptam ad poſteros tranſmittere. Hæc oratio, ut erat aſpera, auribus liberam audire vocem inſolentibus viſa eſt aſperior. Itaque Rex non [1] leviter animos commotos inflectere & ſedare annixus eſt, ſed ferocibus minis vehementius inflammavit, & pene efferavit: interque altercationem & jurgia orto tumultu, Rex, injecta ab aſtantibus manu, in cellam cum paucis includitur.

XXXIII. Aulici, pravorum conſiliorum auctores, ſtatim ad ſupplicium ducuntur, &, ne major aliquis motus oriretur in populo, vinculis imperii ſoluto, Argadus homo nobilis fit Prorex, dum populus ad novum Regem prodendum coëat. Is, quanquam initio ſtatum publicum, æquitate ſumma rem adminiſtrando, compoſuiſſet, & magnam hac moderatione laudem eſſet aſſecutus, tamen, corrupto rebus proſperis animo, brevi prope omnem vitæ ſuperioris exiſtimationem amiſit. Inteſtinas enim ſeditiones fovendo, & externis viribus auctoritatem ſuam confirmando, junctoque cum primoribus Pictorum hoſpitio, [2] & uxore inde ſumta, filiabuſque ibi elocatis, facile apparebat, eum viam ad regnum præſtruere. Hæc cum ei in conventu objicerentur, graviterque increparetur, quod tam cito degeneraſſet; atque ille, quæ objiciebantur, cum vera eſſe cognoſceret, totus pudore confuſus, in lacrymas prorupiſſet: [3] ubi primum loqui potuit, cum objecta crimina purgare non poſſet, ad miſericordiam converſus, pœnam deprecatur. „Id ſi impetret, ſe brevi curaturum, ut quod per errorem peccaſſet, virtute & induſtria corrigeret. Hæc humi projectus cum ſuppliciter oraret, ira in miſericordiam verſa, proceres eum attollunt, & in imperio perſeverare jubent: ab eoque petunt; „Ut ipſe ſibi pœnæ moderator eſſet: ſatis enim illis ſumtum videri ſupplicii, ſi vere & ex animo ſuperiorum eum pœniteret. Ex illo die Argadus, hominibus pruden-

„tiſſi-

1 *Leviter.*] *Leniter* potius ſcribendum videtur. [Nihil muto. non enim *leviter* cum *inflectere*, ſed cum *commotos* eſt conſtruendum. idem eſt, ac ſi dixiſſet *graviter commotos.* alia res ſupr. lib. 1. 20. ubi parum referre diximus.]

2 *Et uxore inde ſumta.*] Ita MS. at editi omnes, *Ut uxore.*

3 *Ubi primum loqui potuit.*] Libri omnes, *Ac ubi primum:* Craſordius illud [*ac*] deleri jubet.

tiſſimis convocatis, nihil niſi de eorum conſilio tranſigebat, multa in ſuo magiſtratu utiliter in publicum conſtituit. Illud autem in primis, quod judicum provincialium licentiam cohibuit: vetuitque, ne ſine diſcrimine de quovis delicto pronunciarent. Facinoroſis ſublatis aut coërcitis, mores, diuturna licentia corruptos, non modo pœnis legum, ſed vitæ quoque ſuæ exemplo, emendavit. Inter hæc Conarus decimo quarto regni anno, partim mœrore confectus, partim adverſa valetudine afflictus, in cuſtodia impuram vitam finivit.

XXV. REX.

XXXIV. In ejus locum ſurrogatus ETHODIUS, ex Mogaldi ſorore natus, illico in conventu Argadum magnis laudibus ornavit, honoribus proſecutus eſt, & amplis præmiis donavit, ſummamque rerum omnium poteſtatem ſecum ei detulit. Cum de more omnes regni ſui regiones perluſtraret, in Æbudas trajecit. Miſſus ad pacis turbatores Argadus, brevi comprehenſos ad Regem perduxit. His motibus compoſitis, cum in Albium rediiſſet, Inſulani præſenti metu liberati, & falſis de bello externo rumoribus inducti, & ſupplicio noxiorum magis irritati, quam ſuppreſſi, iterum tumultuari cœperunt. Ad eos coërcendos miſſo rurſus Argado, cum hic Pictorum, illi Hibernenſium auxiliis freti eſſent, nulla mora pugnæ facta eſt: in qua Argadus circumventus inſidiis interiit. Ea calamitas, cæteris rebus omiſſis, illo Regem traxit: qui levibus per occaſiones præliis & aſſiduis incurſionibus ita Inſulanos afflixit, ut (cum viribus minus poſſent) quo loci commoditate tutiores eſſent, in vallem rupibus præruptis undique cinctam, in quam unus anguſtus ferebat aditus, ſe conjecerint. Ethodius, loci vitio perſpecto, cuſtodiis ad idoneos exitus diſpoſitis, foſſam & vallum ante fauces objecit: atque ita ad extremam omnium rerum penuriam eos perduxit, ut malis coacti tandem ſui arbitrium Regi permitterent. Datæ nihil recuſantibus conditiones; „Ut ducenti, quos Rex ederet, una cum „duce dederentur; reliqui, traditis armis, ad ſua quiſque remearent. Deditorum, quod ſtatim repræſentatum eſt, ſupplicium, prope novam ſeditionem concitavit. Vulgus enim adeo indignitate ſpectaculi tam fœdi exarſit, ut, cum armis carerent, lapidum temere objacentium jactu Regios inceſſerent. Is quoque tumultus non ſine multa cæde compreſſus eſt. Ethodius, pace ubique parta, dum juris dicundi cauſſa omnes regni fines obit, & otium venationibus oblectat, multas venaticas leges fecit, quarum magna pars adhuc ſervatur. Cum, de more procerum Scotorum, fidicinem ex Hibernia in cubiculo ſuo pernoctantem haberet, ab eo noctu occiſus fuit, in ultionem cujuſdam propinqui ſui, quem a Rege interemtum cauſſabatur. Is dum ad ſupplicium duceretur, averſo a tormentis animo, ſpeciem gaudentis præbuit, tanquam qui ſuo munere probe functus fuiſſet.

XXVI. REX.

XXXV. Ethodio, cum triginta tres annos regnaſſet, exſtincto, filioque nondum ad regendum maturo, electus eſt frater ejus SATRAEL. Hic, cum

cum callido pravoque eſſet ingenio, ac regnum ſtabilire in ſua domo, exſtinctis Ethodii liberis, ſtatueret, primum proceres, ut quiſque ſuperiori Regi carus fuerat, variis calumniis aggreſſus eſt. Deinde vulgus, (ut rebatur) primatum cæde attonitum, ſpoliare cœpit: quæ res brevi odium ejus auxit, & auctoritatem imminuit, & ſeditiones excitavit. Ad eas reprimendas, odii publici non ignarus, cum prodire non auderet, a ſuis noctu domi ſtrangulatus eſt, cum præfuiſſet annos quatuor.

XXVII. REX.

XXXVI. Aſſumtus eſt in locum ejus alter Ethodii frater DONALDUS: qui Satraclis vitia magnis virtutibus æquavit, vel etiam ſuperavit: quas virtutes gratiores reddebat cum ſtudio æquitatis conjuncta clementia. Is, & auctoritatis pondere & pœnarum repræſentatione ſublatis inteſtinis diſcordiis, juventutem, partim otio laſcivientem, partim luxu fractam, itineribus & labore ſalubriorem, & ad vim hoſtium arcendam paratiorem fore ratus, delectum habuit, & militem exercendo ita aſſuefecit, ut brevi tirones veteranorum æquarent virtutem. Huic conſilio pax foris nonnihil opitulata eſt. Nam cum ante paucos annos milites Romani in Britannia tumultuantes quemlibet alium, quam Commodum Imperatorem depoſcerent, ac præcipue Ælium Pertinacem, qui ad eos pacandos erat miſſus, Scotis & Pictis omiſſis, omnem vim belli in ſemetipſos converterunt. Profuit etiam ad pacem colendam, quod Donaldus Regum Scotorum primus Chriſtianos ritus receperat. Nec tamen ipſe, nec proximi aliquot Reges, etſi magna nobilitatis parte conatibus eorum favente, priſcas ſacrorum cærimonias penitus exigere potuerunt. Verum cum incidiſſet in ejus regnum Severi Imperatoris expeditio, omnes omnium rationes, & publicas & privatas, ea immutavit. Severus enim, homo rei militaris peritiſſimus, in ſpem totius inſulæ perdomandæ, tantas in Britanniam copias, quantas nemo antea Romanorum, duxit. Suberant & aliæ hujus expeditionis cauſſæ, filiorum vita urbanis deliciis corrupta, & exercitus otio & ignavia mollitus: quibus rebus ex labore militari petendum eſſe remedium exiſtimabat. Ejus adventu jamjam erupturi motus ſunt compreſſi: & Scoti Pictique, relictis proximis agris, in loca impeditiora ſe receperunt.

XXXVII. Severus, ut aliquando finem bellis Britannicis imponeret, per vaſta omnia, & a cultoribus deſerta, in Caledonios duxit. Hoſtibus nuſquam congredi auſis, cum regionis aſperitate plurimum ei laboris fuit, dum ſilvas exſcindit, editiora complanat, congeſta in paludes terra viam ſternit, & amnes pontibus jungit. Interea hoſtes, non auſi adverſus tantam multitudinem aciem ſtruere, pecorum prædam aliis atque aliis locis objiciebant, ut ea illecebra Romanos longius ab exercitu digreſſos conficerent: qui, præterquam quod ſparſi inſidiis excipiebantur, etiam inſolitis affligebantur imbribus: & itineribus feſſi, cum ſequi non poſſent, a familiaribus, ne in hoſtium poteſtatem venirent, paſſim occidebantur. Neque tamen, deſideratis quinquaginta millibus, (ut ſcribit Dion,) prius ab incepto deſtiterunt, quam ad finem inſulæ penetraſſent. Severus ipſe, quanquam adverſa valetudine, fere tota hac expeditione lectica

tecta ſit circumlatus, tamen perſeverantia illa incredibili coëgit hoſtes ad conditiones pacis venire, atque agri parte non exigua cedere. Finem Romani imperii vallum duxit inter Bodotriæ & Glottæ æſtuaria, ubi antea Agricola finire provinciam decreverat. Id vallum, qua Carrontem amnem attingit, præſidium habuit, eo ſitu & viarum deſcriptione, ut modicæ urbis inſtar eſſet, quam noſtrorum quidam falſo Camelodunum fuiſſe exiſtimarunt. [1] Propius vero eſt, hanc eſſe urbem quam Beda Guidi vocat. Paucis antequam hæc ſcriberemus annis, veſtigia foſſarum & murorum, item vicorum, apparebant, nec adhuc muri diruti omnino ita confuſa ſunt indicia, ut non interim ſe multis in locis prodant: terraque leviter effoſſa quadrati lapides eruuntur, quibus vicini agrorum domini ad ædium ſuarum ſubſtructiones utuntur. Indicant autem inſcripti lapides, qui interim inveniuntur, id opus Romanorum fuiſſe. Magnitudinem molitionis ejus oſtendunt hæc Ælii Spartiani cap. 18. verba; *Britanniam, (quod maximum ejus imperii decus eſt,) muro per tranſverſam inſulam ducto, utrinque ad finem Oceani munivit.* Quibus verbis mihi indicare videtur, non vallum, quod Beda vult, ſed murum fuiſſe: præſertim cum opus, quod vallo Hadriani pluſquam dimidio brevius ſit, tali elogio proſequatur. Diſtat autem, ubi minimum, hæc munitio plus octoginta millibus paſſuum a vallo Hadriani.

XXXVIII. Exſtant & alia, niſi fallor, ejus pacis indicia. Eſt enim paullo infra id, quod diximus, præſidium, in adverſa Carrontis ripa, ædificium rotundum, e ſaxis quadratis, nulla calce [[2] aut cæmento] coagmentatis, non majus modico columbari, ſuperne apertum, cætera illæſum, niſi quod oſtii ſuperum limen, in quo nomen auctoris & operis inſcriptum fuiſſe creditur, ab Eduardo Primo Anglorum Rege eſt ablatum, eadem invidia, qua reliqua omnia vetera Scotorum monumenta, quod in ipſo erat, delevit. Id opus nonnulli falſo prodiderunt templum Claudii Cæſaris fuiſſe. Nos, quantum conjectura poſſumus aſſequi, [3] ædem Termini fuiſſe credimus. Erant item, in ejuſdem fluminis ripa ſiniſtra, duo tumuli terreni, in modica planitie, manu (ut ſatis apparet) congeſti. Minoris, qui magis ad occaſum vergit, bona pars alluvione amnis eſt ablata. Dunos Pacis adhuc eos accolæ vocant. Pace igitur ex hac inſulæ diviſione iterum parta, ac rebus utcunque compoſitis, Donaldus, cum unum & viginti rei Scoticæ præfuiſſet annos, deceſſit.

XXVIII.

1 *Propius vero eſt, hanc eſſe urbem quam Beda Guidi vocat.*] Vide quæ nos ſupra ad lib. 1. 21.

2 *Aut cæmento.*] Has voces non Buchanani eſſe ſed a ſciolo aliquo ſuppletas exiſtimat Crafordius. Vocabulum certe [*cæmentum*] nuſquam pro eo quod *intritum* dicimus, apud probum aliquem ſcriptorem reperimus. Vide Voſſium de vit. ſerm. lib. 1. cap. 28. Longe aliud Latinis eſt *cæmentum*; nempe *lapides rudes & temere caſi, ſive lapidum majorum fruſta ſtructuris in ſtructura inſervientia*, a *cædendo*, quaſi *cædimenta*, quod pluribus oſtendit Nonius, præſertim vero illo Liv. 21. 11. *Nec erat difficile murum ſubruere, quod cæmenta non calce durata erant, ſed interlita luto, ſtructuræ antiquo genere.* Fieri autem poteſt, ut hanc vocem hoc ſignificatu Buchananus hic adhibuerit, *Nulla*, inquit, *calce, aut cæmento*, i. e. *minorum lapidum ſtricturis quæ calce illitæ majores lapides ſibi arctius coagmentarent.*

3 *Ædem Termini.*] Vide ſupra lib. 1. 21.

1 *Ec-*

XXVIII. REX.

XXXIX. Ei ſuffectus eſt ETHODIUS Secundus, ſuperioris Ethodii filius: homo prope ſtupidus: certe languidiore ingenio, quam cui tam ferocis populi moderatio conveniret. Quo animadverſo, primores collecti, erga genus Ferguſii ea ſunt uſi reverentia, ut, homini quantumvis ignavo, nullius tamen ſceleris comperto, nomen quidem Regium relinquerent, præfectos autem ſingulis regionibus darent, qui jus dicerent. Eorum moderatione & æquitate factum eſt, ut nunquam Scotica res fuerit tranquillior. Neque enim tantum delicta puniebant, ſed Regis avaritiam immodicam populo reddiderunt innoxiam. Rex viceſimo primo magiſtratus anno [1] familiarium tumultu occiſus eſt.

XXIX. REX.

XL. ATHIRCO ejus filius, cum ingenii majus, quam pro ætate, ſpecimen daret, Rex creatur. Nam equitando, jaculando, militaribuſque ſtudiis cum æqualibus contendendo, præterea beneficentia & humanitate, omnium ſibi amorem conciliaverat. Verum cum ætate in vitia deflectens, profunda avaritia, iracundia, luxuria, inertia, omnium bonorum ſtudia brevi ab ſe avertit: & quo juventus flagitiis ejus magis conſentiebat, eo vehementius eorum patres offendebat. Tandem per Nathalocum, hominem apprime nobilem, cujus filias a ſe conſtupratas, & flagris cæſas, colluvioni fœdorum hominum, quam circa ſe habebat, proſtituerat, conjuratione nobilitatis facta, fruſtra ſe vi tueri conatus, a ſuis etiam turpium flagitiorum odio deſertus, manum ſibi intulit, duodecimo quam regnare cœperat anno. Rege exſtincto, [2] Dorus, vel quia frater, vel quod ſcelerum miniſter ei fuiſſet, metuens proceres, ne, ut in recenti invidia erant animo inflammato, in totum genus Regium ſævirent, cum parvis ejus liberis, Findoco, Carantio & Donaldo, aufugit. Neque multum eum ſua fefellit opinio. Nathalocus enim, qui ſingulari erat affectus injuria, non contentus Dori exilio, ſubmittit percuſſores, qui ipſum cum liberis fratris interficerent. Hi ad Pictos profecti, (nam eum locum exilio Regii pueri delegerant,) inſidiatores, decepti ſtaturæ & faciei ſimilitudine, alium pro Doro clam nacti obtruncant.

XXX. REX.

XLI. NATHALOCUS, quem maxime ſuis rationibus adverſum metuebat, ſublatum ratus, primus ambitioſe regnum apud Scotos petiſſe dicitur: ac magna nobilitatis parte adverſa, ab iis, quos pollicitationibus & donis corruperat, Rex factus eſt. Nec male partum imperium melius geſſit. Suſpecta enim

1 *Familiarium.*] MS. libri vero alii *familiarum*: Vid. infra cap. 41. Boethius, Leslæus, *&c.* ſtipatorum tumultu occiſum tradunt.

2 *Dorus.*] MS. *Doorus*, & ita etiam Boethius & Leslæus.

enim nobilitate, quam in comitiis regni ſibi adverſam fuerat expertus, per homines plebejos, quos egeſtas & audacia facile ad quodvis facinus impellere poterat, omnia adminiſtrabat. Acceſſit ad has ſuſpiciones alia gravior, deprehenſis literis ad principes nobilitatis, e quibus intellectum eſt, Dorum Athirconiſque liberos vivere, ac in regni ſpem apud Pictos educari. Hoc igitur periculum ut averteret, quos maxime ſuſpectos e primoribus habebat, ad ſe vocat, tanquam de commodis publicis cum eis conſulturus. Comprehenſos univerſos in carcerem conjecit, ac proxima nocte ſtrangulandos curavit. Verum, quod ſuo timori ſperaverat remedium, id velut fax conjurationis fuit. Nam cæſorum amici, non minus ſibi metuentes, quam propinquorum & neceſſariorum calamitate dolentes, undique in eum arma comparant. Quorum conatibus ut obviam iret, dum exercitum cogit, a quodam ſuorum familiarium occiditur, prope duodecimo regni anno. Adjiciunt hic quidam noſtrorum fabulam, magis concinne fictam, quam veriſimilem: illum ipſum, a quo Rex cæſus fuit, ad divinos miſſum, ut de victoria, de vita Regis ac regno ejus percontaretur, reſponſum a quadam anu accepiſſe. „Regem non diu victurum: nec periculum ei ab hoſte, ſed a familiaribus inſtare. Cum ille urgeret, „A quo?„ anum, „A te,„ ſubjeciſſe. Ille mulierem exſecratus, cum domum rediret, ſubiit animum illa cogitatio, nec reſponſum celari poſſe, nec edere tutum eſſe: ne ſe apud Regem, hominem pravum & ſuo timori indulgentem, ſuſpectum redderet. Itaque tutius viſum eſt, tyrannum cum multorum gratia interficere, quam cum graviſſimo proprii capitis diſcrimine incolumem ſervare. Statim, ubi domum rediit, impetrato ad reſponſa divinorum exponenda ſecreto, cæſo Rege, [1] duodecimum imperii annum ingreſſo, patriam ſervitio & ſe periculo exemit.

XXXI. REX.

XLII. Ejus morte divulgata, liberi Athirconis revocantur. FINDOCUS, præter genus, multis naturæ blandimentis, corporis viribus, forma, proceritate, ætatis flore, ad hæc periculis commendatus, Rex eligitur. Neque ſpem de ſe conceptam fefellit. Erat enim in conſuetudine quotidiana ſumma humanitate, in jure dicundo æquitate, in promiſſis fide. Verum Donaldus Inſulanus, pacis impatiens, cum numeroſa manu ſuorum in Albium trajecit: & ingenti clade villarum quacunque pergebat edita, magnam prædam domum abegit. Cauſſa belli prætexebatur ultio mortis Nathaloci Regis. Findocus, exercitu ſtatim collecto, in Ilam inſulam tranſmiſit, & Donaldum prælio victum ad naves fugere coëgit. Multi in acie ceciderunt: multi, dum cum tumultu naves conſcendunt, ſubmerſi. Donaldus ipſe, dum in ſcapham receptus fugam meditatur, ea multitudinis irrumpentis pondere depreſſa, periit. Inſulani, animis nihil ea clade fractis, diſcedente Rege, accitis ex Hibernia auxi-

1 *Duodecimum imperii annum.*] Ejus regni tempus ſupra definierat, adeoque vix opus erat ut id rurſus inculcaret, niſi forte ut oſtenderet quid adjecta voce [*prope*] intellexerit, duodecimum ſcil. regni annum eum inchoantem occubuiſſe.

1 *Cer-*

auxiliis, bellum renovant; & Donaldo, prioris Donaldi filio, duce iterum exſcenſionem faciunt, magnamque prædam abigunt. Findocus iterum cum copiis in Æbudas trajecit: omneſque inſulas perluſtrando, ſevere in latrones animadvertit: munitionibuſque, in quas confugere conſueverant, everſis, tantum prædarum abegit, tantamque cædem fecit, ut multas inſularum prope deſertas relinqueret. Ad ejus reditum, Donaldus ex Hibernia, quo perfugerat, reverſus, dum exercitum reparare conatur, ita vires imminutas ſenſit, ut, neceſſario belli aperte gerendi conſiliis omiſſis, ad dolos animum converteret. Nam, cum non auderet Regi, fidem publicam interponenti, ſe committere, duos e ſuis, juxta callidos & audaces, in aulam cum ſecretis mandatis miſit. Hi, cum & genus ſuum jactarent, & de Donaldi injuriis graviter conquererentur, Regi quidem fidem non fecerunt. Itaque ad fratrem ejus Carantium, hominem levem & ambitioſum, ſe contulerunt. Ab eo in intimum familiaritatis locum recepti, & per eum ad conſilia de rebus maximis admiſſi, cum ejus ingenium explorando cognoviſſent, non dubitarunt ſecreta mandata de Rege tollendo cum eo communicare. Ille regnum, alieno ſcelere & periculo partum, velut jam certum amplexus, omni genere favoris eos eſt proſecutus. Igitur omnibus ad præcogitatum ſcelus comparatis, captato tempore, dum Rex, cæteris ad ſpectaculum inuſitata magnitudine feræ accurrentibus, alterum eorum ſuæ fortunæ multiplicem eventum narrantem audit, ab altero, venabulo in pectus adacto, interimitur. Concurſu facto ad atrox facinus, alii moribundum Regem excipiunt, alii percuſſores ſequuntur. Comprehenſi, & ad ſupplicium ducti, expreſſo prius tormentorum vi Donaldi conſilio, & ſcelere Carantii, qui tum diſſimulandæ rei cauſſa procul aberat, ipſi quidem juſtas pœnas luerunt: Carantius autem primum ad Brittones fugit: ſed ibi, vulgata exilii cauſſa, cum hoſpitibus eſſet deteſtabilis, ad Romana caſtra ſe contulit.

XXXII. REX.

XLIII. Optimo & viro & Regi, ſcelere deteſtabili fratris occiſo undecimo regni anno, ſuffectus eſt minimus trium fratrum DONALDUS. Is, cum ad ultionem necis fraternæ ſe pararet, audit Donaldum Inſularium, Moraviam ingreſſum, non jam pro latrone, ſed pro Rege omnia gerere. Igitur edicto, ut reliqui ſequerentur, ipſe cum paucis, qui forte aderant, recta ad hoſtem progreditur. Donaldus Inſulanus, [1] certior per exploratores, quam exiguæ Regi eſſent copiæ, diem noctemque continuato itinere, famam ſui adventus prævenit. Rex, inopinata re perculſus, cum certamen fugere non poſſet, congreſſus, majus quam pro numero prælium fecit. Tandem, ſuperante hoſtium multitudine, victus, & graviter vulneratus, ipſe cum triginta e primoribus nobilitatis in manus venit. Cæſa ad tria millia, duo capta. Rex intra triduum, ſeu

1 *Certior per exploratores.*] Melius *Certior factus per exploratores*, quæ uſitatiſſima eſt Romanis loquendi formula. [Ovidius tamen lib. XIV. Met. 290. *nec tanta cladis ab illo certior*, non addito *factus*.]

1 *Vix*

ſeu mœrore ob rem male geſtam, ſeu dolore vulnerum, deceſſit, [1] vix circumacto primo anno regni ſui.

XXXIII. REX.

XLIV. Eo defuncto, DONALDUS INSULANUS, qui nomen Regium antea nullo auctore ſumſerat, jam pro legitimo Rege ſe gerebat, fretus maxime timore procerum: qui, [2] ne propinqui ſui captivi occidantur, (nam id Donaldus aſſidue comminabatur,) nihil movere auſi ſunt. Tyrannus, cum in omnes debaccharetur, non contentus edicto prohibere, ne quis, præter ipſius miniſtros, arma ferret, aut nobilitatem paſſim ad cædem rapere, in cujus exitio firmamentum ſui regni conſtituebat, inter ſuæ crudelitati ſuperſtites diſcordias ſerebat: nec ullum pulchrius exiſtimabat ſpectaculum, quam mutuam civium cædem. Eam enim cladem lucro ſibi ponebat; [3] tot inimicis levari putabat, quot ex utraque acie periſſent: neque quicquam magis quam civium concordiam metuebat. Itaque domi fere ſe continebat: & ſuarum in omnes injuriarum ſibi conſcius, omnes formidans, omnibuſque formidabilis, raro in publicum prodibat. Duodecimo tandem anno in iis miſeriis tranſacto, vix publicorum malorum vindex eſt inventus Crathilinthus, Findoci Regis filius. Is occulte apud nutricium deliteſcens, diu periiſſe eſt creditus. Verum, cum jam paucos viribus & ſolertia pares haberet, genus & nomen diſſimulans, primum in aulam, deinde in Regis familiaritatem receptus, dexteritate ingenii brevi perfecit, ut primum gratiæ locum apud eum obtineret. Tandem, rebus omnibus ex animi ſententia ſuccedentibus, cum, indicato paucis, quis eſſet, & quid pararet, idoneam facinori patrando manum ad ſe collegiſſet, Donaldum, injuriæ opportunum nactus, occidit, & cum ſuis clam diſceſſit.

XXXIV. REX.

XLV. Tyranni morte divulgata, & res & auctor ſumma omnium cum lætitia excipitur. CRATHILINTHUS, generis indiciis teſtibuſque prolatis, quanto nemo antea ſtudio Rex eſt declaratus, ut qui non modo libertatis, ſed ſalutis omnium auctor eſſet. Primum, magno omnium conſenſu tyranni liberos & propinquos, ut velut radicicus tyrannidem exſtirparet, necandos curavit: deinde, partes omnes regni ad jus de more dicendum perluſtravit: labefactataque a Donaldo quanta potuit cura confirmavit: ac pace domi foriſque parta, otium gentis more venationibus oblectare ſtatuit. Ejus rei ſtudio cum in monte Grampio juxta Pictorum fines ageret, juventutem Picticam ad ſe venientem honorifice habuit. Nec ea contentus amicitia, quæ ex antiquis neceſſitudinibus & publica pace nata erat, etiam eos familiari conſuetudine complecti ſtuduit. Sed ea Regis comitas prope in perniciem vertit. Nam cum Picti canem inſignem, quem Scotorum Rex in deliciis habebat, clam apud ſe celaſſent, in-

1 *Vix circumacto primo anno.*] MS. *Vix circumacto anno.*

2 *Ne propinqui ſui captivi occidantur.*] MS. *occiderentur.*

3 *Tot inimicis levari.*] MS. *Tot enim inimicis levari.*

1 *Con-*

indicio ad cuſtodem canis perlato, ad locum ubi celabatur profectus, dum canem retrahere conatur, interimitur. Ad ejus cædem clamore facto, cum utrinque magna multitudo concurriſſet, acri pugna edita, ac multis occiſis, in iiſque non paucis ex utriuſque gentis nobili juventute, jactum eſt crudeliſſimi belli ſeminarium. Nam ex eo die, cum utraque gens alteram omnibus bellorum incommodis vexaret, non ante ceſſatum eſt quam juſtis exercitibus ſit concurſum. Neque pax, etſi Regibus utrinque eam cupientibus, ullis conditionibus coire potuit. Quanquam enim non ignorabant, Romanis & Brittonibus ſemper infeſtis, quanto cum periculo diſſiderent, mutuæ tamen ultionis cupiditas ita eos efferaverat, ut, dum privatas quiſque perſequitur injurias, calamitatem communiter omnibus impendentem contemnerent. Ac, niſi Carauſius exul Romanus, obſcuro quidem loco natus, at militia clarus, interveniſſet, ad alterius gentis internecionem pugnatum fuiſſet. Is enim a Diocletiano miſſus Bononiam maritimam, ut Belgicam Armoricam ab incurſionibus Francorum & Saxonum tueretur, cum, multis Barbaris ſæpe captis, prædam integram nec provincialibus redderet, nec ad Imperatorem mitteret, ſuſpicio eſt orta, conſulto ab eo Barbaros admitti, ut redeuntes cum præda exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret. Igitur a Maximiano juſſus occidi, purpuram ſumſit, & Britannias occupavit: utque opes adverſus Baſſianum legatum Romanum firmaret, diſcordiis inter Scotos & Pictos pacatis, cum utriſque fœdus fecit & ſocietatem iniit. Romanis multa adverſus hominem rei militaris peritum fruſtra expertis, & Scotis & Pictis in veterem, quos aliquando tenuerant, agrorum poſſeſſionem reſtitutis, poſtquam ſeptem annos imperium geſſiſſet, ab Allecto ſocio eſt occiſus. Allecto, cum triennio rebus præfuiſſet, ab Aſclepiodoto interemto, Britannia, decimo quam defecerat anno, Romanis eſt reſtituta. Sed nec Aſclepiodotus, nec qui ei ſucceſſit [1] Conſtantius Chlorus quicquam in Britannia memoratu dignum geſſit, niſi quod ex Helena concubina Conſtantinum, qui poſtea rerum potitus eſt, genuit. Inter hæc deceſſit Crathilinthus, poſtquam rei Scoticæ præfuiſſet annos viginti quatuor.

XXXV. REX.

XLVI. FINCORMACHUS, frater ejus patruelis, poſt eum regno Scotorum potitus, [2] ſecunda prælia adverſus Romanos, adjunctis Brittonibus & Pictis, quædam abſque externis auxiliis, fecit. Tandem, viribus Romanorum domi bellis civilibus, & foris aſſiduis contentionibus, attritis, quietioribus rebus, Scoti quoque libenter pacem ſunt amplexi. Liberati curis externis, nihil prius habuerunt, quam ut religionem Chriſtianam promoverent: occaſione illinc orta, quod multi ex Brittonibus Chriſtiani, ſævitiam Diocletiani timentes, ad eos confugerant: e quibus complures, doctrina & vitæ integritate clari, in Scotia ſubſtiterunt, vitamque ſolitariam tanta ſanctitatis opinione apud omnes vixerunt, ut vita functorum cellæ in templa commutarentur: ex eoque con-

ſuc-

1 *Conſtantius Chlorus.*] Libri omnes male *Conſtantinum Chlorum* appellant.

2 *Secunda prælia.*] MS. *multa ſecunda prælia.*

ſuetudo manſit apud poſteros, ut priſci Scoti templa cellas vocent. Hoc genus monachorum CULDEOS appellabant: manſitque nomen & inſtitutum, donec monachorum genus recentius, in plures diviſum ſectas, eos expulit: tanto doctrina & pietate illis inferius, quanto divitiis & cærimoniis, cæteroque cultu externo, quibus oculos capiunt & animos infatuant, ſunt ſuperiores. Fincormachus igitur, Scotorum rebus æquitate ſumma compoſitis, & civibus ad manſuetioris vitæ cultum reductis, deceſſit quadrageſimo ſeptimo regni ſui anno.

XXXVI. REX.

XLVII. Eo defuncto, graviſſima de regno contentio eſt exorta inter tres fratres patrueles, e tribus Crathilinthi fratribus genitos, ROMACHUM, Fethelmachum, & Anguſianum, ſeu verius Æneanum. Romachum commendabat, quod e tribus Crathilinthi fratribus pater ejus ætate maximus, quod mater e Regio Pictorum ſanguine eſſet, quod ipſe ingenio foret acri, & ad parandas amicitias flexili. Pro Anguſiano faciebat ætas, & experientia rerum, & mores amabiles, atque inde favor populi, & ante omnia, qui initio fuerat competitor, tum ſuffragator Fethelmachus. Propter eorum ſeditiones cum res ad arma ſpectaret, primis comitiis nihil peragi poterat: & ſoluto conventu, cum totum regnum in duas factiones diverſas iret, Romachus favore populi inferior, advocata juventute Pictica, ſe externis auxiliis firmat. Ab iis cum Anguſianus reſciſſet ſibi inſidias parari, potius exiſtimavit, vitam ſemel fortunæ committere, quam in perpetuo timore ſollicitam agere. Igitur coactis amicis, cum Romacho prælio congreſſus, victuſque, in Æbudas cum Fethelmacho profugit. Ibi cum intelligeret, ſe factionum principibus ob virtutem formidabilem, & apud populum natura venalem, & Romachi pollicitationibus corruptum, parum fore tutum, in Hiberniam cum ſuis diſceſſit. Romachus autem, vi magis, quam populi voluntate, regnum aſſecutus, æmulo ſubmoto, in adverſarios crudeliter exercuit inimicitias: ac, ne vi magis, quam jure graſſari videretur, dum regiones obit ad conventus habendos, ac, non adhibito de more conſilio, ſolus ad ſuum arbitrium cauſſas capitales revocat, magna cum cæde graſſatus, maximum timorem in omnes bonos diffudit. Tandem, omnibus præſentem rerum ſtatum exoſis, repentina conjuratione nobilitatis, antequam vires [1] tyrannus colligere poſſet, oppreſſus, e fuga, quam ad Pictos intenderat, retractus, pœnas luit, tertio ſui regni anno. Caput, pilo affixum, lætum populo ſpectaculum circumlatum eſt.

XXXVII. REX.

XLVIII. ANGUSIANUS ingenti omnium conſenſu ad regnum capiendum eſt revocatus. Primum, qui Romacho crudelitatis & avaritiæ miniſtri fuerant, ſub Rege juſto ſibi timentes, Pictorum Regem Nectamum in ultionem propinqui ſui ad arma commoverunt. Anguſianus, pacis cupidus, per lega-

1 *Tyrannus.*] Ita MS. alii omnes *tyrannis.*

1 *Nun-*

gatos ſæpe Pictos admonuit, quanto cum periculo utriuſque regni pugnaturi eſſent, Brittonibus in amborum exitium intentis. Verum, ubi eos vel fiducia virium, vel iracundia perturbatos, a pacificis conſiliis averſos vidit, educto exercitu, poſt acerrimum conflictum, victoria eſt potitus. Rex Pictorum cum paucis evaſit. Verum, poſtquam metus receſſit, ira & pudore inflammatus, ægre a ſuis impetrat, ut novum ſibi exercitum decernant. Eo coacto, in Caledoniam ducit. Anguſianus, iterum fruſtra tentata pace, cum ſuis copiis ad hoſtem tendit. Pugnatum eſt utrinque pari obſtinatione, alteris partam laudem tueri, alteris ignominiam acceptam delere, conantibus. Demum Scoti, Anguſiano cæſo, ſolutis ordinibus, in fugam verſi. Nec Pictis læta fuit victoria, Rege ſuo ac præſtantiſſimo quoque bellatore in acie interemto. Prope par utrinque damnum acceptum pacem ad breve tempus præſtitit. Præfuit rei Scoticæ Anguſianus paullum ſupra annum.

XXXVIII. REX.

XLIX. FETHELMACHUS Anguſiano Rex eſt ſuffectus. Cum vix biennium in regno compleſſet, exercitu coacto, Pictorum agros fœdis populationibus vaſtavit. Ubi primum hoſtis occurrit, concurſum eſt cum utriuſque gentis magna ſtrage. Nam Pictorum acies media, cornibus nudata, prope tota circumventa eſt: nec tamen inulta cecidit. Rex Pictorum tertio poſt die e vulnere deceſſit. Scoti victoria uſi, late, nullo exercitu obvio, Pictorum agros vaſtant. Picti enim, tanta clade accepta, [1] nunquam totis viribus auſi ſe fortunæ committere, leves procurſantium manus in populatores locis & temporibus opportunis immittentes, latius eos evagari prohibebant. Interea Herguſtus, homo callidus, accepto in ſuos imperio, quatenus viribus impar erat, ad fraudem converſus, duos Pictici generis viros immiſit, qui ſe Scotos ſimulantes Regi perniciem molirentur. Hi cum fidicine quodam de cæde Regis tranſegerunt. Hoc enim hominum genus, ad ſomnos conciliandos, & vigilias oblectandas, in cubiculis nobilium pernoctabant: qui mos etiam adhuc in omnibus inſulis Britannicis apud priſcos Scotos obſervatur. Igitur ſtatuto die Picti, ut conventum erat, a fidicine intromiſſi, Regem quam maxime poſſunt occulte jugulant. Nec tamen ita rem celare potuerunt, quin ad morientis gemitum miniſtri excitati facinoris auctores [2] ſint perſecuti, &, cum ulterius fugere non poſſent, e prærupto ſaxo lapidibus propugnantes miniſtri Regii aſſecuti ad pœnas eos retraxerint.

XXXIX. REX.

L. Fethelmacho regni ſui anno tertio exſtincto, ſucceſſit EUGENIUS, ſeu potius EVENUS, Fincormachi filius. Sub id tempus, Maximus legatus, in

1 *Nunquam.*] MS. *nuſquam.*

2 *Sint perſecuti.*] Ita Crafordio monente emendavimus, pro *ſunt perſecuti*, & verſu ſequente *retraxerint* pro *retraxerunt.*

in ſpem totius inſulæ potiundæ erectus, ſi utramque gentem deleret; primum cum Pictis, ut tum res erant, infirmioribus, atque ideo ad paciſcendum promtioribus, amicitiam ſimulat: eos vanis promiſſis implet, „*Si in ſocietate Romana perſeverent, præter innumera alia commoda, totum Scotorum agrum ſe eis con*„*ceſſurum.* Audivere libenter ea Picti, & ira cœci, & vindictæ cupidi, & promiſſis deliniti, & in futurum improvidi. Igitur, cum Romanis conjuncti Scotorum agros popularentur, primus eis conflictus fuit ad Cream Gallovidiæ amnem. Scoti pauciores a pluribus circumventi, dum in omnes partes fugiunt, Romani, velut certa victoria potiti, ſine ordine fugientibus inſtant. Interea Argathelii, & ulteriores aliquot populi, qui nondum ſe cum reliquis copiis conjunxerant, in diſſipatos Romanos denſis agminibus invecti, magnam ſtragem ediderunt. Eugenius, collectis quos e fuga retrahere potuit, habito ſuper ſumma rerum conſilio, cum præſentes copiæ nullam ſpem renovandi belli facerent, retro in Carictam abiit. Maximum vero, quo minus victoria uteretur, prohibuit trepidus nuncius, omnia in interiore Britannia bello ardere. Scoti, ejus diſceſſu majore hoſtium parte levati, quanquam vix ad ſua tuenda ſufficerent, ira tamen ac ſpe, ſe ante exactam æſtatem hoſtes vicinos inſigni aliqua clade repreſſuros, quicquid virium aut odii ſupererat in Pictos effuderunt. Quacunque pergebant, obviis abſque diſcrimine trucidatis, ferro & flamma late vaſtitatem faciebant. Maximus, quanquam minis & verborum contumelia Scotos perſequebatur, utriuſque tamen clade gentis pariter lætus, ubi primum ei commodum fuit, tanquam damna Pictis illata ulturus, in Scotos movit. Illi tum non de gloria, imperio, aut præda dimicaturi; ſed de patria, fortunis, vita, cæteriſque, quæ hominibus cara eſſe ſolent, eductis omnibus, qui arma ferre poſſent, non modo viris, ſed etiam (gentili conſuetudine) mulieribus, in ultimum ſe diſcrimen parant: &, caſtris non procul a Duno amne poſitis, non longe ab hoſtibus conſtiterunt. Acie utrinque inſtructa, primi concurrerunt cum Scotis Romanorum auxilia. Ibi alteris ſpe, alteris deſperatione incitatis, certamen acrius, quam longius fuit. Picti & Brittones magna cum cæde repulſi: ac, niſi ſubſidium in tempore a Romanis veniſſet, fugam circumſpectabant. Verum, Maximo legiones admovente, Scoti, & multitudine & genere armorum & diſciplina inferiores, ruinæ modo retroacti. Cecidit ibi Rex Eugenius, dum ſuis non vult ſupereſſe; ac major procerum pars, ne Regem prodidiſſe videretur.

LI. At Maximus, tanta victoria citius, quam ſperarat, potitus, cum vix haberet in quem odium exerceret, miſericordia ad priſtinam clementiam revocatus, multis Scotorum regionibus perluſtratis, dedentes ſeſe recepit, agroſque colere juſſit: &, ut ſuis contenti, vicinis moleſti ne eſſent, imperat. Picti hanc ejus clementiam ægerrime ferentes, contendebant; „Nunquam Ro„manos, eorumque ſocios, ſolidam & ſinceram pacem habituros, incolumi „gente Scotorum, ſemper inquieta, ſemper ad omnem prædæ occaſionem in„tenta: nunquam [1] terram Britanniam ſecuram fore, dum in ea quicquam il„lius

1. *Terram Britanniam.*] Vide ſupra ad lib. 1. 46.

„lius ſanguinis ſupereſſet. Cum feris belluis rem eſſe, quæ nullis officiis pro-„vocatæ manſueſcant, nullis damnis fractæ conquieſcant: eundem, qui ei genti „eſſet, bello finem futurum. Cum Maximus contra multa diſſereret, de vetere populi Romani inſtituto, a quo gentes victæ, non modo relictæ incolumes, ſed etiam civitate ſint donatæ: „Nunquam in orbe terrarum, fere per-„domito, gentem ullam penitus exciſam. Se curaſſe, ut Rege cum omni „juventute cæſo, non metuendos vicinis, ſed potius miſerandos, hoſtes re-„linqueret. Nec ſe Pictorum adverſus eos odio cedere: ſed, rem vere æſtimanti-„bus, multo lætius eſſe ſpectaculum, e viventium miſeriis, quam cruore occi-„ſorum: gravioremque pœnam eſſe vivendo ſemper mortem optare, quam ſe-„mel moriendo malis omnibus defungi. Hæc quidem ille diſſerebat, non tam ulla erga Scotos benevolentia, quam Picticæ crudelitatis odio: ſimul in futurum proſpiciens, quam periculoſum eſſet provinciæ Romanæ, ſi vires Pictorum, deletis penitus Scotis, duplicarentur. Picti vero, nec querelis, nec precibus, nec donis abſtinuere, priuſquam edictum impetrarent, ut Scoti omnes ante certum diem Britannia excederent: qui ſecus feciſſet, ei ſore capitale. Ager eorum inter Pictos & Brittones diviſus.

LII. Scoti ſuperſtites, quo quemque fors tulit, per Hiberniam, Æbudas, Scandiam, & Cherroneſum Cimbricam diſperſi, ab incolis ſatis humaniter fuerunt recepti. Sed nec a ſacerdotibus & monachis, qui tum in ſummo erant honore, Picti, etſi publice Chriſtianis inſtitutis imbuti, injuriam abſtinuerunt. Illi vero profugi, cum in omnes circumcirca regiones diſpergerentur, multi in Ionam (Æbudarum unam) devenerunt: atque ibi in cœnobium collecti, magnam ſuæ ſanctitatis & eruditionis famam ad poſteros tranſmiſerunt. Cæteris Scotis ita bello afflictis, patria pulſis, & de reditu deſperantibus, Æbudarum cultores, ingenio feroces & inquieti, & ob deſidiam inopes, & hominum multitudine, & rerum neceſſariarum ſuperante penuria, aliquid per ſe audendum rati, claſſe longarum navium coacta, duce Gillone, in Argatheliam tranſmittunt. Ibi, dum ad prædam, ut in regione prope vacua habitatoribus, vagi diſcurrunt, a Pictis eo ad præſidium miſſis circumventi, ac a navibus excluſi, ad unum periere. Claſſis capta, & ad uſum belli adverſus Inſulanos reſervata. Nec ita multo poſt, qui in Hiberniam confugerant, partim veteris cognationis commemoratione, partim fortunæ commiſeratione, gentem ad bella prædaſque ſuopte ingenio proclivem facile moverunt, ut auxilium ad patriam priſtinumque ſtatum recuperandum decernerent. Data decem millia. Hi in latus Scotiæ adverſum Hiberniæ tranſpoſiti, magnum ſui adventus terrorem late fuderunt. Hoc primo ſucceſſu læti, cum de reliquo bello conſultarent, Scoti Albini, gnari virium Romanarum, & quantum reliquas nationes peritia rei militaris anteirent, auctores erant; „Ut, præſente victoria „contenti, cum præda domos redirent, nec exſpectarent, dum totius Britan-„niæ vires eos adorirentur. Et quando nec univerſæ Hibernorum copiæ, ſi ad-„eſſent, pares eſſe queant adverſus eorum exercitus, quorum conſilio & ar-„mis terrarum orbis eſſet perdomitus, cum eis non vi aperta, ſed æſtu cer-„tandum, occaſiones captandas, & quos nec numero, nec opibus, nec

„bellandi peritia, æquare poſſent, laboribus & malorum patientia fatigandos. „Hanc unam eſſe hujus belli gerendi rationem.„ Hiberni Scoti contra Albinos increpare; „Quorum priſtina animi vis adeo clanguerit, ut cum poſteri eſſent „eorum, qui Romanos exercitus prope deleſſent, ipſi [1] nec aſpectum quidem „illorum ſuſtinere poſſent.„ Nec deerant etiam ex ipſis Scotis Albinis, qui contenderent; „Belli rationem, a civibus ſuis propoſitam, plane inanem eſſe: „ut quæ ad hoſtem tantum vexandum, non ad patriam recuperandam faceret. „Quamobrem, fortunæ inſtandum; eam reditus ducem ſequendam. Id ſi fa- „ciant, non eſſe dubitandum, quin Deus, qui tam proſpera belli initia dederit, „aut novo Brittonum motu, aut revocatis ad bella propiora legionibus, ho- „ſtium vires ſit imminuturus. Occaſionem oblatam potius amplectendam, „quam in præſentia neglectam poſterius fruſtra quærendam. Hæc ſententia cum in concilio viciſſet, læti ad prædas diſcurrunt: ac, dum in ſpem amiſſa recuperandi audacius quam prudentius ſuæ cupiditati indulgent, majoribus repente copiis oppreſſi, majorem ſuorum partem amiſerunt.

LIII. Hæc clades in Hiberniam renunciata, Scotis omnem ſpem reditus præcidit, & Hibernos de ſua libertate retinenda ſollicitos reddidit. Multis igitur conſiliis tentatis, cum alius exitus non appareret, viſum eſt Scotis Hibernenſibus, legatos Britanniam eſſe mittendos, ac pacem quam maxime commodis poſſent conditionibus cum Romanis faciendam. Eos Maximus primum graviter increpat, „Quod nullis provocati injuriis ultro arma Romana laceſſiſſent. Legatis excuſantibus, & culpam in imperitam multitudinem conferentibus, data venia. Pax iis legibus facta; „Ne hoſtes Romanorum poſt eum diem „Hiberni reciperent, ab eorumque ſociis omnem vim abſtinerent, comiter „imperii majeſtatem colerent. Hiberni æquiores, quam ſperarant, conditiones læti domum retulerunt. Maximum autem ad pacificandum, non metus ab Hibernis (ut qui non magnum in eorum motibus momentum poneret) flexit: ſed quod, in majorum rerum ſpem intentus, non modo quietam, ſed etiam benevolam, ſibi volebat relinquere Britanniam. Nam, cum tot cæſis exercitibus, imperii Romani vires bellorum civilium tempeſtatibus debilitatas videret, Imperatoreſque non a Senatu populove legi, ſed militari favore aſſumi, cumque, perdomita (quod nulli alteri contigiſſet) Britannia, magnum in re militari nomen, exercitumque pro multitudine ſatis firmum, haberent, in eo rerum ſtatu decreverat, ſi ſe occaſio imperii occupandi offerret, fortunæ non deeſſe. In hanc ſpem pronus, milites plurima comitate & omni largitionis genere complectebatur. De rebus graviſſimis cum Britannorum majoribus conſultabat: Pictorum juventute exercitum ſupplebat: eiſque præſidia pluribus in locis provinciæ committebat cuſtodienda: diviſo inter eos & Brittones Scotorum agro, Pictis quidem veterem ditionem liberam reliquit, ſed vectigalia modica, ex attributo eis ultimo regni Scotorum angulo, exegit: indicium quidem, ut ipſe prædicabat, Britanniam univerſam partim a ſe perdomitam, partim pacatam. Atque his quidem artibus vulgus mirum in modum ſibi concilia-

1 *Nec aſpectum quidem.*] Melius forte *ne aſpectum quidem.*

ciliabat. Itaque, omnibus ad ſpem conceptam paratis, velut a militibus coactus, purpuram ſumſit.

LIV. Poſt eum Conſtantinus, ex infimo militiæ ordine, ſola nominis commendatione a Brittonibus dux eſt electus: atque eo rurſus interemto, Gratianus homo Britannici ſanguinis inſulæ imperium invaſit. Verum, Maximo in Italia, Gratiano in Britannia cæſo, miſſus eſt Roma Victorinus, qui legati nomine Britanniam regeret. Is, cum ſua opera imperium videri vellet auctum, Pictis in provinciæ formam redactis, legibus Romanis eos uti juſſit, gravi pœna, ni pareatur, indicta: ac, Hergusto eorum Rege inter hæc mortuo, vetuit, ne novum crearent, neve magiſtratum alium, niſi a populo Romano datum, haberent. Id vero Pictis mera ſervitus videri: ac jam ſero & fruſtra queri; „Gentem & amicam & cognatam, ac licet interim moleſtam, tamen adverſum externum hoſtem omnium periculorum ſociam, a ſe fœde & crudeliter proditam. Eo ſe hæc jure pati, qui non auxilio ſolum, ſed miſericordia ſe privarint. Quis enim eorum calamitatibus indolere poſſet, qui meminerit, ad quantam omnium rerum inopiam veteres amicos redegiſſent? Huc nimirum pertinere vetus illud oraculum, quod Pictos olim a Scotis delendos præcinuerat. Ob Scotos enim a ſe proditos nunc pœnas luere, ac miſerius, quam illos perire: niſi forte quis intolerabilius exilium, quam ſervitutem putet. Illos enim in qualicunque fortuna tamen liberos eſſe: ſe vero in extremis malis verſari, eoque gravioribus, quod ſuo merito in ea incidiſſent. Itaque, ut haberent ad quem convenirent, ut in medium de remedio calamitatum ſuarum conſulerent, Durſtum Hergusti filium Regem creant. Apud hunc primores congregati, dum remedia circumſpiciunt, ſervitutis aſperitatem querelæ expreſſerunt. „Jam non imaginaria ſe, ſed vera ſervitute premi. Incluſos intra vallum Severi, velut feras beſtias, ab omni humano commercio ſejunctos: inde juventutem omnem ſplendido militiæ nomine ad lanienam educi. Præter vicinarum gentium odium, accedere monachorum acerbiſſimas increpationes, qui occlamarent, merito eorum preces a Deo contemni, qui Dei miniſtros, ſuoſque fratres, eorundem ſacrorum participes, tanta ſævitia eſſent perſecuti, ut ne monachos quidem, per quos Deus exorari poſſet, eodem ſecum cœlo frui ſiviſſent. Hæc cum graviter eos urerent, ſubeunte in rebus adverſis animos religione, tandem nonnihil a perpeſſione malorum laxamenti dato, una ad libertatem reſtituendam via eſt viſa, ſi Scotis placandis Deum etiam ſuæ perfidiæ infenſum placare poſſent. „Se intelligere, Ferguſium, Regii generis juvenem, in Scandia exulare: eo revocato, cæteros ejus auctoritate facile poſſe adduci, ut redirent. Ad ejus animum tentandum occulta (metu Romanorum) legatio decreta eſt.

L I-

LIBER QUINTUS.

I. CÆSO, uti retulimus, a Romanis Eugenio, ac gente univerſa patria pulſa, Regis frater, [1]ſive ille Echadius ſive Ethodius fuit, metu inſidiarum a Pictis, ac rerum ſuarum incertus, conducto navigio, non magis ventis, quam fortunæ, vela committens, in Scandiam appulit, una cum filio Ertho & nepote Ferguſio. Ibi, cum in aulam veniſſet, Rex illius oræ edoctus, qui & unde eſſet, quaque fortunæ violentia exercitus fuiſſet, cum, præter [2]vectorum ſermones, habitus formaque viri facile dictis fidem faceret, brevi eum in familiarium numerum admiſit. Ferguſius ibi (patre & avo mortuis) cum adoleviſſet, & ſe totum ſtudiis militaribus dediſſet, multæ ſimul adverſus imperium Romanum expeditiones a populis ad ſeptentrionem ſpectantibus ſunt ſuſceptæ. Aliis in Pannoniam, aliis in Galliam nationibus irrumpentibus, Ferguſius, pariter & armorum ſtudio, & Romanorum odio, Francos in bellum adverſus Gallos eſt ſecutus. Sed, cum ea expeditio parum proſpere ceſſiſſet, majore gloria, quam re parta, in Scandiam rediit. Cum vero non ibi tantum, ſed per vicinas quoque gentes, nomen ejus celebraretur, ea viri fama ad Scotos & Pictos perlata, ſpem fecit Scotis patriam, Pictis libertatem, recuperandi, ſi, antiquis odiis depoſitis, hoc duce adverſus Romanos fortunam tentarent. Et erat ea tempeſtate Romana res adeo afflicta finitimorum armis, ut ipſa occaſio veteres inimicos ad vindictam ſuperiorum injuriarum excitaret. Nam Imperatores, civilibus bellis attriti, Gothis, & Vandalis, & Francis, & Afris, in proximas cuique provincias irrumpentibus, ita undique vexabantur, ut ad Italiam & Romani imperii ſedem tuendam, omiſſa rerum exterarum cura, exercitus revocarentur. Inter eos motus, qui Britannicis legionibus præerant, rem Romanam habentes pro deplorata, ſibi quiſque privatim conſulentes, alius alio tempore tyrannidem ſtabilire conabantur: nec contenti Inſulanos omni genere crudelitatis & avaritiæ vexare, etiam ipſi mutuis incurſionibus ſeſe conficiebant. Ita decreſcente quotidie legionariorum numero, creſcente provincialium odio, magis deerant Britannis univerſis vires, quam animus ad rebellandum. Sed ſupra clades alias maxime omnium afflixit inſulam [3]ultimus exercitus Imperator Conſtantinus: qui, ſumta purpura, non mo-

1 *Sive ille Echadius, ſive Ethodius.*] A Fordono & Joan. Majore *Echadius*, a Boethio & Leslæo *Ethodius* appellatur.

2 *Vectorum ſermones.*] Ita MS. & Edinb. alii fere omnes *victorum ſermones* inepte legunt.

3 *Ultimus exercitus Imperator Conſtantinus.*] Et mox, *Quæ potiſſimum occaſio Scotorum mirum in modum conſpirationem maturavit.* Dum diverſos auctores hic ſequitur Buchananus, in apertum prolabitur Anachroniſmum. Hic enim Conſtantinus purpuram demum ſumſit, teſte Zoſimo, anno 407. At nulla hinc Scotis, ni futura e longinquo præſagientibus, in patriam redeundi occaſio data, quippe quos ante tres annos, *i.e.* anno 404. ipſe poſtea reverſos tradat.

1 *He-*

modo militem Romanum, ſed quicquid in Britannia erat, abduxit: & inſulam exarmatam, &, ſi quem externum hoſtem habuiſſet, ad omnem injuriam reliquerat expoſitam. Quæ potiſſimum occaſio Scotorum mirum in modum conſpirationem maturavit. In hoc igitur ſtatu rerum, inita concordia per ſecreta cum Pictis colloquia, per utriuſque gentis legatos Ferguſius ad regnum avitum ſuſcipiendum revocatur. Ille, ut homo militaris, & gloriæ cupidus, & præſentium rerum tædio affectus, & futurarum ſpe erectus, facile conditionem accepit. Ad famam ejus profectionis, non modo Scoti exules, ſed Danorum multi, familiari uſu & commilitio conciliati, in eandem cum eo ſpem domo profecti, in Argatheliam appulerunt. Illuc ad eum, antea de ejus adventu præmoniti, qui in Hibernia & circumjectis inſulis exulabant, celeriter convenerunt: & ipſi ſecum hoſpitum, & amicorum, juventutis item novarum rerum avidæ, ſatis magnum numerum trahentes.

XL. REX.

II. His auxiliis FERGUSIUS fretus, more patrio quadrageſimus Scotorum Rex eſt creatus, Liber Paſletenſis reditum ejus conjicit in annum [1] Honorii & Arcadii Imperatorum ſextum. Alii in octavum, hoc eſt, juxta Mariani Scoti ſupputationem, CCCCIII. [2] juxta Funccium, CCCCIV. a Chriſto nato, CCCC
qui fuit a morte [3] Eugenii [avi] circiter XXVII. Qui ex Beda contendunt, IV.
hunc primum fuiſſe Scotorum in Britanniam adventum, eos ejus hiſtoria manifeſti mendacii coarguit. Comitiis igitur peractis, homo in bello natus & educatus, & qui fortunæ benignitate & hominum alacritate utendum, & famam ſui adventus præveniendam, cenſeret, præſidia proxima, cum non ſatis militum haberet ad ea obtinenda, diruit: & regno recuperato, cum primum per anni tempeſtatem poſſet, diligenter adverſus hoſtes expeditionem apparat. Brit-

1 *Honorii & Arcadii Impp. ſextum, alii in octavum.*] Mire hic variant Scoti ſcriptores; Fordonus enim, Joan. Major & Buchananus Ferguſii II. reditum in annum conjiciunt Chriſti nati 403. Boethius vero ejuſque Epitomator Leslæus, quos & Pat. Abercrombius ſequitur, in annum 422. Buchananus autem Scotos Britannia exulaſſe tradit annos 27. alii vero omnes annos 43. aut 44. adeoque juxta Fordonum & Majorem A. C. 360. juxta Boethium & Leslæum A. C. 378. juxta Buchananum A. C. 376. patria primum pulſos fuiſſe oportet. Cæterum cum Scoti ſcriptores omnes conſentiant majores ſuos patria pulſos fuiſſe a Romanis Pictiſque duce Maximo tyranno, qui paullo poſt, hoc eſt, anno C 382 aut 383. purpuram ſumſit, a vero longiſſime abeſſe videtur eorum opinio, qui Scotorum exilium ab anno 360. ordiuntur: ex nullis enim eorum temporum monumentis colligi poteſt Maximum tum Britanniæ præfuiſſe. Imo vero, qui ante eum fuerat, Theodoſius magni Theodoſii Imp. pater eam provinciam adminiſtravit anno demum 368. pacatamque Britanniam reliquit anno 369.

2 *Juxta Funccium.*] Accuratior Petavii ſupputatio, cui octavus Arcadii & Honorii annus in annum Chriſti incidit 402.

3 *Eugenii avi.*] Ita omnes libri, pugnante ipſo ſecum Buchanano: Eugenius enim non Ferguſii II avus, ſed magnus patruus fuit. Vide ſupra, in initio hujus libri. Vox igitur [*avi*] omnino delenda.

Brittones interea in duas factiones erant diviſi. Alteri, libertatis cupidi, & externæ dominationis pertæſi, eorum adventu gaudebant: alteri præſens otium, cum maximis incommodis conjunctum, incertæ libertati & certo bello præferebant. Itaque, & periculi imminentis metuentes, & ſuæ infirmitatis conſcii, duplicem legationem decernunt: [1] alteram ad Pictos, quæ eos ſollicitaret; „Ne „relicta Romanorum & Britannorum amicitia, ad veteres ſuos inimicos, ho„mines ſine re, ſine ſpe, ſine viribus, deficerent. Addunt admonitiones, pollicitationes, &, ni pareatur, graves minas a Romanis, quibus nec integri ambo unquam reſiſtere potuerunt, nedum nunc alteri delectibus exhauſti, alteri omni genere malorum attriti, pares eſſe poſſent. Legationis ad Romanos ſumma hæc erat; „Ut in tempore, dum aliquid ab hoſtium immanium cru„delitate ſupereſſet quod defenderetur, auxilia mitterent. Id ſi facerent, Bri„tanniam in eorum perpetua fide conſtanter permanſuram: ſin minus, ſatius „fore patriam relinquere, quam gentium ferarum morte graviorem ſervitutem „tolerare. Romani, etſi undique ipſis inſtarent bella, tamen legionem unam ad provinciam protegendam e Galliis mittunt; ſed, rebus ibi pro tempore compoſitis, reverti juſſam. Iis copiis Brittones freti, repentino adventu manus prædatorias incautius vagantes magna cum cæde repulerunt. Socii Reges, inſtructo exercitu, cum ad vallum Severi veniſſent, ad Carrontem amnem hoſtium copiis occurrerunt. Ibi atrox commiſſum prælium. Magna utrinque cæde edita, Romani ſuperiores, [2] quia brevi in Gallias erant redituri, contenti hoſtes repreſſiſſe, vallum Severi pluribus locis dirutum reſtituunt: eoque inſtaurato, ac Brittonum præſidiis firmato, diſcedunt: & ſocii Reges, etſi celeritate & laborum tolerantia ſuperiores, multitudine tamen & opibus hoſti impares, decreverant præliis abſtinere, crebris incurſionibus hoſtem vexare, ſummam rei, nondum adultis viribus, in diſcrimen unius certaminis non committere.

III. Verum, ubi Romanos e Britannia abſceſſiſſe nunciatum eſt, mutata ſententia, totis viribus in unum collectis, vallum, militari tantum opere conſtructum, & ſegniter a Brittonibus cuſtoditum, diruunt. Inde, liberiore jam populatione, agrum ultra vallum, quem ob hominum inopiam tenere non poterant, ad multa millia Brittonibus inutilem reddiderunt. Principem in munitione diruenda [3] Græmum quendam fuiſſe dicunt: qui, milite navibus trans vallum expoſito, cuſtodes incautos oppreſſit, ac ſuis aditum patefecit. Hic Scotuſne an Britto fuerit, ſcriptores in ambiguo relinquunt. Major pars Brittonem fuiſſe, e familia Fulgentiana, in primis in illa gente nobili, oriundum, eundemque Ferguſii ſocerum, contendit. Eos ut ſequar magis inclinat animus.

Val-

1 *Alteram ad Pictos.*] Et mox, *Legationis ad Romanos ſumma hæc erat.* Multo tamen clarius, ſi ſic dixiſſet, *Altera ad Romanos legatio miſſa eſt, cujus ſumma hæc erat.*

2 *Quia brevi in Gallias erant redituri.*] Ita MS. alii omnes, *qui brevi*, &c.

3 *Græmum quendam fuiſſe.*] Ab hoc Græmo nomen traxiſſe quidam volunt illud vallum, quod & in hunc uſque diem *GRÆME'S DYKE* vulgo appellatur.

Vallo igitur diruto, cum Scoti & Picti inhumana crudelitate in Brittones, (ut tum res erant) armorum deſuetudine imbelles, ſine diſcrimine ſexus & ætatis graſſarentur, illi miſerabilem legationem Romam mittunt, quæ ineffabilem gentis calamitatem indicaret, & ſuppliciter auxilium poſceret. „Quod ſi Brittonum cladem, & provinciæ, nuper tam ſplendidæ, negligerent interitum, „tamen ad dignitatem populi Romani pertinere, ne nomen eorum apud barbariem illam incultam vileſceret. Rurſus igitur miſſa legio, *quæ* (ut ait Beda) *inopinato tempore autumni adveniens, magnam hoſtium ſtragem dedit.* Ad hos reprimendos, ſocii reges quantum poſſunt exercitum cogunt: & freti ſuperiorum temporum ſucceſſu, & Dionethi Brittonis amicitia, ad hoſtem ducunt. Erat autem Dionethus honeſto loco apud ſuos natus: & quia ſemper alias omnibus ſuis auctor fuerat, ut e ſervitute Romana ſe eximerent, ac tum maxime, tanta opportunitate oblata, totis imperii viribus in alia bella converſis, ideo ſuis ob novarum rerum ſtudium ſuſpectus, Romanis inviſus, Scotis & Pictis amicus erat. Hi, cum initum ſcirent ab hoſtibus conſilium, ut hunc primum, velut propius malum, & in ipſis inhærens vitalibus, opprimerent, id ne fieret, magnis itineribus ad hoſtem contendunt: & conjunctis cum Dionetho caſtris, acrique adverſus Romanos conflictu inito, eos a fronte atque a tergo multitudine freti circumveniunt. Cum ſolutis ordinibus legionarii cederent, ſocii Reges acrius invecti, a reliqua parte Romani exercitus, quæ in ſubſidiis collocata ſub ſignis manſerat, excepti, cum magna ſtrage repelluntur: ac, niſi Romani ſuæ paucitatis conſcii, fugientes inſequi longius auſi non fuiſſent, inſignem eo die accepiſſent cladem. Verum, quia damnum amiſſi militis in paucitate magis ſentiebatur, minor ex victoria fuit lætitia.

IV. Maximianus (ita qui legioni præerat a noſtris vocatur) hac offenſione perculſus in intimam ſe recepit provinciam: Reges diverſi ad ſua quiſque revertuntur. Dionethus, more Romano ſumta purpura, ſe Regem Brittonum edit. Romanus, ubi diſperſos hoſtes intellexit, collectis quantas poterat viribus, Brittonum auxiliis ſuas copias auget, ac in Dionethum, propinqua ſibi provinciæ loca infeſtantem, ducit: eum, unde propius erat periculum, ante ſociorum adventum ratus poſſe opprimi. Sed tres Reges, celerius ejus opinione conjuncti, caſtra caſtris contulere, ac ſuos pro tempore exhortati, in aciem produxerunt: nec mora prælio facta eſt. Romanus Britannos in prima acie collocavit, ſuos in ſubſidiis tenuit. Commiſſo acri prælio, cum prima acies loco mota eſſet, Maximianus, promota legione, Brittones prope circumſpectantes fugam retinuit. Deinde circummiſſis, quæ terga cæderent, cohortibus, Scotorum aliquot manipuli, in medio deprehenſi, cum in orbem pugnando ſe defenderent, majore hoſtium parte in eos verſa, ipſi quidem univerſi occidione occiſi: ſed eorum calamitas cæteris ad dilabendum ſpatium dedit.

V. Ceciderunt in ea pugna Ferguſius Scotorum, Durſtus Pictorum, Reges: Dionethus ſaucius, ægre per ſuos raptus ad mare, navicula domum eſt avectus. Hæc victoria ita omnium animos perculit, ut ſuperioris temporis ante oculos imaginem haberent, & plerique jam exilio locum circumſpicerent. Deceſſit Fergufius, poſtquam ſedecim annos rei Scoticæ præfuiſſet: vir plane magni

animi, & quem ſecundum regni Scotorum conditorem jure liceat appellare: atque in eo (fortaſſe) priori Ferguſio anteferre, quod ille in vacuos prope agros, concedentibus etiam Pictis, venit: nec ei res cum Romanorum invictis copiis, [1] ſed cum Brittonibus [*fuit*,] ut non multo belli apparatu ſuperioribus, ita laborum patientia longe inferioribus. At hic Ferguſius, cæſis prope omnibus, qui arma ferre poſſent, in externo ſolo educatus, poſt viceſimum ſeptimum demum exilii annum, rex ignotus ab ignotis ſibi civibus aſcitus, manu collectitia ex variis gentibus, adverſus Britannos, interim Romanis opibus ſubnixos, arceſſitus; niſi manifeſta vis numinis ejus conatibus affuiſſet, temerarium facinus, ac propius amentiæ auſus videri poterat. Decedens, tres reliquit filios adhuc impuberes, Eugenium, Dongardum & [2] Conſtantinum. Eis, omnium magno aſſenſu, Græmus avus maternus tutor eſt datus, interim, dum pueri adoleſcerent, pro Rege futurus. In eo tanta fuit virtus, ut temporibus turbulentiſſimis, in gente feroci, nec ſemper ſuis Regibus morigera, nullus domi ſub peregrino principe motus exſtiterit.

X L I. R E X.

VI. EUGENIUS, ſive EVENUS, maximus natu filiorum Ferguſii, nomen Regium habebat: poteſtas penes Græmum erat. Is, cenſu juniorum per univerſum regnum habito, cum vires, ſupra quam crediderat, ſuperioribus præliis attenuatas comperiſſet, nihil tum conandum ratus, delectum remiſit. Romana autem legio, uti juſſa erat, liberatis ſociis, in continentem reditura, quicquid terrarum hoſtilium intra vallum Severi erat, depopulata, cæſis incolis, agros Brittonibus reſtituit, prædam ſibi retinuit. Scotorum ac Pictorum reliquiæ, quæ eam calamitatem evaſerant, intra duo maris æſtuaria rurſus incluſæ. Rebus ad hunc ſtatum redactis, Romani Brittonibus exponunt; „Quot & quam validis exercitibus, in exitium rei Romanæ conjuratis, ipſi ob„ſideantur: imperium nec laboribus nec ſumtibus tantis poſſe ſufficere, ut lon„ginqua tueatur.„ Quamobrem Brittones admonent. „Ne in poſterum ex„terna exſpectent auxilia, ſed ipſi arma capeſſant, & ad militares labores ſuſti„nendos ſeſe exerceant: & quod ignavia antea peccatum fuerat, induſtria & „malorum tolerantia compenſent: neu ſe ſinant, hoſtibus, quibus ipſi & nu„mero & opibus præſtent, ita eſſe contemtui, ut ex agro eorum annuas præ„das, non ſecus ac ſi venatum exirent, abducant. Ipſi vero Romani, etiam ut in poſterum prodeſſent, magnum & memorabile opus aggrediuntur. Collecta enim e tota provincia maxima opificum manu, Romanis ac Brittonibus certatim contendentibus, ubi vallum per triginta millia paſſuum a Severo fuerat ductum, murum e lapidibus exſtruunt, octo pedes latum, duodecim altum. Caſtellis eum diſtinguunt, quorum nonnulla oppidulorum ſpeciem præferebant.

1 *Sed cum Brittonibus* [*fuit*] Abeſt hæc vox [*fuit*] ab omnibus libris; margini quidem MS. adjecta eſt [*fuerat*] verſu ſequenti poſt [*inferioribus*] interſerenda.

2 *Conſtantinum.*] Ita MS. & ipſe poſtea lib. v. 17. alii vero omnes libri *Conſtantium.*

1 *An.*

bant. Finiebatur ad occidentem ad locum, qui nunc Fanum Patricii dicitur. Ad orientem vero incipit a monaſterio Aebercurnig, ut ſcribit Beda: qua in regione, ante CXX. annos, arx valida Duglaſſiorum fuit Abercornum, monaſterii vero nuſquam ullum veſtigium. Præterea, ne hoſtes (ut alias factum meminerant) navibus ultra murum in terram deſcenderent, frequentes toto littore ſpeculas excitarunt in locis editioribus, unde proſpectus late in mare patebat. Appoſitæ, ubi commodum viſum eſt, cuſtodiæ; ſed plane hominum ignavorum & imbellium, qui nec hoſtis armati aſpectum ſuſtinerent. His Romana legio provinciales officiis proſecuta, fortibus etiam conſiliis ad patriam propriis armis protegendum hortantur: ac vetant auxilium Romanorum poſt eum diem ſperare. „In eo enim ſtatu rem Romanam eſſe, ut ſociis longinquis nullam opem poſſit afferre.

VII. Scoti & Picti, ubi Romanos abiiſſe, nec denuo reverſuros, per exploratores pro certo compererunt, totis viribus, ac multo quam [1] antea acrius, murum aggreſſi, non modo telis miſſilibus propugnatores dejecerunt, ſed *uncinatis telis*, inquit Beda, id eſt, (ut ego interpretor) [2] dorydrepanis, aut falcibus muralibus, e muro detrahebant, ac ſuperiore munitione defenſoribus nudata, operis adhibitis fundamenta ſubruebant: & ſemel aditu patefacto, hoſtem perculſum cogebant, relictis villis atque urbibus, qua cuique commodum erat, fugam intendere. Scoti vero & Picti tam avide vindictæ incubuerunt, ut ſuperiores omnes calamitates præ malis præſentibus tolerabiles hoſtibus videri poſſent. Deinde, ubi prædatores, magis laſſati, quam ſatiati miſeriis hoſtium, domum rediere, ſera tandem ſubit illa cogitatio, ſe non tam bona inimicorum, quam victoriæ præmia corrupiſſe. Igitur, cum in conventu procerum diſceptaretur, quomodo tanta victoria utendum eſſet, primum omnium placuit, agros hoſtibus ereptos ad ſobolis propagationem novis coloniis occupare. Et, ut id conſilium ſalutare videretur, faciebat ingens multitudo fortium, ſed inopum virorum, quibus veteres agri anguſti erant futuri. Hoc autem rerum ſecundarum curſu per nationes vicinas divulgato, non ſolum exulum e Scotia, ſed & peregrinorum, domi inopum, vis ingens, velut ad prædam, convenerat, rati Græmum, ætate & rebus geſtis florentem, non prius finem belli gerendi facturum, quam totam Britanniam perdomuiſſet. Verum illi, tot caſibus jactato, pronior animus erat ad pacem cum re & gloria amplectendam, quam ad certam felicitatem in periculum incertum conjiciendam. Igitur pacem cum Brittonibus, non modo volentibus, ſed etiam cupidis, his legibus fecit; „Ut uterque populus, antiquis finibus contentus, ab alteris abſtineret inju„riam: limes autem utriſque eſſet Hadriani vallum.

VIII. Græmus, ita pace confecta, non modo Scotis, ſed etiam peregrinis auſpicia ſua ſecutis, agros diviſit. Regiones prope omnes, quod plerique novo-

1 *Antea acrius.*] Ita MS. alii autem, *ante acrius*, ſequentis vocis prima hujus ultimam abſorbente.

2 *Dorydrepanis.*] Δορυδρέπανα Græci appellant *falces præacutas, inſertas infixaſque longuriis*, a δόρυ *haſta*, & δρέπανον, *falx*.

vorum incolarum peregrini, reliqui vero majore ex parte in exilio nati eſſent, vetera nomina commutarunt. Gallovidia, Hiberniæ regio proxima, Hibernis ſorte data, nomen id apud ſuos tum celebre creditur accepiſſe. Cathaneſia, quod montana; Roſſia, quod peninſula; Buchania, quod magnum e bubus vectigal penderet, dicta. Bogia, & Narnia, & Navernia, & Speia, & Iernia, & Taichia a fluminibus; Abria, a lacu, aut verius æſtuario maris, nomen accepit. Plurimæ item cis Fortham regiones, Levinia, Glottia, Tuedia, Teviotia, Lidalia, Eſcia, Evia, Nithia, Annandia & Duglaſſia, a fluminibus cognominatæ ſunt. Multis nomen antiquum permanſit integrum: quibuſdam paullum immutatum eſt. Deinde, ut rectis inſtitutis licentiam, diuturnitate belli luxuriantem, compeſceret, primum operam dedit, ut monachi doctoreſque Chriſtianorum inſtitutorum revocarentur: &, ne graves populo inopi eſſent, annuos proventus ex agrorum fructibus attribuit: qui, etſi exiles (ut illis temporibus) erant, hominum tamen modeſtia & temperantia fecit, ut ampli viderentur. Præſidia opportunis locis adverſus ſubitas hoſtium incurſiones diſpoſuit, partim quæ dejecta erant reſtitutis, partim novis inſtitutis.

IX. Bellis ita per totam Britanniam reſtinctis, Brittones, velut, e turbulentiſſima tempeſtate recepti, tranquillitatis publicæ bonis fruebantur, ita incertum fecerunt, bellumne eis, an pax plus incommodi attulerit. Dirutis enim urbibus, villis incenſis, pecore omnique ruſtico inſtrumento amiſſo, qui hoſtium ſævitiam evaſerant, cogebantur, aut venando vitam inopem tolerare, aut latrocinandi licentiam ab hoſte adverſum ſuos convertere: adeo ut e pace externa prope domeſticum bellum naſceretur. [1] Nec ſoli exterorum perpetui hoſtes, etſi ab aperto bello temperabant, ſubinde proxima populabantur: ſed Hibernorum manus, ſpe lucri invitata, maritimis incurſionibus miſeros & extremis malis obſeſſos vexabant. Acceſſit omnium calamitatum extremum fames, quæ adeo feroces ſpiritus fregit, ut plurimi ſeſe hoſti ſponte dederent. Tandem pauci, qui in ſpeluncis latebant, neceſſitate coacti prodeuntes, vagas prædatorum manus disjecerunt, & Hibernos ad mare compulſos Albio diſcedere coëgerunt. Ea peſte vix abacta, propius malum gravius urgere cœpit. Scoti & Picti perpetui hoſtes, non contenti prædas clam abducere, in occaſionem rei majoris [2] animum intenderunt. Eugenius enim Ferguſii filius, qui ſub aliena tutela ad id tempus quieverat, jam adultis longa pace viribus, ac multa ſobole juventutis auctus, ſpecimen ſui oſtendere cupiebat: &, præter Brittonum infirmitatem, acceſſerat privata belli cauſſa.

X. Græmus avus ejus maternus, claro genere apud ſuos, uti diximus, ortus erat: ſed ex ea factione, quæ patriam eripere cupiebat e ſervitute Romanorum. Eam ob cauſſam, ab altera factione validiore domo pulſus, ad Scotos, quibuſcum avitum ei hoſpitium ac multæ aliæ neceſſitudines erant, ſe contulit.

Eo

1 *Nec ſoli exterorum perpetui hoſtes.*] i. e. *ſoli exteri*, *ſeu inter exteros*, hoc eſt, ut ipſe paulo inferius in hoc Capite interpretatur, *Scoti & Picti.* Forte tamen pro [*exterorum*] Buchananus [*eorum*] ſcripſerit.

2 *Animum intenderunt.*] Libri editi *intenderant.*

Eo defuncto, Eugenius agros avitos & fructuoſos, qui intra Hadriani vallum erant, per legatos repetebat: ac non obſcure præ ſe ferebat, ni redderentur, bellum ſe illaturum. Cum legati mandata in concilio Brittonum expoſuiſſent, inter ipſos tanta contentione animorum eſt certatum, ut prope ad manus venirent. Ferociſſimus quiſque clamat; „Scotos non tam agros (quibus abundarent) „quam bellum quærere: nec inſidiari tantum alienis calamitatibus, ſed patien„tiam tentare. Si agri negentur, bellum inſtare; ſi dentur, hoſtem immaniſſi„mum intra viſcera accipi: nec tamen ita pacem habituros, niſi ſperent eorum „avaritiam paucorum agrorum conceſſione expletum iri, qui tot, tam amplis „regionibus, quibus proximo bello demigratum ſit, non ſint contenti. Totis „itaque viribus ab initio eorum immoderatæ, imò inexplebili libidini obviam „eundum eſſe: nec parvarum rerum conceſſione cupiditatem inflammandam, „& augendam audaciam, ſed ferro comprimendam licentiam.

XI. Erat in eo concilio Conanus, vir apprime nobilis, & opinione prudentiæ inter ſuos clarus. Is cum multa graviter de hoſtium ſævitia, deque præſenti Brittonum ſtatu, diſſeruiſſet; „Juventutem fere omnem in tranſmarinas ex„peditiones abductam: acceſſiſſe & bellum foris, & domi ſeditiones, & ex ino„pia famem, quæ reliquias miſerrimas aut conſumſerit, aut debilitarit. Ro„manas legiones ad domeſtica bella, ſpe omni reditus prærepta, abiiſſe. Pa„cem cum hoſte crudeliſſimo, parum quidem honeſtam, ſed certe neceſſariam „eſſe. Id conſilium nullo rerum ſuarum reſpectu a ſe datum, ſed publica ne„ceſſitate expreſſum, hoc eſſe indicio, quod quamdiu ſe tueri adverſus hoſtium „immanitatem poterant, nulla unquam pacis mentio a ſe fuiſſet facta. Neque „ſe ignorare, hanc ipſam, quam ſuadeat, non fore diuturnam; ſed moram tan„tiſper bello facturam, dum vires Brittonum, tot caſibus debilitatæ, ac prope „fractæ, brevi quiete refocillari ac recreari poſſint. Hæc eum diſſerentem clamor ab univerſa concione ſublatus conterruit. Occlamabat enim ſeditioſiſſimus quiſque. „Nullam utilitatem publicam eum ſpectare: ſed regnum ſibi „fretum externis auxiliis velle parare.„ Cum ille, e concilio diſcedens. Deum teſtaretur. „Se nulla privati emolumenti ſpe pacem ſuadere,„ exorto tumultu a multitudine confoſſus eſt. Ejus calamitas effecit, ne prudentiorum quiſquam, etſi patriæ interitum aperte videret, vocem tamen auderet liberam mittere.

XII. Legati cum illinc domum re infecta rediſſent, Scoti & Picti, aliis curis omiſſis, in belli apparatum erant intenti. Brittones quoque ita futurum rati, poſtquam impetus iræ paullum reſederat, legatos ad Scotos decernunt, qui ſimulatione pacis conficiendæ moram belli redimerent, pecuniamque offerrent: ac ſpem injicerent; „Plus quam bello peteretur poſſe tractando atque ce„dendo impetrari. Belli caſus eſſe dubios, & exitum incertum: virorum pru„dentium non eſſe, quæ ante oculos eſſet utilitatem negligere, & certo pericu„lo in ſpem incertam incumbere.„ Nihil impetratum. Eugenius enim per exploratores reſciverat, pacem foris ſimulari, domi bellum a Brittonibus intentiſſima cura parari. Igitur, cum ob hanc cauſſam, tum vetere odio, Scoti & Picti incenſi, & Brittonum calamitatibus invitati, & rerum ſucceſſu elati, nihil

hil niſi omnia permittentibus concedebant. Exercitibus ergo ad ultimam dimicationem paratis, ſocii Reges, per aliquot annos vincere ſoliti, in ſpem victoriæ majoris erecti erant: Brittoneſque, quicquid victis accidere ab hoſte infenſiſſimo poſſet, ante oculos habebant. In hoc rerum atque animorum ſtatu, ubi primum uterque exercitus alteri in conſpectum venit, prælium factum eſt, quale, ante eum diem, Britannis inter ipſos nullum fuerat: tantaque obſtinatione animorum eſt pugnatum, ut vix poſt longam dimicationem Scotorum dextrum cornu inclinare inciperet. Id conſpicatus Eugenius, jam omnibus aliis ſubſidiis in pugnam promotis, cohortem ad impedimenta relictam in aciem duxit. Ab iis, ut integris adhuc, Brittones, qui ex adverſo ſtabant, loco moti: atque initium victoriæ fuit ab ea parte, unde cladem & perniciem formidaverant. Illius aciei fortunam cæteri Brittones ſecuti, terga verterunt: cum autem in ſilvas & paludes, loco ubi pugnatum fuerat propinquas, confugiſſent, eos palantes, & ſparſos & inermes, calones hoſtium nacti, magnam ſtragem ediderunt. Cecidere in ea pugna Brittonum ad quatuordecim millia, hoſtium vero quatuor.

XIII. Secundum hanc pugnam, Brittones, amiſſa prope omni juventute militari, legatos mittunt, qui nullas conditiones pacis recuſent: Reges confœderati, cum omnia ſibi permiſſa viderent, paullum ad miſericordiam verſi, pacis conditiones, etſi duras, non tamen (ut in rebus afflictis) iniquiſſimas obtulerunt: „Ut Brittones nec Romanum, nec ullum exteræ gentis exercitum arceſſerent, „aut ultro advenientem reciperent, aut per ſuos fines iter præberent. Ut „communes cum Scotis & Pictis amicos inimicoſque habeant: neu eorum in„juſſu fœdus aut bellum faciant, auxiliave poſcentibus mittant. Ut finis eis „eſſet Humber fluvius. Pecuniæ etiam adjecta ſumma, quam, in milites di„videndam, repræſentarent, quamque in ſingulos annos penderent. Item „centum darent obſides confœderatorum arbitrio. Has conditiones gravate multi, neceſſario tamen omnes Brittones accepere: atque hanc pacem ut per aliquot annos ſervarent, fecit eadem quæ eam peperit neceſſitas.

XIV. Brittones autem, per ſe infirmi, & ab exteris deſtituti, ut eſſet apud quem in commune conſulerent, Regem ſui generis creant Conſtantinum, e Britannia Gallica arceſſitum, hominem nobilem & domi clarum. Is cum videret Brittonum vires, foris bello, domi latrociniis & inteſtinis diſcordiis fractas, nihil attentandum ratus, decem (quibus regnum tenuit) annis pacem cum vicinis coluit: demum inſidiis Vortigerni, hominis potentis & ambitioſi, occiſus eſt. E tribus filiis duo adhuc impuberes erant: tertius, qui erat natu maximus, tanquam rebus adminiſtrandis parum idoneus, in monaſterium relegatus. Is tamen, opera maxime Vortigerni, qui ſub alieni nominis invidia ſibi opes parabat, Rex creatur. Agris per pacem cultis, poſt famem graviſſimam ſucceſſit tanta fructuum copia, quantam nulla memoria fuiſſe in Britannia eſt auditum. Inde pacis vitia, longe omnibus bellorum damnis magis perniciosa, ſunt enata, luxuria, crudelitas, ſtupra, ebrietas. Adeo nihil uſquam veri & ſinceri, ut non ſolum apud vulgus, ſed & inter monachos & ſanctioris vitæ profeſſores, æquitas, promiſſorum fides, vitæ conſtantia, pro ludi-

diſcrimine eſſent: de quibus luculenta eſt apud Bedam Angloſaxonem, & Gildam Britannum querela. Interea legati, ab Aetio reverſi, in eo nullam ſpem auxilii eſſe renunciarunt. Scripſerant enim ad Aetium Brittones literas, quarum paucos verſus, a Beda recitatos, libuit huc apponere: tum quod miſerias gentis breviter indicent, tum quod oſtendant, in ratione temporum exponenda, quantus ſit apud pleroſque ſcriptores error. Verba hæc ſunt: *AETIO tertium Conſuli, Britannorum gemitus.* Et paullo poſt: *Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc duo genera funerum, aut jugulamur aut mergimur.* Geſſit autem Aëtius tertium conſulatum cum Symmacho: qui fuit annus [1] a Chriſto nato quadringenteſimus quadrageſimus ſextus. Neque tamen quicquam auxilii ab eo eſt impetratum, tum præcipue adverſus Attilæ motus intento. CCCC. XLVI.

XV. Cæteris Brittonibus in hanc rerum deſperationem redactis, Vortigernus unus malis publicis lætus, quod diu præcogitaverat ſcelus, in hac omnium rerum perturbatione impune ſibi futurum ratus, Regem per corporis cuſtodes, a ſe adhibitos, obtruncandum curat. Deinde, ut tam fœdi facinoris a ſe ſuſpicionem averteret, velut iræ & moræ in vindicta expetenda impatiens, ipſos cuſtodes indicta cauſſa interemit. Ita regnum per ſummum nefas adeptus, nihilo ſanctius geſſit. Nam, cum civium ſuorum fidem erga ſe ſuſpectam haberet, & viribus, utpote infirmis, parum confideret, Saxones, qui piraticam exercebant, & omnia littora infeſta late habebant, ſibi conciliat. Eorum duci Hengiſto, cum valida manu tribus longis navibus ad ſe advecto, agros attribuit, ut pro Britannia, non jam ut peregrina terra, ſed ſuo domicilio, ſuiſque penatibus, libenter dimicaret. Ad hanc famam, tum tantæ manus e tribus Germaniæ nationibus, Jutis, Saxonibus & Anglis, affluxiſſe dicuntur, ut jam indigenis formidabiles eſſent. Primum, circa annum a Chriſto nato CCCCXLIX. iis auxiliis fretus Vortigernus, manum cum Scotis & Pictis conſeruit: victorque eos ultra Hadriani vallum repulit. De Eugenio Scotorum Rege duplex eſt fama: alii in prælio trans Humbrum interiſſe, alii morbo exſtinctum ſcribunt. De morte utut res habet, ſatis conſtat ea æquitate rem Scoticam moderatum, ut jure inter optimos Reges connumerari debeat. Quanquam enim primam vitæ partem pene a pueritia uſque totam bellis impertiit, tamen ſub avi diſciplina ita profecit, animumque confirmavit, ut nec licentia militaris (quod plerumque fieri ſolet) in vitia ſolverit, aut in moribus ad pietatem conformandis negligentiorem fecerit, aut ſucceſſus rerum ſecundarum arrogantiorem reddiderit. Sed nec pacis otium ingenii acrimoniam & martios viri ſpiritus fregit: ſed ita vitam æquabili tenore temperavit, ut qui ſtudiis bonarum artium inſtructi ſe ad CCCC. XLIX.

1 *A Chriſto nato* 446.] Ita omnino legendum (non vero 450, quod in omnibus exemplaribus eſt ſcriptum) oſtendit non modo hic locus a Beda citatus lib. 1. cap. 13. quem Chronologorum præſtantiſſimi ſequuntur, ſed ipſius Buchanani ſupputatio paulo inferius qui Saxones primum cum Scotis & Pictis manum ait conſeruiſſe anno 449. Non enim Saxones a Brittonibus prius ſunt arceſſiti, quam de Romanorum auxilio deſperaverant.

ad rerum gubernationem conferunt, eos, indole naturali fretus, vel æquarit vel ſuperarit.

XLII. REX.

CCCC. LII. XVI. Eugenio defuncto, eodem anno, qui fuit a Chriſto nato quadringenteſimus quinquageſimus [1] ſecundus, ſuffectus eſt frater DONGARDUS, homo plane fraternorum morum: ut qui pace honeſta libenter frueretur, &, cum res poſceret, bellum non reformidaret. Itaque in utriuſque temporis curam intentus, dabat operam, non modo ut omnia ingruente hoſte haberet parata; ſed etiam ne animi per otium nimiis bonis debilitati langueſcerent, juventutem labore & parſimonia, quoad poterat, a vitiis continebat. Quo minus autem bello claruerit, ſeditiones domeſticæ inter Brittones excitatæ in cauſſa fuerunt. Hoc igitur metu liberatus, ad cultus divini curam ſe totum convertit. Nam Eccleſias adhuc turbabant hæreſis Pelagianæ reliquiæ: ad quas refutandas miſſus erat a Cœleſtino Pontifice Romano, [2] hujus fratre Eugenio regnante, Palladius, a quo inſtituti plurimi doctrina & vitæ ſanctitate clari ſuccreverunt. In primis Patricius, Servanus, Ninianus, Kentigernus. Creditur idem Palladius primus Epiſcopos in Scotia creaſſe. Nam ad id uſque tempus, Eccleſiæ, abſque Epiſcopis, per Monachos regebantur, minore quidem cum faſtu & externa pompa, ſed majore ſimplicitate & ſanctimonia. Ad hanc ſacrorum repurgandorum curam Scoti tum intenti, & in animi cultu occupati, eam tempeſtatem bellorum, quæ pene totum orbem afflixerat, intacti evaſere. [3] Dongardo ſecundum annum regnante, Vortigerno dejecto, filius ejus Vortimerus Rex a Brittonibus eſt electus. Is, ut Saxonum vires facilius frangeret, cum Scotis & Pictis antiquum fœdus renovavit, quod tempore Carauſii factum a tribus gentibus erat adverſus Romanos. Huic fœderi Dongardus non diu ſupervixit. Deceſſit enim poſt quintum regni ſui annum.

XLIII. REX.

XVII. Succeſſit ei frater natu minimus CONSTANTINUS: qui cum privatus ſatis moderate vixiſſet, ſtatim regnum adeptus, vitiis omnibus frena ſolvit. Adverſus nobilitatem crudelis & avarus: infimi generis hominibus familiaris. Cum in ſtupra virginum & matronarum, & immoderata convivia ſe totum daret, circa ſe ſymphoniacos, & hiſtriones, omniſque generis voluptatum miniſtros, ſemper habebat. His vitiis offenſi Scotorum proceres, frequentes ad eum venerunt, ac ſui eum officii admonuerunt. „ Eos ille „ adeo ſuperbe contemſit, ut juberet alia curare, ſibi ſatis aliunde conſilii eſſe: „ falſam illam ſpem deponerent, ſe poſſe conſulendi obtentu Regem in ordinem „ cogere. Ut autem erat erga ſuos arrogans, ita adverſus hoſtes tam dejecto &

1 *Secundus.*] [In Tabula regum Chronologica eſt *primus.*]

2 *Hujus fratre*] Libri omnes *[patre,]* manifeſto errore.

3 *Dongardo ſecundum annum regnante*] Nec minor hic eſt librorum omnium lapſus, quibus pro [*Dongardo*] *Eugenio* eſt ſcriptum.

& humili ſe animo præbebat, ut ſtatim petentibus non modo pacem dederit, injuriaſque remiſerit, ſed arces alias reddiderit, alias dirui permiſerit. Hi mores ejus ita Scotos & Pictos commoverunt, ut Scoti propemodum rebellarent, Picti, qui jam antea ſecreta conſilia cum Saxonibus contulerant, per ſe rebus ſuis conſulerent, & palam tandem fœdus icerent. Sed apud Scotos, Dugallus Gallovidianus, cujus [1] ad populum maxima erat auctoritas, multitudinem oratione blanda in præſentia cohibuit, fatendo quidem, „Pleraque vera, quæ dicerent; juſta, quæ peterent. Sed, ſi ad præſentia mala civile bellum accede„ret, ſummæ rei periculum eſſe, cum jam regnum ab interitu vix poſſet ſiſti, „Pictis abalienatis, Brittonibus (Vortimero exſtincto) incertis amicis, Saxoni„bus (quibus maximæ erant vires ad bellum, ſumma in victoria crudelitas, in „commerciis nulla fides) in perniciem omnium vicinorum ſemper intentis.„ Et populo quidem majorum natu prudentia lenito, cum Rex, in magno apud omnes odio & contemtu, tamen regnaret, tandem a nobili Æbudenſi, ob ſtuprum per vim filiæ illatum, cæſus fuit, anno quam regnare cœperat quinto decimo. Hæc vulgatior fama eſt. Verum ego Joanni Fordono magis accedo, qui in Scotichronico tradit, eum viginti duos annos regnaſſe, ac tandem diuturno morbo conſumtum.

XVIII. Eo regnante venit in Britanniam hanc e minore Aurelius Ambroſius, Conſtantini, qui ante complures annos regnum tenuerat, filius: ſed eo per fraudem cæſo, ac fratre, qui poſt patrem regnum geſſerat, a Vortigerno per dolum ſublato, duo reliqui Conſtantini filii per amicos paternos in Britanniam Gallicam fuerunt tranſvecti. Verior, opinor, hæc eſt Aurelii Ambroſii origo, quam quæ a quibuſdam aliis traditur, in quibus etiam eſt Beda, qui eum Romani generis ultimum in Britannia rerum fuiſſe potitum tradunt. Hi fratres, Vortimero novercæ fraude exſtincto, & Vortigerno Regium nomen ſine auctoritate & potentia tenente, jam adulti & regni potentes, cum favore & exſpectatione hominum in inſulam ad repetendum regnum paternum reverſi, non ſpernenda Brittonum e Gallia ſecum auxilia attulere. Priuſquam advenas jam commoverent oppreſſo in Vallia Vortigerno, legatos mittunt ad Scotos & Pictos, amicitiam & arma ſocia adverſus Saxones, acerrimos nominis Chriſtiani hoſtes, petentes. Et a Scotis quidem, benevole accepta legatione, fœdus cum Conſtantino prius ictum renovatur: quod ab eo die perpetuo fere tenore manſit inviolatum, donec regnum Brittonum ab Anglis, Picticum a Scotis fuit oppreſſum. A Pictis autem reſponſum eſt legatis Brittonum; „Se fœdus ha„bere cum Saxonibus, quod ut violarent, nullam adhuc interveniſſe cauſ„ſam. Cum eis omnia ſibi proſpera & adverſa poſthac fore communia. Ita inſula tota rurſus in duas factiones abiit, Scotis cum Brittonibus adverſus Pictos & Saxones aſſidue bellum gerentibus.

XLIV.

1 *Ad populum.*] Importuna hic eſt diligentia editionis Moſmannianæ pro *ad populum*, reclamante omnium librorum fide, *apud populum* reponentis, quaſi vero non ſolitum Latinis ſit ita loqui; Cic. ad Fam. V. 10. *Ad Cæſarem meam cauſſam ages.* In Bruto. *Cum Cato contra Serg. Galbum ad populum ſumma contentione dixiſſet.* Pro Roſcio Comœdo, *Quis unquam ad arbitrum quantum petit, tantum abſtulit?*

XLIV. REX.

XIX. Conſtantino ſucceſſit CONGALLUS, e Dongardo Conſtantini fratre genitus. Vir ad bellum quidem pronior: ſed nihildum committere auſus, populo ſub imperio patrui inter convivia & ſtupra fracto. Nec, multorum ſententiis ejus ingenio (ut apud Reges fieri ſolet) velificantibus, ad bellum faciendum induci potuit. Primum, ſe moribus publicis emendandis dedit, nec tamen, priuſquam creatis novis magiſtratibus, & per eos litibus, furtis & latrociniis cohibitis, diſciplinam veterem revocare eſt aggreſſus. Pace domi parta, cæteros, ſuo primum exemplo, ad temperatiorem vitæ rationem inducere eſt conatus: deinde, ſi quos in flagitiis pertinacius hærentes animadvertiſſet, partim caſtigando leniter, partim tanquam nihili homines contemnendo, brevi omnia in priſtinum ſtatum redegit. Initio imperii, cum (uti dictum eſt) totum ſe ſtudiis pacis dedidiſſet, Brittones Aurelio Ambroſio ſuadere cœperunt, ut Veſtmariam, a Scotis jam multos annos occupatam, repeteret. Verum cum, legationibus ultro citroque fruſtra miſſis, res ad arma ſpectare cœpiſſet, metus ab hoſte communi diſceptationi finem impoſuit. Fœdus a Conſtantino factum renovatur. De Veſtmaria nihil mutatum. Toto tempore, quo regnavit Congallus, bellum quidem cum Saxonibus erat, ſed lentum, & per fortuitos inter prædas agendum congreſſus, quo in genere Scotus, levis & procurſator miles, & equitatui maxime fidens, ſe hoſti præſtare exiſtimabat. Nunquam ad univerſæ rei periculum eſt deventum. Congallus enim, qui fortunæ arbitrio quam pauciſſima committenda cenſebat, partem ſuorum ad Aurelium Ambroſium auxilio mittebat, cum reliquis hoſtem fatigando diſtinebat, ac nocte dieque ſemper ſollicitum tenebat.

XX. In horum & proximorum Regum tempora inciderunt Merlinus & Gildas, ambo Brittones, magnum apud poſteros ob divinandi opinionem nomen conſecuti. Sed Merlinus ætate paullo major, egregius impoſtor ac veterator potius, quam vates habendus. Circumferuntur ejus vaticinia, obſcura quidem illa, & nihil certi continentia, quæ vel, antequam eveniant, ſperare, vel cum evenerint promiſſa, vera audeas affirmare. Præterea ita compoſita ſunt, ut eadem ad multa diverſarum rerum eventa circumflectere & accommodare poſſis. Ea cum quotidie interpolentur, & novis acceſſionibus accreſcant, tamen hominum credulorum tanta eſt inſania, ut quæ non intelligant, quovis ſacramento vera eſſe contendere non dubitent: nec, in manifeſto interim deprehenſi mendacio, ſe coargui patiantur. Poſterior vero, Gildas, vir bonus & doctus, in magna veneratione habitus eſt, & vivus & mortuus, ob egregiam doctrinam cum vitæ ſanctitate conjunctam. Vaticinia, quæ nomine ejus circumferuntur, ita & ſententiis ſunt ridicula, & verbis totoque compoſitionis genere informia & inculta, ut ea nemo ſanus Gildæ eſſe ſit crediturus. Contigit quoque utrique pro moribus patronus. Merlino enim primo Vortigernus, deinde Uterius, apud quem ſtupri interpres & conciliator fuit; Gildæ Aurelius Ambroſius, vir nihilo morum probitate, quam victoriis bellorum minus admirandus: quo mortuo, Gildas in Avalloniæ ſeceſſu vixit & deceſſit ſanctiſſime. Ejus meminerunt libri no-

noſtri, de vita Aurelii Ambroſii: cui vita functo ſucceſſit e tribus Conſtantini filiis minimus Uterius, anno ſalutis humanæ quingenteſimo. Ac proximo poſt anno, Congallus Scotorum Rex, viceſimo ſecundo quam regnare cœperat anno, deceſſit.

X L V. R E X.

XXI. Et huic ſucceſſit GORANUS frater: qui ejus exemplo, quantum per externa bella licuit, ſumma pietate & juſtitia rem Scoticam gubernavit, neque ſolum, Regum bonorum vetere inſtituto, regiones omnes obeundo, in facinoroſos animadvertit: ſed potentiores, quo minus in tenues &[1] imbecillos, ſibi obnoxios, graſſarentur, adeo ut accepta injuria queri non auderent, deterruit, ne acerbius dominarentur, inſtitutis exploratoribus, qui crimina tabulis inſcripta ad ſe deferrent: remedium illis temporibus forte neceſſarium; ſed nunc certe anceps, & non mediocriter periculoſum. Ejus maxime ſtudio & auctoritate factum eſt, ut Picti, relicta Saxonum amicitia, fœdus communiter cum Scotis & Brittonibus inirent. Erat tum Pictorum Rex Lothus, omnibus corporis & ingenii bonis omnium æqualium præſtantiſſimus. Cum eo diligenter Goranus egit; „ Ut ſe a ſocietate hominum barbarorum ſegregaret, me„ mor communis patriæ, in qua natus eſſet, communium item ſacrorum. „ Quod ſi Scotis & Brittonibus ſuperatis fidam ſibi cum Saxonibus pacem fore „ ſperet, eum vehementer decipi: quippe cum hominibus inhumana crudelita„ te, inexplebili avaritia. Eos documentum ſatis perſpicuum dediſſe, quam ni„ hil apud eos ſanctum eſſet, cum Brittonum nobilitatem, optime de ſe meri„ tam, ad colloquium evocatam, per ſummum ſcelus trucidarunt. A ſocero ſer„ vatum eſſe generum, non ad calamitatis aliquod ſubſidium, ſed ad hoſtis lu„ dibrium. [2] Fœderum ſanctitatem, quod apud alios amicitiæ firmiſſimum vin„ culum creditur, apud eos pro inſidiantium laqueis, quibus viri ſimplices & „ incauti capiantur, exiſtimari. Quorſum attinebat, tot ſubire pericula, ut ſe „ a Romanorum dominatione liberarent, ſi Saxonibus in duriorem & longe fœ„ diorem ſervitutem ſint ſponte ſeſe tradituri? hoc enim non eſſe conditionem, „ ſed dominum mutare; & miti & humano truculentum & barbarum præferre. „ Quantæ ſtultitiæ ſit, aut potius dementiæ, agros Scotis & Brittonibus adi„ mere, quos Germanis tradant: & homines, nuper amicos, multiſque vetu„ ſtis officiis & neceſſitatibus ſibi junctos, diſpoliare, ut piratas, communes „ humani generis hoſtes, ad ſuum exitium opibus augeant? Homini vero Chri„ ſtiano id longe omnium videri debet graviſſimum, in id fœdus conſentire, „ quo religio Chriſtiana exſtinguatur, profani ritus revocentur, & [3] pro im„ piis tyrannis, omnis humanitatis & pietatis hoſtibus, arma nefaria adverſus Deum „ & ejus legem induere.

XXII. Hæc

1 *Imbecillos.*] Ita MS. Edinb. Genev. quod Francof. quæque eam ſecutæ ſunt Editt. ſine cauſſa in [*imbecilles*] mutarunt, cum utrumque ex æquo Latinis dicatur.

2 *Fœderum ſanctitatem.*] Libri omnes *ſanctitas* quod, cum durum admodum hoc in loco videretur, nos in [*ſanctitatem*] auſi fuimus mutare.

3 *Pro impiis tyrannis.*] Ita MS. alii omnes, *prope impiis.*

XXII. Hæc quidem Lothus vere dici intelligebat. Itaque Gorano rem integram committit. Ille Uterio facile perſuadet, ut non in amicitiam tantum, ſed affinitatem Pictus aſſumatur, data ei uxore Anna, ſive ſorore, ſive ex legitima uxore filia. Ego eis potius accedo, qui ſororem fuiſſe tradunt: atque errorem ex eo natum puto, quod Uterius aliam ex concubina Annam ſuſtuliſſe dicatur. Hoc patrato trium Regum fœdere, multæ de Saxonibus partæ victoriæ: ac nomen Uterii magnum & formidabile per totam Britanniam eſſe cœperat. Omnibus fere Saxonum ducibus occiſis, & ſuperſtitum fracta potentia, rebuſque prope apud eos deſperatis, Uterius inter maximos ætatis ſuæ Reges poterat recenſeri, niſi flagitio fœdo, cum ingenti ſcelere conjuncto, magnis virtutibus maculam aſperſiſſet. Erat inter principes Britannorum Gorlois., virtute & potentia clarus. Ejus uxorem Igernem, forma præſtantem, Uterius adhuc privatus deperibat. Sed cum omnia circa eam obſepta pudicitia libidini ejus obſtarent, tandem per Merlinum, hominem audacem & maleficum, mulieris continentiam expugnat. Ex hac ſtupri conſuetudine natus eſt eis filius Arcturus. Uterius, legitima uxore mortua, liber a vinculis nuptialibus, & Rex factus, (ut ſibi perſuadebat) ſolutus legibus, cum Igernes deſiderium ferre non poſſet, temerarium ex amore conſilium capit. Crimine adverſus Gorloim conficto, arcem ejus obſeſſam capit: ipſum interimit: Igernem uxorem ducit, & Arcturum filium agnoſcit, atque omni indulgentia in ſpem regni educat. Ut autem uxoris infamia (quando tegi non poterat) ſaltem elevaretur, fabulam confingunt, non diſſimilem ei quæ de Jove & Alcmena in theatris ſæpe actitata fuerat: Uterium ſcilicet arte Merlini in faciem Gorloidis verſum, primam cum Igerne habuiſſe conſuetudinem. Et erat is Merlinus, qui pravo potius, quam nullo facinore vellet nobilitari.

XXIII. Arcturus igitur, ex hoc furtivo congreſſu genitus, ubi primum e pueris exceſſit, non ſolum corporis lineamentis, ſed animi etiam indole talis apparuit, ut & parentum & reliquorum civium animos oculoſque in ſe converteret, & futuræ magnitudinis multa indicia exhiberet, eumque, mortuo patre, omnes Regem ſibi deſtinarent. Et pater, hoc velut populari omine lætus, vulgi cupiditatem ita omni arte fovebat, ut jam cuncti in certam ſpem venirent, ſe non alium regni hæredem habituros. Uterio, cum ſeptemdecim regnaſſet annos, vita functo, ſtatim ei ſuffectus fuit Arcturus, multum obnitente Lotho Rege Pictorum, qui ſuos liberos (binos enim habebat ex Anna Arcturi amita natos, jam tum pueritiam egreſſos) graviter querebatur, regno fraudari, ſpuriumque ex adulterio genitum, eis præferri. Contra Brittones univerſi pro Arcturo ſtabant: ac pro ſpurio habendum negabant: quod Uterius matrem ejus, etſi eo jam nato, uxorem tamen duxiſſet, eiſque nuptiis filium legitimo loco ſibi recepiſſet; atque ex eo ſemper eum pro legitimo habuerit. Sed quanquam hunc juris colorem prætenderent, plus tamen Arcturo profuit præclara indoles, & virtutum ſpecimen ſæpiuſcule exhibitum, & velut tacita quædam in omnium animos impreſſa divinatio de ejus claritate futura. Adeoque omnes in ejus partes ierant præcipites, ut Lothus, non ſolum illa juris ſpecie, (quæ certe poſt id ſemper in Brittannia valuit,) ſed ſtudiis & populari gratia

tia ſuperatus, a regno petendo deſtiterit: eoque facilius, quod liberos, quibus regnum petebat, Brittonibus infenſis committere non auderet. [1] Moverunt etiam preces amicorum, qui affirmabant: „ Nullum regnum tanti ei debere videri, ut „ad everſionem religionis Chriſtianæ ſocietatem cum hominibus infidis coiret: „qui nihilo ſanctius amicitiam & fœdera cum eo culturi eſſent, quam cum „Brittonibus ante coluiſſent. Movit etiam & ipſius Arcturi ingenium liberale, & ſupra ætatem animi magnitudo. Igitur fœdus, a prioribus Regibus inter Scotos, Pictos Brittoneſque factum, denuo eſt confirmatum: tantaque ex eo ſecuta eſt familiaritas, ut Lothus Galvinum, e duobus filiis minorem, ubi primum per ætatem labores ferre poterat, in aulam Brittonum ſe miſſurum ſit pollicitus.

XXIV. Iniit regnum Arcturus, decimo octavo ætatis anno nondum expleto. Sed, ut ei animus ſupra ætatem erat, ita animo excelſo nunquam ſucceſſus defuit. Cum pater ejus regnum certis finibus cum Saxonibus diviſiſſet, pacemque certis legibus confeciſſet, plus apud eos valuit occaſionis ex adoleſcentia Regis blandimentum, quam fœderum ſanctitas. Arcturus, ut incendium in ortu ipſo ſtatim exſtingueret, collecto citius omnium opinione exercitu, accitiſque Pictorum & Scotorum auxiliis, duobus magnis prœliis hoſtem vicit: & ad tributum pendendum legeſque accipiendas compulit. Eodem impetu caput regni Saxonici Londinum capit, & rebus ibi compoſitis recta Eboracum ducit. Sed auxiliorum e Germania advenientium fama & propinqua hiems, obſidionem ſolvere coëgit. Proxima æſtate Arcturus, metu ingenti ex anni ſuperioris repentino ſucceſſu injecto, ubi primum Eboracum advenit, oppidum per deditionem recepit. Eo undique vicinorum & civium nobilitate adveniente, cum ibi hiemaret, extremo Decembri, omnibus lætis, & potationi, cæteriſque, quæ ex ea naſcuntur, vitiis, deditis, renata eſt veterum Saturnaliorum imago, ſed numero dierum duplicato, & apud potentiores triplicato, quibus diebus prope nefas habetur aliquid feriæ rei agere. Munera mittuntur. Fit mutua & prolixa inter amicos invitatio. A miniſtrorum caſtigatione abſtinetur. [2] Noſtri *Julia* id feſtum vocant, [3] Cæſaris videlicet nomine pro Saturno ſubſtituto. Vulgo

1 *Moverunt etiam preces amicorum.*] Ita MS. quod & confirmat lin. 6. *Movit etiam & ipſius Arcturi*, &c. Libri tamen editi, *Moverant etiam preces*, &c.

2 *Noſtri Julia id feſtum vocant.*] ita omnes libri, non *Juliam*, quod quidam forte velint, non attendentes feſtorum nomina Latinis numero multitudinis plerumque efferri.

3 *Cæſaris videlicet nomine*] A Julio igitur Cæſare natalem Chriſti diem, nobis *YULE* vulgo appellatum, audacter nimis deducit Buchananus, nulla alia re præterquam vo cum ſimilitudine ſubnixus. Nihil enim memorabile hoc anni tempore, nedum die, egiſſe Julium Cæſarem uſquam legimus: natus enim 6 Idus Julii, cui menſi ob eam rationem ſuum nomen impoſuit, cum antea Quintilis appellaretur: occiſus autem eſt Idibus Martiis, ante Chriſtum natum 44. Quæ duo tempora a 25. Decembris longe diſtant. Abſurdum porro mihi videtur exiſtimare veteres illos Saxones, qui ante plurima ſecula, & primi forſan hac voce *Geol* pro Chriſti natali ſunt uſi, adeo mundi Servatoris fuiſſe oblitos, ut ejus ſaluriferum mortalibus ortum recolentes Julii Cæſaris nomine nuncuparint. Quamcunque igitur vocabulum hocce originem habere velimus, aliam certe ab ea, quam Buchananus comminiſcitur eſſe neceſſe eſt. Et

Vulgo perſuaſum eſt natalem Chriſti iis cærimoniis coli: qua in re verius Bacchanaliorum laſciviam, quam Chriſti tum nati memoriam, referri ſatis conſtat.

XXV. Interea, cum Saxones ad Humbrum dicerentur habere caſtra, Arcturus ad dubia adhuc ſigna veris ad eos ducit. [1] Fracti voluptatibus Brittones, cum ſegnius militiæ munera obirent, nec iidem viderentur, qui tot prælis Saxones fuderant, tantumque per otium luxurioſum viderentur ad temeritatem adjeciſſe, quantum de ſeveritate diſciplinæ detraxiſſent, a ſenioribus orta mentio eſt, de Scotorum & Pictorum auxiliis arceſſendis. Id facile per legatos impetratum: & quos ambitio pene diremerat, ita conciliavit ſtudium religionis, & accendit æmulatio, ut opinione citius ab utroque Rege copiæ adeſſent. Lothus etiam, ut animi reconciliati daret apertius teſtimonium, Modredum & Galvinum filios in caſtra ſecum adduxit. Galvinum etiam Arcturo comitem dedit: quem ille tanta humanitate complexus eſt, ut poſt eum diem ſimul & vitam tranſegerint & mortem obierint. Parato a tribus Regibus exercitu, caſtriſque conjunctis, ut, quemadmodum erat omnibus commune periculum, ita eadem periculi cauſſa videretur, magno conſenſu ab univerſis conſtitutum, ut, expulſis Saxonibus, Chriſtiani ritus, & pietatis cultus ab eis profanatus reſtitueretur. Cum caſtra jam caſtris prope eſſent collata, Occa ſuperioris Occæ filius, qui tum Saxonum erat imperator, nullam pugnæ moram fecit. In exercitu ſociali, cornua Scotis & Pictis, acies media Arcturo commiſſa. Scoti, primo ſtatim congreſſu, Childerico, qui ex adverſo ſteterat, hoſtium duce, ex vulnere collapſo, cæteris ejus caſu territis, cornu disjecerunt. In altero Colgernus Saxo, multa in Pictorum perfidiam jurgatus, in Lothum, habitu corporis & armis conſpicuum, impetu facto, eum ex equo deturbavit: ipſe in medium ab hoſtibus acceptus, a duobus Pictis utrinque haſtis transfigitur. Media acies, ubi acerrime pugnabatur, cornibus nudata, tandem & ipſa ceſſit. Occa ſaucius ad mare delatus, cum cæteris, quibus navium copia fuit, in Germaniam tranſmiſit. Ex iis qui remanſerunt, pertinaciores in errore ſuo morte multati: reliquos ſimulatio Chriſtiani ritus incolumes ſervavit.

XXVI. Reſtabant adhuc in Orientali Anglia & Cantio validæ Saxonum copiæ. In eos Arcturus, æſtate quæ ſecuta eſt, movit, adjunctis ad ſuos denis Scotorum & Pictorum millibus, quorum alteris Congallus Eugenii, alteris Modredus Lothi filius, præerat, juvenes magnæ ſpei, & qui ſæpe fortitudinis & prudentiæ ſpecimen præbuiſſent. Is trium Regum exercitus, cum circiter

Et quidem vocem *YULE* Skinnerus a Latino Hebraico *Jubilum*, Rajus a Cambrico *Gwiliay*, i. e. dies feſti, & hoc rurſus a Latino *Vigiliæ*, Alex. Monrous a Francico *Noel*, i. e. Natalitia Chriſti; alii denique alio modo deductam exiſtimant; veram autem nominis Etymologiam primus indagaſſe videtur Henricus Spelmannus Gloſſ. in voce Mona, pag. 420. qui *Geol* inde appellatum affirmat, quod Decembri celebraretur, qui menſis Angloſaxonibus *Giuli*, teſte Beda, vocabatur, quo & annum inchoabant. Si cui vero hujus quoque vocis originem longius ſcrutari eſt animus, is adeat eruditiſſimi Hickeſii Linguarum Septentrionalium theſaurum, pag. 209, 211, 212, &c.

1 *Fracti voluptatibus.*] MS. *fracti deliciis*

2 *Terr:*

ter quinque millia ab hoſtibus abeſſet, terniſque caſtris diverſi tenderent, Saxones, per exploratores comperto, apud Pictos (qui longiuſcule a reliquis copiis tendebant) ſummam eſſe negligentiam, eos de nocte repente invadunt. Modredus, cum fortiter diu reſtitiſſet, tandem prope deſperata ſalute, cum Gallano ſocero in equum impoſitus, ad Arcturum venit. Ille nihil Pictorum clade territus, cum diem rebus, quæ turbatæ erant, componendis dedit. Itinere exercitui denunciato, de tertia vigilia triplici acie in hoſtem ducit: ac, priuſquam Saxones quid ageretur ſcire poſſent, ad caſtra pervenit. Illi dum trepidi concurſant, nec temporis, vel ad conſilium capiendum, vel ſe armandum, ſatis haberent, paſſim a Brittonibus vallo ſuperato trucidantur: ab iratis maxime Pictis in omnes ſine diſcrimine ſævitum. Quidam ſcriptores rerum Anglicarum tradunt, Arcturum duodecies cum Saxonibus ſignis collatis dimicaſſe: ſed cum nihil, præter nuda locorum nomina, in quibus pugnatum dicunt, ponant, id ſatis habui lectores admonere. De rebus ejus geſtis ut ſummatim dicam, illud inter omnes conſtat, Saxonum viribus attritis, pacem ab eo Britanniæ partam: &, dum ad res in minore Britannia componendas profectus abeſſet, Modredo propinquo ſuo regnum commendaſſe, ut uſque ad ſuum reditum pro Rege præeſſet: quas autem res in Gallia geſſerit, nihil quod pro certo ſcribam habeo. Quæ vero Galfridus ab eo geſta refert, nullam habent umbram, ne dicam ſimilitudinem, veritatis. Ea igitur, ut impudenter ficta & temere credita, omitto.

XXVII. Igitur ut ad rem redeam, dum Arcturus rebus Gallicis componendis intentus abeſt, jacta ſunt ſemina belli [1] terræ Britanniæ longe perniciosiſſimi. Erat in comitatu Arcturi Conſtantinus quidam, Cadoris filius: qui ob eximias & animi virtutes flagrantiſſima apud omnes gratia erat. Is cum occulte ambiret, ac populum paullatim ſuum faceret, proceres, Regem aliquando vacuum a negotiis nacti, ſermonem de ſucceſſore injecerunt. Orant, „Ut reliquis infinitis „in patriam beneficiis hoc adjiciat, ne, ſi ipſe liberorum orbus moreretur, „etiam Britaniam Rege orbatam relinquat, præſertim tantis bellorum procel„lis imminentibus. Sub hæc, cum quidam nominaſſet Modredum, genere maxime propinquum, ac jam bello & pace rebus moderandis aſſuetum, & qui hac vicaria regni adminiſtratione ſpecimen ſui dediſſet, quique non parvam acceſſionem eſſet ad res Britannicas adjecturus; ſucclamatum eſt a multitudine Conſtantino faventium; „Se peregrinum Regem nolle: neque Britanniam „adeo viris effœtam eſſe, ut non ſui populi rectorem ex ſeſe poſſit edere. Stultum eſſe, cujus domi copiam habeant, foris quærere. Senſerat jam pridem Arcturus populi in Conſtantinum ſtudia. Itaque, homo alioqui ambitioſus, facile ſuorum voluntati acquievit: ac ex eo die juvenem non ceſſavit producere, & ad ſpem regni propius admovere. Hanc injuriam cum amici Modredi oſtenderent ſe moleſte ferre, ac fœdere Arcturi cum Lotho cautum dicerent, „Ne „in regni ſucceſſione quiſquam liberis Lothi anteferretur, „reſpondebatur; „Fœdus id, adverſus publicam totius gentis utilitatem, temporum neceſſitate „ex-

1 *Terræ Britanniæ.*] Vide ſupra Lib. I. 48.

„expreſſum : neque, Lotho auctore mortuo, eo ſe teneri. Proinde recte fa„cturos Pictos, ſi finibus antiquis contenti alienis abſtinerent. Britannorum re„gnum nunc Dei benignitate in eo ſtatu eſſe, ut non modo novas injurias pro„hibere, ſed veteres etiam ulciſci poſſit.

XXVIII. Hæc ad Modredum perlata, penitus animum ejus ab Arcturo averterunt, & ad dignitatem ſuam tuendam converterunt. Tantum bello moræ fuit, dum Scotorum animos experiretur. Eis ad cauſſam adductis, ſcribitur exercitus ex Pictis, Scotis, & frequentibus Brittonibus, vel æquitate cauſſæ, vel privato in Arcturum odio, aut Modredum benevolentia, perſuaſis. Nec putatur Vanora, uxor Arcturi, novorum conſiliorum fuiſſe ignara, ut quæ ſtupri conſuetudinem cum Modredo crederetur habere. Exercitus utrinque ad Humbrum caſtra contulere. Cum jam in procinctu ſtarent, tentata concordia eſt per utriuſque partis Epiſcopos, ſed fruſtra, Conſtantini propinquis obnitentibus, omniaque prona Arcturi felicitati affirmantibus. Concurſum eſt ingentibus utrinque animis. Sed Modredo & confœderatis duo potiſſimum fuere auxilio, locus in medio paluſter, Brittonibus tranſitu difficilis, & in ipſo pugnæ ardore ſubornatus, qui Brittones moneret, „ Ut, Arcturo cæſo, rebus perdi„tis, ſuæ quiſque ſaluti conſuleret. Ea vox in fugam eos vertit : magna tamen cædes utriuſque partis facta. Victoria neutris læta fuit, cæſo ab altera parte Modredo, ab altera fatre ejus Galvino, atque Arcturo lethaliter vulnerato. Præda ingens capta. Non ignoro, quæ de vita & morte Arcturi a multis fabuloſe tradantur : ſed indigna relatu ſunt, & viri clariſſimi rebus geſtis tenebras offundunt. Nam, dum tam aſſeveranter mendacia affirmantur, ſæpe veritas in dubium vocatur. Fuit certe vir magnus, & ſingulari fortitudine, & caritate in patriam, vel dum ſuos a ſervitute liberat, vel cultum Dei ſincerum revocat, vel vitiatum reſtituit. Hæc nos de genere, vita & morte ejus, pluribus, quam inſtituti operis ratio poſcebat, ſumus proſecuti : ut quibus non univerſas Britannorum res geſtas complecti, ſed partim ab oblivionis injuria, partim a fabuloſis male feriatorum hominum commentis, res geſtas noſtræ gentis liberare fuit propoſitum. In Arcturi vero rebus longiuſcule ſumus immorati, quod plerique eas, partim per invidiam nimis parce, partim per vanitatem nimis verboſe, perſequantur. Mortuus eſt anno Chriſti D. XLII. regnavit annos XXIV.

D. XLII. XXIX. Ut ad res Scoticas redeamus, Goranus Rex [1] magno jam natu deceſſerat, poſtquam triginta quatuor annos præfuiſſet Scotis, ſuorum (ut creditur) fraude exſtinctus. Erat quidam Toncetus, ſupremus rerum capitalium quæſtor, homo non minus crudelis, quam avarus. Is, cum adverſus ditiores multa ſæva facinora patraſſet, facilem omnium ſperabat apud Regem veniam, quod hac ratione fiſci commoda nonnihil auxiſſet. Populus, cui non facilis erat ad Regem, ſenio & morbo invalidum, aditus, nec, ſi adire licuiſſet, adverſus hominem primarium & gratioſum fides, Toncetum aggreſſi trucidant. Deinde, poſt-

1 *Magno jam natu*] Crafordius legendum vult *magnus* : nulla quidem ratione ; ita enim locutus eſt Livius lib. 21. cap. 34. *Magno natu principes*, & C. Nepos Timoth. cap. 3. *Hic cum eſſet magno natu.*

1 *Con-*

poſtquam impetus iræ deferbuit, cum ſecum cogitarent, quantum facinus admiſiſſent, nullumque veniæ impetrandæ locum proſpicerent relictum, in ipſum Regem impetum odiumque converterunt: ac, incitante Donaldo Atholio, in ædes intromiſſi, eum interimunt.

XLVI. REX.

XXX. Ei ſucceſſit EUGENIUS, Congalli filius. Hunc cum ad ulciſcendam Gorani patrui necem quidam nobiliorum hortarentur, eorum orationem adeo negligenter accepit, ut ipſe ſuſpicione ſceleris non caruerit. Eam etiam opinionem auxit acceptus in amicitiam & familiarem conſuetudinem Donaldus Atholius. Gorani igitur uxor, liberis parvis timens, cum eis in Hiberniam ſeceſſit. Eugenius autem, ut ſe vita moribuſque purgaret, ita regnum geſſit, ut nemo ſuperiorum Regum jure ei præferri poſſit. Cum vicinis nullum per ſe bellum geſſit. Modredum adverſus Saxones, atque etiam Arcturum auxiliis juvit. Aſſiduis per varios duces excurſionibus Anglorum fines infeſtos habuit: nunquam juſto exercitu cum eis congreſſus. Regnum tenuit annos XXIII. deceſſit D. LVIII. D. LVIII.

XLVII. REX.

XXXI. Poſt eum ſuffectus eſt frater ejus [1] CONVALLUS: qui decem annos regno in ſumma pace præfuit: vir ob egregias virtutes omnium ſeculorum memoria dignus. Nam, præter æquitatem in jure dicundo, & animum adverſus avaritiam invictum, certabat moderatione vitæ cum monachis, qui ea ætate ſeveriſſima diſciplina utebantur. Sacerdotes prædiis aliiſque proventibus ditavit, pio magis ſtudio, quam felici ſucceſſu. Juventutem declinantem ad mollitiem & luxum, paciſque bonis abutentem, magis vitæ exemplo & auctoritate, quam legum ſeveritate, continuit. Filios Gorani, qui metu Eugenii in Hiberniam ſeceſſerant, revocavit. Sed ante reditum eorum ipſe deceſſit, anno a Chriſto nato D. LXVIII. Rem bellicam non attigerat, niſi quatenus Brittones auxiliis juvit adverſus Saxones, cum quibus varia fortuna ſæpe pugnarunt. D. LXVIII.

XLVIII. REX.

XXXII. Eo defuncto, & fratre ejus KINNATELLO Rege deſignato; Aidanus Gorani filius venit in Scotiam, hortante viro ſancto Columba, qui ante biennium ex Hibernia acceſſerat. Per eum ad Regem ductus, præter & ſuam & multorum ſpem humaniſſime accipitur; ac bono animo eſſe jubetur, ut qui brevi regnaturus eſſet. Kinnatellus enim & morbo & ætate confectus, cum Regio muneri non ſufficeret, ipſe, Aidano ad rerum gubernaculum admoto, quarto decimo, aut ut alii quinto decimo, quam regnare cœperat, menſe, diem

1 *Convallus.*] Libris editis *Congallus* nominatur, at MS. & cum eo conſentientes Fordonus, Boëthius, Leſlæus, & ipſi etiam libri editi in fine cap. 32. huj. lib. *Convallum* appellant.

diem ſuum obiit. Sunt qui, hoc omiſſo, Aidanum ſtatim Convallo ſubjiciant. Verum plures auctores inter eos Kinnatellum inſerunt.

XLIX. REX.

XXXIII. AIDANUS Rex nominatus a Kinnatello, & a populo confirmatus, a Columba Regia accepit inſignia. Erat enim illis temporibus tanta ejus viri auctoritas, ut nihil Reges populuſve abſque ejus conſilio ſuſciperet. Ac tum quidem, cum ſatis longa oratione hortatus eſſet omnes; „Ut Rex erga „populum æquitate, populus erga Regem obſervantia uteretur, „univerſos „vehementer rogavit, „Ut in puro Dei cultu perſiſterent: ita enim fore, ut „utriſque omnia proſpere ſuccederent: ſin aliter facerent, dignum male patratis „exſpectarent exitium. His ita peractis, ad ſuos diſceſſit. Prima Aidani expeditio fuit adverſus latrones, Gallovidiam infeſtantes. Eo profectus, ducibus eorum ſupplicio affectis, cæteros metu compeſcuit: ſed eum inde reverſum major tempeſtas excepit. Nam, poſtquam tribus conventibus in Gallovidia, Abria & Cathaneſia habitis, omnia pacata exiſtimaſſet, inter venandum oborta ſeditione, ac cæde atroci patrata, miniſtri Regii, qui noxios in jus vocabant, pulſati; auctores, pœnarum metu, in Lothianam ad Brudeum Pictorum Regem perfugerunt. Ab eo cum per legatos ex fœdere petiti non redderentur, bellum grave inter Scotos & Pictos exarſit: ſed id brevi, opera Columbæ, cujus apud utroſque merito plurimum valebat auctoritas, exſtinctum.

XXXIV. Interea Anglia iterum in ſeptem regna diviſa, & Brittonibus in peninſulam Valliam compulſis, Saxones, non contenti tam late patentibus agris, novum bellum inter Scotos & Pictos ſuſcitant. Ejus auctor & fax fuit Ethelfridus, Northumbriæ Rex, homo avarus, & ob regni augendi cupiditatem pacis impatiens. Is Pictis, ægre conſentiente Brudeo, perſuaſit, ut prædas abigendo ex agro Scotico ſemina belli jacerent. Aidanus quoque, fraude Saxonis intellecta, ut & ipſe peregrinis auxiliis ſe firmaret, cum Malgone Brittone fœdus antiquum renovavit: Filium Grifinum, & ſororis filium Brendinum, Euboniæ, quæ nunc eſt Manna, Regulum, hominem militarem, cum copiis miſit. Hi, caſtris cum Brittonibus conjunctis, Northumbriam ingreſſi, tertio die ad hoſtem perveniunt: ſed Angli, nova exſpectantes auxilia, quæ non procul abeſſe dicebantur, pugnam detrectabant. Adveniebat enim Ceulinus, [1] Occidentalium Saxonum Rex, vir bellicoſiſſimus, cum magnis copiis. Hunc Scoti & Brittones in itinere adorti, primam ejus aciem (quæ ſatis longe cæteros anteibat) integram [2] cum Cutha filio occidione occiderunt: reliquos quo minus aggrederentur, fecit timor, ne ab Ethelfrido, qui non longe aberat, circumvenirentur. Conjunctis igitur duobus Saxonum Regibus, rurſus congreſſi, multa utrinque cæde edita, victi ſunt & fugati Scoti & Brittones. Cæſi e Scotorum pri-

1 *Occidentalium Saxonum Rex*] Ita legendum, non [*Orientalium*,] quod omnes libri habent. Vide Tyrellum Hiſt. Angl. vol. I. pag. 159. qui hunc Buchanani errorem perſtringit.

2 *Cum Cutha filio*] Idem Tyrellus aliique Scriptores Angli hunc Cutham prælio a Brittonibus aliquot ante annos cæſum affirmant.

1 *Chri-*

primoribus Grifinus & Brendinus: ex acie adverſa Ethelfridus altero oculo orbatus: Brudeus ſaucius e pugna elatus, cum magna trepidatione ſuorum.

XXXV. Ethelfridus, proxima æſtate, Pictorum copiis ad ſuas adjunctis, in Gallovidiam duxit, ratus, ex ſuperioris anni infelici prælio, ſe plena formidinis omnia inventurum. Verum Aidanus, cum illuc citius hoſtium opinione veniſſet, palantes prædatores aggreſſus, in caſtra trepide eos coëgit. Ita, temeritate caſtigata, quietiores fore ratus, nocte proxima, præteritis eorum caſtris, ſe Brittonibus conjunxit. Ambo exercitus, viribus in unum coactis, cum in valle anguſta Annandiæ conſediſſent, hoſtes, obſeſſis faucibus, eorum exitio imminebant. At illi, communitis caſtris, ut manentium ſpeciem præberent, nocte, recedente maris æſtu, per nota inter inſtabiles arenas vada, in Cumbriam, ac deinde Northumbriam, duxerunt, fœda populatione quacunque ierant facta. Hoſtes eorum veſtigia ſecuti. Statim ubi in mutuum conſpectum venere, utrique ſe ad pugnam expediunt. Scoti & Brittones, ut pluribus ducibus vulgus temerarium regeretur, ad priores duces quatuor homines nobiles, bellicarum rerum experientes, adjiciunt: e Brittonibus Conſtantinum & Mencrinum; e Scotis Calenum & Murdacum. Horum ductu & hortatu tanto impetu milites irruerunt in hoſtem, ut ſtatim impulſus fugam capeſſeret. Hanc victoriam, fama eſt, eadem hora, qua res geſta fuit, Columbam in Iona inſula ſuis ſodalibus renunciaſſe. Cæſi e primoribus Saxonum Cialinus & Vitellius, genere & factis illuſtres.

XXXVI. Anno fere poſt hanc victoriam undecimo, Saxonibus & Pictis vicinos agros infeſtantibus, dies dicta eſt, qua die Brittones & Scoti conjunctis viribus Saxones invaderent. Ad diem & locum deſtinatum Aidanus, quamvis natu grandior, cum veniſſet, dum Brittones fruſtra exſpectat, ac prædas interim ex hoſtico agit, Ethelfridus opportunitatem rei bene gerendæ nactus, Scotos palabundos aſſecutus, magnam eorum cædem fecit. Aidanus, compluribus ſuorum cæſis, fugit: nec Saxones tamen incruentam retulere victoriam, amiſſo Ethelfridi fratre Theobaldo, & aliquot, quæ eum ſequebantur, cohortibus pene ad internecionem cæſis. Aidanus, ad hanc cladem accedente morte hominis ſanctiſſimi, & ſibi unice cari, Columbæ, cum proſpiceret quantæ hoſtium crudelitati reliquiæ Chriſtianorum eſſent expoſitæ, ætate pariter & mœrore confectus, non diu ſupervixit. Regnavit annos XXXIV. deceſſit anno partæ Salutis DCIV. Eo regnante, venit in Britanniam a Gregorio Romano DCIV.
Pontifice miſſus Auguſtinus quidam monachus: qui ſua ambitione, dum novam religionem docet, veterem vehementer turbavit: nam non tam Chriſtianam diſciplinam, quam cærimonias Romanas docebat. Superiores enim Britanni, [1] Chriſtianiſmum ex Joannis Evangeliſtæ diſcipulis edocti, a monachis, quos

1 *Chriſtianiſmum ex Joannis Evangeliſtæ diſcipulis edocti*] Hæc vulgaris apud Scotos opinio, quam & Beda lib. 3. cap. 25. nonnihil confirmare videtur, qui Colmanum Epiſcopum Scotum de Paſchæ Dominicæ celebrationis die adverſus Vilfridum Anglum diſputantem ſic inducit: *Quod ne cui contemnendum & reprobandum eſſe videatur, ipſum eſt quod beatus Evangeliſta Joannes diſcipulus ſpecialiter Domino dilectus, cum omnibus, quibus præerat, Eccleſiis celebraſſe legitur.* Hanc tamen opinio-

nio-

quos ætas illa adhuc eruditos & pios habebat, inſtituebantur. Ille, dum ad unius Epiſcopi Romani dominatum omnia revocat, ac ſe unum totius Britanniæ Archiepiſcopum edit, & diſputationem de die celebrandi Paſcha, nec neceſſariam, nec utilem, introducit, magnopere turbavit Eccleſias: ac diſciplinam, jam in ſuperſtitionem prolabentem, ita cærimoniis novis, fictiſque miraculis, oppreſſit, ut ſinceræ pietatis vix relinqueret veſtigium.

L. REX.

XXXVII. Poſt Aidanum Rex electus KENNETHUS nil memoria dignum geſſit. Quarto, vel (ut alii ſcribunt) duodecimo menſe, poſt initum regnum, expleto, deceſſit.

LI. REX.

XXXVIII. Proxime poſt hunc Rex pronunciatur EUGENIUS, Aidani
DCV. filius, anno a natali Chriſti DC. V. Hic (ut in libro Paſletenſi ſcriptum eſt) a Columba pie & honeſte educatus, ac literis etiam luculenter eruditus, in hoc ab ejus inſtitutis deflexit, quod belli, quam pacis, ſtudiis magis ſe addiceret. Aſſiduis enim expeditionibus Saxones & Pictos exercuit. Vir imperii plane ſeveri & aſperi, & qui ſuperbos & contumaces libentius ferro compeſceret, quam conditionibus adjungeret: ſed veniam petentibus, ac ſe ultro dedentibus, maxime clemens & facilis: & in victoria minime inſolens. Hæc ille de Eugenio. Boëthius contra eum in ſumma pace regnum tenuiſſe prodidit: eamque pacem ei contigiſſe, non tam externis fœderibus, quam hoſtium, qui civili inter ſe bello diſſidebant, diſcordiis. Interiores enim Angli, jam nomen Chriſti profeſſi, dum illatas ulciſcuntur injurias, Ethelfridum, Regem Northumbriæ potentiſſimum, vita pariter & regno exuerunt. Ei cum ſucceſſiſſet Eduinus, propinqui Ethelfredi in Scotiam profugerunt: interque eos ſeptem ejus filii, & filia unica, cum jam decimum annum rebus Scoticis præfuiſſet Eugenius. Is advenas Saxones, etſi ſuos & Chriſtiani nominis hoſtes infeſtiſſimos, ſumma cum humanitate & liberalitate, quoad vixit, apud ſe habuit: ac doctrina Chriſtiana diligenter inſtituendos curavit. Ipſe decimo ſexto regni anno decedens, magnum ſui apud omnes deſiderium reliquit.

LII. REX.

DC. XXII. XXXIX. Ei ſurrogatus fuit FERCHARDUS filius, anno a Chriſto nato [1] DCXXII. qui fuit Heraclio Imperatore XIII. Is, cum eſſet homo ſcelerate callidus, ac legitimum regnum in tyrannidem mutare vellet, factiones nobilium inter ipſos alebat: ita nefarie a ſe perpetrata impune fore ratus. Sed proceres, animadverſa ejus malitia, clam eo diſſidia compoſuerunt: deinde, conventu indicto, eum ad concionem vocant. Renuentem, arce, in qua tum ſe continebat, expugnata, invitum in jus pertrahunt. Multa & gravia crimina ei ſunt objecta: in his etiam hæreſis Pelagiana, & contemtus Baptiſmi, & aliorum ſacro-

nionem non ſpernendis argumentis labefactare nititur Auctor Annot. in D. Jac. Dalrymplii Hiſt. Collect. cap. 3.

1 DCXXII.] [In Tab. Chron. DCXXI.]

ſacrorum rituum. Horum cum nullum ſatis purgaret, in vincula conjectus, ne diutius ad ludibrium ſupereſſet, ipſe ſibi mortem conſcivit, decimo quarto regni ſui anno.

LIII. REX.

XL. Suffectus ei frater DONALDUS, ſive DONEVALDUS, qui, & patris laudibus & fratris exitu admonitus, nihil majore ſtudio egit, quam ut verum Dei cultum tueretur: neque domi ſolum, ſed etiam foris, quacunque pòterat ratione eum amplificare ſtuduit. Nam, exſtincto Eduino, liberos & propinquos Ethelfridi, qui multos jam annos in Scotia exularant, redeuntes domum viatico juvit, & muneribus eſt proſecutus, copiiſque ſuis reduxit, & liberam commeandi, quoties res eorum poſcerent, poteſtatem fecit. Cæſus autem fuerat Eduinus a Kedualla (ut Beda vocat) Brittonum, & Penda Merciorum Rege: quorum alter vetere gentis, alter novo Chriſtianiſmi odio, uterque æmulatione potentiæ, ei infenſus erat. Nec alia crudelior fuiſſe memoratur victoria. Nam dum Penda Chriſtianos, Kedualla Saxones, delere contendunt, nulli neque ſexui, nec ætati, furor eorum pepercit. Poſt Eduinum, Northumbria in duo regna fuit diviſa: Deirorum Rex creatur Oſricus, Eduini frater patruelis; Berniciorum, qui Eanfridus Bedæ, noſtris Andefridus appellatur, Ethelfridi filiorum maximus. Hi, repudiata Chriſtianorum diſciplina, in qua diligenter fuerant inſtituti, alter a Scotis monachis, alter a Paulino Epiſcopo, ad veterem ſuperſtitionem reverſi, brevi per Pendam & vitam & regnum amiſerunt. Utrique ſucceſſit Oſualdus, Ethelfridi filius, qui doctrinam Chriſtianam magno ſtudio promovit. Ad eum, doctores e Scotia per legatos petentem, miſit Donaldus viros ſanctitate & doctrina claros, quos ille magna humanitate accepit, & beneficentia eſt proſecutus: neque Regio munere inferius exiſtimavit, in concione populo, peregrinum Scotorum ſermonem non capienti, concionis ſententias interpretari: quæ omnia luculenter a Beda ſunt ſcripta. Donaldus deceſſit XIV. regni ſui anno, præclara virtutum ſuarum memoria poſt ſe relicta.

LIV. REX.

XLI. Succeſſit ei FERCHARDUS, ex Ferchardo ejus fratre natus, vir in omni ſcelerum genere inquinatiſſimus: vini æque ac pecuniæ inexplebilis: immani in homines crudelitate, & in Deum impietate. Cum in alienos paſſim ſævitia & rapinis graſſatus fuiſſet, tandem in ſuos furorem vertit, jugulata uxore, & ſtupratis filiabus. Ob hæc ſcelera communione Chriſtianorum fuit excluſus. Proceres autem, ad eum puniendum coire volentes, inhibuit ſanctus Epiſcopus Colmannus: coramque eum admonuit, „Brevi divinam vindictam inſta„re. „ Nec fides dicto abfuit. Nam inter venandum, poſt dies paucos, cum a lupo vulneratus in febrim incidiſſet, nec a ſolita intemperantia abſtineret, morbo tandem pediculari corpus exedente, exclamaſſe fertur, „ Merito ſibi „ hæc evenire, qui bene monentem Colmannum non audiſſet: „ ac, tum demum agnito errore, Colmanno conſolante, ac ſpem veniæ oſtendente, (ſi

modo

modo resipiſceret,) in publicum ſe vili veſte indutum in lectica proferri juſſit, ac palam ſua ſcelera faſſus interiit, anno redemti orbis [1] DCLXVIII. Octodecim annos hoc monſtrum Scotia pertulit.

DC. LXVIII.

L V. R E X.

XLII. Huic MALDUINUS, e Donaldo genitus, eſt ſuffectus, qui, ut labefactatas regni partes tyrannide Regis proximi confirmaret, pacem cum omnibus vicinis fecit. Quietem, ab hoſte externo impetratam, turbavit inteſtina ſeditio inter Argathelios & Levinianos orta. Eam Malduinus ut compeſceret, profectus eſt adverſus auctores, ut in eos ſine incommodo plebis animadverteret. Illi, ut Regis iram vitarent, diſcordia primum ſedata, in Æbudas fugerunt. Inſulani eos, ad ſupplicium poſtulatos, non auſi retinere, dediderunt. Eorum pœna cæteros in officio continuit. Circa hæc tempora, cum Scoti monachi late per Angliam Chriſti doctrinam diſſeminaſſent, ac juventutem Anglorum ita literis erudiſſent, ut ipſi ſatis luculenter ſuis Evangelium annunciare poſſe viderentur, crevit etiam cum doctrina adverſus doctores invidia: Scotique eorum importunitate ad ſuos redire ſunt coacti. Quæ contumelia ut regnorum concordiam diremit, ita eorum, qui injuriam acceperant, modeſtia utramque gentem ab aperto bello continuit. Aſſiduis excurſionibus ſæpe ac multis in locis pugnabatur. Incidit in eadem tempora per totam Europam peſtis, quantam nunquam fuiſſe ſeniores meminerant. Soli ab ea immunes Scoti & Picti fuiſſe dicuntur. Ob frequentes utrinque illatas injurias, prædaſque abactas, cum res in apertum bellum eruptura videretur, intervenit Malduini mors, poſtquam regnaſſet annos viginti. Uxor, quæ ob ſuſpicionem de pellice eum ſtrangulaverat, quarto poſt die viva cremata eſt.

L VI. R E X.

XLIII. Regnum autem iniit [2] EUGENIUS Quintus, Dongardi, [*fratris*] Regis [*Malduini,*] filius. Eum Egfridus Northumbriæ Rex (cum quo ſummopere pacificare contendebat) cum ſimulatis induciis fallere conaretur, pari arte ipſe petitus eſt. Uterque enim pacem verbis oſtentabat, occulte vero bellum apparabat. Finitis induciis, Egfridus, diſſuadentibus amicis, conjunctis Pictorum copiis, Scotiam ingreſſus, Gallovidiam populatur. Verum, ceſſantibus in pugna Pictis, ab Eugenio ſuperatus, amiſſo pene toto exercitu, ipſe

1 DCLXVIII] [Legendum eſſe DCLXIV. puto ita enim in Tabula Chronologica Regum notari video: nam cum *Donaldus* regnaverit Annos quatuordecim, & inceperit A. C. 632. neceſſario, initium regni *Ferchardi* incidit in A. 646, cui ſummæ ſi addantur octodecim anni, mors incidit in A. 664. Et ita duobus certe annis minus aberravit mox cap. 48. ratio temporis, quam ibi non conſtare recte vir doctus animadvertit.]

2 *Eugenius Quintus Dongardi fratris Regis Malduini filius*] Ita ſententiam hanc e Fordono, Boëthio, Leſlæo, &c. interpolavimus, cum in omnibus libris legeretur *Eugenius Quintus Dongardi Regis filius.* Nullus autem Dongardus Scotorum Rex memoratur præter Ferguſii II. filium, qui regnum iniit anno Chriſti nati 452, ac proinde hujus Eugenii V. qui regnare cœpit anno 688, pater eſſe nequibat.

1 *Quo-*

ipſe ſaucius cum paucis evaſit. Proximo anno, æque diſſuadentibus amicis, in Pictos duxit: ab eis, fugam ſimulantibus, in inſidias tractus, cum ſuis omnibus conciſus eſt. Hanc tantam occaſionem Picti arripientes, latiſſimos agros, ſuperioribus bellis ademtos, recuperant: & Brittones, qui ab Anglorum imperio ſuos vindicabant, una cum Scotis Northumbriam ingreſſi, magna eam clade afflixerunt: adeo ut nec unquam in priſtinum ſtatum ſe erexerit. Secuta ſtatim eſt mors Eugenii, quarto quam regnare cœperat anno.

L V I I. R E X.

XLIV. Eugenio Quinto ſucceſſit EUGENIUS Sextus, Ferchardi filius: Egfrido vero Northumbro frater Alfridus: uterque Rex literis, ac præcipue ſacris, ut illa ferebant tempora, eruditi, ac inter ſe communium ſtudiorum ſocietate conciliati. Itaque pax inter eos fida fuit. Hac tranquillitate fretus Alfridus, regnum anguſtioribus, quam antea, finibus [1] quodam tenus compoſuit. Cum Pictorum vero gente Scotis neque certa pax nec bellum fuit: excurſionibus, vario eventu, ſæpe pugnatum eſt, fruſtra nitentibus Cutberechto Anglo, & Adamanno Scoto, Epiſcopis, ut rem componerent. Id autem perfecerunt, ne juſtis unquam exercitibus concurreretur. Eugenius interea, inexpiabili odio adverſus Pictorum perfidiam inflammatus, e medio rerum curſu eſt ſublatus, cum decem regnaſſet annos. Hoc Rege, ſeptem dies per totam Britanniam ſanguine pluiſſe tradunt, converſo etiam lacte, caſeo & butyro in ſanguinem.

L V I I I. R E X.

XLV. Poſt hunc regnum adeptus eſt AMBERKELETHUS, Findani filius, Eugenii Quinti nepos. Is, cum initio temperantiam ſimulaſſet, ad veros mores brevi rediit, & in omnia flagitia ſimul prorupit. Hac occaſione arrepta, Garnardus Pictorum Rex, magno exercitu conflato, Scotos invaſit. Amberkelethus tandem, prope conviciis excitatus, cum arma ſumſiſſet, noctu, dum ad neceſſaria naturæ cum duobus famulis egreditur, ſagitta (incertum a quo miſſa) occiditur, cum nondum regni plenum expleſſet biennium. Sunt qui, dum hoſtes in ſilva denſa urgeret, ſagitta vulneratum, decimo poſt die exſtinctum, tradant.

L I X. R E X.

XLVI. Ne exercitus ſolveretur, aut ſine imperio eſſet, militari ſuffragio in caſtris deſignatus Rex EUGENIUS Septimus, prioris Regis frater. Is, cum parum ſpei in exercitu, ab inerti Rege collecto, reponeret, bellum induciis diſtulit: atque, accepta uxore Spondana Garnardi filia, nuptiis finivit. Ea, non

1 *Quodam tenus compoſuit.*] Ita MS. princeps editio Edinb. & Genev. quæ verba Francof. primum in [*quadantenus*] mutavit, quam & ſequentes editt. imitantur: male omnes & præter Buchanani mentem, qui procul dubio *quodam tenus* ſcripſit, ad exemplum Horatii Epiſt. I. 1. 32.

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra.

non adeo multo poſt, a duobus Atholiis, in caput Regis conjuratis, in lectulo confoſſa periit. Rex falſo criminis inſimulatus, & in jus ductus, ante cauſſam dictam deprehenſis cædis patratoribus, liberatus eſt. Noxii exquiſito ſupplicio puniti. Rebus foris compoſitis, Rex ad pacis opera converſus, otium quidem venatione oblectabat: religionis in primis curam habuit. Ejus inſtitutum fuit, ut in cœnobiis res geſtæ Regum memoriæ mandarentur. Pace perpetua per ſeptemdecim annos cum omnibus vicinis continuata, Abrenethii diem obiit.

L X. R E X.

XLVII. Eugenius paullo ante mortem MURDACUM Amberkelethi filium proceribus commendavit. Eo regnante pax per univerſam Britanniam fuit: cujus Beda ſub finem hiſtoriæ ſuæ meminit. Nec in pace modo colenda, ſed monaſteriis etiam juvandis, Eugenii æmulus fuit. Candidæ Caſæ cœnobium dirutum reſtituit. Ineunte decimo ſexto regni anno deceſſit.

L X I. R E X.

DCC. XXX. XLVIII. [1] Anno poſt Chriſti adventum ſeptingenteſimo & trigeſimo, ETFINUS Eugenii Septimi filius regnum ſuſcepit. Et is proximorum Regum æmulus, per annos triginta unum, quibus regno præfuit, in ſumma tranquillitate ſuos continuit. Jam ſenior, cum per ſe non poſſet Regis munus obire, quatuor præfectos dedit, qui jus populo dicerent. Iis rem Scoticam regentibus, facinoroſi, reſumta licentia, vel magiſtratuum negligentia, vel (ut quidam crediderunt) culpa, omnia miſcere cœperunt. Sed aliorum ſcelera obſcura fecit Donaldi crudelitas & ſuperbia: qui per Gallovidiam graſſatus, agreſtes vel ſibi tributa pendere cogebat, vel ſpoliatos ad ſummam redigebat inopiam.

L X I I. R E X.

XLIX. Inter hos tumultus Regi mortuo ſuffectus eſt EUGENIUS Octavus, Murdaci filius: qui nihil prius egit, quam Donaldum, aliquot cruentis fractum præliis, cepit, ac ſupplicium, ceu lætum ſpectaculum, repræſentavit. Murdacum Gallovidiæ præfectum, ſocium Donaldini ſceleris, convictum mori coëgit: reliquos præfectos pecunia multavit. Populo ſpoliato de bonis eorum ſatisfecit. Harum pœnarum formidine malis perterritis, ſumma tranquillitate poſt turbulentiſſimam tempeſtatem reſtituta, cum vicinis Regibus fœdera ante facta confirmavit. Verum ipſe, cujus in rebus turbidis gloria creverat, pace facta, in omnia flagitia præceps abiit, & cum nec amicorum nec ſacerdotum admonitionibus quicquam moveretur, poſt tertium regni ſui annum, in cœtu procerum, omnibus in ejus exitium conſentientibus, confoſſus periit. Socii ſcelerum & flagitiorum in crucem acti, & ipſi gratum populo ſpectaculum præbuere.

LXIII.

1 *Anno poſt Chriſti adventum* 730.] Alicubi in Chronologia a Buchanano hic erratum eſſe neceſſe eſt, nam ab anno Chriſti proxime memorato 668. anni effluxere fere 68, qui numeri ſimul juncti annum Chriſti nati efficiunt 736.

LXIII. REX.

L. Succeſſit ei FERGUSIUS Tertius Etfini filius: qui pari ſimulatione virtutis & vitiorum fœditate uſus, pari prope fato defunctus, pari etiam ſpatio, id eſt, triennio, regnum tenuit: periit autem veneno ab uxore dato. Alii ſcribunt, cum uxor ſæpe exprobraſſet ei matrimonii contemtum, & pellicum greges, neque quicquam profeciſſet, tandem noctu dormientem ab ea ſtrangulatum. Quæſtione de morte ejus habita, cum amicorum plurimi inſimularentur, nec quiſquam, ne in graviſſimis quidem tormentis, quicquam fateretur, mulier alioqui ferox, tot innoxiorum capitum miſerta, in medium proceſſit: ac e ſuperiore loco cædem a ſe factam confeſſa, ne ad ludibrium ſupereſſet, pectus cultro transfodit: quod ejus factum varie, pro cujuſque ingenio, eſt acceptum, ac perinde ſermonibus celebratum.

LXIV. REX.

LI. Sequitur Rex SOLVATHIUS Eugenii Octavi filius: qui, niſi tertio regni anno e frigore podagram contraxiſſet, jure inter optimos Reges annumerari potuiſſet: nihilo tamen minus tumultus per præfectos conſilio & prudentia ſedavit. Primus, velut de Rege ob infirmitatem pedum ſecurus, Donaldus Banus, (hoc eſt, albus,) occupatis omnibus inſulis Occidentalibus, Regem ſe Æbudarum vocat. Deinde in continentem ingreſſus, dum undique prædas agit, a Cullano Argatheliorum, & Duchalo Atholiorum, præfectis, in ſaltum, qui unum modo exitum habebat, compulſus, cum ſuis fruſtra erumpere tentantibus periit, nullo ſuperſtite relicto. Eadem ſpe & audacia, Gilcolumbus, Gallovidiam a patre vexatam aggreſſus, ab eiſdem præfectis victus, pœnas luit. Pax interea ab Anglis & Pictis, rebus eorum domi turbatis, fuit. DCC.
Solvathius, cum viginti annis præfuiſſet, cum ſumma laude moritur, anno a LXXX.
Chriſto nato, ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo. VII.

LXV. REX.

LII. Huic ſucceſſit ACHAJUS filius Etfini. Hic pace ab Anglis & Pictis parta, cum ab Hibernia bellum inſtare intelligeret, non modo labore, ſed etiam liberalitate, ſeditiones domi, jamjam erupturas, compoſuit. Cauſſa belli Hibernici hæc fuit. Superiore Rege ad expeditiones obeundas invalido, Hiberni & Inſulani, ſpe prædæ & impunitatis, eodem tempore cum magnis exercitibus in Cantieram peninſulam proximam exſcenderant. Contracto autem inter latrones certamine, Inſulanorum multi, Hiberni univerſi periere. Hanc cladem Hiberni ut ulciſcerentur, magnam claſſem ornabant ad trajiciendum in Æbudas. Achajus cum per legatos oſtenderet, „ Nullam juſtam belli cauſſam eſſe, quod „ latrones, de præda pugnantes, mutuis vulneribus ceciderint: neque, quod „ multi perierint, ſed quod quiſquam evaſerit, in damno ponendum eſſe. „ Regem & concilium publicum adeo ab inferenda Hibernis injuria abeſſe, ut „ cædis nuper factæ auctores omnes ad unum ſuſtulerint. Cum in hanc ſententiam multa legati diſſererent, adeo ferociter ab Hibernis ſunt rejecti, ut, an-

te diſceſſum eorum, claſſem adverſus Scotos Albinos emiſerint. Ea in altum evecta, tempeſtate univerſa periit. Res Hibernis in religionem verſa effecit, ut pacem, quam ſuperbe recuſaverant, ſuppliciter peterent.

LIII. Ab Achajo primum inter Scotos & Francos [1] inita eſt amicitia, hac maxime de cauſſa, quod non modo Saxones Germaniæ cultores, ſed qui in Britannia quoque ceperant ſedes, Gallias piraticis incurſionibus infeſtabant. Deinde etiam a Carolo Magno, qui Galliam non minus literis, quam armis illuſtrare cupiebat, arceſſiti e Scotia, qui philoſophiam Lutetiæ Græce & Latine docerent. Apud Scotos enim adhuc multi erant monachi, vetere diſciplina nondum exſtincta, literis & pietate inſignes. Quo e numero erat Joannes, cognomento Scotus, ſive [2] Albinus, quod idem valet, (Scoti enim ſe Albinos ſua lingua vocant,) Caroli præceptor, qui plurima ingenii ſui monumenta reliquit: e quibus nos Rhetorica præcepta vidimus, cum inſcriptione Joannis Albini. Clementis quoque Scoti, qui eodem tempore Lutetiæ literarum inſignis profeſſor erat, quædam ſcripta adhuc ſuperſunt. Commigrarunt etiam in Gallias complures monachi Scoti, ſtudio pietatis ducti, qui populis circa Rhenum Chriſtianam doctrinam prædicabant, tanto ſucceſſu, ut monaſteria plurimis in locis condiderint. Eorum memoriæ id Germani dederunt, ut uſque ad noſtram ætatem ſemper Scotos eis præficerent.

LIV. Achajum, pacis cupidum, res Pictica in bellum traxit. Nam, cum Athelſtanus Anglus vaſtaſſet proximos Pictorum agros, [3] Hungus eorum Rex ab Achajo, Anglis jam ante infenſo, decem Scotorum millia impetravit. Eis filium Alpinum, qui ex Hungi ſorore natus erat, præfecit: quibus fretus auxiliis, maximam e Northumbria prædam abduxit. Athelſtanus, homo ferox, prope veſtigiis inhærens, eum non procul ab Hadina oppido aſſequitur. Picti, inopinato hoſtium adventu conſternati, ad arma currunt, & ad noctem uſque ſe

1 *Inita eſt amicitia.*] Angli ſcriptores, pro ſolita ſua in Scotorum gentem invidia, in primis vero Tho. Rymerus Epiſt. ad Epiſc. Carleolenſem ea de re ſcripta, antiquiſſimæ hujus inter Scotos Galloſque initæ, ac perpetuo tenore ad Jacobi. VI. tempora ſervatæ amicitiæ gloriam nobis eripere eſt conatus, qui fœdus illud non vetuſtius eſſe Roberto II. aut Joanne Baliolo totis ingenii nervis contendit: ſed irritam hac in parte viri, alias clariſſimi, ac de Scotis optime meriti, operam reddidit D. Rob. Sibbaldi de antiquo inter Gallos & Scotos fœdere diſſertatio, quæ ex Eginardo, aliiſque ſcriptoribus Carolo Magno aut coævis, aut non multum inferioribus, extra omnem controverſiæ aleam monſtravit, fœdus illud non Caroli Magni temporibus recentius eſſe. Idem quoque confirmaut D. Jac. Dalrymplius Hiſt. Coll. pag. 87. & Pat. Abercrombius de Heroibus Scotis pag. 111. & ſeqq.

2 *Albinus* —— *Caroli Magni præceptor.*] Doctiſſimus Geo. Mackenzæus de Script. Scotis vol. 1. pag. 68. e Nothkero Balbo eorum temporum æquali oſtendit Hiſtoricos Scotos atque adeo Buchananum noſtrum vehementer falli, qui exiſtimant hunc Albinum, qui Scholas publicas primus Lutetiæ aperuit, eundem fuiſſe qui Caroli magni præceptor, alio nomine Alcuinus dictus, cujuſque de Grammatica ac Rhetorica libri hodie exſtant.

3 *Hungus eorum Rex.*] Totam hanc de Hungo Pictorum Rege, & victoria ab Anglis reportata, narrationem commentitiam eſſe contendit Tyrellus vol. 1. pag. 250.

ſe ſuis tenent locis. Sub noctem vigiliis diſpoſitis, Hungus, cæteris rebus inferior, ad divinum auxilium converſus, totum ſe precibus dedit. Tandem, corpore laboribus feſſo, & animo cogitationibus ægro, cum in ſomnum incidiſſet, viſus eſt ſibi per quietem videre Andream Apoſtolum aſtantem, & victoriam pollicentem. Hoc viſo Pictis narrato, ſpei bonæ pleni ad conflictum, quem alioqui fugere non poterant, ſed alacrius comparant. Poſtero die per leves velitationes conſumto, tertio demum ad manus ventum eſt. Adjiciunt & aliud oſtentum, crucem decuſſatam, cum pugnaretur, in cœlo viſam: quæ res Anglos adeo conterruit, ut primum Pictorum ægre impetum ſuſtinuerint. Ibi cæſus Athelſtanus, loco nomen dediſſe dicitur, qui adhuc Athelſtani vadum appellatur. Hungus Andreæ victoriam acceptam retulit: eique præter alia munera decimam partem prædiorum Regiorum donavit. [1] Hic, opinor, fuit Athelſtanus, Danicæ gentis imperator, cui Angli affirmant Northumbriam ab Aluredo conceſſam. Deceſſit Achajus ab inito regno triceſimo ſecundo anno, a Chriſto nato DCCC. XIX. DCCC. XIX.

LXVI. REX.

LV. Huic ſucceſſit [2] CONGALLUS patruelis: qui cum ſumma domi & foris concordia quinquennium regnavit.

LXVII. REX.

LVI. Excepit hunc DONGALLUS Solvathii filius: cujus ſeveritatem cum juventus ferre non poſſet, collecti ad Alpinum Achaji filium, quoniam ei perſuadere non poterant, ut regnum ſuſciperet, vi & minis eum in ſua verba jurare cogunt. Is cum, exercitu confecto, ſe omnia ex eorum ſententia geſturum ſimulaſſet, fruſtratus eos ad Dongallum venit. Id factum ejus, quam Regi gratum, tam rebellibus moleſtum fuit: ideoque, tanquam ipſi Alpini ſuaſu rebellaſſent, eum apud Regem accuſant. Rex, eorum calumnia intellecta, exercitu ſubito parato, rumorem ſui adventus prævenit. De comprehenſis pœnas ſumſit. Deceſſit interea Hungus: & filius ejus natu major Dorſtologus fratris Egani fraude periit: nec cædis auctor diu fratri ſuperfuit. Ita ſtirpe virili Hungi exſtincta, ſororis ejus filius Alpinus, & vetere lege & cognationis jure proximus hæres, regnum Pictorum petit. Eum cum Picti ut peregrinum aſpernarentur, Dongallus ea de re legatos ad eos mittit. Picti cum nondum auditos intra quartum diem finibus exire juſſiſſent, [3] Dongallus in eos ſumma vi bellum molitur. Sed in ipſo apparatu, ſubmerſa navicula, in tranſitu Spææ amnis rapidiſſimi, exſtinctus eſt, poſtquam Scotorum regnum tenuiſſet annos ſex: alii ſeptem.

LXVIII.

1 *Hic, opinor, fuit Athelſtanus Danicæ gentis imperator, cui Angli affirmant Northumbriam ab Aluredo conceſſam*] Hæc conſtare non poſſe oſtendit Tyrellus loc. cit. eo quod Aluredus regnum inierit anno demum 871, adeoque 52 poſt mortem Achaji annis.

2. *Congallus*] Aliis omnibus, præter unum Joan. Majorem, *Convallus* appellatur.

3 *Dongallus*] Ita hic & verſu ſequenti repoſuimus: libri autem omnes ſibi diffidentes *Dugallus* habent.

LXVIII. REX.

LVII. ALPINUS, Achaji filius, exercitum a Dongallo confectum, adverſus Feredethum, qui ſibi Pictorum arrogaverat regnum, ducit. Congreſſi ad Reſtenotum Anguſiæ pagum, cruentiſſima pugna uſque ad noctem incerta victoria conflixerunt. Mors Feredethi fecit, ut Scoti victores viderentur. Is enim cum ſuorum animos in pugna labare videret, cum globo nobilium juvenum mediam Scotorum aciem perrupit: ſed excluſus a ſuis, cum flore nobilitatis una interiit. Subſtitutus in locum ejus Brudus, homo ignavus, nec ad rem militarem aptus. Eo regnante, cum Scoti, nullo reſiſtente, prædas ex hoſtico agerent, Picti, ex compoſito inter ſe tumultuantes, Brudum ante annum in imperio exactum interficiunt. Ei Kennethum, alterum Feredethi filium, ſubſtituunt, nec fratre in bello fortiorem, nec exitu feliciorem. Nam cum, exercitu confecto, in hoſtium conſpectum ventum fuiſſet, Kennethus, clam ſe ſubducens, a ruſtico, ignaro quis eſſet, ſed turpem ei fugam exprobrante, interficitur. Picti, amiſſo Rege, antequam hoſtes id perſentiſcerent, domum reverſi, alterum Brudum, hominem genere factiſque nobilem, Regem faciunt. Is, ſtatim accepto regno, primum populatores vagos aggreſſus, ingenti cæde temeritatem eorum compeſcuit: deinde, ut vires affectas auxiliis externis firmaret, legatos cum magnis muneribus ad proximos Anglorum miſit. Illi munera quidem acceperunt, & auxilia promiſerunt ſatis impigre: ſed flagitantibus Pictis nihil præſtiterunt, cauſſati res domi turbatas.

LVIII. Picti, illa ſpe dejecti, omnibus qui arma ferre poſſent, contractis, ad ultimum diſcrimen ſe comparant, ac recta ad hoſtem ducunt, qui caſtra non procul a Taoduno habebant. Ubi in conſpectum alii aliorum venerunt, tanto impetu concurſum eſt, quantum vetus odium, ira recens, multæ cædes mutuæ, & ultro citroque damna ſæpius illata, poterant efficere. Cum diu anceps fuiſſet certamen, tandem centum equites Pictorum ex inſidiis ſurgunt: qui, ut numerus major videretur, calonibus in oneraria jumenta impoſitis, cum ſe in collibus proximis oſtentaſſent, circumagique viderentur, ut pugnantium terga invaderent, ea ſpecie tantum Scotis injecerunt terroris, ut illico ſparſi in ſilvas proximas fugerent. Eæ majori parti ſaluti fuerunt: pauci in prælio, plurimi a calonibus expeditis in fuga occiſi. Alpinus Rex, multique procerum capti: omnes crudeliter cæſi. Regis caput conto affixum, ac per exercitum circumlatum, in conſpectiſſimo loco maximi apud eos oppidi (id tum Abrenethium erat) ad ſpectaculum propoſitum. Locus ubi cæſus fuit Alpinus, ab eo adhuc BAS ALPIN, id eſt, Alpini mors, vocatur.

LXIX. REX.

LIX. Ei poſt tertium regni annum interemto ſucceſſit filius KENNETHUS. Proxima æſtate, Picti in ſpem adducti, ſi paullum adniterentur, Scotos, ut antea factum fuerat, Britannia poſſe expelli, auxilio conductis aliquot Anglorum cohortibus, copias quantas poſſunt maximas cogunt. Sed, cum ſeditio inter ipſos orta eſſet repentina, & adeo vehemens, ut per Brudum Regem componi

poni non poſſet, ſolutus eſt exercitus. Brudus ipſe, mœrore magis quam morbo, poſt tertium fere menſem deceſſit. Suffectus ei frater ipſius Druskenus: qui dum componendis domi rebus fruſtra vacat, Scoti juvenes aliquot Alpini caput, nocte detractum ex eo ubi Picti id fixerant loco, ad Kennethum retulerunt. Ea res juvenibus non modo fuit honori, ſed agris quoque ſunt locupletati. Kennethus, conventu habito, cum de bello in Pictos conſultaret, quanquam Rex & ferociſſimus quiſque juvenum a perfidis juſtam expetendam vindictam ſuaderent: tamen major pars, ac potiſſimum ſeniores, cenſebant; „Exſpectandum, dum vires, ſuperioribus bellis attritæ, reficerentur: a Pictis interea nec pacem petendam, nec bellum gerendum, donec aliqua major ſe offerret aut pacificandi neceſſitas, aut belli gerendi opportunitas. Hæc ſententia cum viciſſet, conſenſu tacito utriuſque gentis triennium proximum pax fuit.

LX. Quarto anno Kennethus, belli cupidus, cum paucos in conventu ſuæ ſententiæ fautores inveniſſet, primores gentis ad cœnam vocat: & cum in multam noctem convivium fuiſſet extractum, in aula omnes pernoctant; quod eo facilius eis fuit, quod, majorum inſtituto, humi cubarent, in ſpatioſa domo, ut quiſque poterant, compoſiti, ſubſtratis tantum frondibus aut herba. Ibi juvenem ſibi propinquum Rex ſubornat, ut piſcium exuviis (maxime generis aſellorum) a ſiccatis vento piſcibus detractis, indutus, noctu ingreſſus, voce per longum canalem emiſſa, ut longius ad aures perferretur, velut cœlitus demiſſus, eos ad bellum hortetur. Ad hanc vocem, humana (ut tum ipſis viſum eſt) auguſtiorem, proceres ſubito expergefacti, plerique etiam vino graves attoniti, cum fulgor argenteus e pellibus piſcium in ſemiſomnes oculos incurreret, aciemque hebetaret, ſtupore vehementiſſimo capti ſunt univerſi, cum & oculos ſpecies inſolita, & animos occulta quædam religio percelleret. Illud etiam admirationem non modice auxit, quod nuncius, perſona reliquoque ornatu detracto, cum ſe per exitum occultum momento temporis e conſpectu ſubduxiſſet, evanuiſſe eſt viſus. Mane cum rumor ad Regem permanaſſet, multique omnia (ut fit) in majus augerent, nec ipſe diſſimularet, ſimilem ſibi ſpeciem per quietem obverſatam, omnium decreto bellum, tanquam Deo auctore, gerendum decernitur.

LXI. Exercitibus eductis, ubi primum alteri alteris viſi ſunt, non exſpectato ducum imperio, qua cuique proximum fuit, in hoſtem procurſum. Nec minus atrociter pugnatum, quam cupide commiſſum eſt certamen. Tandem ad Scotos inclinavit victoria. Pictis, in quo plurimum habebant fiduciæ, id ipſum fuit exitio. Cohortes enim Anglorum, cum nullo ordine, ſed temerario impetu, rem geri viderent, velut ſpectatores alieni periculi, in proximum tumulum ſe ſubduxerunt. Pictorum maxima cædes fuit, Scotis non ſolum ſuperiorum temporum odio indulgentibus, ſed recentis crudelitatis adverſus Alpinum & cæteros captivos memoria inflammatis. Maxime animos accendit vox, velut teſſera, inter Scotos circumlata, „Ut memores eſſent Alpini. Ex eo, nec ætati nec conditioni parſum eſt. Anglos abeuntes colles texere: & a perſequendo Scotos pertinax ira in vindicta exercenda retinuit.

LXII.

LXII. Hac victoria Pictorum rebus vehementer afflictis, ac pene deploratis, pax ut coiret, ab eis tentatum, ſed fruſtra, Scotis nullas conditiones audientibus, niſi regnum daretur. Proximo anno, jam deditis omnibus, qui ultra Fortham ad ſeptentriones vergunt, ac præſidiis impoſitis, dum Kennethus in citeriores ducit, accepto nuncio, cæſa eſſe quædam ab eo relicta præſidia, reducto adverſus rebelles exercitu, nemini mortalium Pictici generis pepercit. Omnia ferro & flamma vaſtata. Druskenus, ea crudelitate Pictis pene efferatis, (cum non de regno, ſed de vita ſua & ſuorum, ſibi decertandum cerneret,) quicquid ſupererat virium unum in locum cogit: ac Fortham tranſgreſſus ad Sconam oppidum in ripa Tai amnis Scotos opperitur. Ibi pacificatio fruſtra iterum tentata eſt, Pictis agro trans Fortham cedentibus, Scotis nihil, niſi omnia permitterentur, audientibus. Prælium, ut in extrema neceſſitate, fuit atrox. Tandem, fracta Pictorum pertinacia, fugientibus Taus fluvius fuit exitio. Ibi Druskenus, cum tranſire non poſſet, cum omni fere nobilitate cæſus eſt. Nec diſſimilis fuit aliorum fortuna: qui, cum temere diverſis congregaſſent ſe locis, fugam impediente flumine, omnes ad unum periere. Hinc factum eſſe arbitror, ut noſtri uno die ſepties cum Pictis pugnatum fuiſſe tradiderint. Hac clade vires Pictorum penitus fractæ ſunt: & Kennethus, ne ſe reparare iterum poſſent, Lothianam proximaſque regiones ſimiliter ac Transforthanam vaſtat. Præſidia metu ſe dediderunt. Qui cladi ſuperfuerunt, pauci in Angliam, omnium rerum inopes, fugerunt.

LIBER SEXTUS.

I. UT Ferguſium Primum, ac deinde Secundum, jure optimo regni Scotorum conditores ſuperius nominavimus, ita nunc non injuria Kennethum, Alpini filium, tertium in eum numerum referemus. Prior enim Ferguſius, ex modicis initiis, Scotos ad opes vicinis invidioſas provexit: Secundus extorres, & in longinquas nationes diſperſos, & inimicorum opinione penitus exſtinctos, velut in vitam revocavit, & intra paucos annos in priſtinum ſplendorem reſtituit. At vero Kennetho, in rebus prope deploratis accepto regno, cum alii vix reliquias miſeras defendi & contineri poſſe ſperarent, tantum animi ſuperfuit, ut hoſtem, externis auxiliis fretum, & recenti victoria exſultantem, multis & aſperis (ſed tamen ſecundis) præliis fregerit, fractumque ex omni Britannia exegerit, nomenque Regium, ſemel ereptum, nunquam ex eo die ſit paſſus eum reſumere. Hæc, quanquam magna ſunt, tamen operum ejus non ſunt maxima. Regnum enim, in duplam magnitudinem a ſe auctum, ita legibus novis temperavit, & diſciplina vetere roboravit, ut nec e bello natæ licentiæ, nec e victoria inſolentiæ, nec flagitiorum, quæ luxuriam & otium comitari ſolent, ullum veſtigium eo vivo apparuerit: ac legibus ejus, quas Macalpinanas poſteritas dixit, multis deinceps ſeculis, non minus quam armis, Scotica res ſtare viſa eſt. Sed, his omiſſis, nos res ejus geſtas, uti cœpimus, proſequemur.

II. Pictis igitur exactis, Kennethus agros pro virtute cujuſque ſuis diviſit: quorum ambitio multis locis & regionibus nova nomina, veteribus obliteratis, impoſuit. Horeſtiam duobus fratribus, Æneæ & Mernæ, partitus eſt. Altera pars primorum Scotorum ſermone adhuc Æneia dicitur, (qui Anglice loquuntur Anguſiam nominare maluerunt;) altera Mernia appellatur. Proximam regionem, a Tao uſque ad Fortham, apparet veteribus dictam fuiſſe Roſſiam, hoc eſt, peninſulam: cujus nominis indicia adhuc reſtant, Culroſſia oppidum, quod eſt velut dorſum aut poſterior pars Roſſiæ; & Kinroſſia, quod Roſſiæ caput. Eam regionem nunc Fifam vocant, a Fifo viro egregio, cui cognomen Duffo fuiſſe ajunt. Barodunum oppidum in Lothiana, vel, juxta aliam dialectum, Dumbarum, a viro ſtrenuo, cui Bar erat nomen, appellatum creditur. Lothiana, non ita pridem, a Lotho Rege Pictorum nomen habebat. Cunigamia vox eſt prorſus Danica, quam poſt Kennethum uſurpatam fuiſſe reor a Danis, qui eam regionem, pulſis extra vallum Severi Scotis, aliquot annos tenuerunt. Significat autem vox GUNINGHAM Regiam habitationem vel domicilium, Danorum ſermone. Marciam, quod limes duorum regnorum diu fuerit, credibile eſt a Danis etiam ita dictam. Edimburgum, quorundam vel craſſa ignorantia, vel perverſa diligentia, qui nunc Vallem Doloroſam, nunc Caſtrum Puellarum, appellant eam arcem, nomen, non adeo per ſe obſcurum, prope tenebris immerſit. Nomina enim hæc e fabellis Gallicis, intra trecentos annos proximos confictis, ſunt mutuati. Certe priſci Scoti Dunedinum, recentiores Edimburgum, patriam in fingendis nominibus conſuetudinem ſecuti, eam arcem nominant, quæ rectius, opinor, media inter utrumque nomen appellatione, Edinum diceretur. Hactenus de regionum priſcis & novis vocabulis: de quibus alio loco plura diximus.

III. Ut ad Kennethum revertar, regno (uti ſcripſimus) armis amplificato, & legibus compoſito, in rebus uſque ad ſuperſtitionem levibus auctoritatem Regum confirmare laborans, ſaxum marmoreum (quod ex Hiſpania in Hiberniam tranſtuliſſe dicitur Simon Breccus, in Scotiam Albinenſem Ferguſius Ferchardi filius, atque in Argathelia collocaſſe) ex Argathelia Sconam ad Taum amnem tranſlatum Kennethus, & in cathedram ligneam incluſum [1] [ibi] poſuit. Ea in ſede Reges Scotorum & nomen & Regum inſignia accipere ſolebant, uſque ad Eduardum Primum Anglum, de quo ſuo loco dicemus. Sedem Epiſcopalem, quam Picti Abrenethii collocarant, ad Fanum Reguli tranſtulit, quod poſteritas Fanum Andreæ dici maluit. Scotorum autem veteres Epiſcopi, e monaſteriis electi, cum adhuc non honoris & loci, ſed ſanctitatis & doctrinæ certamen inter eos eſſet, ſine invidia & æmulatione paſſim, ubi cuique obvenerat occaſio, ſuum munus obibant, nullis adhuc regionibus definitis, cum nondum functio muneris Eccleſiaſtici eſſet quæſtuaria. His artibus Kennethus imperio viginti annos præfuit. Quinto ineunte regni ſui anno Pictos profligavit, ut eſt in libro Paſletenſi. Reliquos XVI. annos, poſt ſublatum imperium Pictorum, quietiſſime vixit, domi juſtitia, foris armis

1 *Ibi poſuit*] Vocem [*ibi*] deleri Crafordius jubet.

DCCC. LIV. mis pace parta, ac promotis finibus ab Orcadum inſulis uſque ad vallum Hadriani, DCCC. LIV.

LXX. REX.

IV. DONALDUS ejus frater proxime Rex electus, totam ſecum diſciplinam publicam circumegit. Nam, cum vivo Alpino temperantiæ ſtudium ſimulaſſet, ac ſeniorum ſibi animos conciliaſſet, eo mortuo, velut metu & magiſtro liberatus, totum ſe voluptatibus dedit. Ac, velut jam de hoſte ſecurus, militaribus ſtudiis neglectis, venatores, aucupes, & novarum libidinum inventores, circa ſe prope ſolos habebat. In hos publicum patrimonium profundebatur. Juventus, ad voluptates explendas prona, Regem, ut elegantem & liberalem, laudibus ad cœlum ferebat; parſimoniam ſuperiorum temporum, ut incultam & illiberalem, ridebat. Seniores, cum omnia brevi in præceps ruitura cernerent, ad Regem collecti, ſui eum officii, præſentium flagitiorum, & inſtantis periculi admonent. Cum ille nihilominus in ignavia perſtaret, Pictorum reliquiæ, velut claſſico, e ſumma deſperatione excitæ, Osbrethum & Ellam, qui inter Anglorum Reges (nam tum in plura regna diviſi erant) auctoritate & potentia præcellebant, adeunt: ſuam fortunam conqueruntur: auxilium petunt: „Se poſt victoriam, quam Donaldi inertia facilem ſpondebat, „perpetuo cum omni poſteritate in Anglorum ditione futuros, „pollicentur. Angli facile perſuaſi, compoſitis domi rebus, educto exercitu, in Marcia conſedere: ac per fæciales a Donaldo petunt; „Ut, quos per vim Pictis amicis „ſuis Scoti ademiſſent, agros reſtituat. Id ni faciat, ſe nuper amicos, nunc „etiam deditos, non neglecturos.„ Donaldus, ex majorum ſententia, quos invitus (imminente periculo) convocaverat, habito delectu, ad Jeddam Teviotiæ amnem, hoſti occurrit: & commiſſo prælio victor Osbrethum ad proximos uſque montes fugat. Inde ſecundum Tuedam ad mare profectus, Bervicum ab Anglis captum, ac deinde metu ex adverſa pugna conterritis deſertum, ingreſſus, navibus in oſtio amnis deprehenſis, omni hoſtium commeatu potitur. Ibi voluptatis interpellatæ inſtrumentum nactus, tanquam inimicis prorſus profligatis, cupide ſe deliciis immerſit.

V. Angli, qui ſuperiore prælio magis ſparſi, quam conciſi fuerant, per ſpeculatores cognita Scotorum ignavia & negligentia, advocatis auxiliis e propinquis agris, noctu ſomno & vino gravatos adoriuntur, & magna cæde in cæteros graſſati, Regem ſemiſomnem capiunt. Inde victoriæ curſum ſecuti, ut latius popularentur, in hoſticum bipartito ducunt. Eorum pars, cum ad Fortham veniſſet, coactis navigiis, trajicere in Fifam parant: ſed multis naufragio amiſſis, cæteris vi tempeſtatis in littus, unde ſolverant, rejectis, Sterlinum ducunt: & cum reliquo exercitu conjuncti Fortham ponte tranſeunt. Scoti, eo ex fuga collecti, magis ſpeciem, quam robur exercitus oſtentántes, legatos de pace mittunt: quam Angli, & pugna ad Jeddam adverſa & naufragio viribus imminutis, non recuſandam cenſebant. Duræ conditiones propoſitæ, quas tamen

men præſens rerum ſtatus tolerabiles faciebat videri; „Ut omni agro, qui in-
„tra vallum Severi eſſet, Scoti cederent: ut limites eſſent, infra Sterlinum
„Fortha, infra Britannodunum Glotta, inter duos amnes vallum Severi.

VI. In tam dura pace, Scotis non minus lætum, quam inopinatum accidit, quod nulla mentio de reducendis Pictis facta eſſet. Angli enim & Brittones agros relictos inter ſe partiti ſunt, Glotta eos dirimente. Sunt qui putent monetam argenteam, quam adhuc Sterlinam vocat vulgus, ibi tum excuſam. Agris ita diviſis, Picti, qui ſua ſe recuperaturos crediderant, eluſi, ac ſpe fruſtrati, ad Cimbros & Scandianos, id eſt, ut nunc loquimur, in Daniam & Norvegiam tranſmiſerunt. Pauci, qui apud Anglos remanſerant, velut res novas per externa auxilia molituri, ad unum ab eis cæſi. Donaldo, poſt pacem factam, ad ſuos reverſo, majorum memoriæ ac ſpei reſipiſcentiæ datum, ut honorifice reciperetur. Sed, cum ille in priſtina perſeveraret ignavia, proceres, veriti ne homo fœdus & deſes, qui nec conſiliis amicorum, nec ſuis calamitatibus emendaretur, quod reliquum regni ſupererat, amitteret, eum in carcerem conjiciunt. Ibi, vel præ dolore inhibitarum voluptatum, vel metu publici ludibrii, ſibi manum intulit, ſexto, quam regnum iniit, anno. Hunc Donaldum alii tradunt domi foriſque rem egregie geſſiſſe, & fato ſuo Sconæ deceſſiſſe, DCCC. LVIII. DCCC. LVIII.

LXXI. REX.

VII. Poſt eum, CONSTANTINUS Kennethi filius Sconæ regnum ſuſcepit: vir magni animi, ac virtutis eximiæ. Is, cum acceptam ſub Donaldo ignominiam delere, atque ad fines a patre relictos regnum promovere cuperet, [1] a ſenioribus inhibitus, quod juventutis magna pars ſub Donaldo exſtincta, & reliqua ita corrupta fuerat, ut arma publice ei committenda non viderentur. Igitur primum ad diſciplinæ publicæ emendationem Rex converſus, ſacerdotum ordinem, jam (relicto prædicandi Evangelii munere) luxu corruptum, & venationibus, aucupiis, aulicæque pompæ deditum, ad veterem parſimoniam, legibus ſeveriſſime latis, reduxit. Juventutem, deliciis effœminatam, humi cubare, ac ſemel quotidie cibum ſumere, juſſit. Ebrioſos capitali ſupplicio multavit. Luſus prohibuit, niſi qui ad militiam corpus animumque firmarent. His legibus adoleſcentia ad meliorem frugem converſa, exſtitit repente Inſulanus quidam Evenus, quem ipſe Abriæ præfecerat, homo inquietus, & regnandi cupidus: qui gnarus, quam ægre juventus legum novarum aſperitatem ferret, primum inter paucos, ac deinde pluribus adhibitis, de præſenti rerum ſtatu conqueſtus, ubi ſuam orationem ſecundis auribus accipi vidit, facile perſuaſit ad conjurandum de Conſtantino tollendo. Sed, dum diligentius, quam cautius factioni vires adjiciunt, a ſuis proditi, antequam in ſe copias comparari intelligerent, oppreſſi fuerunt. Evenus, conjurandi princeps, laqueo ſtrangulatus.

VIII.

1 *A ſenioribus inhibitus*] Malim *A ſenioribus eſt inhibitus.*

VIII. Circa hæc tempora, Dani, tum omnium Germanorum opibus florentiſſimi, a Pictis adverſus Scotos, item a Buerno (vel, ut alii ſcribunt, Verna, cujus uxori Osbrethus per vim ſtuprum intulerat,) ſollicitati, abundante domi juventutis multitudine, facile conſenſerunt, ut in Britanniam claſſe magna tranſmitterent. Primum in agrum Fifanum exſcenderunt. Ibi obviis omnibus, ob Chriſtiani nominis odium, ſine diſcrimine trucidatis, bifariam diviſo exercitu, agros late vaſtarunt. Adverſus eos Conſtantinus profectus, primum in eam incidit manum, cui Hubba Regis Danorum frater præerat. Hi, ſubito Levini amnis incremento prohibiti cum ſuis vires conjungere, facile victi, omneſque cæſi, præter paucos, qui nandi periti flumen tranſiere, atque ad Humbrum alterum ducem pervenere. Ad hos fluvio jam permeabili, Conſtantinus, tanquam ad prædam, non ad prælium ducens, eos eſt aſſecutus, non procul a Caralia oppido, caſtris jam permunitis. Dani enim, ab adverſæ pugnæ eventu magis in omnia intenti, ſuper modicas & flexuoſas rupes, prope littus, cumulis objacentium paſſim ſaxorum aggeſtis, ſpeciem valli objecerunt: Ibi Conſtantinus eos adortus, loci iniquitate Danorum deſperationem juvante, multo cum ſuorum ſanguine ſuæ temeritatis pœnas luit. Magna enim exercitus parte amiſſa, ipſe captus, & in ſpeluncam modicam tractus, occiditur. Extant adhuc ejus pugnæ monumenta, ſpecus, & caſtrorum ambitus, non æquis ſpatiis dimenſus, ſed ad rupium flexus circumductus. Rei male geſtæ culpam quidam in Pictos conferunt, qui a Conſtantino in fidem recepti, ac in commilitium aſciti fuerant. Ab eis initium fugæ factum magnam exercitus partem una avertit. Dani, ſpoliis collectis, ad naves abierunt. Poſtridie Regis cadaver inventum, ad ſepulchra majorum in Ionam inſulam defertur, (regnum autem
DCCC LXXIV. tenuit Conſtantinus annos ſedecim,) anno DCCC. LXXIV.

LXXII. REX.

IX. Succeſſit ETHUS frater, a pedum celeritate ALIPES cognominatus, nulla alia commendatione Rex electus, niſi quia reliquias exercitus a Danis profligati reduxit. Inter oſtenta numerantur piſces marini, raro quidem & per longa temporum intervalla, ſemper gregatim, ſed nunquam ſine magno mali præſagio, viſi. Vulgus, alii monachos marinos, alii Baſſinetos, quaſi dicas galeatos, vocant. Ethus, immemor fratris & majorum, cum ſe omnibus vitiis pollueret, ac juventutem, ad pejora proclivem, ſecum traheret, conjuratione nobilitatis facta, capitur: &, oratione longa totius vitæ flagitiis populo expoſitis, regnum ejerare cogitur, ſecundo quam regnare cœperat anno. In cuſtodia tertio die mœrore periit. Maxime viros militares offendebat ejus ſegnities, quod, Danis adverſus Anglos cruento bello contendentibus, de recuperandis regionibus amiſſis nec ipſe cogitaret, nec ſe admoneri pateretur. Sunt qui [1] non coactum cedere regno, ſed ab æmulo regni Gregorio in quadam pugna vulnera-
DCCC. LXXV. tum, duos poſt menſes interiiſſe ſcribant, DCCC. LXXV.

LXXIII.

1. *Non coactum cedere regno, ſed*] MS. *non exauguratum, ſed* ———

1. *Gre-*

LXXIII. REX.

X. Etho [1] GREGORIUS Dongalli filius eſt ſuffectus: homo plane animo Regio, & cui nulla virtus abeſſet, quæ virum principem deceret. Primum omnium, reconciliatis omnibus, quos in regno petendo habuit adverſarios, animum adjecit, ut procerum inter ipſos tolleret diſcordias. Severitatem imperii ita comitate temperavit, ut plura caritate, quam metu apud ſuos perficeret. Leges de immunitate miniſtrorum Eccleſiæ (qui ſub Pictis prope ſervorum loco fuerant) vel veteres revocavit, vel novas condidit. Prima ei expeditio in Fifam adverſus Pictos, illic a Danis relictos, fuit, dum ipſi in Anglos arma transferunt. Eos non modo illinc, ſed e Lothiana & Marcia ejecit. Cum Bervicum veniſſet, Dani, ſi quid ipſis accidiſſet, Anglos etiam a tergo metuentes, non auſi cum Gregorio Marte aperto congredi, partem ſuarum copiarum trans fluvium in Northumbriam miſerunt, juſſam cum nova manu popularium recens advecta ſe conjungere: reliqui, ut oppido eſſent præſidio, Bervicum ingrediuntur. Verum Angli, qui Danis (diverſæ religionis hominibus) inviti parebant, nocte Scotos in urbem receperunt. Dani, in medio cæſi, ad unum interiere.

XI. Inde in Northumbriam Gregorius profectus, cum Hardunto feliciter conflixit: tantamque Danorum cædem fecit, ut eorum vires, toti nuper Britanniæ formidabiles, partim a Gregorio Scoto, partim ab Aluredo Anglo, prope confectæ fuerint. Gregorius, recepta Northumbria, Angliſque, qui abire vellent, cum bona gratia dimiſſis, reliquis humaniter habitis ſedes dedit. Majorem eorum partem retinuit, partim ſoli natalis amor, partim Regis beneficentia, & timor ab hoſtibus. Nam, cum jam per aliquot annos tam incerta victoria, totque conflictibus cruentis cum Danis eſſet bellatum, multi Anglorum Scotis, etſi antea inimicis, tamen Chriſtianis, parere malebant, quam vel in crudelium Danorum poteſtatem venire, vel incerta ſuorum auxilia ſperare, præſertim rebus ita per totam inſulam turbatis, ut fere ſemper Angli dubitare cogerentur, cui primum parti opem ferrent. Re adverſus Danos ita geſta, ut diuturnam ab eis quietem ſperaret, arma vertit in Brittones, qui partem agri Scotici adhuc tenebant. Cum his quoque pace facta, receptis agris, promiſſoque auxilio adverſus Danos, ſi redirent, exercitum dimiſit. Verum Brittones domum reverſos pacis initæ pœnituit. Igitur Scotiam hoſtiliter ingreſſi, cum prædam ingentem aſportarent, Gregorius eos ad Lacum Mabanum ingenti prælio fudit, Conſtantino eorum Rege cæſo.

XII. Cum hunc pravi conſilii fructum Brittones retuliſſent, Heberto Con-ſtan-

[1] *Gregorius Dongalli filius*] Leſlæo *Congalli* II. filius dicitur: alii omnes Buchanano conſentiunt, præſertim H. Boëthius, qui eum vix bimeſtrem fuiſſe ait, cum pater defungeretur.

ſtantini fratre Rege creato, cogitare cœperunt, quam ſuæ res in præcipiti ſtarent, Scotis, & Danis inimicis, nec amicitia cum Anglis unquam ſatis fida. Decretum fit de pacificando cum Scotis. Miſſi ad id legati cum nihil tranſigerent, niſi Cumbria & Veſtmaria redditis, pax in eas leges eſt facta. Acceſſerunt eodem fere tempore legati ab Aluredo Anglo, partim, ut victoriam de Danis gratularentur, ut quæ communiter omnibus Chriſtianis jucunda eſſe debeat: partim, ut novo fœdere ſe adverſus omnes Chriſtianorum inimicos confirmarent. Pax his legibus eſt facta; „ Ut peregrinum hoſtem communibus auxiliis „ propulſarent. [1] Ubicunque exſcenderent, cum viribus, quantis poſſent, „ uterque populus accurreret. Quod agri de Danis Scoti cepiſſent, ut id ſine „ controverſia in poſterum tenerent. Ita pace armis undique parta, & fœderibus ſtabilita, Gregorio reverſo nuncius affertur, Hibernos in Gallovidiam irrupiſſe. Cauſſa bello prætendebatur, quod Dublinenſium (quæ civitas eſt Hiberniæ) Gallovidiani naves aliquot longas, ad ſuum littus appulſas, hoſtiliter diripuiſſent. Hiberni, audito Gregorii adventu, trepide cum præda ſe in naves conjecerunt. Gregorius, coacta claſſe ac firmo exercitu, in Hiberniam, ubi primum ei commodum fuit, trajecit.

XIII. Erat per id tempus Duncanus, ſive Donatus, ſeu verius Dunachus, eorum Rex, adhuc puer: Brienus & Cornelius, ſecundum Regem potentiſſimi, totam gentem in duas factiones diſtraxerant. Hi, ad externi hoſtis adventum induciis factis, ad Bani fluminis ripam, locis (ut videbatur) ſatis tutis, bina caſtra communierant; eo conſilio, ut impetum Gregorii mora eluderent, & inopia commeatuum e ſolo peregrino & pervaſtato eum abigerent. Et Gregorius, id ipſum agi ſuſpicatus, partem exercitus noctu clam miſit, qui tumulum editiorem ſupra Brieni caput occuparent. Ex eo tumulo poſtridie, cum incaleſceret pugna, magnæ ſaxorum moles devolutæ multos in caſtris obtriverunt, reliquis tantum injecerunt pavoris, ut ordine nullo, quo quiſque poterat, diffugerent. Cornelius, hoc eventu pugnæ audito, ſuos integros in tutiora loca reduxit. Brienus in caſtris periit: reliqui, jubente Gregorio, quoad fieri potuit, incolumes ſervati. Agrum ſine noxa miles tranſivit. Ea re effectum eſt, ut major pars ſe Regis clementiæ permittere, quam vim experiri mallet. Oppida munitiora præſidiis tenebantur. Gregorius, Dundargo & Ponto, locis natura & opere tutis, in ſuam poteſtatem redactis, Dublinum ducere ſtatuit. Sed, cum reſciſſet Cornelium, omnibus Hibernorum copiis præfectum, cum ingenti exercitu eodem adventare, in eum converſus, acie vicit: &, fugientes Dublinum uſque ſecutus, oppidum obſedit. Verum, cum tantæ multitudini, quanta illuc confugerat, commeatus non ſufficerent, brevi id oppidum, dedente Cormacho loci Epiſcopo, ſine cujuſquam detrimento aut injuria, ingreſſus, Duncanum Regem propinquum ſuum inviſit: ac teſtatus, „ Nulla ſe regni vel opum cupiditate, ſed injuriæ vindicandæ cauſſa illuc ac„ ceſſiſſe: cura pueri educandi majoribus natu, quos maxime fidos ei fore credebat, commiſſa, ipſe Tutoris nomine, dum Rex adoleſceret, ſuſcepto,

ac

1 *Ubicunque exſcenderent*] MS. *eſcenderet*.

1 *Ejus*

ac præſidiis in arces impoſitis, jusjurandum a proceribus exegit, „Neminem ſe „Anglum, Brittonem aut Danum, in inſulam, ſine diplomate ipſius, admiſſuros. Præfectos locis commodis impoſuit, qui e legibus patriis jus dicerent: ac ſexaginta, hæc ita fore, obſidibus acceptis, domum magna cum laude rediit. Hæc fama juſtitiæ pacem in reliquum tempus certiorem, quam ullus armorum terror potuiſſet, præſtitit. His rebus domi foriſque patratis, duodeviceſimo regni anno deceſſit, non minus juſtitia & temperantia quam fortitudine clarus: unde merito apud ſuos Magni cognomentum eſt adeptus, DCCC.XCII. DCCC. XCII.

LXXIV. REX.

XIV. Proxime Rex eſt factus Conſtantini Secundi filius DONALDUS [1] ejus nominis Sextus, ab ipſo Gregorio, antequam decederet, proceribus commendatus. Is judicium de ſe viri prudentiſſimi non fefellit. Ita enim pacem coluit, ut ſemper ad bellum fuerit paratus. Et cum nemo diu laceſſeret, id operam dabat, ne juniorum animi, pacis bonis corrupti, nimium luxuriarent, & (quod antea ſæpe acciderat) in fœdiſſima vitia prolaberentur. Cum nova Danorum manus ad Northumbriæ littus appuliſſet, ac, ſine cujuſquam injuria illic ad anchoras aliquot dies ſtetiſſet, Donaldus, confecto exercitu, eo profectus, in occaſiones omnes intentus, regioni præſedit. Tandem, audito Danos in Anglorum agros exſcendiſſe, auxilia ad Aluredum Anglum miſit. Is adeo cruento prælio de hoſte victoriam retulit, ut non recuſaret eos in partem agri accipere, modo Chriſtiani fierent. Ita pace compoſita, ac dimiſſo exercitu, novus Donaldum domi tumultus excepit. Inter Roſſos & Moravos ex parvis latrociniis ſubito tam magnum incendium eſt ortum, ut plures interdum tumultuariis congreſſibus caderent, quam alias juſta acie. Eo Donaldus profectus, ducibus factionum ſublatis, pacem cæteris reſtituit. Joannes Fordonus, Scotichronici ſcriptor, in hac expeditione Foreſſæ eum deceſſiſſe affirmat, nec ſine ſuſpicione veneni: Boëthius, in Northumbriam reverſum, ut videret, quo pax cum Danis, quam ſemper habuerat ſuſpectam, vergeret, ibique, poſt undecimum regni annum, fato ſuo functum, juxta ſummis & infimis carum, a Chriſto nato DCCCC. III. DCCCC. III.

LXXV. REX.

XV. Ei ſuffectus eſt Ethi filius CONSTANTINUS Tertius, homo non tam ingenio pravo, quam in bono parum conſtante. Dani, qui nullis pollicitationibus Gregorium & Donaldum, proximos Scotorum Reges, potuerant flectere, ut arma adverſus Anglos, tum Chriſtianos, ſumerent, Conſtantinum facile muneribus, & vana ſpe finium proferendorum corruperunt, ut ſecum fœdus iniret. Quod cum vix biennium duraſſet, Scotis relictis, Dani cum An-

1 *Ejus nominis Sextus*] Ita ſcribendum Crafordius monuit: in omnibus tamen libris, præter poſtremum Edinb. Moſmanni, *Quintus* legitur.

1 *Duo-*

Anglo fœdus percuſſere. Eo quoque vix quatuor annos continuato, Eduardus Anglus, milite repente coacto, Danorum agros longe lateque populatus, eo deſperationis eos reduxit, ut ad Scotos, nuper a ſe relictos, redirent: ac ſanctiſſime jurarent, ſe amicitiam perpetuo duraturam inituros. Hoc ſecundum fœdus magna cærimonia fuiſſe factum memoratur, decimo quam Conſtantinus regnare cœperat anno. Is eodem quoque anno Micolumbo proximi Regis filio Cumbriam donavit: qui honor velut augurium & argumentum erat, eum proxime regnaturum. Ac deinceps in proximis aliquot Regibus id fuit obſervatum, manifeſta adverſus veterem comitiorum rationem fraude, quæ omnem liberorum ſuffragiorum vim prope tolleret, non minus ac Conſulum a Cæſaribus deſignatio. Orto igitur bello inter Eduardum Aluredi filium & Danos, Conſtantinus auxilia Danis Milcolumbo duce miſit. Hi, exercitibus junctis, multitudine ſua freti, late proximos Anglorum agros populantur, & maximam quacunque eunt vaſtitatem faciunt, eo ſcilicet conſilio, ut Anglos longe numero inferiores ad prælium illicerent. Tantum enim ſibi arrogabant, ut ne conſpectum quidem ſuum hoſtem laturum exiſtimarent: ac jam non de victoria, ſed de ſpoliis partiendis cogitarent. Verum, ut ſecundæ res animos interim prudentiorum occæcant, ita adverſæ periculorum cogitatione infirmiores erudiunt. Angli, quod viribus deerat, conſilio ſupplent. Acie ſubſidiis commode firmata, juſſis primis cedentium ſpeciem præbere, ac deinde ſolutis hoſtium ordinibus confertim in perſequentes redire, pugnam non morantur.

XVI. Præerat omnibus Anglorum copiis Athelſtanus, Eduardi nothus, ut noſtri ſcriptores contendunt, aſſentiente etiam Graftono. Hunc quoque Athelſtanum parricidii infamem faciunt, interfecto patre, ac [1] duobus fratribus, qui jure patri proxime ſuccedere debuerant, Edredo ſcilicet & Eduino. De patris morte violenta ſuſpicionem auget fama, [2] quod eum quidam Eduardum Martyrem [3] appellant. Ob id facinus inviſus ſuis, ut illuſtri aliquo facto populi favorem

1 *Duobus fratribus, Edredo ſcil. & Eduino*]. Hic non modo Hiſtoricis Anglis, ſed ipſe ſibi contradicit Buchananus. Ut enim Eduinum taceam, quem fratris opera ſublatum plerique Scriptores Angli inficiantur, de altero certe fratre Edredo id manifeſte falſum oſtendit, quod eum Anglorum regnum, defunctis Athelſtano & Edmondo fratribus ſuis, aliquot annos tenuiſſe, cum alii omnes, tum Buchan. ipſe conſentiat, Cap. 18. huj. lib.

2 *Quod eum quidam Eduardum Martyrem appellant*] Graviter hic lapſum Buchananum conqueritur Tyrellus vol. 1. pag. 332. qui a nullo Hiſtorico Anglo proditum ait Eduardum Athelſtani patrem morte violenta fuiſſe exſtinctum. Hunc vero Eduardum, quem Martyrem appellant, 150 poſt annis regnum iniiſſe affirmat. Sed Buchanano erratum hocce eo facilius condonabit ſcriptor graviſſimus, quod ipſe, quæ humana eſt imbecillitas, in rationibus ſuis ſubducendis haud leviter hac ipſa in re peccaverit. Eduardus enim Senior cognominatus, Athelſtani pater, ipſo Tyrello referente, diem ſuum obiit A. C. 925; Eduardus vero Martyr regnum iniit 975, inter quos cum intercedant anni duntaxat 50, non debuit Tyrellus eum numerum triplicatum extuliſſe.

3 *Appellant*] Ita in MS. ſecunda quidem manu emendatum reperimus, libri tamen omnes alii [*appellat*,] male, præceſſerat enim [*auget fama*,] fama autem non unius, ſed multorum eſt.

1 *Cul-*

vorem ſibi acquireret, ſtatuit propinquorum manibus hoſtium ſanguine parentare. Igitur, cum ſatis acre prælium initio conſeruiſſet, ſenſim primo, deinde trepidantius cedendo, cum jam veræ fugæ ſpeciem præbuiſſet, Dani & Scoti ſeſe victores rati, ne, ſi longius ſequerentur, præda omnis penes inertiſſimos eſſet, ad caſtra diripienda recurrunt. Tum dato ſigno ab Athelſtano, Angli ad ſigna collecti, ſparſos & præda graves adorti, velut pecora trucidant. Periit in ea pugna major Scoticæ nobilitatis pars, dum mori potius eligunt, quam ignominiæ (velut ſociorum deſertores) ſupereſſe. Milcolumbus, multis vulneribus ſaucius, in pacatum a ſuis reportatus, triſtem amiſſi exercitus ad Regem Conſtantinum nuncium pertulit. Neque apud Danos lætiores res fuere. Athelſtanus, attonitis tanta clade hoſtibus, de Scotis Cumbriam & Veſtmariam, de Danis Northumbriam cepit.

XVII. Conſtantinus, habito procerum conventu ad Abrenethium, cum neque virium ſatis nec ad belli, nec ad pacis munia ſuſtinenda reliquum eſſet, ejerato ſponte magiſtratu, ad [1] Culdeos, hoc eſt, Dei cultores (ita enim illius ætatis homines monachos vocabant) ſe velut in portum recepit, ac reliquos vitæ annos quinque inter eos ad Fanum Andreæ tranſegit. Deceſſit, anno a regno inito quadrageſimo, a Chriſto nato DCCCC. XLIII. Hic Angli, profuſi in ſuas laudes, tradunt, Athelſtanum [2] totius Britanniæ unicum fuiſſe Regem; cæteros, qui intra Albium Regium nomen uſurpant, precario regnaſſe, ac beneficiarios ejus fuiſſe, eique ſacramentum, ceu ſupremo domino, ſolitos dicere. Teſteſque ejus ſententiæ laudant multos ſcriptores Anglos ignobiles, quibus ut facilius crederemus, Marianum Scotum, fama illuſtri hominem, adjiciunt. Qua de re lectorem admonendum putavi, nuſquam in eo Mariani codice, qui eſt in Germania editus, ullam prorſus eſſe mentionem. Ipſi vero an alium habeant, ab eo qui publice legitur, Marianum, aut interpolatum, aut a ſe confictum, eum velim proferant. Quid, quod ne ſuos quidem ſcriptores (quippe homines magna ex parte ineruditi) ſatis alicubi [3] intelligunt, nec animadvertunt, apud Bedam, Gulielmum Malmesburienſem, & Galfridum Monumetenſem, Britanniam plerumque vocari eam partem, cui Brittones imperarant, hoc eſt, quæ eſt intra vallum Hadriani, aut, cum longius DCCCC. XLIII.

ejus

1 *Culdeos, hoc eſt, Dei cultores*] Buchananus hic innuere videtur *Culdeos* hoſce a *Deo colendo* nomen traxiſſe; quod tamen mihi ægre perſuaſerit, cum in antiquis monumentis non *Culdei*, ſed *Keledei* fere ſemper appellentur. Vero propior eorum conjectura videtur, qui eos a *cellis* ſive caſulis quibus olim habitare rebuſque divinis operari conſueverant, id nominis accepiſſe arbitrantur. Cæterum an hoc Monachorum genus religionis cultum rituſque, ab iis qui in Eccleſia Romana diu invaluerant, longe diverſos ſint amplexi, quod Cl. Jac. Dalrymplius comprobare adnititur, aliis dijudicandum relinquo.

2 *Totius Britanniæ unicum fuiſſe Regem*] Hoc Anglorum futile figmentum tam egregie eſt a Cragio noſtro, Jac. Anderſono aliiſque convulſum, ut Tyrellus veritatis viribus coactus victas ſe manus dare fateatur.

3 *Intelligunt, nec animadvertunt*] Libri omnes *intelligant, nec animadvertunt.* Verum aut hic *intelligunt*, aut illic *animadvertant* dici debebat.

ejus fines protendunt, intra vallum Severi; Scotos vero & Pictos ſæpe extra Britanniam cenſeri, & interim Tranſmarinos populos dici? Quod igitur apud illos eſt; „Anglos toti Britanniæ imperaſſe aliquando, „ id iſti ita accipiunt, „ac ſi diceretur, Totam Britanniam, id eſt, Albium, ſive Albionem: „cum illi brevioribus finibus plerumque, uti dixi, Britanniam circumſcribant. Sed de his alio loco latius diſſeruimus. Nunc ad res Scotorum redeamus.

LXXVI. REX.

XVIII. Conſtantino in monachorum ſeceſſu quietem amplexo, Rex declaratur MILCOLUMBUS Donaldi filius. Athelſtano mortuo, ac regnante fratre ejus Edmundo, Cumbria & Veſtmaria, relictis Anglis, ad aſſuetum imperium rediere: & Dani, qui in Northumbria remanſerant, Avalaſſum Danum, hominem Regii generis, tum in Hibernia exulantem, ad regnum accipiendum vocant. Edmundus proſpiciens, quanta belli moles inſtaret, Milcolumbum Cumbria & Veſtmaria donat, ea lege, ut, qui proxime in regnum Scotorum ſucceſſurus eſſet, ſacramentum Anglorum Regi, ceu ſupremo eorum locorum domino, diceret. Deinde Danos, variis calamitatibus afflictos, facile in ſuam ditionem redegit: nec ipſe diu ei victoriæ ſuperſtes fuit. Angli in locum ejus fratrem Edredum Regem creant. Adverſus hunc cum Dani, qui Northumbriam tenebant, nec unquam bona fide pacem cum Anglis fecerant, rebellaſſent, multaque loca munita de eo, in diverſa regni parte occupato, cepiſſent, ac in primis Eboracum; decem millibus Scotorum in ſubſidium acceptis, Anglus eos magna clade compeſcuit. Milcolumbus, domum reverſus, totum ſe pacis artibus dedit. Ut autem belli vulnera, ac potiſſimum licentiam & luxum, ſanaret, univerſos Scotorum conventus juridicos alternis fere annis inviſebat: & ſumma cum æquitate jus dicebat. Tandem decimo quinto regni anno, dum acrius latrocinia punit, & luxuria diffluentes juniorum mores coërcet, in Moravia noctu a conjuratis eſt exſtinctus. Facinoris conſcii diligenter a proceribus quæſiti, ac deprehenſi, vario ſuppliciorum genere, pro cujuſque opera in ſcelere patrando, affecti.

LXXVII. REX.

XIX. Proxime regnavit INDULFUS: qui, rebus domi compoſitis, proximum ſeptennium in ſumma tranquillitate tranſegit. Octavo demum regni anno, Dani, ægre ferentes amicitiam Anglorum ſuæ prælatam, fœduſque perpetuum, a duobus Regibus adverſus ſe factum, claſſe quinquaginta navium, Scotis nihil minus exſpectantibus, in æſtuarium Forthæ fluminis ingreſſi, prope necopinantes oppreſſerunt. Igitur, in re tam ſubita, terroris ac trepidationis plena fuerunt omnia, aliis bona ſua in loca tutiora ac mediterranea transferentibus, aliis ad mare concurrentibus, hoſtem exſcendere prohiberent. Præerant claſſi Hago & Helricus. Hi cum Lothianam, ac deinde Fifam, fruſtra tentaſſent, Tai æſtuarium adeunt. Illic quoque terra prohibiti, cum reliquum littus legerent, Æneiam, ſive Anguſiam, Merniam, Marriam, Buchaniam, prætervecti, nec uſquam admiſſi, tanquam diſceſſuri vela in altum dederunt.

Dein-

Deinde, omnibus ſecuris, poſt aliquot dies revecti, in littore Boinæ ad Collini fluminis oſtium nacti locum idoneum, antequam edito tumultu accolæ accurrerent, nullo prohibente militem exponunt. Eorum adventum cum reſciſſet Indulfus, pene famam ſui prævenit: ac primum in ſparſos populatores invectus, eos ad reliquum exercitum compulit, minore quidem cum cæde, quod Danorum caſtra non longe aberant. Ubi in mutuum conſpectum eſt ventum, ſine mora inſtructis aciebus, paribus prope animis & viribus eſt concurſum. Cum acriter utrinque pugnaretur, ſubito Danos perturbarunt a tergo conſpecti Græmus & Dumbarus cum Lothianis cohortibus. Cum alii ad naves, alii, quo metus hoſtium agebat, per loca ignota fugerent, major pars in valle ſilveſtri conglobati, occaſionem aut rei bene gerendæ, aut fortiter moriendi, opperiebantur. Indulfus, vel ut penitus hoſtibus profligatis, cum paucis obequitans, caſu in eos illatus, occiditur, ineunte decimo ſui regni anno: præfuit enim Scotis novem annos & tres menſes. Sunt qui ſagitta e nave miſſa interemtum prodant, dum exarmatus, ut fugientibus vehementius inſtaret, in conſcendentes acrius fuiſſet invectus.

LXXVIII. REX.

XX. Eo defuncto, regnum adeptus eſt DUFFUS Milcolumbi filius. Is ſtatim Culenum, Indulfi Regis filium, præfecit Cumbriæ, atque in Æbudas tumultuantes miſit, ut eas a latrociniis purgaret. Juventus enim nobilis, magno numero comitum aſcito, vectigalem ſibi plebem faciebat, præter victum gratuitum certa pecunia ſingulis familiis indicta. Nec in eos aſperior fuit Culenus, quam in ipſos inſularum præfectos, qui [1] genus id hominum coërcere debuerant. Indictum eis, ut in poſterum ipſi, quorum negligentia hæc eveniebant, damnum acceptum plebi, multam Regi perſolverent. Hæc denunciatio tantum otioſis illis nebulonibus terroris injecit, ut in Hiberniam plurimi diſcederent, & ibi mercenaria opera victum quærerent. Quam hæc res plebi fuit grata, tam proceres exulum propinquos, multoſque juvenum id genus otioſæ vitæ probantium, offendit. Hi, in omnibus ſtationibus & conventiculis, primum ſecretis, mox, comprobantium multitudine freti, apertis criminationibus Regem lacerabant. „Eum, nobilitate contemta, ſacrificulorum „conſiliis abduci: homines honeſto loco natos ad ſervilia munera cogere: ple„bis ultimos ad ſummos honores provehere: omnium rerum diſcrimina tollere, „ac ſumma infimis miſcere. Hic ſtatus rerum ſi perſeveret, aut nobilitati alio „migrandum eſſe, aut alium Regem creandum, qui populum in majorum in„ſtitutis, quibus hoc regnum ex tam parvis initiis in hanc magnitudinem ſit „progreſſum, contineat.

XXI. Inter hæc, Rex, nullis apparentibus cauſſis, morbo novo & inaudito affictari cœpit. Tandem, aliis alia remedia fruſtra quærentibus, incertis au-

1 *Genus id hominum*] Vix aliter ſcripſerit Buchananus, quam *id genus hominum*. Virgilius quidem dicit, *Quod genus hoc hominum?* at alius Poëtis, alius Hiſtoricis verborum ordo eſt aptior.

auctoribus [1] rumor eſt pervulgatus, „Eum maleficarum veneficiis peti: „ ſive ex indiciis orta ſuſpicione: ſive, cum e perpetuo ſudore corpus paullatim contabeſceret, & vires deficerent, medicique undique acciti nihil ſalubre proferrent, communibus morborum cauſſis non ſe prodentibus, ad occultam decurſum eſt. Omnibus igitur in hoc unum intentis, tandem allatum eſt, „Foreſſæ „ (quod eſt Moraviæ oppidum) coventus nocturnos in ejus perniciem fieri. Id, quia nihil aliud occurrebat, pro vero acceptum. Miſſi ad rem explorandum fidi homines ad Donaldum arcis præfectum, cui maximis de rebus Rex ſemper maximam habere fidem ſolebat. Is, indicio cujuſdam meretriculæ, cujus mater ejus artis infamia laborabat, totam rem deprehendit ac detexit. Puella enim, quod de ſalute Regis ac fine vitæ proximis diebus [2] quædam temere effutiſſet, capta, ſtatim (oſtentatis tormentis) quid in Regis exitium pararetur, indicavit. Miſſi milites puellæ matrem cum aliquot mulierculis effigiem Regis ceream lento igne torrentes comperiunt. Id facinus eo tendebat, ut, cera paullatim liqueſcente, Rex in ſudorem ſolutus, ſenſim contabeſceret; ea vero conſumta, ſpiritu defectus moreretur. Fracta cerea imagine, ac punitis veneficis, tradunt eodem momento Regem morbo levatum. Hæc ego, ut a majoribus accepi, tradenda cenſui. Quid de hoc genere veneficii ſit ſentiendum, legentium judicio relinquo. Admonendum tamen exiſtimavi lectorem, [3] apud vetuſtiores non inveniri.

XXII. Inter hæc, abjecto Regis (quem brevi moriturum ſperarant) metu, multæ paſſim cædes, multa latrocinia fiebant. Duffus, recuperatis viribus, latrones per Moraviam, Roſſiam & Cathaneſiam ſecutus, multos variis caſibus interemit. Principes eorum Foreſſam, ut conſpectius fieret ſupplicium, puniendos reduxit. Ibi, cum Donaldus, arcis præfectus, aliquot neceſſarios ſuos pœnæ eximere precibus nequiſſet, ingentem iræ molem adverſus Regem concepit: ac totus, velut inſigni contumelia, in vindictæ cogitatione erat. Tanti enim ſua erga Duffum beneficia æſtimabat, ut quacunque de re nullam ab eo repulſam pati deberet. Uxor quoque Donaldi, cum ſupplicium noxiorum ad aliquot ipſius propinquos pertinuiſſet, ægrum mariti animum non modo verborum acerbitate inflammavit, ſed conſilio ad Regis necem armavit: affirmans, „Regiæ arcis cuſtodem vitam mortemque ejus in ſua manu habere: eaque po„teſtate præditum, non modo ut facinus patrare, ſed etiam patratum occulta„re poſſet. Igitur, cum Rex altiore ſomno poſt negotia eſſet oppreſſus, & miniſtri ejus a Donaldo largius invitati jacerent, immiſſis percuſſoribus, nemine prorſus ſentiente, curat jugulatum Regem per poſticum efferendum, ita cir-

1 *Rumor eſt pervulgatus*] MS. *pervagatus.*

2 *Quædam temere effutiſſet*] Ita monente Crafordio emendavimus; libri tamen omnes *effudiſſet:* quod quamvis non prorſus ineptum ſit: alterum tamen multo magis appoſitum vocabulum videtur. Teſte enim Pompejo Feſto *futiles* (unde *effutio* deducitur) *dicuntur, qui ſilere tacenda nequeunt, ſed ea effundunt.* Terent. Phorm. Act, 5. ſc. 1. 19. *Ne vos forte imprudentes foris effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea reſciſceret.*

3 *Apud vetuſtiores*] [Immo uſitatum fuiſſe docet Pharmaceutria Virgiliana. vid. Heinſ. ad Ovid. III. Amor. VII. 29.]

1 *Ceſſi-*

circumſpecte, ut nulla ſanguinis gutta facinus proderet, atque, ad duo millia paſſuum a Kinloſſo cœnobio, ſub ponticulo quodam in loco obſcuro ſepeliendum, [1] ceſpite herboſo ſuperinducto, ne quod terræ effoſſæ veſtigium appareret. Hoc mihi veriſimilius videtur, quam quod alii tradunt, averſo amnis curſu, in ſcrobem corpus injectum, deinde, revocato in ſuum alveum fluvio, ſepulchrum tectum. Miniſtri quoque ſceleris ablegati: quod opinio a majoribus accepta noſtrorum hominum animos adhuc obtineat, præſente cædis auctore, cruorem e vulneribus, velut recente facinore, poſt aliquammultos dies manaturum. Poſtridie vulgato rumore, Regem nuſquam comparere, lectum cruore eſſe conſperſum, Donaldus, re atroci & ſubita perculſus, in cubiculum advolat: miniſtros, tanquam iræ impatiens, jugulat: cuncta circumcirca diligenter perveſtigat, ſi qua cadaveris indicia comparerent. Cæteri, tam novo ſcelere attoniti, cum ſibi quoque metuerent, domum quiſque diſcedunt. Ita Rege optimo in ætatis flore, per nefarium ſcelus, poſtquam quatuor annos & ſex menſes regnaſſet, exſtincto, ubi primum commodum fuit, comitia novo Regi creando ſunt habita.

LXXIX. REX.

XXIII. Rege in comitiis creato CULENO Indulfi filio, nihil prius actum, quam quæſtio de Regis Duffi cæde decreta eſſet. Adigebant quoque, uti id properarent, prodigia. Unum, quod proprie ad facinus pertinere videbatur: accipiter a bubone reciſo gutture eſt interfectus. Alterum vulgi interpretatio eodem referebat: per ſex totos poſt cædem menſes crebri præter ſolitum ignes micabant, & aër ventis vehementioribus agitatus, & nubibus ita obductum fuit cœlum, ut neque Sol neque Luna uſquam in Scotia conſpiceretur. Omnibus igitur in id unum intentis, ut optimi Regis mortem ulciſcerentur, Culenus in Moraviam properat; tanquam illic, ubi ſcelus patratum fuit, certiora ejus reperturus indicia. Donaldus ad hunc rumorem, cum ſibi nefariæ crudelitatis eſſet conſcius, & nimia & prope inſana ejus in auctoribus veſtigandis diligentia multis eſſet ſuſpecta, navem ad oſtium Spææ fluminis nactus, inſciis uxore & propinquis, eam cum paucis conſcendit; veritus videlicet, ne res ex ipſo tormentis exquireretur. Hic quoque ejus feſtinatio, & vultus perturbatus, & comitatus, & in conſcendendo trepidatio, præſertim in naviculam forte oblatam, ſine ullo apparatu, ita vehementer in omnium, qui aderant, animos impreſſit ſuſpicionem, ut a nullo genere contumeliæ in eum temperarent; „Impium, ſacrilegum, parricidam, „& ſi quid ira gravius ſubjiciebat, acclamantes: „Etſi „Regis adventum fugeret, Dei tamen providentiam ſubterfugere non poſſe. Denique omnibus exſecrationibus, quas indignatio commotis animis offerebat, eum proſecuti ſunt, donec in altum evectus e conſpectu abiit. Nuncio tam trepidæ fugæ ad Culenum perlato, iter accelerat. Uxorem Donaldi, ac tres filios,

1 *Ceſpite herboſo ſuperinducto*] Libri omnes, *ceſpite herboſa ſuperinducta*, in Grammaticorum placita & veterum normam manifeſte peccantes.

lios, repræſentatis tormentis, cogit omnem facinoris ordinem exponere: item corpus, quomodo, per quos, ubi ſepultum. Horum omnium ſe marito non conſciam, non comitem modo, ſed auctorem fuiſſe. [1] Hæc audiente populo, (nam palam quæſtio habita erat,) vix a magiſtratibus perſuaderi poterat, ut manibus temperaret. Poſtridie Donaldus, cum aliquot dies ventis adverſis fuiſſet jactatus, tandem naufragio in littus ejectus, ad Regem perductus, una cum ſuis omnibus pœnas dedit. Qui eum ad Regem adduxerant, liberaliter muneribus donati. Arx, omnibus, qui in ea erant, cæſis, cremata. Corpus Duffi honorifice majorum ſepulchris illatum.

XXIV. Hæc ut bonorum animos vehementer Culeno conciliarunt, ita reliquus vitæ curſus tantum ei peperit odium, quanto ante eum nemo Regum flagraverat. Sive enim naturæ ſponte inductus, ſive metu (ut videri volebat) periculi tractus, diſciplinam ſeveram, ſub Indulfo Duffoque cultam, ſolvi eſt paſſus; ac juventutem, commeſſationibus intempeſtivis & peregrinis deliciis fractam, permiſit, ad libidines legibus vetitas, deinde ad vim apertam latrociniaque prorumpere. Eo cum majorem adoleſcentium nobilium partem inclinare intellexiſſet, protinus & ipſe eodem deflexit, ac palam ita ſe flagitiis immerſit, ut nec a matronis honeſtis, nec ſacris virginibus, (quæ tum ob ſingulare [2] pudicitiæ ſervandæ ſtudium erant in honore,) nec a ſororibus ſuis, nec a filiabus temperaret; cæterarumque virginum greges, per conquiſitores adductas, velut in proſtibulo contineret.

XXV. Cum a viris prudentioribus admoneretur; „ Partim juventutem ætatis excuſatione defendebat, partim ſe, etiamſi quædam minus recte fieri „ confiteretur, metu tamen ad ea toleranda cogi. Meminiſſe etiam, quantam „ ſuperioris Regis intempeſtiva ſeveritas attulerit, non modo ipſi, ſed toti re„ gno calamitatem. In nobilitate firmamentum eſſe regnorum. Neque verum „ eſſe, iſto liberiore vivendi genere ſpiritus eorum martios frangi, & humiles „ dejectoſque reddi, ac ſtudia belli ſic in pace ab eis negligi, ceu nunquam bel„ lum fore ſperent. Ætatis florentis luxuriam ita compeſcendam eſſe, ne effluat, „ & bonam ingeniorum frugem nimia lætitia in herba ſtrangulet: non autem „ omnino ſuccidendam, ne ſimul virtutum ſeminaria tollantur. His auditis, nobiles, cum nihil apud Regem admonendo proficerent, ſibi etiam ea libertate ſermonis periculum crearent, ab aula ſeceſſerunt, ne non modo teſtes, ſed interim participes fieri cogerentur earum rerum, quibus cernendis audiendiſque oculos & aures conſcelerare ſeſe exiſtimabant. Et Rex, tam moleſtis arbitris libera-

1 *Hæc audiente populo, vix a magiſtratibus perſuaderi poterat, ut manibus temperaret.*] Cum verbum [*temperaret*] ad nullum alium quam populum referri poſſit, *Hæc audiens populus* dici debuiſſe multi exiſtimabunt, cum ex Grammaticorum legibus ille Ablativus, quem abſolutum vocant, & Nominativus verbi, diverſæ perſonæ debeant eſſe. Atqui optimos etiam ſcriptores ab hac lege nonnunquam deſciviſſe oſtendit Alvarus pag. 353. veluti Cic. ad Tironem lib. 16. *Non potes effugere hujus culpæ pœnam, te patrono.* Horat lib. 1. Od. 2. *Neu ſinas Medos equitare inultos, Te duce, Cæſar.* Ovid. Amor lib. 2. Eleg. 12. *Me duce ad hanc voti finem, me milite veni.*

2 *Pudicitiæ ſervandæ*] MS. *ſervatæ.*

1 Deil-

beratus, ſe totum conviviis Venerique dedidit. Nec præmia deerant, ſi quis novum voluptatis genus, quantumvis ſpurcum ac deteſtandum, inveniſſet. Noctes dieſque aula laſcivis cantionibus ebrioſorumque clamoribus perſtrepebat. Nec minor illic laus erat impudentiæ & intemperantiæ, quam apud bonos & honeſtos eſſe ſolet modeſtiæ & pudoris. Nam quæ apud alios mortales, etiam cum lege ſunt permiſſa, celantur, ibi in propatulo abſque verecundia fiebant. Juventus illecebris voluptatum [1] delinita, & adulatorum ſcurrarumque turba Regem in cœlum laudibus ferre: „Ut qui primus ſplendorem magnificentiamque cum „auctoritate conjunxerit, & ſeveritatem imperii comitate temperarit, & laborum moleſtias animorum remiſſione levarit.

XXVI. Ad hæc autem continuanda cum ſumtu opus eſſet, opulentiores confictis cauſſis ſpoliabantur: plebeji homines non modo in prædam permiſſi, ſed ſervilibus etiam miniſteriis attriti. Si cui præſentia non placerent, aut pro agreſti incultoque contemnebatur, aut, ſi ferocioris animi videretur, delatorum calumniis objectus, plerumque, velut res novas molitus, petebatur. In hac omnium flagitioſorum licentia cum triennium jam peractum eſſet, hominibus aut metu aut ſegnitia ceſſantibus, ipſa luxuria pœnas exigere cœpit. Viribus enim Venere immodica exhauſtis, corporis deformitate ex epulis largioribus contracta, morbis graſſantibus, qui utriuſque vitii comites eſſe ſolent, reſtabat deforme cadaver, ad nullos alios uſus ſibi ſuperſtes, quam ad pœnas flagitioſæ vitæ perferendas. Rege ad omnes vitæ functiones inutili, corporis animique viribus intemperantia debilitatis, & aula in mores ejus converſa, audaciores, ſpe prædæ & impunitatis ſollicitati, cædes & latrocinia palam factitabant, plebejos & aulicos juxta contemnentes: quippe alteros per inopiam ſerviliter dejectos, alteros nequitia ſua imbelles & effœminatos. Qui ſaniores erant e nobilitate, duplici malo circumventi, ac de ſumma rerum conſultare coacti, conventum publicum Sconam indicunt. Ibi Rex adeſſe juſſus, ut una cum cæteris in tam præcipiti rerum ſtatu ſaluti publicæ proſpiceret. Hac admonitione ictus, & ex ignava illa ſomnolentia velut experrectus, ambigere cum ſuis una cœpit, quid potiſſimum in tantis anguſtiis deprehenſo factu optimum eſſet. Et cum neque reſiſtendi neque fugiendi ratio conſtaret, etſi animus nihil boni divinabat, tamen ad conventum ire decrevit. Atque, ut miſeri interdum in rebus adverſis ſibi blandiri ſolent, non omnino deſperabat, ſe vel miſericordia, vel patris optimi memoria, aliquid effecturum, ne ex tanta fortuna ſubito in extremum miſeriarum caderet. Igitur cum Sconam iret, ſatis magno comitatu, ſed imbelli, ac jam ad Methuanum vicum propinquum perveniſſet, a Thano regionis, ob ſtuprum per vim filiæ illatum, eſt occiſus. Mors ejus audita, uti omnibus fuit grata, quod minore

1 *Delinita*] Libri fere omnes [*delenita*,] at quamvis hæc vox a *lenis* originem trahat, uſu tamen receptum eſt ut ſecunda ſyllaba per *i* non vero *e* ſcribatur. [Immo nos Buchananum judicio elegiſſe meliorem ſcribendi formam credimus. vide ad Quinctil V. de inſtit orat. 8. & Phædr. prolog. lib. III. & Ovid. XI. Metam. 163.]

nore quam ſperaverant labore tali monſtro liberati eſſent, ita Rohardi (ſive Radardi) Tanani facinus vehementer omnis diſplicuit. Regnavit, quemadmodum & ſuperior Rex, annis quatuor, menſibus ſex.

LXXX. REX.

XXVII. Culeno ſuffectus fuit KENNETHUS, Duffi frater, ejus nominis Tertius. Is, ut ingenio, moribus, & totius vitæ inſtituto Regi ſuperiori fuit diſſimilis, ita pari ſtudio in corrigendis adoleſcentium moribus, atque ille in corrumpendis, elaboravit. Eoque difficilius id ei certamen fuit, quanto majore animi propenſione homines in vitia præcipites ruunt, quam ad virtutem, per arduum, & velut difficilem clivum, enituntur. Quæ res potiſſimum in cauſſa fuiſſe videtur, ut nonnulli, qui ſapientiæ ſtudio ſeſe dediderunt, exiſtimaverint, homines ad voluptates fruendas a natura factos eſſe, ad virtutem violenter contra ſuum ingenium trahi. Falſo quidem utrumque. Sed ejus erroris inde fortaſſe fuit initium, quod, cum in homine duplex naturæ ſit vis, altera corporis, altera animi; corporis quidem vigor prius adoleſcere, animi vero tardius, videatur. Ac velut ſtirpes prius caules, folia, floreſque aſpectu jucundos, diffundunt, quam ſemen intra vaginas & conceptacula formari incipiat; matureſcente vero ſemine hæc omnia langueſcant, ac demum marceſcant: ita corpora noſtra cito adoleſcunt quidem, antequam virtus animi adhuc infirmi ſuas vires poſſit exerere; ac, seneſcentibus paullatim membris, robur mentis & conſilii magis ac magis ſe profert. Itaque, non ſecus ac in ſegetibus herbeſcentem luxurioſius meſſem compeſcimus, vel paſcendo, vel deſecando: ita in adoleſcentibus, indolem, ſe vehementius oſtentare feſtinantem, cura & cultu cohibendam leges cenſent, donec adoleſcens ratio per ſe corporis jam infirmi impetus comprimat. Sed ad Kennethum redeamus.

XXVIII Is, cum perſuaſum haberet, vulgus fere ad Principum nutus circumagi, & ſtudia eorum diligenter æmulari, primum familiæ ſuæ diſciplinam formare inſtituit; ut, quæ verbis præciperet, rebus exprimeret: atque ut ſuam vitam familiaribus, ita ipſorum mores cæteris, exemplo eſſe voluit. Aula libidinum & nequitiæ miniſtris purgata, ut idem in cæteris regni partibus præſtaret, ipſe ad conventus habendos ſingulas regiones obire ſtatuit: ut furta, cædes & latrocinia ſuppliciis coërcens, ac præmiis omnes ad labores perferendos invitans, & commodis ſermonibus ad concordiam adhortans, veterem diſciplinam paullatim revocaret. Sed id experiundo difficilius opinione invenit, quod magna pars nobilitatis, aut ipſa ſcelerum ſibi conſcia, pœnas timeret, aut cum facinoroſis illigata propinquitatibus eſſet. Igitur, cum primus conventus ad Lanericum, Glottiæ oppidum, indictus eſſet, qui vocati in jus fuerant, admoniti, a propinquis, quanto cum periculo eſſent venturi, quidam in Æbudas, alii in alias latrociniis infames regiones, fugere. Rex, cum fraudem intelligeret, nec auctores ejus ignoraret, diſſimulata ira, ſolvit conventum: &, velut voti Divo Niniano reus, in Gallovidiam cum paucis familiaribus proficiſcitur. Ibi, per otium, re cum iis, quos fidos ſibi rebatur, communicata, optimum factu viſum eſt; „Ut anno proximo conventum totius nobi-

„lita-

„litatis ad Sconam habeat, tanquam de rebus ad univerſos pertinentibus actu-„rus. Ibi capita factionum ſine tumultu poſſe capi. Illos, in cuſtodiam abdi-„tos, poſſe per amicos & clientes curare, ut facinoroſi ad Regem adducantur.

XXIX. Id conſilium cum placuiſſet, paucis creditum, ac ſilentio tectum uſque ad conventum Sconenſem fuit. Tum per homines idoneos parato milite, atque intra Regiæ proximas ædes occultato, cum poſtridie frequens nobilitas in aulam veniſſet, atque a Rege fuiſſet & vultu & verbis humaniſſime accepta, repente ſigno dato armati concilium circumſteterunt. Subito terrore ex inſolita rerum facie oborto, Rex eos leni oratione conſolatur. Rogat, „Ut, ſi quam „ex his, quos viderent, animo formidinem conciperent, eam omnino depone-„rent. Nemini enim a ſe viro bono & innoxio periculum imminere: nec in eo-„rum perniciem, ſed præſidium, hæc arma comparata. Neque obſcurum id eis „eſſe poſſe, quo ſua ſtudia omnia, ex quo regnum ſuſceperit, pertinuerint: „nempe, ut, ſublatis ſceleroſis, boni non modo patrimonio, vel a majoribus „relicto, vel virtute & induſtria parto, ſed Regia, pro cujuſque merito & di-„gnitate, munificentia frui poſſent. Hoc vero eorum ſtudio & opera ſe aſſequi „poſſe. Superiore anno, cum noxiorum quoſdam in jus vocaſſet, neminem ad „diem affuiſſe. Crebris multorum ſermonibus ſe intellexiſſe, non tam id ab eis „factum ſuarum virium, quam propinquorum & amicorum fiducia. Hoc ſi-„quidem verum eſſet, & publice calamitoſum, & ipſis eorum amicis turpe „eſſe. Nunc autem tempus veniſſe, quo ſeſe crimine, & regnum latrociniis, „liberare poſſint. Rem autem facilem fore, ſi potentiores in ſua quiſque ditione „comprehendant ſceleſtos, atque ad ſupplicium offerant. Hi qui ſint nemini „eſſe ignotum. Quod ſi excuſationes nectant, &, cum ſumma ſit facultas de „patria bene merendi, voluntas tamen abſit, Regem, cui omnium incolumi-„tas ſit commiſſa, excuſari non poſſe, ſi ipſos dimittat, antequam pœna de „noxiis fuerit ſumta. Hunc enim finem eos retinendi ſe ſtatuiſſe. Quare, ſi „cui diuturnior in illa cuſtodia mora videatur eſſe moleſta, ſibi ipſi eam impu-„tet, cum in ſua cuique poteſtate ſit, non modo libertas, ſed laudes, ho-„nores, præmia, & omnium bonorum gratia. „Ad hæc primores, cum de com-muni conſilio Regi reſpondiſſent, „Se malle ſuam innocentiam rebus, quam verbis oſtendere, „operam ſuam ei prolixe promittunt, invicemque eum orant; „Ut, ſi quam de ſe ſuſpicionem concepiſſet, eam deponeret. „ Id cum ſancte promiſiſſet, nomina noxiorum edit. Proceres, per amicos diligenti conqui-ſitione facta, facinoroſos brevi ad Regem perducendos curant: quibus ex lege punitis, nobiles dimiſſi, præmiis etiam donati, & pollicitationibus onerati, vulgi promiſcua multitudine Regi cæteriſque omnibus omnia bona precante. Rebus ita domi compoſitis, cum Anglis fœdus, a ſuperioribus aliquot Regi-bus ictum, per Kennethum quamdiu vixit ſanctiſſime eſt ſervatum.

XXX. Hanc totius Britanniæ publicam tranquillitatem interpellarunt Da-ni, quorum numeroſam claſſem prope Rubrum Promontorium (is locus eſt Æneiæ, ſive Anguſiæ) ad anchoras ſtare nunciatum eſt. Tenuit eos ibi aliquot dies conſultatio, utrum in proximum littus deſcenderent, an in Angliam, quo eis curſus erat, deflecterent. Multi enim cenſebant; „Angliam petendam, regio-

„ nem opulentam, quæ & fructibus exercitum alere, & auxiliis augere poſſet.
„ Multos enim ibi Danici generis eſſe adhuc ſuperſtites, multos vetere amicitia cum Danis conjunctos. Hos omnes ad primum eorum motum accurſuros, „ quod ſemper antea ibi factitatum eſt. In Scotia gentem eſſe ingenio ferocem, „ &, ut in duro atque inopi ſolo, duram & laboris patientem: & quam nunquam ſine clade inſigni ſint aggreſſi: quam ſi vincant, nullum operæ pretium facturos; ſin vincantur, extrema omnia paſſuros. „ Alii contra diſſerebant; „ Si in Angliam deſcenderent, cum utraque gente ſimul confligendum. „ Scotis autem prius devictis, facile bellum cum Anglo futurum, externis auxiliis ſpoliato, & amicorum clade territo. Neque magni animi viros in prædam unam intentos eſſe decere: ſed potius meminiſſe debere propinquorum „ & majorum, toties in Scotia crudeliter cæſorum. Nunc cum omnibus ad „ bellum rebus neceſſariis parati, tantum exercitum habeant, eam vindictam „ expetendam, quæ & immanitatem Scotorum pro merito puniat, & terrorem „ Danici nominis ad omnes nationes circumjectas perferat.

XXXI. Hæc ſententia cum in concilio viciſſet, traducta claſſe ad Eſcæ fluminis oſtium, copias in terram expoſuerunt. Oppidum proximum diripiunt: in direptum ferro & igne ſæviunt: arcem ſolo æquant: cives ſine diſcrimine occidunt: nulli vel ſexui vel ætati parcunt. Eam vaſtitatem per Anguſiam, uſque ad Tai æſtuarium, faciunt. Hæc per eos, qui fuga ſævitiam hoſtium evaſerant, etiam tumultuoſiora, quam erant, ad Regem Sterlinum perferuntur. Is, conſultis qui aderant ex primoribus, brevem propius habitantibus ad conveniendum diem dicit. Ad longinquiores ſcribit, ut cum auxiliis accelerent. Ipſe cum præſentibus copiis, ad ſpeculandum e propinquo res hoſtium, & populationes agrorum (quoad poſſet) coërcendas, recta ad hoſtem ducit. Brevi ingens multitudo in caſtra Regis, quæ erant ad confluentem Tai & Iernæ fluminum, acceſſit. Ibi dum contrahit copias, ad eum affertur, „ Hoſtes, Taum tranſgreſſos, Bertham oppidum obſidere. Loci tam propinqui periculo motus, ſtatim eo ducit. Ubi in conſpectu Dani fuere, nulla per Scotos, in vindictam præcipites, mora pugnæ facta eſt. Itaque ſtatim, acie æquo in loco ſtructa, contra hoſtes proceſſere. Verum cum Dani in colle adverſo conſiſterent, neque ad eos facilis eſſet ſine ingenti periculo acceſſus, ſagittarii & jaculatores eo miſſi cum deſcendere coëgiſſent, ad radices collis acerrima pugna conſeritur. Poſtquam incerta victoria diu multa cum cæde pugnatum eſt, Danorum duces per totam aciem dant teſſeram, „ Nemini in caſtra, niſi victori, reditum ſperandum. „ Ad eam vocem renovato clamore, tanto impetu ſunt invecti, ut mediam Scotorum aciem cornibus utrinque nudarent, fugienteſque acriter ſequerentur.

XXXII. Fuiſſet profecto illa dies longe Scotis funeſtiſſima, niſi, velut divinitus, per unum hominem, in re prope deſperata, fuiſſet oblatum auxilium. Colebat forte agrum propinquum, per quem plurimi fugiebant, homo plebejus, cognomento Hajus, cum duobus una filiis: qui cum corporis animique viribus magnis eſſent, nec minore in patriam caritate; pater jugo, filii, quod cuique in promtu fuit, pro armis accepto, ubi denſiſſimum fugientium agmen

con-

conſpexerunt, obviam loco anguſto profecti, primum conviciis, deinde minis, fugientes ſiſtere conantur. His ubi nihil proficiunt, proximos feriunt, „Se quoque, vociferantes, adverſus fugientes Danos futuros. „Ad hæc timidiores conſiſtunt: fortiores, qui, non tam metu, quam turba ſuorum abrepti, terga verterant, ad eos ſe aggregant, clamantes, „Auxilium adeſſe. „Ita totum agmen in hoſtem convertunt, & Danos, non minus trepida, quam ipſi venerant, fuga, retro ad ſuos compellunt. Ad hanc Danorum trepidationem, agaſones, & imbellis agreſtium turba, ſublato clamore, ſpeciem novi exercitus præbuere. Ea res tantum animi Scotis, & formidinis Danis attulit, ut alteros de ſalute deſperantes erexerit, alteris pro ſperata victoria certam calamitatem attulerit. Hæc eſt illa victoria ad Loncartem vicum parta, illo & aliquot proximis diebus ſumma lætitia, ad poſteros perpetua fama, celebrata.

XXXIII. Cum ſpolia victores dividerent, Hajus in omnium ore erat. Multi homines honeſti teſtificabantur, „Se vidiſſe, quacunque ille cum liberis impreſſionem feciſſet, ibi noſtrorum ordines reſtitutos, & hoſtilem aciem velut „ruina impulſam. „Omnes denique uno ore,“ Prædam, victoriam, famam, „ſalutem ſe eis debere, „fatebantur. Hajus ad Regem perductus, modeſte de ſe locutus, ſplendidas veſtes ſibi & filiis oblatas, ut conſpectiores Bertham ingrederentur, renuit: ac tantum, abſterſo pulvere, quotidiano amiculo indutus, jugumque, quo erat in prælio uſus, ferens, multis a Rege anteire, ac ſatis magno intervallo ſequi juſſis, multis ad novi generis ſpectaculum accurrentibus, urbem ingreditur: omniumque ora & oculos in ſe unum convertit: ac ſolus prope omnem illius diei celebritatem tulit. Poſt Danorum diſceſſum, otio præter ſpem tam cito parto, in conventu procerum, qui ad Sconam poſt paucos dies eſt habitus, nihil prius, quam de Haji filiorumque ejus honoribus & præmiis, eſt actum. Ager eis datus, unus prope totius Scotiæ fertiliſſimus, quem adhuc eorum poſteri tenent, nunc in multas opulentas familias propagati: ipſi e plebe in ordinem nobilium relati. Inſignia ferenda, uti mos eſt nobilitati, data, ſcutum argenteum, in cujus ſolo tria ſcuta rubricata inſunt. Quæ inſignia hoc, opinor, indicant, ſalutem publicam trium hominum ſingulari in prælio virtute fuiſſe defenſam.

XXXIV. Hoc prælio pax in multos annos parta videbatur: quam domi fœdarunt res turbulentiſſimæ. Ac Inſulanorum quidem, qui per Roſſiam vagi prædabantur, motus brevi compreſſus eſt, multis latronum in prælio cæſis, multis item in fuga captis, & ad ſupplicium ductis. Majorem longe tumultum præbuit [1] Crathilinthus, Fenellæ, aut (ut alii vocant) Finabellæ, filius. Is Merniæ tum longe princeps genere & divitiis erat. Cruthinetus ejus avus maternus præfectus erat a Rege ei Anguſiæ agro, qui inter duos fluvios (Eſca utrique nomen eſt) jacet: vectigaliaque inde Regia colligebat. Ad eum viſendum cum nepos magno comitatu veniſſet, ſubito tumultu inter miniſtros eorum orto, duo e Crathilinthi familiaribus ſunt occiſi. Ille de injuria apud avum queſtus, cum in ejus comites ſeditionis culpa rejiceretur, a ſene gravi oratione eſt increpitus,
nec

1 *Crathilinthus*] MS. *Cruthilinthus*: Boëthio *Cruthlintus*, Leſlæo *Crathlinthus* appellatur.

nec ſine contumeliis a miniſtris & familiaribus ejus eſt dimiſſus. Igitur, domum reverſus, irarum plenus, ad matrem querelam detulit. Illa tantum abfuit, ut ægrum adoleſcentis animum commodis ſermonibus mollire, & ad æquitatem reducere, ſit aggreſſa, ut etiam ad parricidium prope conviciis mater filium adverſus ſuum patrem, illius avum, armaverit. Igitur, non adeo diu poſt, Crathilinthus cum armata hominum multitudine, quos ad id facinus opportunos credebat, noctu in Anguſiam ad avi arcem venit. Ibi cum paucis ſine ſuſpicione receptus, reliquos comites, e ſuis latebris evocatos, intromittit. Nepos avum ſenem cum omni familia trucidat: nec arcem modo, ſed vicinos etiam agros depopulatus, tanquam re bene geſta, cum ingenti præda in Merniam lætus rediit. Nec diu eam cladem Anguſiani inultam paſſi ſunt. Nam brevi magno ſuæ factionis hominum numero coacto, multiplicem in Merniorum agris vaſtitatem reddiderunt.

XXXV. Ab eo tempore cum ultro citroque cædes & rapinæ per occaſiones fierent, Kennethus, re audita, ne, pluribus ad factiones ſe aggregantibus, major aliquis motus exſiſteret, utriuſque partis duces Sconam in jus decimo quinto die adeſſe jubet. Pauci tamen, ſeveriſſimi edicti minis permoti, ad diem apparuere: plures, conſcii quid commeriti eſſent, Crathilintho auctore, quo cuique commodum erat, diffugerunt. Rex, diligenti conquiſitione facta, noxiorum alios alibi, maximam vero partem eorum deprehendit in Abria. Crathilinthus & factionum principes morte, reliqui levioribus pœnis, pro delicti modo, caſtigati: nonnulli, qui leviſſime erraverant, omnino pœna exemti. Hoc temperamentum, apud malos metum, apud cæteros ingentem Regi amorem, conciliavit: pacemque ei ad vigeſimum alterum uſque regni annum peperit.

XXXVI. Quod ſi in curſu vitæ inchoato inſtitiſſet, inter optimos Principes jure cenſeri potuiſſet. Belli enim & pacis munera ita obierat, ut fortitudinis, conſtantiæ & æquitatis maximam ſibi laudem compararit. Sed ſuperioris vitæ commendationem facinore longe ſceleſtiſſimo contaminavit: quod eo fœdius omnibus eſt viſum, quanto incredibilius ac minus exſpectatum ab ejus ingenio fuerat, qui tam ſevere antea in facinoroſos animadvertiſſet. Ejus autem culpæ hæc fuit occaſio. Rex, jam ætate grandior, Milcolumbum habebat filium, indole quidem præclara, ſed, ſi quid ipſi humanitus accidiſſet, ad regendum tam ferocem populum ætate adhuc immaturum. Etiam quo minus poſt parentem proxime regnaret, obſtabat mos majorum, qui e propinquis Regum defunctorum non proximos, ſed maxime idoneos, modo a Ferguſio primo Scotorum Rege eſſent oriundi, eligere conſueverant. Obſtabat etiam nobilitatis favor erga Milcolumbum Duffi Regis filium, qui tum facile in omni genere laudis Scoticæ juventutis princeps erat. Accedebat ad hæc, quod Cumbriæ tum præfectus erat: quam regionem Scoti beneficio Regum Anglorum ita tenebant, ut Cumbriæ præfectura velut omen regni eſſet: atque ita jam per aliquot ætates obſervatum erat.

XXXVII. Hunc igitur Milcolumbum, ob has (quas diximus) cauſſas, videbat ſpei ac voto ſuo futurum impedimento: &, quoniam palam non audebat, veneno tollendum curavit. Exſtincto, cum omnium ſummo dolore, juvene

vene optimo, & jam ſummæ ſpei propinquo, ſigna quidem veneni in corpore apparuerunt: nulli tamen in mentem venit, quicquam de Rege ſuſpicari. Nec Rex etiam quicquam omittebat, quod ad ſuſpicionem avertendam facere poſſet. Nam & mortuum flevit, &, quoties de eo ſermo incidebat, memoriam ejus honorifica mentione proſequebatur, & funus magna ambitione celebrandum curavit, nullis, quæ ad defunctorum honorem excogitari poterant, cærimoniis omiſſis. Sed nimia illa Regis diligentia, quam ille ſuſpicionis amoliendæ cauſſâ adhibebat, cautioribus eſſe ſuſpecta cœpit: verum intra libertatem loquendi, ob ſummam omnium de ſanctitate ejus opinionem. At cum Rex per eos dies ſpargeret ſermones, animoſque hominum tentaret, quo pacto laturi eſſent veteris legis abrogationem, & novæ de Rege creando rogationem, ut videlicet, plurimarum gentium inſtituto, Regibus morte ſublatis liberi ſuccederent, immaturiſque adhuc ad regendum tutores darentur, ita, ut penes pueros nomen, penes tutores jus & vis imperii eſſet: quanquam pars magna, ut Regi gratificarentur, hæc laudarent, tamen ſuſpicio de morte Milcolumbi ad plures, metus a Rege ad nobilitatem, ac maxime Regii generis homines, pervenit.

XXXVIII. Animis ita affectis, ſupervenerunt ab Anglia legati, conſolaturi Regem de morte propinqui; ſimul petituri, „ Ut, in ſubrogatione præfecti „ Cumbrorum, meminerit, cum magiſtratum eſſe pacis interpretem, & con- „ cordiæ vinculum, inter vicina regna. Talem igitur ſufficeret, qui ex utriuſ- „ que gentis commodo antiquam amicitiam contineret, & novas, ſi quæ ori- „ rentur, ſuſpiciones reſtingueret. Hanc legationem ſuis rationibus commodam Rex opinatus, conventum nobilitatis Sconam indixit. In eo cum multa graviter diſſeruiſſet, „ Adverſus comitiorum Regiorum veterem conſuetudinem, „ recitatis ab initio uſque ſeditionibus ea de cauſſa factis, quantoque cum ſcele- „ re in Regum ſuperiorum liberos fuerit a propinquis ſævitum: quot bella inde „ nata, rapinæ, cædes, exilia conſecuta. Ex adverſo, quanto minus turbu- „ lenta gentium aliarum eſſent comitia, quanto major propinqui ſanguinis reve- „ rentia, cum citra ambitionem filii parentibus ſuccederent. Cum, ea de re quid ſtatuerent, ad concilium retuliſſet, adjecit etiam poſtulata Regis Anglorum, &, ut animi civilis majora daret indicia, quod de Cumbriæ præfecto creando ſuæ poteſtatis jam Reges fecerant, ſuffragiis omnium permiſit: ſimul ratus, hac moderatione, quod de regno petebat, ſe facilius impetraturum; ſimul ne, ſi filium præfectum nominaret, alteri rogationi præjudicaſſe videretur: quod, uti dixi, præfectura Cumbriæ velut Regis futuri deſignatio videretur.

XXXIX. Qui utrique rogationi maxime videbantur adverſaturi, Conſtantinus Culeni filius, & Grimus ex Mogallo Duffi Regis fratre natus, partim formidine periculi, partim ne nobilitatis majori parti a Rege præcorruptæ adverſarentur, primi omnium ſententiam rogati, „ Penes Regem eſſe, dixerunt, & „ leges publice incommodas corrigere, & præfectos, quos ei viſum foret conſtituere.„ Hæc reliqui, etſi eos non ex animi ſententia locutos intelligerent, tamen approbarunt. Ita Milcolumbus Regis filius, immatura adhuc ad rerum

adminiſtrationem ætate, & Cumbriæ præfectus, & Princeps Scotorum eſt declaratus: quod nomen perinde eſt Scotis, atque apud Gallos Delphinus, apud priores Rom. Impp. Cæſar, apud poſteriores Rex Romanorum, quibus omnibus ſucceſſor ſuperiori magiſtratui dari intelligitur. Adjectæ ſunt & aliæ leges, „ Ut, quemadmodum Regi maximus natu filius in regnum ſuccederet, „ ita, filio ante patrem defuncto, nepos avo ſubrogaretur. Ut, Rege impube- „ re, tutor, qui pro Rege eſſet, interea eligeretur, vir prudentia & opibus in- „ ſignis, qui ad quartum decimum uſque annum Regis nomine rem adminiſtra- „ ret. Ad id ætatis ubi Rex pervenerit, ipſe ſibi curatores eligere poſſet. Multa præterea de legitima hæredum ſucceſſione conſtituta ſunt, quæ toti nobilitati cum Rege voluerunt eſſe communia.

XL. Ita Rex per ſcelus poſteris (uti putabat) regno ſtabilito, animum tamen ſuum confirmare non potuit. Quanquam enim omne genus hominum ſummo ſtudio & oſtentatione benevolentiæ complecteretur, plurimos omni genere officiorum proſequeretur, & ita regnum gereret, ut nullum boni Regis munus in eo quiſquam deſideraret; tamen animus, conſcientia ſceleris inquietus, nullum ſolidum & ſincerum ei gaudium eſſe permittebat: ſed intercurſantibus per otium cogitationibus ſceleris fœdiſſimi interdiu vexabatur, & per ſomnum obverſantia viſa, horroris plena, quietem interpellabant. Tandem, ſive vere (quod quidam tradunt) vox cœlo edita eſt, ſive turbatus animus eam ſibi ipſe ſpeciem finxerat, quod ſceleratis plerumque evenire ſolet, viſus eſt ſibi per ſomnum ita admoneri. „ Putaſne, Milcolumbi cædem, hominis innoxii, a te per ſummum „ nefas clam patratam, aut mihi eſſe ignotam, aut te diutius impune laturum? „ Jam enim inſidiæ, quas tu effugere non potes, in caput tuum parantur: nec, „ ut tu putas, ſtabile & ſecurum, ſed tumultuoſum & procellarum plenum re- „ gnum tuis poſteris relinques. Hac formidabili ſpecie Rex conterritus, ſummo mane ad Epiſcopos & monachos confugit: animi ſui confuſionem ac ſceleris pœnitentiam denarrat. Illi vero non verum ei e Chriſti doctrina remedium (jam enim a veterum pietate & eruditione deflexerant) præſcripſerunt: ſed illa multo abſurdiſſima, jamdudum a malitioſis ad quæſtum excogitata, ab incautis & æque indoctis temere accepta, ut loca ſacra, templaque donariis locupletata, & ſepulchra ſanctorum hominum inviſeret, reliquias oſcularetur, Miſſis & eleemoſynis peccata redimeret, monachos & ſacerdotes majore, quam antea conſueverat, honore & reverentia proſequeretur. Nec ille quicquam horum, iis piaculis ſanatum iri ſe credens, omittebat.

XLI. Tandem cum in Merniam ad Palladii ſanctiſſimi hominis oſſa venerabundus veniſſet, ad proximam arcem, (Fethercarniam vocabant,) tum, ut tradunt, ædificiis & nemoribus amœnam, quorum nunc nulla prope veſtigia reſtant, divertit. Ejus arcis domina erat Fenella, (cujus ante meminimus,) non tantum ob filii Crathilinthi pœnam erga Regem inimico animo, ſed ob Conſtantinum & Grimum, ſuos propinquos, nova illa lege regni hæreditate excluſos. Ab ea (iram diſſimulante) Rex liberaliter & honorifice ſuſceptus, a prandio per otium, cum locorum amœnitatem & arcis ſtructuram diligentius inſpiceret, Fenella cum in diætam ſeorſum ad ſtatuam æneam, arte ſingulari

fuſam, ducit viſendum: quam ita ingenioſe confectam fuiſſe dicunt, [1] ut ex occulto loco, funiculo, qui intentus erat, remiſſo, ſagittas ejacularetur: Regem autem, dum intentius artificium admiraretur, ſagitta e machina emiſſa interemtum. Hac arte cædem patratam Joannes Major & Hector Boëthius ſcriptum reliquerunt: quod mihi non fit veriſimile. Neque enim credibile eſt, tum in Britannia ultima, poſt interitum apud alias gentes elegantiorum artium, ſtatuam tam ingenioſe factam fuiſſe: quanquam Joannes Major tradat, Edmondum, Eldredi filium, hac ratione occiſum; æque fabuloſe, ut arbitror. Nec facile mihi perſuaſerim, tantum gemmarum in tota Scotia tum fuiſſe, quantum Boëthius uni illi fœminæ tribuit. Ideo lubentius accedo ad aliorum ſententiam, (in quibus eſt Vintonus,) qui ſcribunt, Regem ab equitibus, locatis (juſſu Fenellæ) in inſidiis, fuiſſe occiſum. Obiit anno ab initio regni viceſimo quinto: vir plane cætera eximius, niſi Milcolumbi cædes, & nimium erga ſuos ſtudium, turpem præclaris rebus ejus notam inuſſiſſet. [2] Deceſſit DCCCC. XCIV.

LXXXI. REX.

XLII. Poſt Kennethum, CONSTANTINUS Culeni filius, cognomento CALVUS, tanta ambitione in regno petendo eſt uſus, quanta ad eum diem nemo. Is cum omne genus hominum prenſaret, querereturque; „Se alioſque
„Regii ſanguinis viros fraude Kennethi circumventos, & a regni ſpe excluſos,
„iniquiſſimæ legis obtentu, „ multa adverſus eam rogationem, cui ipſe cum aliis propinquis metu ceſſiſſet, diſputabat. „ Neque difficile eſſe vitium ejus
„detegere. Quid enim ſtultius, quam rem unam omnium maximam a pru-
„dentium cenſura & ſuffragiis ad arbitrium fortunæ revocare? & ſeſe ipſos
„aſtringere, ut puello, [3] forte naſcendi oblato, & qui a muliercula aliqua re-
„geretur, ſeſe regendos committerent; & homines virtute præſtantes interim
„a gubernaculo rerum arceant? Quid ſi Regum liberi corporis aut animi vitio,
„cur imperio exercendo parum ſint indonei, laborent? Quid ſi pueri regnum
„tenuiſſent illis temporibus, quibus cum Romanis, Brittonibus, Pictis, Anglis
„& Danis, non tam utri imperarent, quam utri eſſent, toties eſt dimicatum?
„Aut quid magis furioſum dici poteſt, quam quod Deus, velut ultimam cala-
„mitatem, contumacibus minetur, id nos lege arceſſamus? & minas divinorum
„vaticiniorum vel contemnamus, vel in eas ſponte incurramus? Nec verum
„eſſe, quod ab adulatoribus Kennethi jactari ſolet, hac ratione cædes & avari-
„tiam

1 *Ut ex occulto loco*] MS. deeſt *loco*. [& recte. nec enim tam inepte ſcribebat Buchananus, ſed ad exemplum veterum. Terent. Eun. IV. 7. *ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes*. vid. ad Quinctil. declam. XII. 19.]

2 *Deceſſit* DCCCCXCIV.] In Editis omnibus hæc verba præmittuntur, *Regnavit annos viginti quinque;* quorum ſed ſtylo inductorum veſtigia in MS. adhuc apparent: nos quoque ut ſupervacua delenda cenſuimus, idem enim modo dixerat.

3 *Forte naſcendi*] Et etiam lib. XI. 15. *Naſcendi fors:* lib. autem XII. 16. *forte naſcendi*, & ita ubique ſcribi debere cenſerem, quod & hoc in loco ab Elzevirio eſt factum: quamvis non ignorem has voces *Fors* & *Sors* toties confundi, ut alteram ab altera certis limitibus diſtinguere neſciam.

„tiam conſanguineorum vitari : neque enim liberis Regiis , nondum adultis, „minus tutorum fraudes eſſe metuendas , quam antea fuerant propinquorum. „Quamobrem nunc, oppreſſo tyranno , libertatem ab eo ſublatam fortiter eſſe „repetendam : legemque illam, per vim latam, per metum acceptam, (ſi mo„do lex eſt , ac non potius publicæ libertatis mancipatio,) abrogandam , [1] & „priſtina inſtituta, (quæ hoc regnum ex nihilo pepererunt, & ex parvis initiis „in tantam magnitudinem extulerunt, ut nulli vicinorum cedat, & toties deje„ctum erexerunt,) dum licet, reſtituenda. Quin & præſentem occaſionem „potius, dum ſe offert, [2] amplectamur , quam e manibus elapſam fruſtra po„ſterius [3] quæramus?

XLIII. Hæc , circumeundo potentiores, cum paſſim diſſereret, magna multitudine perſuaſa , factione illa fretus , Sconam venit : & duodecimo die a funere Kennethi Rex eſt appellatus. Milcolumbus interea, qui patris funus curabat, audito Conſtantinum regnare, amicis convocatis , de ſumma rerum deliberat. Alii ſentiebant ; „ Procerum animos , antequam quicquam moveret, „eſſe pertentandos; ut, contra hominem popularem, & multis amicitiis & factionibus implicitum, profecturus, vires expenderet : ac tum demum ex præſenti copia conſilium caperet. Hæc juniores & ferociſſimus quiſque, velut lenta conſilia, aſpernari , ac diſſerere , „Obviam periculis eundum, & hoſtem, „antequam novum regnum confirmaret, aggrediendum. Hanc ſententiam Rex adoleſcens, velut magis ſpecioſam, ſecutus , circiter decem millibus hominum coactis, ad hoſtem pergit. Nec Conſtantinus ſibi defuit. Tantum enim exercitum brevi confecit, ut Milcolumbus ad famam adventus ejus ſuos dimiſerit, ipſe in Cumbriam abierit. Id vero Kennethus, ejus frater e pellice natus, cum flagitioſum exiſtimaret, aliquot virorum fortium cohortibus perſuaſis, prope Sterlinum ad Fortham amnem , qui eis limes erat , hoſti ſe objicit. Ibi, cum ad amnem , præaltis ripis , ac raris in locis vadoſum , otioſi utrinque deſiderent, fame & peſte , quibus malis eo anno vehementer laboratum erat, uterque copias dimittere eſt coactus. Ita regno in duas factiones diviſo, plebs peſte fame , latrociniis , miſerabiliter eſt afflicta.

XLIV. Interea , abſente Milcolumbo , qui ex fœdere Anglo adverſus Danos auxilium ferebat, Conſtantinus, occaſionem ſe nactum ratus opprimendi factionem adverſam , cum magnis copiis in Lothianam contendit. Kennethus, a fratre relictus , ut ad omnes Conſtantini motus eſſet paratus , ad Almonis amnis oſtium ſe venienti objecit. Et , quia inferior numero erat , rem conſilio juvit ; ita acie ſtructa , ut Solem & ventum a tergo haberet ; latera , quoad poterat , flumine muniret. Ea res præcipue ei victoriam dedit. Nam Conſtanti-

1 *Et priſtina inſtituta*] Libri omnes, *&* *ad priſtina inſtituta* , nullo fere ſenſu.

2 *Amplectamur*] Ita MS ſuadente etiam Crafordio , cæteri omnes *amplectimur*. [Jubent tamen Grammatici , *τῷ quin* ſubjungi indicativum vel imperativum , ubi adhortationi inſervit , ſubjunctivum vero, ubi aliud verbum præceſſit. Vid. Waſſ. ad Salluſt. Catilin. c.57. Voſſ. de Conſtruct. Cap. 62. & *quæremus* recte legi etiam credimus. ita & inf. lib, VII. 15. *quin tu armatus armatum aggredere.*]

3 *Quæramus*] MS. *quæremus*.

tiniani, multitudine freti, cum acriter in prælium ruiſſent, præter incommodum Solis adverſi, procella ſtatim coorta tantum pulveris in ora oculoſque ingeſſit, ut Conſtantini milites vix attollere vultus in hoſtem poſſent. In utroque exercitu ſtrages ingens facta: & duces ipſi congreſſi mutuis vulneribus alter alterum confecerunt, poſt annum & ſex menſes quam regnum [[1] *Conſtantinus*] invaſerat.

L X X X I I. R E X.

XLV. GRIMUS, Duffi Regis filius, ſive, ut alii tradunt, ex Mogallo fratre ejus natus, exſtincto Conſtantino, Rex, a ſuæ factionis hominibus Sconam ductus, appellatur. Hic, ſuæ partis proceres cum alios jam corruptos, alios per legatos a Milcolumbo ſollicitari, comperiſſet, comprehenſos quoſdam e Milcolumbi legatis, qui ad eos mittebantur, in vincula conjecit. Id ille factum cum contra jus gentium videri vellet, graviter offenſus, bellum molitur apertum. Adverſus eum cum Grimus properaret, ſubitus rumor de magnitudine copiarum ejus per hoſtilem exercitum diſperſus omnes rationes Milcolumbi turbavit: multi igitur quotidie dilabebantur: nonnulli, alia atque alia cauſſantes, aperte miſſionem flagitabant. Is metus primum a mercatoribus ortus, qui ſuas rationes publicis utilitatibus præferebant, paullatim totum pervaſit exercitum. Neque deerant etiam, qui Grimo clam ſtuderent: erant enim in eo multa, quæ vulgus conciliarent, ſtaturæ proceritas, & cum formæ dignitate conjuncta ſumma humanitas, & in omni actione [2] cum decore comitas. Nec deerat in loco ſeveritas in animadvertendo, & in rebus gerendis celeritas cum prudentia. Itaque multi ſub eo regnum ſibi cum dignitate quietum ſpondebant. In hoc animorum motu, Milcolumbus, nihil auſus fortunæ temeritati committere, ex conſilio amicorum majore parte exercitus dimiſſa, cum ſelectis cohortibus ſtatuit hoſtes Forthæ tranſitu prohibere.

XLVI. Interea Fothadus Epiſcopus, magna tum apud omnes ob ſanctitatis opinionem auctoritate, rem componere aggreſſus, ſæpe inter factiones commeando tandem perfecit, ut, induciis in tres menſes datis, Grimus in Anguſiam, Milcolumbus in Cumbriam ſecederet. Arbitri de utriuſque conſenſu electi, qui ſtatuerent de controverſiis. Nec ceſſavit Fothadus, donec per eos hæ pacis conditiones ederentur: „Ut Grimus quoad viveret Regium nomen teneret: eo de- „functo, regnum ad Milcolumbum rediret: ac in poſterum lex Kennethi, de „regno Regum liberis ſtabiliendo, ſancta & inviolabilis eſſet. Interea commu- „nis utrique limes eſſet vallum Severi: quicquid intra vallum eſſet Milcolum- „bo, quod extra Grimo cederet. Hoc limite uterque contentus, neuter al- „terum armis peteret, aut hoſtibus alterius auxilium ferret. Ita cum omnium ſumma lætitia pax eſt facta, quæ prope per octo annos ſumma fide ſervata fuit. Ejus violandæ cauſſa a Grimo eſt profecta. Nam, cum ab initio regni temporibus turbulentis boni Principis ſpecimen dediſſet, remiſſa per otium indu-

1 *Conſtantinus*] Hanc vocem e margine MS. repoſuimus ut ſententia clarior legentibus fieret.

2 *Cum decore*] MS. *cum decoro.*

duſtria, totum ſe voluptatibus immerſit. Deinde creſcente, ut ſolet, ex luxuria egeſtate, ex egeſtate avaritia, multos e ditioribus confictis cauſſis afflixit. Hæc quanto cum periculo faceret a majoribus admonitus, tantum abfuit, ut quicquam de prioris vitæ turpitudine remitteret, ut monitores, quanquam blande ad ſe vocatos, tamen in carcerem conjicere decreverit, ut reliquos, eorum pœna deterritos, ab hujuſmodi libertate adverſus Reges compeſceret. Illi autem cum ab amicis admoniti ſeſe pœnæ ſubtraxiſſent, Grimus adeo exarſit, ut collecta manu ſtatim adverſus eos duceret; in agroſque eorum multo crudelius, quam ullus externus hoſtis, ſæviret. Non homini, non villis, non pecori, non agris, parſum. Quicquid aſportari non poterat, ne dominis poſt uſui eſſet, corruptum. Nihil ſacrum aut profanum ferro flammave inviolatum remanſit.

XLVII. Milcolumbus, qui tum maxime operam Anglo adverſus Danos navabat, ſuorum querelis domum revocatus eſt. Neque ſolum earum rerum indignitate, quas homines clari & innoxii patiebantur, erat commotus, ſed multo magis, quod Grimus, velut e ditione inimicorum, quam ad alium brevi tranſituram ſciebat, nullo temporis futuri reſpectu, præſentes fructus colligebat. Ad Milcolumbi reditum cum concurſus ingens fieret, Grimus, qui ad tempus ob raras corporis & animi virtutes populo fuerat cariſſimus, etſi a maxima procerum parte deſertus eſſet, cum quantis poterat copiis obviam eſt profectus. Cum jam caſtra caſtris contuliſſent, ſub Aſcenſionis diem, gnarus, quam ſancte Milcolumbus id feſtum obſervaret, decreverat eum imparatum ac nihil ſuſpicantem aggredi. Sed Grimi conſilium cum ad Milcolumbum perlatum eſſet, ſuos in armis paratos habuit: & quanquam de victoria, in cauſſa tam bona, bene ſperaret, tamen miſit obviam hoſti, qui eum hortarentur, „ Ne „ homo Chriſtianus memoriam diei tam celebris cruore civium pollueret. „ Ille nihilo ſecius aciem ad prælium paratam in hoſtem ducit. Inimici timorem, cui diei feſti reverentiam prætenderet, ſuis velut omen victoriæ indicat. Igitur cum infeſtis armis animiſque infenſis eſſet acriter concurſum, Grimus, ſubito a ſuis deſertus, vulnerato capite, capitur: mox oculis privatus. Nec multo poſt, animi mœrore accedente ad vulnera, moritur, decimo quam regnum inierat anno. Milcolumbus, Regio adverſus victos animo uſus, Grimum ſepulchro majorum inferendum curavit. Factionem, quæ ſecuta eum fuerat, depoſita omnium offenſionum memoria, in gratiam recepit. Deinde ad Regia comitia Sconam profectus, non prius imperium ſuſcepit, quam lex, de Rege creando, a patre lata, omnium ſuffragiis confirmaretur.

LXXXIII. REX.

XLVIII. Statim ſuſcepto regno, ad convulſam factionibus rem Scoticam reſtituendam eſt aggreſſus. Primum, quemadmodum ipſe omnibus offenſas remiſiſſet, ita curavit, ut inter omnes diverſarum factionum homines veteres diſcordiæ conſopirentur. Deinde præſides e nobilitate, viros juſtos & pios, qui latrones, ſuperiorum temporum licentia vagos, compeſcerent, in omnes provincias miſit. Plebe quoque ab eiſdem ad agriculturam coacta, annona fuit laxior, & commercia tutiora, & publice ſecura tranquillitas. Inter hæc, Sueno,

no, Haraldi filius, Danorum Rex, domo profugus, in Scotiam venit. Is ſæpius a Vandalis victus, captus, redemtus, cum ab Olavo Scandianorum, & Eduardo Anglorum, Regibus, fruſtra petiſſet auxilium, tandem a Scotis, ex acerrimo Chriſtiani nominis hoſte Chriſtianus factus, acceptis modicis copiis, in regnum rediit: inde cum magno exercitu in Angliam tranſivit. Anglos primum ſolos, deinde adjunctis cum eis Scotorum auxiliis, vicit: multa Scotis prius comminatus, quod relictis Anglis domum redire nollent. Nec minæ fruſtra fuere. Olavus enim Scandianus, & Enecus, ſummus Daniæ præfectus, ab eo cum exercitu valido in Scotiam immiſſi. Hi per Moraviam vagi, cæſis obviis, ſacris profaniſque direptis, tandem in unum collecti, arces & alia munitiora loca aggrediuntur.

XLIX. Hæc dum oppugnant, MILCOLUMBUS e proximis regionibus milite collecto, caſtra non longe ab eis locat. Poſtridie Scotos, viſa Danorum multitudine, & apparatu bellico, ingens terror invaſit. Rex eos confirmare aggreſſus, cum non multum proficeret, tandem clamor a paucis, qui minus timidi volebant videri, exortus, & a reliquis exceptus, fecit, ut ſtatim, velut lymphati, injuſſu ducis, in hoſtem proruerent, ac ſeſe in ſtantium in procinctu Danorum tela induerent. Primis cadentibus, reliqui citatiore, quam venerant, gradu fugam intenderunt. Rex, accepto in capite vulnere, vix a ſuis in propinquum nemus ablatus, ac ibi equo impoſitus, mortem evaſit. Dani, parta victoria, Narnim arcem, cuſtodibus eventu infelicis pugnæ perterritis, per deditionem acceperunt: in deditos tamen ſævitum. Arx, quod opportuno loco ſita eſſet, valide munita, ex peninſula, admiſſo per anguſtas fauces mari, inſula facta: ac Danico nomine Burgus appellata. Reliquæ arces, quæ Elginæ & Foreſſæ erant, metu crudelitatis Danorum deſertæ. Dani, rebus tam proſpere cedentibus, in Moravia conſidere ſtatuunt. Naves domum, ut liberos & uxores advehant, dimittunt. Nullum interea ſervitutis aſperrimæ exemplum in captivos prætermiſſum. Milcolumbus, ut eorum conatibus obviam iret, majore & firmiore exercitu quam antea, eis, jam in Marriam progreſſis, ad Murthilacum occurrit, non ſine magno utriuſque partis timore, Scotis crudelitatem Danorum, Danis ignota loca, procul a mari, & inſidiis opportuna, magis quam hoſtem formidantibus. Scotis, in congreſſu, metum auxit trium virorum fortium, Kennethi inſularum, Grimi Ierniæ, & Dumbarii Lothianæ, Thanorum, continuata cædes. Igitur loco moti, in antiquum, quod a tergo erat, præſidium pulſi. Ibi vallo & foſſa & arborum concædibus circumdati, in anguſto loco æquata fronte hoſtibus reſtiterunt. Quoſdam eorum, velut parta victoria incautius invectos, circumvenerunt, cæſo inter hos uno e ducibus Eneco. Ea res, ut Danos ad pugnam ſegniores fecit, ita Scotis, pene profligatis, alacritatem addidit. Igitur, pene momento temporis mutata fortuna, Dani fugiunt, Scoti fugientibus inſtant. Olavus, imperatorum alter, nactus itineris duces, cum paucis in Moraviam ea nocte contendit. Id quanquam Milcolumbus non ignoraret, tamen promtiſſimo quoque in prælio cæſo, ac plurimis vulneratis, ab hoſte perſequendo deſtitit.

L. Eam cladem, ad ſe in Angliam delatam, magno animo tulit Sueno: ac partim e veteranis, partim e novis ſubſidiis domo advectis, duce Camo, ad veterem ſupplendum exercitum, miſit. Is primum Forthæ æſtuarium invectus, cum ab accolis, paſſim ad omnes ejus motus occurrentibus, deſcendere prohiberetur, ad Rubrum Anguſiæ promontorium vela fecit. Ibi militibus in terram expoſitis, ac locis aliquot fruſtra tentatis, ad prædandum ſe convertit. Cum ad Balbridum, hoc eſt, Brigidæ pagum, haberet caſtra, didicit de exploratoribus, Scotorum copias vix duo millia paſſuum abeſſe. Uterque pro tempore ſuos ad pugnam hortati ſunt: ac poſtridie quoque, eodem prope momento, in procinctu ſteterunt. Pugnatum eſt tertio die, tanta pertinacia, quantam & nova ſpes & vetus odium efficere poterat. Tandem, vincentibus Scotis, Camus reliquias exercitus in montes, qua iter in Moraviam eſſe intellexerat, ſubducere conatus, antequam duo millia paſſuum eſſet progreſſus, a ſequentibus circumventus, cum ſuis omnibus periit. Hujus victoriæ monumenta exſtant, obeliſcus, & vicus proximus adhuc memoriam nominis Cami retinens. Alia manus non procul a Brechino oppido interiit. Ibi quoque obeliſcus alter erectus eſt. Reliqui, pauci admodum numero, tenebris propinquæ noctis protecti, ad naves penetrare conati ſunt. Hi, cum ventis adverſis aliquot dies ſæviſſimo mari jactati fuiſſent, tandem ad Buchaniæ littus importuoſum appulſi, tamdiu ibi, adverſis tempeſtatibus detenti, ad anchoras ſteterunt, donec, pene omnium rerum inopes, coacti ſunt circiter quingentos e ſuis prædatum in propinquos agros mittere: quos Mernanus, loci Thanus, a mari excluſos, in tumulum ſatis arduum coëgit. Ibi cum diu, loci commoditate adjuti, ſe ſaxis defenderent, ac multos temere ſubeuntes affligerent, tandem Scoti alii alios cohortati, diverſis partibus, multitudine freti, in collem ſubierunt. Dani ad unum cæſi. Illic etiam, ut ad Balbridum, vento arenas excitante, oſſa plerumque nudantur majora quam pro ſtatura hominum hujus ætatis.

LI. Nec hac calamitate Sueno fractus, Canutum filium cum novo delectu in Scotiam mittit. Adverſus hunc, expoſitis militibus in Buchania prædas agentem, Milcolumbus, nondum ex ſuperioribus præliis ſuorum viribus refectis, cum exercitu venit: ac nondum aleæ fortunæ rem committere auſus, optimum ſtatuit, hoſtem populatione prohibere, ac levibus certaminibus fatigare, ſperans fore, ut brevi in alieno agro, cladibus belli vaſtato, ac jam pene deſerto, rerum omnium inopia laboraret. Id conſilium cum per aliquot dies fuiſſet ſecutus, evenit, ut, hoſte cognito, Scoti ſuis viribus minus diffiderent, atque uterque exercitus prope pari inopia premeretur. Igitur omnibus ſignum pugnæ ferociter flagitantibus, ac, ni daretur, præ ſe ferentibus, imperatorum injuſſu pugnaturos, Milcolumbus ſuos in aciem educit. Commiſſa pugna, ira & deſperatione ultima tam pertinaciter eſt certatum, ut neutra pars læta diſcederet. Et quanquam victoriæ nomen apud Scotos eſſet, tamen, magna nobilitatis parte cæſa, cæteri ita laboribus fatigati, & animis fracti, in caſtra redierunt, ut Danis liberam ſe recipiendi poteſtatem, nemine perſequente, permitterent. Poſtridie, cum utrique ſuos recenſerent, tantum cladis magnitudi-

tudinem compererunt, ut ſacerdotes, pacis interpretes, utrique libenter audirent. Ea in has leges facta eſt; „ Ut Dani, Moravia Buchaniaque relictis, „diſcederent: neuter populus, Milcolumbo & Suenone viventibus, alterum „bello laceſſeret; aut alterius hoſtibus adverſus alterum auxilium ferret: ager, „in quo pugnatum eſt, in ſepulturam mortuorum conſecraretur. Danis ſe recipientibus, Milcolumbus in prælio cæſos curavit ſepeliendos. Poſt hæc, indicto ad Sconam conventu, ut bene meritis de patria gratiam referret, omnes agros Regios eis diviſit. Nobilitas contra Regi conceſſit, ut, cum eorum aliquis moreretur, liberi ad viceſimum primum ætatis annum in tutela Regia eſſent: Rexque proventus omnes, præterquam quod in educationem liberorum impenderetur, acciperet. Præterea, ut puberum collocandorum poteſtas penes eum eſſet, ad eumque dos rediret. Hunc morem ab Anglis & Danis potius acceptum credo, quod in tota Anglia & parte Normaniæ adhuc perſeveret.

LII. Deinde Rex verſus ad detrimenta belli reparanda, multa loca ſacra ab hoſtibus everſa reſtituit, arceſque per omnia oppida, aut labefactatas inſtauravit, aut novas condidit. Tum regnum, a ſe magna virtute pacificatum, legibus & inſtitutis ornare aggreſſus, nova magiſtratuum nomina (credo, a vicinis accepta) magis ad vanam ambitionem, quam ad ullum uſum, inſtituit. Nam ſuperioribus ſeculis, præter Thanos, hoc eſt, præfectos regionum, ſive Nomarchas, & Quæſtorem rerum capitalium, nullum honoris nomen Equeſtri ordine altius fuerat, quod apud Danos obſervari adhuc audio. Nunc vero, nec ullus in novis honorum nominibus eſt modus; neque, præter inanem titulum, ullus nominum uſus. Ac Milcolumbus quidem bellis perfunctus aliquot annos magna cum gloria regnavit: ſed in ætatis decurſu vitæ ſuperioris ſplendorem avaritia fœdavit. Id ei vitium partim cum ſenio, ut ſolet, accrevit: partim enatum eſt ex inopia, quæ largitionum immodicarum ſemper eſt comes. Prædia temere nobilitati diviſa per ſcelus ad ſe retrahere conatus, multos opulentiorum ita multavit, ut alios ad mortem, alios ad extremam egeſtatem redegerit. Igitur præſente pœna, utcunque interdum juſta, ſuperioris beneficentiæ gratiam ſuperante, cum injuria ad paucos, metus tamen ad multos pertineret, ſpoliatorum ac cæſorum neceſſarii in ultionem ſuorum, ac ſuam ſecuritatem, omnes cogitationes intenderunt. Tandem apud Glammim in Anguſia, corruptis pecunia domeſticis miniſtris, nocte intromiſſi, Regem trucidarunt. Facinore perpetrato, miniſtri una cum parricidis cum in equos conſcendiſſent, quos ad eventum rei ſtratos habebant, viarum veſtigiis per campos nive adopertos confuſis, in lacum, qui eſt ad Forfaram oppidum, delati, cedente oneri glacie nondum firma, ad unum aquis abſorpti perierunt. Gelu deinde coëunte, ad tempus celata, ac tandem, glacie reſoluta, detecta corpora, paſſim per vias publicas, ad terrorem viventium, ac mortuorum ludibrium, contabuerunt. Hæc vulgatior eſt fama. Alii, ex inſidiis a propinquis Grimi & Conſtantini, ſuperiorum Regum, cruento prælio conſerto, interemtum; alii, a propinquis puellæ nobilis, cui vim intulerat, cæſum; omnes violenta morte

 peri-

periiſſe, tradunt. Milcolumbus ſupra annos triginta regnum ita tenuit, ut, niſi avaritia ſenilem animum corrupiſſet, inter optimos Principes haberi poſſet. Annus, quo mortuus eſt, prodigioſus fuit, hieme fluminum, vere maris inundationibus: item, paucis diebus poſt æſtivum ſolſtitium, vehementi gelu, & nivis caſu: quod prodigium magna, frugibus corruptis, fames eſt conſecuta.

LIBER SEPTIMUS.

I. QUAM pertinaci contentione Kennethus & Milcolumbus ejus filius elaborarint, ut Regum liberi per manus imperia parentum acciperent, ſuperiore libro eſt a nobis explicatum; quo vero ſucceſſu id fecerint, in ſequentibus apparebit. Certe quod publice regno, aut privatim Regibus promittebatur, ex lege nova, commodum non eſt conſecutum. Illa enim univerſis oſtentabatur utilitas ex hoc Regiæ ſucceſſionis ſtabilimento, ut ſeditiones, cædes, inſidiæ inter propinquos, ambitio inter proceres, malaque cætera, quæ ex iis naſci ſolent, præcaverentur. Contra vero, mihi cauſſas malorum publicorum perquirenti, & vetuſta cum recentioribus conferenti, hæc omnia, quæ lege nova fugiebamus, vitia, non vetuſtæ legis antiquatione videntur exſtincta, ſed cum nova potius magnum accepiſſe incrementum. Ut enim omittam propinquorum in eos, qui regno potiuntur, inſidias, & regnantium adverſus eos, quos & natura & lex voluit cuique eſſe cariſſimos, ſuſpiciones nefarias, quas narrationis ordo explicabit; tot priorum ſeculorum clades, cum illis collatæ calamitatibus, quæ Alexandri Tertii interitum ſunt conſecutæ, leves præ iis & tolerabiles videri poſſint. Omitto, quod iſta lex enervat vires conſilii publici, ſine quo nullus legitimus dominatus poteſt conſiſtere: quod ea mala ultro arceſſit, quæ alii, rerum publicarum participes, unice deprecantur: ut Reges videlicet conſtituamus, quibus alii rectores præficiendi ſint: & in eorum poteſtatem univerſum tradamus populum, qui ipſi ſui poteſtatem non habeant: & qui ægre Regibus, uſu rerum peritis, & prudentia præſtantibus, parent, poſcimus, ut qualibuſcunque Regum umbris pareant: & in eas ſcelerum pœnas ſponte nos præcipitamus, quas Deus ſui contemtoribus comminatur, nempe ut pueris & puellis ſubjiciamur, quos omnium gentium leges, & omnium legum parens natura, in aliena poteſtate eſſe voluerunt. Quod autem privatum ex hac lege petunt Reges emolumentum, ut generis & nominis perpetuitatem inde ſibi promittant, id quam ſit vanum & fallax, non modo veterum exempla, ſed ipſa etiam natura poterat admonere, ſi ſecum cogitaſſent, quot legibus, & præmiis etiam, familiarum ſuarum præclara illa nomina Romani perpetuare ſint conati, quarum ne unius quidem veſtigium in toto terrarum orbe, ab illis devicto, ad hunc uſque diem perſeveret. Ac merito quidem id illis evenire arbitror, qui adverſus naturam rerum certamen ſibi deſumunt, & rem maxime fluxam & fragilem, omnium-

omniumque caſuum momentis obnoxiam, æternitate, quam ipſi nec habent, nec habere poſſunt, donare contendunt: & ea ratione contendunt, quæ maxime inſtituto eorum contraria videtur. Quid enim eſt ad diuturnitatem minus fidum quam tyrannis? At ad eam hæc nova lex gradum ſtruit. Eſt autem tyrannus velut ſcopus ad univerſorum mortalium propoſitus odium: qui nec diu ſtare poteſt, &, ubi cecidit, omnium ſuorum una ſecum ruinam trahit. Hunc ſtultorum hominum conatum mihi numen videtur plerumque infringere levius: interdum, velut ſuæ potentiæ æmulum, publico ludibrio exponere. Ejus voluntatis divinæ neſcio an ullum aptius & apertius exemplum proponere poſſim, quam quod in præſentia tractamus. Milcolumbus enim, qui tantopere laboravit, ut legem, a patre ſuo prope per vim latam, de Regum liberis in parentum locum ſufficiendis, communibus totius populi ſuffragiis confirmaret, nullam de ſe ſtirpis virilis prolem reliquit. E duabus vero filiabus, alteram, Beatricem nomine, homini nobili Crino, inſularum Occidentalium Thano, & reliquorum Thanorum præfecto, quem ætas illa Abthanum vocabat; alteram Doacam Anguſiæ Thano collocavit, unde genitus fuit Macbethus, ſive Macbeda, de quo ſuo loco erit nobis dicendum.

LXXXIV. REX.

II. Cæſo igitur (uti dictum eſt) Milcolumbo, ſucceſſit [1] *DUNCANUS*, nepos ex filia Beatrice, vir ſumma humanitate, ac majore erga ſuos indulgentia, quam in Rege eſt opus. Erat enim natura lenior, ac jam inde ab adoleſcentia magnum popularitatis indicium dederat: nam temporibus difficillimis, cum ab avo præfectus Cumbriæ fuiſſet, quanquam, propter Danorum cohortes paſſim vagantes, [2] ad Regem [*Anglorum*] penetrare non poterat, ut in leges juraret, tamen cum fide partium Anglicarum cauſſam ſuſtinuit, donec cætera Anglia dedita, Canutus expeditionem in eum ſuſcepiſſet: ac tum demum in fidem Danorum ſe dedit, eiſdem conditionibus, quibus antea Anglo parebat. Erat & illud in eo populare, quod cum ſumma æquitate jus dicebat: ac ſingulis annis ad inopum querelas audiendas perluſtrabat provincias: neque quenquam, quod in ipſo erat, potentiorum vi opprimi ſinebat. Sed, ut hæ virtutes bonorum ſtudia ei conciliabant, ita auctoritatem apud ſeditionum cupidos minuebant, & ex ejus erga bonos clementia crevit malorum audacia.

III. Initium ſpernendi imperii natum in Abria, adverſus Banchonem, ejus regionis Thanum, hominem acrem, & æquitatis unicum cultorem: cujus in animadvertendo ſeveritatem cum non perferendam ducerent mali, conſpiratione adverſus eum facta, bonis direptis, vulneratum ac ſemivivum expulerunt. Ubi primum per vulnera jactationem corporis ferre potuit, ad Regem querelam detulit. Miſſus a Rege miniſter publicus, qui facinoris auctores in jus vocaret,

1 *Duncanus*] Ita omnino legendum (non *Donaldus*, quod libris omnibus irrepſit) tum alii ſcriptores, tum ea quæ ſequuntur, oſtendunt.

2 *Ad Regem Anglorum*] Hanc vocem [*Anglorum*] Crafordii admonitu ſupplevimus, ut aperta magis oratio eſſet.

caret, omni contumeliarum genere affectus, occiditur. Tantam eis ſecuritatem dabat boni Principis lenitas, quam illi ignaviam interpretabantur. Factionis, quæ eum motum conciverat, princeps Macdualdus, deſperata venia, ad bellum ſe apertum comparat. Inſulanos, ſemper ad omnes motus paratos, & promtiſſimum quemque ex Hibernia ſpe prædæ advocat. Docet, „ Sub Rege „ molli ac deſide, & qui aptior eſſet monachis, quam viris fortibus, regendis, „ nullum pœnæ metum, magnam emolumentorum ſpem eſſe. Neque ſibi du„ bium eſſe, quin Scoti, ſub Rege ſuperiore velut longæ pacis clauſtris cohibi„ ti, propoſito ſemel belli ſigno, ſe in priſtinam libertatem vindicarent. Acceſſit ad has hortationes ab initio ſucceſſus, qui ferociam eorum auxit. Milcolumbus quidam e prima nobilitate, cum copiis a Rege miſſus, ſtatim ab eis, exercitu fuſo, victus, captus, ac demum capite multatus fuit.

IV. Hac clade Rex perturbatus, convocato concilio, cum eis de remedio conſultat. Aliis parum ſententiam expedientibus, Macbethus, Regis conſobrinus, culpa rei male geſtæ in ignaviam ſuperioris temporis collata, pollicetur, „ Si ſibi cum Banchone, regionis perito, mandetur imperium, omnia brevi „ pacata redditurum. Erat enim Macbethus acri ingenio, animo prorſus excelſo, & magnarum rerum cupido: cui ſi moderatio acceſſiſſet, quamvis magno imperio dignus erat. In plectendis autem ſceleratis ea ſeveritate, quæ ſoluta legum vinculis in crudelitatem facile videretur eruptura. Decretum ei a Rege imperium adeo multos terruit, ut, abjecta ſpe, quam de Regis ignavia conceperant, alii alio latebras petentes aufugerent. Inſulani atque Hiberni, interclusâ fuga, in extremam deſperationem acti, fortiter pugnando ad unum prope interiere. Macdualdus, cum paucis in turrim propinquam incluſus, omni ſpe veniæ deſtitutus, ſe ſuoſque voluntaria morte ab hoſtium ludibrio exemit. Macbethus, ea pœna non contentus, abſciſſum caput Bertham ad Regem mittit: corpus truncum in loco conſpicuo ſuſpendit. Quos Inſulanorum cepit, carnifici ſtrangulandos dedit.

V. Domeſtica ſeditione pacata, terror Danicus majorem longe ſollicitudinem attulit. Sueno, Danorum Rex potentiſſimus, moriens tribus filiis tria reliquit regna, Angliam Haraldo, Norvegiam Suenoni, Daniam vero Canuto. Haraldo brevi poſt mortuo, ei ſucceſſit Canutus in regnum Angliæ. Sueno Rex Norvegiæ, fraternæ laudis æmulus, magna cum claſſe in Fifam trajecit. Ad rumorem ejus adventus, Macbethus ad delectum miſſus: Banchone, qui interim rei militari præeſſet, cum Rege relicto. Duncanus, velut ex ignaviæ ſomno excitatus eſſet, hoſti obviam ire coactus eſt. Prope Culroſſiam pugnatum eſt, tanta pertinacia, ut alteris ad ſequendum fugientes animus deeſſet, vix alteris ad fugam vires ſuppeterent. Scoti, qui iniquitate loci magis, quam virtute ſuperati ſibi videbantur, poſtquam Bertham venerunt, ibi, hoſtium conſilia opperientes, cum reliquiis victi exercitus conſederunt. Sueno, ſi paullum inſtaret, totam Scotiam brevi ſuæ ditionis fore ratus, Bertham cum omnibus copiis ad Duncanum obſidendum contendit, claſſe circummiſſa, ut per Taum amnem eodem appelleret. Duncanus, etſi adveniente ac jam propinquo cum novis ſubſidiis Macbetho, ſatis præſentibus rebus confideret, tamen ſubjicien-

jiciente Banchone, ut arte vires juvaret, dimittit nuncios, alium ad Macbethum, ut ſubſiſteret, alium ad Suenonem, qui de deditione ageret. Scotus petebat, „ Ut, urbe dedita, ſibi cum ſuis incolumibus abire liceret. „ Sueno ratus eam deditionem ab ultima deſperatione profectam, nihil, niſi omnibus ſibi permiſſis, audiebat.

VI. Miſſi alii nuncii cum liberis mandatis, qui in ſcribendis conditionibus tempus tererent. Hi, ut ampliorem beneficentiæ ſpeciem adjicerent, „ Regem, affirmant, dum leges pacis darentur, earum rerum, quarum non magnam copiam apud Norvegos intelligeret eſſe, affatim in caſtra miſſurum. Id vero munus non tam beneficentia Scotorum & penuria Norvegorum fecit gratum, quam quod exiſtimarent, fractis ferocibus animis, jam debellatum eſſe. Miſſa magna vis panis & vini, tum e vite, tum ex hordeo confecti, ac ſucco infecti herbæ cujuſdam veneficæ, cujus magna copia paſſim in Scotia naſcitur. Vulgo ſolanum ſomniferum vocant. Caulis ei major bipedali in ramos ſuperne diffunditur: folia latiuſcula, acuminata exteriore parte, ac languide virentia: acini prægrandes, ac nigri (cum maturuerunt) coloris, qui e caule ſub axilla foliorum exeunt; ſapor eis dulcis, & propemodum fatuus; ſemen habent perexiguum, velut fici grana: vis fructui, radici, ac maxime ſemini, ſomnifera, & quæ in amentiam, ſi largius ſumantur, agat. Hac herba cum omnia infecta eſſent, qui commeatus in caſtra vehebant, ne qua doli ſubeſſet ſuſpicio, prægustabant, Danoſque magnis poculis invitabant ad bibendum. Idem quoque Sueno ipſe, benevolentiæ ſignificandæ cauſſa, ut illis nationibus mos eſt, faciebat.

VII. Duncanus, qui futurum ſciret, ut vis potionis una cum ſomno viſceribus conciperetur, jam Macbethum cum ſuis per averſam ab hoſte portam ſummo ſilentio in urbem receperat: compertoque per exploratores, ſomno & vino graves jacere hoſtes, Banchonem, itinerum aditusque in caſtra gnarum, cæteris in inſidiis collocatis, cum parte majore exercitus mittit. Is ingreſſus caſtra, ſublato clamore magno, opinione ſua omnia negligentiora invenit. Pauci tumultu excitati, cum velut amentes, temere diſcurrerent, ab obviis cæduntur. Reliquis fere mors cum ſomno continuata eſt. Rex, per temulentiam velut mortuus, a paucis, qui minus vinolenti erant, correptus, cum non modo viribus, ſed etiam ſenſu careret, inſtar oneris in jumentum forte oblatum injectus, ad naves eſt delatus. Nihilo ibi, quam in caſtris melior ſtatus rerum fuit. Nautis enim prope omnibus in terra cæſis, vix qui unam navem regerent collecti: eorum opera Rex domum reportatus eſt. Reliquæ naves, vi tempeſtatis obortæ, inter ſe colliſæ ſubſiderunt: eumque, arena, atque aliis, quæ flumen temere fert, aggeſtis, cumulum navigantibus periculoſum fecerunt, quem vulgo Drumilaum vocant. Scotis, poſt hanc [1] victoriam ſine ſanguine paratam, in lætiz

1 *Victoriam ſine ſanguine paratam*] Ita MS. princeps editio Edinb. & Genev. reliquæ fere omnes [*partam*] legunt: at nihil mea ſententia erat mutandum. Ita enim Petron cap. 15.

Nolo quod cupio ſtatim tenere,
Nec victoria mi placet parata.

i.e. quæ venit ex facili, atque nullo labore aut diſcrimine conſtat, qualis hæc Scotorum de Danis fuerat Ovid. Epiſt. VIII. 82

lætitiam converſis, affertur, claſſem Danicam ad Kingornum ſtare, ſubſidio Suenoni a Canuto miſſam: vectores, in terram expoſitos, ferre, agere, nullo reſiſtente, Fifanorum bona. Adverſus eos Bancho cum copiis miſſus, primos adortus magna ſtrage concidit. Hi fere primores gentis erant: reliqui facile ad naves compulſi. Bancho magna pecunia cæſorum ſepulturam vendidiſſe dicitur, quorum ſepulchra ajunt adhuc in Æmona inſula oſtendi. Danos, toties male tentatis in Scotiam expeditionibus, jurejurando ſanxiſſe ferunt, „ Se nunquam hoſtiliter eo redituros.

VIII. Cum in Scotia, rebus domi foriſque proſpere ſuccedentibus, omnia pace florerent, Macbethus, qui, conſobrini ignavia ſemper ſpreta, regni ſpem occultam in animo alebat, creditur ſomnio quodam ad eam confirmatus. Quadam enim nocte, cum longiuſcule abeſſet a Rege, viſus eſt ſibi tres fœminas forma auguſtiore quam humana vidiſſe: quarum una Anguſiæ Thanum, altera Moraviæ, tertia Regem eum ſalutaſſet. Hoc ſomnio animus, cupiditate & ſpe æger, vehementer incitatus, omnes regnum adipiſcendi vias ſecum volvebat: cum non injuſta, ut ipſi videbatur, oblata eſt occaſio. Duncanus e filia Sibardi Reguli Northumbrorum duos filios genuerat, Milcolumbum Cammorum, (quaſi dicas Μεγαλοκέφαλον,) & Donaldum, cognomento Banum, id eſt, album. Ex iis Milcolumbum, vixdum puberem, Cumbriæ præfecit. Id factum ejus Macbethus moleſtius, quam credi poterat, tulit, eam videlicet moram ſibi ratus injectam, ut, priores jam magiſtratus (juxta viſum nocturnum) adeptus, aut omnino a regno excluderetur, aut eo tardius potiretur, cum præfectura Cumbriæ velut aditus ad ſupremum magiſtratum ſemper eſſet habitus. Animus etiam, per ſe ferox, prope quotidianis conviciis uxoris (quæ omnium conſiliorum ei erat conſcia) ſtimulabatur. Igitur, re cum intimis amicorum, in quibus erat Bancho, communicata, Regem opportunum inſidiis ad Ennerneſſam nactus, ſeptimum jam regnantem annum, obtruncat: ac, manu collecta, Sconam profectus, populari favore fretus, Regem ſe dicit. Liberi Duncani, tam repentino malo icti, cum ſimul & patrem cæſum, & auctorem cædis regnantem audirent, & inſidias paſſim a tyranno collocari, ut eorum cæde regnum confirmaret, latebras fugæ ſubinde mutando, ſaluti aliquamdiu conſuluerunt. Verum cum neque quicquam adverſus potentiam ejus ſatis tutum videretur, neque ab homine natura ſævo ſpes ulla clementiæ oſtenderetur, diverſi, Milcolumbus in Cumbriam, Donaldus ad propinquos patris in Æbudas, diffugiunt.

LXXXV. REX.

IX. MACBETHUS, ut regnum male partum ſtabiliret, potentiores magnis largitionibus ſibi conciliat, ſecurus de Regiis liberis ob ætatem, de vicinis Regibus ob mutuas ſimultates. Potentioribus delinitis, populi favorem æquitate parare, ſeveritate retinere, decrevit. Igitur cum latrones punire ſtatuiſſet, qui Duncani lenitate animos ſuſtulerant, nec id poſſe fieri ſine magno rerum motu videret, conſilium iniit, ut per idoneos homines diſcordiarum ſemina

Ecce Neoptolemo præda parata fui.

Et ita apud Livium lib. 5. cap. 6. legendum putat Burmannus ad Petron. loc. cit. *Inſueſcere militem noſtrum non ſolum parata victoria frui, ſed, ſi res etiam lentior ſit, pati tædium, & quamvis ſeræ ſpei exitum exſpectare:* nunc *parta* circumfertur.

na inter eos ſpargerentur, & ex diſcordia provocationes, & paucorum pari numero certamina, in disjunctiſſimis Scotiæ locis, omnia eodem die fierent. Quem ad diem cum conveniſſent frequentes, per homines fidos, ad id commode diſpoſitos, omnes comprehenſi. Eorum pœna cæteris metus eſt injectus. Præter Thanos Cathaneſiæ, Roſſiæ, Sutherlandiæ, & Narniæ, nonnullos etiam e potentioribus, quorum inteſtinis diſcordiis plebs attrita erat, ſuſtulit. Ad Æbudas profectus, jus ſeveriſſime dixit. Inde reverſus, cum Macgillum, ſive Macgildum, Gallovidiæ longe potentiſſimum, ſemel atque iterum in jus vocaſſet; iſque magis Milcolumbicæ factionis invidiam, quam objecta crimina pertimeſcens, adeſſe renueret, miſſis eo copiis, prælio victum capitali ſupplicio affecit. Per hæc ſumma tranquillitate reſtituta, ad leges ſcribendas (rem a ſuperioribus Regibus prope neglectam) animum adjecit: tulitque longe plurimas, atque utiliſſimas, quæ nunc, magno publico malo, aut penitus ignotæ ſunt, aut neglectæ jacent. Prorſuſque per decennium ita regnum adminiſtravit, ut, ſi vis in eo parando abfuiſſet, nemini ſuperiorum Regum fuiſſet habitus inferior.

X. Verum cum ita præſidiis & favore multitudinis ſe communiſſet, ut a vi ſibi metuendum non arbitraretur, Regiæ (ut credibile eſt) cædis ſtimulis animum elatum in præceps impellentibus, imperium, perfidia partum, in crudeliſſimam tyrannidem vertit. Primum ſuæ immanitatis impetum in Banchonem, Regiæ cædis ſocium, conjecit. De hoc vulgabatur ſors, per maleficos edita, „Fore, ut ejus poſteritas aliquando regno potiretur.„ Igitur veritus, ne homo potens & induſtrius, & Regio jam ſanguine imbutus, exemplum ab ipſo propoſitum imitaretur, eum, cum filio ad cœnam familiariter vocatum, curat redeuntem per inſidias interimendum, veluti per tumultum repente ortum. Fleanchus filius per tenebras ignotus evaſit inſidias. Ab amicis autem admonitus, patrem a Rege dolo cæſum, ſuam quoque vitam peti, occultus in Valliam profugit. Hac cæde tam crudeliter & perfidioſe patrata, proceres ſibi metuentes domum quiſque ſuam ſeceſſerunt: ac raro & rari in aulam ventitabant. Igitur partim patefacta, partim vehementer omnibus ſuſpecta crudelitate Regia, ex mutuo timore inter eum & proceres mutuum odium natum. Atque inde, cum celari amplius non poſſet, res in apertam tyrannidem evaſit: ac palam, levibus de cauſſis, & plerumque confictis, potentiores occidebantur. Eorum bonis facinoroſorum circa Regem manus nomine cuſtodiæ alebatur.

XI. Nec per hos tamen Rex vitam ſuam ſatis munitam ratus, in colle Dunſinano, unde late in omnes partes eſt proſpectus, arcem ædificare aggreſſus: cum opus, ob difficultatem vecturæ tardius procederet, Thanis omnibus per univerſum regnum laborem per vices partitus, operas & jumenta imperavit: ipſoſque, velut operi præfectos, adeſſe juſſit. Erat tum Macduffus Fifæ Thanus longe potentiſſimus. Is, vitam ſuam Regi committere non auſus, operas frequentes, & ex intimis amicorum, qui opus urgerent, eo miſit. Rex, ſive operis (quod ſimulabatur) inviſendi ſtudio, ſive (quod Macduffus metuebat) ut eum comprehenderet, cum adveniſſet, & forte jugumboum, oneri impar, per adverſum clivum ſubire non poſſet, [Rex,] occaſione ſuccenſendi libenter

 arrepta,

arrepta, minatus eſt, „ Se contumaciam Thani, jampridem ſibi perſpectam, „ domiturum, ac jugum ipſius collo impoſiturum. Macduffus, re ad ſe perlata, nihil cunctatus, commendata uxori familia, ac navicula (pro temporis anguſtia) ornata, in Lothianam tranſvectus, inde in Angliam abiit. Fugæ conſilio audito, Rex ſtatim valida manu, ſi forte eum opprimere poſſet, in Fifam contendit. In arcem ſtatim intromiſſus, non invento Thano, in uxorem & liberos, qui aderant, omnem iram effudit. Bona in fiſcum redacta: ipſe perduellis denunciatus, gravi indicta pœna, ſi quis vel congredi cum eo auſit. In cæteros quoque genere claros, aut opibus potentes, ſine diſcrimine ſævitum. Ac jam ex eo contemtis proceribus, Rex domeſticis conſiliis regnum adminiſtrabat.

XII. Interea Macduffus, in Angliam delatus, Milcolumbum Regio cultu habitum apud Eduardum Regem invenit. Eduardus enim, fractis in Anglia Danorum opibus, in regnum ab exilio revocatus, multis de cauſſis favore proſequebatur Milcolumbum, ab avo materno Sibardo ad ſe adductum: vel quod pater avuſque, cum præeſſent Cumbriæ, quatenus per tempora licuit, ſemper majoribus ſuis ſtuduiſſent: vel quod eventorum ſimilitudo, & memoria periculorum eos conciliaret, quippe Regem utrumque, & injuſto exilio a tyrannis multatos: vel quod Regum afflictæ res facile hominum etiam alieniſſimorum animos commovent. Thanus igitur, ubi primum per otium Milcolumbum convenire potuit, cum longo ſermone ſuæ fugæ infelicem neceſſitatem, Macbethi in omnes ordines crudelitatem, & omnium contra eum odia, expoſuiſſet, accurata oratione ad regnum paternum repetendum filium eſt hortatus; „ Præſertim cum neque ſine ſummo ſcelere patris necem impiam inultam „ relinquere, nec populi a Deo ipſi commiſſi miſerias negligere, neque ami„ corum juſta petentium precibus deeſſe poſſet. Præterea, non ei defuturum „ neque Eduardi, Regis optimi, erga amicum & ſupplicem officium, neque „ populi ſtudium adverſus tyrannum, neque numinis favorem pro bonis con„ tra ſceleſtum, niſi ipſe ſibi deeſſe velit. Milcolumbus, qui ſæpe antea per homines a Macbetho ſummiſſos, ut eum per dolum ad ſe illiceret, ſollicitatus fuerat de reditu, priuſquam rem tantam fortunæ committeret, Macduffi fidem tentare ſtatuit. „ Ego vero, inquit, nihil horum, quæ a te ſunt expoſita, „ ignoro: ſed vereor, ne tu me, quem ad regnum ſuſcipiendum invitas, pe„ nitus ignores. Eadem enim vitia, quæ jam multos Reges peſſumdederunt, „ libido & avaritia, in me quoque adſunt: ſed, quæ nunc privata fortuna oc„ culit, ea regni licentia ſolvet. Proinde vide, ne me non in regnum, ſed in „ exitium voces. „ Cum Macduffus ad hæc ſubjeciſſet; „ Multorum libidi„ nem liberali conjugio ſolvi, & avaritiam, penuriæ metu amoto, temperari: „ adjecit Milcolumbus, „ Se malle nunc apud amicum ingenue fateri, quam „ ſero, cum maximo utriuſque malo, in vitio deprehendi. Nihil ſibi veri, „ nihil ſinceri in animo eſſe: nemini prorſus fidere, & conſilia ad omnes ſuſpi„ cionum auras mutare, & ex ſui ingenii inconſtantia judicium de aliis facere. „ Ad hæc Macduffus, „ Apage, inquit, Regii ſanguinis ac nominis dehone„ ſtamentum, & prodigium non ad regnum arceſſendum, ſed in extremas or„ bis ſolitudines deportandum: „ & cum dicto iratus diſcedere parabat. Tum

Milco-

Milcolumbus, hominis manu apprehenſa, cauſſam ſimulationis oſtendit; „Se „toties Macbethi inſidiis petitum, ut non temere cuivis audeat credere. At „in Macduffi nec genere, nec moribus, nec fama, nec fortuna, quicquam ſe „ſcire, unde fraudem extimeſcat. Igitur, data acceptaque fide, de tyranni exitio conſultant: amicis per ſecretos nuncios præmonitis, ab Eduardo Rege decem millia militum accipiunt: duce omnibus præfecto Sibardo, Milcolumbi avo materno.

XIII. Ad famam ejus exercitus magni in Scotia motus facti: magni quotidie ad novum Regem concurſus. Macbethus, prope deſertus ab omnibus, cum in tam repentina defectione nihil melius occurreret, in arcem Dunſinanam ſe incluſit, miſſis in Æbudas & Hiberniam amicis, ut pecunia illinc militem conducerent. Milcolumbus, conſilio ejus audito, recta ad eum ducit, populo, quacunque ibat, bene precante, ac fauſtis acclamationibus eum proſequente. Hoc velut omine victoriæ læti milites, frondes virentes galeis omnes appoſuerunt, triumphantiumque magis, quam ad pugnam progredientium, ſpecie agmen incedebat. Ea perterritus hoſtium fiducia Macbethus confeſtim in fugam ſe dedit: milites ejus, a duce deſerti, Milcolumbo ſe dediderunt. [[1] *Macduffus tyrannum fugientem aſſecutus, caput occiſi ad ſuos retulit.*] Multa hic fabuloſe quidam noſtrorum affingunt: ſed, quia theatris aut Mileſiis fabulis ſunt aptiora, quam hiſtoriæ, ea omitto. Macbethus ſeptemdecim annis rei Scoticæ præfuit. Decem primis optimi Regis officio eſt functus: ſeptem ſupremis crudelitatem ſæviſſimorum tyrannorum facile æquavit.

LXXXVI. REX.

XIV. MILCOLUMBUS, recuperato paterno regno, Sconæ, viceſimo quinto die Aprilis, [2] anno a Chriſto nato, M. LVII. Rex fuit declaratus. Sta- M. LVII.
tim, regno ſuſcepto, conventum Forfaram indixit. Primum omnium, liberis eorum, qui a Macbetho erant occiſi, bona paterna reſtituit. A nonnullis primus creditur nova & peregrina nomina, quibus honorum gradus diſtinguuntur, a vicinis accepta, nec minus barbara quam erant priora, introduxiſſe, [3] Duces, Marchiones, Comites, Barones, Ridaros, ſive Equites. In primis Fifæ Thanus Macduffus Comes eſt appellatus: multique præterea, pro ſuis erga rem Scoticam meritis, novis titulis honorati. Sunt qui tradant, tum primum cœptum, ut nobiliores ab agris cognomina ſumerent: quod equidem falſum puto, cum

1 *Macduffus tyrannum fugientem aſſecutus, caput occiſi ad ſuos retulit*] Hanc ſententiam in libris editis deſideratam, cum ſcriptores alii confirment, e MS. reſtituere non dubitavimus; præſertim cum alioqui nulla de Macbethi morte a Buchanano facta ſit mentio.

2 *Anno a Chriſto nato* 1057] Ita Fordonus, Joan. Major, *&c.* Boëthius 1061, cum quo conſentit Leſlæus. Chronica de Mailros & And. Vintonus 1056.

3 *Duces, Marchiones*] Nulli apud nos *Duces* tum nec diu poſtea ſunt introducti, ipſo enim Buchanano referente primi inter Scotos Duces creati ſunt David Rotheſaiæ, & Robertus Albiniæ, hic Roberti II. frater, ille filius, anno 1398. Vid. Lib. x. 4. *Marchiones* vero non niſi Buchanani ipſius ævo, atque a Jacobo VI. primum creati ſunt.

cum ea conſuetudo ne nunc quidem apud priſcos Scotos ſit recepta : totaque tum Scotia priſco ſermone & inſtitutis uteretur. Loco vero cognominis (more Græcorum) patris nomen proprio ſubjiciebant: aut ex eventu aliquo, notave corporis aut animi, vocabulum affingebant : eundemque tum fuiſſe morem Gallis, indicant illa Regia cognomenta Craſſi, Calvi, Balbi : item multarum nobilium in Anglia familiarum cognomina, eorum maxime, qui circa eadem hæc tempora, Gulielmum Normanum ſecuti, in Anglia ſedes poſuerunt. Apud reliquos etiam Gallos ſero mos cognomina ab agris ducendi receptus videtur, ut ex Froſſardi, ſcriptoris minime contemnendi, hiſtoria intelligi poteſt. Macduffo, in præmium navatæ operæ, tria petenti privilegia ſunt conceſſa: „Ut poſteri ejus Regem coronandum in cathedra collocarent. Ut in Regio „exercitu primæ aciei præeſſent. Ut, ob cædem impræmeditatam hominis generoſi, viginti quatuor, ob plebeji, duodecim marcas argenti ſolverent. Quæ poſtrema lex uſque ad ætatem patrum noſtrorum, quamdiu ſcilicet ex ea familia ſuperfuit quiſquam, duravit.

XV. Hæc dum Forfaræ geruntur, qui ſupererant ex factione Macbethi, filium ejus Luthlacum (cui ex ingenio cognomen inditum erat Fatuo) Sconam ductum Regem appellant. Hunc Milcolumbus in valle Bogiana aſſecutus, tertio quam Regis nomen ſuſceperat menſe occidit. Generi tamen Regio tributum, ut mortuus una cum patris corpore in Regium ſepulchrum in Iona inferretur. Ex eo, in ſumma pace quatuor annis exactis, affertur validam latronum manum Cocburni Saltum inſidere, ac Lothianam & Marciam cum magno agricolarum damno infeſtare. Eos Patricius Dumbarius, non ſine labore, domuit, quadraginta e ſuis amiſſis. E latronibus ſexcenti in congreſſu perierunt : quadraginta capti, laqueo ſtrangulati. Ob id facinus Patricius Marciæ Comes dictus. Regno ita confirmato, ut nulla vis aperta ei nocere poſſet, Rex occultis inſidiis eſt petitus. Tota conjuratione ad eum delata, principem ejus, nihil ea de re ſuſpicantem, ad ſe vocat : ac longiore ſermone familiariter inſtituto, ſolus in vallem ſecretam, aliis ſubſiſtere juſſis, hominem ſeducit. Ibi, exprobratis ei ſuperioribus beneficiis, & commemoratis inſidiis in ſuum caput ſtructis ; „Quin tu nunc, ait, armatus armatum, ſi tantum tibi animi eſt, „aggredere, & quod per dolum petis, virtute præmium tibi para. Ille perculſus re ſubita humi dejecit ſe ſupplex : ac veniam a Rege non minus clemente, quam forti, obtinuit. Hujus facinoris meminit [1] Matthæus Paris.

XVI. Interea Edgarus, cui ſecundum Eduardum regnum Angliæ debebatur, in Scotiam ventis adverſis actus cum tota familia applicuit. De hoc viro, ut quæ ſequuntur facilius intelligi poſſint, pauca ſupra repetam. Edmondo, Rege Anglorum, ſcelere ſuorum occiſo, Canutus Danus, qui in parte inſulæ regnabat, totam ſtatim occupat. Filios Edmondi, Eduardum & Edmondum, ad ſe adductos, initio liberaliter habuit. Deinde, prava ambitione impulſus, eorum cæde regnum confirmare ſuis poſteris cupiens, eos clam tollendos ad Val-

1 *Matthæus Paris*] Buchananus alibi ſemper eum *Pariſienſem*, at *Paridem* ipſe ſe aliique fere omnes, appellant.

1 *Aga-*

Valgarum Succiæ præfectum miſit. Is, audita puerorum nobilitate, inſpecta ætate & innocentia, fortunæ etiam miſertus, mentitus Canuto de cæde, in Hungariam ad Solomonem Regem eos miſit. Ibi, cum Regio cultu educarentur, tanta indoles in Eduardo eluxit, ut ex omni juventute eum potiſſimum eligeret, cui [1]Agatham filiam in matrimonium daret. Ex eo geniti Edgarus, Margarita, & Chriſtiana. Interea, Canuto mortuo, ſucceſſit Hardicanutus. Eo cæſo, revocatus eſt e Normania, ubi tum exulabat [2]Eduardus [*Edmondi Regis frater*,] cum fratre Aluredo: miſſo, qui eos reduceret, Goduino, homine præpotente, Anglici quidem generis, ſed qui Canuti filiam haberet conjugem. Is, cupidus regni in ſuam familiam transferendi, Aluredum veneno ſuſtulit. Eduardus, magis numinis providentia quam humano conſilio ſervatus, regnum in Anglia ſanctiſſime geſſit. Liberis autem cum careret, nihil prius habuit, quam ut propinquos ſuos ex Hungaria ad id munus ſuſcipiendum revocaret: atque [3]Edgaro reduci ſtatim cedere voluit. Sed ille, cum Regis pietate modeſtia certans, eo vivo ſe regnaturum negavit.

XVII. Tandem Eduardo Rege defuncto, Haraldus, Goduini filius, regnum fraude quidem invaſit: Agatham tamen Hungaram cum liberis humaniſſime tractabat. Sed, eo quoque a Gulielmo Normano jam profligato, Edgarus cum matre & ſororibus crudelitatem ejus vitans, cum in Hungariam redire ſtatuiſſet, vi tempeſtatis in Scotiam appulit. Ibi, a Milcolumbo receptus hoſpitaliter, accepta in uxorem Magarita ſorore, affinis etiam factus. Gulielmus, tum in Anglia rerum potitus, leviſſimis de cauſſis in omnes Anglici ac Danici generis nobiles ſæviebat. Certior autem factus, quæ in Scotia gererentur, ac veritus, ne nova aliqua tempeſtas illinc oriretur, fœcialem mittit, qui Edgarum depoſceret, ac, ni dederetur, bellum indiceret. Milcolumbus crudele & nefarium ratus, ſupplicem, hoſpitem, affinem, hominem denique cui ne inimici quidem ullum crimen objicere poſſent, ad ſupplicium dedere hoſti immaniſſi-

1 *Agatham filiam*] Hanc Agatham non Solomonis Hungari, ſed Henrici III. Imperatoris filiam fuiſſe omnes fere ſcriptores conſentiunt. [Salomonem etiam improlem obiiſſe ſcribit *Mich. Ritius* de regibus Hung. lib. II. error forte inde venit, quia Salomon etiam filiam Henrici III. habuit, quo Matrimonio *Ritius* narrat pacem inter Henricum & Andream, Salomonis patrem, conciliatam: hanc filiam Henrici *Sophiam* vocat *Joh. de Thwrocz* in Chron. Hung. part. II. Cap. 43. & *Bonfin* Decad. II. lib. I. *Morrerius* in Lexico *Juditham* vocat, neſcio quo auctore. nullam vero *Agatham* inter filias Henrici recenſet. *Ingulphus* ad A. 1057. & *Chron. de Mailros* Eduardum ex Hungaria vocatum veniſſe in Angliam, & ſtatim obiiſſe ſine liberis, nulla ejus uxore mentione facta, narrant qui eſt certe Edmondi filius. ita ut forte confuſi fuerint duo Eduardi. Eduardus vero Confeſſor Rex duxit Editham Goduini Cantii comitis filiam, ut teſtantur annales: non ſatis me ex his expedio, nec Agatham illam reperio.]

2 *Eduardus Edmondi Regis frater*] Has voces perſpicuitatis gratia interſerendas duximus, ne hi duo Eduardi inter ſe confundantur. Hic enim Eduardus, vulgo *Confeſſor* dictus, Edmondi *Latus ferreum* cognominati frater, ille vero, *Exlegis* cognomine diſtinctus, ejuſdem Edmondi filius fuit.

3 *Edgaro reduci ſtatim cedere voluit*] Non tam Edgaro, quam ipſius patri Eduardo, qui a patruo revocatus in Angliam rediit anno 1057, ac paullo poſt fatis conceſſit.

1 *Sibar-*

niſſimo, quidvis potius pati decrevit. Itaque non Edgarum modo retinuit, ſed & amicos ejus, maximo numero domo profugos, recepit, prædiiſque donavit: quorum poſteri in multas atque opulentas familias propagati ſunt.

XVIII. Bello inter Scotos & Anglos ob has cauſſas orto, [1] Sibardus Northumbriæ Regulus, Edgaro favens, copias cum Scotis conjunxit. Normanus, rebus proſpere ſuccedentibus tumidus, tanquam levi momento bello Scotico defuncturus, [2] Rogerum quendam, ſuæ nationis hominem, domi nobilem, cum copiis in Northumbriam miſit. Eo victo & profligato, ac demum a ſuis cæſo, Richardus, Gloceſtriæ Comes, majore cum exercitu miſſus, a Patricio Dumbario levibus præliis fatigatus, & latius prædari prohibitus, cum nihil promoveret, multo majores copias eo duxit Odo, Gulielmi frater, ex Epiſcopo Bajocenſi Cantii Comes factus. Quem cum late Northumbriam populatus fuiſſet, [3] ac, cæſis nonnullis, qui populatione eum prohibere nitebantur, redeuntem cum ingenti præda Milcolumbus & Sibardus adorti, ſpoliis exuerunt, multis de ejus exercitu interemtis & captis. Neque Robertus, Gulielmi filius, ſuppleto exercitu, eo miſſus, ullum operæ pretium fecit, niſi quod ad Tinam amnem poſitis caſtris bellum propulit magis quam intulit: atque interea Novum Caſtrum, vetuſtate pene collapſum, reſtituit. Gulielmus, longo magis quam utili aut neceſſario bello fatigatus, tandem, lenita paullum ferocia, animum ad ſtudium pacis adjecit. Pax his legibus facta, „Ut in Stammoria, quaſi dicas, ericeto „lapidoſo, (id enim ex re nomen eſt loco) limes regnorum deſcriberetur. (In limite crux lapidea ſtatuta, quæ Regum ſtatuas & inſignia utrinque haberet. Ea, quamdiu ſtetit, Regia crux fuit appellata.) „Cumbriam Milcolumbus teneret, quo jure majores ejus eam tenuiſſent. Edgarus, a Gulielmo in gratiam receptus, ac prædiis amplis donatus, ut ab omni rerum novandarum ſuſpicione abeſſet, quamdiu vixit nunquam ab aula diſceſſit. Voldioſus, Sibardi filius, receptis bonis paternis, in affinitatem etiam Regiam aſcitus, [4] accepta uxore nepte Regis ex filia.

XIX.

1 *Sibardus Northumbriæ Regulus*] Nullus tum erat eo nomine Northumbriæ Regulus, Sibardus enim Milcolumbi avus ſuo fato functus erat anno 1054, teſtantibus Chronicis de Mailros, Tyrello, Echardo, *&c.*

2 *Rogerum quendam*] Hæc & quæ ſequuntur Tyrellus vol. 2, pag. 27. non incerta modo ſed plerumque falſa eſſe contendit, hoc præcipue argumento nixus, quod nihil horum ab Hiſtoricis Anglis commemoratum reperiat. Sed pari ratiocinationis genere ex Scotorum ſilentio Anglicis pariter ſcriptoribus fidem derogari oporteret. Quæ autem ſubjicit Tyrellus, majoris quidem momenti eſſe videntur. Nullum enim tum fuiſſe ait Gloceſtriæ Comitem, primumque eo titulo honeſtatum non Richardum, ſed Robertum Henrici I. nothum. Verum non Scotorum propria, ſed cum Anglis aliiſque communicata eſt culpa, ut in hominum locorumque nominibus interdum fallantur; neque propterea tamen omnem rei geſtæ expoſitionem protinus in dubium vocare oportet.

3 *Ac cæſis nonnullis*] Crafordius [*ac*] delendum cenſet.

4 *Accepta uxore nepte Regis ex filia*] Juditha Voldioſi (ſeu Valthevi potius) uxor, non Gulielmi neptis, ſed ſororis filia fuit. Buchanano impoſuit ambiguus vocis *neptis* apud ejus ætatis ſcriptores uſus, quibus non pro filii filiæve (quod fieri debe-

bat)

XIX. Pacem externam inteſtini tumultus ſunt conſecuti. Gallovidiani & Æbudenſes vicina omnia, non ſine cæde, populabantur. Et Moravi, cum Roſſianis & Cathaneſiis aliiſque propinquis facta conjuratione, adjunctis etiam Inſulanorum proximis, majore mole bellum ciebant. Adverſus Gallovidianos Valterus, Banchonis ex Fleancho filio nepos, jamdudum a Rege in gratiam receptus, in reliquos rebelles Macduffus eſt miſſus, dum Rex cogeret copias majores. Valterus, cæſo tumultus duce, ita cæteram multitudinem compreſſit, ut Rex eum reverſum, ob rem bene geſtam, Stuartum totius Scotiæ fecerit, quaſi dicas OEconomum. Hic magiſtratus cenſus omnes Regios colligit: juriſdictionem etiam, qualem conventuum præfecti, habet, ac prorſus idem eſt cum eo quem priores Thanum appellabant. Atque nunc, ſermone Anglico patrium ſuperante, regionum Thani pleriſque in locis Stuarti vocantur: &, qui illis erat Abthanus, nunc Stuartus Scotiæ nominatur. Paucis in locis vetus Thani nomen adhuc manet. Ab hoc Valtero cepit initium Stuartorum familia, quæ jam diu apud Scotos rerum potitur.

XX. Macduffus, in regione diverſa, cum ad Marriæ fines veniſſet, Marrianis pecuniam, ne fines eorum ingrederetur, pollicentibus, multitudinem hoſtium veritus, rem ſimulatione tranſactionis conditionibus ferendis ſuſpendit, donec Rex ipſe majoribus cum copiis advenit. Cum ad Monimuſcum vicum conjunctis caſtris fuiſſet ventum, Rex, audita multitudine hoſtium, ſollicitus, Andreæ Apoſtolo, quem velut Deum tutelarem Scoti colebant, vicum, [1] in quo tendebat, ſe donaturum vovit, ſi victor ex ea expeditione reverteretur. Paucis inde caſtris ventum ad Spæam, omnium Scotiæ fluminum rapidiſſimum. Hoſtium ibi tantum numerum, quantum ex illis regionibus cogi poſſe nunquam credidiſſet, in ulteriore ripa ad tranſitum prohibendum ſtare conſpicatus, ſignifero cunctante flumen ingredi, ſignum ei ablatum Alexandro Carroni, Equiti notæ fortitudinis, dedit: poſteriſque ejus is honos habitus, ut Regium in bello vexillum ferrent. Ei, pro Carrone, poſtea cognomen Scrimigero poſitum: quod magiſtrum tractandorum armorum, multum ſibi ex eo ſtudio arrogantem, ipſe, vera virtute fretus, artiſque ejus penitus imperitus, viciſſet. Regem, jam flumen ingredientem, infulati ſacerdotes ſunt morati: qui, eo permittente, ad hoſtem profecti, bellum citra ſanguinem finierunt. Nobiliores, vita tantum impetrata, ſe dediderunt. Eorum qui maxime inquieti, & ſeditionum auctores fuiſſe comperti ſunt, bonis multati, perpetuæ cuſtodiæ mancipantur.

XXI.

bat) ſed pro fratris ſororiſve filia fere uſurpatur. pari modo quo *nepos* pro fratris ſororiſve filio ſunt abuſi.

1 *In quo tendebat*] Quidam hic [*caſtra*] addendum volunt; quaſi vero optimis auctoribus verbum *tendo* abſolute non accipiatur, pro *tentoria figere* vel *habere*. Virg. Æn. 2.

Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles.

Ovid. Epiſt. 1.

Illic Æacides, illic tendebat Ulyſſes.

Cæſ. Bell. Civ. lib. 3. cap. 82. *Ut qui ſub vallo tenderent mercatores, recipiendi ſui non haberent facultatem.* Curtius lib. 5. cap. 7. *Quod ubi exercitus, qui haud procul urbe tendebat, conſpexit.* Virg. 8. 605. *Et latis tendebant in arvis.*

XXI. Pace domi foriſque magnis laboribus parta, ad mores publicos emendandos converſus, ipſe & ſanctiſſime vivebat, & alios exemplo ad modeſtiam & æquitatem provocabat. Creditum eſt, eum in hac re multum conſiliis & adhortationibus Reginæ, lectiſſimæ & ſingulari pietate fœminæ, adjutum. Illa quidem in pauperes & ſacerdotes nullum humanitatis officium omittebat: nec mater Agatha, & ſoror Chriſtiana, in ullo pietatis officio Reginæ cedebat. Nam quoniam tum monachatus inter præcipua pietatis inſtituta habebatur, utraque, relictis rerum humanarum moleſtiis, in virginum monaſteria ſeſe incluſerunt. Rex ad quatuor priores Epiſcopatus, Fani Andreæ, Glaſcuæ, Candidæ Caſæ, & Murthilaci, (qui Epiſcoporum inertia veterem diſciplinam aut ſolverant aut abjecerant,) adjecit Moravienſem & Cathaneſium, conquiſitis hominibus, prout illa ferebant tempora, doctis & piis. Luxum etiam, jam tum, non ſolum per frequentiam Anglorum, aliarumque gentium exterarum commercia, ſed, multis exulibus Anglici generis receptis, & per univerſum regnum diffuſis, ingraveſcentem, coërcere (prope fruſtra) conatus eſt. Maximus ei labor fuit, dum ad veteris parſimoniæ modum revocare ſtudet proceres: qui, admiſſo ſemel voluptatum delinimento, non modo in pejus facile promovebant, ſed in præceps rapi ſe patiebantur, fœdiſſimumque etiam vitium elegantiæ & munditiarum falſo nomine diſſimulare conabantur. Milcolumbus, cum non modo religioni, ſed etiam rei militari ſummam inde perniciem impendere conſpiceret, primum diligenter ſuam familiam expurgavit: deinde leges ſumtuarias ſeveriſſimas, gravi adjecta pœna adverſus violatores, tulit. His autem remediis cum [1] rem ſiſteret magis quam curaret, nunquam tamen deſtitit, quoad vixit, omni conatu urgere. Uxoris etiam precibus dediſſe fertur, ut primam novæ nuptæ noctem, quæ proceribus per gradus quoſdam lege [2] Regis *Eveni* debebatur, ſponſus dimidiata argenti marca redimere poſſet: quam penſionem adhuc Marchetas mulierum vocant.

XXII. Dum Milcolumbus moribus emendandis intentus eſt, Gulielmus Rex Anglorum moritur. Succedit ei filius Gulielmus Rufus. Inter duos Reges tam diſcordi ingenio pax diuturna eſſe non poterat. Rex enim Scotorum tum maxime alterum Dunelmi templum in Anglia, alterum ad Dunum Fermelini in Scotia magnis ſumtibus ædificabat; remque Eccleſiaſticam labantem confirmabat: Turgotumque, præfectum monachorum Dunelmenſium ad Epiſcopatum Fani Andreæ transfert: cum interea Rufus, ſilvas ad ferarum venationes includens, ut laxius ſpatium complecteretur, monaſteria vicoſque diruebat: Anſelmum Normanum, Cantuariæ tum Archiepiſcopum, liberius admonentem, inſula exegit. Cauſſam belli adverſus Scotos ſerens, Annevici arcem, cæſo præſidio, fraude intercepit. Milcolumbus, rebus fruſtra repetitis, magno exercitu arcem obſedit. Cuſtodes arcis, pene ad omnium rerum penuriam redacti, de deditione collocuti, petunt, „Ut Rex adeſſet ad claves recipiendas. Eas dum ad cuſpidem lanceæ ſuſpenſas Rex incautus accipit, miles, ferro in ocu-

1 *Rem ſiſteret*] MS. *malum ſiſteret*.
2 *Regis Eveni*] Vid. ſupra lib. IV. 21. In omnibus libris perperam *Eugenii* hic ſcribitur.

1 *Ad*

oculum adacto, eum interimit. Filius quoque ejus Eduardus, dum ſalutis ſuæ negligentior, vindictæ cupiditate in hoſtem incautius irruit, ex vulnere brevi moritur. Scoti, gemina clade ex duorum Regum morte turbati, ſoluta obſidione domos abeunt: & Margarita, mœrore confecta, non diu viro & filio fuit ſuperſtes. Copora Regum e Tinmutho, (quod ad oſtium Tinæ cœnobium eſt,) ubi primum fuerant ſepulta, Fermelinodunum relata ſunt. Regnum tenuit Milcolumbus annos triginta ſex, nullo prorſus vitio notabilis, multis & magnis virtutibus [1] ad poſteros inſignis. Genuit ex Margarita ſex filios: e quibus Eduardus in obſidione Annevici e vulnere mortem obiit, Edmondus & Etheldredus exules in Angliam a Donaldo patruo pulſi interierunt. Tres reliqui, Edgarus, Alexander & David, regnum deinceps tenuerunt. Duarum filiarum major Mathildis, cognomento Bona, Henrico Regi Anglorum, minor Maria Euſtathio, Bononiæ maritimæ Regulo, nupſit. Inter prodigia hoc tempore numeratur maris Germanici tam inſolita inundatio, ut non agros modo demerſerit, & arenis obruerit, ſed vicos, oppida & arces everterit. Tonitrua etiam, ſolito frequentiora, ac magis horrenda: pluresque, quam unquam in Britannia memoriæ proditum fuerit, fulminibus exanimati.

L X X X V I I. R E X.

XXIII. Milcolumbo rebus humanis ſublato, DONALDUS BANUS (hoc eſt, albus) ejus frater, qui Macbethi metu in Æbudas perfugerat, Magno, Regi Norvegorum, omnes inſulas pollicitus, ſi ejus auxilio regno Scotorum potiretur, nullo fere negotio Rex eſt declaratus, maxime ab iis, qui ſuperiorem Regem corruptæ majorum diſciplinæ falſo inſimulabant, Angloſque, domo pulſos, in Scotorum agris collocatos dolebant. Edgarus, in tam ſubita mutatione rerum, ſororis liberis (per ætatem adhuc infirmis) metuens, eos in Angliam ad ſe tranſportandos curavit: ſed ea viri optimi pietas calumnia non caruit. Nam ab Orgaro Anglo, gratiam apud Gulielmum Rufum Regem aucupante, accuſatus eſt, quod occulte jactaret, „ Se ſuoſque propinquos legitimos regni hæredes. „ Id crimen cum delator nullis teſtibus confirmaret, certaminis aleæ judicium committitur. Tandem delator ab alio Anglo, qui, pro Edgaro, jam ſeniore, nec ſatis firma valetudine, ſe ad certamen obtulerat, victus eſt. Donaldum, qui, externis auxiliis cum ſua factione conjunctis, regnum invaſerat, cum boni omnes, apud quos ſacroſancta erat Milcolumbi & Margaritæ memoria, odiſſent; ipſe id odium ſua temeritate vehementer auxit, multa inter ſuos capiti nobilium minatus, qui ſacramentum dicere abnuebant. Igitur Duncanum, Milcolumbi nothum, qui apud Rufum diu honeſto loco militaverat, adverſus Donaldum arceſſunt. Ad ejus adventum multis deficientibus, Donaldus, rebus ſuis diffidens, poſt ſextum, quam regnum invaſerat, menſem, in Æbudas profugit.

L X X X V I I I. R E X.

XXIV. [2] Nec DUNCANUS diu regnum tenuit: homo enim militaris, &

1 *Ad poſteros*] Pro *apud poſteros*. Vid. ſupra ad Lib v. 17.

2 *Nec Duncanus*] Exſtat in Archivis Eccleſiæ Dunelmenſis charta authentica, qua hic

& artium pacis non admodum gnarus, cum imperioſius, quam civilis ratio exigebat, omnia tractaret, brevi in maximum majoris partis odium incurrit: Id cum Donaldus exul, ad omnes ejus motus intentus, reſciſſet, corrupto Macpendiro, Merniæ Comite, Duncanum in Taichia nocte curat obtruncandum, poſt annum & ſex menſes quam regnare cœperat. Ipſe, bonis eum (inopia melioris) magis tolerantibus quam probantibus, plus minus triennio turbulentiſſimum regnum geſſit, hinc Inſulanis, hinc Anglis regnum infeſtantibus. Acceſſit & illa major invidia, ex inſulis Occidentalibus per Magnum, Norvegorum Regem, occupatis: quas etſi ille velut per vim ingreſſus eſſet, tamen omnes intelligebant fraudem ſubeſſe, non ſe commovente ad tantam contumeliam Donaldo. Ac tandem multo vehementius accenſa eſt publica indignatio, ſecreta ejus pactione in vulgus prolata.

LXXXIX. REX.

XXV. Igitur occultis nunciis actum cum EDGARO, Milcolumbi filio, ut ad regnum capeſſendum ſe ducem præberet: „Non defutura, ubi primum ad limitem veniret, auxilia. „Nec vana fuerunt promiſſa. Edgarus enim, per Edgarum avunculum modicis auxiliis a Rufo impetratis, vix Scotiam eſt ingreſſus, cum Donaldus, a ſuis deſtitutus, fugit: atque e fuga retractus, ad Edgarum adducitur: & in vincula conjectus, non multo poſt mortuus eſt. Edgarus, in regnum ſummo omnium Ordinum conſenſu reductus, primum omnium pacem cum Gulielmo Anglo fecit: atque, eo ſine liberis defuncto, eandem cum Henrico ejus fratre confirmavit. Ei Mathildem ſororem (cui ex moribus, uti dictum eſt, cognomen Bonæ datum fuit) uxorem dedit. Ex eo matrimonio geniti ſunt Gulielmus, Richardus, Euphemia, & Mathildis. Regnavit Edgarus in ſumma pace annos novem & ſex menſes, bonis omnibus carus & verendus, malis adeo formidabilis, ut, toto ejus regni tempore, nulli motus inteſtini, nullus ab hoſte externo metus fuerit. Unum operum civilium ejus monumentum fuit Coldingamiæ cœnobium, Divæ Ebbæ virgini dicatum, ſeptimo regni anno; poſterius in Cuthberti nomen tranſlatum.

XC. REX.

XXVI. Edgaro ſine liberis defuncto ſucceſſit frater ALEXANDER, cognomento ACER. Hunc, inito ſtatim regno, juventus quietis impatiens, rata pacatum (hoc eſt, ut ipſa interpretabatur, ignavum) futurum exemplo fratris, ut majore cum licentia latrocinaretur, eum occulta fraude tollere decrevit. Ille, patefacta conjuratione, in ultimam uſque Roſſiam fugere molientes eos eſt ſecutus. [1] Cum ad Spæam amnem conſtitiſſent, ac, freti rapiditate flumi-

hic Duncanus S. Cuthberto ejuſque ſervitoribus terras aliquas donat, quaque, etſi nothus eſſet, ſe *hæreditarie Scotorum Regem conſtare* affirmat.

1 *Cum ad Spæam amnem conſtitiſſent*] In MS. & forte melius, ſic legitur; *Cum ad Spæam amnem conſtitiſſent, ac, freti rapiditate fluminis, tranſitu Regem prohibere conarentur, etſi maris æſtu allabante impermeabilis videretur amnis, ipſe tamen primus calcaribus equo ſubditis, cæteris ne Regem in tanto periculo desererent ſequentibus, ad*

ſluminis, tranſitu Regem prohibere conarentur, Rex a ſuis retentus, quod, æſtu maris allabente, impermeabilis videretur amnis, ipſe primus calcaribus equo ſubditis, cæteris, ne Regem in tanto periculo deſererent, ſequentibus, ad hoſtem ire pergit. Verum (ut dixi) a ſuis retentus, Alexandro Carroni, Alexandri, cujus ſupra meminimus, filio, partem exercitus dedit, qui ſubito cum ſuis amnem ingreſſus, audaciæ miraculo adeo conterruit hoſtes, ut paſſim in fugam ſtatim ſe conjicerent. Multi inter fugiendum cæſi: principes eorum, vel tum capti, vel poſtea ad Regem adducti, laqueo ſtrangulati. Hæc expeditio ex illo ad finem uſque vitæ pacem ei præſtitit. Redeunti per Merniam occurrit mulier paupercula, graviter querens, maritum ſuum a Comitis Merniæ filio, quem in jus ob æs alienum vocaſſet, loris cæſum. Rex indignabundus, ex equo deſiliens, non prius conſcendit, quam ſupplicio facinoris auctor fuiſſet affectus. Ita demum ad Ennergoream, vel, ut alii ſcribunt, ad Baledgar, hoc eſt, Edgari villam, eſt reverſus Ex his rebus ab eo geſtis ſunt, qui Acris nomen ei inditum putant. Alii magis tragicam cognominis cauſſam afferunt: latrones ſcilicet a miniſtro cubiculari corrupto, Rege dormiente, intromiſſos, Alexandrum vero forte experrectum, primum miniſtrum a quo proditus erat, deinde ſex e latronibus interemiſſe. Ad hæc tumultu in aula concitato, cæteros fugiſſe, Alexandrum fugientibus inſtitiſſe, donec major eorum pars conciſa fuiſſet. Poſt hæc ad pacis opera converſus, fanum Michaëlis ad Sconam a fundamentis exſtruxit. Collegium, quod ibi erat, ſacerdotum, in cœnobium monachorum mutavit. In Æmonam inſulam tempeſtate delatus, ibi prope ad extremum periculum ex fame venit: cum nullum per aliquot dies nec ipſe, neque comites, victum habuiſſent, niſi quem apud ſolitariæ vitæ cultorem (eremitas vulgo appellant) invenerunt. Ibi quoque fanum in memoriam Divi Columbæ exſtruxit; adjectis Canonicis (ut vocant,) & agris, qui eos alerent. Fanum quoque Andreæ, ſatis antea dives, non modo donariis, ſed etiam agris auxit. Ædem ad Fermelini Dunum a patre cœptam perfecit, & proventibus locupletavit. His fere pace belloque geſtis, cum ſeptemdecim annos rei Scoticæ præfuiſſet, deceſſit, [1] nullis e Sibylla, Gulielmi Normani filia, relictis liberis.

XCI.

ad hoſtem ire pergit. Verum a ſuis retentus Alexandro Carroni, &c.

1 *Nullis e Sibylla Guliemi Normani filia relictis liberis*] Hanc Gul. Gemiticenſis lib. 8. cap. 29. aliique eum ſequuti ſcriptores Angli, Bakerus, Tyrellus, *&c. Eliſabetham* vocant, atque non Gulielmi, ſed Henrici I. filiam notham fuiſſe ajunt. De nomine quidem falluntur, at Henrici Angli filiam ipſa ſe teſtatur Charta fundationis Cœnobii Sconenſis apud D. Jac. Dalrymplium Hiſt. Coll. p. 371. in qua ſe *Sibyllam Reginam Scotorum*, *filiam Henrici Regis Angliæ*, diſertis verbis appellat. Notham autem fuiſſe vel illud indicio eſt, quod nullam fœminam juſto connubio Henrico I. Anglo copulatam legamus præter unicam Mathildem hujus Alexandri ſororem, e quo matrimonio ſi Sibylla ſuſcepta fuiſſet, eam Alexander ſine inceſtus infamia uxorem accipere nequiverat. Ne quis autem aliquam inde Scotorum Regibus contumeliam inuſtam exiſtimet, advertendum eſt, eo & ſequentibus aliquot ſeculis non tam probroſum fuiſſe atque nunc eſt nothi nomen, cum paucis ante annis Duncanus Scotis Gulielmus Anglis, uterque illicito concubitu genitus, impe-

XCI. REX.

M. C. XXIV. XXVII. DAVID ei frater ſucceſſit, anno a Chriſto nato M. CXXIV Is, cum fratres ejus, alter poſt alterum, in Scotia rerum potirentur, in Anglia apud Mathildem ſororem hæſit. Ibi uxorem accepit Mathildem, propinquam ſuam, forma, divitiis ac nobilitate florentem. [1] Erat enim ei pater Voldioſus, Northumbriæ Comes, mater Juditha, Gulielmi Normani neptis. Ex ea filium ſuſcepit Henricum, in quo ſtatim a pueritia & paterna & materna indoles eluxit. Ex hoc matrimonio magnis proventibus auctus, nempe Comitatibus Northumbriæ & Hundintoniæ, ſive Venantoduni, cum magna civium gratulatione ad regnum accipiendum in Scotiam venit. Nam, etſi parentum memoria ad popularis gratiæ conciliationem magnum momentum haberet, propria tamen virtute effecit, ut aliena commendatione ad laudem nihil egeret. Erat enim cuivis Regum in cæteris virtutibus par: audiendi vero cauſſas tenuiorum facilitate longe ſuperior. Potentiorum querelas ipſe audiebat. Si quis judicum falſum judicaſſet, res judicatas non reſcindebat, ſed judicem litis æſtimationem cogebat victo pendere. Luxuriam, latius proſerpentem, patris exemplo coërcuit. Artifices & inventores earum illecebrarum; quæ gulam irritant, regno ejecit. Parentum ac propinquorum beneficentiam, venia potius quam laude dignam, in augendis proventibus Eccleſiaſticis longe ſuperavit. Monaſteria, vel collapſa vetuſtate, vel bellorum injuriis diruta, inſtauravit. Præterea nova a fundamentis multa exſtruxit. Ad ſex Epiſcopatus priores quatuor adjecit, Roſſienſem, Brechinenſem, Caledonienſem, & Dumblanenſem. Hos ut proventibus annuis ditaret, poſteros Reges pene ad inopiam redegit, maxima Regiorum agrorum parte ad monachorum alimenta conſecrata.

XXVIII. Joannes Major, qui in ſtudio Theologiæ magnum nomen me puero habuit, cum reliqua hujus Regis acta magnis laudibus proſequatur, hanc profuſam ejus in monaſteria largitionem gravi (atque utinam minus vera) oratione inceſſit. Hanc ego quoque immodicam publicæ pecuniæ, atque adeo patrimonii, profuſionem eo magis demiror, quod, eiſdem illis temporibus, D. Bernardus acerbiſſimis concionibus ſacerdotes & monachos ob luxuriæ ſumtus immoderatos vexat: qui tamen, ad noſtram ætatem collati, modici videri poſſent. Fructus autem, qui ſecuti ſunt, harum donationum quale fuerit conſilium oſtendunt. Nam, ut in corporibus ſagina diſtentis uſus omnium membrorum perit: ita ingeniorum igniculi, luxuria oppreſſi, in cœnobiis ex eo elanguerunt, literarum ſtudia ſunt exſtincta, pietas in ſuperſtitionem degeneravit, &, velut

litarent. Huc adde, quod quo tempore Sibyllam Alexander uxorem ducebat, longe illi erat in ſolium Scoticum conſcendendi ſpes; neque ulli ex eo matrimonio liberi creati, qui eam, quæcunque ea eſt, in poſteros Scotorum Reges labem derivarent.

1 *Erat enim ei pater Voldioſus Northumbriæ Comes, mater Juditha Gulielmi Normani neptis*] Hæc Juditha, uti ſupra diximus, non Gulielmi neptis, ſed Mathildis (ipſius ex eadem matre ſororis) & Lamberti Lenſii filia, adeoque David Sibardi Comitis Northumbriæ pronepos, ejuſque uxor neptis fuit. Vid Dugdalii Baron. Angl. vol. 1. pag. 55

1 Ei

velut in agro inculto, vitiorum omnium ſemina ſuppullularunt.

XXIX. Unum, toto regni tempore, civilem tumultum verius quam bellum ſenſit: ſed is brevi, Ænea Moraviæ Comite cum ſuorum magna multitudine cæſo, conquievit. Milcolumbus Macbethus, cum novam ſeditionem accendere tentaret, in arcem Rosburgi cuſtodiendus datur. Cæteris rebus ex ſententia ſuccedentibus, duplex ſupervenit moleſtia, aut verius calamitas. Altera ex uxoris, altera ex filii morte immatura. Uxore quidem Mathilde, ſummo genere, forma, moribus, orbatus, quam & vivam unice amavit, & in ætatis flore mortuam ita deſideravit, ut plus viginti annis, non modo cælebs, ſed expers etiam Veneris ſuperfuerit, nunquam tamen vis doloris [1] ei impedimento fuit, quo minus & pace & bello publicis muneribus fungeretur. De filio ſuo loco dicemus.

XXX. Cum David ſe totum ſtudiis pacis dedidiſſet, res in Anglia turbatæ invitum ad bellum pertraxerunt. Henrici enim Angli tota ſobole, præter Mathildem filiam, in trajectu a Galliis ſubmerſa, Anglus eum caſum adeo graviter tulit, ut nunquam deinde riſiſſe tradatur. Mathildis, quæ ſola tantæ cladi ſuperſtes fuerat, Henrico Quarto Imperatori nupſerat. Ea, marito ſine liberis mortuo, ad patrem in Angliam rediit. Hanc ille (metuens & viduæ & orbæ, ſi quid ipſi humanitus accidiſſet) ut in regno confirmaret, Nobilitatem ſacramento in verba ejus adegit: & in ſpem nepotum, Galfrido Plantageneto, Andegavorum Comiti, eam collocavit. Intra quinquennium poſt id matrimonium, Robertus Dux Normaniæ atque Henricus Rex deceſſerunt: & Galfridus Andegavus gravi morbo correptus, lecto affixus jacebat.

XXXI. Stephanus interea, Bononiæ maritimæ Comes, per hanc Regiæ ſtirpis ſolitudinem animum adjecit ad regnum Angliæ occupandum: neque rem fore difficilem arbitrabatur, cum ob adverſæ partis infirmitatem, tum quod a Regio genere non eſſet alienus. Erat enim ex filia Gulielmi Normani, quæ Comiti Blœſenſi nupſerat, genitus. In matrimonio autem habebat Mathildem, ſuperioris Bononiæ Comitis filiam, Mathildis autem Imperatricis conſobrinam, ac e Davidis Regis Scotorum ſorore Maria natam. Tot igitur propinquitatibus, & abſentia Reginæ Anglorum, & Galfridi valetudine fretus, facile ſe Anglia potiturum ſperabat. Ut autem ad eam ſpem aditus facilior eſſet, nihil reveritus fidem jurisjurandi, quod Reginæ una cum reliquis propinquis dederat, Epiſcopos Anglos, ejuſdem ſacramenti ſocios, ad eandem impietatem magnis pollicitationibus pellexit: in primis autem Gulielmum [2] Eboracenſem Archiepiſcopum, qui princeps in verba Mathildis juraverat, & Rogerium Sarisburienſem Epiſcopum, qui non modo ipſe jurarat, ſed cæteris etiam proceribus verba præierat. Hac fiducia, Henrico avunculo nondum ſepulto, regnum in-

1 *Ei impedimento fuit*] Ita MS. & rectius, alii omnes *fuerit impedimento.*

2 *Eboracenſem Archiepiſcopum*] Non Eboracenſem, ſed Cantuarienſem Archiepiſcopum ſcriptores Angli conſtanter appellant. Eboracenſis autem Archiepiſcopus tum fuerat Turſtanus a Buchan. Cap. 33. huj. Lib. memoratus, qui juxta Chron. de Mailros, A. C. 1113, *i. e.* ante 20 annos conſecratus ei Diœceſi præfuerat.

1 *Ad*

ingreſſus, primum biennium ſatis tranquillum egit: eoque inſolentior factus, & pacta cum Anglis negligere, & cum vicinis arrogantius agere, cœpit.

XXXII. Poſtquam Anglos omnes, partim metu, partim pactionibus, in verba adegiſſet, legatos ad Davidem Scotorum Regem miſit, qui eum, ut idem faceret, ob Cumbriam, Northumbriam & Hundintoniam, admonerent. David reſpondit; „Se non ita pridem, una cum ipſo Stephano, ac omnibus Angliæ proceribus, Mathildi, legitimæ Reginæ, ſacramentum dixiſſe. Alterum autem, ea viva, nec velle, nec debere Regem agnoſcere. Hoc reſponſo ad Stephanum relato, initium belli ſtatim factum eſt: Anglis in proximos Scotorum agros ferro & flamma ſævientibus, Scotiſque damna illata pari clade rependentibus. Proximo anno, ductu Comitum Marciæ, Taichiæ & Æneiæ, Scotorum exercitus, Angliam ingreſſus,[1] ad Allertonem vicum obvias habuit Anglorum copias, quibus præerat Glóceſtriæ Comes. Pugnatum eſt acerrime. Par utrinque fuit cædes, dum acies ſteterunt. Fuſis Anglis, multi in fuga perierunt: capti e Nobilitate plurimi: in iis Comes ipſe Gloceſtriæ. Hac plaga Stephanus ictus, ne captivorum propinqui abalienarentur, nullas pacis conditiones recuſabat. Hæ leges fuerunt; „Ut Anglus captivos ſine „pecunia reciperet: ac jus omne, quod in Cumbriam, tanquam ſupremum „dominum, habere ſe contendebat, remitteret. Sed Stephanus nihilo ſanctius illic fidem coluit, quam in regno propinquæ invadendo prius fecerat. Nam, vix dimiſſo utrinque exercitu, & captivis receptis, aliquot Northumbriæ arces clam intercepit: prædis e Scotorum agris abigendis bellum renovavit. Scoti, collecto e proximis regionibus exercitu, cum Anglos, illo ipſo victos a ſe anno, contemnerent, temere prælio commiſſo ad Teſam amnem, magna clade contemtum hoſtis luerunt. Coacti præterea Northumbria decedere.

XXXIII. Ad hanc ignominiam delendam, David, quam potuit maximo exercitu contracto, venit Rosburgum. Eo Turſtanus, Eboracenſium Archiepiſcopus, vel (ut ſcribit Gulielmus Neobrigenſis) Truſtinus, ab Anglo ad pacificandum miſſus. Spe concordiæ injecta, induciæ in tres menſes datæ, ea lege, „Ut ſtatim Northumbria Scotis redderetur. „Hoc quoque promiſſum, quod ſolvendi exercitus cauſſa factum a Stephano erat, cum vanum fuiſſet, Davidque magnas prædas ex ea Northumbriæ parte, quæ Anglo parebat, abegiſſet; Stephanus, coactis maximis copiis, Rosburgum uſque penetravit. Verum, cum reſciſſet Nobilitatem ſibi adverſari, & queri, „Se bello injuſto & non neceſſario illigari, „nulla re geſta, retro in intimum regnum ſe recepit: ac proximo anno, ſibi metuens a ſeditione inteſtina, Mathildem uxorem ad Davidem ejus avunculum miſit, quæ de pace ageret. Ea interprete factum, ut

1 *Ad Allertonem*] Mirum eſt Scotos Angloſque in hoc bello deſcribendo tantopere diſſentire: quem enim Scoti *Allertonem*, Angli *Clithertonem* appellant; Angli vero Scotos prælio (quod Standardi vocant) haud procul ab Allertone fuſos tradunt. Videſis Abercrombium hac de re accurate diſſertantem, vol. 1 pag. 386. & ſeqq.

1 *Fasi*

ut David e Novo Caſtro, ubi ſe fermecontinebat, Stephanus e Dunelmo, in Ceſtriam, vicum in medio intinere poſitum, & ex æquo ab utroque oppido diſtantem, mitterent, qui de controverſiis diſputarent. Miſſi a Davide [1] Fani Andreæ & Glaſcuæ, ab Stephano Cantuariæ & Eboraci Archiepiſcopi. Eo facilius inter eos convenit, quod Stephanus foris bellum, & domi ſeditionem metuebat: & Scoti graviter ferebant, ſe belli alieni omnem tempeſtatem excipere; Mathilde interim, cujus cauſſa agebatur, ceſſante. Igitur pax in eas leges convenit; „Ut Cumbria veteri jure Davidi, Northumbria uſque ad Teſam amnem „(ut ſcribit Gulielmus Neobrigenſis Anglus) & Hundintonia Henrico Davidis „filio, maternæ videlicet hæreditatis nomine, cederet: iſque Stephani eo ſe no„mine beneficiarium fateretur. Rebus ita compoſitis, David in Cumbriam, Stephanus in Cantium ſe recepit.

XXXIV. Hæc pax incidit in annum a Chriſto nato M. C. XXXIX. [2] quo anno Mathildis, in Angliam reverſa, filium ſuum Henricum, qui poſtea regnavit inter Anglos, miſit Carleolum ad Davidem magnum ejus avunculum, ut ab eo potiſſimum (quippe ſine controverſia omnium ætatis ſuæ præſtantiſſimo) in militarem ordinem adſciſceretur: quæ res illis temporibus cum maxima cærimonia fieri ſolebat. Tanta autem tum rerum perturbatio ex domeſticis diſcordiis erat, ut nihil ab inteſtino bello liberum eſſet in Anglia, præter eam partem, quam David Rex Scotorum tenebat. Sed, ne ille ſolus a publica calamitate eſſet immunis, [3] intra triennium filius ejus unicus, tantarum opum & felicitatis ſperatus hæres, in ætatis flore deceſſit, liberis maribus ternis, ac totidem alterius ſexus relictis: tantumque ſui deſiderium apud Scotos & Anglos reliquit, ut, præter publicam jacturam, unuſquiſque maximo privato incommodo affectus eſſe videretur. Tanta enim ſinceritas & moderatio animi in ea ætate erat, quæ fere in licentiam effervеſcere ſolet, ut raros & ſingulares fructus ex ea indole (ſi maturuiſſet) omnes exſpectarent. Acerbiorem eum luctum patri fecit tenera nepotum ætas, & ingenium Stephani inquietum & imperii avidum: &, Stephano etiam ſublato, Henrici filii Mathildis, qui in regno ſucceſſurus erat, elatus animus, & in ætatis fervore ferocia. M. C. XXXIX.

XXXV. Obverſantibus igitur animo ægro tot moleſtarum rerum cogitationibus, cum omnes eum dolori ſuccubiturum putarent, tantum ſuperfuit ei adver-

1 *Fani Andreæ & Glaſcuæ*] Addendum forte *Epiſcopi*, quamvis enim illi primum inter Epiſcopos Scotos locum tenerent, neuter tamen ad Archiepiſcopi dignationem adhuc erat evectus.

2 *Quo anno*] Mira oſcitantia Buchananus totos decem annos intactos tranſilit. In Angliam quidem reverſa eſt Mathildis anno 1139: at ipſius filius anno demum 1149, quo & a Davide Scoto in militarem ordinem circa feſtum Pentecoſtes eſt adſcitus. Vid. Chron. Mail. Tyrel. Echard. *&c.*

3 *Intra triennium*] Fucum facit lectoribus hæc computatio, tanquam Henricus Davidis filius mortem obierit anno 1142, *h.e.* intra triennium ab anno proxime memorato 1139; quod cuivis hæc inter ſe comparanti proclive eſt exiſtimare: cum tamen nihil minus verum ſit, teſtibus enim Boëthio, Majore, & Chron. Mail. decem poſt annos, *i.e.* A. C. 1152 Henricus deceſſit.

verſus ægritudines fortitudinis, ut nobilium amicorum primos, ne gravius (ut par videbatur) eum caſum ferret, ſollicitos, ad cœnam vocaret, atque ita alloqueretur, ut propior conſolanti, quam dolenti videri poſſet: „Neque enim „ſibi, neque filio quicquam accidiſſe novi. Nam ſe ex doctorum & ſanctorum „virorum ſermonibus didiciſſe, mundum Dei providentia regi, cui obſiſtere „velle, non modo ſtultum, ſed etiam impium eſſet. Nec ignorare ſe, ea lege „ſuum filium genitum fuiſſe, ut [1] aliquando decederet; & æs alienum, quod „naſcendo acceperat, moriendo redderet. Id cum ſemper haberet in prom„ptu, nihil nec ipſius, nec aliorum intereſſe, quo tempore a creditore ap„pellaretur. Quod ſi mali tantum morerentur, jure quidem in propinquo„rum obitu dolendum eſſe. Verum, cum bonos etiam decedere videamus; „& homini Chriſtiano eſſe debeat tam perſuaſum, quam quod eſt certiſſimum, „bonis (neque vivis, neque mortuis) quicquam mali evenire poſſe; quid eſt, „cur hanc disjunctionem a propinquis, præſertim tam brevem, adeo moleſte „feramus? cum non tam nos reliquerint, quam ad communem patriam præ„ceſſerint: quo nos eos, etiamſi longiſſimum vitæ ſpatium tranſigamus, ta„men brevi ſequemur. Filius autem meus ſi hanc peregrinationem prior ſuſce„pit, ut parentes & fratres meos, homines ſanctiſſimos, prior videret, eo„rumque conſuetudine prior frueretur; id ſi moleſte feremus, providendum erit, „ne potius illius invidere felicitati, quam mala noſtra lugere, videamur. Vo„bis autem, viri optimi, cum ob alia plurima officia, tum ob hanc erga me „caritatem, & illius piam & jucundam memoriam, uterque (ut pro filio etiam „ſpondeam) plurimum debere profitemur.

XXXVI. Hæc magnitudo animi in Rege, ut multum ad priſtinam venerationem adjecit, ita in omnium pectoribus filii deſiderium auxit, cum recordarentur, quali Principe ipſi liberique ſui orbati eſſent. David autem, ut, qua poterat una, conſolatione frueretur, nepotes ex filio ad ſe adducendos curat, atque aulica diſciplina (quæ tum erat ſanctiſſima) educandos: &, quantum humanis conſiliis proſpici poterat, ſecuritati providit. Milcolumbum, qui e tribus erat natu maximus, toti Nobilitati, peculiariter vero Macduffo Fifæ Comiti, viro potenti, & in primis prudenti, commendavit: & per eum curavit per univerſum regnum circumducendum, & pro indubitato regni ſucceſſore accipiendum. Gulielmum, natu proximum, Northumbriæ Comitem declarat: eumque jam tum in poſſeſſionem mittit. Tertium Davidem, Hundintoniæ in Anglia, & Gariochæ in Scotia, Comitem appellat. Hæc eo magis feſtinabat, quod gravi morbo jam implicitus, vitæ ſuæ finem brevi affore proſpiciebat. Deceſſit autem anno a Chriſto nato M. C. LIII. nono Cal. Junii, tanta omnium erga eum caritate, ut non Rege, ſed parente optimo, cuncti viderentur orbati. Nam cum tota vita talis fuiſſet, qualem nullum in literarum monumentis fuiſſe legimus, paucis ante mortem annis totum ſe ita ad emigrationem animi comparaverat, ut venerationem ſuperioris temporis vehementer apud omnes auxerit. Ut enim ſuperiores Reges, omni laudis genere præſtantes, belli

1 *Aliquando decederet*] MS. *aliquando moreretur.*

li artibus æquaverat, ſtudiis pacis anteierat: jam, velut omiſſa cum aliis de omnibus virtutis partibus contentione, ſecum ſibi certamen propoſuit: in eoque tantum profecit, ut ſummo ingenio homines doctiſſimi, qui boni Regis imaginem exprimere contenderunt, talem non potuerint animo cogitare, qualem ſe David toto vitæ curſu præſtitit. [1] Regnavit annos viginti novem, menſes duos, dies tres.

XCII. REX.

XXXVII. Davidi ſucceſſor fuit nepos ex filio MILCOLUMBUS: qui, quanquam adhuc impubes eſſet, magnam tamen de ſe ſpem omnibus præbuit. Ita enim a parente & avo fuerat educatus, ut non magis corporis lineamentis, quam animi virtutibus eos reddere videretur. Initio ſtatim regni, ſæviſſima fames, cum magna hominum pecudumque ſtrage, per totam Scotiam graſſata eſt. Erat per id tempus Argatheliæ Thanus Sumerledus, cui & fortuna ſupra genus, & ſupra fortunam animus erat. Is, & Regis ætate, & calamitate præſenti, in ſpem regni erectus, magna manu ſuorum collecta, vicinas regiones invaſit: & populatione late, latius etiam metu ſui ſparſo, facinoroſis ſponte accurrentibus, ac bonorum nonnullis vi ſe adjungere coactis, brevi magnum confecit exercitum. Ad hujus tumultus famam, Donaldus, Milcolumbi Macbethi filius, excitus, cum res novas tentaret, prope Candidam Caſam in Gallovidia captus, & ad Regem miſſus, atque in eandem cum patre cuſtodiam fuit incluſus: ſed brevi poſt, placato Rege, uterque dimiſſus. Adverſus Sumerledum Gilchriſtius Anguſiæ Comes cum exercitu miſſus, cæſis rebellibus, ipſum profligatum cum paucis in Hiberniam fugere coëgit.

XXXVIII. Hæc victoria, præter omnium ſpem tam cito parta, domi tranquillitatem, foris invidiam peperit. Henricus enim Rex Angliæ, homo ambitioſus, & proferendarum finium cupidus, creſcentem Milcolumbi auctoritatem & potentiam imminuere ſtatuerat. Sed quo minus aperte bellum faceret, obſtabat ei pactionis verecundia. Nam, cum Carleoli a Rege Davide, Milcolumbi avo, militari balteo, ut mos eſt, cingeretur, promiſerat, & (ut, præter ſcriptores noſtros, Gulielmus Neobrigenſis inquit) jurejurando caverat, „Se, nec ipſum Davidem, nec poſterorum ejus quenquam, aliqua parte re„gionum, quas tum in Anglia David tenebat, ſpoliaturum. Hac verecundia obſtrictus, ut colore aliquo calumniam tegeret, primum in re leviori patientiam Regis Anglus experitur. Cum Joannes Epiſcopus Glaſcuenſis per Cumbriam fana dedicaret, ſacerdotes raderet, aliaque, quæ ad Epiſcopi munus pertinere tum credebantur, obiret; Henricus per Truſtinum Eboracenſem Archiepiſcopum, novum in eam regionem miſit Epiſcopum, quem Carleolenſem dixit. Ea injuria Joannes graviter permotus, cum nec in Rege, nec in lege ſatis præſidii videret, relicto ſuo Epiſcopatu, ſe in monaſterium Turonenſe in Gallia abdi-

1 *Regnavit annos 29, menſes duos, dies tres*] Juxta Extracta e Chronicis Scotiæ, & Chron. de Mailros regnavit annos 29. & menſem unum: illis enim Alexander I. ejus frater 7. (aut 8.) Kal. Maji anni 1124. obiiſſe memoratur.

abdidit: nec prius inde rediit, quam rogatu Milcolumbi a Pontifice Romano invitus eſt retractus, & ad ſuos reverti coactus.

XXXIX. Hanc injuriam cum Scotus levius, quam ſperabatur, ferret, neque ſatis cauſſæ ad bellum eſſe exiſtimaret, Ceſtriam profectus eſt, ut ſedatis ſuſpicionibus diſcordiarum cauſſas præcideret. Ibi fraude Angli illectus eſt, ut in verba ejus juraret: cum non Rex ipſe, ſed fratres ejus, qui in Anglia agros haberent, ex conventu jam olim facto, ſacramentum dicere deberent. Sed hoc callide ab Anglo ac malitioſe excogitatum erat, qui ſemina diſcordiarum inter fratres ſpargebat: quod proximis annis multo apertius eſt declaratum, cum Northumbriam, Gulielmi fratris patrimonium, a Milcolumbo eblanditus eſt. Londinum enim eum arceſſivit, ut, majorum exemplo, ſe, nomine terrarum, quas in Anglia tenebat, in conventu publico beneficiarium ejus fateretur. Ille non cunctanter eo, accepta fide publica, profectus, nulla re cur venerat perfecta, cogitur Henricum invitus in Galliam, cum eo, quem tum ibi habebat, itineris comitatu, ſequi. Conſilium Angli eo ſpectabat, partim ne quid a Scoto ſe abſente turbaretur, partim ut hoc commento Ludovici Regis Francorum animum ab eo averteret. Ita igitur Milcolumbus invitus, ſed metu gravioris incommodi reluctari non auſus, adverſus veterem amicum tractus, non prius ad ſuos redire permiſſus eſt, quam Anglus, bello in Gallia parum proſpere geſto, domum eſt reverſus. Milcolumbus, tum demum impetrata domum redeundi venia, cum, Nobilitate coacta, ſuæ peregrinationis acta exponeret, magnæ partis animos vehementer infenſos reperit; „Quod cum inimico certo adverſus „veteres & certos amicos militaſſet, neque proſpexiſſet quibus artibus ab Hen„rico, peteretur. „Rex, cum „Se invitum, nec tamen auſum quicquam ei „Regi negare, cujus in poteſtate erat, in Galliam tum profectum, diceret: „atque ideo non deſperaret, ſe facile Franco purgatum iri, ubi intelligeret: „eum circumventum, ac ſine domeſticis copiis propere illuc pertractum, „ „ſeditionem, jamjam erupturam, in præſentia compeſcuit.

XL. Sed nec Henricum, in omnia intentum, fefellit, hunc tumultum magis tum cohibitum, quam popularium animos erga eum placatos. Itaque iterum Milcolumbus ad conventum Eboracenſem adeſſe jubetur. Ibi, confícto crimine, accuſatus, „Quod ejus maxime opera res in Gallia minus proſperæ „Anglis fuiſſent. Ideo relatum ad concilium, de adimendis ei regionibus, quas in Anglia tenebat. Ad hæc cum ille reſpondiſſet, ſeque abunde [1] purgaſſet, omnium aures clauſas invenit; quippe vel timore, vel gratia ſui Regis occupatas. Ita decretum in Henrici ſententiam factum. Nec hac injuria contentus, per idoneos homines, qui Milcolumbum ultro ac volentem tot regionibus ceſſiſſe dicerent, civium odium vehementer erga eum accendit: adeo ut domum reverſum, Berthæ obſeſſum, pene comprehenderint. Sed, interventu ſeniorum paullulum ira ſedata eſt. Cum Nobilitatem edocuiſſet, „Se non modo in„juſte, ſed fraudulenter etiam ab Henrico vetere patrimonio exutum, „ proceres ei auctores fuerunt, „Ut per vim ablata juſto pioque bello repeteret.

XLI.

1 *Purgaſſet*] MS. *perpurgaſſet*.

XLI. Ex hoc decreto bellum indictum, ac non ſine magnis utriuſque gentis incommodis geſtum. Tandem cum Reges non procul a Carleolo ad colloquium conveniſſent, poſt multam diſceptationem, Henricus, Cumbria & Hundintonia Milcolumbo relictis, Northumbriam ademit: Anglo nullum aliud jus cupiditati ſuæ prætendente, niſi, „ Quod tantam imperii ſui diminutionem pati „ non poſſet. Verum, cum neque juris reverentia, neque pacta & conventa, neque jurisjurandi ſanctitas, Angli inexplebili aviditati obſiſterent, homo puſilli animi, & pacis nimis cupidus, conditionem accepit, adverſa & reclamante Nobilitate Scotica, quæ negabat, „ Jus eſſe Regi quicquam de finibus regni „ detrahere, niſi omnibus Ordinibus conſentientibus. Ex eo Rex a ſuis contemni cœpit, ut neque fortitudine nec prudentia ad moderandum imperium idoneus. Neque quicquam æque animos hominum ferociorum a tumultu cohibuit, ac major metus ab Anglo, quem, fretum ſimplicitate Milcolumbi, & potentia tranſmarina, imperio totius inſulæ potiundi cupidum perſpiciebant. Hic univerſorum erga Regem affectus fecit, ut ſinguli reverentiam imperii facilius abjicerent.

XLII. Initium rebellandi factum eſt ab Anguſio, ſeu potius Ænea Gallovidiano, homine quidem potente, ſed qui ſpei plus tamen in Regis ignavia, quam ſuis viribus, collocaret. Adverſus hunc miſſus Gilchriſtius, tribus prælìis victum, in cœnobii Candidæ Caſæ aſylum eum compulit. Unde cum abſtrahendi jus non eſſet, omnium rerum inopia ex diuturna obſidione ad paciſcendum eſt coactus: ipſe agrorum parte eſt multatus, & filius obſes datus. Hanc imminutionem prioris magnitudinis cum elatus animus non ferret, raſus in cœnobium Edimburgo propinquum ſe a conſpectu & ludibrio hominum abdidit. Nec in diverſa regni parte Moravienſes, homines inquieto ſemper ingenio, ſe a rebus novis continuerunt. Gildone enim, ſeu verius Gildominico, duce, non modo regiones omnes circumcirca depopulati ſunt, ſed fœciales, ad ſe miſſos, barbarica crudelitate interfecerunt. Adverſus hos quoque miſſus Gilchriſtius, majore quidem cum exercitu, ſed diſpare fortuna. Virtus enim adverſarii, quæ aliis terrori eſſe ſolet, homines ſceleſtos, & quid commeruiſſent gnaros, deſperare de ſalute coëgit. Igitur, dum ſtudent ne inulti cadant, hoſte profligato, ſuperiores evadunt. Milcolumbus, ubi cladem ſuorum reſcivit, ſuppleto exercitu veteri in Moraviam duxit. Ad Spææ fluminis oſtium, Moravienſes, etſi Regis copias auctas, & ſuas e ſuperiore prælio imminutas, non ignorarent, tamen loco freti, & parta nuper victoria feroces, eventum exſpectare conſtituerunt. Pugnatum eſt magna cum pertinacia, nec minore cæde. Neque enim prius ceſſerunt, quam feſſis Regiis miles e ſubſidiis recens ſucceſſit. Tum vero, inclinata ſemel acie, non amplius pugna, ſed cædes fuit. Nulli ætati aut conditioni furor militaris pepercit. Hoc prælio veteres Moraviani pene ad internecionem ſunt redacti: quæ pœna, utcunque crudelis, tamen videri poteſt non immerentibus accidiſſe: gravitatemque ultionis gentis perfidioſæ adverſus alios immanitas excuſat. Novi coloni in cæſorum agros miſſi.

XLIII. Nec Sumerledus inter tot tumultus ſibi quieſcendum duxit. Is (ut antea dictum eſt) cum in Hiberniam ex infelici prælio evaſiſſet, ab eoque tem-

pore latrociniis Scotiæ littora habuiſſet infeſta, ratus inter tot cædes majore parte militaris ætatis conſumta, aut e fugientibus aleam dimicationis opulentam prædam, aut e congredientibus fore non difficilem victoriam, magna undique facinoroſorum manu coacta, æſtuarium Glottæ amnis navibus ingreſſus, ſiniſtra ripa exſcenſionem fecit, ac, blandiente ab initio fortuna, Renfroam uſque penetrat. Ibi, dum multum prædæ, parum incolumitati ſuorum intentus agit, a multo paucioribus circumventus, ſuos prope omnes amiſit. Ipſe vivus, ad pœnam & ludibrium ſervatus, ad Regem perducitur. Alii eum una

M. C. LXIII. cum filio in prælio cecidiſſe ſcribunt. Hæc circiter annum M. C. LXIII. geſta ſunt. Pacato ubique a tumultibus bellicis regno, conventus omnium Ordinum indictus. Ibi, cum alia multa ad ſtatum regni confirmandum decernerentur, communi conſenſu a Rege publice petierunt, „Ut, quoniam jampridem „matrimonio eſſet maturus, quippe qui viceſimum ſecundum vitæ annum ex„cederet, de nuptiis cogitaret, & liberis creandis operam daret. Id eum & pu„blice regno, & privatim ſuæ familiæ debere: neque præſentis modo tempo„ris, ſed futuri etiam tranquillitati ei animo proſpiciendum eſſe.„ Ad hæc ille reſpondit, „Se, ab eo uſque tempore, quo vitæ ſuæ rationem inire, & curſum „ejus dirigere potuerit, continentiam ab hujuſcemodi cupiditatibus Deo ſan„cte promiſiſſe. Quod ſuum votum ſe exiſtimare ei non ingratum fuiſſe, qui „& vires ad id præſtandum dediſſet, & hæredes ad ſuccedendum præparaſſet: „ut nec infirmitate animi, nec neceſſitate aliqua publica, e propoſito vivendi „curſu deflectere cogeretur. Dimiſſo concilio, cum foris pax eſſet, ad artes avitas, nempe ſacrarum ædium exſtructiones, & in monachos largitiones, ſeſe convertit. Qua in re, ſi vita longior ei fuiſſet, majores videbatur longe ſuperaturus. Obiit enim mortem non multo poſt, nempe quinto Idus Decembres, anno a Chriſto nato M. C. LXV. vitæ viceſimo quinto, regni paullo ſupra

M. C. LXV. duodecimum.

XCIII. REX.

XLIV. Succeſſit Milcolumbo frater ejus GULIELMUS, qui [1] decimo quinto die poſt proximi Regis mortem regnum iniit. Is nullum fere nec publicum nec privatum negotium, quod majoris eſſe momenti videretur, prius attigit, quam Northumbriam ab Henrico Anglo repetiſſet. Anglus Gulielmum Londinum venire juſſit, ut [2] ob Cumbriam & *Hundintoniam* ſe beneficiarium de more profiteretur. Id ille cum non gravate feciſſet, nec tamen a Northumbria poſcenda deſiſteret, Henricus ambiguo reſponſo rem differebat. Nam, „Cum „Northumbria, Milcolumbo ademta, ipſi adjudicata eſſet, ſe eam abaliena-

„re

1 *Decimo quinto die poſt*] *i.e.* in vigilia Natalis Domini, conſentientibus Chron. de Mailros & Extr. de Chron. Scot.

2 *Ob Cumbriam & Hundintoniam*] Ita monente Crafordio emendavimus, cum in omnibus libris, *Cumbriam & Northumbriam*, legeretur. Neque enim Henricus Anglus a Scoto exigere ſacramentum poterat pro Northumbria, quam ipſe Milcolumbo ejus fratri prius ademtam tenebat (Vid. ſupra Lib. VII. 41.) quamque Gulielmo repoſcenti reddere jam quoque tergiverſatur.

1 *Æſte-*

„re (niſi procerum decreto) non poſſe. Ad proximum conventum adeſſet, at„que ibi quod jus eſſet exſpectaret. Gulielmus, etſi nihil æqui ſe impetraturum ſperabat, tamen, ne calumniandi adverſario daret occaſionem, in Anglia ad conventum uſque exſpectavit, & Henricum proficiſcentem ad bellum Gallicum, licet invitus, tamen eſt ſecutus. Ibi cum aſſidua flagitatione nihil proficeret, nec Rex brevi in Angliam rediturus ſperaretur, ægre commeatu impetrato, in Scotiam eſt reverſus.

XLV. Poſt reditum, primum omnium regnum, latronibus caſtigatis, repurgavit: deinde locis idoneis arces & præſidia ad prohibendas repentinas incurſiones impoſuit: demum per legatos de Northumbria reddenda Anglum admonuit: ni redderet, bellum interminatus. Anglus, Gallico bello impeditus, Northumbriæ parte, quam proavus Gulielmi tenuerat, ei ceſſit. Eam Scotus quidem accepit, teſtatus, „Se nihil de ſuo in reliquam partem jure decedere. Id cum Anglus graviter ferret, & prædam de manibus, lite non diremta, dimiſſam doleret, per incurſiones in fines Scotorum nova belli ſemina jaciebat; hac occaſione ſperans, reliqua, quæ controverſa videri volebat, ſe facile ablaturum. Cum res, de more, per limitum præfectos repeterentur, Angli conqueſti ſuos limites latrocinio Scotorum vexari, legatos, nulla ob quam venerant re impetrata, prope ſine reſponſo abegerunt. Scoti, ut, quod jure obtinere non poterant, vi aſſequerentur, exercitu confecto, in proximos Anglorum agros ferro & igne ſæviunt. Angli, jam inſtante meſſe, contenti, per abſentiam Regis, ſua, quoad poſſent, tutari, nullum quidem exercitum contrahunt: hiems vero interea per mutuas incurſiones fuit inquieta.

XLVI. [1] Æſtate proxima, Gulielmus in hoſticum magno cum exercitu ingreſſus eſt. Ad eum Angli, cum nullas adhuc ſatis firmas copias haberent conſcriptas, legatos in caſtra mittunt. Inducias magna pecunia mercari contendunt. Id ſi impetrenr, ſpem injicere conantur, omnia ex ſententia conventura. Credidit fallacibus eorum promiſſis homo minime malus, & qui pacem, modo non iniquiſſimam, quamvis juſto bello præferret. Angli ſpatium, quo ab armis ceſſabatur, totum in apparatu belli conſumunt. Nec deſinunt interim, legatis miſſitandis, promiſſa cumulare, ac pariter hoſtium caſtra ſpeculari: in quibus cum omnia, induciarum fiducia, remiſſa ac neglecta cernerent, majoremque partem exercitus Regii ad commeatus petendos dilapſam, reverſi, ſuis occaſionem rei bene gerendæ oſtendunt. Inſtant, ne eam e manibus elabi ſinant. Igitur, majore copiarum ſuarum parte in inſidiis collocata, quadringenti fere equites expediti, de tertia vigilia iter ingreſſi, paucas horas ante Solis ortum Annevicum, ubi Scotorum caſtra erant, adveniunt. Ibi

ma-

1 *Æſtate proxima*] Multi nec immerito de Buchanano queruntur, quod, dum ſermonis elegantiæ ſtudet, annorum ſeriem parum vel perfunctorie admodum diſtinguat. Quid enim attinet æſtatem meminiſſe, anno ipſo omiſſo. Hæc autem Gulielmi in Angliam expeditio facta eſt anno C. 1174, qua & ipſe eſt captus 3. Idus Julias, Extr. de Chron. Scot. Tyrel. *&c.* Cæterum in rei ipſius expoſitione Scoti ſcriptores ab Anglis multum diſſentiunt: hi enim nullas eo tempore inducias pactas agnoſcunt.

1 *Quin-*

majorem, quam ſperarant, bene gerendæ rei occaſionem nacti, in Regem, velut in ſumma pace, obequitantem cum ſexaginta plus minus equitibus, impetum faciunt: ac, pene antequam diſcerni poſſet, amicine an hoſtes eſſent, (acceptis enim armis & inſignibus Scoticis, facile pro Scotis fefellerunt,) nono, quam regnare cœperat, anno eum capiunt. Cum e caſtris tumultu exciti pauci ac ſparſi fruſtra ſequerentur, nonnulli, ne Regem viderentur deſeruiſſe, in hoſtem ultro incurrentes, capti fuere. Rex ad Anglum, tum in Gallia militantem, eſt perductus. Angli, hoc inſperato ſucceſſu elati, Cumbriam invadunt: ſine certamine ſe potituros ea rati. Sed a Gilchriſtio & Rollando, Scotis ducibus, ita ſunt repulſi acriter, ut, induciis factis, contenti fuerint, quamdiu Rex captivus eſſet, Northumbria potiri; Cumbriæ & Hundintoniæ liberam Scotis poſſeſſionem relinquere.

XLVII. Interea David Gulielmi frater, Hundintoniæ & Gariochæ Comes, qui tum apud Anglum militabat, accepto commeatu, rediit in Scotiam: ac, rebus pro tempore pacatis, legatos in Angliam de fratre liberando mittendos curavit: qui tum Faleſii in Normania aſſervabatur. Rex, traditis Anglo [1] quindecim obſidibus, & [2] quatuor arcibus, Rosburgi, Bervici, Edimburgi & Sterlini, ad Cal. Februarias permiſſus eſt redire ad ſuos. Ipſe cum proceribus & Epiſcopis evocatus ab Anglo, Eboracum ad XVIII. Cal. Septembres venit. Ibi cum ſuis omnibus, qui aderant (aderant autem principes Nobilitatis) in verba Henrici jurarunt: ac regnum Scotiæ in fidem & clientelam ejus dederunt. Has leges, utcunque duras, Scoti, cupidi Regis optimi, non renuerunt, ut Angli ſcriptores tradunt. Thomas Volſingamius Anglus & ipſe hanc deditionem non Eboraci, ſed in pago Conſtantienſi factam ſcribit. Sunt qui tradant, conventum inter Reges, non de deditione, ſed certa pecunia per penſiones danda; arceſque tantiſper Anglo traditas, dum ea perſolveretur. Hanc ut opinionem veriorem exiſtimem, facit fœdus cum Richardo Henrici filio renovatum, de quo ſuo loco dicam. Rex reverſus, motus in Gallovidia ſe abſente ortos per Gilchriſtium intra paucos menſes compeſcuit. Ad quartum Cal. Februarii, cum conventus Noramam ad Tuedam indictus eſſet, eoque Gulielmus veniſſet, Anglus vehementer contendere cœpit, ut omnes Epiſcopi Scotorum Archiepiſcopum Eboracenſem pro Metropolitano agnoſcerent, inſtante vehementer ut id fieret Legato Romani Pontificis. Poſt longam diſceptationem, reſponſum fuit a Scotis, „Paucos in præſentia ſuorum adeſſe, nec eos poſſe cogere ab„ſentes, ut ab ſe decreta confirmarent. Hanc ob cauſſam, re in aliud tempus dilata, paullo poſt miſſis Romam Legatis, Epiſcopi Scoti Alexandro tertio ſuam cauſſam probarunt: ac domum rediere læti, quod ejus decreto ab Anglorum jugo eſſent liberati.

XLVIII.

1 *Quindecim obſidibus*] Ex ipſa conventione, quæ apud Rymerum, Fœd. Ang. Tom. I. pag. 39. habetur, apparet 21. obſides fuiſſe datos, atque in his Davidem Gulielmi fratrem.

2 *Quatuor arcibus*] Ex prædicta conventione quinque arces Anglo ſunt traditæ, adjecta, præter eas a Buchanano memoratas, arce Jedburgi.

1 *In*

XLVIII. Non ita multo poſt, Gilchriſtius (cujus ſæpe meminimus) uxorem ſuam, eandemque Regis ſororem, adulterii compertam, occidit. Ei, cum in jus ad diem dictum non affuiſſet, aqua & igni interdictum, ædes dirutæ, bona in fiſcum redacta. Eodem fere tempore arx Edimburgi reddita, una penſione ſoluta: &, ad ſtabiliendum firmius concordiam, lata lex, „Ne alteralterius hoſtem ad ſe receptaret. „Hac lege Gilchriſtius Anglia excluſus rediit: ac, mutatis ſæpe locis, ignotus inter ignotos, in omnium prope rerum ſumma penuria miſeram vitam tranſigebat. Interea Gulielmus expeditionem adornabat in Moraviam, adverſus latrones Æbudenſes; quorum princeps Donaldus Baan (hoc eſt, albus) genus ſuum ad Reges referebat: ac nomen etiam Regis aſſumſerat. Is e navibus ſæpe ac diverſis in locis exſcendens, non modo in maritimis locis ſolitudines faciebat, ſed a mari etiam longe remota, creſcente per impunitatem audacia, populabatur. Adverſus eum, navibus circummiſſis qui claſſem incenderent, Rex terreſtri itinere profectus, pene omnes ad unum interemit. In reditu, cum non procul a Bertha abeſſet, tribus ruſticis offenſis, præter pannos & illuviem nihil ruſticum præ ſe ferentibus, cum declinare viderentur multitudinis occurſum, Rex adductos ad ſe diu contemplatus, inſtitit quærere, „Qui mortales eſſent. „Gilchriſtius ſenior, adorato Rege, miſerabiliter de fortuna ſua queſtus, quis eſſet, indicat: adeoque memoria ſuperioris vitæ, per ſummam dignitatem tranſactæ, qui aderant omnes commovit, ut nemo lacrymis abſtinere ſe potuerit. Rex humo ſurgere juſſum in priſtinum & dignitatis & amicitiæ gradum hominem reſtituit.

XLIX. Inciderunt hæc [1] in annum M. C. XC. quo tempore Richardus, M. C. XC.
qui ſuperiore anno patri ſucceſſerat, cum expeditionem in Syriam ornaret, Regi Scotorum arces reddidit, & obſides remiſit: atque eum poſteroſque ejus abſolvit ab omnibus pactis, vel vi expreſſis, vel fraude obtentis; regnumque Scotiæ utendum fruendumque eis finibus, eoque jure ei permiſit, quo Milcolumbus Regeſque ſuperiores id tenuerant. Harum conditionum meminit Matthæus Pariſienſis. Ille contra, ut Richardo ſe non ingratum oſtenderet, ad bellum tranſmarinum proficiſcenti decies mille marcas argenti dedit: Davidemque fratrem, Comitem Hundintoniæ declaratum, ſequi eum in Syriam juſſit. Is dum redit, claſſe tempeſtatibus disjecta, ab Ægyptiis captus, a Venetis redemtus, Conſtantinopoli demum ab Anglo mercatore agnitus, poſt quartum tandem annum in Scotiam rediit: & magna omnium, ſed fratris præcipua gratulatione eſt receptus. Boëthius credit, ab hoc Davide, incolumi illic expoſito, oppidum, quod Alectum ante vocabatur, appellatum fuiſſe Deidonum. Ego potius Taodunum, compoſito nomine e Tao & Duno, vocatum exiſtimo: Alecti nomen apud unum Boëthium invenio. Nec adeo multo poſt, Richardus, variis caſibus jactatus, ex eadem peregrinatione rediit. Ad eum redu-

1 *In annum* 1190, *quo tempore*] Hoc ſcriptum quoque apud Rymerum, Ibid. pag. 64. habetur: datum eſt autem 5. Decembris anni, non 1190, ſed præcedentis, quo duæ arces Rosburgi & Bervici Scoto redduntur; reliquas igitur tres antea redditas fuiſſe oportet.

ducem Gulielmus cum fratre gratulatum venit, ac duo millia marcarum argenti dono attulit, vel benignitatis ſuperioris erga ſe memor, vel præſentis inopiæ miſertus. Nec unquam nomen Scoticum creditur Anglico fuiſſe conjunctius. Ibi cum Gulielmus in graviſſimum incidiſſet morbum, rumor de morte ejus allatus novos in Scotia motus excitavit. Haraldus, Orcadum & Cathaneſiæ Comes, Epiſcopo Cathaneſiæ infenſus, quod per eum ſtetiſſe diceret, quo minus apud Regem quæ vellet obtineret, eum comprehenſum oculis & lingua privavit. Rex, reverſus domum, Comitis Haraldi magna ex parte copias variis congreſſibus delevit. Ducem, e fuga retractum, oculis orbatum, per carnificem ſtrangulavit: totamque ſtirpem ejus maſculam emaſculandam dedit: reliquos propinquos & ſcelerum adminiſtros magna pecunia multavit. Hæc a Boëthio ſic narrantur, & vulgari rumore confirmantur: colliſque, a teſticulis nominatus, memoriam rei geſtæ ſervat: ac mihi veriora videntur, quam quæ ab aliis traduntur. Inciderunt hæc in [1] annum Salutis M. C. XCIX. quo anno Regi Alexander filius eſt natus; & Richardo Anglo defuncto Joannes frater ſucceſſit.

M. C XCIX.

L. Rex Scotorum in Angliam profectus eſt, ut ſacramentum diceret ob agros, quos in Anglia tenebat. Sed ejus adventus non fuit initio novi regni magis jucundus, quam diſceſſus ingratus: quod recuſaret Anglum in expeditionem ſequi adverſus Philippum Francum veterem amicum. Igitur reverſus e Galliis Joannes, dum belli cauſſas quærit, præſidium e regione Bervici ædificare cœpit. Gulielmus, fruſtra per legatos ea de injuria conqueſtus, manu collecta, quod ædificatum erat demolitus eſt. Exercitus utrinque conſcribuntur. Cum jam caſtra caſtris prope collata eſſent, per primates pax facta, his legibus, „Ut duæ Gulielmi filiæ duobus Joannis filiis, cum per ætatem nubi„les forent, collocarentur. Dos ingens dicta. Præſidium ne ædificaretur, cautum. Obſides in hæc dati. Reverſus Gulielmus, in periculum inexſpectatum incidit. Berthæ oppidi pars major inundatione Tai amnis noctu diruta eſt. Nec ab hac calamitate Regia fuit immunis, filio Regis infante, una cum nutrice & quatuordecim aliis, exſtincto: reliqui ægre evaſere. Multi e promiſcua multitudine oppreſſi. Rex, cum aquæ magna ex parte ſolum urbis obtinerent, nec ulla fere domus calamitatis eſſet expers, paullo infra, ad eundem amnem, novam urbem commodiore loco exſtruendam curat, & nomine non multum immutato Perthum appellat. Hunc honorem habitum credunt Pertho, viro nobili, qui ſolum urbis Regi donavit. Eodem fere tempore, Rex ducem rebellium ad ſeptentriones ſpectantium, Gothredum Makulliam, a ſuis proditum cepit. Captus, cibo conſtanter abſtinuit, metu (ut creditur) gravioris ſupplicii. Hoc fere ultimum operum memorabilium fuit Gulielmo, ob ipſius etiam ingraveſcentem ætatem per duces geſtum. Nam paullo poſt, [2] LXXIV. annum agens vitæ, regni XLIX. Salutis humanæ M. CC. XIV. deceſſit.

M. CC. XIV.

LI.

1 *Annum Salutis* 1199, *quo anno*] Extr. de Chron. Scot. & Chron. de Mailros, Alexandrum II. Scotorum Regem die S. Bartholomæi anno 1198 natum tradunt.

2 *LXXIV. annum agens vitæ*] Ita alii fere ſcriptores Scoti, ego tamen Chron. de

LI. Non multo ante mortem Gulielmi, prope ſingulis annis cum Joanne Anglo fœdera ſunt renovata. Joannes enim, homo late proferendi imperii cupidus, cum haberet foris cum Gallo, domi cum Romanenſibus bellum, nec certam unquam cum Vallis & Hibernis pacem, non omiſit tamen libidinem invadendi Scotiam, quæ tum Regem habebat ſenem, & proximum ei hæredem puerum. Ob hæc cum colloquia frequenter ſereret, magis tentandi, quid impetrare poſſet, quam ullius rei æquæ tranſigendæ gratia, demum res in apertam ſuſpicionem erupit. Ac poſt fœdera ſæpe novata, tandem Gulielmus ad Novum Caſtrum ad Tinam evocatus venit. Ibi cum in morbum graviſſimum incidiſſet, nulla re tranſacta, rediit. Deinde, cum paullo ante mortem invitatus eſſet Noramam ad Tuedam, nec per valetudinem adeſſe poſſet, rogatus, ut mitteret filium, id quoque, de concilii ſententia, renuit. Fœdera, illis congreſſibus ſancita, non licuit huc aſcribere, ut quæ omnia eiſdem pene verbis ſunt compoſita: neque quicquam habent novi, præterquam quod in uno cautum eſt, „Ne Reges Scotorum, ſed eorum liberi jurarent in poſterum, aut ſe in fidem „Angli dent, ob terras quas in Anglia tenebant. Tota etiam harum rerum mentio eſt a ſcriptoribus Anglis, ob eandem (ut arbitror) cauſſam, prætermiſſa.

XCIV. REX.

LII. Gulielmo ſucceſſit ALEXANDER filius ex Emergarda, propinqua Regis Anglorum, Comitis Belli-montis filia. [1] Sedecim erat annorum, cum regnum iniit. Is, turbidis temporibus imperium adeptus, omnia prudentius, quam pro ætate, compoſuit. Primum omnium, indicto conventu publico, patris, viri prudentiſſimi juxta ac optimi, acta omnia Ordinum decreto confirmavit. Prima ei expeditio fuit in Angliam, nulla privata cupiditate, ſed ut Joannis tyrannidem compeſceret, ab ordine Eccleſiaſtico (ut tum loquebantur) arceſſitus. Norama, quam obſidere cœperat, certis conditionibus relicta, interiora ingreſſus, Regiarum partium homines omni belli clade perſequitur. Eo domum reverſo, Joannes mox Scotiam invadit. Dumbarum, Hadinam, & omnem vicinam Lothianam fœda populatione vaſtat: &, quo latius bellum ſpargeret, alia via reverti ſtatuit. Alexander, cupidus prælio decernendi, inter Picticos montes & Eſcam, qua venturus dicebatur, caſtra poſuit. Joannes, ut congreſſum vitaret, ſecundum mare ducens, Coldingamiam cœnobium cremat: Bervicum, parum munitum, capit, & incendit. Eum retro feſtinantem Alexander, qua potuit proxime, ſecutus, ferro flammaque per Northumbriam graſſatus, Richemondam uſque pervenit: Sed, eo ſe in interiorem Angliam magnis itineribus recipiente, Scotus, per Veſtmariam rediens, vaſta omnia Carleolum uſque reddidit. Urbem vi cepit, & communivit.

LIII.

de Mailros potius aſſentior, quæ eum anno 1143 natum, atque ætatis anno 72 pridie Nonas Decembris exſtinctum tradunt.

1 *Sedecim erat annorum*] Natus ergo, ut ſupra diximus, A. C. 1198, ſecus enim non 16 ſed 15 tantum annorum fuerit.

LIII. Proximo anno, arceſſiti ab iis, qui ſacerdotum factioni adverſus Regem favebant, Ludovicus Philippi Franci filius, ut, exauctorato Joanne, regnum acciperet, & Alexander Scotus, ut amico ferret auxilium, ea æſtate Londinum venerunt. Joannes vero, & ſuorum ſtudiis deſtitutus, & peregrinis armis petitus, magna pecunia in præſentia, & tributo perpetuo promiſſo, præterea jure regni in Pontificem translato, ut Reges Anglorum in poſterum beneficiarii ejus eſſent, in gratiam rediit. Per Galonem Cardinalem, notæ rapacitatis hominem, literas Roma impetrat, quibus Scotus & Gallus magnis minis a populo ſacroſanctæ Sedis vectigali abſtinere jubeantur. Ludovicus, ob hanc rerum commutationem, in Galliam, Alexander in Scotiam redit: ſed minus, quam venerat, agmine pacato. Nam, cum Angli extremum abeuntis agmen carperent, & vagos ac moratores exciperent; & Joannes Trenti fluminis pontes frangeret, vada palis acutis infixis occluderet, naves omnes averteret; magnum redeunti objectum videbatur impedimentum, & quod ſine certa pernicie non poſſet effugere. Sed interim Joannes, a monacho Anglo accepto veneno, ad Neurgum, oppidum in ripa Trenti fluminis ſitum, lectica delatus, intra biduum moritur. Is caſus Alexandro iter aperuit. Tum ſuorum incuria caſtigata, circumſpectius quidem agmen egit, ſed non ſine magno eorum incommodo per quos ducebat. Quicquid enim agi ferrive poterat ſecum auferens, cum ingenti præda domum rediit.

LIV. Galo, Legatus Romanus, cum Henricum Joannis filium in regno confirmaſſet, proceres Anglorum, grandi pecunia multatos, in gratiam recepit. Et, ut hoc damnum pari inimicorum calamitate ſolaretur, Ludovicum Gallum & Alexandrum Scotum fulmine Romano, in ſpem prædæ, ferit. Omnibus Scotis ſacris interdicit, ratus diras ſuas plus apud vulgus ſimplex, quam Reges valituras. Sed, pace tandem inter Reges firmata, Scoti Carleolum, Angli Bervicum reſtituunt: fineſque veteres ad Regiam crucem ſervari jubent. Alexander cum ſuis per Epiſcopos Anglos, quibus ea poteſtas commiſſa erat, reſecratur. Hic, Galo fremens tantam ſibi prædam e manibus ereptam, in Epiſcopos & reliquos Scotorum ſacerdotes iram vertit, tanquam ſuam peculiarem turbam, & nihil ad Reges attinentem. Annevici eis conventum indicit. Ibi timidiores pecunia hominem placant: qui obſtinatiores erant, Romam in jus vocati. Hi, obiter a multis Anglorum Epiſcopis & Cœnobiarchis, literis ad Pontificem de ſordibus Legati acceptis, hominem graviter accuſant: „Eum facem omnium malorum fuiſſe: dum non publicæ utilitati, ſed avaritiæ privatæ ſtudet; & bellum pacemque inter Principes ſuo arbitrio nundinatur. Galo, quod ſe non ſatis purgaret, multatus eſt a Pontifice pecunia, præda videlicet inter eos diviſa. Accuſatores verbis bonis onerati, pecuniæ inanes domos dimittuntur.

LV. Paucis poſt annis, Henricus Anglus, ætate & conſilio maturior, Eboracum venit. Ibi cum Alexandro, præſente Legato Pontificis Pandulfo, conventum eſt, data ſorore Angli Joanna ei in matrimonium: ex qua, præmatura morte ſurrepta, nullos liberos ſuſcepit. Ab eo tempore uſque ad vitæ finem pax inter Reges fuit. Ibi coram eodem Pandulfo Rex ſancte juravit,

duas

duas Alexandri ſorores, pro loci unde erant dignitate, ſe collocaturum, uti antea pater ejus promiſerat. Verum altera elocata, altera innupta domum rediit. Proximo anno, qui fuit M. CC. XX. venit in Britanniam, ad pecuniam in uſum Sacri Belli expiſcandam, Ægidius Cardinalis. Is, cum ſatis opimum quæſtum in utroque regno feciſſet, quod per impoſturam ab hominibus nimium credulis exegerat, per luxuriam in itinere profudit. Cum vacuus Romam rediiſſet, mentitus eſt ſe a latronibus fuiſſe ſpoliatum. Conſecutus eſt ſtatim alter Legatus: ſed homines, jam bis fraude Romanenſium ſpoliati, publico decreto eum fines ingredi vetuerunt. M.CC. XX.

LVI. Alexander cum domi vitia per licentiam bellorum enata tolleret, totumque regnum jus dicendo una cum Regina obiret; [1] Roſſiam Gileſpicus, indidem civis, [&] vicinas regiones fœde populabatur. Neſſum amnem tranſgreſſus, Ennerneſſam oppidum captum incendit. Recuſantes in verba ſua jurare crudeliter trucidabat. Adverſus eum Joannes Cuminius, Buchaniæ Comes, miſſus, latebras per devia mutantem cepit, & cum duobus filiis capite multavit. Capita, ad rei geſtæ fidem, ad Regem miſſa. Anno M. CC. XXII. Cathaneſienſes, Adami Epiſcopi ſui cubiculum ingreſſi, nocte monachum, quem de more comitem habebat, (nam Mulroſſienſis Abbas ante fuerat,) & miniſtrum cubicularium occiderunt. Ipſum, graviter vulneratum, in culinam attractum, una cum domo cremarunt. Cauſſam tantæ crudelitatis fuiſſe ajunt, quod Epiſcopus acerbius ſolito decimas exigeret. Hi diligenter conquiſiti, graviſſimo ſupplicio fuerunt affecti. Comes Cathaneſiæ, quanquam in facinore patrando non affuiſſet, ſuſpicione tamen non caruit. Poſtea vero, cum ad ferias natalis Dominici, quæ Scotorum Saturnalia ſunt, clanculum ad Regem fuiſſet perductus, [2] veniam ſuppliciter petitam impetravit. M.CC. XXII.

LVII. Circa hæc tempora deceſſit Alanus Gallovidianus, Scotorum longe potentiſſimus. Decedens tres filias reliquit, de quibus poſterius nobis erit ſermo. Thomas filius ejus nothus, earum ætate & ſexu contemto, ſe Dominum vocat: nec eo contentus, coactis ad decem hominum millia, reſiſtentes opprimit, prædas e vicinis agris late populabundus agit. Tandem, miſſo a Rege exercitu, ceciderunt e rebellibus, una cum duce, ad quinque millia. Eodem anno Alexander cum uxore in Angliam profectus eſt, ut tumultus adverſus Henricum orientes, quoad poſſet, ſopiret, & Nobilitatem cum eo in concordiam redigeret. Hæc dum ille curat Eboraci, uxor ejus cum Regina Angliæ, Cantuariam religionis ergo profecta, rediens inde ex morbo deceſſit, ac Londini ſepulta eſt. Non adeo diu poſt ejus mortem, Rex, cum liberis careret, Mariam, Ingelrami Cuciani Franci filiam accepit uxorem, anno a Chriſto nato M.CCXXXIX. Ex ea natus eſt Alexander, qui patri ſucceſſit. [3] Biennio proximo M.CC. XXXIX.

1 *Roſſiam Gileſpicus indidem civis (&) vicinas regiones*] Ita legendum jubet Crafordius: libris tamen omnibus deeſt [&.]

2 *Veniam ſuppliciter petitam impetravit*] Non tamen divinam vindictam effugit, nam juxta Chron. de Mailros occiſus eſt in domo ſua & combuſtus, *& merito talem vindictam recepit a Deo, qualem pœnam ſuſtinuit venerabilis Epiſcopus ſub eo, anno* 1231.

3 *Biennio proximo, anno ſcil.* 1242.] *Triennio* potius erat dicendum, id enim tem-

M.CC.XLII. ximo, anno ſcilicet M. CCXLII. cum Rex Angliam verſus properaret, ut Anglum e Gallia reducem viſeret, dum Hadinæ in Lothiana ſe ludis equeſtribus oblectat, Patricii Gallovidiani Comitis Atholiæ hoſpitium, una cum ipſo ac duobus miniſtris arſit, late etiam in propinqua fuſo incendio. Id minime creditum eſt fortuitum fuiſſe, propter nobiles inimicitias Patricii cum Biſetorum familia. Et quanquam Gulielmus familiæ princeps, teſte etiam Regina, probaret, ſe, ea nocte qua facinus id patratum fuerat, Forfaræ fuiſſe, [1] ultra ſexaginta millia paſſuum ab Hadina: ex adverſo propinqui Patricii arguebant, ea nocte miniſtros & clientes ejus complures Hadinæ viſos. Dies Gulielmo dicitur. Ille quidem ad diem Edimburgum venit; ſed ob adverſariorum potentiam (hi autem erant Cuminii) non auſus judicio experiri, ſingulari certamine cauſſam ſuam tueri cupiebat. Ea vero conditio cum non acciperetur, cum multis propinquorum exulatum in Hiberniam abiit; ac ſuæ gentis familiam in ea claram reliquit. Exortus eſt alius in Argathelia tumultus, duce Sumerledo, Sumerledi ſuperioris filio. Sed is intra paucos dies, per Patricium Dumbarium victus, ſe in poteſtatem Regis dedit, atque ab eo veniam præteritorum accepit. Rex non multo poſt, morbo correptus deceſſit, anno ætatis LI.
M.CC.XLIX. Regni XXXV. Salutis humanæ M. CCXLIX.

XCV. REX.

LVIII. Ejus filius ALEXANDER tertius eodem anno Sconæ coronatur, puer [2] nondum annum octavum egreſſus. Omnium prope rerum poteſtas penes Cuminiorum factionem erat. Hi, cum publicum patrimonium in ſuam rem verterent, imbecilliores opprimerent, Nobilium quoſdam ſuæ libidini adverſos, ac liberius de ſtatu regni loqui auſos, confictis criminibus circumvenirent, ac bona damnatorum in fiſcum redacta, ipſi a Rege (cui tum imperabant potius quam parebant) accepta invaderent; conventu Ordinum habito, tractatum præcipue de Anglo placando, ne tam periculoſo tempore aliquid attentaret. Id quo facilius fieret, affinitate conjungendum eſſe. Hæc ratio commodior Cuminiorum inimicis viſa eſt, ad eorum potentiam infringendam, quam ſi eos aperte oppugnarent. Legati ad Anglum miſſi, libenter ab eo auditi, & munifice dimiſſi, omnibus cur ierant impetratis. Proximo anno,

qui

temporis inter annum proxime memoratum 1239 & 1242 intercedit. Quod ſi Alexandri natales reſpiciamus, unius tantum anni intervallum relinquitur: ille enim teſte Chron. de Mailros natus eſt A. C. 1241, 4. Septembris feria 4. Errant autem ex una parte And. Vintonus, qui eum A. C. 1242, ex altera Balfurius qui 1240, natum tradunt.

1 *Ultra ſexaginta millia paſſuum*] Vix 50 paſſuum millia Forfara diſtat Hadina. Extracta de Chron. Scot. cum tum, cum hæc cædes patraretur, *in Caſtro ſuo de Obeyne* fuiſſe affirmant, qui locus ſi idem ſit, qui nunc *Aboyne* dicitur, 60 minimum millia ab Hadina diſtat. Secutus eſt Buchananus præcipue And. Vintonum, qui rem omnem fuſe exponit.

2 *Nondum annum octavum egreſſus*] Natus enim 4. Sept. ut ſupra diximus A. C. 1241, pater vero mortuus teſt Chron. de Mail. & Extr. de Chron. Scot. 8. Julii anno 1149, ac proinde Alexander III. regnum iniit natus annos 7 ac menſes fere decem. Vid. tamen Lib. VII. 65. quæ cum hiſce pugnare videntur.

1 Qui

qui fuit M. CCLI. Eboraci Reges conveniunt ad IIX. Cal. Decemb. Ibi, ipſo Dominici natalis die, Scotus ab Anglo in Equeſtrem ordinem eſt allectus, ac poſtridie de nuptiis cum Margarita Henrici filia conventum. Pax item renovata, quæ, quamdiu vixit Henricus, firma & inviolata manſit. M.CC. LI.

LIX. Quoniam vero Alexander adhuc impubes erat, ex amicorum conſilio decretum, ut ſoceri velut curatoris conſilio uteretur in rebus gravioribus. Ex hoc decreto quidam Primatum accuſati, ſe clam ſubduxerunt. Rege domum reverſo, accuſatus Robertus Fermelinoduni Abbas regni Cancellarius, quod Alani Durovarti uxorem, Alexandri ſecundi notham, legitimæ prolis jure donaverit: ut hac ratione, ſi Rex abſque liberis moreretur, ea velut hæres ei ſuccederet. Cancellarius, hoc metu injecto, mox ubi domum rediit, magnum ſigillum Proceribus reddidit. Gamelinus, qui poſtea Fani Andreæ fuit Epiſcopus, in ejus locum ſuffectus. Triennio fere proximo, cum qui a conſiliis Regi fuerant, ſinguli ſe prope pro Regibus gererent, ac agerent raperentque omnia, populus in medio relictus, ſervilem in modum premebatur. Rex Angliæ, paterno plane erga Regem Scotorum animo, certior factus, ad Vercam, quæ arx eſt ad limitem Scotiæ ſita, venit: eoque generum cum Primoribus arceſſit. Ibi multa ex ejus conſilio utiliter mutata, in iis præcipue magiſtratibus, quorum culpa minus tranquillæ domi res erant: multa utiliter in futurum ſtatuta.

LX. Rex cum uxore, ac præſidio Anglico, [1] qui domum deducerent, reverſus, Edimburgi in arce continere ſe decreverat. Eam tenebat Valterus Cuminius Taichiæ Comes, ob immutationem ſtatus publici ab Anglo factam, alienior. Tamen per Patricium Dumbarium, Anglicis auxiliis fretum, arcem coactus eſt dedere. Major pars Nobilitatis & Eccleſiaſtici ordinis, quorum potentia novis ſtatutis erat imminuta, offenſior, ea calumniabantur, quaſi jugum Anglicum, & ſervitutis initium. Eoque contumacia eorum proceſſit, ut in jus vocati, ut rationem rerum ſuperioribus annis a ſe geſtarum redderent, imperium contemnerent. Qui prius rerum turbandarum principes, iidem nunc non parendi auctores fuerunt. Hi fere Cuminiorum principes, Valterus Taichiæ, Alexander Buchaniæ, Joannes Atholiæ, Gulielmus Marriæ Comites, aliique ejuſdem ſectæ non obſcuri homines. Hi non auſi ad cauſſam dicendam venire, quippe multarum in tenues, ac Regem etiam injuriarum ſibi conſcii, periculum audacia diſcutere decreverunt. Explorato enim, Regem paucis comitatum, negligenter, ut in pace, ad Kinroſſum agere, manu clientium ſubito collecta, eum dormientem opprimunt, ac Sterlinum ducunt: ac, tanquam non per vim irrupiſſent, ſed jure fuiſſent electi, veteres miniſtros expellunt, novos aſſumunt, omniaque pro ſua libidine gerunt. Ac jam verterat terror in conſultores priores.

LXI.

1 *Qui*] [Miror virum doctiſſimum, qui ſimilia ſæpe notavit, hunc locum prætermiſiſſe. Ego certe exemplum ignoro, ubi poſt neutrum & femininum genus pronomen maſculini ponatur. *Præſidium* quidem pro militibus, qui præſidio eſſent, poſſe capi intelligo. ſed tamen mallem legere, *præſidio Anglorum*, niſi lapſum eſſe Buchananum fateri præſtat.]

LXI. Sed hunc motum ſedavit Valteri Cuminii mors, ab uxore Angla, ut creditum eſt, veneno extincti. Auxit ſuſpicionem, quod cum a multis Nobilibus ambiretur, ea amatori ſuo Joanni Ruſſello, juveni Anglo, nupſit. Ipſa veneficii accuſata, & in carcerem conjecta, ſalutem pecunia redemit. Ruſſellus cum uxore, literis a Pontifice impetratis, actionem damni dati, adverſariis coram Legato Pontificis intendit. Ea res ſine exitu fuit, quod veteri privilegio Scoti negabant, ſe poſſe ad cauſſam dicendam extra regnum evocari. Rex ſuæ poteſtatis factus, Cuminiis ſuppliciter petentibus veniam dedit, tanquam per Valteri mortem omnium ſcelere expiato. Sunt qui profuiſſe eis credunt, præter amplitudinem familiæ, etiam ab hoſte externo in rebus turbatis metum. Sed id bellum tardius omnium opinione geri cœptum eſt.

M.CC. LXIII. LXII. [1] Nam anno a Chriſto nato, M.CCLXIII. ad Cal. Auguſti, Acho Rex Norvegiæ, cum centum ſexaginta navibus, ad Aeram oppidum Coilæ maritimum applicuit, ac viginti millia militum expoſuit. Cauſſa belli prætendebatur, quod majoribus ſuis a [2] *Donaldo Bano* aliquot inſulæ promiſſæ, nondum eſſent traditæ; Bota videlicet & Arania, & utraque Cumbra, quæ nunquam inter Æbudas adnumeratæ fuerant. Sed quærenti bellum ſatis erat eas eſſe inſulas. Duas maximas earum direptas, captis arcibus, antequam obviam iri poſſet, Acho in ſuam poteſtatem redegerat. Hoc ſucceſſu elatus, in Cunigamiam, proximam continentem ex adverſo Botæ, deſcendit, eam in partem [3] quam Largas vocant. Ibi duplici infortunio, eodem fere momento, perculſus fuit. Primum, cum Alexandro Stuarto, ejus qui ex ea familia primus in Scotia regnum

1 *Nam anno a Chriſto nato* 1263 *ad Cal. Auguſti*] Torfæus pag. 165 & ſeqq. fuſe hanc Achonis in Scotiam expeditionem deſcribens, a noſtris ſcriptoribus plurimum diſcrepat. Ille enim contendit belli cauſſam a Scoto primum ortam, qui, *Comite Roſſiæ adverſus Æbudenſes miſſo, ingenti eas clade affecerat, qua injuria Achonem provocatum, e Norvegia cum ingenti claſſe* 11 *Julii ſolviſſe; poſt duas deinde hebdomadas Orcades vectum, die Sancti Laurentii*, i e. 10 *Auguſti fretum Picticum trajeciſſe: cumque non multo poſt Æbudas perveniſſet, & pax legatis utrinque miſſis inter Reges coire non poſſet, Lornam & Locbabriam vaſtaſſe, multaſque prædas ad naves retuliſſe: ſecundo Octobris die fœdiſſima tempeſtate coorta, Achonis claſſem miſere vexatam, navemque aut alteram a Scotis exſpoliatam fuiſſe.* Hæc quidem aliqua ex parte vera eſſe poſſunt; at quæ mox ſubjicit falſis propiora videntur. Ait enim *milites Norvegos in terram exſcendiſſe non plures in univerſum quam octingentos, & quamvis Scotorum numerus decuplo major eſſet, eos tamen fortiter prælium ad veſperam fere ſuſtinuiſſe, pluribuſque e Scotis quam ſuis occiſis ad naves tandem evaſiſſe*, &c.

2 *Donaldo Bano*] Libri omnes *a Macbetho*; nos vero admonente Crafordio *Donaldo Bano* repoſuimus; ſecus enim ipſe ſibi Buchananus diffidebit, qui lib. VII. 23. Æbudas a Donaldo Bano Norvegorum Regi ait promiſſas, ſi ejus auxilio regno Scotorum potiretur. Scriptores autem Norvegi, præcipue Torfæus Hiſt. rerum Orcadenſ. has inſulas non a Donaldo Bano, ſed a Milcolumbo III. ejus fratre Norvego conceſſas volunt.

3 *Quam Largas vocant*] Commiſſum eſt hoc prælium ad Largas die Martis 2. Octobris anni 1263, conſentientibus Torfæo & Chron. de Mailros. Mire autem hic variant ſcriptores Scoti, Extract. enim 8. Septembris, Ballendenus 3 Auguſti, Geo. Crafordius 8 ejuſdem menſis pugnatum tradunt.

gnum geſſit proavo congreſſus, a multitudine Scotorum prope circumventus, trepide ad naves refugit. Deinde, navibus fœdiſſima tempeſtate vexatis, cum paucis qui ſuperfuerunt, ægre ad Orcadas delatus eſt. Deſiderata in eo prælio fuerunt de Norvegis ad ſedecim millia, de Scotis quinque. Sunt qui Regem Alexandrum in hoc affuiſſe conflictu tradant. Verum & apud hos quoque Alexandri Stuarti honorifica fit mentio. Acho, mœrore amiſſi exercitus, ac propinqui ſui juvenis fortiſſimi, cujus nomen non traditur, morte confectus diem obiit.

LXIII. Ejus filius Magnus, qui nuper advenerat, res magis quam ratus erat deſperatas conſpicatus, præſertim cum auxilia domo ante ver non ſperaret; ac præterea Inſulanorum animos cernens alienatos, & a Scotis, quorum fiducia pater ejus bellum ſuſceperat, deſtitutum ſe intelligens, animum facile ad pacem flexit. Neque magis prælium adverſum, quam ab Inſulanis metus, adoleſcentis ferociam infregerat. Nam jam Alexander, navibus circummiſſis, Mannam, inſulam inter Scotiam & Hiberniam medio fere curſu ſitam recuperaverat, ea lege, ut inſulæ Regulus, quoties opus eſſet, decem naves longas ad Regem mitteret: Rex vero eum ab hoſte externo defenderet. Hanc inclinationem animorum cum reliquæ inſulæ ſecuturæ viderentur, Magnus de pace Legatos miſit: quam cum Alexander, niſi receptis Æbudis, recuſaret, tandem pacificatoribus ultro citroque commeantibus [1] convenit, ut Æbudas Scotus teneret; [2] in præſentia quatuor millia marcarum argenti, in ſingulos autem annos centum marcas numeraret: præterea, ut [3] Margarita Alexandri filia, [4] quatuor annorum puella, cum per ætatem commodum eſſet, Hangonano Magni filio nuberet.

LXIV. Circa hæc tempora, cum civili bello Rex Anglorum diſtineretur, miſſa ſunt ad eum quinque Scotorum millia, ducibus Roberto Bruſſio & Alexandro Cuminio. Hunc, Joannem ſcriptores Angli vocant. Eorum maxima pars in prælio cæſa fuit. Cuminius, una cum Rege Anglo, & filio, multiſque Procerum, qui pro Rege ſteterant, captus. Regem etiam Scotorum ſollicitum habuit domi Sacerdotum & Monachorum arrogantia, qui a ſuperioribus Regibus ditati, diuturna pace laſcivire cœperant; ac Nobilitati, quam opibus an-

1 *Convenit, ut Æbudas Scotus teneret*] Hæc conventio apud Torfæum habetur pag. 199. ſcripta Perthi die Veneris proxima poſt feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, *i. e.* 2 die Julii 1266.

2 *In præſentia quatuor millia marcarum*] Non quidem *in præſentia*, ſed intra quatuor annorum ſpatium, ita ut unoquoque anno mille marcæ ſolverentur.

3 *Margarita Alexandri filia*] In prædicto inſtrumento nulla harum nuptiarum mentio injecta, nec ſane injici poterat, ſiquidem Ericus (quem noſtri ſcriptores Hangonanum appellant) nondum erat tum natus; ex contractu enim, quem matrimonialem vocant, inter Ericum Regem Norvegiæ, & Margaritam Alexandri Scoti filiam, poſt 15 annos, *i. e.* 25 Julii 1281, ſcripto, apparet eum tum 14 ætatis annum nondum complevi ſſe. Vid. Rymeri Fœd. Angl. Tom. 2. pag. 1079. Quin & Torfæus, qui non Scotos modo ſcriptores, ſed Pontanum eos ſecutum, hic perſtringit, Ericum anno demum 1270 natum affirmat.

4 *Quatuor annorum puella*] Imo vero *6 annorum*, utpote nata (teſtantibus Chron. de Mail. Extr. & Vinton.) anno 1260. Errat tamen Major qui fol. 67. eam natam tradit anno 1257.

anteibant, omnibus in rebus antecellere, aut ſaltem æquari velle. Id juventus indignum rata, cum aſperius eos acciperet, querelæ ad Regem ſunt delatæ. Quas ille, ſive quia injurias non tantas eſſe credebat, quantas eas Sacerdotes videri volebant, ſive quia haud immeritis credebat illatas, cum non magni faceret; continuo cum omnibus illi, [1] præterquam Regibus, ſacris interdixiſſent, minabundi Romam ire inſtituunt. Sed Rex memor, quantas in Anglia Thomas Beckethus, ambitionis Eccleſiaſticæ ſignifer, turbas nuper dediſſet, profecturos prope de itinere revocavit: nec eorum avaritiæ modo, ſed etiam arrogantiæ Nobilitatem ſatisfacere coëgit. Plurimum vero ad eos placandos profecit, Eccleſiaſticorum patrocinium adverſus Romanenſium avaritiam a Rege ſuſceptum. Nam paullo ante, Ottobonus Romani Pontificis Legatus in Angliam venerat, ut civiles diſcordias ſedaret. Sed cum id cur venerat perficere non poſſet, omiſſa cura publica, ad privatum ſe quæſtum convertit, & Concilium Eccleſiaſticum Anglis indixit, evocatis ad id Scotorum Legatis. Interim, a ſingulis Parœciis per totam Scotiam quatuor argenti marcas, a Cathedralibus Eccleſiis ſex, in ſumtum ſuæ procurationis exigere tentavit. Vix hæc collatio rejecta eſt, cum allatum eſt, alium Legatum ad Scotos jam in Angliam appuliſſe, prætextu pecuniæ ad bellum Sacrum colligendæ. Ac præter Indulgentias, aliaque pecuniæ cogendæ aucupia, ab Epiſcopis, Cœnobiarchis & Parochis ſingulis (ut ab iis quos proprie Pontificiæ ditionis putabat) decimam omnium proventuum partem exprimere decreverat; ut Eduardus & Edmondus, filii Regis Angliæ, comitatiores ad bellum Syriacum proficiſcerentur.

LXV. Scoti cum eam collationem gravem & iniquam putarent, eo tum id eis erat moleſtius, quod Angli viderentur confeſſionem exprimere velle, Scotiam ſui juris eſſe. Accedebat & ille timor, ne Legatus pecuniam in bellum collatam, per nequitiam (quod ante paucos annos factum meminerant) diſperderet. Quare eum fines ſuos ingredi vetant. Seſe enim, abſque ejus operâ, pecuniam in expeditionem Syriacam coacturos, & militem eo miſſuros. Et milites quidem, ducibus Carictæ & Atholiæ Comitibus, primæ nobilitatis hominibus, ad Ludovicum Regem Gallorum miſerunt: ad Pontificem vero, ne omnino ſpretus videretur, mille marcas argenti. [2] Proximo anno, mortuo Rege Anglorum Henrico, ſucceſſit Eduardus primus, cui coronando affuit Alexander cum uxore, quæ reverſa, brevi poſt mortua eſt. Ac, non longo in-

1 *Præterquam Regibus*] i. e. *Regi & Reginæ*: ita enim Buchanano ſæpius *Regum* nomine *Rex* & *Regina* comprehenduntur, ad exemplum Livii lib. 27. cap. 4. *Ad Ptolemæum & Cleopatram Reges legati miſſi.* [Vide ibi Gronov. & notas ad Quinctil. IX. de Inſtit. Orat. 3. & Declam. CCLXXIX. & Calpurn. Decl. XII. & XLIII.]

2 *Proximo anno*] Facta eſt expeditio in terram ſanctam anno 1270, quo etiam *videl.* 25 Aug. Ludovicus Gallus obiit, Henricus vero Anglus mortuus eſt 20 Novembris 1272, nec niſi duos poſt annos, *i. e.* 1274 ejus filius Eduardus eſt coronatus. Vide Mezeraium Hiſt. Fran. Tyrell. *&c.* Aut igitur, *Poſt quatuor annos*, aut ſimile quid, dixiſſe debebat, aut certe tempus quod ille *proximus annus* reſpiciat, paullo clarius ſignificaſſe.

1. *Anno*

interjecto tempore, prope continuatis funeribus, deceſſerunt David Regis filius, ac deinde Alexander, jam uxore accepta Comitis Flandriæ filia: item Margarita quoque Regis filia, quæ ex Hangonano Rege Norvegiæ filiam reliquit. Alexander uxore & omnibus liberis intra paucos annos orbatus, Joletam filiam Comitis Druidum conjugem accepit: & intra annum vertentem, ipſe ab equo lapſo excuſſus, fractis cervicibus interiit, non procul a Kingorno, [1] anno Salutis noſtræ M. CCLXXXV. XIV. Cal. April. [2] Vixit annos XLV. regnavit XXXVII. MCC. LXXXV.

LXVI. Deſiderium ſui reliquit, quantum nullus unquam Regum Scotorum: non tam quod omnibus corporis & animi virtutibus præditus deceſſiſſet, quam quod homines jam tum animis proſpiciebant, quantæ calamitates in univerſum regnum, ex ejus morte eſſent redundaturæ. Leges ſaluberrimas ab eo conditas hominum negligentia & temporis longinquitas antiquavit. Utiliter ab eo inſtituta magis fama celebrantur, quam conſuetudine uſurpantur. Diviſo regno in quatuor partes, ſingulis prope annis totum obibat, ac ternos fere menſes in ſingulis morabatur, ad jus dicendum & pauperum querimonias audiendas. Hoc toto ſpatio, etiam tenuiſſimis ad eum aditus erat. Quoties juridicos conventus adiret, præfectos eorum cum lecta manu præſto advenientem excipere jubebat, & abeuntem ad limitem ſuæ juriſdictionis deducere. Ibi a proximo præfecto excipiebatur. Hac ratione aſſequebatur, ut totam Nobilitatem noſceret, & ab omnibus noſcitaretur; [3] nec populus, qua ibat, turba Aulicorum (quæ fere & rapax & imperioſa eſt) gravaretur. Magiſtratibus imperabat, ut otioſos, qui nec artem ſcirent, nec patrimonium haberent, ſevere compeſcerent: quod omnium ſcelerum ac flagitiorum, ex otio velut fonte primordia dimanare exiſtimaret. Comitatus equeſtris modum, qui ſequeretur Nobiles, ad certum numerum redegit: quod equorum multitudinem, quorum in bello nullus eſſet uſus, annonæ gravem arbitraretur. Cum vel navigandi inſcitia, vel temere ſe mari committentium avaritia, multa fierent naufragia; & ad hæc

1 *Anno ſalutis noſtræ* 1285] Boëthius anno 1286, quem & Tyrellus ideo Buchanano præfert. Sed neuter alteri hac in parte anteponendus, uterque enim recte juxta ſuam ſupputationem: Boëthius enim Romanam ſequitur, quæ annum, uti nos nunc Kal. Januarii orditur; Buchananus vero, & una cum illo Extr. & Ballendenus, antiquam Eccleſiæ Scoticæ conſuetudinem, quæque adhuc apud Anglos viget, ſecuti, anni initium a 25 Martii repetunt: cum vero juxta Buchananum Alexander III. exſtinctus eſt 19 Martii, pro varia inchoandi ratione, annus erit Chriſti nati 1285, aut 1286. Cæterum hæc res non ſemper ſcriptoribus noſtris diligenter animadverſa, multam in temporibus rite diſcernendis difficultatem, ac graves etiam errores, ut poſtea oſtendemus, creavit.

2 *Vixit annos* 45, *regnavit* 37] Natus 4 Septemb. 1241, regnum iniit 8 Julii 1249, ut ſuperius indicavimus, ac proinde vitæ tantum agebat, nondum compleverat, annum 45, regnique 37.

3 *Nec populus*] Libri omnes *populum*, male, mea quidem ſententia, neque enim verbum *gravor* unquam deponens eſt, quod quidam exiſtimant, eo quod poſt ſe caſum quartum nonunquam adſciſcat, ut apud Silium lib. 2. verſ. 594. ——— *Lucemque gravantur*: at nulla hæc ratio; ſubintelligitur enim *ob* vel *propter*, qualis quidem Ellipſis in hac ſententia locum habere non poteſt.

hæc accedente piratarum violentia, mercatorum ordo prope ad inopiam redactus eſſet, quæſtus cauſſa ſuos navigare vetuit. Id inſtitutum cum prope annum duraſſet, ac multorum ſermonibus, tanquam publice noxium reprehenderetur; tandem peregrinarum mercium brevi tanta vis invecta eſt, ut non ſolum rerum copia, ſed pretii vilitas memoriam ſuperiorum temporum ſuperaret. Verum, ut hîc quoque mercatorum ordini conſuleretur, vetuit quenquam a peregrinis invecta emere, præter mercatores: [1] cæteros autem, quod cuique uſui eſſet, ab illis redimere.

1 *Cæteros autem*] Præceſſerat *vetuit*, at hic contrariæ ſignificationis vocabulum eſt ſupplendum; non enim *vetuit* cæteros quod cuique uſui eſſet ab aliis redimere, ſed *ſtatuit*, ſeu iis *permiſit*. Multa ejuſmodi exempla apud auctores occurrunt, veluti Terent. Andr. III. 5. *Hoc tempus præcavere mihi me, non te ulciſci ſinit:* ubi priori clauſulæ ſubintelligendum verbum *cogit*. Phæd. IV. 17. *Non veto dimitti, verum cruciari fame*, ſupple *jubeo cruciari fame*. Vid. Dacieriam in locum Terentii ſupra cit. [Et qui adducuntur in notis ad Phædr. d. l.]

LIBER OCTAVUS.

I. ALexandro, cum tota ſtirpe (præter unam ex filia neptem) extincto, conventus Ordinum Sconam indicitur, in quo de [1] novo Rege creando, & ſtatu regni interim componendo ageretur. Eo cum frequens Nobilitas veniſſet, primum omnium ſex creant, qui ſummæ rerum præeſſent: regionibus ita diviſis, ut Duncanus Macduffus Fifæ, Joannes Cuminius Buchaniæ Comites, Gulielmus Fraſerius Fani Andreæ [2] Archiepiſcopus, partem regni quæ ad ſeptentrionis pertinet, regerent: [3] meridiem ſpectantibus præeſſent Robertus Glaſcuenſis Epiſcopus, alter item Joannes Cuminius, & [4] Joannes Stuartus: limes in medio Fortha

1 *De novo Rege creando*] Non de novo Rege creando, ſed (quod Tyrellus obſervat) de marito parvulæ Reginæ eligendo, indictus eſt hic Ordinum conventus.

2 *Archiepiſcopus*] Nullum tum Scoti Archiepiſcopum habuimus, nec per duo poſt id tempus ſecula, cum regnante Jacobo III. Patricius Gramus, referente ipſo Buchanano, eo primus titulo eſt cohoneſtatus. Ab antiquiſſimis quidem temporibus Epiſcopi Fani Andreæ inter ſui ordinis viros principem ſemper locum tenere exiſtimabantur, unde non Buchanano modo, ſed Spotiſvodio, & D. Geo. Mackenzæo necopinis occaſio data eſt, eos nonnunquam Archiepiſcopos appellandi, priuſquam eo honoris vocabulo aucti eſſent: nec vero id tam grave piaculum, ut eruditiſſimus Mackenzæus a Stillingfletio propterea ſugillari meruerit.

3 *Meridiem ſpectantibus*] Supple *partibus*. [Sed poteſt in neutro a *ſpectantia* deductum capi.]

4 *Joannes Stuartus*] Hic filius erat Alexandri Stuarti Seneſcalli ſeu Dapiferi Scotiæ, qui Norvegos ad Largas debellavit: verum tamen ei nomen non *Joanni*, ſed *Jacobo* fuit, quod non modo alii noſtri ſcriptores, ſed inſtrumenta publica, a Prynio, Rylæo, Geo. Crafordio Hiſt. Fam. Stuart. in primis vero Rymero Fœd. Angl. memorata confirmant.

tha annis eſſet. Eduardus Anglorum Rex, gnarus ſuæ ſororis neptem Regis Norvegiæ filiam, unam ex Alexandri poſteris eſſe ſuperſtitem, eandemque regni Scotorum legitimam hæredem, Legatos, ad eam depoſcendam filio ſuo uxorem, in Scotiam miſit. Hi, cum in conventu publico, multa de utilitate publica, quæ hoc matrimonium eſſet ſecutura diſſeruiſſent, Scotorum animos ab ea affinitate non alienos invenerunt.

II. Erat enim Eduardus vir magni animi, magnæque potentiæ, majoris etiam cupidus: ejuſque virtus, patre vivo, in bello Sacro, & mortuo, in ſubigenda Vallia enituerat. Neque Scotorum nomen unquam Anglo conjunctius fuiſſe meminerant, quam ſub poſtremis Regibus. Nec odia vetuſta unquam commodius aboleri poſſe videbantur, quam ſi uterque populus, honeſtis & æquis conditionibus, in unum coiret. Igitur, facile de matrimonio eſt conſenſum. Adjectæ tantum, utraque parte approbante, conditiones, [1] ut Scoti tantiſper ſuis legibus & magiſtratibus uterentur, donec ex eo matrimonio liberi naſcerentur, qui regni potentes eſſent. Quod ſi forte nulli procrearentur, aut nati ante legitimam regno ætatem decederent, tum regnum Scotorum ad proxime e Regia ſtirpe propinquos tranſiret.

III. Rebus ita compoſitis, Legati in Norvegiam miſſi Michaël (aut, ut allii habent, David) Vemius & Michaël Scotus, Equites Fifani illuſtres, & ſummæ prudentiæ apud ſuos illis temporibus habiti. Hi, quod Margarita (id enim nomen erat puellæ) [2] ante adventum eorum diem obierat, mœſti re infecta domum redierunt. Ex ejus autem puellæ immatura morte, orta de regno eſt controverſia, quæ Angliam vehementer concuſſit, Scotorum pene nomen delevit. Competitores enim extiterunt, homines ſumma potentia, Joannes Balliolus & Robertus Bruſſius: e quibus Balliolus in Gallia, Bruſſius in Anglia, uterque in Scotia magnas poſſeſſiones, multas propinquitates habebant. Sed antequam controverſias eorum attingam, quo magis omnia ſint perſpicua, pauca ſupra repetam.

IV. Scotorum tribus proximis Regibus, Gulielmo, Alexandris item ſecundo & tertio, cum tota ſobole extinctis, ſupererant, qui regnum jure peterent, Davidis Comitis Hundintoniæ aut Venantoduni poſteri. Fuerat autem David Gulielmi Regis frater, Alexandri autem tertii magnus patruus. Is, accepta in Anglia uxore Mathilde Comitis Ceſtriæ filia, tres ex ea genuit filias. Earum natu maxima Margarita, Alano Gallovidiano, homini inter Scotos præpotenti nupſit. Secunda, Roberto Bruſſio, cognomento Nobili, Anglo genere & opibus claro, fuerat collocata. Tertiam accepit Henricus Haſtingus, item An-

1 *Ut Scoti tantiſper ſuis legibus & magiſtratibus uterentur*]. Imo vero non *tantiſper*, ſed *in perpetuum* ſuis legibus & magiſtratibus uterentur. Vide Conventionem ipſam apud Rymerum Fœd. Ang. Tom. 2. pag. 582:

2 *Ante adventum eorum diem obierat*] i.e. juxta Tyrellum & Knightonum A.C. 1290, juxta Extracta vero 1291, quatuor vel quinque annis a morte Regis Alexandri: eamque ob cauſſam mea quidem ſententia inter Scotiæ Reges Margarita locum tenere debet, præſertim cum in Actis publicis, & a Buchanano etiam ipſo lib. VIII, 9. Regina appelletur.

 1 *Ethre-*

Anglus, cujus poſteri Comitatum Venantoduni adhuc, magna cum laude tenent. Sed eo (quod a regni petitione ſe abſtinuit) omiſſo, de Ballioli & Bruſſii genere, majoribus & cauſſa orationem proſequamur.

V. Gulielmo in Scotia rerum potiente, Ferguſius Gallovidiæ Regulus duos reliquit filios, Gilbertum & [1] Ethredum. Gulielmus, ut diſcordiarum inter fratres ſemina tolleret, paternam hæreditatem æquis portionibus diviſit. Eam æquationem Gilbertus, qui major natu erat, indigne ferens, fratrem ut æmulum, & Regem ut parum æquum juxta oderat. Itaque, Rege ab Anglis capto, liberatus metu legum, odium diu reconditum in utrumque expromſit. Fratrem enim, cum nec opinantem cepiſſet, erutis oculis & lingua exſecta (ſimplice morte non contentus) graviter & diu cruciatum extinxit: & ipſe ad Anglorum partes ſe adjunxit, prædaſque ex agris finitimis velut ex hoſtico agens, in cives ſuos omni clade belli ſæviebat. Ac niſi Ethredi filius Rollandus, collecta ad ſe popularium, qui in fide Regis perſtiterant manu, ei reſtitiſſet, regiones propinquas vel omnibus bonis ſpoliaſſet, vel in ſuas partes traxiſſet. Rollandus enim, juvenis acer, ſummis animi corporiſque viribus, & patrui impetus retundebat, & cum Anglis (dum vel populantes reprimit, vel agros eorum ipſe populatur) ſemper fortiter, ſæpe etiam feliciter conflixit. Rege tandem ad ſuos reverſo, Gilbertus, deprecantibus amicis, venia donatur; promiſſa ob damna data pecunia, ac datis in id vadibus.

VI. Sed Gilberto paucis poſt diebus mortuo, qui ſub eo ſanguini & prædæ aſſueverant, cum ſe in Regis Angliæ fidem tradidiſſent, ſeu ingenii inconſtantia, ſeu metu pœnæ ex conſcientia ante factorum ſtimulati, arma reſumſere, ducibus Gilpatricio, Henrico Kennedo & Samuele, qui antea Gilberto flagitiorum auctores & adminiſtri fuerant. Adverſus eos Rollandus cum exercitu miſſus, gravi prælio facto, principes eorum, magnamque promiſcuæ plebis multitudinem occidit. Qui ex eo conflictu ſupererant, ad quendam Gilcolumbum fugerunt prædonum ducem, qui late populando Lothianam pervagatus, multos Nobilium ac ditiorum afflixerat, quoſdam etiam occiderat. Inde in Gallovidiam profectus, Gilberti cauſſam ab aliis pro deſperata relictam ſuſcepit: nec ejus tantum agros ſibi vindicavit, ſed pro Gallovidiæ totius Domino ſe gerebat. Tandem inito cum Rollando conflictu, ad Cal. Octob. tertio fere poſt Gilberti partes profligatas menſe, cum maxima parte ſuorum cecidit, paucis e Rollandi exercitu deſideratis, & in iis fratre ipſius juvene ſtrenuo.

VII. Anglus cladem eorum (ut qui ſuperiore anno in fidem ejus ſe dedidiſſent) moleſte ferens, Carleolum uſque cum exercitu progreſſus eſt. Ibi ad eum, Gulielmi Regis opera ſibi placatum, Rollandus venit: & inimicorum calumniis refutatis, ac demonſtrato, quam nihil temere, nihil injuſte adverſus inimicum ſuum, atque etiam publicum geſſiſſet, a Rege honorifice eſt dimiſſus. Gulielmus illinc domum reverſus, memor & perpetuæ patris ejus Ethredi conſtantiæ, & rerum ab ipſo pro cauſſa publica geſtarum, totam ei Gallovidiam dedit.

1 *Ethredum*] Extat in libro Calſonenſi inſtrumentum Rollandi Gallovidiani, quo hunc patrem ſuum *Uchtredum* nominat.

dedit. Gilberti etiam filium, utcunque de ſe meritum, Carićta donavit. Gulielmus Neobrigenſis Anglus hæc in annum M. CLXXXIII. refert. Rollandus uxorem duxerat ſororem Gulielmi Morvillii, qui Comes ſtabuli in Scotia erat: quo ſine liberis defuncto, Rollandus hæreditarium eum magiſtratum accepit. Ei filius fuit Alanus, qui ob ſtrenuam operam Joanni Anglo in Hibernia navatam, opulentiſſima accepit prædia: quo nomine, permittente Gulielmo Scoto, Regis Anglorum beneficiarium ſe profeſſus, in verba ejus juravit. Duxit uxorem Alanus Margaritam, primogenitam Davidis Hundintonii. Ex ea tres filias ſuſcepit: quarum maximam Dornagillam collocavit Joanni Balliolo, [1] *patri Joannis Ballioli*, qui Scotorum aliquot annos Rex fuit. Robertus vero Bruſſius, qui Iſabellam ſecundam Davidis filiam duxerat, [2] *ex ea genuit Robertum filium*, [3] qui Carićtæ Comes eſt dictus, hanc ob cauſſam quam dicam. Martha Carićtæ Comes, jam nubilis, ac [4] patris qui in bello Sacro deceſſerat unica hæres, cum forte inter venandum conſpexiſſet Robertum Bruſſium, omnium æqualium adoleſcentium longe formoſiſſimum, eum in arcem ſuam propinquam benigne invitat, ac renuentem prope invitum ducit. Ibi, cum ætas, forma, genus, mores, facile mutuum amorem conciliaſſent, paucis conſciis, matrimonio copulantur. Id cum Rex, cui jus erat puellæ collocandæ, reſciſſet, licet utrique graviter ſuccenſeret, tamen per amicos poſtea fuit placatus. Ex hoc matrimonio genitus eſt Robertus Bruſſius, qui poſterius regnum apud Scotos geſſit.

M. C. LXXXIII.

VIII.

1 *Patri Joannis Ballioli*] Has voces neceſſario inſerendas oſtendunt quæ mox ſequuntur, neque enim Dornagillæ maritus, ſed filius jus ullum in Scotiæ regnum habebat.

2 *Ex ea genuit Robertum filium*] Hæc verba in omnibus fere editis libris deſiderata ex MS. repoſuimus: neque aliter ſententia aut ſibi auctor conſtare poteſt.

3 *Qui Carićtæ Comes eſt dictus*] Non ille, ſed ipſius filius Carićtæ Comes eſt dictus. Vid. infra Cap. 9. Mirum ſane eſt non Buchananum modo, ſed omnes fere tam Scotos quam Anglos ſcriptores in hac nobiliſſima atque omni ævo memorabili controverſia explicanda, toties & tam graviter lapſos. Longum eſſet, nec operæ pretium, ſingulorum errores recenſere. Satius exiſtimavi ex indubitatis documentis, in primis ex Rymeri Actis publicis, totius rei ſeriem tabula Genealogica delineatam, oculis legentium ſubjicere, unde vel primo aſpectu dignoſci queat quo juris titulo vel colore, non tantum Robertus Bruſſius & Joannes Balliolus, ſed reliqui etiam Competitores regnum ſibi Scotiæ vindicabant.

4 *Patris qui in bello ſacro deceſſerat*] Chron. de Mail. non ejus patrem, ſed maritum priorem, quem Adamum de Kilconcath Comitem de Carrick appellat, obiiſſe tradit: Extractorum vero de Chronicis Scotiæ auctor Buchanano conſentiens ejus patrem (quem & Nigellum nominat) in bello ſacro defunctum narrat. Et fieri quidem poteſt, ut uterque & pater & maritus ad bellum ſacrum profecti, atque in Palæſtina exſtincti fuerint. Cum autem omnes auctores conſentiant ex hoc matrimonio Robertum Bruſſium Carićtæ Comitis titulum acquiſiviſſe, vero ſimillimum videtur Martham Carićtæ hæredem fuiſſe, licet pro more tum & ſequenti ſeculo apud Scotos recepto, cum utroque ejus marito Comitis Carićtæ titulus & honores eſſent communicati. Quod ſi ille Adamus de Kilconcath prior ei conjux fuerat, fruſtra adduntur hæ voces [*jam nubilis*] de ea quæ jam antea nupta fuerat.

1 *Dor-*

VIII. Igitur hæc præfati abunde, ad rem præſentem & Competitores veniamus. Hi autem erant, [1] Dornagilla Davidis Hundintonii ex majore filia neptis, & ex minore [2] Robertus Bruſſius Carictæ Comes, [3] ejuſdem Davidis *nepos*. Pro [4] Dornagilla faciebat mos patrius, quo, [5] qui *natu major* eſt jure potior habetur. Pro Roberto ſexus, quod in pari propinquitatis gradu mares fœminis præferantur. Itaque negabat æquum eſſe, ut, vivo nepote, neptis in avita bona ſuccederet. Et quanquam in privatorum popularium hæreditatibus cernendis, interim aliter fiat; in eis tamen bonis quæ feodi (ut vocant) nomine tenentur, ac regnorum ſucceſſionibus, contrarium jus eſſe. Jactabatur exemplum recens, in [6] controverſia de Ducatu Burgundiæ: quem qui petebat [7] Comes Nivernenſis, licet haberet uxorem, Ducis proximi ex [8] filio natu maximo neptem, tamen filio Ducis minori, fratris adjudicata fuit hæreditas. Robertus igitur contendebat, ſe Joanne Balliolo gradu priorem, nempe nepotem pronepote: Dornagillæ autem, cum qua in gradu erat æquali, præferendum, quippe marem fœminæ.

IX. Hanc controverſiam Proceres domi non poterant dijudicare: quod, ob partium potentiam, totum regnum in duas factiones diſceſſerat. Balliolus enim per matrem, totam Gallovidiam regionem ampliſſimam tenebat; Cuminiam familiam, ſecundum Reges potentiſſimam, affinitate ſibi junctam habebat per Joannem Cuminium, cui Maria Dornagillæ ſoror nupſerat. Robertus, [9] qui in

1 *Dornagilla*] In Rymeri Actis publicis Dervegildis ſeu Dervegulda conſtanter appellatur.

2 *Robertus Bruſſius Caricta Comes*] Non hic Competitor erat, ſed ipſius pater Robertus Bruſſius Annandiæ Regulus, ut poſtea monſtrabimus. Vide Notam 1. pag. ſeq.

3 *Ejuſdem Davidis nepos*] Ita emendandum tum res ipſa, tum quæ poſt ſequuntur in fin. huj. cap. & cap. 11. huj. lib. poſtulabant. In omnibus tamen libris [*pronepos*] legitur.

4 *Dornagilla*] Ex prædictis Actis liquet Dornagillam (ſive Dervegildem) ante hoc tempus fato ſuo functam, licet Alexandro III. aliquamdiu ſupervixerit, ac proinde inter Competitores non debuiſſe cenſeri.

5 *Qui natu major eſt*] Ita reſtituimus, libri tamen omnes [*qui gradu propior*,] repugnante ſenſu; mox enim ſubdit, *in pari propinquitatis gradu mares fœminis præferri.*

6 *Controverſia de Ducatu Burgundiæ*] Controverſia hæc erat. Hugo III. Burgundiæ Dux ex Jolantha uxore tres filios ſuſcepit, Eudum, Joannem & Robertum. Eudus primogenitus ante patrem moritur A. C. 1267, quatuor filiabus relictis, quarum major Iole, ſeu Jolantha, per matrem Iſabellam trium Comitatuum, Nivernenſis *ſcil.* Tonnerenſis & Altiſſiodorenſis hæres, primum Triſtano Franco, S. Ludovici Regis filio, ac deinde, eo ſine liberis defuncto, Roberto Flandriæ Comiti uxor eſt data. Poſtea, *i. e.* anno 1273. mortuus eſt eju us Hugo III. Burgundiæ Dux, cui (Iole ex filio natu maximo nepte omiſſa) ſucceſſit filius natu ſecundus Joannes, eique, unica tantum filia ſuſcepta, exſtincto, pariter ſucceſſit frater natu tertius Robertus, qui pro Ducatu Burgundiæ cum Roberto Comite Flandriæ apud S. Ludovicum Francorum Regem diu litigavit. Vide Reuſneri opus Geneal. pag. 310. Morerium Diction. Hiſt. *&c.*

7 *Comes Nivernenſis*] *Comes Flandriæ* potius dixiſſe debuerat, licet forte Nivernenſis titulum ab uxore Iole derivatum uſurpare voluerit.

8 *Filio Ducis minori fratris adjudicata fuit hæreditas*] *i. e.* Roberto Hugonis Burgundi filio natu tertio.

9 *Qui in Anglia Clevelandiam, in Scotia Annandiam & Gariocham*] Cum, diverſa ſen-

Series Genealogica COMPETITORUM regni Scotiæ anno 1291, ALEXANDRO III. Scotorum Rege cum tota ſobole exſtincto.

DUNCANUS I. Rex Scotorum.

- *DONALDUS* VII. Banus cognominatus, Scotorum Rex.
  - Bethoca.
    - Exildis.
      - Gul. Cuminius.
        - Richardus Cuminius.
          - Joannes Cuminius.
            - Joannes Cuminius Badenachæ Regulus, Comp.
            - Gulielmus Cuminius Badenachæ Regulus, ſine prole exſtinctus.
- *MILCOLUMBUS* III. Μεγαλοκέφαλος cognominatus, Scotorum Rex.
  - *DUNCANUS* II. nothus, Rex Scotorum.
  - Eduardus, cum patre ad Alnevicum occiſus.
  - Edmondus & Ethelredus impuberes mortui.
  - *EDGARUS*, Scotorum Rex, ἄπαις.
  - *ALEXANDER* I. cognom. Acer, Scotorum Rex, ἄπαις.
  - *DAVID* I. Scotorum Rex.
    - Henricus Princeps Scotiæ & Cumbriæ.
      - Margeria.
        - Alicia.
          - Henricus Pinkenius.
            - Robertus Pinkenius, Comp.
      - Ada uxor Florentii Comitis Hollandiæ.
        - Florentius Comes Hollandiæ.
          - Gulielmus Comes Hollandiæ.
            - Florentius Comes Hollandiæ, Comp.
      - David Comes Huntintoniæ & Gariochæ.
        - 4. Ada uxor Henrici Haſtingi.
          - Henricus Haſtingus.
            - Joannes Haſtingus, Bergevenicæ Regulus, Comp.
        - 2. Iſabella uxor Rob. Bruſſii.
          - Robertus Bruſſius Annandiæ Regulus Comp.
            - Robertus Bruſſius Comes Carictæ.
              - *ROBERTUS* Bruſſius Rex Scotorum.
                - *DAVID* Bruſſius Rex Scotorum.
                - Margeria uxor Valteri Stuarti.
                  - *ROBERTUS* Stuartus Rex Scotorum.
        - 1. Margarita uxor Alani Galloviani.
          - Thomas & Chriſtiana ſine prole.
          - Dervegildis, ſeu Dornagilla, uxor Joannis Ballioli.
            - Hugo, Alanus & Alexander Ballioli ſine prole.
            - *JOANNES* Balliolus Comp. & Rex Scotorum.
              - *EDUARDUS* Balliolus Rex Scotorum.
            - Maria uxor Jo. Cuminii Badenachæ Reguli.
              - Jo. Cuminius Ruber cognom. a Ro. Bruſſio cæſus.
        - 3. Mathildis ſine prole.
        - Henricus David & Joannes, nulla prole relicta defuncti.
      - *GULIELMUS* Leo cognominatus, Rex Scotorum.
        - Henricus Galithlius nothus.
          - Patricius Galithlius, Comp.
        - Aufrica notha.
          - Gulielmus.
            - Aufrica.
              - Agatha.
                - Rogerius Mandevillius, Comp.
        - Margeria notha.
          - Gul. Veſcius.
            - Gulielmus Veſcius, Comp.
        - Ada notha.
          - Patricius Comes Marciæ.
            - Patricius Comes Marciæ.
              - Patricius Comes Marciæ Comp.
        - Iſabella notha.
          - Gul. Roſſius.
            - Rob. Roſſius.
              - Gul. Roſſius Comp.
        - Margarita.
          - Magota ſine prole exſtincta.
        - *ALEXANDER* II. Scotorum Rex.
          - Margeria notha.
            - Ermegerdis.
              - Nicolaus Soulius Comp.
          - *ALEXANDER* III. Scotorum Rex.
            - Alexander & David ante patrem ſine ſobole exſtincti.
            - Margarita uxor Erici Regis Norvegiæ.
              - *MARGARITA* Regina Scotorum, in qua defecit tota ſtirps Alexandri III.
        - Margeria & Iſabella ſine liberis exſtinctæ.
      - *MILCOLUMBUS* IV. Cœlebs ſive Virgo dictus, Rex Scotorum, ſine prole exſtinctus.
  - Mathildis uxor Henrici I. Angli, unde omnes deinceps Anglorum Reges, præter Stephanum, ſunt propagati.
  - Maria uxor Euſtathii Bononiæ Maritimæ Comitis.
    - Mathildis uxor Stephani Anglorum Regis.

in Anglia Clevelandiam, in Scotia Annandiam & Gariocham, & [1] per filium Caricтæ Comitem (qui poſt regnavit) multis claris familiis ſubnixus erat, populo maxime ſuo utebatur. Igitur, cum ob has maxime cauſſas, controverſia domi finiri non poſſet; nec ſi maxime ex æquo & bono pronunciaretur, ulla tanta in Scotia eſſet potentia, quæ partes cogere poſſet ut judicato ſtarent: prope omnium voluntate conſenſum eſt, ut Eduardo judice res decideretur. Neque quiſquam de fide ejus dubitabat; ut qui ex eo patre natus eſſet, quem ſuperior Scotorum Rex fuiſſet expertus, & ſocerum amantiſſimum, & tutorem æquiſſimum. Contra vero, Anglus benevolentiæ Scotorum erga ſe recens & illuſtre teſtimonium habebat; cum ei tam facile de matrimonio Reginæ ſuæ conſenſerunt.

X. Igitur Eduardus, cum primum Bervicum venit, eo Rectores Scotiæ & Ordinum Legatos [2] per literas evocat; proteſtatus, ſe eos, non tanquam ſubditos ad Dominum, aut magiſtratum legitimum, ſed amicos ad arbitrum ab ipſis electum arceſſiſſe. [3] Primum omnium, jusjurandum a Competitoribus exegit, ſe decreto ſtaturos: deinde, ab Ordinum principibus & Legatis, ſe ei, quem ipſe juratus Regem daret, parituros: ac ſuper ea re, publicum omnium Ordinum diploma, ſingulorum ſigillis appenſis, ſibi dari popoſcit. Deinde, e ſingulorum Ordinum prudentioribus ſelegit [4] duodecim Scotos, ac totidem Anglos eis adjunxit: a quibus etiam jusjurandum exegit, de eo quod æquum ac verum cre-

ſententia media interveniente, nimis e longinquo repetenda videatur verbum [*tenebat*,] aut illud iterandum, aut [*poſſidebat*,] aut ſimile quid, hic exprimendum exiſtimaverim.

1 *Per filium Caricтæ Comitem (qui poſt regnavit)*] Mirum eſt Buchananum tot & tam graves una fere pagella admiſiſſe errores, eoſque non veritati hiſtoricæ modo, ſed ſibi ipſi fronte adverſa pugnantes. Superius enim cap. 7. Caricтæ Comitem patrem ejus qui poſterius regnum apud Scotos geſſit diſertim fuiſſe affirmat, & cap. 8. Caricтæ Comitem Competitorem, hic vero Competitoris filium, appellat. Ut autem res tota melius intelligatur, animadvertendum eſt quatuor fuiſſe eodem nomine Robertos Bruſſios, & in his tres poſtremos uno ſimul tempore viventes. Primus erat Robertus Bruſſius cognomento Nobilis Iſabellæ Davidis Hundintonii filiæ maritus: ſecundus ejus filius Annandiæ Regulus, qui Competitor fuit, obiitque juxta Tyrellum vol. 3. pag. 91. anno 1295. Tertius porro illius nepos, qui Caricтæ Comes eſt dictus, mortuuſque eſt, referente Dugdalio Baron. Angl. vol. 2. pag. 450, anno 1303. Quartus denique Robertus Bruſſius pronepos, qui poſterius regnum apud Scotos geſſit.

2 *Per literas evocat*] Vide ejus de hac re Epiſtolam (apud Rymerum Fœd. Angl. vol. 2. pag. 528.) qua Scotorum proceres ad ſe Noramam venire *rogat* (non vero tanquam *ſuperior Scotiæ Dominus jubet*, quod Tyrellus & Echardus affirmant) promittitque eorum ad ſe adventum neutiquam ſibi aut regni juribus præjudicio futurum.

3 *Primum omnium*] Totius controverſiæ proceſſum vide apud Rymerum vol. 2. a pag. 542. ad pag. 603.

4 *Duodecim Scotos, ac totidem Anglos*] Ex ſæpius memoratis hiſce Actis publicis apparet 40 viros fuiſſe electos a Joanne Balliolo & Joanne Cuminio *pro ſe & aliis petentibus qui nominationi factæ per eos conſenſerunt*, & alios 40 a Roberto Bruſſio *pro ſe & aliis petentibus qui nominationi per eum factæ conſenſerunt*, quibus Eduardus Anglus 24 adjunxit; quorum omnium nomina habentur pag. 556. & 557.

crederent judicando. Hæc palam, in ſpeciem honeſta & popularia facta: illud ſecreto & inter paucos agitabatur, quomodo Scotiam ſuæ ditionis faceret. Id cum facile exiſtimaretur, regno in duas factiones diviſo, tamen quo res eſſet expeditior, & fraus occultior, præter Bruſſium & Balliolum, [1] octo alios Competitores excitavit: ut e majore numero facilius eſſet, unum, aut etiam plures in ſuas partes traducere. Ac, ne tanta res temere acta videretur, conſultatio eis eſt propoſita, qui in Gallia, pietate, prudentia & juris ſcientia tum primi habebantur. Neque dubitabat (ut eſt id genus hominum nunquam inter ſe ſatis concors) aliquod ſe reſponſum, quod in rem ſuam faceret, relaturum. Et Competitores quidem novi, cum nihil in cauſſa ſuſcepta firmitatis viderent, ſponte a petendo deſtiterunt. Juriſperitis vero ab Anglo, qui totius negotii apud eos auctor & moderator erat, falſa ſpecies in hunc modum eſt propoſita.

XI. „Rex quidam, nec coronari, nec inungi ſolitus; ſed in ſede quadam a „ſuis collocari, ac Rex denunciari; neque tamen ita libere Rex, ut non in „clientela ſit Regis alterius, cujus ſe beneficiarium fateatur, ſine liberis deceſ„ſit. Duo propinqui, e Sempronio magno Regis defuncti patruo prognati, „hæreditatem petunt, Titius videlicet, ex majore Sempronii filia pronepos; „Sejus, ex minore filia nepos. Uter, in hæreditate impartibili adeunda, alte„ri præferendus? „Hac conſultatione his fere verbis propoſita, prope omnes reſponderunt: „Si qua lex, vel conſuetudo, ea de re, in regno quod petitur, „eſſet, ei ſtandum; ſin minus, verum eſſe conſuetudinem ſequi ejus, in cujus „clientela ſunt. Quod in feodis dijudicandis conſuetudo deſcendat, non autem „aſcendat: hoc eſt, conſuetudo ſuperioris inferiori pro lege habenda eſt, non „contra. Longum eſſet omnium ſententias ſigillatim referre: ſed ut paucis colligam, prope univerſi de jure litigantium, incerta & controverſa reſponderunt: poteſtatem vero judicandi ſummam, juxta falſam ſpeciem propoſitam, Eduardo tribuerunt.

XII. Ita re magis implicata & involuta quam prius erat, [2] anno proximo convenitur [3] ad Noramam. Ibi Eduardus, per homines idoneos, [4] leniter Scotorum ani-

1 *Octo alios Competitores excitavit*] Imo vero alios decem: hi autem erant, 1. *Florentius Comes Hollandiæ* pronepos Adæ ſororis natu maximæ Davidis Hundintonii. 2. *Henricus* de *Pynkeny* item pronepos Margeriæ ejuſdem Davidis ſororis natu ſecundæ. 3. *Patricius Galithly* filius Henrici Galithly nothi Regis Gulielmi. 4. *Gulielmus Roſſius.* 5. *Patricius Dumbarius Comes Marciæ.* 6. *Joannes Veſcius.* 7. *Rogerius Mandevillius*, qui ſe totidem filiabus ejuſdem Gulielmi (quas idcirco nothas fuiſſe oportet) Iſabella, Ada, Margeria & Aufrica, oriundos prædicabant. 8. *Nicolaus Soulius* nepos Margeriæ itidem nothæ Alexandri II. 9. *Joannes Haſtingus Dominus Bergeveniæ*, nepos Henrici qui Adam Davidis Hundintonii filiam natu tertiam (vel potius quartam) uxorem duxerat. 10. Denique *Joannes Cuminius Badenachæ Regulus*, qui genus ſuum ad Donaldum Banum Milcolumbi III. fratrem referebat. Quibus demum undecimum ſe adjecit Ericus Norvegiæ Rex, qui ſe præpoſtero ordine filiæ ſuæ Margaritæ hæredem profitebatur.

2 *Anno proximo*] *Scil.* 1292, ſecundo die menſis Junii.

3 *Ad Noramam*] Hic conventus non ad Noramam, ſed Bervicum eſt indictus.

4 *Leniter Scotorum animos pertentat, num ſponte in ditionem ejus vellent concedere*] Imo vero anno ſuperiore 1291, ante omnem

animos pertentat, num ſponte in ditionem ejus vellent concedere: quod ab eorum majoribus ſæpe factum fuiſſe contendebat. Id cum conſtanter omnes abnuerent, Competitoribus regni quos ipſe excitaverat convocatis, promiſſis ingentibus ab eis exprimit, ut ipſi in verba ejus jurent: cæteris perſuadet, ut conventus Bervicum, in locum magis idoneum transferatur. Ibi [1] viginti quatuor judices illos ſelectos, in templum ſine arbitris incluſos, de controverſia cognoſcere jubet: vetito interea, ne quiſquam ad eos propius accedat. Cum lentius res procederet, ipſe ſolus identidem ingrediebatur, & alios atque alios compellando, cum comperiſſet, pluribus videri jure priorem eſſe Balliolum, gratia & factione inferiorem: Bruſſio prius convento, quem, quod jure eſſet inferior, facilius ſuis rationibus aſſenſurum putabat, regnum ei Scotorum pollicetur, ſi ſe in Regum Anglorum clientela, eorumque ditioni ſubditum profiteri vellet. Ad hæc cum [2] Bruſſius ingenue reſpondiſſet, „Se non ita cupidum „regnandi, ut ea de cauſſa libertatem a majoribus relictam imminueret, ſtatim „eo dimiſſo Balliolum acciri jubet. Is regni quam famæ honeſtæ avidior, conditionem oblatam libenter arripuit.

XCVI. REX.

XIII. Ita, [3] poſt ſex annos ac novem menſes a morte Alexandri, JOANNES BALLIOLUS Rex Scotorum eſt declaratus. Scoti quidem cæteri, tranquillitatis publicæ cupidi, Joannem, Sconam de more ductum coronarunt, ac univerſi præter Bruſſium in verba ejus jurarunt. Ille ab Anglo Rex pronunciatus, a ſuis receptus, jam de regno ſecurus, ut promiſſi fidem exſolveret, ad Eduardum, qui tum in Novo caſtro ad Tinam agebat, venit, atque in verba ejus juravit. Idem quoque fecerunt, qui e Proceribus eum ſecuti erant, non auſi adverſus duos Reges procul domo reniti. Id autem reliqua Nobilitas ubi reſci-

omnem litis ingreſſum, Competitores primum, ut Eduardi arbitri ab ipſis electi gratiam aucuparentur, deinde multi Scotorum proceres aliique, non quidem ſponte, ſed factionibus divulſi, & Eduardi minis & vi armata conterriti, poſt varias moras injectas in ditionem ejus conceſſerunt. Vide Tyrellum vol. III. pag. 62. *&c.* Abercrombium vol. I. pag. 465. *&c.* in primis vero Rymeri Acta publica, ut ſupra.

1 *Viginti quatuor judices*] Erant, ut ſupra oſtendimus, centum & quatuor, qui tamen rei difficultatem cauſſati alios e *Prælatis, Proceribus, viriſque prudentioribus* Angliæ ſibi in conſilium adhiberi poſtulabant.

2 *Bruſſius ingenue reſpondiſſet*] Ex prædictis Actis publicis liquet in gravi hic errore verſari Scriptores noſtros; ea enim teſtantur Robertum Bruſſium inter Competitores primum in Eduardi verba juraſſe ſecundo die Junii 1291, Joannem vero Balliolum ultimum, & poſtero quidem die, utpote qui pridie abfuerat. Nec id ſemel ab iis, ſed ſæpius factum: cujus rei indicia authentica, in turre Londinenſi adhuc aſſervata, & popularibus etiam noſtris conſpecta, rem adeo extra omnem controverſiam ponunt, ut qui ei aſſenſum denegaverit, veritati ipſi, cujus ſacroſancta eſt auctoritas, reniti videatur.

3 *Poſt ſex annos & novem menſes*] Joannes Balliolus Scotorum Rex ab Eduardo Anglo eſt pronunciatus die Lunæ 17 Novembris 1292, id eſt, ſex annos & novem fere menſes ab 18 aut 19 Martii 1286, quo exſtinctus eſt Alexander III.

reſcivit, factum quidem moleſtiſſime tulit; ſed infirmitatis ſuæ conſcia iram diſſimulabat. Eam ut declararent, non adeo diu poſt ſe obtulit occaſio. Macduffo Comite Fifano (qui tempore Interregni fuerat e ſex Gubernatoribus) ab Abernethiis (quæ familia tum in Scotia florebat opibus & auctoritate) cæſo, ac [1] fratre Comitis ab iiſdem in jus ad conventum Ordinum tracto, Rex ſecundum Abernethios pronunciavit. Macduffus, agro de quo lis erat abjudicato, Regem tum ſibi ratus iniquiorem, ut ante fratris interfecti non ſatis acrem vindicem, Anglum appellat: apud eum in jus Balliolum vocat. Cauſſa Londinum delata, forte Balliolus Eduardo Anglo in conventu Ordinum aſſidebat: qui cum citatus, per procuratorem reſpondere vellet, ipſe coactus eſt ſurgere, & e loco inferiori cauſſam dicere. Hanc contumeliam, tum liberius agere non auſus, tacitus tulit. Sed cum primum ſe inde expedire potuit, ingentem irarum molem animo volvens, domum rediit: in eaque cogitatione totus erat, quomodo ſuorum animos reconciliaret, & Anglum offenderet.

XIV. Hæc meditanti, commodum intervenit inter Francos & Anglos novum diſſidium, quod in bellum ſtatim erupit. Itaque ad conventum in Scotia indictum, aderant ab utroque Rege Legati: Galli, ut cum Rege novo vetus fœdus renovarent; Angli, ut ex recenti deditione, ad bellum ſuſceptum auxilia acciperent. Utraque Legatione ad publicum Concilium relata, Proceres ad rebellionem proni, Gallos æquam, Anglos iniquam rem petere judicarunt. „Fœdus enim cum Gallis, conſenſu univerſorum, ante quingentos annos factum, & propter æquitatem & utilitatem, in hunc uſque diem perpetuo tenore ſervatum fuiſſe. Deditionem hanc recentem, a Rege invito expreſſam: „quam etſi volens feciſſet, ea tamen non teneri vel Regem vel regnum: ut „quæ a Principe ſolo facta eſſet, non convocatis Ordinibus: quibus inconſultis, aut adverſantibus, nihil, quod ad totius regni ſtatum attineret, Regi „agere liceat. Decretum igitur fit, ut Legati in Galliam mittantur, [2] ad fœdus antiquum renovandum; & Eduardo Balliolo Joannis filio, Regii generis uxorem depoſcendam. Altera item in Angliam [3] Legatio miſſa, quæ declaret, „Re-

1 *Fratre Comitis*] Hæc deciſio habetur Act. Pub. vol. 2. pag. 604. in qua nulla de Abernethiis fit mentio, ſed de terris de *Reres* & de *Crey*, quas Macduffus a patre Milcolumbo Comite Fifæ ſibi, ut dicebat, datas occupaverat. Quam ob cauſſam a Balliolo (qui ea prædia Duncani Fifæ Comitis, cui infra ætatem tum exiſtenti ipſe cuſtos fuerat, eſſe contendebat) in jus vocatus, atque ob violentam intruſionem carceri incluſus, ad Eduardum Anglum provocavit. Obiter quoque advertendum hunc Macduffum non Duncani Gubernatoris fratrem fuiſſe, cum in prædictis Actis publicis, hic Colbani, ille Milcolumbi filius appelletur. Vide etiam ibid. pag. 606.

2 *Ad fœdus antiquum renovandum*] Renovatum eſt hoc fœdus inter Philippum Gallum & Joannem Scotum 23 Octobris 1295; eodemque fere tempore conventum eſt, ut J. Caroli Valeſii Galli fratris filia Eduardo Balliolo Joannis filio nuberet. Vid. Fœd. Ang. Tom. 2. pag. 695. & ſeqq.

3 *Legatio miſſa*] Joannis Ballioli literas, quod injurias ſibi Scotiſque adeo omnibus ab Eduardo factas luculenter exponant, hic ſubjicere libuit. *Magnifico Principi, Domino Edwardo, Dei gratia, Regi Angliæ, Johannes eadem gratia Scotiæ Rex. Cum vos, ac alii de regno veſtro, vobis non ignorantibus, vel ſaltem ignorare non debentibus*

„ Regem Scotorum, quod per vim, ac nullo jure deditionem ſui ac regni Anglo feciſſet, eam revocare: ac renunciare amicitiam, cum ob has cauſſas, „ tum ob innumeras injurias, ſibi ac ſuis factas: ac ſe in priſtinam libertatem „ vindicare. Hanc renunciationem cum nemo paullo illuſtrior auderet, ad hominem natura præferocem, & fortunæ indulgentia prope ſui immemorem deferre, [1] Monachus quidam, aut, ut alii ſcribunt, Abbas Aberbrothii per literas detulit: qui, innumeris contumeliis affectus, ægre incolumis ad ſuos rediit, magis contemtu ſui, quam reverentia Legationis tutus.

XV. Interea Anglus, qui aliquot menſium inducias cum Gallo pactus erat, ſperans ante exitum earum, Scotum imparatum poſſe opprimi, claſſem in expeditionem Gallicam paratam, in Scotiam mittit; quæ prohiberet, ne commeatus Bervicum (quod audierat valido præſidio firmatum) inveheretur. Cum hac in oſtio fluminis Scoti congreſſi, octodecim naves expugnant, reliquas in fugam vertunt. Eduardi ferox animus hoc damno vehementius ad vindictam eſt irritatus. Balliolum ſemel atque iterum in jus ad ſe vocat. Ipſe magno exercitu coacto, ad Novum caſtrum ad Tinam venit. Ibi, edicto propoſito, Joannem rurſus, ut de criminibus objectis ſe purget, in jus vocat. Verum, cum nec ille, nec quiſquam ejus nomine ad diem conveniſſet, conſilio ad vires adjecto, Bruſſium ad ſe arceſſit. Regnum ei pollicetur, ſi in Balliolo exigendo fidelem ope-

debentibus, per violentam potentiam veſtram, nobis & regni noſtri incolis, graves & intolerabiles injurias, contemptus & gravamina, necnon & dampna enormia, contra noſtras & regni noſtri libertates, ac contra Deum & juſtitiam, notorie & frequenter intuleritis: Nos extra regnum noſtrum, ad levem cujuſcumque ſuggeſtionem, pro libito voluntatis veſtræ citando, & indebite vexando: Caſtra noſtra, terras & poſſeſſiones noſtras & noſtrorum infra regnum veſtrum, injuſte & ſine noſtris demeritis occupando: Bona noſtra ac ſubditorum noſtrorum tam per terram quam per mare capiendo, & infra regnum veſtrum receptando: Mercatores & alios regni noſtri incolas occidendo: Homines noſtros de regno noſtro violenter in regnum veſtrum abducendo, ipſoſque ibidem detinendo & incarcerando: Super quibus reformandis nuncios noſtros ſæpe vobis tranſmiſimus, quæ non ſolum adhuc remanent incorrecta, verum etiam de die in diem per vos & veſtros prioribus deteriora cumulantur. Vos namque jam cum innumerabili armatorum multitudine, exercitu veſtro publice convocato, ad exhæredandum nos & regni noſtri incolas, ad fines regni hoſtiliter acceſſiſtis, & ultra progredientes in regno noſtro ſtrages & incendia, necnon inſultus & invaſiones violentas tam per terram quam per mare commiſiſtis inhumane. Nos dictas injurias, contemptus, gravamina & dampna, necnon & hoſtiles impugnationes ulterius ſuſtinere non valentes; nec in fidelitate & homagio veſtro per violentam oppreſſionem veſtram extortis, manendo: contra vos etiam ad defenſionem noſtram & regni noſtri (cujus defenſioni & tuitioni vinculo juramenti ſumus aſtricti) nos volentes erigere, FIDELITATEM & HOMAGIUM, vobis facta tam a nobis quam ab aliis quibuſcumque regni noſtri incolis, fidelibus noſtris, ratione terrarum quas in regno noſtro de vobis tenebant, ac etiam ratione menagii ſeu retentionis veſtræ, nomine noſtro, ac nomine eorumdem omnium & ſingulorum VOBIS REDDIMUS per PRÆSENTES.

1 *Monachus quidam, aut, ut alii ſcribunt, Abbas Aberbrothii*] Ex inſtrumento publico inde confecto apud Rymer. Act. publ. Tom. 2. pag. 707. patet has literas Eduardo Anglo Bervici redditas fuiſſe per religioſos viros Gardianum Fratrum Minorum de Rokesbourgh & ſocium ejus quinto die Aprilis anni 1295.

operam navet. Ad quam rem perficiendam, nec labore nec impenſis opus eſſe. Tantum ad amicos det literas, ut aut Regem deſerant, aut in prælio ceſſent. Ipſe magnis itineribus Bervicum contendit. In eo oppugnando cum nihil proficeret, quod oppidum valido præſidio teneretur, ſimulato diſceſſu, velut expugnatione deſperata, per Scotos quoſdam Bruſſianarum partium, ſpargendos rumores curat, Balliolum cum magnis copiis jam propinquum eſſe. Ad eum honorifice excipiendum, cum illuſtriſſimus quiſque properarent, urbeque ſeſe promiſcue pedites equiteſque projeciſſent: eques ab Eduardo immiſſus obvios partim proculcat, partim a ſuis excludit; & occupata porta proxima, urbem ingreditur. Secutus Rex cum peditum copiis, miſerabilem omnis generis cædem edit. Occiſa feruntur Scotorum ſupra ſeptem millia, flos Lothianæ & Fifanæ Nobilitatis.

XVI. [1] Cum nihil minus ab initio mihi fuiſſet propoſitum, quam ut a continente rerum explicatione diverticula quærerem, non potui mihi temperare, quin Richardi Graftonii, qui nuper hiſtoriam rerum Anglicarum edidit, effrænem maledicendi libidinem oſtenderem: ut qui hæc legent, hinc expendant quantum ei ſcriptori fidei ſit habendum. Ait enim ab Hectore Boëthio ſcriptum, libro quartodecimo, capite ſecundo, tantum ibi ſanguinis fuſum, ut rivi ejus per urbem decurrentes, molam aquariam per biduum circumagere poſſent. Primum, Boëthius librum in capita non diviſit: deinde, quod iſte aſſeverat, apud eum omnino ſcriptum non eſt. Sed homine indocto, & impudenter mendace omiſſo, ad Eduardum redeamus: qui abundante multitudine, partem exercitus ad obſidendum Dumbarum miſit. Ipſe paucos poſt dies, arcem Bervici, auxilium nuſquam ſperantem, per deditionem accepit. Deinde, junctis ad Dumbarum omnibus copiis, cum Scotorum exercitu qui ad ſolvendum obſidionem venerat, magno prælio conflixit. Victoria ad Anglos inclinante, principes Nobilitatis in arcem confugerunt: arx quoque, ſive Richardi Suardi præfecti perfidia, ſive commeatu non ſufficiente multitudini in arcto concluſæ, dedita: in omnes captivos crudeliter ſævitum. Sunt qui tantæ calamitatis cauſſam in Robertum Bruſſium ſeniorem rejiciant: quod, amicis ejus in prælio ceſſantibus, reliquis timor ſit injectus. Noſtri præterea conſtanter [2] tradunt, cum ab Eduardo Bruſſius (operæ ibi navatæ pretium) ſibi promiſſum regnum Scotorum peteret, Anglum Gallice, quo ſermone libenter utebatur, reſpondiſſe: „Nihil aliud ſcilicet eſt quod agamus, quam ut vobis regna paremus?

XVII.

1 *Cum nihil minus*] Non ſat hic cauſſæ Buchanano ſuberat Graftonium Anglum tam indigne exagitandi. Quamvis enim verum ſit Boëthium libros ſuos in capita non diviſiſſe, nec, quod Graftonius aſſeverat, apud eum omnino ſcriptum eſſe: id tamen apud Ballendenum, qui ſe Boëthii interpretem vocat, & capite quidem ſecundo libri quartidecimi habetur. Fateor equidem Ballendenum ſæpius quam oportuit Boëthium interpolaſſe, multaque quæ apud illum neutiquam reperiuntur de ſuo adjeciſſe: quod Graftonius non ſatis animadvertens, quæ Ballendeni ſunt Boëthio adſcribit; at non ideo *hominis impudenter mendacis* infamia notari promeruit.

2 *Tradunt, cum ab Eduardo*] Libri omnes, *tradunt quod cum:* nos vero vocem [*quod,*] quippe nullius hic uſus, expungendam cenſuimus.

1 *Ad*

XVII. Dumbaro, ac nonnullis aliis arcibus, prope fines Anglorum captis, ſecuta eſt deditio Edimburgi & Sterlini. Ibi Anglus Fortham tranſgreſſus, iter Forfaram intendit, ubi tum ſe Balliolus continebat. Cùm nullo reſiſtente [1] ad Montem roſarum veniſſet, ſuadente Joanne Cuminio Strabogiano, ad Eduardum venit; ac ſe regnumque ei dedidit. Eo in Angliam navibus miſſo, Bervicum Anglus reverſus, gravi edicto Scotorum proceres eò arceſſivit: qui venerunt, in verba ejus jurare coacti. Gulielmus Duglaſſius, vir clarus genere & factis, cum obſtinate recuſaret, in carcerem conjectus; ibi poſt aliquot annos deceſſit. Ita rebus ex ſententia geſtis, Joanne Vareno Surriæ Comite pro Rege, & Hugone Creſſingamio pro Quæſtore poſt ſe relicto, Londinum rediit. Ibi Joannem Balliolum in cuſtodiam tradidit, poſt quartum quam regnum inierat annum. Sed is paullo poſt, deprecante Pontifice Romano, ac ſpondente nihil eum in Scotia moturum, in Galliam eſt remiſſus, Eduardo filio obſide retento. Anglus, omnibus rebus ad bellum Gallicum (quod propter Scotorum tumultus diſtulerat) paratis, cum magnis copiis trajecit. Scoti, per ejus abſentiam in ſpem libertatis erecti, duodecim eligunt, qui ſummæ rerum præeſſent. Ex horum communi ſententia, Joannes Cuminius Buchaniæ Comes, cum manu ſatis valida in Angliam miſſus, Anglis, qui in Scotia per præſidia ſparſi erant, ſe non auſis commovere, libere Northumbriam & Cumbriam populatur: Carleolum fruſtra obſedit. Hæc expeditio etſi Scotorum animos nonnihil erexit, & Anglorum injurias inhibuit, tamen parum ad ſummam belli ea profectum eſt, omnibus locis munitioribus ab hoſtium præſidiis inſeſſis.

XVIII. Verum, cum Nobilitati nec virium, nec animi ſatis videretur, ad majora capeſſenda, repente exortus eſt Gulielmus Vallas, homo nobili & antiquâ familia, ſed in re tenui natus & educatus, ac nullis prope opibus fretus: qui tamen, non modo ſupra omnium expectationem, ſed etiam ſupra fidem, res eo bello geſſit. Is enim, cum magna vi corporis atque animi eſſet, adhuc adoleſcens, nobilem juvenem Anglum ſuperbe ſibi inſultantem occidit. Ob id facinus, profugus domo, & latitans, fugæ locum ſubinde mutando, annos aliquot tranſegit. Hac vitæ conſuetudine, corpus adverſus omnes fortunæ injurias duravit, & animum ſæpe ſubeundis periculis ad majora audenda confirmavit. Tandem, cum ejus vitæ erraticæ tæderet, & aliquid vel cum periculo tentandum cenſeret, manu hominum collecta, quos par fortuna ei conciliaverat, non modo ſingulos excipiebat, ſed plures ſæpe cum paucioribus aggreſſus, variis ſubinde in locis deprehenſos trucidabat. Hæc cum pari celeritate & audacia gereret, nec unquam opportunum ſe hoſti præberet, brevi fama ſui utramque pariter gentem implevit. Igitur, concurrentibus ad eum paſſim, quos vel cauſſæ ſimiles, vel non diſſimilis amor patriæ conciverat, intra paucos menſes non contemnendum exercitum confecit. Ab hac tumultuaria turba, proceribus vel metu vel ignavia ſegnius omnia gerentibus, Vallas Prorex appellatur: & tan-

1 *Ad Montem Roſarum veniſſet*] Hæc deditio a Joanne Balliolo facta eſt *apud Kyncardin* Merniæ oppidulum, ſecundo die Julii 1296, Fœd. Angl. Ibid. pag. 718.

1 *Comi-*

tanquam Ballioli Legatus, omnia pro legitimo magiſtratu imperat. Id nomen ille, nulla ambitione aut imperandi cupiditate, ſed tantum civium ſuorum miſericordia & caritate ſuſcepit. Hac manu primum vim apertam expertus Lanarci, conventus ejus præfectum, clarum genere Anglum occidit. Multas deinde arces, aut parum munitas, aut præſidiis non ſatis firmatas, aut negligentius cuſtoditas, cepit & evertit: quibus levioris operæ expeditionibus, ita militum animos confirmavit, ut nullum ejus ductu periculum defugerent: ut cujus nec audaciæ conſilium, nec conſilio unquam eventus deeſſet.

XIX. Harum rerum fama cum late ſpargeretur, atque hominum favore aucta plerumque majora vero perferret, quicunque vel rem Scoticam ſalvam vellent, vel ſuæ timerent, ad eum confluentibus, inſtandum fortunæ ratus, quas Angli trans Fortham arces tenebant, etſi ſatis validas, & metu nominis ejus munitas, brevi tamen in ſuam poteſtatem redegit. Taodunanam, Forfarenſem, Brechinenſem, ac Montis roſarum arces captas diruit. Dunotrium inopinato eventu oppreſſum præſidio munivit. Abredoniam metu ſui adventus ab hoſte direptam, & adhuc ardentem ingreſſo, quo minus arcem oppugnaret, rumor de adveniente exercitu Anglorum obſtitit; quod eos ad Fortham opperiri conſtituerat: prælii enim aleam niſi ſuis locis ſubire nolebat.

XX. Eduardus in Galliam (uti dictum eſt) diſcedens, cum omnia Scotiæ loca munita Anglicis præſidiis obtineret, multoſque haberet Scotos ſibi fidos, patriæ infidos, principes Scoticæ Nobilitatis, quos aliquid auſuros ſuſpicabatur, in intimam Angliam uſque ad ſuum reditum relegavit: in his Joannem Cuminium Badenacæ Regulum, & Alanum Loganum hominem manu & conſilio promtum. Rebus in hunc modum conſtitutis, nihil minus quam novos in Scotia motus formidans, exercitum omnem abduxit. Tum vero fama rerum a Valla geſtarum permotus, majore manu opus eſſe ratus ad eum comprimendum, nec tamen Rege dignam expeditionem eſſe ducens, quippe adverſus latronem vagum (ita enim hoſtem Angli vocabant) ſcribit ad Henricum Percium Northumbriæ Regulum, item ad Gulielmum Latimerum, ut copiis celeriter e propinquis locis confectis, Creſſingamio, qui in Scotia reſtiterat, ſe conjungant, ac Scotos rebelles compeſcerent. Thomas Volſingamius [1] Comitem Varennæ huic expeditioni præficit. Vallas autem, qui tum Cupri Fifenſis arcem obſidebat, ne exercitus, quem in adventum Anglorum intentus auxerat, interea otioſus eſſet, hoſtibus jam propius accedentibus, recta Sterlinum ducit. Fortha amnis, nuſquam ferme vadoſus, illic (quanquam & minoribus amnibus receptis & maris æſtu reciproco auctus) ponte ligneo tranſiri poterat. Ibi, Creſſingamio cum parte majore exercitus tranſmiſſo, pons, ſive (ut noſtri prædicant) architecti opera, qui non multo ante compagines trabium ita laxaverat, ut majorem vim non poſſet ſuſtinere, ſive tot peditum, equitum, machinarumque pondere, arte nulla adhibita fractus, Anglorum iter interrupit. Scoti

1 *Comitem Varennæ*] Ita Volſingamius: libri omnes male *Varemiæ* habent. Eidem vero Volſingamio & Actis publicis interim *Joannes Comes Surriæ & Suſſexiæ*, interim *Joannes Comes Varenniæ* appellatur.

1 *Aqui*

Scoti tranſpoſitos, nondum explicatis ordinibus, aggreſſi, cæſo duce, reliquos in flumen retro agunt, tanta cum cæde, ut prope omnes, vel ab hoſte interemti, vel [1] aquis obſorpti perierint. Vallas ab hac pugna ad arces oppugnandas reverſus, adeo brevi belli fortunam circumegit, ut neminem Anglici generis, præter captivos, in Scotia reliquerit. Hæc victoria, in qua e Scotis nemo illuſtrior, præter Andream Moravium, cujus filius aliquot poſt annos pro Rege rem Scoticam adminiſtravit, periit, [2] ad Id. Sept. anni M. CCXC-VII. parta eſt. Sunt qui Vallam non ab arcis Cuprenſis, ſed Taodunanæ oppugnatione revocatum, eodemque poſt prælium rediiſſe tradant; in quibus eſt Joannes Major, & aliquot Cœnobiorum libri. CIↃ. CCXC. VII.

XXI. Hanc ſtragem ex agrorum incultu conſecuta eſt fames, & famem peſtis, unde major quam e bello clades timebatur. Vallas, ut huic malo quoad poſſet mederetur, omnem militarem ætatem, ad diem adeſſe juſſam, ſecum in Angliam duxit: [3] ratus corpora laboribus agitata ſalubriora fore, & per hiemem in hoſtico vivendo commeatibus domeſticis parci, & militem omnium rerum inopem, aliquem belli fructum, ex opulenta regione & diuturna pace florente, ſenſurum. Ibi nemine congredi auſo, a Calendis Novembribus, uſque ad Cal. Febr. cum ſuos & hoſtium fructibus refeciſſet, & ſpoliis ditaſſet, parta ingenti gloria, domum rediit. Hæc expeditio ut Vallæ famam & auctoritatem auxit ad populum, ita nobiliorum invidiam mirum in modum adverſus eum intendit. Ejus enim laudes ipſis exprobrare videbantur, vel ignaviam, ſi non auderent, vel perfidiam, ſi nollent viri ſumma nobilitate & opibus attentare, quod homo tenuis, omnibus fortunæ præſidiis deſtitutus, non magis fortiter ſuſceperit, quam gnaviter perfecerit. Anglus quoque rem eſſe ratus majorem, quam ut ea per præfectos defungi poſſet, ipſe, rebus pro tempore compoſitis in Gallia, domum rediit: & maximo exercitu, ſed repentino delectu (nam veteranos e tranſmarinis provinciis non deduxit) & e tironibus fere conflato, Scotiam verſus pergit, cum latronum incompoſita manu rem ſibi futuram ratus. Verum cum in Stammoriæ planitie quingenti fere paſſus inter acies inſtructas intereſſent, conſpecto Vallæ exercitu, diſciplinam, ordinem, & confidentiam hoſtium admiratus, adverſus veteranum ducem, & militem omnibus malis induratum, etſi multo majores copias ipſe haberet, tamen non auſus fortunæ rem committere, converſis ſignis ſenſim gradum retulit. Vallas quoque metu inſidiarum abeuntem ſequi non auſus, ſuos in acie continuit.

XXII. Hac victoria de potentiſſimo Rege ſine ſanguine relata, inimici multo acrius eum adorti, curarunt rumores diſſeminandos, Vallam jam aperte tyrannidem affectare. Id vero primoribus indignum videri, ac præcipue Bruſſio &

1 *Aquis obſorpti*] Ita MS. & princeps editio Edinburg. alii omnes *abſorpti*: *obſorptus* autem apud Plautum reperitur.

2 *Ad Id. Sept.*] Extr. de Chron. Scotiæ, Volſingamio & Tyrello potius aſſentior, qui hanc victoriam partam affirmant *tertio Idus Sept.* Quod ſi die Veneris commiſſum eſt hoc prælium, quod Tyrellus affirmat, recte ſe habet Buchanani ſupputatio.

3 *Ratus corpora*] Libri editi *ratus eſt*, MS. vero *ratus*; *&* *corpora*.

& Cuminiis, Regiæ ſtirpis hominibus: Nam, ſi ſerviendum eſſet, honeſtiorem ſub Rege maximo & potentiſſimo fore ſervitutem, quam ſub homine novo, cujus dominatus non minus ipſis turpis, quam periculoſus eſſet futurus. Itaque ſtatuunt omni ratione Vallæ auctoritatem labefactare. Hic animorum habitus cum Eduardum non lateret, magno ex Anglis, & Scotis, qui in fide ei data permanſerant, comparato exercitu, æſtate proxima ad Varium ſacellum venit: qui vicus in ipſis [1] valli Severi veſtigiis inædificatus, paullo plus ſex millia paſſuum a Sterlino diſtat. Nec procul inde Scotorum exercitus conſedit, ſatis quidem validus (erant enim ad triginta millia) ſi duces inter ſe concordes fuiſſent. Duces autem erant, Joannes Cuminius, [2] Joannes Stuartus & Gulielmus Vallas; priores genere & opibus, poſtremus rerum geſtarum gloria longe Scotorum florentiſſimus. Cum in procinctu jam ſtarent tres acies, acceſſit ad priſtinam invidiam nova contentio, quis primam aciem in hoſtem duceret. Ac nemine alteri cedente contentionem Angli diremerunt, qui inſtructi ſub ſignis magno gradu ad eos adventabant. Cuminius, non tentata pugna, cum ſuis diſceſſit. Stuartus a fronte, a tergo circumventus, cum omnibus eum ſecutis occiditur. Vallas cum a fronte acriter premeretur, & Bruſſius circumito colle a tergo immineret, ordinibus, quoad in tali rerum ſtatu poterat, non perturbatis, retro trans Carrontem amnem abiit.

XXIII. Ibi objecto flumine, cum & ſe tueretur, & ſparſos e fuga recolligeret, Bruſſio colloquium petenti non abnuit. Cum ſoli ſine arbitris, qua flumen anguſtiore alveo præaltis ripis cogitur, ex adverſo conſtitiſſent; tum Bruſſius prior, „Mirari ſe, ait, quid Vallæ in mentem venerit, ut plebeculæ in„certo favore ablatus, contra Regem ejus ætatis potentiſſimum, maximis „etiam Scotorum auxiliis ſubnixum, ſeſe periculis aſſidue objiciat: idque, nul„lo tantis laboribus operæ pretio propoſito: neque enim ſi Eduardum vincat, „Scotos unquam ei regnum permiſſuros; neque ſi ipſe vincatur, ullum ſuper„eſſe perfugium, niſi in miſericordia inimici. Cui Vallas: „Ego nunquam, „inquit, iſtum laboris mei finem mihi propoſui, ut regnum mihi pararem, „quod nec mea fortuna capit, nec animus cupit: ſed cum cives meos veſtra „(ad quos regnum jure ſpectat) ignavia, rectoribus deſtitutos viderem, hoſti „immaniſſimo, non in ſervitutem ſed lanienam objectos, eorum vicem ſum „miſeratus, & cauſſam a vobis deſertam ſuſcepi: quorum libertatem, fortu„nas, & incolumitatem non prius deſeram, quam vita me deſerat. Vos, qui„bus potior eſt turpis cum ſecuritate ſervitus, quam honeſta cum periculo li„bertas, iſtam, quam magni æſtimatis, fortunam amplectamini. Ego in patria, „ſæpe defenſa, liber & libens moriar; nec me prius ejus caritas, quam vita „relinquet. Ita ſoluto colloquio, uterque ad ſuos rediit. Hoc prælium incidit in undecimum Calend. Aug. in quo ceciderunt e Scotis ſupra decem millia: in his e proceribus clariſſimi, Joannes Stuartus, Macduffus Fifæ Comes, & ex acie

1 *Valli Severi veſtigiis inædificatus*] Libri omnes, *eſt inædificatus*, male.

2 *Joannes Stuartus*] Hic frater fuiſſe videtur Jacobi Stuarti unius e Scotiæ Gubernatoribus.

acie Vallæ Joannes Gramus, ſecundum ipſum Vallam, Scotorum longe fortiſſimus habitus. Ex Anglis Frerus Breangius, in re militari apud ſuos magni nominis. Poſt infelicem pugnam, Vallas cum Perthum veniſſet, dimiſit exercitum: atque invidiæ, cui ſe imparem ſentiebat, ceſſit; neque poſt eum diem pro imperio quicquam geſſit. Anglos tamen cum amicorum cohorte, quæ, abdicato magiſtratus nomine, ſemper ei adhæſit, quoties rei bene gerendæ ſe offerebat occaſio, ſemper infeſtus premebat. Eduardus, poſt agrum trans Fortham Perthum uſque omni clade belli vaſtatum (receptis in fidem, qui metu præſentis nihil movere audebant) exercitum reduxit.

XXIV. E Scotis, qui patriæ libertati ſtudebant, poſt hoſtis diſceſſum paullum recreati, [1] Joannem Cuminium juniorem faciunt Proregem. Is de Concilii ſententia, ad Philippum Valeſium Galliarum Regem Legatos miſit, qui cum eo agerent, ut per ſororem, quæ tum Eduardo erat deſponſa, ſaltem inducias obtineant. Ejus opera in ſeptem menſes impetratæ; nec tamen bona fide ſervatæ. Nam Legatos ad Bonifacium octavum miſſos Angli retinuerunt, atque in carcerem conjecerunt. Scoti interea, qui nec tyrannidem Anglorum ferre, nec immanem Eduardi animum ſuppliciis exſatiare, nec pacem æquam impetrare poterant, obſtinatis animis ad ultimam dimicationem, citra ſpem veniæ, ſe comparant. Primum, omnes Eduardi præfectos, qui Anglicæ nationis erant, ex omnibus urbibus & arcibus exigunt: Scotos Anglicæ factionis quacunque vi poſſunt affligunt. Hic ſtatus rerum cum prope biennium duraſſet, Eduardus Radulphum Confraium cum magnis copiis ad prædones (ita enim eos vocabat) domandos, & reliquias belli conficiendas, miſit. Hi nemine obvio late prædas agentes, ad Roſlinum uſque (locus is Lothianæ eſt, quinque fere millia paſſuum ab Edimburgo diſtans) trifariam ut latius popularentur diviſi, caſtra poſuerunt. Joannes Cuminius, adjuncto ſibi [2] Joanne Fraſerio Tuediæ longe potentiſſimo, collectis ad octo millia hominum, ad hoſtem ducit: ut vel ab effuſa populatione cohiberent, vel, ſi qua rei bene gerendæ occaſio ſe obtuliſſet, fortunæ non deeſſent. Occaſio major quam ſperabatur eſt oblata. Nam cum Angli nihil minus, quam hoſtis toties victi, tot malis fracti, adventum expectarent, ac ſolutius, quam in hoſtico conveniebat, ſe gererent; prima eorum caſtra

1 *Joannem Cuminium Juniorem*] Hic Badenachæ Regulus fuiſſe videtur, idem qui a Roberto Bruſſio biennio poſt in æde Drumfriſienſi eſt occiſus. Extract. de Chron. Scotiæ aliique eum Buchaniæ Comitem vocant: obſtat vero *Litera a Magnatibus Scotiæ in Curia Regis Franciæ* (*ſcil.* W. & M. Epiſcopis Fani Andreæ & Dunkeldenſi, Joan. Comite Buchaniæ, Jacobo Seneſcallo Scotiæ, Gulielmo Sulio, Ingelramo Umfravillio, & Gulielmo Balliolo, Militibus) Pariſiis 25 Junii anno 1303, ad Joannem Cuminium Scotiæ Cuſtodem, *&c.* ſcripta, in qua de prælio ad Roſſinum parto hoc memorabile occurrit, *Si ſciretis quantus honor vobis crevit per diverſa mundi climata de conflictu ultimo habito cum Anglicis, multum gauderetis*, &c. Fœd. Angl. Tom. 2. pag. 930. Unde palam eſt Joannem Cuminium Buchaniæ Comitem alium a Joanne Cuminio Scotorum Prorege fuiſſe.

2 *Joanne Fraſerio*] Hic memoriæ lapſus videtur, aliis enim omnibus *Simon* appellatur, cujus & paſſim apud Rymerum fit mentio: quod etiam confirmat, lib. VIII. 31.

caſtra ſubito adventu Scotorum ſunt oppreſſa, magna cæde facta: qui evaſerunt, in proxima caſtra tumultum pertulere. Ibi, Ad arma, trepide clamatum, & pro ſe quiſque, alius alium hortari, ad opem ſuis ferendam. Sed cum ſerum auxilium eſſe ſenſiſſent, ad vindictam ſe comparant. Atrox, ut inter feroces victoria, & cupiditate ultionis incenſos, fit conflictus: tandem fuſis fugatiſque Anglis, victoria quidem, nec incruenta tamen, ceſſit Scotis. Interea tertia acies, quæ longius tetenderat, adveniens, trepidationem Scotis injecit. Plerique enim vulnerati, ac major pars duplicis pugnæ laboribus fatigati, videbant in certamine manifeſtum periculum, in fuga certum exitium ſibi imminere. Tandem, ducum juſſu cæſis captivis, ne, omnibus in hoſtem intentis, a tergo inſurgerent, miniſtros ſuos cæſorum ſpoliis armant, & majoris exercitus ſpeciem hoſtibus præbent. Prælio inito, acriter utrinque certatur. Cum aliquamdiu anceps pugna fuiſſet, Scoti, adhortationibus ducum, dupliciſque victoriæ memoria revocata, viribus reſumtis, tanto impetu incurrunt in
M. CCC. II. hoſtem, ut Angli turbatis ordinibus terga verterent. Pugnatum eſt ad Roſlinum, ſexto Calendas Martias, [1] milleſimi trecenteſimi ſecundi anni.

XXV. Hæc victoria, tribus exercitibus eodem die ab uno victis, quanto fuit clarior, tanto acrius Eduardus, ad ignominiam delendam & finem tandem aliquando diuturno bello imponendum, animum intendit. Igitur exercitum, quantum numquam antea, conſcribit; ac terra marique Scotiam late armis pervagatus eſt, ad extremos uſque Roſſiæ fines, nemine armato ſe tantis copiis objicere auſo. Solus Vallas cum ſuis, nunc a fronte, nunc a tergo, aut lateribus incurrendo, temere prægreſſos, aut moratores, aut ſi qui cupiditate prædæ longius a ſuis diſcedebant, excipiebat: neque quenquam longius a ſignis progredi ſinebat. Hunc Anglus magnis pollicitationibus fruſtra ad ſe ſæpe traducere eſt conatus. Sed una ejus ad omnes erat oratio, „Se vitam, quam patriæ debebat, ei devoviſſe: cui ſi aliam opem afferre non poſſet, piis erga „eam conatibus immoriturum. Reſtabant aliquot arces Anglis nondum deditæ: Urcharta in Moravia vi capta, omnibus, qui inerant, ad unum extinctis: cæteræ metu ſe dediderunt. His rebus geſtis, Anglus cum Eduardo filio, quem Perthi reliquerat, ſe conjunxit: ac Sterlinum, tribus menſibus obſeſſum, dedentibus ſeſe ob omnium rerum penuriam præſidiariis, ac tantum vitam & libertatem pactis, cepit. Nihilominus Gulielmus Olivarius, qui arci præfectus erat, adverſus pacta & conventa retentus eſt, & Londinum in cuſtodiam miſſus.

XXVI. Tota Scotia recepta, conventus Ordinum ad Fanum Andreæ ab Eduardo eſt habitus: ubi omnes in ejus fidem, metu coacti, præter unum Vallam, jurarunt. Is metuens, ne Anglo ſibi infeſtiſſimo, a Nobilitate non ſatis æqua proderetur, cum paucis ad antiquas latebras ſeceſſit. Eduardus, præfectis & magiſtratibus per totam Scotiam ordinatis, ſe in Angliam recepit: quo in diſceſſu, ſingularem ſui odii in omne nomen Scoticum ſignificationem reliquit.

1 *Milleſimi trecenteſimi ſecundi*] Juxta ſupputationem: ſecus enim annus fuit Eccleſiæ Scoticanæ, quæ tum in uſu erat, 1303.

quit. Non contentus enim ſuſtuliſſe omnes, qui res novas moliri poſſe videbantur, adjecit animum ad omnem (ſi fieri poſſet) gentis memoriam abolendam. Leges enim veteres delevit: ritus Eccleſiaſticos ad Anglicam conſuetudinem traduxit: hiſtorias, fœdera, monumentaque vetuſta, ſive a Romanis relicta, ſive a Scotis erecta, deſtruenda curavit: libros omnes, literarumque doctores in Angliam tranſtulit: lapidem marmoreum rudem, in quo fatum regni contineri vulgo perſuaſum erat, Londinum miſit: neque quidquam omnino reliquit, quod ſpiritus generoſos, aut ſui memoria, ad priſtinæ fortunæ recordationem excitare, aut ad veram animi magnitudinem erudire & excolere poſſet. Ita, non ſolum viribus, ſed etiam animis (ut rebatur) fractis, & in ſervilem humilitatem dejectis, perpetuam ſibi illinc pacem ſpondebat. Reliquit autem [1] Odomarum Valentinum pro Rege, qui omnium novarum rerum molimina, ſi qua emergerent, in ortu ipſo extingueret.

XXVII. Verum bellum ei novum, unde minime rebatur, eſt exortum. Erant apud Eduardum Regem, Scotici generis viri inter primos clari, [2] Robertus Bruſſius, filius ejus qui cum Balliolo de regno contenderat, & Joannes Cuminius, a colore faciei Ruber dictus, Joannis Ballioli proximi Scotorum Regis conſobrinus. Hos Eduardus, ſæpenumero ſeorſum conventos, vana regni ſpe diu fruſtratus erat; atque ita opera eorum in Scotia perdomanda uſus. Patefacta tandem ludificatione, nihil magis uterque expetebat, quam occaſionem, qua Regis erga ſe perfidiam ulciſceretur. Sed ut æmuli, mutua ſuſpicione continebantur, ne conſilia communicarent. Tandem Cuminius, cum ea quæ gererentur, Bruſſio ingrata eſſe comperiſſet, ab initio malorum omnium exorſus, apud eum patriæ calamitatem vehementer deploravit: & in perfidiam Regis Angli multum invectus, ſeſe in primis ac Bruſſium graviter incuſavit, quorum auxilio & labore ſui cives in eas miſerias incidiſſent. Ex hoc ſermonis initio longius progreſſi, cum uterque alteri de ſilentio fidem dediſſent, demum inter eos ita convenit, ut Bruſſius regnum obtineret, cedente ei Cuminio jus ſuum: Cuminius vero Bruſſii agros, quos in Scotia ampliſſimos & fructuoſiſſimos habebat, teneret; ſecundusque ei honor poſt Regem haberetur. Hæc cum inter eos jurata, ſcripta & conſignata fuiſſent, Bruſſius, in opportunitatem rerum novandarum intentus, relictis in Scotia uxore & fratribus, in aulam Anglicam proficiſcitur.

XXVIII. Poſt ejus diſceſſum, Cuminius, ſive pœnitentia prioris conſilii, ſive

1 *Odomarum Valentinum*] Anglis Scriptoribus *Adomarus de Valentia*, *Pembrociæ Comes*, appellatur.

2 *Robertus Bruſſius filius ejus*] Superius monſtravimus Robertum Bruſſium non filium ſed nepotem ejus fuiſſe qui cum Balliolo de regno contenderat. Rem autem porro confirmat publica *Declaratio Epiſcoporum*, *Abbatum*, *Priorum*, *ac cæterorum de Clero Scotiæ in Concilio congregatorum in Eccleſia Fratrum minorum de Dundee 24 Februarii* 1309, qua regni jura & libertatem aſſerentes & recognoſcentes, eum Robertum Bruſſium, qui cum Balliolo contenderat, avum Roberti Bruſſii tum Regis Scotorum appellant. Vide ipſum inſtrumentum apud Jac. Anderſonum de abſoluto imperio Regis regnique Scotici, Append. Num. 12.

ſive quod fraude tollere de medio Bruſſium æmulum ſtatuiſſet, atque hac via faciliorem ſibi ad regnum aditum parare, ſecreta conſilia dicitur Eduardo prodidiſſe: atque ad fidem faciendam, conventum ab utroque ſignatum ad eum miſiſſe. Bruſſio dies dicitur, ut perduellionis reo. Ipſe ab aula vetitus diſcedere: appoſiti etiam cuſtodes occulti, ac juſſi dicta factaque ejus ſpeculari. Cunctatio Regis, in crimine manifeſto, eo ſpectabat, ut, ante rumorem ſumti de eo ſupplicii, fratres ejus comprehendi poſſent. Bruſſius interea, per [1] Comitem Gomeriæ avitum amicum, certior de repentino periculo factus: qui non auſus fugæ conſilium literis committere, Bruſſii exemplo monitus, ad eum calcaria inaurata, nummoſque aliquot aureos miſit, tanquam ſuperiore hæc die mutuo ab eo accepiſſet. Robertus, ut in periculis homines ſunt ſagaciores, non ignarus quid eo munere ſignificaretur, fabrum de nocte arceſſit, trium equorum ſoleas inverſas ac præpoſteras equis affigere jubet, ne veſtigia velut abeuntium per nivem fugam proderent. Ipſe eadem nocte, duobus comitibus aſſumtis, iter ingreditur, ac multum hominibus equiſque fatigatis, ſeptimo demum die, ad arcem ſuam, quæ ſita eſt ad lacum Mabanum, venit. Ibi Davidem fratrem & Robertum Flaminium nactus, eis adjunctis, ac vix fugæ cauſſa indicata, in tabellarium incidit, qui literas a Cuminio ad Anglum ferebat: in quibus ſcriptum erat, ut Robertus quamprimum tolleretur: periculum enim in mora eſſe, ne quid homo nobilis & gratioſus, pari conſilio atque audacia, novæ turbæ excitaret. Perfidia Cuminii his etiam indiciis comperta, Robertus ira inflammatus, Drumfriſium, ubi inimicum eſſe compererat, recta pergit: ac Joannem in templo fratrum Franciſcanorum nactus, prolatis literis coarguit: ac impudenter ſuas eſſe negantem, impatiens iræ, pugione in ventrem adacto, jacentem pro mortuo reliquit. Cum equum eſſet conſcenſurus, Jacobus Lindeſius ac Rogerius a Cella Patricii, alter propinquus, alter vetus amicus, e vultu animi perturbatione intellecta, cauſſam ſciſcitantur. Qua ille breviter explicata, cum ſubjeciſſet, „Se putare, Cuminium eſſe mortuum: Quid, inquit „Lindeſius; Tu ergo rem tam arduam in incerto reliquiſti? Et cum dicto ædem ingreſſus, non illum modo ſed & Robertum Cuminium, opem propinquo ferre conantem, conficit. Hæc cædes facta eſt, [2] anno milleſimo trecenteſimo quinto, ad quartum Idus Februarii. MCCCV.

XXIX. Eodem prope tempore, Vallas a Joanne Mentetho familiari ſuo, per

1 *Comitem Gomeriæ* [Nullum Angliæ Comitem ita tum appellatum agnoſcit Tyrellus pag. 168. Sine dubio Buchananus innuit Gilbertum Clarum Gloceſtriæ Comitem, qui in antiquis Anglorum ſcriptis Gloverniæ Comes nominatur. Erat autem is Gilbertus Eduardi I. Angli ex filia Joanna nepos, Roberti Bruſſii propinquus: nam hujus Gilberti amita magna Roberti Bruſſii Competitoris uxor fuerat. Vid. Dugd. vol. 1. pag. 211. Erant porro affinitate juncti, Gloceſtriæ enim Comes Mathildem, Robertus vero Bruſſius Iſabellam Comitis Ultoniæ filias uxores duxerunt. Vid. Tyrellum pag. 167. Dugdalium pag. 217.

2 *Anno* 1305. *ad* 4 *Idus Feb.*] Juxta ſupputationem Romanam, qua nunc utimur, 1306. Errat autem Volſingamius qui hanc cædem factam ait anno 1307. Exſtat enim ea de re apud Rymerum vol. 2. pag. 988. Eduardi Regis edictum 5 Aprilis 1306.

1 *Dum*

per Anglos pecunia corrupto, in agro Glaſcuenſi, ubi tum latebat, captus, & Londinum miſſus, Eduardi juſſu fœde laniatus interiit: membra ad aliorum terrorem, in locis celebrioribus Angliæ & Scotiæ ſuſpenſa. Hunc finem vitæ habuit vir ſui temporis longe præſtantiſſimus, in ſuſcipiendis periculis animi magnitudine, in rebus gerendis fortitudine & conſilio, clariſſimis veterum ducibus facile comparandus; caritate in patriam nemini ſecundus: qui ſervientibus cæteris ſolus liber, neque præmiis adduci, neque metu cogi potuit, ut cauſſam publicam ſemel ſuſceptam deſereret: cujus mors eo miſerabilior eſt viſa, quod ab hoſte invictus, a quibus minime debuit fuit proditus.

XCVII. REX.

XXX. BRUSSIUS tantum moratus, [1] dum a Pontifice Romano veniam cædis in æde ſacra factæ obtineret, [2] proximo menſe Aprili, anno milleſimo trecenteſimo ſexto, Sconam profectus Rex coronatur. Primum, gnarus quam potente cum hoſte res ſibi eſſet, copias undecunque poteſt comparat. Sed cum totam gentem Cuminiam, cujus familiæ potentiam nulla unquam ante, neque poſtea in Scotia æquavit, haberet inimicam; multorum præterea animos offendiſſet, propter operam ſuperioribus temporibus Anglo navatam; maxima autem pars metu potentiæ Anglorum conquieſceret: ad Methuanum tamen cum paucis fortunam tentare auſus, ab Odomaro Eduardi præfecto vincitur: eo minore cum cæde, quod Bruſſiani, ſuæ infirmitatis conſcii, inito ſtatim certamine integri fugerunt, ad XIII. Cal. Aug. Nec adeo diu poſt, cum in Atholiam veniſſet, ac illinc in Argatheliam tenderet, patefacto Cuminiis ejus conſilio, in loco qui Dalree vocatur, hoc eſt, ager Regius, ex itinere prælium inire coactus; paucis amiſſis, reliquis quo cuique commodum erat dilabentibus, pari ac prius eventu eſt uſus. Poſt id tempus, cum uno aut altero fere comite, tutiorem ſe in ea fortuna paucitate ratus, per loca deſerta vagus, prope ferinam vitam egit: nec, ſi rurſus fortunam tentare vellet, ulla virium ſpes uſquam erat. Vulgo enim ex hac duplici offenſione cætera augurante, ab omnibus deſtituitur. Duo ſoli ex veteribus amicis, conſtanti erga eum fide perſtiterunt, Milcolumbus Levinius Leviniæ Comes, & Gilbertus Haius. Angli ejus

CIↃ CCC VI.

1 *Dum a Pontifice Romano*] Hoc manifeſte falſum eſſe, vel inde apparet, quod res tanta longiorem moram requirebat, quam ab 10 Februarii, quo Cuminius eſt cæſus, ad 25 Martii, quo pleri que ſcriptores, vel etiam initium Aprilis, quo Buchananus, Bruſſium coronatum tradunt. Rem vero extra omne dubium ponit Bulla ejuſdem Pontificis (Clementis V.) ad Eboracenſem & Carleolenſem Epiſcopos, qua mandat Roberto Bruſſio ob hanc cædem ſacris interdici 15 Kal. Junii 1306. Vid. Fœd. Angl. vol. 2. pag. 997. Fieri quidem poteſt, ut Epiſcopus Moraviæ (quem Eduardus Diris Pontificiis percuſſum quod cædi Cuminii *aſſenſum præbuerat*, Haquino Regi Norvegiæ memorat, Ibid. pag. 1045.) Bruſſium hoc crimine exſolverit, quod forte Pontificis permiſſu factum poſteri credidere.

2 *Proximo menſe Aprili*] Variant hic ſcriptores, Ballendenus enim 27 Martii, Extract. de Chron. Scot. Volſingamius, Tyrellus 25 Martii coronatum tradunt: Prynius vero, ex Hiſt. Anglicis, eum bis coronatum refert, feſto nempe Annunciationis (25 Martii] & Dominica in ramis palmarum 27 ejuſdem menſis.

1 Qui

ejus miſeriis nondum ſatiati, mittunt in omnes regni partes, qui propinquos ejus comprehendant. Omnes præterea exulum uxores & liberos jubent, ante certum diem regno excedere. Uxor ipſius Roberti, a Gulielmo Comite Roſſiæ capta, in Angliam mittitur. Nigellus ejus frater, Kildrumiæ arce per præfectum Anglis prodita, cum uxore & liberis in hoſtium manus venit. Thomas quoque & Alexander, itidem ejus fratres, dum e Gallovidia Carictam petunt, ad lacum Rianum (qui [1] Ptolemæo eſt ſinus Rerigonius) comprehenſi, in Angliamque miſſi. Hi tres, alius alibi, capite multantur. Cæteri Bruſſianarum partium paſſim conquiſiti: ipſi cæſi: bona direpta. Rex ipſe cum uno plerumque comite, interim ſolus, per loca maxime inculta pererrabat; atque in dies & horas latibula commutabat. Et, cum ne ſic quidem ſibi tutus a civium perfidia & hoſtium crudelitate videretur, in Æbudas ad veterem quendam amicum transmiſit. Ibi cum aliquot menſes latuiſſet, quia nuſquam comparebat, periſſe creditus, quæri deſiit. Hæc fama, ut ad ſecuritatem erat ei non inutilis, ita ſi diutius duraſſet, amicis omnem recuperandi regni ſpem ademtura videbatur. Aliquid igitur movendum ratus, modicis ab amico ubi latebat copiis acceptis, in Carictam navigat. Ibi arcem, ſui quidem patrimonii, ſed a valido Anglorum præſidio inſeſſam, inopinato adventu opprimit: & Anglis ad unum occiſis, ne ab hoſtium copiis intercluderetur, tranſmiſſo Glottæ æſtuario, Ennerneſſum arcem munitam, ad Neſſum flumen in tumulo ſatis edito ſitam, longe diverſa regione, negligentius cuſtoditam, pari felicitate capit.

XXXI. Harum rerum fama divulgata, magnum animorum motum per totam Scotiam fecit. Præter enim veteres amicos, qui paſſim e ſuis latebris ad eum accurrebant; multos etiam novos ei conciliavit Anglorum ſuperbia, qui, poſtquam extinctum arbitrati fuerant, magis avare & crudeliter imperarunt quam antea. Igitur auctus non pœnitendis copiis militum optimi generis (ut quos vel induraverant labores, vel deſperatio ad ultima audenda impulerat) omnes ubique arces, per Scotiæ regionem in ſeptentriones procurrentem, ut quamque capiebat, diruit: partim ne ſuas copias dividendo infirmiores redderet, partim ne hoſtes ullum receptum tutum illic haberent. Cum, paſſim obvia vincendo, in interiorem partem regni penetraret, Joannes Cuminius Buchaniæ Comes certior factus, eum ad ſaltum, per quem Eſca fluvius in plana Merniæ delabitur, perveniſſe; cum ſubitario Scotorum & Anglorum, omnibus qui militari eſſent ætate ad arma convocatis, ad Gleneſcam (ita loco nomen eſt) eum aſſequitur. Bruſſius loci anguſtias ſuorum paucitati commodas ratus, paratus ad dimicandum hoſtem expectabat. Cuminius, acie in longitudinem explicata, terrore multitudinis Bruſſium perculſum iri arbitrabatur. Verum, ubi eum videt ſuis ſe locis tenere, conſcius imbecillitatis ſuorum, nec auſus in locum paullo iniquiorem aciem erigere, de induciis, per quas de pace ageretur, miſſo

[1] *Qui Ptolemæo eſt ſinus Rerigonius*] Hoc non modo falſum, ſed ſibi ipſi adverſum lib. I. 19. *Lacus* enim *Rianus* Ptolemæo Vidogara; ſinuſque ei oppoſitus, vulgo *Glenlace*, Rerigonius appellatur. Buchananum autem in errorem traxiſſe videtur vocum ſimilitudo, quod Stralochius dudum obſervavit.

miſſo præcone prior egit. Eas Cuminius cum obtinuiſſet, omiſſa mentione pacis, quibuſcunque poteſt rationibus copias auget: nec Scotis quos ſecum habebat (multorum favore in Robertum inclinato) confiſus, ſupplementum ab Anglis petit. Interea Bruſſius quoque, ut contemtum ſui demeret Anglis, & amicorum animos erigeret, ſemper hoſtium copiis inhærens, nunc hac nunc illac carpere, & infirmiora præſidia aggredi, nec ipſe unquam ullo in loco conſiſtere diutius, aut hoſti ſe opportunum præbere. Circa hæc tempora, Simon Fraſerius & Valterus Loganus, equites ſtrenui, & ſumma in patriam caritate, a factionis Cuminianæ hominibus capti & Anglis traditi, Londini ſupplicio ſunt affecti.

XXXII. Eodem fere tempore, Jacobus Duglaſſius ad partes Bruſſianas ſe adjunxit. Erat is Gulielmi filius, juvenis omnium primarum artium facile princeps: qui, cum Lutetiæ literis operam daret, audito patrem in carcerem ab Anglo conjectum, ac non adeo multo poſt mortuum, domum rediit; ut ex amicorum conſilio reliquum vitæ curſum ordinaret: ac patrimonio exutus, amicis aliis alio caſu diſperſis, omnium rerum inops, [1] ad Gulielmum Lambertum Fani Andreæ Epiſcopum ſe contulit: ab eo in familiam acceptus, atque ibi honeſte habitus, uſque ad Eduardi Regis, pacata fere tota Scotia, adventum ad Sterlinum obſidendum. Eo ad Regem ſalutandum profectus Lambertus, Duglaſſium ſecum duxit: Regemque opportunum nactus oravit, ut patrimonio reſtituto, juvenem in fidem clientelamque reciperet, ejuſque forti & fideli opera uteretur: atque adjecit, quæ pro tempore de laudibus ejus dicenda videbantur. Rex, ubi nomen genuſque ejus intellexit, de Gulielmi patris pertinacia aſpere locutus; „ Neque ſe filio, nec opera ejus uti velle, reſpondit: nec „ patrimonium, ſi maxime vellet, reddere poſſe, quod jam de ſe bene meritis „ gratificatus eſſet. Ita dimiſſus ab Anglo Jacobus apud Lambertum fuit, uſque ad Bruſſii in Merniam adventum: tum, ne quam Anglo (cujus animum erga ſe implacabilem abunde perſpexerat) occaſionem nocendi omitteret, direptis, non inſcio Lamberto, ejus equis ac nonnulla pecunia, ad Bruſſium venit: ejuſque ille opera multis aſperrimis tempeſtatibus eſt uſus.

XXXIII. Non adeo multo poſt, uterque Rex, eodem prope momento, in gravem morbum incidit. Eduardus in belli apparatu adverſus Scotos occupatus, paucis poſt diebus morbo [2] ad Lancaſtrium deceſſit, relicto hærede Eduardo ſecundo filio, qui a loco, ubi natus erat, Carnarivanus eſt dictus. Is, a patre aucto exercitu, in hoſticum ingreſſurus, præmiſit edictum Drumfriſium, ut Scoti frequentes eo convenirent: verum e propinquis regionibus, & pauci & ſegniter affuerunt. Renunciato etiam res tranſmarinas turbari, relicto præſidio quantum ſatis putabat ad Scoticos tumultus reprimendos, reverſus, rebus domi pro tempore compoſitis, in Galliam trajecit. Interea Robertus, morte Angli

1 *Gulielmum Lambertum*] Potius *Lambertonium*, aliis enim omnibus Gul. de *Lamberton* appellatur.

2 *Ad Lancaſtrium*] Scriptores Angli, quos noverim, univerſi Eduardum ad Burgum ſuper Arenas obiiſſe tradunt 7 Julii 1307.

Angli nunciata, nonnihil recreatus, de rebus ſuis melius ſperare cœpit: ac viribus animi corpus infirmum ſuſtentabat. Non ignarus autem, quantum in unius ducis induſtria ad victoriam eſſet momentum, ita ſe comparabat ad extremam fortunæ aleam, ut hoſtem & pugnam depoſceret. Ex adverſo autem, cum Anglus amicorum ſpe tardius adventaret, Joannes Cuminius, avidus gloriæ belli per ſe finiti, cum ſperaret, Robertum, vel adjuncto ad labores morbo graviſſimo extinctum iri, vel per valetudinem impeditum, in aciem non deſcenſurum; omnibus quas potuit copiis in unum coactis, recta ad hoſtem ducit. Ille contra, ut ſuorum animos confirmaret, ſe imponi in equum jubet. Ejus autem conſpectus, etſi, duobus militibus eum ſuſtinentibus, hærere vix poſſet, tantum animi omnibus adjecit, ut nunquam alacrius pugnam inierint. Cuminius, qui ſpem victoriæ in adverſa hoſtis valetudine collocarat, poſtquam, neque hortando, neque caſtigando, ſuos continere potuit, una cum eis fugam capeſſere eſt coactus. Multi in fuga capti: omnes humaniter habiti.

XXXIV. [1] Hæc victoria ad Enneruriam parta, ut Regem morbo liberavit, ita rerum proſpere gerendarum ei fuit initium: quicquid enim ab eo die attentavit, ei feliciter ceſſit. Poſt paucos deinde dies in Argatheliam duxit. Regionem depopulatus, Dominum ejus Alexandrum ad deditionem compulit, qui cum familiaribus in Angliam profectus, ibi brevi poſt in ſumma inopia miſeram vitam finivit. Eodem anno, pridie Calendas Julias, Eduardus Bruſſius, æque proſpero eventu, ad Deam Gallovidiæ amnem pugnavit: Rollàndus nobilis Eques Gallovidianus in prælio cæſus: Donaldus Inſulanus e fuga retractus: Gallovidia longe lateque vaſtata. Hi tumultus Eduardum Anglum, otii cupidum, invitum ad bellum exciverunt. Nam, cum ubique res male gereretur, ipſe proximo anno, cum magno ſuorum exercitu Scotiam ingreſſus, numeroſam manum Scotorum, qui ab Anglis nondum defecerant, ſibi adjunxit. Cum iis copiis ad Renfroam uſque progreſſus; nulla re digna memoratu geſta rediit: ſive in cauſſa fuit ipſius ſegne ingenium, ſive quod, præter inopiam, quæ tum omnem Scotiam affligebat, Robertus curarat, ut commeatus, qua iturus erat exercitus, inde in loca devia transferrentur. Poſt ejus diſceſſum, Scotus, in arcibus recipiendis quæ adhuc ab Anglis tenebantur, reliquum anni tempus conſumſit. Plurimæ, deſperato ab Anglis auxilio, non expectata obſidione, ſeſe dediderunt.

MCCCX. XXXV. Anno deinde proximo, qui fuit a Chriſto nato M. CCC. X. Bruſſius, ut clades acceptas hoſti rependeret, bis Angliam infeſto exercitu eſt ingreſſus, & cum maxima præda ſine certamine rediit. Sequente deinde biennio, præſidia munitiora, quæ in Anglorum poteſtate remanſerant, prope omnia recepit: Perthum vi captum: Angli Scotique præſidiarii promiſcue cæſi, quo

1 *Hæc victoria ad Enneruriam*] Si hæc victoria (quod Extract. de Chron. Scot. tradunt) parta eſt feſto Aſcenſionis Domini anno 1308, cum Bruſſius nondum convaluerat, credibile vix eſt, quod ſuperius dixerat, eum in hunc morbum ante Eduardi Angli anno ſuperiore mortem incidiſſe.

3 *Tranſma-*

quo cæteri a ſimili pertinacia deterrerentur : muri diruti : foſſa repleta. Hujus exempli terror Drumfriſium, Lanarcum, Aëram, Botam oppida, aliaque multa minus firma loca deditionem facere coëgit. Veris initio Bacchanalibus ad Jejunii Quadragenarii principium celebrari ſolitis, cuſtodibus ad ludum laſciviamque intentis, Rosburgum a Jacobo Duglaſſio captum : nec adeo diu poſt, Thomas Randulphus Edimburgi arcem munitiſſimam cepit. Manna quoque inſula dedita : arces ubique, ne iterum receptaculo eſſent hoſtibus, dirutæ. Interea Eduardus Bruſſius Sterlini arcem, in rupe (niſi una qua aditur parte) undique præcipiti ſitam, obſidione clauſerat. Eam tenebat Philippus Maubraius, homo impiger, qui, ſucceſſu Bruſſianarum partium in Scotia animadverſo, eam armis commeatibuſque, adverſus obſidionem, quam jam tum animo proſpiciebat, egregie munierat. Igitur cum dies multos Eduardus fruſtra in ea oppugnanda conſumſiſſet, neque ſpem potiundi per vim haberet, ne, nulla re geſta, repulſus inde videri poſſet, ad conditiones eſt ventum, ea lege, ut, ni ante annum ab eo die circumactum, Anglus opem ferret obſeſſis, arx Scotis dederetur ; præſidiarii, quo vellent, cum rebus ſuis ſe conferrent incolumes.

XXXVI. Hæ conditiones vehementer diſplicuerunt Regi : eas tamen, ne fratris fidem elevaret, ſervare decrevit. Verum, cum non dubitaret Anglum ad diem affuturum, quicquid in tanta rerum inopia poteſt, adverſus hoſtem potentiſſimum, ſubiturus ultimum diſcrimen, parat. Et Anglus, qui a Scotis, quos pater ei victos & fractos reliquerat, ſe non modo regno Scotorum exutum, ſed de Anglia dimicare coactum cerneret ; gentem ſæpe rebellem, ſemper inquietam & infeſtam tollere cupiebat. Id ut & perficeret, exercitum non modo ex Anglis, & Scotis, qui Anglorum ſectam ſequebantur, ſed & [1] tranſmarina ditione (quæ tum ei magna & opulenta erat) quantum nullus unquam Rex Anglorum habuiſſe dicitur, coëgit : corrogatis etiam a tranſmarinis amicis auxiliis, maxime a Flandris & Hollandis, quos pater ejus adverſus Philippum Gallorum Regem impenſe adjuverat. In eo exercitu ſupra centum millia bellatorum fuiſſe dicuntur. Sequebatur etiam turba calonum & lixarum, eorumque qui commeatus terra marique ſubvehebant, ut in regionem non admodum frugum fœcundam, & per tot annos omnibus belli cladibus afflictam : præterea eorum, qui in colonias deſcribendi, & agros accepturi, uxores & liberos ſecum trahebant, ingens multitudo. Totæ autem vires opulentiſſimi regni, & jam diu florentis, oculis animiſque ſubjectæ, tantam omnibus fiduciam pariebant, ut non de bello gerendo, ſed de præda dividenda, omnis eorum eſſet ſermo.

XXXVII. Bruſſius, tanto apparatu hoſtium audito, & ipſe ſuas copias parat, numero quidem adverſus tantam multitudinem exiguas (erant enim ad triginta millia hominum) ſed belli uſu & malis domeſticis induratorum, & qui vitæ, fortunarum, omniumque quæ ſunt hominibus cara ſpem in dextris gerebant. Cum hac manu, ſiniſtram ripam Bannoci fluminis tenebat. Eſt autem is

1 *Tranſmarina ditione*] Vid. ſupra ad Lib. 1. 43.

is amnis præaltis utrinque ripis, paucoſque & anguſtos habet tranſitus, a Sterlino circiter duo millia paſſuum abeſt: infra colles, antequam in Fortham influat, per loca paullum æquiora tranſit, ſed alicubi paludibus impedita. Hieme quidem plerumque rapidus ac torrens fertur: tum vero, ut mediis caloribus, modicis aquis & pluribus in locis pervius erat. Scotus, quanto viribus inferior, tanto ad omnia circumſpectior, ut arte & conſilio tranſitum impeditiorem Anglis, qui dextram ripam occupaverant, redderet, locis æquioribus foſſas præaltas duxit, in quibus palos acutos ita infixit, ut ſuperne integumentum e levi ceſpite fraudem celaret: murices item ferreos, ubi commodum videbatur, ſpargi juſſit.

XXXVIII. Igitur cum caſtra caſtris, modico amne diremta, in adverſis collibus prope collata eſſent, Anglus octingentos equites, paullo longius a caſtris tranſmiſſos, Sterlinum præmittit. Hos Robertus ad vicini agri prædam mitti ratus, quingentos equites dat Thomæ Randulpho, cum quibus effuſam agrorum populationem cohiberet: &, ſi ſe occaſio pugnandi daret, eam non omitteret. Eos Angli conſpicati, omiſſo quo pergebant itinere, aciem convertunt. Pugnatum eſt diu acriter, neutro inclinante victoria. Jacobus Duglaſſius, ſuis, qui pauciores erant, vehementer metuens, Bruſſium orat, ut liceret laborantibus opem ferre. Id cum ille pertinaciter negaret, [1] in tumulum velut ſpectator [2] ſubjectus, certus tamen, ſi res poſceret, ſuis ire ſubſidio: ubi Anglorum aciem inclinantem, remque Scoticam meliore loco eſſe animadvertit, ibi conſtitit, ne ex aliena laude quicquam velle decerpere videretur.

XXXIX. Angli, paucis illis e tanta multitudine amiſſis, nihil nimis fracti, & Scoti, velut totius victoriæ omine recepto, ſe in craſtinum diem ad dimicationem parant. Nox, quamvis tum breviſſima ([3] ad nonum enim Calendas Julias pugnatum eſt) pro ardore tamen utriuſque partis longa videbatur. Omnis Scotorum multitudo in tres acies erat diviſa: Rex mediam ducebat: in dextro cornu ejus frater, in ſiniſtro Randulphus imperabat. Angli, præter magnum ſagittariorum numerum, quos utrinque cornibus circumfuderant, cataphractos etiam e Galliis habebant. Hi cum in Randulphum, qui locis humilioribus ſtabat, ſe concitaſſent, ut in latus obliquum incurrerent, ſubito in præparatas a Bruſſio

1 *In tumulum*] Ita MS. pro quo in editis fere omnibus [*tumultum*] perperam legitur.

2 *In tumulum* ——— *ſubjectus*] Virgilium imitatus videtur, cui *ſubjicio* nonnunquam idem eſt quod *ſuperjicio*, *attollo*, *erigo*, ut Æn. 12. 285. *Corpora ſaltu Subjiciunt in equos.* Georg. 4. 385.

Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.

Et Eclog. 10.

Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.

3 *Ad nonum Kal. Julias*] Imo vero ad Octavum Kal. Julias; omnes enim alii ſcriptores pugnatum teſtantur feſto nativitatis Joannis Baptiſtæ, *i. e.* 24 Junii, quod & confirmant hæc Monachi Carmelitæ carmina;

Atra dies Lunæ peſtem renovat nocituram,
Quam vi fortunæ facit Anglis Scotia duram.

Dies enim 24 Junii eo anno 1314, in feriam ſecundam incidit, litera Dominic. F.

Bruſſio foſſas, ruinæ modo cum magna hominum & equorum ſtrage procide-runt. Primi ſuorum ſupraruentium lapſu oppreſſi perierunt; & poſtremi prio-rum clade territi retroceſſerunt. Is terror etiam pedeſtres copias nonihil tarda-vit, veritas ne & ipſæ ſimili fraude caperentur. Accidit & aliud, parvum qui-dem dictu, ſed quod (ut in bello plerumque ſolet evenire) non leve attulit momentum ad ſummam rei. Robertum, qui ante ſuam aciem obequitabat, clavamque manu tenens primos ordines continebat, quidam Anglus agnoſcens, infeſtus in eum haſtam dirigit. Rex, ictu paullo evitato, hoſtem equi impetu prætervectum clava ferit, ac exanimem ſolo proſternit.

XL. Vulgus militum, periculoſam Regis audaciam magnis laudibus proſe-quens, non jam conſilio regi, ſed impetu in hoſtem ferri, tanto ardore animo-rum, ut adverſam aciem impulſuri viderentur, niſi ſagittarii Anglorum in cor-nibus diſpoſiti, magno cum damno eos coërcuiſſent. Bruſſius, aliquot equi-tum turmis immiſſis, eos quidem repreſſit: error tamen plus quam hoſtis An-glis nocuit. Turba enim caſtrenſis, calonibus in jumenta impoſitis, linteiſque ſignorum inſtar explicatis, cum in colle unde conſpici poſſent conſtitiſſent, ſpeciem novi exercitus adventantis præbuerunt. Angli qui proximi ſtabant, duplice metu attoniti fugam capeſſunt, ac ſuo pavore reliquam aciem turbant. Vulgi in fuga ingens edita cædes. Quinquaginta Anglorum millia quidam no-ſtrorum cæſa tradunt. Caxtonus ſcriptor Anglus, ut numerum certum non ponit, ita ſtragis ingentis ſuſpicionem facit: ait enim innumerabilem cæſorum fuiſſe multitudinem. Nec fortaſſis injuria rem in incerto reliquit, quod nume-rum inire non erat facile, fuga tam longe lateque ſparſa, in qua plures quam in prælio perierunt. Tanta certe clades fuit, ut proximo ac tertio poſt anno, Angli, quanquam pluribus incommodis provocarentur, tamen non ſe commo-verint. E Nobilitate Anglica ceciderunt circiter ducenti: par prope numerus fuit captivorum illuſtrium. Ex iis cognitum eſt [1] initium fugæ ab ipſo Rege ortum, ac, niſi a Comite Marciæ in arcem Dumbari receptus fuiſſet, ac na-vicula Bervicum miſſus, non evaſiſſet manus Duglaſſii, qui cum quadringentis equitibus quadraginta millia paſſuum eum ſecutus erat. Inter captivos, depre-henſus eſt Monachus, ex eorum factione, qui a Carmelo monte Syriæ ſibi cognomen adoptarunt. Is (ut illis temporibus) poëta non ſpernendus fuit ha-bitus, atque ad bellum adductus, ut Anglorum victoriam verſibus illuſtraret. Captus autem eorum cladem (libertatis pretium) decantare eſt coactus, [2] car-mine plane rudi & barbaro, ſed quod illorum temporum auribus non diſplice-ret. Nec incruenta Scotis fuit victoria: ceciderunt enim ad quatuor millia; in quibus duo tantum Equeſtris ordinis fuerunt. Sterlini arx, uti convenerat, di-miſſo præſidio recepta.

XLI. Incidit in hæc tempora res, ob fortunæ in exiguo curriculo varieta-tem,

1 *Initium fugæ ab ipſo Rege ortum*] Contra Volſingamius *Regem invitum de loco diſcriminis eductum, & ad fugiendum compulſum* affirmat, pag. 105.

2 *Carmine plane rudi*] Id carmen adhuc exſtat apud Extract. de Chron. Scotiæ, Camerarium de fortitud. Scot. & Tho. Bellum Rom. reſtit. in fine.

tem, non indigna relatu. Joannes Mentethus, qui Vallam amicum Anglis prodidit, pro eo ac debuit Scotis inviſus, ab Anglis, præter alia præmia, acceperat præfecturam arcis Britannoduni. Ea, reliquis munitionibus recuperatis, prope ſola, aut cum paucis, ab Anglis tenebatur. Et quia natura erat inexpugnabilis, cum Rex per propinquos & amicos cum præfecto de ea redimenda tractaret, Comitatum Leviniæ proditionis pretium petebat: nec aliam ullam conditionem ad aures admittere ſuſtinebat. Hîc Rex cum animo fluctuaret, quod, arcem etſi maxime cupiebat, receptionem tamen ejus non tanti æſtimabat, ut ob eam Comitem Leviniæ offenderet, in omnibus ſuis calamitatibus amicum certiſſimum ac prope unicum. Eam Regis hæſitationem Comes cum reſciſſet, auctor ei fuit, ne conditionem recuſaret. Igitur, pactis ex ſententia Joannis confectis, ac ſanctiſſime confirmatis, cum Rex ad arcem recipiendam veniret, in nemore Colchonio, quod prope mille paſſus ab ea abeſt, faber quidam lignarius, Rollandus nomine, impetrato, ut de re magna Regem convenire liceret, fraudem a præfecto intentam ac paratam ei indicavit. Erat autem ea ejuſmodi. In cella vinaria depreſſa & occulta, Angli ſatis magno numero erant incluſi: qui cætera arce recepta, Regem ſecurum, inter prandendum aut caperent, aut obtruncarent. Igitur Rex, a Joanne in arcem acceptus, cum, cæteris omnibus ſatis exploratis, ad epulas blande invitaretur, negavit ſe pranſurum, donec cellam illam occultam introſpiceret. Cum præfectus cauſſaretur fabrum abeſſe, qui clavem cellæ haberet, ſed mox affuturum, oſtio effracto dolus patuit. Angli armati educti, & ſeorſum interrogati, rem ordine narrarunt: aliudque indicium addiderunt, navem armatam in æſtuario proximo ſtare, quæ Regem in Angliam exportaret. Cæteris ſupplicio affectis, Joannes in carcerem conjectus aſſervabatur: quod Rex propinquos ejus, ac maxime generos offendere tam periculoſo tempore nollet. Habebat enim filias complures, egregia forma omnes, ac viris opulentis & factioſis nuptas. Igitur imminente prælio, in quo erat de incolumitate publica certandum, ne cujuſquam hominis potentis animus offenſior ad malas artes impelleretur, ea lege e carcere eſt eductus, ut, ſpondentibus pro eo generis, in acie prima locatus, fortunæ judicium experiretur. Ibi homo alioqui fraudulentus Regi fidem ſervavit; atque ita fortiter ſe geſſit, ut ejus diei opera non modo veniam præteritorum, ſed ampla etiam in poſterum præmia promeruerit.

XLII. Hujus victoriæ fama, per univerſam Britanniam divulgata, non ſolum Anglorum ferociam repreſſit, ſed Scotos etiam ex ultima deſperatione erexit: nec eos pecunia ſolum, ſed gloria, & armis, & apparatu bellico auxit. Neque ſuos modo, qui partim bello, partim per inducias capti erant, redemerunt, ſed magnam ex captivis pecuniam confecerunt. Ex ſpoliis autem plerique, & ſuperiorum temporum damna compenſarunt, & magnas in poſterum opes pararunt. Venerant enim Angli, cum pretioſiſſimis rerum ſuarum, non tanquam ad bellum, ſed certam victoriam. Rebus bello feliciter geſtis, Rex hiemem quæ ſecuta eſt, ſtatum regni diuturno bello labefactatum confirmando,

do, & præmia bene meritis perſolvendo conſumſit. [1] Proximo vere, Bervicum de Anglis eſt captum, poſt [2] viceſimum annum quam in eorum poteſtatem venerat. Proxime comitia ad Aëram Coilæ oppidum ſunt indicta. Ibi frequenti conventu, [3] omnium Ordinum ſuffragiis Bruſſio regnum eſt confirmatum. Deinde, quia unicam ex priore uxore filiam habebat, Optimates memores quantum malorum publice redundaverat ex ea controverſia, quæ ſuperioribus temporibus, de jure Regiæ ſucceſſionis fuerat, decreverunt; „Ut, ſi nulla Regi ſtirpis virilis proles eſſet, Eduardus ejus frater Rex crearetur; ejuſque deinceps filii ſuccederent. Quod ſi is quoque ſine ſtirpe virili decederet, „tum Roberti filia [4] Maria, poſterique ejus regnum tenerent; interea Nobilitas virum, cui eam collocarent, dignum puellæ Regiæ matrimonio, & regni ſucceſſione eligerent. Multo enim æquius eſſe, ut puellæ maritus ab „omnibus, quam a puella Rex omnibus eligeretur. Decretum quoque ibi, ut, „Rege impubere, Thomas Randulphus, aut, ſi quid ei accidiſſet, [5] Jacobus „Duglaſſius Regis tutor, & regni gubernator eſſet.

XLIII. Fama rerum a Roberto domi bellique geſtarum, ex Hibernia Legatos excivit, ad ſe ſuaque omnia in fidem ejus permittenda. Quod ſi ipſum rerum ſuarum ratio detineret domi, orabant, ut Eduardum fratrem Regem ſibi daret; neu ſineret gentem cognatam, ſub crudeli & ſuperba dominatione Anglorum, intolerabili ſervitute premi. [6] Scripſerunt iidem Hiberni etiam ad Pontificem Romanum, fere in eandem ſententiam. Is cum fruſtra monuiſſet, ut ab Hibernis Anglus injuriam abſtineret, tandem Eduardus Bruſſius, eo cum exercitu profectus, magno univerſorum conſenſu Rex eſt appellatus. Primo ſui adventus anno, Ultoniam omnem ejectis Anglis ſuæ ditionis fecit; reliquamque totam inſulam victore exercitu peragravit. Anno proximo, novo ex Anglia tranſmiſſo exercitu, cum belli major moles inſtaret, Robertus quoque novis copiis coactis, ad fratrem feſtinavit. Multa ob inopiam commeatuum in ea expeditione paſſus, cum fere unius diei itinere abeſſet, certior eſt factus, fratrem cum omnibus eum ſecutis tertio Non. Oct. cæſum fuiſſe. Fama eſt Eduardum, nimia gloriæ cupiditate percitum, rem præcipitaſſe, ne cum fratre victoriam communicaret.

XLIV.

1 *Proximo vere*] Imo vero quatuor poſt annos, nempe 2 Aprilis 1318. Vid. Tyrell. pag. 272. quod confirmat hoc Monachi cujuſdam rude carmen apud Extract. de Chron. Scot. fol. 170,

M ſemel & C ter, ſemel X, ſemel V, dabis I ter,
Capto Bervico, ſit laus & gloria Chriſto.

Anno quidem 1315 Bruſſius Bervicum obſidione cinxerat, at re infecta diſcedere coactus. Vide Abercrombium pag. 601.

2 *Viceſimum annum*] Ex modo dictis apparet *viceſimum*, *tertium* fuiſſe ſcribendum; Bervicum enim ab Anglis expugnatum fuerat anno 1295.

3 *Omnium Ordinum ſuffragiis*] Hoc ordinum decretum habetur apud Jac. Anderſonum Append. Num. 24. ſcriptum eſt autem Dominica proxima ante feſtum ſancti Jacobi, *i.e.* 20 Julii 1315.

4 *Maria*] Hoc decreto aliiſque ſcriptoribus *Mariora* ſeu *Margeria* appellatur.

5 *Jacobus Duglaſſius*] Nulla de eo in hoc decreto fit mentio.

6 *Scripſerunt iidem Hiberni*] Ita reſtituimus; pro quo libri omnes [*idem*] habent, male, uti nos opinamur, cum protinus addatur, *fere in eandem ſententiam.*

1 *Plus*

XLIV. Rex Angliæ, cum reſciſſet florem virium Scotiæ, in Hibernia una cum Bruſſio abeſſe domo procul, commodiſſimam occaſionem ulciſcendi damna ſuperiorum temporum ſibi datam ratus, magnas copias ſub lectiſſimis ducibus in Scotiam miſit. Cum eis ter, diverſis in locis, Duglaſſius limitum præfectus congreſſus, duces fere omnes, & militum partem majorem occidit. Angli, terreſtribus copiis re male geſta, claſſe, qua parte virium plus poterant, in Fortham invecti, excurſionibus littora omnia infeſtant. Comes Fifæ equites quingentos ad prædones coërcendos miſit. Hi, non auſi cum tanta multitudine congredi, cum redirent, occurrit revertentibus Gulielmus Sinclarus Caledoniorum Epiſcopus, ſexaginta fere comitatus equitibus. Qui, cum reditus cauſſam audiſſet, graviter increpita eorum ignavia, exclamavit; „Qui rem „Scoticam ſalvam vultis, me ſequimini: & cum dicto correpta lancea, cunctis eum alacriter ſequentibus, in populatores vagos impetu facto, tam trepide eos ad littus compulit, ut, dum quiſque naves conſcendere feſtinat, una navicula irruentis multitudinis pondere depreſſa, cum vectoribus perierit. Ceciderunt in eo tumultu [1] plus minus quingentis ex Anglis. Id Sinclari factum adeo Regi gratum fuit, ut ſemper ab eo tempore ſuum illum appellaret Epiſcopum.

XLV. Illa æſtate, cum, ob annonæ penuriam, & vulgatos in omnia fere manſueta animalia morbos, tum ob frequentes incurſiones, Angliæ regiones omnes Scotis propinquæ pene incultæ jacerent; huic malo ut mederetur Anglus, Eboracum venit: cumque ibi exercitum ob cultorum paucitatem conficere non poſſet, coacti ſunt Londinenſes, & eorum vicini, quanquam plerique vacationem haberent, militem dare. Ita tandem confectis copiis, ad Bervicum obſidendum proficiſcitur. Eo vixdum venerat, cum Thomas Randulphus, diverſa regione, Solvæo amne ſuperato, Angliam ingreſſus, ferro flammaque omnia vaſtat, nemine non modo reſiſtente, ſed pleriſque in locis vix quoquam obvio. Nam lues ſuperiore anno tantam fecerat vaſtitatem, ut facies rerum prope hoſtibus miſerabilis occurreret. Cum ultra centum millia paſſuum Scoti progreſſi eſſent, omniaque incendiis, ac maxime circa Eboracum, fœdarent; rei magis indignitas, quam virium fiducia Archiepiſcopum arma ſumere coëgit. Is, ſatis numeroſo quidem, ſed imbelli exercitu collecto, e promiſcua multitudine ſacrificulorum, & opificum, ac operarum ruſticarum, cum adverſus prædatores majore audacia quam conſilio duxiſſet, victus ac profligatus, plurimis ſuorum in prælio amiſſis, ipſe cum paucis fugit. Tanta ibi Sacerdotum ſtrages fuit, ut ab Anglis diu illud fuerit prælium Album cognominatum. Eduardus, audita ſuorum clade, metuens ne victor aliquid majus moliretur, obſidione ſoluta, Eboracum, deinde (recipientibus ſe Scotis) in intimum regnum abiit.

XLVI. Anglo domeſticis tumultibus occupato, breves induciæ ſecutæ ſunt, Regibus magis bello feſſis, quam alioqui pacificandi cupidis. Hoſtibus igitur quieſcentibus, Robertus conventum indicit: omnem Nobilitatem adeſſe jubet. Et

1 *Plus minus quingentis*] Crafordius legendum vult [*quingenti*] quod quidem uſitatius, ſed alterum forte exemplo non caret.

Et quia belli diuturni viciſſitudines jura poſſeſſionum confuderant, imperat, ut ibi quiſque proferat, quo jure ſua prædia teneret. Id cum veteribus & novis poſſeſſoribus juxta moleſtum eſſet, quod viri fortes optimo jure ſe arbitrarentur habere, quæ armis de hoſte cepiſſent; ægreque ferrent, non operæ modo navatæ, ſed ſanguinis pretium in pace eripi; veteres quoque poſſeſſores, cum nulla pene domus belli clade intacta foret, cum reliquis bonis etiam, ſi quod ſcriptum habuerant de jure prædiorum, id perdiderant: itaque conſilium, ſpecie quidem forte, ſed eventu audax & temerarium ineunt. Rege enim in Concilio jubente jura poſſeſſionum proferri, univerſi ferrum ſtringunt, clamitantes, „Se prædiorum jura in dextris ferre. Rex inopinato ſpectaculo repente ictus, etſi factum indigniſſime ferebat, iram tamen ingentem in tempus recondidit: neque diu ejus promendi ei defuit occaſio. Nobilium complures, tam audacis facinoris ſibi conſcii, metu pœnæ conjurant de regno Anglis prodendo. Id facinus per indicem prolatum, qui adeo certum crimen attulit, ut, ordine, tempore & loco indicato, literæ deprehenſæ ſint. Re palam facta, comprehenſi omnes, & ad Regem perducti ſine tumultu. Gulielmus Sulius Bervici præfectus plurimum timebatur, ne in oppidum & arcem Anglos reciperet. Rex, nondum re vulgata, velut aliud agens, eo proficiſcitur. Omnibus comprehenſis, conventus Perthum indicitur. Ibi prolatis literis, agnito quiſque ſuo ſigno, ſua confeſſione majeſtatis convicti, ad ſupplicium ducuntur. Principes eorum fuiſſe dicuntur, David Brechinius, Gulielmus Sulius, ſupremi ordinis: item Gilbertus Malarus, Richardus Brunus, Joannes Logius. Complures præterea omnium ordinum accuſati, ſed, cum ſuſpicionibus tantum urgerentur, dimiſſi. Unius Davidis Brechinii ſupplicium varie homines affecit: nam, præterquam quod erat e ſorore Regis natus, omnium ætatis ſuæ juvenum & belli & pacis artibus longe primus habebatur. Dederat etiam ſuæ virtutis in Syria Bello Sacro præclarum ſpecimen. Is, ab conjurationis popularibus appellatus, nunquam aſſenſerat: tantum ei crimini dabatur, quod, in conſcientiam rei tam fœdæ aſcitus, eam tacitam habuit. Rogerii Maubraii ante judicium defuncti corpus ad omne genus ignominiæ damnatum eſt. Rex remiſſa pœna ſepeliri juſſit.

XLVII. Paucis menſibus ante hoc judicium, Legati Pontificis Romani, qui, ad componenda regnorum diſſidia, rogati ab Anglo venerant, cum nihil perficerent, ne fruſtra operam Anglis viderentur locaſſe, Scotos diris Pontificiis (terribili illis temporibus telo) feriunt, ac ſacris interdicunt. Scotus, ut Angli intelligerent, quam parum in cauſſa injuſta Romanenſium imprecationibus moveretur, collecto exercitu, pene veſtigia Legati abeuntis inſecutus, Angliam invaſit: ac omnia ferro & flamma fœdando, ad crucem uſque Stammorianam proceſſit. Anglus, ne tantam ignominiam inultus ferret, tam numeroſum cogit exercitum, ut citra ſanguinem facilem ſibi victoriam promitteret. Robertus adverſus ingentem potentiſſimi Regis apparatum periculoſum ratus, omnium fortunarum [1] ſimul diſcrimen ſubire, conſilio magis quam manu

1 *Simul diſcrimen ſubire*] Libri omnes *ſemel*, male.

nu rem decrevit tractare. Pecora igitur in montes, exercitui difficili aditu, agi juſſit, reliqua, quæ hoſti uſui eſſe poſſent, aut in loca munita [1] conferri, aut corrumpi. Angli, qui in ſpem pugnæ feſtinaverant, neque commeatum paraverant ad expeditionem longinquam, vaſtitate ſuorum agrorum conſpecta, ira, odio, & cupiditate vindictæ accenſi, in mediam Scotiam penetrare ſtatuunt, ac Regem e ſuis latibulis invitum in prælium trahere. Magnitudo enim copiarum facile ſpem faciebat, aut ignominiæ acceptæ inſigni victoria demendæ, aut damna proxime data latiore populatione rependendi. Hoc conſilio cum Edimburgum uſque raptim [2] duxiſſet, locis quidem ſacris tantum pepercit: verum quanto ulterius progrediebatur, creſcente rerum omnium inopia, intra quintum diem ſe recipere coactus eſt. In redeundo ſacra juxta ac profana ſpoliata: Monaſteria Driburgum & Mulroſſia, etiam cæſis Monachis infirmioribus, qui, vel defectu virium, vel ſenectutis fiducia, ſoli remanſerant, incenſa. Bruſſius, ubi primum reſcivit, Anglum penuria commeatuum, morbis in exercitu vulgatis, pluribus ſuorum amiſſis quam ſi prælio infeliciter decertaſſet, domum feſtinare; ejus prope veſtigiis inhærens, cum exercitu magis genere militum quam numero præſtante, omnia Eboracum uſque omni belli clade fœdat. Regem ipſum ad Bilandum Cœnobium repentino adventu pene oppreſſit, ac prælio tumultuario victum fugavit, capta ſupellectili & pecunia Regia, omnique belli apparatu. Præter innumeros inferiorum ordinum captivos, abductus eſt Joannes Britannus Richemondiæ Comes. Ad hujus infamis fugæ ignominiam delendam, [3] Andreas Herkelaius Carleoli Comes, brevi poſt accuſatus, tanquam rem Anglicam pecunia corruptus prodidiſſet, alienæ ignaviæ pœnas capite luit.

XLVIII. Proximo anno, duplex Legatio miſſa eſt: altera ad Pontificem Romanum, quæ eum, jam diu a Scotis alienatum Anglorum calumniis, placaret: altera, quæ vetus cum Gallis fœdus renovaret. Utraque quod petiit facile impetravit. Nam & Pontifex cum intellexiſſet, nuper eam controverſiam ex injuria Eduardi primi ortam, qui Scotorum Regem, velut beneficiarium, Anglorum Regibus parere debere affirmabat: neque quicquam Anglos habere, quo ſuum jus defenderent, præter veteres fabulas, & recentes injurias; ſemperque rebus ſecundis, cum in jus ad Pontificem vocarentur, defugiſſe æquam diſceptationem; rebus adverſis, humiliter opem ejus petiiſſe: Scotos contra ſemper poſtulaſſe, ut de cauſſa cognoſceretur, neque unquam legitimi judicis cognitionem, aut bonorum virorum arbitrium recuſaſſe. Præterea, cum plurima ſuperiorum Pontificum reſcripta, & pro ſe, & contra adverſarios protuliſſent, Pontifex quando & Scoti ad diem adeſſent, & Angli, ut adeſſent admoniti, abeſſent, facile Scotis reconciliatus eſt. Nec minus facile a Gallo de-

re-

1 *Conferri*] Ita MS. alii omnes [*conferre*,] quod non ſatis concinne cum *agi* & *corrumpi* congruere videtur.

2 *Duxiſſet*] [Rex ſcilicet Angliæ. quæ vox addi debuiſſet, cum *Angli* proxime præceſſiſſet.]

3 *Andreas Herkelaius*] Ita Anglis ſcriptoribus conſtanter nominatur, non Berkelaius, quod omnibus libris irrepſit. De hac re vide Eduardi II. ad eum literas. Fœd. Ang. Tom. III. pag. 984.

1 *Ad*

renovando fœdere vetuſto impetratum. [1] Ad veteres conditiones adjectum, ut ſi quando de ſucceſſuro Rege apud Scotos ambigeretur, ea controverſia ab Ordinum Concilio decideretur: qui illic legitimis ſuffragiis Rex eſſet declaratus, cum auctoritate & armis, ſi opus eſſet, Gallus tueretur.

XLIX. In hæc tempora noſtri conferunt [2] Hamiltoniorum, florentiſſimæ nunc familiæ, originem. Homo nobilis in aula Anglica, cum honorifice de fortuna & virtute Bruſſii loqueretur, unus e Spenſeris, miniſter cubicularius Regis, ſive contumelioſum Anglis eum ſermonem ratus, ſive ut hoc facinore, ampliorem locum gratiæ, apud leviſſimum quemque e Nobilitate quæreret, ſica educta, in eum inſiliens, levi vulnere corpus perſtrinxit. Vir magni animi, contumelia magis quam damno motus, cum intercurſu multorum præſens ultio fuiſſet inhibita, poſtridie, inimicum ſibi opportunum in eodem loco nactus, eum conficit, ac ſtatim & legum pœnas, & Spenſerorum immodicam in aula potentiam formidans, in Scotiam ad Robertum Regem profugit. Ab eo benigne acceptus, agris ad Glottam fluvium eſt donatus. Ejus poſteri non multo poſt in procerum dignationem pervenerunt, opulentiſſimaque ab eo Hamiltoniorum familia eſt cognominata: agro quoque, quem a Rege accepit, Hamiltoni nomen impoſitum. Nec adeo multo poſt, Anglus, turbatis domi rebus, cum e primoribus multos affeciſſet ſupplicio, Spenſeroſque pravorum conſiliorum auctores, altius quam propinqui ejus ferre poſſent, extuliſſet, ipſe a filio, atque ab uxore, modicis copiis tranſmarinis freta, [3] comprehenſus eſt, & in arctiſſimam cuſtodiam conjectus, fœdo mortis genere interemtus eſt, tranſmiſſo in anum per fiſtulam corneam ferro calido, inteſtiniſque ita aduſtis, ut nullo exterius indicio facinus immaniſſimum proderetur. Neque filius & uxor ab eo conſilio alieni credebantur: vel quod cuſtodes tantam rem tam aperte, ſine magno auctore auſi non fuiſſent attentare; vel quod nulla quæſtio de tam nefario ſcelere eſt decreta.

L. Res in Anglia turbatæ, & Regis ſubſecuta mors, & Bruſſio vergente in ſenium, corporis infirmitas aliquot annos inter finitima regna pacem præſtitit. Bruſſius enim, & metu ab Anglo liberatus, & ætatis decurſu admonente, ad res domeſticas ſtabiliendas converſus, primum omnium regnum, nondum ſatis ex ſuperiorum temporum motibus tranquillum, filio unico & adhuc puero confirmare per [4] conventum Ordinum feſtinat. Is vero ſi ſine liberis moreretur, Robertum Stuartum, nepotem ex filia, ſucceſſorem deſtinat: & in verba de-

cre-

1 *Ad veteres conditiones*] Errant cum Buchanano alii ſcriptores noſtri; nulla enim ejuſmodi conditio huic fœderi eſt adjecta, (vid. Traitez de Paix vol. 1. pag. 189.) ante Roberti II. tempora.

2 *Hamiltoniorum*] Hamiltoniorum nomen celebre inter Scotos multis ante hoc tempus annis fuiſſe, inter alia commonſtrant Prynii Collectiones & Rymeri Acta publica.

3 *Comprehenſus eſt*] Illud [*eſt*] hic ineptum videtur, cum mox ſequatur *interemtus eſt*.

4 *Conventum Ordinum*] Decretum ipſum, ſcriptum Dominica proxima poſt feſtum ſancti Andreæ anni 1318, exſtat apud Jac. Anderſonum Append. Num. 25. Male autem poſt Eduardi II. mortem ponitur, cum eam 9 annis præceſſiſſet.

ereti proceres jurejurando adegit. Deinde veritus, ne vetus de regno certamen cum Balliolo, ſe mortuo, renovaretur, præſertim hæredibus ſuis, propter immaturam ætatem, omnium injuriæ opportunis; miſit in Galliam Jacobum Duglaſſium [1]ad Joannem Balliolum, cum ampliſſimis muneribus & promiſſis, ut regno cederet: id autem, non tam novi juris acquirendi cauſſa (quippe qui, ex more Scotorum, Rex decreto Ordinum, penes quos eſt omnium rerum ſumma poteſtas, factus eſſet) ſed ut pravorum hominum calumniis poſteros liberaret, & ſeditionum radices præcideret. Duglaſſius Balliolum, jam extremæ ſenectutis moleſtiis obſeſſum, longe & ſua & aliorum opinione placabiliorem invenit. Ingenue enim confeſſus eſt, „ Sua culpa ſe in ordinem redactum, ac merito „ velut regno inutilem exactum. Itaque, ſe non modo facile pati, imperium „ penes Robertum ſuum propinquum eſſe, cujus virtute ſumma, ſingulari fe„ licitate, & maximis laboribus, in priſtinum ſplendorem eſſet vindicatum. Il„ lud etiam ſe gaudere, quod, per quos ipſe deceptus fuerat, perfidiæ ſuæ præ„ mio non fruerentur.

M.CCC. XXVII. LI. Hæc cum Robertus ex ſententia perfeciſſet, eodem anno, qui fuit milleſimus trecenteſimus vigeſimus ſeptimus, noſtri tradunt Legatos ab Eduardo tertio ad pacificandum in Scotiam miſſos, quod inſidioſe viſi eſſent agere, pro pace bellum domum retuliſſe: verum quæ fraus intentaretur non explicant. Et Angli bellum aperte a Roberto indictum affirmant: ſed nec ullam illi cauſſam aſcribunt: eam tamen magnam fuiſſe ac juſtam credibile eſt, quæ ſenem valetudinarium, tranquillitate domi vixdum conſtituta, & quem non bellorum, ſed victoriarum ſatietas capere potuiſſet, ad arma tam cupide reſumenda exciërit. Certe illud ſatis conſtat, Regem, ætate invalidum, bello gerendo non interfuiſſe. Miſſi ab eo ſunt in Angliam Thomas Randulphus & Jacobus Duglaſſius, omnium illius ætatis ducum & fortitudine & prudentia longe præſtantiſſimi. Viginti millia equitum expeditorum habebant, ſine ullis peditum copiis: quod eo conſilio factum eſt, ut ſine impedimentis latius diſcurrerent, nec uſquam conſiſterent, aut prælii caſum inviti ſubirent, adverſus Anglum, quem cum longe numeroſiſſimo exercitu progreſſurum in primam expeditionem non dubitabant. Nec fefellit eos opinio: nam, præter domeſticas copias, magna e Belgio equitum exciverat auxilia. Verum orta inter eos & Anglos Eboraci ſeditione, Anglorum quidam ſcriptores eos domum remiſſos tradunt. At Froſſardus Gallus, æqualis illorum temporum ſcriptor, tota ea expeditione ſecutos Anglum affirmat: ac, non ſolum honoris cauſſa, ſed ſeditionis etiam metu, proximum poſt regiam cohortem in caſtris locum ſemper eis fuiſſe aſſignatum.

LII. Rex igitur, omnibus copiis conjunctis (ſupra ſexaginta hominum millia fuiſſe ſatis conſtabat) adverſus Scotos, quos jam Tinam eſſe trangreſſos intelligebat, movit. [2]Ad Tinam enim duo erant oppida munita, alterum propius Valliam

1 *Ad Joannem Balliolum*] Hanc commentitiam Joannis Ballioli regni ceſſionem prorſus evertunt Fœd. Angl. Tom. III. pag. 506. quæ eum multos antea annos, *i. e.* anno 1314, fato functum teſtantur.

2 *Ad Tinam*] Buchananum in errorem hic

Valliam Carleolum, alterum circiter quinquaginta millia paſſuum inferius, Novum caſtrum appellant. Utrumque Anglus magnis præſidiis, ut hoſtes tranſitu fluminis prohiberet, communierat. Illi tamen vadis notis ita ſine ullo tumultu tranſierunt, ut utraque præſidia fallerent. Angli in agrum Dunelmenſem progreſſi, cum ex locis editioribus incendia longe proſpicerent, tum demum intelligere cœperunt, quam propinquus hoſtis eſſet. Tumultuoſe, Ad arma, clamant: & velut jamjam pugnaturi, qua incendiorum fumi cernebantur, eo triplice acie inſtructi recta ducunt, gravi pœna propoſita, ſi quis injuſſu imperatoris acie excederet. Fruſtra omnibus fatigatis, ſub veſperum, loco caſtris in ſilva prope fluvium quendam deſignato, ibi impedimenta (quæ celeriter raptum agmen ſequi non poterant) collocant. Poſtero die, eodem ordine profecti, jam inclinante in veſperum die, ut jumenta peditesque reficerent coacti conſiſtere, caſtris pro loci commoditate poſitis, proceres ad Regem coëunt. Deliberatur quo pacto efficere poſſint, ut manum cum Scoto conferant. Majoris partis ea fuit opinio, non poſſe fieri, ut Angli pedites equitem Scotum expeditum aſſequerentur; nec, ſi aſſequantur, poſſe vagos prædones cogi ad pugnandum, niſi ſuis locis. Verum, quia jam omnibus pervaſtatis, in hoſtico diu permanere non poſſint, optimum videri, cum omnibus copiis Tinam tranſire, atque hoſtem domum redeuntem excipere. Regionem etiam trans Tinam planiorem eſſe, & commodiorem ad aciem explicandam, totiſque ſimul viribus decernendum.

LIII. Hæc ſententia cum eſſet probata, edictum, ut corpora curent, atque univerſi quanto cum ſilentio poſſent, agerent, ut imperia facilius capeſſere, & ſonum tubarum audire queant: ut relictis impedimentis, ſinguli ſingulos panes ſecum ferrent, ut proxima luce cum hoſte dimicaturi, quem cuique fortuna daret exitum opperirentur. Igitur a fatigatione ſuperioris diei refectis corporibus, paullo poſt mediam noctem arma capiunt, & inſtructi iter ineunt. Sed paludes & colles qua ducebantur, cito coëgerunt ordines ſolvere: & qua quiſque poterat primi ducebant, alii præeuntium veſtigia ſequebantur: tantoque cum tumultu iter faciebant, ut multi equi, multa item jumenta, aut in luto paluſtri inhæſerint, aut per declivia præcipitaverint; ſæpenumeroque, Ad arma, ſit conclamatum, cunctis magna cum trepidatione, unde clamor oriebatur, eo ſine ordine concurrentibus. Cum vero ad primos ventum eſſet, audiebant in cauſſa eſſe cervos, qui ſtrepitu hominum excitati per ericeta, & aſpectu hominum conterriti, magnis agminibus inter cohortes diſcurrebant. Tandem circa veſperum ad vada Tinæ fluminis, per quæ Scoti tranſierant, quaque eos Angli redituros ſperabant, equites ſine pedite pervenerant, ac Sole occidente tranſierunt, ſaxis rotundis ac lubricis, quæ fluvius volvit, equos magna moleſtia afficientibus. Accedebat ad alia incommoda, quod rari ferramenta, quibus lignarentur, habebant. Itaque non tantum ſine tentoriis (nulla enim attulerant) ſed ſine tuguriis, ſine palis ad quos equos alligarent, permenſi viginti octo millia paſſuum, ea nocte in ſolo nudo armati, equorumque frænos

hic traxit Froſſardus; alterum enim ex hiſce oppidis, *ſcil.* Carleolum, non ad Tinam, ſed Edinum fluvium, quem Ptolemæus Itunam nuncupat, eſt ſitum.

frænos altera manu tenentes, decubuerunt. Primo mane cum diluxiſſet, tanti imbres deciderunt, ut modici torrentes equis hominibuſque eſſent impervii. Ex ruſticis forte deprehenſis intelligunt, loca vicina late ſterilia & inculta; neque, unde commeatus petatur, quicquam propius quam Novum caſtrum & Carleolum eſſe, quorum hoc viginti quatuor, illud triginta millia paſſuum abeſſet. Igitur eo miſſis jumentis & miniſtris, interea gladiis lignantur, paloſque illigandis equis, fruticeſque & arbuſculas ad caſulas extruendas congerunt, quorum frondibus equos paſcunt: eamque noctem ibi jejuni agunt. Tertia demum luce, qui miſſi ad oppida erant, paullulum commeatus quiſque ſuis attulit. Qui ex oppido lucri cauſſa erant ſecuti, panem quidem & vinum, ſed nec multum nec probum apportarunt: ejus enim tanta penuria erat, ut certaminis cauſſas ipſis inter ſe præberet. Ad hanc rerum omnium inopiam, accedente moleſtia ex imbribus continuis, cum ſeptem dies egiſſent, ac ephippia madeſcerent, tergaque equorum ulcerarent, ipſique in veſtibus uvidis, ac plerique armati, dies noctesque agerent, nec ignes, e materia viridi & ab aqua pluvia madente, accendi poſſent; octavo demum die decretum, ut ſeptem millia paſſuum ſuperius, commodiore vado flumen rurſus tranſirent. Sed & ibi amne imbribus aucto, pluribus in tranſeundo vexatis, nonnullis amiſſis, ubi primum conſtiterunt, edictum, ut qui certum nuncium ubi locorum eſſent Scoti attuliſſet, magna præmia referret. Biduo proximo, cum iter per loca vaſta, & recentibus incendiis fœdata eſſet, pabuli ſatis, ſed aliorum commeatuum non adeo multum reperiunt.

LIV. Quarto demum die, [1] unus e quindecim juvenibus, qui exploratum exierant, retulit, Scotos circiter tria millia paſſuum ab exercitu Anglorum abeſſe, ac proximis octo diebus æque incertos fuiſſe, quid Angli agerent, atque illi de rebus ipſorum. Hoc ſe pro certo afferre, ut qui captus a Scotis fuiſſet, ac ſine pretio dimiſſus, ea lege, ut ſine mora Regi nunciaret, eos ejus adventum illic exſpectaturos, nec minore cupiditate pugnandi quam illum teneri. Hoc nuncio accepto, ſigna conſiſtere Rex jubet, equorum virorumque corpora [2] curari, & ad ultimum certamen arma animoſque parare. Deinde triplice acie lento gradu hoſtem verſus progreditur. Ubi alteri alteris conſpicui fuere, Scoti tres acies ſeorſum in clivo ita ſtruxere, ut dexteram & ſiniſtram rupes præcipites clauderent, unde hoſtes ſubeuntes lapidibus obrui poſſent. Ad radices collis, objectus erat Anglis rapidus torrens, prægrandibus ſaxis & rotundis ita impeditus, ut neque tranſire ad hoſtem, nec ubi tranſiſſent, ſe recipere ſine certa pernicie poſſent. Angli cum perſpicerent, ſine inſigni damno aditum ad hoſtem non eſſe, caſtris poſitis, præconem mittunt, qui jubeat in æquam planitiem deſcendere, & vera virtute de gloria & imperio certare. Scoti reſpondent; „Se non hoſtis arbitrio, ſed ſuo pugnaturos: ſe enim ultum illatas „in-

1 *Unus e quindecim juvenibus*] Exſtat in Actis publicis inſtrumentum, quo Eduardus Anglus Thomam de Rokesby 100 *libris per annum* donat, quod cum *ad viſum inimicorum perduxiſſet*, 28 Septemb. 1327. Ibid. vol. 4. pag. 312.

2 *Curari* —— *parare*] Aut *curare* aut *parari* legendum videtur.

1 *Dux*

„ injurias in Angliam veniſſe. Si quid fecerint, quod eis doleat, ſummam ex„petendæ vindictæ copiam eſſe. Illic ſe, quamdiu ſibi commodum videretur, „exſpectaturos: ſi quis laceſſeret, operam daturos ne id impune faciat.

LV. Triduo proximo, collatis caſtris, ſtationibuſque ad vada collocatis, levia per occaſionem certamina facta. Quarto die, prima luce vigiles retulerunt, collem in quo Scoti conſederant nudum eſſe. Speculatores emiſſi qui certiora referrent, & abeuntium veſtigia perſequerentur, renunciant, Scotos in alio colle multo tutiore, ad eundem fluvium caſtra poſuiſſe, juxta ſilvam, quæ eis tutos exitus & reditus daret. Angli, qui ſperarant, ſe Scotos prælium detrectantes, in alieno ſolo fame domituros, ea ſpe dejecti, eos ſequuntur, & in adverſo colle caſtra metantur. Ibi poſtquam aliquot dies conſederunt, animadverſum eſt, nocturnas vigilias negligentius ab eis haberi, ſive contemtu paucitatis Scotorum, ſive quod nihil niſi de fuga cogitare eos exiſtimarent. Duglaſſius, ne occaſioni deeſſet, aliquid audendum ratus, cum ducentis equitibus ſelectis, tranſmiſſo flumine, caſtra hoſtium, qua maxime neglectam cuſtodiam intellexerat, ingreſſus, ad tentorium pene Regis penetravit: ac, duobus ibi funiculis inciſis, orto tumultu, trecentis fere Anglis in reditu peremtis, ſuos incolumes reduxit. Poſt id, nihil memoria dignum eſt actum, niſi quod Angli, ſuo damno moniti, intentiores vigilias locis idoneis diſpoſuerunt. Tandem ex captivo Scoto reſcitum eſt, edictum in caſtris fuiſſe, ut de tertia vigilia omnes, quo Duglaſſius duceret, ſequerentur. Is nuncius tantam trepidationem Anglis injecit, ut, tribus aciebus modico intervallo ſeparatis, totam eam noctem in armis egerint; equoſque inſtratos, & in eventum paratos, miniſtri in tentoriis haberent; ſtationeſque firmiores ad omnia vada fluminis ponerent. Tandem, ſub lucem, duo tubicines Scoti ad Regem perducti, exponunt, ſe nunciare juſſos, Scotos domum reverti: ſi Angli damna accepta velint ulciſci, ſequi jubent. Angli, re ad conſilium relata, decernunt, ſatius eſſe in præſentia reducere exercitum, quam cum hominum & equorum vexatione, fruſtra prædones vagos ſequi: præſertim cum in hac expeditione, plures fame ac morbis perierint, quam plerumque juſto prælio pereant. Decreto reditu, multi Anglorum, vel ſpe prædæ in nocturna trepidatione relictæ, vel noſcendi res hoſtium ſtudio, in caſtra profecti, hæc fere compererunt; feras circiter quingentas cervini generis, ac maxime platycerotas, cæſas, quod genus Angli non modo Reges, ſed privati multi alunt: utres item ingentes e crudis pellibus, in quibus carnes coquebant, ac peronum ad decem millia inventa; [1] duo item Angli confractis cruribus adhuc viventes. Hæc fere omnia, cum ingentem paupertatis & laboris patientiam indicarent, fecerunt, ut facile probaretur eorum conſilium, qui de reducendo exercitu ſententias dixerant.

LVI. [2] Hoc anno, deceſſerunt Valterus Stuartus, & Elizabetha Regina, hic

1 *Duo item Angli*] Froſſardus, e quo hæc expeditio eſt deſcripta, quinque Anglos dicit: idem habent Boëthius, Tyrellus, Barneſius, qui poſtremus Buchanani lapſum reprehendit.

2 *Hoc anno*] Ita quidem Boëthius: verum Extracta de Chron. Scot. utrumque anno ſequenti 1328, hunc 5 Idus Aprilis, illam 7 Kal. Novemb. deceſſiſſe teſtantur.

r Ad

hic gener, hæc uxor Regis: obſeſſæ item a Scotis arces Noramæ & Alnevici, ſed fruſtra: prædæ de Northumbris actæ. Menſe Martio, Legati ab Anglo miſſi, qui de pace perpetua agerent: induciæ in tres annos factæ. Anno pro-
CIↃ CCC ximo, qui fuit milleſimus trecenteſimus vigeſimus octavus, [1] ad octavum Calen-
XXVIII. das Julias, conventus Anglorum eſt habitus, ad Hamptonam cognomento Septentrionalem: quo in conventu, ex Ordinum decreto, confecta pax eſt cum Scotis, in has leges: „ Ut Anglus omni jure, quod ipſe majoreſve ejus „ in regnum Scotorum ſibi arrogaverant, cederet; idque regnum tam liberum „ relinqueret, quam fuerat moriente Alexandro tertio, nullique ſervituti ex- „ ternæ in poſterum obnoxium. Ut Scoti pariter remitterent Anglis, quicquid „ terrarum aliquando tenuerant in Anglia beneficii nomine: fineſque Scotis eſſent „ Cumbria & Northumbria, Stammoria tenus. Ut David Roberti filius, [2] Joan- „ nam *Eduardi* ſororem uxorem duceret. Ut Angli pacta, conventa, ſyngra- „ phas, aut ſi qua alia ſervitutis monumenta haberent, ea Scotis bona fide red- „ derent; irritaque in poſterum eſſe juberent. Uti Scoti, pro damnis nuper il- „ latis Anglo, proque agris quos in Scotia pater avuſque ejus ſuis donaverant, „ [3] triginta millia marcarum argenti repræſentarent. Erant ſuæ utrique Regi cauſſæ, cur in has conditiones tam facile convenirent. Anglus enim, proxima expeditione ærario penitus exhauſto, & ignominioſo reditu apud ſuos hoſtemque vilior, metuebat, ne, ſe civili motu impedito, lateri hoſtis bellicoſus adhærens, rebus nuper proſpere geſtis elatus, inſigni aliquo damno regnum afficeret. Et Robertus, ſenio, laboribus, & morbo (nam paullo ante mortem [4] in elephantiam inciderat) fractus, & utriuſque fortunæ diu eventis exercitus, ſtatuerat, non ſolum ſeſe, ſi fieri poſſet, in quietem dedere, ſed hæredum quoque, ob infirmitatem ætatis, tranquillitati proſpicere: itaque, pace foris parta, totum ſe ad res domi ordinandas convertit.

LVII. Nuptiis filii magnifice celebratis, Rex finem vitæ ſibi adeſſe proſpiciens, ipſe in privati prope habitum ſe componens (nam aliquot ante annis, omnium majorum rerum adminiſtratio penes Thomam Randulphum & Jacobum Duglaſſium erat) in modicis ædibus ad Cardroſiam (qui locus a Britanno-

du-

1 *Ad 8 Kal. Julias*] Tyrellus ait, 3 *poſt Paſcha hebdomadas*, Barneſius in *Pentecoſtes hebdomade circa finem Maji*, ideoque apud Buchananum pro *Julias* videtur legendum *Junias*. Inſtrumentum quidem ipſum, cui titulus eſt *Relaxatio ſuperioritatis Scotiæ*, datum eſt Eboraci primo die Martii 1328, poſtea in conventu Ordinum ad Hamptonam Septentrionalem confirmatum circa Maji initium; de ea enim pace inter ſe & Robertum Scotiæ Regem confecta ad Pontificem Romanum & Cardinales literas mittit Eduardus, ſcriptas Hamptonæ 3 Maji ejuſdem anni.

2 *Joannam Eduardi ſororem*] In libris omnibus, pro *Eduardi*, *Henrici* mendoſe eſt ſcriptum.

3 *Triginta millia marcarum*] Knichtonus aliique Angli *viginti millia* promiſſa affirmant: rectius tamen Buchananus; ex Actis enim publicis Tom. IV. pag 445, & 462. *triginta millia* pacta apparet, eorumque decem poſtrema ſoluta eſſe ante 10 Januarii Anni 1331.

4 *In Elephantiam inciderat*] Lepræ genus, quod, ſi Lucretio lib. 6. verſ. 1112. & Galeno lib. 2. cap. 11. fides habenda ſit, Ægyptiorum eſt proprium, neque præterea uſquam gignitur.

duno Levino amne dirimitur) ſe continens, congreſſu vulgi, niſi ſi quando neceſſe erat, abſtinebat. Eo paullo ante exitum convocatis amicis, teſtamentum fecit. „Hæredes eoſdem, qui in conventu publico declarati erant, confirmat: „primum Davidem filium, [1] octavum ætatis annum agentem; proxime Ro„bertum Stuartum, ex filia nepotem: eos proceribus, & in primis Thomæ Ran„dulpho ſororis filio, & Jacobo Duglaſſio commendavit. Diſpoſitis deinde rebus domeſticis, omnes ad concordiæ inter ſe ſtudium, & Regis obſervantiam eſt hortatus: id ſi præſtent, ab exteris invictos fore affirmavit. Tria præterea*, ſeu præcepta, ſive conſilia, adjeciſſe fertur: „Ne quenquam unum Æ„budarum inſularum dominum facerent. Ne totis viribus, ſi fieri poſſet, cum „Anglis, de omnibus fortunis, uno prælio contenderent. Ne unquam cum „eis diuturnas facerent inducias. In primo conſilio explicando, multa diſſeruit, „de numero, de magnitudine & potentia inſularum, de incolarum multitudi„ne & ferocia, ac malorum omnium patientia. Hi cum navibus, ſui quidem „generis, ſed in illis Oceani oris non incommodis, adverſus homines prope a „re maritima alienos, ſe conjungunt, poſſe plurimum incommodi afferre, mo„dicis contra damnis affici. Eo igitur annuos præfectos juris dicundi gratia mit„tendos, quibus nec is honos in longum tempus continuetur. Secundum eo „pertinere conſilium, quod Angli, qui meliorem quam Scoti agrum colant, „hominum numero, pecunia, omni denique belli apparatu præſtent; & ob „hæc commoda, otio magis aſſueſcant, eoque minus ſunt laborum patientes: „Scoti vero in duriore ſolo educati, ob parſimoniam aſſiduaſque exercitationes, „temperamento corporis ſunt ſalubriore, & ad omnem militarem patientiam „ipſo educationis genere aſſuefacti: propterea aptiores eſſe ad tumultuarios „congreſſus, hoſtemque paullatim carpendum, ac malis frangendum, quam „ad ſtatariam pugnam. Tertii conſilii hanc eſſe rationem, quod longior pax „Scotos (qui nullum præter Anglos hoſtem habeant, ubi belli artes exerceant) „ſi ad otium ſe contulerint, irrepente luxuria, facile duceret ad ſegnitiem, & „illecebris mollitos imbelles efficeret: Anglos autem, etſi pax eis cum Scoto „ſit, habere tamen Galliam propinquam, quæ in militari ſtudio eos contineat. „Itaque, ſi rerum bellicarum periti, cum Scoto rudi militiæ, & eo deſide, „manum conſerant, jure optimo certam victoriam ſperare debeant.

LVIII. Commendavit item Jacobo Duglaſſio votum ſuum tranſmarinum: voverat enim in Syriam proficiſci, ac Belli Sacri, adverſus omnium Chriſtianorum communes hoſtes, partem capeſſere. Sed quoniam ipſe, vel rerum domi perturbatione impeditus, vel ſenio & morbo fractus, ſe voto ſolvere non poſſet, orare impenſe, [2] ut Duglaſſius cor, ipſo defuncto, Hieroſolymam ferret,

1 *Octavum ætatis annum agentem*] In hoc Buchananus, dum Boëthium inopinus ſequitur, non aliis modo, ſed ſibi ipſe contradicit: nam Lib. IX. 39 eum deceſſiſſe ait ætatis anno 47, Salutis 1370, proinde anno 1323 natum oportet, quod & Vintonus diſertim & menſe quidem Martio affirmat; addit Balfurius, indiligens ſcriptor, *die quinto*. Vid. lib. IX. c. 3.

2 *Ut Duglaſſius cor*] Exſtat (Ibid. pag. 400.) *Salvus conductus* ab Eduardo Anglo datus primo die Septemb. 1329, ſub hoc

tit-

ret, ibique ſepeliendum curaret. Id munus ille honorificum, & illuſtre amoris Regii erga ſe argumentum interpretatus, proximo poſt Regis mortem anno, cum firma cohorte juvenum nobilium, profectionem adornat. Sed dum littus Hiſpaniæ legit, audito, grave bellum ibi [1] Regi Aragonum eſſe, adverſus eundem hoſtem, cum quo in Syria dimicandum eſſet; nihil intereſſe ratus, quo in loco rem Chriſtianam juvaret, ſe cum Hiſpanis conjungit: ac poſt aliquot proſperas pugnas, cum hoſtem, ut fugacem & imbellem, comtemneret, aliquid cum ſuis ſeorſum audendum ratus, in Saracenorum aciem incautius incurrit, ac protractus in inſidias, cum parte majore ſuorum interemtus fuit.
M.CCC. Perierunt ex amicis præcipui, Gulielmus Sinclarus & Robertus Loganus. Hæc
XXX. inciderunt in annum proximum poſt Regis mortem, qui fuit M.CCC.XXX.

LIX. Ut multa paucis comprehendam, fuit certe Robertus Bruſſius vir undiquaque clariſſimus: & cui, ab heroicis uſque temporibus, paucos in omni virtutis genere pares inveniemus. Erat enim, ut in bello fortiſſimus, ita in pace ſumma temperantia & æquitate: & quanquam inſperati ſucceſſus, &, poſtquam ejus malis fortuna ſatiata, aut potius laſſata fuit, perpetuus victoriarum curſus eum vehementer nobilitaret, tamen admirabilior mihi longe in rebus adverſis videtur. Cujus enim animi robur fuit, tot malis, uno tempore ingruentibus, ſi non frangi, certe ne debilitari quidem? Cujus conſtantiam non labefactaſſet captiva uxor; quatuor fratres viri fortiſſimi crudeliter trucidati; amici omni genere calamitatis, uno tempore vexati; qui mortem effugere poterant, amiſſis bonis profugi; ipſe non ampliſſimo tantum patrimonio, ſed regno exutus, a potentiſſimo illorum temporum Principe, & manu & conſilio promtiſſimo? Omnibus his malis uno tempore obſeſſus, & ad extremam inopiam redactus, nec de recuperando regno unquam dubitavit, nec animo Regio indignum quicquam unquam aut fecit aut dixit. Nec, ut Cato poſterior, & Marcus Brutus, ſibi vim intulit: nec, ut Marius, calamitatibus efferatus, odio adverſus inimicos indulſit. Recuperato enim ſtatu priſtino, ita cum iis vixit, qui maximis exercuerant eum laboribus, ut non tam ſe inimicum aliquando fuiſſe, quam Regem eſſe videretur meminiſſe. Sub exitum, etiam morbo graviſſimo ad ſenectutis moleſtias accedente, adeo ſibi non defuit, ut præſentem regni ſtatum confirmarit, & poſteritatis tranquillitati proſpexerit: uti jure optimo, defunctum omnes, non modo ut juſto Rege, ſed pio parente or-
M.CCC. bati, luxerint. Deceſſit [2] ſeptimo Idus Julias, anno a Chriſto nato milleſimo
XXIX. trecenteſimo vigeſimo nono, regni vigeſimo quarto. LI-

titulo, *Pro Jacobo Domino de Douglas, cum corde Roberti de Brus nuper Regis Scotiæ in terram ſanctam profecturo.*

1 *Regi Arragonum*] Si Froſſardo credimus, non Regi *Arragonum*, ſed *Caſtellæ & Legionis*, operam ſuam Duglaſſius commodavit. Joannes autem Barbarus, qui vitam Roberti Bruſſii ſcripſit, floruitque ſub ejus filio Davide II. eum Hiſpalim appuliſſe, quæ urbs eſt Hiſpaniæ Bæticæ, non Tarraconenſis, & Alfonſo VI. Caſtellæ & Legionis Regi militaſſe tradit.

2 *Septimo Idus Julias*] Qui tempus mortis Roberti I. definiunt, eum 7 *Idus Junias* obiiſſe memorant: id vero extra omne dubium ponit Litera Eduardi III. Angli ad Davidem II. Scotorum Regem 24 Junii 1329 ſcripta, qua 5000 marcas, ſibi a Roberto Bruſſio nuper Rege Scotiæ pactas, ſolvi petit. Fœd. Angl. Tom. 4. p. 397.

1 *Pro-*

LIBER NONUS.

I. SCOTORUM proceres, funebri officio erga Regem defunćti, comitia in primum diem commodum indicunt [1] Proregi eligendo. Ibi in Thomam Randulphum Moraviæ Comitem (qui Rege vivo jam aliquot annos eum geſſerat magiſtratum, & a moriente teſtamento erat populo commendatus) publicus favor apparuit.

XCVIII. REX.

Coronatio Regis [2] in octavum Cal. Decembr. anni ſequentis dilata eſt, ut Romani Pontificis permiſſu inungeretur, ac [3] nova illa cærimonia apud Scotos auguſtior videretur. Prorex creatus primum omnium pacem cum Anglis confirmat: deinde ad eam ſtabiliendam domi converſus, ut aperta latrocinia comprimeret, validam cohortem juvenum armatorum circa ſe ſemper habebat, in omnes occaſiones intentus. Igitur cum Victonem (quod Gallovidiæ eſt oppidum) proficiſcenti allatum eſſet, manum latronum ſatis validam in illa regione vias obſidere, ac viatores ſpoliare, ſtatim ex itinere miſſa in eos cohorte ſua, captos ad unum ſupplicio affecit. In cædis auctores erat prorſus inexorabilis: adeo ut quendam, Roma reverſum, & quod per diploma Pontificis veniam obtinuiſſet, ſecurum, comprehendi juſſerit, culpæ condonationem ad Pontificem, corporis pœnam ad Regem affirmans pertinere. Furta vero, ex reliqua belli contagione adhuc frequentia, ut compeſceret, legem tulit; „ Ut ruſtici inſtru„ menta ruri colendo comparata in agris relinquerent; neve noctu domos aut „ ſtabula clauderent. Damni dati ſi quod eſſet, pretium damni a præfectis ju-
„ ri-

1 *Proregi eligendo*] Oblitus *ſcil.* Buchananus, ipſo quidem referente, lib. VIII. c. 43. a Roberto Bruſſio regnique Ordinibus decretum fuiſſe, ut Rege impubere Thomas Randulphus *Regis Tutor* ac *Gubernator* eſſet, anno 1315; quod etiam ab iiſdem confirmatum eſt anno 1318, & Regis demum teſtamento paullo ante mortem, lib. VIII. 57. Nullus igitur reſtabat *Proregi eligendo* locus.

2 *In octavum Kal. Decembris anni ſequentis*] *i. e.* anni 1331, teſtantibus Extract. de Chron. Scot. Ballendeno, *&c.*

3 *Nova illa cærimonia*] Cærimonia illa neutiquam erat nova, ſed multis retroſeculis uſitata. Buchananum alioſque hac in re fefellit Diploma Joannis XXII. ad Robertum Bruſſium, quo permiſſum eſt ut Epiſcopus Glaſguenſis, *qui pro tempore fuerit*, (Epiſcopo Fani Andreæ (cujus ſolius id munus *ab antiquis retroactis temporibus* fuerat) *nolente, vel etiam nequeunte*) & ipſum & ſucceſſores ſuos inungere, Regioque diademate inſignire poſſet. Hoc Diploma in Bibliotheca Juridica Edinburg. aſſervatum, Avinione datum eſt Idibus Junii, Pontificatus Joannis XXII. anno tertiodecimo, *i. e.* ſex diebus poſt Roberti I. mortem, anno 1329. ac proinde alia cauſſa fuiſſe videtur, Davidis coronationem duos & amplius annos differendi.

„ridicis peterent; præfecti a Regi repeterent: Regi ex bonis latronum deprehenſorum ſatisfieret. Inter hæc, ruſticus paullo ad rem avidior, cum eam cautionem pro vana haberet, ſui aratri ferramenta ſublata abſcondit, ac, tanquam furto periiſſent, a præfecto pretium flagitavit: & is quidem ſtatim fide bona perſolvit: ſed cum diligentius inquireret, comperto ruſticum ipſum furti auctorem fuiſſe, eum laqueo ſtrangulari juſſit: bona fiſco addixit. Turbam vagam ſcurrarum ac ſymphoniacorum pœnis graviſſimis propoſitis compreſſit. Si quis viatori, aut alii miniſtro publico jure agenti reſtitiſſet, eum occidere impune licebat. Itaque cum aliquando ad Halidonem vicum, triginta fuiſſent a comitibus miniſtri publici occiſi, cædem jure factam pronunciavit.

II. Nec ob hanc ſeveritatem domi magis erat facinoroſis, quam foris hoſtibus ob fortitudinem formidabilis. Igitur Angli, qui ſublato Rege Roberto, in ſpem vindictæ erant in omnes occaſiones intenti, cum nihil vi aperta Randulpho vivo auderent attentare, ad fraudem occultam animum conferunt. Via breviſſima tollendi [1] inimici veneno viſa eſt: nec defuit id molientibus miniſter idoneus, Monachus ex eo genere, qui in otio educati, penuria magiſtrorum, qui recta doceant, bona plerumque ingenia ad malas artes applicant. In eo cum duæ conjunctæ eſſent profeſſiones, Monachatus & medicinæ, altera viſa eſt ad parandum aditum, altera ad patrandum ſcelus idonea. Igitur cum in Scotiam veniſſet, ſeque jactaret paſſim, cum omnis medicinæ, tum curandi calculi peritum, facilem ſibi aditum ad Proregem fecit. Adhibitus ad eum curandum, medicinæ lentum venenum admiſcuit: deinde, velut ad pharmaca comparanda, accepto paucorum dierum commeatu, in Angliam ſe recepit. Ibi apud Eduardum gravi cum aſſeveratione jactat, Randulphum ante certum diem mortem obiturum. Rex, in eam ſpem ingenti exercitu comparato, cum ad limitem regnorum veniſſet, audito Scotorum magnas copias non procul a ſuis caſtris abeſſe, caduceatorem velut ad res repetendas mittit, juſſum explorare, quis eis copiis imperaret.

III. Randulphus, qui morbo ingraveſcente, ac non reverſo ad diem Monacho, pejora omnia ſuſpicaretur, diſſimulato quoad potuit dolore, in ſella ante tabernaculum ſedens, ac veſte ſplendida indutus, ad fœcialis poſtulata tanquam ſanus ac valens, quæ viſa erant reſpondit. Is cum ad Regem viſa & audita retuliſſet, Monacho velut mendace punito, retro ſigna convertit, relicto ad limites adverſus excurſiones præſidio: & Randulphus, quo minus progrederetur, morbi violentia impeditus, cum dimiſſo exercitu rediret, ad Muſcelburgum, quatuor fere millia paſſuum ab Edimburgo, deceſſit, [2] anno Salutis mil-

1 *Inimici tollendi veneno*] Eum veneno ſublatum fuiſſe noſtri conſentiunt, quod tamen Angli conſtanter pernegant.

2 *Anno ſalutis* 1331] Solum Ballendenum, quod ſciam, hic ſequitur, nam Vintonus, Extract. & Liber Carthuſ. de Perth, eum mortuum tradunt anno 1332. Eorum vero ſententiam confirmant duæ chartæ in *Archivis* (quæ vocant) *Eccleſiæ Moravienſis*, quibus eum vivum fuiſſe 28. Octob. 1331, planiſſime conſtat. Rem vero extra dubium ponunt Literæ Eduardi Angli ad Thomam Comitem Moraviæ, *Cuſtodem terræ Scotiæ*, 22 Aprilis 1332, ſcriptæ. Fœd. Angl. Tom. IV. pag. 518. Neque aliter ſibi ipſi conſtabit Buchananus:

milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo, decimo tertio Calend. Aug. poſtquam [1]biennium a morte Regis Roberti imperaſſet: vir fortitudine & rei militaris peritia nulli Regum Scotorum inferior; pacis vero artibus longe omnibus ſuperior. Reliquit duos filios, Thomam & Joannem, plane tanto patre dignos. Mortuo Randulpho regni cuſtode (ita tum eos vocabant) electus eſt [2]*Donaldus* Marriæ Comes, ad quartum Nonas Aug. Rege decimum annum agente. Quo die trepidus allatus eſt nuncius, Eduardum Balliolum, Prid. Cal. in æſtuario Forthæ cum numeroſa claſſe fuiſſe conſpectum. De ejus adventu, ut omnia fiant magis illuſtria, res paullo altius eſt repetenda.

IV. Mortuo Rege Roberto, erat quidam Laurentius Tuina, ex eis Anglis, qui, acceptis in militiæ præmium agris, in Scotia reſederant, genere quidem honeſto, ſed vita flagitioſa. Is, ſpe majoris licentiæ concepta, ex alterius Regis morte, alterius immatura ætate, multo quam antea liberius voluptatibus inhoneſtis indulgebat. Igitur cum in adulterio ſæpe deprehenſus, a judice cauſſarum Eccleſiaſticarum [3]itidem admonitus, non abſtineret; ab Epiſcopi Glaſcuenſis Officiali (ita eum magiſtratum vocant) tandem ei ſacris & communione Chriſtiana eſt interdictum. Ille velut injuria affectus, judicem Aëram proficiſcentem, inſidiis ad viam poſitis excepit: ac tam diu tenuit apud ſe captivum, donec impenſa pecunia ſe liberaret. Ob id facinus, Tuina cum ſciret Jacobum Duglaſſium ſibi graviter infenſum, ſeque ad ſupplicium quæri, ejus potentiam veritus in Gallias profugit. Ibi ad Eduardum Balliolum, Joannis (qui regnum aliquot annos in Scotia tenuerat) filium, ſe contulit. Ei cum ſtatum rerum Scoticarum indicaſſet, hortatus eſt, ne tantam occaſionem regni paterni recuperandi omitteret. „Regem enim puerum eſſe, pluresque prope inimicos, & „odii erga patrem vindices, quam amicos habere. Aliorum patres in conventu „publico apud Perthum trucidatos; alios exules bonis amiſſis, multis agrorum „bonam partem multæ nomine ademtam: complures præterea genere Anglos, „prædiis [4]a patre ipſius [5]donatis privatos, expeditionis comites libenter futuros: „nec defuturos ex utroque regno homines egentes & facinoroſos, vel ſpe lucri, „vel judiciorum metu, novarum rerum cupidos, quibus nihil, præter quem „ſequantur ducem, ad omnia miſcenda deſit. Ad hæc, Jacobo Duglaſſio in „Hiſpania extincto, Randulpho per adverſam valetudinem ad res gerendas inu„tili,

nus: nam Ballioli expeditionem (quam omnes anno 1332 factam conſentiunt) immediate Randulphi mortem ſubſequutam tradit, lib. IX. c. 3. & 5.

1 *Biennium*] Ex modo dictis apparet [*triennium*] ſcriptum oportuiſſe.

2 *Donaldus Marriæ Comes*] Ita alii omnes, & ipſe Buchananus lib. XIX. 36. in libris tamen omnibus *Duncanus* legitur. Meminiſſe inſuper debuerat, eum regionum tantum ad ſeptentriones pertinentium Cuſtodem fuiſſe electum, & Patricium Dumbarium, Marciæ Comitem, partium ad meridiem ſpectantium, ut ſcriptores noſtri fere omnes teſtantur.

3 *Itidem admonitus*] *Identidem* forte legendum, Boëthius enim ſemel atque iterum admonitum ait; ſolitumque eſt ex diſciplina Eccleſiaſtica ſceleroſos ter admoneri, priuſquam eis communione Chriſtiana ſit interdictum.

4 *A patre ipſius*] Potius ab Anglo; nullos enim memini genere Anglos prædiis in Scotia a Joanne Balliolo donatos.

5 *Donatis privatos*] Ita in MS. ſecunda quidem manu eſt emendatum: edi-

„tili, neminem præterea ſupereſſe, cujus auctoritati multitudo diſcors ſe regen„dam permitteret. Itaque quantulamcunque manum ſatis fore, ut vel rem paratam & ſe offerentem arripiat, vel impulſam & labefactatam evertat.

V. Hæc cum magna ex parte vera Balliolus non ignoraret, & magnas ab Eduardo Anglo copias in Scotiam duci audiret, facile callidus veterator homini, imperii & gloriæ cupido, perſuaſit, ut, contractis pro præſenti copia navibus, expeditionis ejus partem ſuſciperet. Verum ſub adventum Ballioli in Angliam, Eduardus exercitum dimiſerat. Nihilo tamen minus Scotis exulibus, atque Anglis agris in Scotia expulſis ad eum confluentibus, manum non contemnendam effecit. Sunt qui ſexcentis tantum comitibus rem tantam cum ſcribant aggreſſum: quod mihi non ſit veriſimile. Propior vero eorum videtur oratio, [1] qui ſex millia peditum ei ab Anglo data ferunt. Alacriores multo ad hanc expeditionem univerſos fecit, illis ipſis, quibus hæc agitabantur, diebus mors Randulphi nunciata: ac, velut lætum omen rerum gerendarum, omnium animos erexit. [2] Cum hac igitur claſſe Kingornum vectus, Cal. Aug. navales copias expoſuit. [3] Terreſtres autem duxerunt [4] David Cuminius, olim Atholiæ Comes, Maubraius, & [5] Bellomontius; ex Anglis, Talbotus. Ad claſſis appulſæ famam Alexander Se-

ti tamen omnes [*donatos*] habent: quod tolerari poſſet, niſi mox ſequeretur [*privatos.*]

1 *Qui ſex millia peditum*] Vide hac de re Abercrombium vol. 2. pag. 7.

2 *Cum hac igitur claſſe Kingornum vectus*] Ita reſtituimus, pro quo libri omnes [*vecta*] exhibent; male, me judice, neque ex conſuetudine Latini ſermonis. Nam ſi [*vecta*] retinuerimus, ſententia hæc prodibit; [*Kal. Aug. navales copias cum claſſe Kingornum vecta expoſuit*, i. e. *navales copias & claſſem;* quod non futile modo, ſed falſum videtur; neque enim *claſſem* ſeu *naves* expoſuit, verum eas (quod Angli affirmant) expoſitis militibus, incendit, ut ſuis omnem ſpem fugæ incideret. Quidam tamen ſententiam conſtare poſſe exiſtimant, ſic interpretando, *Cum hac igitur claſſe Kingornum vecta* (i. e ſimulac hæc claſſis Kingornum vecta fuiſſet) *navales copias expoſuit*, ad exemplum Salluſtii Jug. *Pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerunt.* Verum longe diſpar mihi videtur harum ſententiarum ratio: & primum quidem Latini ea loquendi formula tantum utuntur, cum de iis rebus ſit ſermo, quæ nullo temporis nexu neceſſario conjunguntur; fieri enim poterat ut legati, vel ante, vel poſt Thalam captam ad Metellum venirent: contra vero temporis ac naturæ ordo neceſſario requirit ut quis claſſem littori prius appellat, quam navales ex ea copias exponat. Porro id locum tantum habere videtur in ſententiis brevioribus, ut *Cum dicto abiit;* &c. nam ſi paullo prolixiores ſint, particula aliqua explicativa, ut *pariter*, *ſimul*, &c. ſemper adjicitur. Verum hæc forte auribus facilius dignoſci, quam verbis explicari queunt.

3 *Terreſtres autem copias*] De terreſtribus ejus copiis a navalibus hiſce diverſis nuſquam mentio: neque enim Anglus adhuc ullas terra duci ſinebat. Comes autem Atholiæ, Maubraius & Bellomontius eadem qua Balliolus claſſe ſunt vecti. Per terreſtres igitur copias intelligere videtur caſdem copias navales, cum jam in terram exſcendiſſent.

4 *David Cuminius*] Ita noſtri eum conſtanter appellant, verum tamen ei nomen non *Cuminio*, ſed *Strabolgio*, ex authenticis documentis fuiſſe conſtat, uti poſtea monſtrabimus.

5 *Bellomontius*] Hic non minus Anglus quam Talbotus, quamvis ſibi jure uxoris Buchaniæ Comitatum vindicabat. Vide Barneſ. Hiſt. Eduardi III. pag. 58. Legen-

Setonius, homo nobilis, qui tum forte in illis locis diverſabatur, occurrit, ſperans, in deſcendentium trepidatione, occaſionem rei bene gerendæ non defuturam. Non multis autem e vicinia ſe adjungentibus, cum hoſte congreſſus, cum bona parte ſuorum eſt cæſus. Balliolus, paucis diebus ſuis, ad ſe ex vexatione itineris reficiendos, datis, Perthum recta contendit. Cum ad molas aquarias non procul ab Jerna caſtra metatus fuiſſet; Prorexque ultra, Patricius Dumbarius citra amnem, uterque cum magnis copiis, binis caſtris quinque millia diſtantibus, conſediſſent: Balliolus, etſi, multis ad famam rerum ſecundarum ſe aggregantibus, ſupra decem millia hominum haberet, tamen inter duos hoſtiles exercitus tenderet, veritus ne in medio opprimeretur, optimum factu eſt ratus, ſeorſum & ex inſperato eos aggredi: primumque Marrium Proregem, quem vero ſimile erat, quo longius ab hoſte tenderet, eo negligentius omnia acturum.

VI. Nactus igitur Andream Moravium Tilibardinum ducem eſt, qui non auſus palam ſe Anglis conjungere, palum in medio amnis, qua permeabilis erat, nocte infixit, qui Balliolanis iter indicaret. Illi, cum tecti ſilvis, quæ ulteriorem ripam veſtiebant, propius ad hoſtem acceſſiſſent, intelligunt, eum raris vigiliis & [1] ſtationibus oppoſitis, velut in pacato noctem agere. Hac eorum negligentia freti, præter caſtra ſummo cum ſilentio ducunt: & in averſam partem, majorem ſe ibi ſolitudinem rati inventuros, impetum faciunt. Sed in ea parte, qua ſummam negligentiam fore ſperaverant, forte vigilabant Thomas Randulphus Moraviæ, Robertus Bruſſius Carictæ, Mordacus Taichiæ Comites, & Alexander Fraſerius. Hi cum amicorum validis turmis primam hoſtium impreſſionem fortiter ſuſtinuerunt, ſuper labrum foſſæ, quam decurſus aquæ pluviæ fecerat. Interea totis caſtris clamor & tumultus arma capientium, & properantium ad conflictum fuit: cumque temere, ſine ordine, ſine ſignis feſtinarent, primum ſuorum, qui irruentes Balliolanos ſuſtinebant, ordines turbarunt; deinde ultimis priores impellentibus, eos in foſſam dejecerunt, ac ipſi ruinæ modo ſuper primos prociderunt. Ibi multi ab hoſte cæſi, plures hominum equorumque ruina oppreſſi, multo maxima pars ita debilitata, ut nec ad fugam, nec ad prælium, ſatis virium ſupereſſet.

VII. Ceciderunt e Scotis ad tria millia: fugientium plurimi Perthum contenderunt; ſed hi fere ſine armis, ſine ductoribus, urbe, Anglis ſequentibus, facile ceſſerunt. Poſtridie Dumbarius, cum de alterius exercitus clade, Perthoque capto, & Anglorum paucitate reſciſſet, recta ad oppidum tendit, eo conſilio, ut obſidendo, hoſtem omnium rerum inopia conficeret. Re ad primores relata, cum aliud alius excuſaret, infecto negotio diſceſſum eſt. Balliolus, tot tantiſque rebus præter ſpem tam brevi tempore confectis, animum adjecit, ad reli-

gendum igitur arbitror, *Ex Anglis Bellomontius & Talbotus.*

1 *Stationibus oppoſitis*] Crafordius non ſine ratione has voces [*ad Duplinum*] vult addendas, hoc pacto —— *ſtationibus oppoſitis, ad Duplinum velut in pacato noctem agere:* neque enim aliter loci ubi pugnatum ſit Buchananus meminerit, cujus tamen cap. 8. facit mentionem.

1 *Ceci-*

reliquos Scotos, vel conciliandos officiis, vel bello perdomandos: ac brevi quidem tantus concurſus ad eum eſt factus, ut maturum videretur ſe Regem profiteri. Id conſilium ei eo tutius fuit, quod maxima pars cladis in familias Pertho vicinas inciderat. Cæſi enim erant in acie, præter Proregem, Robertus Kethus, cum magno propinquorum & clientium numero: e Lindeſiorum familia octoginta, cum principe gentis Alexandro. Haiorum nomen ad interitum fuiſſet deletum, niſi Gulielmus familiæ princeps, domi gravidam reliquiſſet uxorem. [1] *Cecidere* præterea Thomas Randulphus, Robertus Bruſſius, [2] & Mordacus Taichiæ Comes. Gulielmus Sinclarus Caledoniorum Epiſcopus, & Duncanus Macduffus Fifenſis Comes, apud hoſtem captivi, rebus deſperatis, in ejus verba jurare ſunt coacti.

XCIX. REX.

VIII. Igitur BALLIOLUS, præſenti fortunæ ſatis confiſus, ad Sconam propinquum Cœnobium profectus, regnum iniit, anno M. CCC. XXXII. [3] ad VII. Cal. Oct. Hoc vulnere potentia Davidis Bruſſii, etſi valde labefactata fuit, tamen amici ejus rebus adverſis minime fracti, Regem nondum regni potentem, ut extra periculum armorum eſſet, una cum uxore, [4] ad amicum paternum Philippum Regem Galliarum mittunt: ipſi ad omnes caſus ſe comparant, certi vel morte honeſta defungi, vel patriam in antiquum ſtatum reſtituere. Primum omnium, in locum [5] *Donaldi* Proregis, Andream Moravium, ex Roberti Bruſſii ſorore genitum virum illuſtrem ſubſtituunt: deinde in omnes partes nuncios mittunt, partim ut veteres amicos confirment, partim ut ſegniores in ultionem injuriarum accendant. Primi omnium (ad quos recentiſſimus dolor pertinebat, parentibus & propinquis ad Duplinum cæſis) arma ſumſerunt Robertus Kethus, & Jacobus & Simon Fraſerius, ac ſub æquinoctium autumnale Perthum obſidione claudunt: & cum oppugnatio diutius ac ſperaverant eos

M CCC. XXXII.

:te-

1 *Cecidere præterea*] Hanc vocem [*cecidere*] ſupplendam duximus, quod [*cæſi erant*] nimis longe, diverſa ſententia mediante, repeti videantur.

2 *Et Mordacus Taichiæ Comes*] Hic periodum terminavimus, hi enim tres in acie, aliorum ſcriptorum conſentiente teſtimonio, ſunt cæſi; reliqui tantum duo ſunt capti.

3 *Ad VII. Cal. Octob*] Libri omnes habent [*Oct Cal. Sept*] ordine, opinor, verborum inverſo pro [*Sept. Cal. Oct.*] vel potius [*octavo Cal. Oct.*] ſive 24 Septembris, quod habent Extr. Liber Carthuſ. de Perth, Ballendenus, *&c.* Tyrellus quidem & Barneſius Volſingamium ſecuti Ballioli inaugurationem in 27 Septembris conjiciunt. Verum ad noſtros ſcriptores animus magis inclinat, quam Volſingamium, quippe qui de anno hic falſus eſt, 1331 pro 1332 ſubſtituto.

4 *Ad amicum paternum*] Errant plerique noſtri ſcriptores, qui Davidem II. ad Galliarum Regem miſſum ajunt anno 1332. Pat. enim Abercrombius vol. 2. pag. 36. & 37. e Froſſardo & Fœd. Angliæ monſtravit, eum in Galliam non fuiſſe miſſum ante annum 1333; poſtquam *ſcil.* Scoti ingenti prælio ad Halidonem fuſi, Berwicumque Anglis deditum fuiſſet. Priore quidem anno David cum uxore, ut extra periculum eſſent, in Britannoduni arcem a Milcolumbo Flaminio præfecto ſunt recepti, qui eos poſtea in Galliam eſt comitatus.

5 *Donaldi Proregis*] Libri omnes *Duncani.* Vid. ad lib. IX. 3.

1 *Poſt*

tenuiſſet, [1] poſt tertium demum menſem capiunt. Macduffus Fifæ Comes, qui oppidum Ballioli nomine tenuerat, cum uxore & liberis ad Kildrumiam Marriæ arcem in cuſtodiam miſſus: Andreas Moravius Tilibardinus, qui vadum Jernæ amnis Anglis commonſtraverat, ſupplicio affectus. [2] Pasletenſis liber oppidi muros affirmat ſolo æquatos. Id mihi veriſimilius videtur, quam quod alii ſcribunt, præſidio impoſito cuſtodiri juſſum, in tanta præſertim fidelium amicorum & hominum militarium penuria.

IX. Eodem fere tempore, Balliolus Annandiæ erat, recipiendis propinquarum regionum proceribus intentus: quos ita ſubita mutatio rerum concuſſerat, ut etiam Alexander Bruſſius Carictæ & Gallovidiæ Dominus, deſperatis Davidis propinqui ſui rebus, ei ſe dederet. Hunc rerum ſecundarum ſucceſſum ſecutus eſt hoſtium contemtus, & ex contemtu negligentia. Id cum per exploratores Prorex reſciſſet, eo miſit Arcibaldum Duglaſſium, Jacobi, qui in Hiſpania periit, fratrem, ut, ſi qua ſe offerret occaſio, ei ne deeſſet. Ille, ſecum aſſumtis Gulielmo Duglaſſio Lidaliæ Regulo, Joanne Thomæ Randulphi filio, & Simone Fraſerio, mille comitatus equitibus Mauſetum venit. Inde, omnibus ſatis exploratis, de nocte movens, Balliolum ſopitum tanto cum tumultu & trepidatione hoſtium invadit, ut ipſe ſeminudus in equo, nec frænato, nec ſtrato, fugere ſit coactus. Complures ex intimis ejus amicis occiſi. Alexander Bruſſius captus, per Joannem Randulphum propinquum veniam impetravit. Henricus Balliolus eo die magnam fortitudinis laudem apud utroſque eſt aſſecutus: qui in tam trepida fuga, dum ſuos ab inſtantibus tuetur, multos hoſtium vulneravit, nonnullos interemit, tandem fortiſſime pugnans occidit. Cecidere præterea factionis Anglicæ viri illuſtres, [3] Joannes Maubraius, Valterus Cuminius, & [4] Richardus Kirebius. Hæc geſta ſunt ad IIX. Cal. Jan. Anno M. CCC. XXXII. M. CCC XXXII.

X. His ſucceſſibus Bruſſianæ partis homines nonnihil recreati, coëunt frequentes ad Proregem Andream Moravium, ut de ſumma rerum conſulant. Nemini omnium erat dubium, quin Balliolus non ſibi, ſed Anglo regnum pararet, omniaque ex ejus præſcripto faceret. Itaque eum ſibi hoſtem deſtinant: eoque diligentius omnia, quæ in bello uſui eſſe poſſent, ut adverſus potentiorem adverſarium, com-

1 *Poſt tertium demum menſem*] Ita quidem Boethius; anno vero 1333. Contra tamen Extr. & Lib. Carth. Perthum captum affirmant Nonis Octob 1332. Quod ſi verum eſt, non tres menſes duravit obſidio, ita enim ante Ballioli invaſionem inchoatam fuiſſe oporteret.

2 *Pasletenſis liber*] Nec ille modo, ſed & Extracta, Lib. Carthuſ. & Vintonus confirmant, a quibus ſolus, quod ſciam, Boëthius diſſentit.

3 *Joannes Maubraius*] Barneſius Boëthium inſimulat, quod Joan. Maubraium hoc tumultu cæſum ſcribat, quippe quem Dugdalius 29 annos huic pugnæ ſuperſtitem fuiſſe teſtetur. Quod ſi Dugdalio nitendum ſit, non ſoli Buchananus & Boëthius, ſed & noſtri ſcriptores alii fere omnes, Extr. Carthuſ. Vintonus, Humius, imo & Knichtonus Anglus (qui id ipſum tradidere) in errore verſantur.

4 *Richardius Kirebius*] Ita emendavimus, pro *Kircbius* (quod libros omnes invaſit) levi unius literæ mutatione; aliis enim auctoribus tam Scotis quam Anglis, *Kirby* aut *Kirkby* conſtanter appellatur.

comparant. Bervicum, unde Anglum belli initium opinabantur facturum, valido præſidio muniunt. Urbi Alexandrum Setonium Equitem illuſtrem præficiunt. Patricium Dumbarium arcem tueri, ac vicino limiti præeſſe jubent. Gulielmus Duglaſſius Lidaliæ Regulus, de quo illis temporibus ſumma erat & fortitudinis & prudentiæ opinio, Annandiam ad limitem Occidentalem tuendum miſſus. Andreas Moravius Rosburgum, ubi ſe Balliolus tum continebat, proficiſcitur. Ita diſtributis imperiis domi, mittitur in Franciam Joannes Randulphus, [1] ut Davidem Regem inviſeret, ac Philippum Francum de ſtatu rerum Scoticarum certiorem faceret; ab eoque aliquid virium adverſus communem hoſtem impetraret. [2] Moravius, qui Rosburgum ierat, acre prælium cum Balliolo ad pontem extra urbem conſeruit: dumque Anglis per pontem retro in oppidum ſe recipientibus inſtat pertinacius, a ſuis excluſus in hoſtium poteſtatem venit; victoriamque jam partam e manibus amiſit. Eodem tempore in diverſa regione Gulielmus Duglaſſius Lidalianus, contracto cum Anglis certamine, cum ipſe vulneratus in poteſtatem hoſtium veniſſet, ſuorum animos eo caſu turbavit, ac turbatos in fugam avertit.

XI. Hæc variantis fortunæ inconſtantia Scotiam iterum in duas factiones diſtraxit, prout amor, odium, ſpes, metus, & rerum privatarum quemque ratio impellebat. Ejus interea occupandæ Anglus, per has diſſenſiones commodam occaſionem nactus, Balliolum infirmiorem, quam ut ſuis viribus ſe tueri poſſet, in fidem recepit: & ſacramento in ſua verba adegit: ac nihil reveritus jus cum Bruſſio affinitatis, fœderum ſanctitatem, & jurisjurandi religionem, dum immoderatam cupiditatem ſuam expleret, bellum Scotis, Rege deſtitutis, & inter ſe diſcordibus, ſimul indicit & facit. Id autem bellum ut in ſpeciem juſtum videri poſſet, legationem miſit ad Bervicum repetendum, quod oppidum pater ſuus atque avus multos annos tenuiſſet: [3] ac ipſe cum exercitu ſtatim eſt ſecutus. Legatis reſponſum; „Bervicum ſemper Scotorum fuiſſe, donec Eduardus avus ejus id per ſummam injuriam occupaſſet. Tandem Robertum Bruſſium proximum Regem, reliqua Scotia recuperata, id quoque oppidum Eduardo (ejus qui nunc id reddi poſtulet patri) ademiſſe, atque [4] in veterem juris formulam reſtituiſſe. Nec adeo dudum, ipſum Eduardum, ex omnium Ordinum decreto, renunciaſſe omni juri, quod ipſe majoreſve ejus „in

1 *Ut Davidem Regem*] Hoc falſum ſupra monſtravimus; nondum enim David in Franciam ſe receperat.

2 *Moravius qui Rosburgum ierat*] Angli ſcriptores hunc ad Rosburgum tumultum altero illo ad Mauſetum tempore priorem faciunt, contra quam omnes noſtri: id quod Barneſium gravius quam pro re offendit.

3 *Ac ipſe cum exercitu*] Edinb. Genev. Francof. *ac ipſe eum cum exercitu*, Elzev. *eum* in *eam* mutavit: nos vocem [*cum*] ab exſcriptore bis repetitam, poſteaque ab Edinb. in [*cum*] priore loco converſam exiſtimamus.

4 *In veterem juris formulam*] Ita Cic. de Orat. *Plura judicant homines odio aut amore*, &c. *quam veritate aut præſcripto, aut juris norma aliqua, aut judicii formula*, & pro Q. R. *aliquem in antiquiſſimam formulam ſponſionis concludere*. Suet. *Formula excidere*, idem quod *cauſſa cadere*. Sic Quintil. lib. 3. cap. 6. *Cadere formula*.

1 *Jam*

„ in totam Scotiam, ac ſingula oppida, locave ejus habuiſſe dicerentur. Ex „eo tempore, ſe nullius commiſſi, adverſus fœdera ſancte jurata, & matrimonio „confirmata, conſcios, cur iterum [1] jam paucis annis, & occulta fraude & „aperto bello peterentur. Hæc cum ita ſe habeant, ſe legatos orare, ut ſui „Regis animum ad æquitatis reſpectum inflectant, ne Regem abſentem, æ- „tate innoxium, & ſororis maritum, captato tempore ſpoliare conetur. Se qui- „dem nullas conditiones, modo honeſtas, recuſare. Sin injuſta vis intentetur, „pro commiſſa ſibi Regis tutela, potius honeſtam mortem obituros, quam in „pacem regno ſibique turpem conſenſuros.

XII. [2] Hæc a Concilio Scotorum reſponſa. Sed Anglus, qui non pacem ſed victoriam cupiebat, magno ſuorum exercitu externis etiam auxiliis aucto, Bervicum terra marique oppugnare cœpit: neque quicquam, quod ad urbium expugnationem faceret, omittebat: ac multitudine hominum fretus, nec die nec nocte ullum obſeſſis vacuum dimicatione tempus dabat. Nec minus ferociter obſeſſi aſſiduis eruptionibus Anglos infeſtabant. Claſſem in flumine ſtantem, injectis ignibus magna ex parte incenderunt. Periit in eo prælio Gulielmus Setonius, præfecti urbis nothus, multum apud ſuos deſideratus ob ſingularem fortitudinem. Is, dum in Anglicam navem inſilire conatur, ſua nave undarum impulſu longius rejecta, in mare decidit: neque ei in tanta omnium trepidatione ſuccurri potuit. Alter quoque Alexandri filius, ex legitima uxore natus, in quadam eruptione aviditate pugnandi longius progreſſus, & a ſuis excluſus, ab Anglis fuit captus. Sed cum obſidio, inchoata [3] ad Id. Apr. jam in tertium menſem duraſſet; atque obſeſſi, præter labores & vigilias, accedente omnium rerum penuria, diutius vim hoſtium non viderentur laturi, cum Anglo paciſcuntur, [4] ni ante III. Cal. Aug. auxilia a ſuis miſſa obſidionem ſolverent, urbem Anglo ſe dedituros. [5] Datus in id obſes Thomas, filiorum Alexandri natu maximus.

XIII. Hæc dum ad Bervicum geruntur, Scoti conventu indicto de ſumma rerum con-

1 *Jam paucis annis*] Quidam forte [*tam paucis annis*] ſcribendum malint: at nihil mutatione eſt opus, illud enim [*jam*] vocem [*iterum*] potius quam [*paucis annis*] reſpicere videtur.

2 *Hæc a Concilio*] Imo vero a Davide ipſo, ait Froſſardus, eumque ſecutus Barneſius. Sed eodem res redit, cum exiſtimandum ſit Davidem non niſi re cum ſuis prius communicata, hoc reſponſum Anglo dediſſe.

3 *Ad Idus Aprilis*] Extracta e Chron. Scot. Joan. Major, & lib. Carthuſ. *pridie Idus*, Tyrellus *exeunte Aprili*. Ex Fœd. Angl. tamen apparet Eduardum Anglum Bervicum demum adveniſſe 7 Maji, vol. 4. pag. 557, 558.

4 *Ni ante 3 Cal. Aug.*] Non eſt operæ pretium variantes tam Scotorum, quam Anglorum, ſententias recenſere, cum ex indubiis documentis conſtet, quatuor tantum aut quinque dierum inducias ab Anglo Scotis datas; *videl.* Patricio Comiti Marciæ arcis præfecto a 15 Julii; Gulielmo Ketho, urbis præfecto, a die ſequenti, ad 20 ejuſdem menſis. Vid. Conventiones ipſas Fœd. Ang. pag. 564, & 566.

5 *Datus in id obſes Thomas*] Nulla hujus obſidis in prædictis conventionibus mentio, illis autem duo tantum memorantur, Eduardus de Letham, & Joannes filius Joannis Humii: Tyrellus vero duodecim recenſet.

conſultant. Prorege ad Rosburgum capto, ne ſine duce eſſent, Arcibaldum Duglaſſium eligunt. Ei exercitum decernunt, quem in Angliam duceret, ac regiones proximas populando, Regem Anglorum ab obſidione abduceret. Ex hoc decreto, Duglaſſius, dum in Angliam ducit, audita pactione Alexandri, conſilium mutat, ac prudentioribus ſuorum multum adverſantibus, recta ad Anglum ducit: [1] ac pridie Magdalenes, ab hoſtibus pariter & amicis eſt conſpectus. Anglus, [2] etſi dies nondum adveniſſet, quo die convenerat, ut oppidum dederetur, tamen, cum Scotorum copias tam vicinas videret, miſit fœcialem ad præfectum præſidii, qui denunciaret, niſi oppidum ſtatim dederet, ſe animadverſurum in Thomam ejus filium: fruſtra præfecto contendente diem deditionis nondum veniſſe, ac fidem datam atteſtante. Ibi, cum caritas, miſericordia, metus, & officium erga patriam varie animum paternum verſarent, propiorem terrorem Anglus admovendum ratus, crucem in loco ad quem proſpectus ex oppido patebat, erigi jubet & duos præfecti filios, alterum obſidem, alterum bello captum, eo ad ſupplicium producit. Ad hoc tam miſerabile ſpectaculum cum patris animus fluctuaret, uxor ejus, eademque juvenum mater, virilis fortitudinis mulier, varia oratione eum confirmavit, propoſita ante oculos, fide erga Regem, caritate in patriam, dignitate nobiliſſimæ familiæ. „Liberos alios illis extinctis ſupereſſe, necdum ſuam illiuſque ætatem „[3] aliis gignendis præteriiſſe. Illos, etiamſi nunc mortem evaſerint, brevi tamen,

1 *Ac pridie Magdalenes*] Non pridie Magdalenes, ſed in vigilia Divæ Margaritæ Virginis, *i. e.* die Lunæ 19 Julii commiſſum eſt hoc prælium. Fœd. Angl. Tom. 4. pag. 568.

2 *Etſi dies nondum adveniſſet*] Execrabilem hanc Eduardi perfidiam & immanitatem cum Angli ſcriptores aut pernegent, aut ſilentio tegant, noſtri vero conſtantiſſime affirment, difficile admodum eſt tanto temporis intervallo verum a falſo certis indiciis diſcernere. Ne quid tamen diſſimulem, duo præcipue ſunt, quæ pro Eduardo facere videntur. Et primum quidem, quod eo tempore non Alexander Setonius, ſed Gulielmus Kethus Bervici præfectus fuit, uti ex prædictis Fœd. Angliæ liquet. Deinde vix credibile videtur, ut Alexander Setonius (quod noſtri tradunt) in Eduardi, qui contra jus gentium atque horrenda crudelitate ipſius filios trucidaſſet, verba unquam juraverit. Ad primum, opinor, Scoti reſpondebunt (& quidem quid aliud reſpondere poſſint, non video) Gulielmum Kethum, (cui ex pacto cum Anglo inito facultas Scotorum proceres adeundi eſt data) Alexandrum Setonium aut collegam, aut vicarium, in ea præfectura habuiſſe. Quod vero ad alterum attinet, Scoti arguent fortaſſe, patrem, eadem quæ filios ſuſtuliſſet tyranni truculentia conterritum, in ejus verba jurare coactum. Et quidem Tyrellus Anglus ex antiquo codice MS. tradit, inducias bis ab Anglo Scotis fuiſſe factas, primis autem elapſis, nec urbe tamen ex pacto dedita, Setonii filium, qui unus ex obſidibus fuerat, laqueo ſtrangulatum. Certe Samuel Daniel, ſcriptor itidem Anglus, noſtris potius, quam ſuis adſtipulari videtur. In tantis igitur ſententiarum diſſidiis, ne quid temere affirmare exiſtimer, rem omnem in ambiguo relinquam.

3 *Aliis gignendis*] Ex his vocibus narrationem omnem labefactare conantur Angli ſcriptores. Neque enim veriſimile eſſe ajunt, ut quæ filios, jam adultos & militiæ idoneos, eſſet enixa, ullam alios gignendi ſpem foveret. Sed gemina faciliſque occurrit reſponſio. Et primum quidem, neutiquam naturæ legibus adverſari, ut liberos aliquos (quod hic exiſtimare liceat) prima juventa, *i. e.* 15. forte, aut 16. ætatis anno pepererit, non alios

„men, vel morte fortuita, vel temporis maturitate, fato ſuo functuros: at „ſi qua famæ macula in gente Setonia inhæſerit, eam in omnem poſteritatem „permanaturam, ac immerenti etiam ſoboli aſperſuram infamiam. Seſe non ſe„mel, e ſapientiſſimorum hominum ſermonibus, audiſſe laudes eorum, qui „ſe, qui liberos ſuos ad ſacrificium, pro incolumitate patriæ obtuliſſent. Illum „vero, ſi urbem ſibi commiſſam dedat, prodere patriam; neque certum etiam „de ſalute liberorum fore. Qui enim ſperare poſſet, tyrannum, qui nunc fi„dem violaret, promiſſis poſterius ſtaturum? Orabat igitur, ne commodum „incertum & (ſi contingat) momentaneum, certa & perpetua redimeret igno„minia. Hac oratione cum viri animum paullo tranquilliorem ſenſiſſet, ne ſupplicii fœditatem oculi perferre non poſſent, eum in diverſam partem, unde conſpici nequibat, avertit.

XIV. Anglus, ſecundum ſupplicium, etiam pleriſque ſuorum ingratum, in Halidonem collem Bervico propinquum caſtra transfert, atque ibi hoſtem opperitur. Duglaſſius, quem ante ſeniores flectere non poterant, ut agros Anglorum populando in ſe obſidentes averteret, tum ira æſtuans, ac veritus etiam, ne, ſi poſt tam nefandum facinus, pene ſub oculis ſuis patratum, abſcederet ſine pugna, hoſtem timuiſſe videretur, certus dimicandi, recta ad eum duxit. Cum acie inſtructa ſatis diu ſtetiſſet, Angluſque ſe ſuis locis teneret, nec in æquum deſcenderet, totam Scotus aciem in adverſum collem erexit. Id ejus temerarium conſilium ſimilem habuit eventum. Hoſtes enim, per clivum ægre obnitentes, ingenti ſaxorum & jaculorum vi immiſſa, antequam ad manus veniretur, conſauciant: deinde in appropinquantes ita conglobati irruerunt, ut ruinæ modo depulſos dejicerent. Ceciderunt ſupra decem millia. [1] Sunt qui ad quatuordecim deſiderata prodant: e primoribus pene cuncti, qui infelici ad Duplinum prælio ſuperfuerant, periere. Ex iis clariſſimi memoriæ produntur, dux ipſe Arcibaldus, Jacobus, Joannes & Alanus Stuarti, Roberti, qui proxime poſt Bruſſios regnavit, patrui, Hugo Roſſiæ, Kennethus Sutherlandiæ, Alexander Bruſſius Carictæ Comites, Andreas, [2] *Jacobus* & Simon Fraſerii fratres. Incidit hæc Scotorum clades [3] in diem D. Magdalenæ ſacrum, anno M. CCC. XXXIII. M. CCC. XXXIII.

XV.

lios etiam ante 50 annum ſit genitura. Huc adde filiorum Setonii natu maximum tum nondum forte duodevicennem fuiſſe, cum, recepta apud Scotos conſuetudine, omnes qui ſextum decimum annum exceſſiſſent, ad militiam, patria laborante, vocarentur. Deinde & illud advertendum eſt, ſolenne Hiſtoricis eſſe, orationes ejuſmodi confingere, non tam quid quiſque loquutus ſit, quam quid loquendum ipſis videretur, attendentibus. Cæterum nulla apud antiquiores de hac uxoris Setonii oratione fit mentio.

1 *Sunt qui ad quatuordecim*] Scotos ſcriptores intelligit; Angli enim (qui communi omnium gentium vitio ſua damna minuere, aliorum in majus augere ſunt ſoliti) longe plures cecidiſſe volunt, alii enim 30, alii 40 millia cæſos meminere; at omnium diligentiam vicit Barneſius, qui 35712, nec plures nec pauciores, e Scotis, e ſuis vero 15 duntaxat occubuiſſe tradit.

2 *Jacobus & Simon*] Ita ab omnibus tam Scotis quam Anglis ſcriptoribus appellatur, *Jacobus*, non vero, quod omnes Buchanani editiones exhibent, *Joannes*.

3 *In diem D. Magdalenæ ſacrum*] Ita Bal-

XV. Secundum hunc conflictum, deſperatis aliis ſubſidiis, Alexander Setonius urbem, Patricius Dumbarius arcem Anglo dedunt, pacti ut incolumes ſua ſibi haberent. Uterque in verba Angli jurare coactus eſt. Dumbario præterea imperatum, ut arcem Dumbarum, quam diruerat, ne receptaculum Anglis eſſet, ſuo ſumtu denuo inſtauraret. Eduardus ibi paucos moratus dies, urbem & belli reliquias Balliolo commendavit: ipſe in ſuum regnum ſe recepit, relicto in Scotia [1] *Richardo* Talboto, homine nobili ac raræ prudentiæ, cum non multis Anglorum cohortibus, qui Balliolum in reliquis regionibus perdomandis adjutaret. Nec id quidem, Nobilitate pene tota extincta, perdifficile videbatur, ex iis, qui ſupererant, aliis ad victorem concurrentibus, aliis in loca munita aut inculta fugientibus. Sed præſidia admodum pauca erant, quæ in fide Davidis permanſerant: citra Fortham inſula in lacu unde amnis Dunus fluit, vix ad modicam arcem ſuſtinendam patens, & Britannodunum; ultra Fortham, arx in lacu Levino ſita, item Kildrumia, & Urcharta.

XVI. Proximo anno, legati a Pontifice Romano & Philippo Rege Francorum venerunt, ad ſedandas Regum Britanniæ controverſias. Eos Anglus, rerum proſpere ſuccedentium curſu elatus, ne in conſpectum quidem admittere voluit: ita enim animos & vires Scotorum fractas exiſtimabat, ut iterum rebellare nec auderent, nec poſſent. Verum ex occaſione leviſſima, unde minime exſpectabatur, orta inter ipſos Anglos Perthi diſcordia, ſummam tranquillitatem in bellum graviſſimum commutavit. Joannes Maubraius agros in Scotia, ab Eduardo primo ſuis majoribus datos, deinde varietate temporum amiſſos, rurſus Eduardo Balliolo Scotiam tenente recuperaverat. Eo ſine virili ſtirpe liberum defuncto, de prædiis adverſus ejus filias, Alexander earum patruus litem intentaverat. Puellarum cauſſam tutabantur Anglicæ factionis homines, Henricus Bellomontius, [2] qui unam earum in matrimonio habebat, Richardus item Talbotus, & David Cuminius Atholiæ Comes. Balliolus Alexandro favebat, ac, lite ſecundum eum dijudicata, adverſarios adeo offendit, ut palam de iniquitate decreti quererentur; & ubi nihil ſe querelis proficere viderunt,

Ballendenus, Major & Leslæus, eoſque ſecutus Humius, qui inde obſervat fatalem Scotis fuiſſe D. Magdalenæ diem, quippe quo etiam commiſſum eſt funeſtum ad Varium ſacellum prælium anno 1298. Sed, quod ſupra animadvertimus, omnes falluntur, non enim in diem D. Magdalenæ, ſed vigiliam Margaritæ Virginis incidit hæc Scotorum clades, quod non modo Extract. Carthuſ. Knichtonus, Tyrellus, *&c.* reſtantur, ſed & ipſius Eduardi literæ, Acta publ. pag. 568.

1 *Richardo Talboto*] Ita omnes eum appellant, etiam H. Boëthius, licet poſtea ſui oblitus eum *Henricum* nuncupet: quin & Buchanano ipſi alibi ſemper *Richardus* nominatur. Vid. Lib. IX. 16. & 26. Quod hic igitur omnibus libris [*Henricus*] irrepſit, librariorum culpa factum videtur.

2 *Qui unam earum*] Ita quidem Boëthius; rectius tamen alii, qui Bellomontii uxorem, Aliciam vocatam, filiam fuiſſe ajunt Alexandri Cuminii fratris Joannis Cuminii Comitis Buchaniæ. Vid. Vintonum cap. 138. Dugdalium Baron. Angl. vol. 2. pag. 50. Barneſium Hiſt. Eduardi III. pag. 82. & 86. Millii Catal. honor. pag. 957. At Geo. Craſordius, Baron. Scot. pag. 46. eam Joannis Cuminii, ultimi ex ea familia Buchaniæ Comitis, filiam vocat.

I *Ac*

runt, ab aula quiſque ad ſua ſecederent. Talbotus, dum in Angliam proficiſcitur, captus, Britannodunum ducitur. Bellomontius Dundargum Buchaniæ arcem validam præſidio firmat: ac non ſolum eum, de quo lis erat, ſed vicinum omnem agrum ſuæ ditionis facit. Cuminius in Atholiam abiit, & locis commodis permunitis, adverſus vim (ſi quis intentet) ſe comparat. Hanc tam potentium virorum conſpirationem Balliolus metuens, mutat ſententiam, [1] ac Bellomontio agro, de quo lis erat, conceſſo, Cuminium, plurimis & fructuoſis prædiis Roberti Stuarti, mox regnaturi, donatis, reconciliat. Alexander, hac injuria ictus, ſe cum Andrea Moravio Prorege Scotorum (qui ſe nuper ab Anglis magna pecunia redemerat) conjungit. Hæc diverſis temporibus geſta conjunximus, ne ſæpius narrationis curſus rumperetur.

XVII. Interea Balliolus in regione diverſa omnes munitiones circa Renfroam, partim capit, partim evertit. Ibi rebus ſuo arbitrio compoſitis, in Botam inſulam navigat; Rotheſaiam arcem communit. Eam Alano Lilio, quem præfectum juri dicundo ante fecerat, tradit cuſtodiendam. Robertum Stuartum Roberti Bruſſii ex filia nepotem, diligenter ad necem conquirit: ſed ille opera Gulielmi Herioti & [2] Joannis Gilberti, navicula in continentem adverſam vectus, atque equos advenientem exſpectantes nactus, Britannodunum ad Milcolumbum Flaminium arcis præfectum delatus eſt. Balliolus cum Botæ res ordinaſſet, in continente propinqua Dunum novum ſive Noviodunum arcem in Covalia ſitam cepit: quo metu vicina Nobilitas perculſa, prope tota ſe ei dedidit.

XVIII. Inde reverſus, [3] vere proximo ad lacus Levini arcem obſidendam omnem curam intendit. Sed cum res opinione lentior videretur, e ſua factione Joannem Sterlinum Equitem præpotentem, adjunctis ei Michaële Arnoto, Davide Vemio, & Richardo Malavillano, cum parte exercitus, ad arcem oppugnandam reliquit. Illi, ædificato ex adverſo præſidio, qua breviſſimus eſt trajectus, cum, ut vi arcem caperent, omnia fruſtra fuiſſent experti, impigre propugnantibus Alano a Veteri ponte & Jacobo Lambino, civibus Andreanis, eam

1 *Ac Bellomontio*] Libri omnes *Bellomontii*, quod ſyntaxis non patitur: Crafordius vult *Bellomontium*, nos *Bellomontio* potius elegimus. Forte Buchananus *Bellomonti* ſcripſerit in tertio caſu, quemadmodum *Belli-montis* ſuperius in ſecundo extulit Lib. VII. 51.

2 *Joannis Gilberti*] Noſtris *Gibſonus* appellatur; cujus rei ignarus Barneſius, hunc *John Gilbert* nominavit, pari inſcitia qua poſtea *Covaliam* [*Kyle*] pro *Coval* reddidit.

3 *Vere proximo*] Hæc arcis Lacus Levini obſidio a noſtris ſcriptoribus in annum conjicitur 1335, quo anno (quod Pat. Abercrombius pag. 42. ex Actis publicis colligit) Balliolus iterum Scotia expulſus in Northumbria ſe fere continebat; proinde veriſimile non eſt ejus ſectæ homines tum arces intima Scotia fuiſſe obſeſſuros. Sed & aliud hanc obſidionem impedire videtur, induciæ *ſcil.* quæ hoc anno a 4*to* Aprilis ad 24. Junii factæ erant, eo ipſo tempore quo hanc arcem noſtri obſeſſam tradunt: illis enim medio quadrageſimæ cœpta, atque in diem D. Margaritæ ſacrum, ſive 10. Junii, producta eſt obſidio; quamque eam ob cauſſam alio quam 1335. anno accidiſſe exiſtimaverim. Vid. Fœd. Angl. vol. 4. pag. 640.

1 *In*

eam exitu amnis clauſo aquis ſubmergere tentant: exit enim amnis Levinus e lacu anguſtis faucibus, patefacta rupe. Hunc locum, congeſto e ſaxis & ceſpitibus aggere, obſtruere conantur. Sed ea res tardius procedebat, quod, ut æſtas molientibus erat commoda, ita torrentibus, qui in lacum influebant, pene tum ſiccis, aqua longe lateque porrecta modicis incrementis augebatur. Hoc modo obſidione ducta [1] in menſem Julium, in quem incidit dies D. Margaritæ quondam Reginæ Scotorum feſtus, [2] quo die frequens mercatorum conventus Fermelinodunum, ubi ejus Divæ corpus eſt ſepultum, fieri ſolet; Joannes Sterlinus cum majore parte ſuorum, alii ad mercatum, alii religionis ergo eo proficiſcuntur, caſtris cum non magno præſidio ad aggerem relictis, nempe de hoſte ſecuri, cum neminem adverſæ factionis, præter paucos in arce incluſos, eſſe in propinquis regionibus ſcirent. Obſeſſi vero de abſentia Sterlini & ſolitudine caſtrorum certiores, apparatu ad aggerem perforandum antea excogitato, primo veſpere in naviculas impoſito, ſopitis vigilibus, pluribus ſimul locis eum perforant. Aqua vero tenues aliquot nacta exitus, brevi latiores ſibi ipſa patefecit meatus, ac tanta vi tandem erupit, ut quicquid erat obvium devolvens, plana omnia circum inundaret, ac tentoria caſaſque, & pleroſque homines ſemiſomnes, ac jumenta, magno cum fragore, ſecum in mare deferret. Qui in naviculis erant, egreſſi, & cum ingenti clamore in attonitos irruentes, huic tumultui tam inopinato alium adjecerunt: tantuſque pavor cepit univerſos, ut [3] nullius niſi ſalutis memores, rebus ſuis hoſti relictis, qua quiſque poterat, in fugam ſe conjecerint. Alanus per otium non ſpolia modo, ſed commeatus ad longam obſidionem paratos, e caſtris in arcem comportavit. Altera etiam eruptione, cum præſidiariis, qui Kinroſſiæ erant, æque feliciter certatum: præſidium captum ac dirutum: obſidio ſoluta.

XIX. Eodem fere tempore quo hæc in Fifa gerebantur, Angli magnis terreſtribus navalibuſque copiis Scotiam intrarunt. Naves, cum Fortham ſubirent, prætoria tempeſtate ad ſcopulos afflicta, reliquis vehementer vexatis, majore cum damno, quam præda domum redierunt. Terreſtres copiæ Glaſcuam uſque penetrarunt. Ibi Anglus, habito conventu procerum ſuæ factionis, cum intelligeret, nullum neque ducem neque exercitum adverſarium partium ſupereſſe, nec ſuam præſentiam amplius fore neceſſariam, ipſe, [4] Balliolo, cujus ingenio non multum fidebat, ſecum ducto, [5] Davide Cuminio Atholiæ Comite,

1 *In menſem Julium*] *Junium* omnino ſcribendum, in 10 enim ejus menſis incidit dies D. Margaritæ feſtus

2 *Quo die*] Ex nundinæ Fermelinodunenſes etiamnum celebrantur 18 die Junii, pridie feſtum Tranſlationis D. Margaritæ, *i. e.* 19 Junii, juxta Extract. Dempſterum & Camerarium.

3 *Nullius niſi ſalutis memores*] Sic Horat.

——— *Grajis dedit ore rotundo*
Muſa loqui, præter laudem nullius avaris.

4 *Balliolo ——— ſecum ducto*] Hoc falſo a noſtris dici notat Abercrombius vol. 2. pag. 50.

5 *Davide Cuminio*] Vide ſupra ad Lib. IX. 5. & Abercrombium pag. 51. Dugdalium vol. 2. pag. 96. in primis vero Rymeri Act. pub. Tom. 4. pag. 590, 616, 664, 711. *&c.* quibus non *Cuminius* ſed *Strabolgius* diſerte appellatur.

1 *Eo-*

mite, qui rei Scoticæ præeſſet, relicto, in Angliam abiit. Is primum omnium Stuartorum prædia longe ampliſſima, ut quæ Botam, Araniam, & Renfroanos agros, bonamque Coilæ & Cunigamiæ partem continebant, occupat, Botæ præfectum juri dicundo (quem alii Scrifum, alii Vicecomitem vocant) Alanum Lilium confirmat: vicinis etiam regionibus ei parere juſſis. Ipſe in diverſam regni partem profectus, Buchaniam & Moraviam ſuæ ditionis facit: & quanquam ſupra privati hominis modum ſuas opes auxiſſet, tamen diplomata omnia, & quæcunque publice mandabat, nomine utriuſque Regis Eduardi Angli & Ballioli conficiebat. Ea tempeſtate, quanquam nemo in Scotia, præter pueros ludentes, Bruſſium Regem profiteri audebat, tamen Robertus Stuartus, qui tum Britannoduni latebat, aliquid per abſentiam Cuminii audendum ratus, Cambellos, familiam in Argathelia potentem, ſui conſilii certiores facit. [1] Eorum princeps Calenus, circiter quadringentis coactis, ad Noviodunum arcem Covaliæ ei occurrit: eam ſtatim occupant. Ad eum rumorem, Botani exiguo mari diremti, populariter conſurgunt, atque ad veteres dominos properant. Eorum iter ut impediret, Alanus Lilius, cum quibus potuit armatis, occurrit. Vulgus magna ex parte inerme, & quod impetu magis quam conſilio coierat, re ſubita perterritum, in proximum collem confugit. Ibi magna lapidum miſſilium copia reperta, armatos, ex contemtu temere ſubeuntes, velut grandine obruunt: majorem partem antequam ad manus ventum eſſet, affligunt, ac retrocedentes impellunt ita, ut, cæſo Lilio cum fortiſſimo quoque, [2] Joannem Gilbertum Botanæ arcis præfectum vivum ceperint, & ſuorum plurimos armarint cæſorum ſpoliis. Hanc victoriam, non incruentam, ſecuta eſt arcis Botanæ deditio.

XX. Ad hunc rumorem divulgatum, Thomas Bruſſius Carictæ Comes, cum popularibus & vicinis e Coila & Cunigamia, item Gulielmus Caruderus Annandianus, qui ſemper Anglorum imperium recuſaverat, cum amicis & propinquis e latibulis ſuis prodiens ad Stuartum venit. Item Joannes Randulphus Moraviæ Comes, e Galliis reverſus, ſpem externorum auxiliorum attulit. Igitur animis ad majora ſuſcipienda erectis, exercitu confecto, ac juvante conatus eorum Gotofrido Roſſio, præfecto juridico Aerenſi, brevi totam Carictam, Coilam & Cunigamiam in ſuas partes traxerunt. Renfroani quoque ad Stuartos veteres dominos libenter acceſſerunt. Eorum exemplum ſecuti Andreæ Moravii clientes, reliquos Glottianos, partim volentes, partim invitos, ad cauſſam conjunxerunt. Ab his tam lætis initiis aucta fiducia, ut ſtatus publici eſſet aliqua imago, collectis ſuarum partium principibus, Proreges creant, Robertum Stuartum, etſi adoleſcentem, tamen qui expeditiones has leviores animi ſui obſides erga patriam dediſſet, & Joannem Randulphum, patre ac fra-

1 *Eorum princeps Calenus*] Aliis fere omnibus *Dugallus* appellatur, verum *Caleno* illi nomen fuiſſe monſtrat Geo. Crafordius de Nobil. Scot. pag. 15.

2 *Joannem Gilbertum*] Hic *Gilbertus*, ſeu potius *Gibſonus*, quanquam palam ſe Balliolanis adjunxerat, tamen Bruſſio, aut ejus ſororis filio Roberto Stuarto, occulte favebat; is enim ejus opera paullo antea fuerat ſervatus, Lib. IX. 17.

fratre viris clariſſimis dignum. [1] Is cum ſatis valida manu ad regiones in ſeptentriones verſas miſſus, concurrentibus ad eum, quos immoderati Anglorum imperii pertæſum erat, Davidem Cuminium, ſubita animorum inclinatione illa perterritum, in Abriam uſque perſequitur. Ibi, in anguſtiis locorum deprehenſum, & omnium rerum penuria circumventum, ad deditionem compulit, & in verba Bruſſii coactum jurare dimiſit: adeoque pollicitationibus ejus fidem habuit, ut diſcedens vicarium eum pro ſe reliquerit. Nec ille ſegniter Bruſſianarum partium ſtudium ſimulabat.

XXI. Interea Randulphus, in Lothianam reverſus, cum vetere amico Gulielmo Duglaſſio, qui nuper ex Anglia reverſus, ſqualorem diuturnum carceris magnis hoſtium cladibus ulſciſcebatur, ſe conjunxit. Andreas Moravius, qui ad Rosburgum captus fuerat, itidem rediit. Igitur cum ducum abunde eſſet, Proreges conventum indixerunt Perthum in Calendas Aprilis. Eo cum frequens Nobilitas conveniſſet, nihil tamen confici potuit, propter ſimultatem nobilem, quæ erat inter Gulielmum Duglaſſium & [2] Davidem Cuminium. Cauſſa prætendebatur, quod Cuminii opera Duglaſſius factum argueret, quod tardius ab Anglis eſſet dimiſſus. Cuminio favebat Stuartus, Duglaſſio cæteri fere omnes. Cuminius vero, quod comitatior ad conventum veniſſet, eas inimicitias cauſſabatur: adduxerat enim tantum amicorum & clientium numerum, ut cæteris omnibus formidoloſus eſſet. Augebat ſuſpiciones ingenium ejus varium & mutabile, animus vaſtus, & certi rumores de adventu Anglorum, cum quibus nemo fere dubitabat quin ſe Atholius conjungeret. Nec multo poſt Anglus Balliolum ſecum ducens, magnis copiis terra marique Scotiam invaſit: claſſis centum & ſexaginta navium Fortham ſubiit. Ipſe terreſtri itinere Perthum uſque progreſſus, vicinos agros late populando, ibi Cuminium exſpectat.

XXII. Interea cum Randulphus Joannem, qui Æbudas ſibi vindicaverat, conveniſſet, nec eum ad ſuas partes adjungere poſſet, induciis in aliquot menſes in rebus tam perturbatis contentus, Robertum alterum Proregem inde rediens gravi morbo implicitum deprehendit. Igitur alieniſſimo tempore, onere in ſe unum inclinato, cum Anglo non auſus congredi, vires diviſit, per partes eum ut carperet. Audito autem [3] Geldrorum validum exercitum per Angliam

1 *Is cum ſatis*] Non ſatis liquet an Moraviæ Comitem hic indigitet, quod H. Boëthius, an Robertum Stuartum, an vero utrumque, quod Extr. tradunt. Notandum vero eos Atholiæ Comitem ad deditionem prius compuliſſe, quam Proreges eligerentur, quod & H. Boëthius ſcribit, eaque quæ mox ſequuntur confirmant.

2 *Davidem Cuminium*] Si hic conventus in Calendas Aprilis anni 1336, quod narrationis ſeries neceſſario requirit, fuit indictus; David Strabolgius (ita enim eum appellandum ſæpius monuimus) ei omnino non interfuit: anno enim præcedente ad Anglum iterum defecerat, atque ab eo in gratiam receptus 24 Auguſti 1335. Fœd. Angl. Tom. 4. pag. 664.

3 *Geldrorum validum exercitum*] Falluntur hic noſtri ſcriptores, non enim *Geldrorum*, ſed *Namurcenſium* erat hic exercitus. Errant autem auctores Angli, Tyrellus, Burneſius, Echardus, qui eorum Ducem *Joannem* nominant, *Joannes* enim Namurci Comes in Boruſſiam contra nominis Chriſtiani hoſtes profectus in reditu exſtinctus eſt 2 Aprilis, hoc ipſo anno 1335, cui ſucceſſit ipſius frater *Guido*, is qui

gliam adventare, ut ſe cum Anglo jungeret, ad limitem Angliæ properat. Venienti occurrerunt Patricius Marciæ Comes, Gulielmus Duglaſſius Lidalianus, & Alexander Ramiſæus, tum in re militari nemini ſecundus exiſtimatus. Hi Geldros in campis Edimburgo proximis opperiuntur. Ubi primum in conſpectu fuere, ſine mora concurritur. Poſt acerrimum conflictum, Geldri victi, in propinquum collem, ubi ſemiruta arx erat, refugerunt. Poſtridie, cum omnium rerum penuria laborarent, vitam modo pacti, ſe dediderunt. Randulphus, in gratiam Philippi Valeſii (quem ſibi amiciſſimum prædicabant) non contentus incolumes & commeatu auctos dimittere, ipſe deducendos ſuſcepit. Eo in itinere [1] ab Anglicæ factionis *hominibus* inſidiis exceptus, [2] ad Regem deducitur, qui tum Perthum valido exercitu obſidebat. [3] Eodem tempore, David Cuminius, cujus omnia conſilia ex inclinatione fortunæ pendebant, lætus inimici calamitate, ad Anglum venit: ei pollicetur, ſe brevi e regno Bruſſianos exacturum. Nec ſegnius fecit quam erat pollicitus. Nam Pertho dedito, & muris nudato, Rex in Angliam redire parabat: quod commeatus maligne ſuppeditabantur, Scotis omnibus ſub ejus adventum admonitis, ut pecora in montes agerent, alia omnia in loca munita aut longinqua conveherent, quæ aſportare non poſſent corrumperent. Neque claſſis, in qua ei ſpes rei frumentariæ erat, eum magnopere juvit. Primum Fortham ſubiens, cœnobio monachorum in Æmona inſula vaſtato, cum in aperto mari ad anchoras ſtaret, fœda tempeſtate vexata magnam fecit jacturam. Pars navium Ketham inſulam propinquam, ſed deſertam, ægre tenuit: aliæ longius ventorum vi ablatæ, ubi ſe primum receperunt, cauſſam tempeſtatis in iram D. Columbæ conferentes, ob ſpoliatum avare & crudeliter ejus cœnobium: igitur quidquid e præda comparebat, eo diligenter reportandum cum piaculis curant: neque quicquam eo anno memoria dignum a claſſe geſtum eſt.

XXIII. Hæ cauſſæ quanquam vehementer Anglum movebant, magis tamen ei reditum feſtinavit cogitatio de bello Gallico, quod tum maxime meditabatur. Itaque, velut plane confecto bello Scotico, exercitum reduxit, ac Eduardum Balliolum ſecum abduxit: Cuminium ad reliqua perficienda Proregem reliquit. Ille, ut operam & ſtudium partium Regibus probaret, & hoſtes ulciſceretur, nihil ad ſummam crudelitatem reliqui ſibi fecit: quæ acerbitas eo viſa eſt indignior, quod illi ante paucos menſes ad extremam inopiam redacto, tam

qui Anglum ſecutus in Scotorum manus venit. Vid. Gramaium de Comit. Namurc. pag. 422. Rem vero confirmat major auctoritas, nempe Act. publ. Tom. 4. pag. 665, & 666. quibus diſerte *Guido* appellatur. Ex iiſdem etiam colligitur pag. 654. comp. pag. 658, & 660. hunc conflictum eveniſſe circa initium Auguſti 1335.

1 *Ab Anglicæ factionis hominibus*] Libris omnibus abeſt vox [*hominibus*,] quam tamen neceſſariam exiſtimavimus; neque enim (quod ſciam) *excipere* ab *inſidiis*, ſed *excipere inſidiis*, abſque præpoſitione, Latinis dici ſolet.

2 *Ad Regem deducitur*] Exſtant ipſius Eduardi III. literæ *de ducendo Comitem de Murryf a civitate Eborum uſque caſtrum Notingamiæ*, ſcriptæ 13 Aug. 1335. Ibid. pag. 660. indeque ad caſtrum de Bamburgh, pag. 662.

3 *Eodem tempore*] *i. e.* 24 Auguſti 1335. Vid. ſupra cap. 21. huj. lib.

tam facilis ad veniam portus fuerat. Tres fere ex omni procerum Scotorum numero ſupererant, qui nullis neque pollicitationibus, neque periculis cogi poterant, ut in Anglorum ditionem venirent, Patricius Marciæ Comes, Andreas Moravius, & Gulielmus Duglaſſius. Hi, Kildrumiam oppugnante Cuminio, conjunctis viribus eo pergunt, & ad Kilblaniam ſilvam acre cum eo prælium conſerunt. Sed cum Cuminius numero præſtaret, & pauci a pluribus prope circumvenirentur, adventus trecentorum militum recentium, cum [1] Joanne Crago arcis præfecto, prælium diremit, ac victoriam certam Bruſſianis dedit. Fortiſſimus quiſque Cuminianorum aut in prælio aut fuga cæſus. Multis fuit ſaluti [2] *Canemora*, arx Roberti Menneſii propinqua. Sed, cum tantæ multitudini in arcto ſtipatæ commeatus deeſſent, poſtridie fuit dedita, ac jurantibus in verba omnibus venia data. Cecidere, præter ducem, ex intimis ejus amicis, Robertus Bradus & Valterus Cuminius: Thomas ejus frater captus, poſtridie capite multatus.

XXIV. [3] Hæc victoria fecit, ut Randulpho capto, ægrotante Stuarto, confirmaretur militari ſuffragio Andreæ Moravio Proregis nomen & imperium: Nam cum literæ a Rege Francorum de induciis veniſſent, proceres Bruſſiani ad eas accipiendas coacti, unanimi conſenſu honorem priſtinum, quem calamitas ademerat, Moravio reſtituerunt. Is, paucorum menſium induciis finitis, Lochindorcam arcem obſedit. Eam tenebat Davidis Cuminii uxor. Ea, quod evenit futurum proſpiciens, ab Anglo petiverat auxilium. Mox Angli, copiis in Moravia expoſitis, obſeſſos liberant: Elginum uſque (quod eſt oppidum ad Loxiam amnem ſitum) penetrant, obvia ferro & flamma vaſtantes. Dum Perthum tendunt, Abredoniam cremant: arces per Merniam, Dunotrium, Kineſum, & Loreſtonium præſidiis occupant: ſex monaſteriis proximis imperant, ut muros Perthi dirutos inſtaurent: ac, rebus Scoticis iterum Eduardo Balliolo reverſo commendatis, in Angliam abeunt. Diſcedentibus Anglis, & Scotorum viribus fractis, Henricus Bellomontius, tempus adeſſe ratus expetendæ vindictæ de cæde generi ſui Comitis Atholiæ, quoſcunque deprehendit, qui in prælio Kilblanenſi fuiſſent, ſine diſcrimine omnes crudeliter occidit. Eum Andreas Moravius in Dundargo obſeſſum ad deditionem compulit, & jurejurando accepto nunquam hoſtiliter in Scotiam rediturum, incolumem dimiſit:

1 *Joanne Crago*] Tyrellus & Barneſius *Crabum* appellant, noſtri vero omnes Buchanano adſtipulantur.

2 *Canemora*] Ita omnino vocandam hanc arcem teſtantur Extr. Carthuſ. Boëthius Ballendenus, Vintonus, Humius; pro quo libris omnibus *Camerona* irrepſit.

3 *Hæc victoria*] Parta eſt hæc victoria anno 1335, & quidem ante 12 Septembris; quod (ut alios omittam, Volſingamium, Tyrellum, Barneſium, *&c.*) teſtatur inſtrumentum Eduardi Ballioli 12 Septemb. ejus anni ſcriptum, quo, præter alia, Joanni Inſulano concedit cuſtodiam Abriæ, *uſque ad legitimam ætatem filii & hæredis Domini David de Strabolgy ultimi Comitis Atholiæ.* Fœd. Angl. pag. 711. Errat igitur Buchananus, qui hoc prælium conſertum innuit anno 1336; multoque gravius Humius, qui pugnatum affirmat ultimo Decembris 1337. Nec culpa caret Extractorum auctor, qui Comitem Atholiæ pridie Kal. Decembris occiſum tradit.

miſit: atque uno continuo victoriæ curſu, omnes trans Fortham munitiones, præter Cupri arcem & Perthum oppidum, ejectis præſidiis captas demolitus eſt. Deinde Angliam cum exercitu ingreſſus, inde magnas prædas egit: & militem, domi inopia confectum, nonnihil recreavit. Totâ enim Scotiâ, eo anno, agris belli injuria incultis, aut incurſionibus aſſiduis utriuſque partis vaſtatis, ita fame laboratum eſt, ut Angli arcem Cupri munitiſſimam vacuam ob commeatus inopiam reliquerint. Præſidiarios nauta Scotus, ab eis male multatus, dum in Lothianam noctu tranſportat, in cumulum arenæ, maris æſtu recedente nudatum, expoſuit. Illi cum in continenti ſe eſſe putarent, paullum progreſſi, atque iterum mari reperto, fruſtra nautam inclamantes, ad unum periere.

XXV. Proximo anno, qui fuit M.CCC.XXXVII. Angli arcem Dumbari obſederunt: eam tenebat Agnes, Comitis Marciani uxor, cui vulgus Nigræ cognomen dedit, mulier animi virilis: obſidebant autem Comites Sariſburienſis & Arundellius. Ea obſidio cum ſpe omnium diutius protraheretur, duo diverſa agmina, in ſubſidium Balliolo miſſa, Scotiam intrarunt: alterum ducebat Monfortius, alterum Richardus Talbotus. Cum Monfortio congreſſus Laurentius Preſtonius, exercitum, duce cæſo, graviter concidit, ipſe paullo poſt e vulnere deceſſit: amiſſi ducis iram miles inhumana captivorum cæde ſatiavit. Talbotus a Gulielmo Ketho deleto exercitu captus. Nihilominus duravit obſidio Dumbari. Mari ab Anglis intercluſo, commeatuum penuria pene obſeſſos afflixit; ac procul dubio dedita fuiſſet arx, ni Alexander Ramiſæus audaci incepto in tempore ſubveniſſet. [1] Is nocte intempeſta, deceptis qui in triremibus Genuenſium maritimum latus obſervabant, navem ad arcem applicuit; & quadraginta ſelectos viros, commeatuſque magnam vim expoſuit. Deinde, præſidii parte ad ſuos adjuncta, ſilentio noctis cum ingenti tumultu in vigiles Anglorum irruit: ac magna cæde hominum, nihil minus quam eruptionem a prope victis timentium, facta, proxima nocte, æque occultus atque venerat, diſceſſit. Sexto demum menſe, Anglos fatigatos, ac fruſtra omnia expertos, revocante ad bellum Gallicum Rege, Dumbari obſidio ſoluta eſt. Andreas Moravius, patria prope peregrino milite liberata, primum Sterlinum, deinde Edimburgum oppugnare eſt aggreſſus, ſed utrinque re infecta diſceſſit; pacata tamen Lothiana, & in fidem Regis recepta. Interea animo paullum a laboribus relaxato, dum ſua tranſmontana prædia interviſit, morbo gravi correptus deceſſit; atque ad Roſmarchiam ſepultus, ſummum apud omnes bonos deſiderium ſui reliquit: tantas enim res biennio ac ſemeſtri, quibus in magiſtratu fuit, geſſit, ut ſuffecturæ cujuſlibet magni ducis ætati viderentur. M.CCC. XXXVII.

XXVI. Poſt eum Stuartus Prorex fuit, uſque ad Davidis e Gallia reditum. Adoleſcens adhuc multis præliis levibus, eo anno ejus auſpiciis per Gulielmum Duglaſ-

1 *Is nocte intempeſta*] MS. Edinb. Genev. Francof. aliique codices, *Is nocte intempeſta adarcem deceptis*, &c. Sed cum hæ voces *ad arcem* plane ſuperfluæ ſint, utpote quæ mox ſub finem ſententiæ recurrant, nos cum Elzev. anni 1668, eas omnino expungendas cenſuimus.

1 *Gu-*

Duglaſſium geſtis, victor evaſit; nec ſine maximo Duglaſſii diſcrimine, & crebris vulneribus. Nam Anglos e Teviotia expulit, & in Lidalia Heremitagium cepit, magniſque commeatibus de hoſte ad Mulroſſiam captis communivit. Cum Barclaio adeo acre ac pertinax certamen iniit, ut vix ipſe cum tribus comitibus, idque beneficio noctis, evaſerit. Joannis Sterlini copias quanquam gravi prælio deviciſſet, tamen ab eodem brevi poſt prope circumventus fuit. Verum, ex inopinato tumultu ſe colligens, poſt acerrimam pugnam, Sterlinum victum fugavit; triginta comitum ejus interemit, quadraginta vivos cepit. [1] Gulielmo Abernethio, a quo quinquies uno die fugatus fuerat, ita inſtitit, ut ante noctem, cæſis omnibus ejus comitibus, ipſum ſecum captivum abduxerit. Nec minore felicitate [2] Laurentium Vauſium hominem ſtrenuum devicit. Tandem ad Davidem Regem in Galliam abiit, ut eum de ſtatu rerum edoceret.

M. CCC. XXXIX. XXVII. Proximo anno, qui fuit M. CCC. XXXIX. Stuartus, fortunæ ratus inſtandum, coacto exercitu Perthum oppugnare aggreditur, quadrifariam diviſis viribus: ſed, Anglis acriter oppidum defendentibus, non ſine vulneribus rejectus fuit. Tertio demum obſidionis menſe, prope deſperantibus de ſucceſſu Duglaſſius ſupervenit, quinque piraticis navibus conductis, quæ machinas atque aliquid militum adduxerunt. Expoſita igitur parte militum, reliqui in navibus Tai amnis oſtium aſſervare juſſi. Duglaſſius ipſe ad arcem Cuprenſem recuperandam mittitur: eam ab Anglis deſertam Scoti occupaverant, quibus erat præfectus [3] Gulielmus Bullocus, ſacerdos Anglus, idemque Quæſtor. Cum eo Duglaſſius tranſegit, ut, acceptis in Scotia prædiis, in ſuas partes tranſiret. Id eo facilius ei perſuaſum, quod nec ab Anglis ſubſidium ſpectabat, nec Scotis, qui ſecum in præſidio erant, admodum fidebat: ejus opera forti & fideli ſæpe poſtea Scoti ſunt uſi. Obſidio Perthi jam in quartum menſem protracta, diutius videbatur duratura, niſi Roſſiæ Comes per cuniculos aquam e foſſa derivaſſet, atque ad murum uſque cum ſuis penetraſſet. Tum demum dejectis propugnatoribus, telorum vi potiſſimum e machinis emiſſorum, [4] deditio facta eſt, ea lege, ut Angli incolumes, quo vellent ſua omnia exporta-

1 *Gulielmo Abernethio*] Ita Boëthius Buchanano præiverat, eumque ſecuti Barneſius pag 108 & Tyrellus pag. 434: at potior mihi videtur Extract. Ballendeni & Vintoni fides, qui eum *Laurentium Abernethium* appellant.

2 *Laurentium Vauſium*] Hunc Vintonus *Rollandum* vocat.

3 *Gulielmus Bullocus, ſacerdos Anglus*] Solus, quod ſciam, Boëthius *Anglum* vocat: mihi vero utriuſque hac in re fides eſt ſuſpecta. Nam, ut aliorum ſilentium præteream, veriſimile haud videtur Anglum eo tempore ad Scotos transfugam futurum. Huc accedit quod anno proximo 1340, in Actis publicis Tom. 5. pag. 200. & 202, *Gulielmum Bullocum Militem*, (eundem reor, quem hic Buchananus nominat,) cum aliis obſidem datum reperio pro Joanne Randulpho Comite Moraviæ, quem, ſi transfuga fuiſſet, Eduardus Anglus nullo pacto accepturus videtur.

4 *Deditio facta eſt*] Ob hanc deditionem cum Thomæ Uchtredi urbis præfecti fama apud multos vileſceret, ſe publicis Comitiis purgare erat coactus. Fœd. Angl. Tom. 5. pag. 131.

tarent. [1] Intra paucos dies, Sterlinum quoque oppugnatum, & eadem lege deditum. Mauritius Moravius, Andreæ filius, arci eſt præfectus. Hac tam ſubita mutatione rerum Balliolus territus, e Gallovidia, ubi ſe plurimum continebat, in Angliam abiit.

XXVIII. Brevi poſt, arx Edimburgi, non vi expugnata, ſed arte capta eſt. [2] Valterus Currius mercator, qui tum forte navem commeatibus onuſtam, in æſtuario Tai ad Taodunum habebat, arceſſitus a Gulielmo Duglaſſio, in Fortham venit. Ibi communicato cum Bulloco conſilio, Currius Anglum ſe ſimulat, ac duos vini optimi utres, aliaque nonnulla munuſcula ad præfectum arcis attulit: oravitque, ut ibi reliquos [3] commeatus diſtrahere ſine periculo per eum liceret: ſi qua re ei præſidiove opus eſſet, commoneret, ſe libenter eis, quoad poſſet, gratificaturum. Præfectus ei, ut aliquot dolia vini, certumque numerum panis nautici afferret, imperat: aditum ei, cum vellet, pollicetur. Ille, quod bene vertat, metu Scotorum, qui ſæpe incurſiones in loca vicina facerent, ſummo mane ſe adventurum oſtendit. Ea nocte, Duglaſſius duodecimque comites homines lectiſſimi, nautico veſtitu ſuper arma injecto, commeatum ad arcem portant. Suos, quam proxime poſſunt, in inſidiis collocatos, exſpectare ſignum jubent. Progreſſi paullum Duglaſſius & [4] Simon Fraſerius, cæteros modico intervallo ſequi jubent. Intromiſſi a janitore intra munitionem e trabibus ante portam arcis ſtructam, cum animadvertiſſent claves oſtiorum e brachio janitoris ſuſpenſas, ipſum jugulant; & ſine ſtrepitu portam arcis aperiunt. Deinde ſuis (uti convenerat) cornu inflato, ſignum dant. Eodem ſono & qui erant in inſidiis, & cuſtodes arcis admonentur, alteri ab amicis, alteri ab inimicis arcem teneri. Utriſque properantibus, Scoti onera in ipſo portæ aditu dejiciunt, ne ante ſuorum (qui per difficilem clivum lentius vadebant) adventum, valvæ objici, [5] ac ipſi occludi poſſent. Acri conflictu edito, ac cæde utrinque patrata, tandem præſidiarii ceſſerunt, cæteris, præter præfectum ac ſex comites, occiſis.

XXIX. Alii in hunc annum, alii in ſuperiorem conjiciunt expeditionem Alexandri Ramiſæi (qui omnes illius ætatis Scotos rei militaris gloria anteibat)

in

1 *Intra paucos dies*] Imo vero, ſi Froſſardo, Barneſio & Tyrello credimus, non niſi biennio poſt, *i. e.* exeunto anno 1341.

2 *Valterus Currius*] Ita eum appellant, Extr. Carthuſ. Vinton. Boëthius vero, Ballendenus; Major & Humius *Turrium*; ſive *Towers*, vocant, unde *Turrios* Innerlethæ Comarchos idem Humius & Crafordius propagatos arbitrantur.

3 *Commeatus diſtrahere*] Vocem *diſtrahere* hoc ſignificatu damnat Scioppius Infam. Famiani pag. 188; quod melioribus linguæ Latinæ ætatibus ea nemo ſit uſus: ſed non opus erat vocabulum, a Suetonio, Juſtino & Juriſconſultis fere omnibus uſurpatum, ſollicitare.

4 *Simon Fraſerius*] Major, Boëthius & Ballendenus *Valterum*, Vintonus, & Extr. *Gulielmum*; Froſſardus vero, Barneſius, Humius cum Buchanano eum *Simonem* appellant.

5 *Ac ipſi occludi poſſent*] Ita editi omnes, quod tolerari forte poteſt auctoritate Plauti, cui Menech. 4. 2. 108. *occludi* pro *includi* accipitur. *Quæ non me excludet ab ſe, ſed apud ſe occludet domi*, i. e. *includet*: ſed rectius MS. in quo *excludi* ſcribitur.

in Angliam. Erat enim ea tum de virtute ejus opinio, ut qui non prodiiſſet ex illius velut ſchola, militiæ non ſatis peritus haberetur. Itaque juventus ad eum, velut unicum bellandi magiſtrum, frequens ventitabat. Is, cum non paucas ante expeditiones in hoſticum, cum parva manu, proſpero eventu feciſſet, rebus eorum tum in Scotia afflictis, aliquid majus audendum ratus, collecta magna clientium & amicorum manu, Northumbriam late populatus eſt. Eum revertentem Angli, ex omnibus agris & caſtellis, longe majoribus copiis conſequuntur. Eorum congreſſum cum Alexander vitare non poſſet, & ſuorum animos, ob multitudinem hoſtium, nonnihil debilitatos ſentiret, præmiſſa præda, pedites in inſidiis locat: equites late effuſos ſimulare fugam jubet; deinde, ubi locum inſidiarum præteriſſent, ad ſignum buccinæ rurſus in unum coire. Eam equitum fugam Angli veram rati, æque effuſi & ipſi ſequuntur. Ad quos Scoti ſigno revocati, cum ſe momento temporis obvertiſſent, peditesque undique ex inſidiis proſiliiſſent, verſus eſt in Anglos ex re inopinata terror, ac non paullo concitatiore curſu, quam antea ſecuti erant, fugerunt: multi occiſi: complures capti: præda incolumis domum abducta. Inter captivos fuit præfectus Rosburgi: cum eum præſidium fere omne ſecutum fuiſſet, Alexander oppidum pene vacuum aggreſſus, primo impetu cepit. Inferiorem quoque arcis partem cum ſuæ poteſtatis feciſſet, qui reſtabant, in turrim validam confugerunt: ſed, cum pertinaciſſime oppugnarentur, nec ſubſidium a ſuis ullum ſperarent, ſe dediderunt. Sunt qui Sarisburii Comitem ibi captum tradant, & cum Joanne Randulpho permutatum. Sed magis inclinat animus, ut plures ſcriptores ſequar, qui Sarisburium a Gallis atque in Gallia captum prodant. Randulphus in Annandiam profectus, arcem ſuam ad lacum Mabanum de Anglis cepit: ac tres limitum præfecti, Alexander Ramiſæus orientalis, Gulielmus Duglaſſius medii, Randulphus occidentalis, ultra veteres fines, qui Alexandro tertio regnante fuerant, Anglos expulerunt: neque quicquam in ſolo Scotico præter Bervicum tenebant. Sunt qui Rosburgum a Ramiſæo, ſopitis vigilibus, de nocte ſcalis admotis, captum tradant, anno M. CCC XLII. die Martii XXX. cum quibus facit liber Paſſetenſis.

M. CCC. XLII. XXX. Eodem anno, [1] IV. Non. Julii, David Bruſſius cum uxore ad Ennerbervium applicuit, [2] anno quam diſceſſerat nono: cujus adventus eo fuit omnibus gratior, quo minore in ſpe tum res Scotorum erant. Nam Eduardus, factis cum Philippo Rege Gallorum [3] ad Tornacum trium annorum induciis, atque

1 *IV. Non. Julii*] Alii omnes *IV. Non. Junii*, quibus eo facilius aſſentior, quod Buchananus ejuſve exſcriptores non ſemel *Julium* pro *Junio* menſe accepere. Vid. ſupra ad Lib. VIII. 59. & Lib. IX. 18. & mox in fine huj. cap.

2 *Anno quam diſceſſerat nono*] Hoc confirmat quod ſupra lib IX. 8 oſtendimus, Davidem nempe poſt infauſtam demum ad Halidonem pugnam, anno 1333, in Galliam ſe contuliſſe, non vero poſt prælium Duplinenſe anno 1332., quod dum Buchananus affirmat ſibi ipſi contradicit, eo enim pacto decem fere annos in Gallia Davidem moratum fuiſſe oportet.

3 *Ad Tornacum trium annorum induciis*] In gemino errore hic verſatur Buchananus: primum enim hæ induciæ ad Tornacum, vel potius Eſpetlinum, initæ 25 Sept. 1340, ad 24 Junii 1341 erant duraturæ;

poſt-

atque ita bello Gallico vacuus, decreverat totis viribus Scotiam aggredi. Habebat tum in exercitu quadraginta peditum, ſex equitum millia: ac adverſus annonæ anguſtiam magnam claſſem ornaverat, quæ commeatus terreſtribus copiis ſuppeditaret. Ea cum Novembri menſe ſolviſſet, tempeſtate ſæva jactata, atque in Belgicum & Germanicum littus poſt longam vexationem ejecta, inutilis prorſus ad præſentis belli uſum fuit. Interea Eduardus, cum terreſtribus copiis, circa Novum caſtrum ad Tinam, in maxima commeatuum penuria, ſe continebat. Ad eum legati e Scotia miſſi, [1] quatuor menſium inducias ea conditione fecerunt, [2] ni David Rex [3] ante Calendas Junias domum rediret, ut Scoti omnes in Eduardi ditionem concederent. Verum David, audito Angli apparatu, ante legatorum ad ſe adventum ſolverat.

XXXI. Ad Regem ita (uti dixi) reverſum, inter gratulantes, qui ab omnibus regni partibus frequentes aderant, venit Alexander Ramiſæus, cum omni vita ſuperiore ſplendide acta, tum recenti militari gloria clarus. Is ſingulari favore

poſtea quidem Attrebati renovatæ, atque ad 24 Junii 1342 protractæ. Vid. Acta publ. Tom. 5. pag. 205. Tyrel. vol. 3. pag. 340. Verum eis ante exitum anni 1341 violatis, bellum violentius quam prius inter Anglos & Gallos exarſit. Porro animadvertendum eſt in omnibus hiſce induciis Scotos ſemper fuiſſe comprehenſos; ac propterea quod alterutri populo bellum inferebatur, utrique illatum habitum fuiſſe. Buchananum autem fefelliſſe videntur aliæ trium quidem annorum induciæ; at hæ initæ demum ſunt anno 1343, Gallos pariter & Scotos complectentes. De iis Buchananus loqui intelligendus eſt Lib. IX. 33.

1 *Quatuor menſium inducias*] Ita quidem Froſſardus, a quo præcipue, ſi non unice, hæc Buchananus habuit. Barneſius vero & Tyrellus ſex menſium inducias pactas memorant. Sed cum omnes conſentiant eas ineunte Decembri cœpiſſe, & vel Kal. Maji, vel Junii finiiſſe, ſibi ipſis contradicunt, nam ſic Buchanano 6 menſium, illis vero 5 menſium induciæ ſtatuuntur.

2 *Ni David Rex*] Accuratiſſimus annalium Scoticorum indagator Pat. Abercrombius vol. 2. pag. 79. aut nullas aut perbreves inter Scotos Angloſque inducias tum factas oſtendit; ſi quæ autem fuerant, non ea lege initas, ut, ni David ante earum exceſſum rediret, Scoti in Eduardi ditionem concederent.

3 *Ante Calendas Junias*] Quod Barneſius obſervat pag. 250. præpoſtere hæc a Buchanano traduntur; qui Davidem reverſum ait non ante 4 Nonas Julii, quamvis Scoti pacti eſſent eum rediturum ante initium Junii (non Maji, quod perperam Barneſius Buchanano affingit;) & tamen eum ante legatorum ad ſe adventum ſolviſſe. Sed tota hæc narratio purum putum Froſſardi figmentum eſt. Nam, quemadmodum ab Abercrombio eſt notatum, menſe Martio anni 1342, commeatus ab Eduardo conceſſus eſt Epiſcopo Brechinenſi, Patricio Comiti Marciæ, Gulielmo Duglaſſio & aliis (quos inſtrumentum ipſum Fœd. Angl. pag. 306. legatos Davidis Bruſſii diſertim appellat) qui cum legatis a ſe proximo Aprili miſſis de induciis ag rent. Quis autem Davidem Bruſſium ita delirum exiſtimaverit, ut legatis ſuis facultatem ſui exauctorandi permitteret, ni intra paucos menſes in Scotiam rediret? Quod ſi rem ita ſe habuiſſe fingamus, debuerat ex pacto David ſe regno abdicaſſe, quum ad præſtitutum tempus, Kal nempe Majas juxta Froſſardum, vel etiam Junias (uti Buchan. ſcribit) non redierit. Anne vero credibile eſt ſcriptores Anglos (apud quos tamen nihil hujuſmodi occurrit) tam inſigne ſui in Scotorum gentem dominii argumentum fuiſſe omiſſuros?

favore acceptus, & præter cuſtodiam Rosburgi, etiam totius Teviotiæ præfectura judiciaria donatus. Hoc in honore ſibi eum prælatum Gulielmus Duglaſſius ægerrime tulit: nam cum Teviotia pene tota Anglos expuliſſet, conventibus agendis, quanquam injuſſu Regis, aliquot annos præſederat: meritis enim in patriam, & nobilitate generis, & familiæ opibus fretus, neminem in eo magiſtratu ſperabat ſibi competitorem futurum. Itaque totus in ultionem intentus, iram in præſentia ſuppreſſit: tandem vero poſt tres menſes, inimicum conventum habentem in templo Havici nactus, cum nihil minus exſpectantem, cæſis tribus comitibus auxilium ferre conantibus, ſaucium jumento impoſuit; atque in Heremitagio mori fame coëgit. Eodem fere tempore, eodem genere mortis, per Davidem Barclaium extinctus eſt Gulielmus Bullocus, homo ſingulari erga Regem fide. Hæc duo crudelitatis inhumanæ facinora totam pene Scotiam, in factiones diſtractam, ſeditionibus replevere. Hæ res Regem adoleſcentem, & nondum militaribus ingeniis aſſuetum, vehementer exercuerunt: & quanquam ſummam diligentiam in perquirendo ad ſupplicium Duglaſſio adhiberet, is tamen per amicos (plurimos enim ob res præclare geſtas pro libertate ſibi conciliaverat) ac in primis per Robertum Stuartum, Regis e ſorore natum, veniam obtinuit. Maxime valuit magnifica quidem, ſed vera commemoratio rerum ab eo geſtarum, & ratio temporis, quo, pace foris incerta, nec rebus domi quietis, militares homines retinendi, atque etiam omni favore amplectendi eſſent. Igitur non ſolum venia Duglaſſius, ſed præfectura Rosburgi & Teviotiæ donatus eſt, clementia fortaſſe in præſentia non inutili, ſed exemplo in poſterum peſſimo.

XXXII. [1] David, rebus utcunque domi compoſitis, expeditionem in Anglos denunciat, magna Nobilitatis parte, ob commeatuum, qua laborabatur, penuriam, diſſuadente. Collecto ſatis magno exercitu, Joannem Randulphum ei præficit: ipſe occultus, diſſimulato nomine Regio, cum eo proficiſcitur. Hæc manus, per duos prope menſes depopulata Northumbriam, cum ingenti præda domum rediit. Iterum intra paucos dies, Rex ſe ducem exercitus profeſſus, hoſticum intravit. Angli viribus inferiores certaminis aleæ rem committere, abſente in Gallia Rege ſuo, recuſabant: ſed magno equitatu ab omni parte aſſultantes, a libera populatione Scotos arcebant: quinque primæ nobilitatis Equites, nuper a Davide in eum ordinem aſcitos, temere longius a ſuis progreſſos, cæſis aut fugatis eorum comitibus, hoſtes capiunt. Rex, ne tempus

1 *David, rebus utcunque domi compoſitis*] His verbis innuere videtur Buchananus Gulielmum Duglaſſium venia prius fuiſſe donatum, quam Rex primam in Angliam expeditionem adornaret. Verum longe ſe aliter res habuit. Nam Davidem, eo ipſo quo rediit anno, Angliam ingreſſum comitatus eſt Gul. Duglaſſius non ſine magno Anglorum malo, ut eorum Annales teſtantur. Anno autem ſequenti Ramiſæum ſuſtuliſſe, atque ob id Regis iram metuens ſecreta cum Anglo conſilia communicaſſe videtur. Exſtant enim Angli ad Henricum Percium & alios literæ, quibus eos Duglaſſium ad ſuas partes traducere hortatur, ſcriptæ 18. Aug. 1343. Fœd. Angl. Tom. 5. pag. 379. Quæ res Scoto (uti videtur) indicata, Duglaſſio præteritorum veniam maturavit.

2 *Magno*

pus illic fruſtra tereret, reduxit exercitum. Tertia expeditione, coactis quam potuit occulte copiis, ut hoſtes necopinantes magna clade afficeret, cum Angliam præcipiti autumno fuiſſet ingreſſus, largis imbribus exiguos torrentes ita augentibus, ut agrum omnem non modo impervium redderent, ſed commeatuum advectionem prohiberent, paucis arcibus, ne nihil tanto conatu videretur egiſſe, dejectis, domum rediit. Non adeo diu poſt, legatis ultro citroque miſſis, actum de induciis in biennium, in quas Scotus ea lege conſenſit, modo eas ratas Philippus Gallorum Rex haberet: nam in fœdere inter Scotos & Gallos ita cautum erat, ut neutra gens ſine altera pacem aut inducias cum Anglo faceret: hæ quietam interea Scotiam tenuere.

XXXIII. Quarto fere poſt reditum Davidis anno, Gallis [1] magno prælio victis, obſeſſo ab Anglis Caliſio Morinorum oppido, Philippo per legatos inſtante, ut Scoti Angliam ingreſſi, partem virium Anglicarum in ſe derivarent, exercitus Perthum convenire juſſus eſt. Eo cum frequentes coiſſent, David Comes Roſſiæ, [2] Reginaldum Æbudarum Regulum veterem inimicum, ſeptemque comitum ejus nobiliſſimos, noctu ex inſidiis aggreſſos interemit. Ea cædes valde exercitum imminuit; cum non ſolum utriuſque partis amici & clientes, ſed multi etiam vicinorum, civile bellum inter familias potentiſſimas metuentes, [3] domos diſcederent. Igitur Gulielmus Duglaſſius Lidalianus Regi maximopere ſuadebat, ut, omiſſa in præſentia expeditione, res domi componeret. Hoc conſilio contemto, Rex, amicitia ſuperante caritatem patriæ, in Angliam ducit: ac ferro & flamma omnia qua ibat proſternens, ſexto decimo demum die in agrum Dunelmenſem venit. Angli, partim a Percio collecti, partim ab exercitu, qui Caliſium obſidebat, remiſſi, cum frequentes conveniſſent, ſe Scotis, multo celerius eorum opinione, acie inſtructa oſtenderunt. David, qui, nihil minus quam hoſtis adventum metuebat, & Gulielmum Duglaſſium ad agrum vicinum depopulandum emiſerat, ſuis ſignum pugnæ proponit. Duglaſſius, cum in hoſtem necopinus incidiſſet, trepida fuga, quingentis viris fortiſſimis amiſſis, in caſtra rediit. Nec infelix rei incipiendæ auſpicium felicior conflictus eſt ſecutus. Pugna acriter inita, [4] in prima acie cæſus eſt, profligatis prius

1 *Magno prælio*] Ad Creſſiacum 24 Aug. 1346 commiſſo, quo 2 Reges, 6 Principes, plurimi viri nobiles, ac e vulgo militum 30000, ex parte Gallorum erant occiſi.

2 *Reginaldum Æbudarum Regulum*] Abercrombius pag. 92. exiſtimat Æbudarum Regulum tum Joannem vocatum fuiſſe, ex Epiſtola Eduardi Angli (Fœd. Angl. Tom. 5. pag. 530) qua *Joannem de Inſulis* ſibi conciliare conatur. Verum cum hæc epiſtola aliquot diebus poſt prælium Dunelmenſe, *i. e.* 4 Nov. 1346 ſit ſcripta, hunc *Joannem Reginaldi* aut filium, aut fratrem, non abſurde liceat exiſtimare.

3 *Domos diſcederent*] Ita MS. & princeps editio Edinburg. aliæ omnes *domo*, male.

4 *In prima acie*] Alio ordine inſtructum exercitum vult Boëthius; qui primam aciem Roberto Stuarto & Comiti Marciæ commiſſam tradit. Quærunt autem Barneſius & Tyrellus, qua auctoritate impulſus Buchananus a Boëthio diverſus abierit. At non deſunt Buchanano idonei auctores, Extractorum ſcriptor & Vintonus, qui eodem, quo ille, ordine Scotorum acies

prius ſuis, Joannes Randulphus. Mediam, in qua Rex erat, duæ Anglorum acies, altera victrix, altera integra aggreſſa, obſtinatam mori cum eo Nobilitatem Scoticam pene ad internecionem ceciderunt. Rex ipſe a Joanne Coplando, cui, telis ereptis, duos pugno dentes excuſſerat, captus, ſed jam duabus ſagittis graviter ſaucius. Tertia, cui Robertus Stuartus & Patricius Dumbarius præerant, acies, viſa ſuorum clade, prope incolumis ſe ſubduxit.

XXXIV. Poſt hanc pugnam, ita profligata Nobilitate, ſtatim Rosburgum, Heremitagium, aliæque complures arces Anglis deditæ. Scoti coacti, præter quos in Anglia tenebant agros, etiam Marcia, Teviotia, Lidalia & Lauderia cedere. Limites Anglorum ad ſaltum, quem Cocburni vocant, & Soltram prolati. Balliolus, non contentus [1] ditionem majorum ſuorum in Gallovidia recuperaſſe, Annandiam & Nithiam, & quicquid agrorum ad Glottam adjacet, cæde & incendio pervagatus eſt: Lothianam quoque, adjuncto ſibi Percio Anglo, ſimili clade affecit: nec per aliquot annos in Scotia juſtus exercitus confici potuit. Acceſſit ad hæc mala peſtis graviſſima, quæ partem fere tertiam populi abſumſit. Nec in rebus tam afflictis a domeſticis malis ceſſatum eſt. David Barclaius, Eques nobilis, qui Bullocum ante occiderat, hoc quoque tempore in cæde Joannis Duglaſſii Dalkethii affuerat. Eum Gulielmus Duglaſſius Lidalianus, qui in prælio ad Dunelmum captus ab Anglis nondum redierat, per ſuos clientes curavit interficiendum: nec ipſe in Scotiam reverſus, diu ei ſuperſtes fuit. Nam a Gulielmo Duglaſſio, Arcibaldi filio, nuper e Gallia reverſo, inter venandum in ſilva Atrica, [2] in ultionem cædis Alexandri Ramiſæi, eſt interfectus. Nec priſcorum Scotorum tribus, homines quietis impatientes, a mutuis injuriis temperarunt.

XXXV. Inter hæc mala undique prementia, [3] Gulielmus Duglaſſius, collecta propinquorum & clientium manu, primum Duglaſſiam majorum ſuorum patrimonium, ejectis Anglis, recuperavit: deinde, e parvo ſucceſſu creſcente civium erga eum favore, magnam Teviotiæ partem recepit. Interea Joannes Francorum Rex, qui patri Philippo & regni & belli fuit hæres, veritus ne Scoti, tot malis fracti, tam potenti hoſti ſuccumberent, miſit ad eos Eugenium Garenterium, quadraginta viris fortibus comitatum, petitum ab eis, ne ullam cum Anglo pacem ſe inconſulto facerent. Is quadraginta ſcutatorum millia, ad militem conducendum attulit: præterea magnificis promiſſis Nobilitatem in ſuam ſententiam traduxit. Illi, acceptam pecuniam inter ſe partiti, nullo milite conducto, bellum per excurſiones frequentes more ſuo adminiſtrarunt. Id ubi ad Anglum eſt perlatum, Lothianam jam antea male habitam, prope ad vaſtitatem redegit. Hæc ut ulciſcerentur, Patricius Dumbarius

acies diſpoſitas affirmant. Eorum vero fidem haud parum ſuffulcit, quod Robertus Stuartus & Patricius Dumbarius, viſa ſuorum clade, ſe ſuoſque incolumes ſubduxiſſe dicantur: qui ſi primi prælium iniſſent, non ita facile evaſuri videntur.

1 *Ditionem*] Vide ſupra ad Lib. 1. 43.

2 *In ultionem*] Aliam hujus cædis cauſſam veroque magis ſimilem adfert Humius.

3 *Gulielmus Duglaſſius*] Hic primus erat Duglaſſiæ Comes paullo ante prælium Dunelmenſe creatus.

3 *Cam-*

rius & Gulielmus Duglaſſius, collecta quam potuerunt occultiſſime magna manu, Gulielmum Ramiſæum Dalluſium, virum fortem & notæ in bello induſtriæ, ad Noramam pagum in ripa Tuedæ frequentem incendendum, cum parte exercitus mittunt; ipſi in inſidiis conſiſtunt. Cum quod quæſitum erat Ramiſæus foret aſſecutus, perducti ad inſidias hoſtes, ac circumventi cæduntur. Tandem multitudini impares deditionem faciunt: pars major capitur.

XXXVI. Hoc ſucceſſu crevere Scotis animi: itaque iiſdem ducibus conjunctis, Thomas Stuartus Anguſiæ Comes Bervicum tentare ſtatuit. Id occulte ut conficeretur, conductis undecunque poterat navibus, ſcaliſque & reliquo oppugnandarum urbium apparatu impoſito, Patricium de ſuo adventu facit certiorem. Cum ad horam conſtitutam, quam minimo poterant tumultu, ad muros accederent, vigiles tamen non fefellerunt: quibus poſt acrem pugnam repulſis, Scoti tandem urbe, non ſine damno ſuorum, potiuntur. Arcem ab Anglis retentam magna vi, ſed fruſtra adoriuntur. Anglus audito rerum Scoticarum ſtatu, coacto exercitu copioſo, magnis itineribus eo contendit. Scoti, accepto ejus adventu, nulla re ad longam obſidionem ſatis proviſa, urbe ſpoliata & incenſa, ad ſua redierunt. Eduardus, omni genere artificum adhibito, corrupta flammis inſtaurat: interea ipſe Rosburgi manet. Eo Balliolus venit, Scotiæ regno ei cedit: oratque vehementer, ne ſibi a Scotis illatas injurias negligat. Anglus, velut ei obſecundans, Lothianam terra marique invadit: & quicquid ſupererat ſuperiori vaſtationi corrumpit. Decreverat illa expeditione Anglus totam Scotiam affligere, ut nullas in poſterum vires ad rebellandum recolligere poſſet: verum id conſilium diſcuſſit fœda tempeſtas, quæ claſſem, in qua ſubvehebatur commeatus, ita diſſipavit, laceravit, & afflixit, ut paucæ naves iterum in unum portum coire potuerint. Ita Eduardus redire ob commeatus inopiam coactus, iram ſuam in Edimburgum, Hadinam, reliquaque Lothianæ oppida effudit. Eo cum exercitu in Angliam reverſo, Gulielmus Duglaſſius Gallovidiam, Rogerius a Cella Patricii Nithiam, Joannes Stuartus Proregis filius Annandiam Scotis, hoſte expulſo, reſtituerunt.

XXXVII. Eodem fere tempore, Joannes Rex Francorum in Pictonibus magno prælio ab Anglis victus, capitur. Eduardus [1] cum, duobus Regibus captivis, hiemem ageret in ſumma inter amicorum gratulationes lætitia, Scoti, animum ejus gloria ſatiatum rati tum ad æquitatem facilius flecti poſſe, cum

1 *Cum, duobus Regibus captivis*] Hoc falſum eſſe oſtendunt Barneſius & Tyrellus. Neque enim David Scotorum, & Joannes Francorum Reges una ſimul hieme (aut, quod Leſlæus aliique affirmant, uno ſimul natali Chriſti die) in Anglia captivi erant Joannes enim in Angliam captivus ductus menſe Majo anni 1357, proximoque Septembri David Bervicum eſt deductus, nec antea in Angliam reverſus, quam de ejus liberatione eſt tranſactum, 5 *ſcil.* Octob. ejuſdem anni. Proximo quidem anno David Londinum eſt profectus, Anglum orandi gratia, ut longiorem ſibi in reliquis redemtionis ſuæ penſionibus ſolvendis moram indulgeret: cumque ibi (quod Abercrombius ex Actis publicis oſtendit) ab autumno anni 1358, ad 18 minimum Januarii ſequentis, ſit commoratus, neceſſe eſt eum hiemem cum Joanne Franco in aula Anglica egiſſe, atque feſtos ea tempeſtate dies cum Eduardo celebraſſe. Indeque noſtris occaſio exiſtimandi eſt data, tum primum de eo liberando actum fuiſſe.

cum eo per legatos de Rege ſuo liberando egerunt. Bruſſius, ut facilius ſui eum convenire poſſent, Bervicum eſt miſſus: cum de conditionibus non conveniret, iterum Londinum eſt reverſus. Nec adeo diu poſt, per legatos Pontificios, qui de pace inter Anglos & Francos ſummo ſtudio agebant, [1] cum Scotis etiam eſt tranſactum, promiſſis Anglo, ut noſtri ſcribunt, [2] centum, [3] ut Froſſardus, quingentis millibus marcarum Anglicæ monetæ: cujus pecuniæ [4] pars repræſentaretur, reliquum per penſiones ſolveretur. Ea ſumma quo facilius conficeretur, Pontifex Romanus ſacerdotiorum decimas in tres annos donavit: induciæ interea factæ, obſides dati nobiliſſimi adoleſcentes, qui pene omnes in Anglia peſte interierunt. David igitur undecimo quam captus fuerat anno domum reverſus, primum omnium, qui fugæ principes e Dunelmenſi prælio fuerant, multavit: Patricio Dumbario partem agri abſtulit: [5] Robertum Stuartum, ſororis majoris filium, a ſpe ſuccedendi in regnum removit: atque in ejus locum ſubſtituit [6] Alexandrum Sutherlandiæ Comitis filium, e ſecunda ſorore genitum, & in ejus nomen proceres ſacramento adegit. Hujus adoleſcentis pater, ut procerum voluntates filio conciliaret arctius, latos & fructuoſos agros viris potentibus donavit. Sed, Alexandro brevi poſt mortuo, David Stuarto placatus eſt, & in Ordinum frequenti conventu, ſuus ei locus eſt omnium decreto reſtitutus. Sed id aliquot annis poſterius eſt factum.

XXXVIII.

1 *Cum Scotis etiam eſt tranſactum*] Hac voce [*etiam*] Buchananus innuere videtur de Scoto ac Franco eodem tempore liberando fuiſſe tranſactum; cum tamen aliter ſe res habeat. Scotus enim (uti diximus) liberatus eſt anno 1357, Francus vero non niſi anno 1360.

2 *Centum, ut Froſſardus, quingentis millibus*] Vide totam hanc tranſactionem apud Rymerum, Fœd. Angl. Tom. 6. pag, 30. ad 65. & Abercrombium pag. 118. 119, 120. E quibus apparet Scotos pro ſui Regis redemtione pactos fuiſſe 100000 marcas Anglicæ monetæ intra decem annos per æquales portiones ſolvendas. Cum autem Scoti eas penſiones ſtatutis temporibus conficere nequirent, aliæ per utriuſque Regis legatos conditiones initæ ſunt anno 1365, ut *ſcil.* Scoti intra 25 annos 100000 libras Anglo penderent, ita ut ſingulis annis 6000 marcæ ſolverentur. Ibid. pag. 464. Cum autem anno 1369, de ea ſumma reſtarent 56000 marcæ nondum ſolutæ, alia denique conventio facta eſt, qua quatuordecim annorum induciis pactis, quatuor millia marcarum quotannis Anglo penderentur, Ibid. pag. 632. quod & a Scotis cum fide eſt præſtitum, totumque adeo Davidis redemti pretium perſolutum anno demum 1383. Ibid. Tom. 7. pag. 417.

3 *Ut Froſſardus*] Froſſardus non marcas ſed ſcutatos nominat, quos ejus interpres Sleidanus aureos reddit.

4 *Pars repræſentaretur*] Non quidem ſtatim, quod Buchanani verba præ ſe ferre videntur, ſed ut prima tantum penſio, ſive 10000 marcæ, 24 Junii anno proximo 1358 ſolveretur.

5 *Robertum Stuartum*] Toram hanc narrationem non ſpernendis argumentis labefactare conatur Abercrombius p. 153. & ſeq.

6 *Alexandrum Sutherlandiæ Comitis filium*] Hunc Sutherlandiæ Comitis filium, non *Alexandrum* (quo nomine Boëthius etiam, Holinſhedius & alii eum appellant) ſed *Joannem* fuiſſe vocatum ex multis in Actis publicis inſtrumentis conſtat. Ibid. pag. 35. & 47. Vide etiam Rymeri Epiſt. 1. ad Epiſc. Carleol. pag. 42. Et Ballendeno quidem *Joannes* nominatur; Barneſius tamen, quanquam aliis *Joannem* appellatum agnoſcat, Odor. Raynaldi auctoritatem ſecutus, cujus fides, inquit, præſtantior eſt, ei nomen *Alexandro* fuiſſe perperam arbitratur.

1 *Apo-*

XXXVIII. Proximos fere quinque annos in pacandis diſcordiis civilibus Rex conſumſit: quo in tempore duæ clades inciderunt: altera ad paucos pertinens, ex inundatione aquarum. Tantum enim aquæ pluviæ de cœlo dejectum eſt, ut, torrentibus & fluviis per Lothianam in agros effuſis, non pontes modo & molas aquarias, ſed pleraſque ruſticas domos, cum pecore & dominis, vis aquarum in mare detulerit, arbores radicitus evulſerit, oppida quoque prope fluminum ripas pene delerit. Hanc calamitatem ſecuta peſtis, multos omnium ordinum atque ætatum conſumſit. Pacatioribus jam rebus, anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio, in conventu Ordinum, Rex ad [1] Apolectos retulit, [2] de Anglo aut ejus filio (ſi quid ſibi humanitus eveniſſet) ad regnum capien-

1 *Apolectos*] *i. e.* ut Irvinus & Crafordius interpretantur, ii qui nobis *Domini ad Articulos*, vulgo [*The Lords of the Articles*] appellantur. Ii autem erant ſelecti e tribus regni Ordinibus viri, qui ſummis regni miniſtris, quos *Officiarios Status* vocamus, adjuncti, in anteceſſum dijudicare ſolebant, quæ res in publicis comitiis proponendæ viderentur. Quod ad vocabulum *Apolectos* attinet, id Buchananus, & quidem ad rem exprimendam commodiſſimum, a Livio mutuatus videtur, lib. 35 cap. 34. *Concilium quidem univerſæ gentis poſt dimiſſos Romanos* [Ætoli] *non habuerunt, per Apolectos autem* (*ita vocant ſanctius concilium: ex delectis conſtat viris*) *id agitabant, quonam modo res in Græcia novarentur.* Et lib. 36. cap 28. *Ubi cum in concilio delectorum, quos Apolectos vocant, Phæneas & quæ imperarentur, & quæ ipſis prope accidiſſent, expoſuiſſet; ingemuerunt quidem principes conditioni ſuæ, parendum tamen victori cenſebant, & ex omnibus oppidis convocandos Ætolos ad concilium.* Ita quidem exhibent omnes Buchanani ævo & diu poſtea editi Livii codices; non tamen diſſimulandum eſt in recentioribus, præſertim Gronoviana & Doujatiana Editt. *Apocletos* legi. Ego vero parvo diſcrimine referre arbitror, ſive *Apolectos*, ſive *Apocletos*, apud Livium atque adeo Buchananum legamus; eadem enim fere eſt utriuſque vocis, hujus a καλέω, illius a λέγω deductæ, vis & ſignificatio. Nam Ἀπόλεκτος Græcis idem eſt ac *delectus* vel *ſelectus*: Ἀπόλεκτοι inquit Suidas, *i. e.* ἐξαίρετοι, ἔκκριτοι, ἐκλελεγμένοι. Thucyd. lib. 6. Ἄλλως δὲ καὶ πρὸς ἄνδρας πανδημεὶ ἀμυνομένους, καὶ οὐκ ἀπολέκτους ὥσπερ καὶ ἡμᾶς, ubi vetus Scholiaſtes explicat ἐξῃρημένους. Eadem eſt ratio alterius vocis ἀπόκλητοι, i. e. *evocati*, *acciti*; κεκλημένους reddit Suidas, citatque inter alios hunc Polybii locum, Τριάκοντα τῶν Ἀποκλήτων προεχειρίσαντο τοὺς συνεδρεύοντας μετὰ τοῦ βασιλέως.

2 *De Anglo, aut ejus filio*] Memorabilis hujus negotii, ab aliis parum vere aut obſcure traditi, ſeriem Abercrombius primus ex Actis publicis erutam in claram lucem expoſuit pag. 130. & ſeqq. Ejus autem ſumma hæc erat; ex parte quidem Davidis, ut is ſtrenue apud ſuos niteretur, ut, ſi ipſe ſine ſobole decederet, Scotorum regnum Anglo ejuſque ſucceſſoribus lege lata confirmaretur. Quod ut facilius a ſuis David impetraret, ex parte Angli contra conventum eſt. 1. Ut quod de redemtionis ejus pretio nondum ſolutum ſupererat (ſupererat autem plus quam dimidium) id Scoto in perpetuum remitteretur. 2. Ut Anglus omnibus arcibus terriſque quas in Scotia tenebat, deinceps cederet, fineſque Scotis iidem eſſent, qui moriente Roberto Bruſſio. 3. Ut quas terras Davidis majores in Anglia beneficii nomine tenuerant, eæ ipſi reſtituerentur. 4. Ut Scoti ſuis legibus, privilegiis & magiſtratibus uterentur, neu extra regni limites ad jus petendum accipiendumve evocarentur. 5. Ut Anglus eique in regnum ſuccedentes, ſtatim poſt ſuſcepta imperii Anglici inſignia Sconam venirent, ibique pari modo Scotorum Reges inaugurarentur, ac tum ſancte jurarent ſe Eccleſiæ jura, ac bonorum Regum leges & ſtatuta, in primis vero hujus fœderis conditiones, ſanctas ac illibatas conſervaturos. 6. Ut Comitia publica nuſquam extra Scotiæ limites haberentur. 7. Ut omnia tam Eccleſiaſtica quam

piendum in Scotiam arceſſendo. Id ſive tædio bellorum, utriuſque gentis commodis proſpiciens, ſive (quod alii putant) ab Anglo jurare coactus, fecerit, oratio ejus fuit adeo omnibus ingrata & moleſta, ut non exſpectato dum ordine ſententiæ rogarentur, omnes clamore confuſo vocem abominarentur: ac nihil propius fuit, quam ut qui liberrime vociferati fuerant, iram ejus metuentes, defectionem circumſpicerent. Quorum ubi timorem reſcivit, remiſſa ira eos in gratiam recepit. Cæteris ubique pacatis, montani in armis perſtabant; nec ſolum inter ſe fœda atque inhumana crudelitate ſæviebant, ſed vicina etiam late populabantur. Hos Rex cum ad concordiam nulla ratione poſſet adducere, per homines callidos diſcordias augendas curavit, donec ferocioribus mutua cæde conſumtis, cæteri tractabiles & manſueti redderentur. His domi foriſque editis, in arce Edimburgenſi deceſſit, anno vitæ quadrageſimo ſeptimo, [1] regni pro-

quam civilia nullis præterquam Scotis demandarentur. 8. Ut Scotis commercia in Anglia exercere liceret. 9. Ut ne graviora ab iis vectigalia aut cenſus, quam ſoliti ſunt optimi Scotorum Reges Anglus exigeret, neve ſecus quam eorum priſtina conſuetudo ferebat militare cogerentur. 10. Si quæ alia Scotis ex uſu eſſe, atque ad ſe incolumes nullique injuriæ obnoxios præſtandos neceſſaria viderentur, ea ex concilii ſui ſententia benigne conceſſurum Anglus pollicebatur. Alias hujus fœderis ineundi conditiones, quod eæ levioris momenti eſſent, conſulto omiſimus: qui eas prolixius expoſitas velit, is adeat Abercrombium loc. cit. & Rymeri Acta publ. Tom. 6. pag. 426.

1 *Regni prope triceſimo nono*] Egregie errant, non Buchananus modo, ſed & liber Carthuſ. de Perth. Jo. Major, H. Boëthius, Leſlæus, Ballendenus, *&c.* qui Davidem II. 39 regni anno deceſſiſſe tradunt: Ex documentis enim omni exceptione majoribus palam eſt eum anno demum regni ſui 41 obiiſſe: & (ut alia omittam ex Rymeri Epiſt. ad Epiſc. Carleol. pag. 5. & Regiſtro Calſonenſi fol. 200; & 201. colligenda) viginti minimum hujus Regis inſtrumenta in Actis publicis Edinburgi aſſervatis meis ipſe oculis luſtravi, quæ omnia 41 regni annum diſertim præferunt. Sed neque ullis teſtimoniis hic opus; cum enim, quod noſtri tradunt, ac nos plenius ſupra oſtendimus, Robertus Bruſſius Davidis pater anno 1329, David vero ipſe omnium ſuffragio anno demum 1370, fatis conceſſerit, perſpicuum plane eſt 40 minimum annorum intervallum inter hujus illiuſque obitum interceſſiſſe, ac proinde Davidem 40 ſaltem annos regnaſſe. Quærenti autem quæ cauſſa potiſſimum noſtres ſcriptores devios impulerit, ſpecioſa quidem, ni receptæ Regibus noſtris conſuetudini repugnaret, hæc ratio occurrit. Arbitrati nimirum ſunt plerique noſtrorum Annalium conditores Reges noſtros non ante regnare cœpiſſe, quam ſolenni ritu inaugurati fuiſſent: & hoc quidem pacto, cum David coronatus demum fuerit anno, ut noſtri teſtantur, 1331, deceſſeritque anno 1370, anno certe regni 39 deceſſiſſe cenſendus eſt, pari modo quo ab iiſdem auctoribus Jacobus I. regni anno 13 exſtinctus memoratur. Sed falſo prorſus fundamento nituntur noſtri ſcriptores; cum enim regnum Scoticum, non ex Ordinum ſuffragiis pendeat, ſed jure ſanguinis hæreditario in genere proximos continuo deſcendat, plane conſequens eſt nullum hic interregnum fieri, ſed uno Rege mortuo, alium ſtatim in ejus locum, & ita deinceps perpetuo tenore ſuccedere, eodem jure, quo filii in parentum defunctorum bona & poſſeſſiones dominium protinus acquirere ſolent. Hinc vulgatum Juriſconſultis noſtris axioma, *Rex non moriens:* quo *ſcil.* Rex moriens in ipſo mortis articulo alteri rerum gubernaculum quaſi de manu tradere ſignificatur. Rem vero ex moribus noſtris ita eſſe oſtendunt hi ipſi, quorum meminimus David. II. & Jacobus I. qui a parentum obitu regni ſui

[1] prope triceſimo nono, Salutis humanæ milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo MCCC
[2] ſeptimo die menſis Maji: vir ſane in omni virtutum genere, ac in primis juſtitia & clementia memorabilis, & cui in bonis maliſque rebus exercito, ſemper magis fortuna, quam induſtria defuiſſe videatur. LXX.

C. REX.

XXXIX. Davide vita functo, cum proceres frequentes ad Limnuchum præſto fuiſſent, ut ROBERTO, ab avunculo jampridem Regi deſignato, incunti regnum gratularentur, ambitio Gulielmi Comitis Duglaſſii, prope in ſeditionem rem adduxit. Petebat enim jure hæreditario regnum ſibi decerni, ut qui a Balliolo & Cuminiis eſſet oriundus. Sed cum deprehendiſſet ſuam petitionem omnibus eſſe ingratam, ac in primis amicorum ſuorum intimis, Georgio & Joanni Dumbariis fratribus, quorum alter Comes eſſet Marciæ, alter Moraviæ, & Roberto Areskino, trium arcium firmiſſimarum, Brittannoduni, Sterlini & Edimburgi præfecto, petere deſtitit, & ſe Regi Roberto profeſſus eſt obtemperaturum: & Rex, ut eum arctiore vinculo amicitiæ complecteretur, filiam ſuam Gulielmi Comitis filio deſpondit.

XL. [3] Hoc anno, [4] induciæ in quatuordecim annos factæ, ſunt per Anglos

ſui initia perpetuo arceſſunt.

1 *Prope*] Rymerus loc. cit. Buchananum & acriter quidem perſtringit, quod vocem adjecerit *prope*: nam vim vocis attendenti, inquit, *anno regni prope triceſimo nono, nil plane aliud ſignificat quam anno regni triceſimo octavo*: At non ea Buchanani mens videtur; illi enim, ut & probatiſſimis Latinæ linguæ ſcriptoribus, particula [*prope*,] interdum expletiva eſt, hic vero, ut mea quidem fert ſententia, idem fere ſonat quod *circiter*, q. d. *Davidem regni anno plus minus triceſimo nono deceſſiſſe.* Vid ſupra ad lib. IV. 6. Sed neque ſagaciſſimo viro, qui Præfationem ad opera Gul. Drummondii Hathorndenii præmiſit, adſtipulari poſſum, qui vocem *exacto* hic ſubintelligi putat: nam, ut taceam inſolitam Latinis Ellipſin, id neutiquam Buchanani rationibus congruere videtur. Cum enim ille Davidis regnum ab ejus coronatione 8. Kal. Decembris auſpicetur, ultimus regni annus, quem fatalis lethi neceſſitas fere medium abrupit, inepte, me judice, *prope exactus* dici poteſt.

2 *Septimo die menſis Maji*] In errorem Buchananum traxit Froſſardus, qui id ipſum prius affirmaverat. Utrumque autem a vero longiſſime abeſſe primus monſtravit Rymerus præd. Epiſt. ex inſtrumento ab ipſo Davide Londini ſcripto 4. Junii anno 1370, regnique ſui 40. Clarius vero Acta Scotica Edinburgi aſſervata, mihique conſpecta, in quibus varia inſtrumenta habentur, Septembri, Octobri, Novembri & Decembri menſe conſcripta, omnia anno 1370, & regni ſui 41: ultimum denique 29. Januarii ſequentis eſt datum. Ex hiſce liquido conſtat præſtantiorem hac in parte eſſe Extract. Lib. Carthuſ. & Fordoni Continuatoris fidem, qui omnes conſentiunt Davidem deceſſiſſe in feſto Cathedræ Sancti Petri, *i. e.* 22. Februarii, anno juxta receptam dudum ſupputandi conſuetudinem 1371.

3 *Hoc anno*] *ſcil.* 1371, etſi Buchanani verba annum 1370, quem proxime nominaverat, præ ſe ferre videantur. Angli tamen ſcriptores Rosburgum a Scotis incenſum tradunt anno 1377.

4 *Induciæ in* 14. *annos factæ*] Hæ induciæ, ut ſupra obſervatum eſt, factæ ſunt 18. Junii 1369. Vid. Act. pub. Tom. VI. pag. 625. & Rymeri Epiſt. ad Epiſc. Carleol. pag. 20, & 29.

glos violatæ. Cum ad frequentem mercatum, [1] quo, ad tertium Idus Auguſti, ex locis etiam longinquis utriuſque regni magna multitudo ſolebat convenire, plerique Marciani adeſſent, e familiaribus Georgii Dumbarii quidam eſt interemtus. Hujus cædis auctores cum Georgius, ex jure quod inter limitaneos obſervatur, per fœciales peteret, ut vel ſibi dederent, vel ipſi in eos animadverterent; tandem, cum æquitatem vinci gratia cerneret, injuriam diſſimulat, ac [2] proximum in diem nundinis ſolennem, occulte manum parat, oppidumque ex improviſo adortus, omnes puberes occidit, tecta incendit, & cum ingenti præda domum rediit. Angli, ut eam cladem ulciſcerentur, pari crudelitate Joannis Gordonii Equitis illuſtris agros pervagati ſunt. Nec multo poſt, Gordonius Angliam ingreſſus, cum ingenti hominum pecudumque præda coacta rediret, Joannes Lilburnus longe majore manu collecta, redeunti fit obviam. Ibi infeſtiſſimis utrinque animis pugna conſerta, cum aliquandiu vario marte certatum eſſet, victoria penes Scotos fuit. Ductor Anglorum cum multis propinquis & clientibus captus.

XLI. Henricus Percius [3] Comes Northumbriæ, vir magni animi, qui tum limitis orientalis erat præfectus, indigniſſime ferens has ſuorum clades, coactis amplius ſeptem millibus hominum, ad vicum Dunſum, Joanne Scoto, qui Subtilis cognominatur, magis quam ulla alia re inſignem, caſtra poſuit. Ibi ruſtici & paſtores, nullis aliis armis freti, quam crepitaculis, quibus cervos & pecora, quæ illic paſſim ſine cuſtodibus vagantur, abſterrent, nocte colles Lamyriorum montium vico proximos inſederunt. Ejus crepitaculi hæc forma eſt. In ſummo haſtili ſatis longo, infixis coſtis ligneis, in ſemicirculum curvatis, ſuper eas pellem circumtendunt, ad eam maxime formam, qua ſunt laternæ, quas vulgus Lutetiæ [4] Falotas appellat. Huic lapillos paucos, ſed duriſſimos indunt, quibus agitatis cum ingenti ſonitu, feras a ſegetibus abſterrent. Hoc genere crepitaculorum ingenti ſtrepitu in imminentibus Dunſo collibus edito, equi Anglorum perterriti, vincula rumpunt, ac paſſim per agros palantes in prædam agricolis cedunt. In exercitu toto tumultuatum, &, Ad arma, clamatum eſt: & cum hoſtes adeſſe crederent, illam noctem inſomnem duxerunt. Mane intellecto ludibrio, multis jumentis una cum equis amiſſis, ſex millia paſſuum (tantum enim is vicus ab Anglia abeſt) relictis impedimentis, pedibus prope fugientium modo tranſierunt. Eodem die, quo Percius a Dunſo receſſit, Tho-

1 *Quo, ad tertium Idus*] Crafordius non temere legendum cenſet [*Quo Rosburgum ad tertium Idus;*] alii enim omnes eas nundinas *Rosburgi* celebratas teſtantur, & id quoque voluiſſe Buchananum vel inde apparet, quod paullo poſt oppidi, nomine proprio non adjecto, mentionem faciat.

2 *Proximum in diem nundinis ſolennem*] Anni *ſcil.* ſequentis, quod Major & Boëthius ajunt.

3 *Comes Northumbriæ*] Si hæc in Scotiam expeditio facta eſt (quod noſtri tradunt) anno 1372, ejus certe princeps Henricus Percius nondum ad Comitis dignationem erat evectus, eo namque titulo is primum eſt cohoneſtatus a Richardo II. anno 1377, in quem etiam annum, uti ſupra monuimus, ſcriptores Angli hanc ejus in Scotiam profectionem conjiciunt.

4 *Falotas*] Ita ſimplice *l* ſcribendum; Gallis enim *Falot* effertur. Sunt autem hæ Falotæ *laternæ tereti ligno hærentes, quæ ſublimes ſurſum feruntur, ut lucem latius diffun-*

Thomas Muſgravus Bervici præfectus, cum aliquot cohortibus, ut ſe Percio conjungeret, egreſſus, in inſidias a Joanne Gordonio (de itinere ejus præmonito) collocatas incidit. Ibi circumventus cum ſuis, majorem hoſtium manum ratus, in fugam ſe conjecit, ſed retractus eſt una cum ſuis. Nec ad occidentalem limitem Joannes Jonſtonius expers & prædæ & gloriæ fuit. Parvis enim, ſed crebris incurſionibus ita finitimos exercuit, ut non minus damni, quam magni exercitus ſoleant, eis dederit.

XLII. Rebus ita primo biennio feliciter ſuccedentibus, [1] tertio ab inito regno anno, [2] Euſemia Regina, Hugonis Comitis Roſſiæ filia moritur. Ex ea Rex ternos liberos genuerat, [3] Valterum poſterius Atholiæ & Davidem Ierniæ Comi-

diffundant. De vocis autem origine inter ſe digladiantur Fl. Chriſtianus, Menagius & Cangius. Hic enim a *pharo*, ille a *phallo*, Menagius a *phano*, deductam volunt.

1 *Tertio ab inito regno anno*] Tota hæc quæ de Roberti II. uxoribus & liberis ſequitur narratio, merum eſt auctorum noſtrorum figmentum, vel potius mendaciorum male concinnatorum congeries. Ejus autem primus Architectus fuiſſe videtur Ruſſellus quidam Fordoni Continuator, quem dum alii ſcriptores noſtri (uno forte Majore excepto) improvidi ſequuntur, turpiſſimam (quod in ipſis erat) non Regiæ apud Scotos modo, ſed & ſplendidiſſimis tota Europa familiis, maculam inuſſerunt, quippe quas (ſiquidem vera narrant) a ſpurio propagatas eſſe neceſſe eſt. At Divini numinis providentia & doctorum virorum induſtria factum eſt, ut totius hujus fabulæ ſeries & artificium jam tandem ſit excuſſum. Nobiliſſimus enim Cromartiæ Comes., Thomas Rymerus Angliæ Hiſtoriographus, Ludov. Inneſius Scotici Collegii apud Pariſienſes Gymnaſiarcha, ex quampluſimis documentis authenticis, in Scotia, Anglia, & Gallia adhuc exſtantibus, luce meridiana clarius demonſtrarunt, 1. Elizabetham Moram primam fuiſſe, non ſecundam, Roberti II. uxorem. 2. Eam non modo ante ipſius regni initium, ſed & nuptias cum Euſemia contractas mortuam fuiſſe. 3. Joannem Stuartum Elizabethæ filium, regnante adhuc Davide Bruſſio, & diu antequam pater ipſius Robertus rerum potiretur, a Rege Davide, univerſiſque Scotiam incolentibus, legitimum Roberti filium, ac hæredem ſemper, habitum fuiſſe. Eandem rem itidem illuſtrarunt, D. Geo. Mackenzæus Advocatus Regius, D. Jac. Dalrymplius, Joſua Barneſius, Rob. Bradius, Geo. Crafordius, Jo. Sagius, Pat. Abercrombius, *&c.* ad quos lectores iſtarum rerum curioſos remitto. [Videnda & Mabillonii de Re diplomatica Appendicis ad ſupplement. pars. III. pag. 102. ubi profert in hanc rem diplomata.]

2 *Euſemia Regina moritur*] Imo vero, ſi Fordoni Continuatori, lib. Carthuſ. de Perth, & Extr. de Chron. Scot. credimus, non tertio, ſed decimo ſeptimo Roberti II. ſive anno 1387, mortua eſt Euſemia Regina.

3 *Valterum poſterius Atholiæ*, &c.] Omnibus libris legitur [*Valterum poſterius Ierniæ, & Davidem Atholiæ Comites,*] quæ non modo rei ipſius veritati, ſed & Buchanano ipſi adverſantur, Lib. X. 44. Lib. X. 55. & eod. Lib. 58. Nos igitur levi tranſpoſitione reſtituimus [*Valterum poſterius Atholiæ, & Davidem Ierniæ Comites*:] Melius tamen ſic fuerat legendum, *Davidem Ierniæ, & Valterum poſterius Atholiæ Comites*: David enim natu major erat, licet Buchananus aliter cenſuiſſe hic & Lib. X. 46. videatur: quod & Rymerum fefellit, qui, quod Valterus pro fratre Joanne Carictæ Comite apud Anglos obſide eſt mutatus, inde exiſtimavit filium ex ſecunda uxore natu maximum filio ex prima uxore natu ſecundo fuiſſe prælatum. Sed tota errat via vir clariſſimus, non enim Valterus, ſed David, Euſemiæ Roſſiæ filius natu maximus fuit: Valterus an-

Comites, & Euſemiam, quam Jacobo Duglaſſio nupſiſſe a nobis ante commemoratum eſt. Robertus non tam impatientia cœlibatus, quam amore filiorum ex Elizabetha Mora prius genitorum, ipſam uxorem duxit. Hanc enim eleganti forma, Adami Mori illuſtris Equitis filiam, adhuc adoleſcens vehementer amarat, ex eaque tres filios, [1] ac duas filias ſuſceperat; [2] eamque Giſardo viro nobili in Lothiana curaverat collocandam. Verum ſub idem fere tempus, Euſemia Regina, & Giſardo Elizabethæ marito defunctis, Rex, ſive conſuetudine vetere Moræ inductus, ſive (quod a multis traditur) ut filios, quos ex ea genuerat, legitimos faceret, [3] matrem eorum ſibi matrimonio junxit: filios ſtatim divitiis & honoribus auxit. Joannes [4] natu maximus Carictæ, [5] Robertus Taichiæ, [6] Alexander Buchaniæ Comites ſunt facti, adjecta etiam Badenacha. Nec hac munificentia contentus, [7] Comitiis ad Sconam indictis, obtinuit, ut, præ-

autem ille in Actis publicis nominatus, non Euſemiæ, ſed Elizabethæ filius erat natu ſecundus (quod eruditiſſimus Jo. Sagius in Præf. ad Drummondi Hiſt. monſtravit pag. 38.) ante paterni regni initium ſine ſobole exſtinctus.

1 *Ac duas filias*] Nobiliſſimus Cromartiæ Comes & Geo. Crafordius ex inſtrumentis authenticis oſtenderunt Robertum II. non duas modo, ſed ſex minimum filias ex Elizabetha Mora ſuſcepiſſe, Mariotam *ſcil.* Joanni Dumbario Moraviæ Comiti nuptam, Margaretam Joanni de Yla, Elizabetham Tho. Hajo Scotiæ Conſtabulario, —— Davidi Lindeſio Gleneſcenſi, Ægidiam Gul. Duglaſſio Nithiæ Comiti, & —— Joan. Leonti Glammiſiæ Regulo.

2 *Eamque Giſardo*] Commentitias haſce Giſardi cum Elizabetha Mora nuptias, a ſolo, quod ſciam, Buchanano memoratas, falſitatis manifeſte convincunt ſupra laudati ſcriptores, eaque quæ mox ſequuntur.

3 *Matrem eorum*] Ex charta Authentica Lutetiæ in Collegio Scotico aſſervata, atque a viris rei antiquariæ peritiſſimis examinata & excuſſa, evidentiſſime apparet Elizabetham Moram, ante annum 1365, *i. e.* ſex minimum annis, priusquam Robertus regnum inierit, & 22. quam deceſſerit Euſemia Regina, rebus humanis fuiſſe ſublatam. Unde, totius hujus fabulæ machinationem corruere funditus ac everti neceſſe eſt.

4 *Natu maximus Carictæ*] Celeberrimus Cromartiæ Comes quædam inſtrumenta adducit, regnante adhuc Davide Bruſſio ſcripta, in quibus Joannes, Roberti II. (tum Ierniæ Comitis) filius & hæres, Carictæ Comes appellatur.

5 *Robertus Taichiæ*] In decreto Ordinum mox memorando Robertus natu ſecundus Fifæ & Taichiæ Comes appellatur.

6 *Alexander Buchaniæ*] Hic Badenachæ Regulus a patre appellatus eſt anno 1371, juxta Cromartii Vind. Rob. III. pag. 33. Comes vero Buchaniæ anno 1374, inquit Geo. Crafordius, Nobil. Scot. pag. 47. niſi forte pro 1374, 1384; ſit legendum; in Regiſtro enim Moravienſi fol. 51. inſtrumentum reperio, anno 1380, 11 Octob. ſcriptum, quo a Notario publico & a ſe ipſo ſæpius Badenachæ Dominus, nunquam vero Buchaniæ Comes, vocitatur, quem tamen honoris titulum, ſi tum adeptus fuiſſet, haudquaquam omiſſurus videtur.

7 *Comitiis ad Sconam indictis*] Exſtat hujus Conventus decretum 4 Aprilis anni 1373, uti ſupra indicavimus, de legitima regni ſucceſſione; quod quamvis Buchananus hic reſpiciat, nunquam tamen legiſſe videtur; nam ſi illud vel leviter oculis uſurpaſſet, totius commenti impoſturam detegere ei facile fuiſſet. Primum enim Joannes Carictæ, Robertus Fifæ & Taichiæ Comites, & Alexander Badenachæ Regulus, prima Roberti II. uxore geniti diſertis verbis memorantur. Deinde in eo decreto expreſſe teſtatum exſtat, quod

præteritis Euſemiæ liberis, in Rege creando gradus ætatis obſervarentur: quæ res poſtea tam numeroſam familiam prope extinxit.

XLIII. Biennio fere proximo, cum nec certa pax, nec bellum eſſet, levibus incurſionibus, ac prope latrociniis utrinque certatum eſt. Interea deceſſit Eduardus tertius. Ei ſucceſſit Richardus ſecundus, nepos ex Eduardo filio, Burdegalæ natus: regnum iniit undecimo ætatis anno: [1] quo tempore legati Caroli quinti Francorum Regis in Scotiam venerunt. Cauſſa adventus eorum fuit, ut vetus fœdus cum Roberto renovarent, eumque hortarentur, ut Angliam aggreſſus, Franciam aliqua ex parte bello levaret. Interim dum conventus eis exhibetur, Alexander Ramiſæus, ut Angli ex Froſſardo narrant, quadraginta ſelectis juvenibus comitatus, nocte intempeſta, ſopitis vigilibus, Bervici arcem cepit, omnibus, qui eam tenebant, aut cæſis aut captis. Oppidani inopinato malo icti, accito Percio cum X. millibus armatorum, arcem undique obſidione clauſam acriter oppugnant. Harum rerum nuncio ad conventum Scotorum perlato, Arcibaldus Duglaſſius, de periculo propinqui ſui ſollicitus, quingentis tantum equitibus comitatus, eo advolat: ſed, intercluſo ad obſeſſos omni aditu, nulla re geſta diſceſſit. Arx, poſtquam per dies aliquot valide fuiſſet defenſa, tandem vi capitur: in omnes, præter unum Alexandrum, ſævitum eſt. Hæc illi. Noſtri opera ſex hominum plebejorum e Marcia arcem captam, ac deinde, cum eam tenere non poſſent, relictam tradunt.

XLIV. Non adeo diu poſt conventum [2] *Gulielmus* primus Duglaſſiæ Comes, coactis viginti millibus hominum, Angliam ingreſſus, Pennerum oppidum frequentibus nundinis ex improviſo cepit, diripuit, incendit: exercitumque ſpoliis oneratum incolumem reduxit: & cum præda peſtilentiam domum retulit, quæ, quanta nunquam alias vi, biennio per totum regnum ſævit. Angli, ut parem cladem Scotis rependerent, Solvæo tranſmiſſo, Scotiam ingreſſi. Talbotus, dux acerrimus, quindecim millia militum ducebat: hoc numero fretus, longe lateque populando vaſtitatem faciebat. Cum exercitum præda gravem reduce-

quod antea monebamus, Joannis *ſcil.* Comitis Carictæ *jus ſucceſſionis, in parliamento immediate præcedenti* (anno *videl.* 1371) *plene fuiſſe declaratum.* Quod utrumque Buchanani verbis e diametro pugnat.

1 *Quo tempore legati Caroli Quinti*] Carolus V. Francorum Rex vetus cum Scoto fœdus renovaverat 30 Junii 1371. Vid. Fœd. Angl. Tom. 6. pag. 696. Traitez d'entre les Roys de France, *&c.* pag. 295. & Abercrombium vol. 2. pag. 169. Neque ulla ſuppetebat ratio cur iiſdem Regibus vivis illud iteraretur. Quamobrem hanc fœderis renovationem inter Robertum II. & Carolum VI. qui patri anno 1380, ſucceſſerat, factam arbitror; quod & accuratus Extractorum compilator diſerte affirmat, qui eum in finem Valterum Vardilaum Epiſcopum Glaſguenſem, Archibaldum & Jacobum Duglaſſios Equites, & Adamum Cunigamium Decanum Eccleſiæ Aberdonienſis ad Gallum legatos miſſos tradit anno 1381. Huic Boethius & Abercrombius ſuffragantur.

2 *Gulielmus primus Duglaſſiæ Comes*] In omnibus libris perperam hic & Lib. IX. 45 & 46. *Jacobus* legitur: at primo Duglaſſiæ Comiti *Gulielmo* nomen fuiſſe, non alii tantum noſtri ſcriptores univerſi affirmant, ſed & ipſe Buchananus, Lib. IX. 39. & 47. Rem vero extra dubium ponunt hujus Comitis literæ & inſtrumenta, quorum nonnulla mihi ſunt viſa.

duceret, non longe a finibus Angliæ, in valle anguſta caſtra poſuerat. In eas anguſtias Scoti plus minus quingenti noctu ingreſſi, in ſecuros & imparatos, & magna ex parte inermes irruerunt: ac primo impetu obviis trucidatis, tumultu vero & pavore latius fuſo, totum exercitum in fugam vertunt. Multi ibi occiſi: [1] ad ducentos & quadraginta capti: plurimi, ut in ſubita trepidatione, temere [2] flumen ingreſſi periere: reliqui præda exuti, qua cuique proximum fuit, domos rediere.

XLV. Cum interea bellum, terra marique, maximis viribus cum Gallis ab Anglo gereretur, ac præterea pars virium Anglicarum [3] in Luſitaniam mitteretur, ex conventus publici decreto, miſſus eſt in Scotiam Joannes Lancaſtriæ Dux, Regis Angli patruus, qui de pace ageret, ut, tot bellis undique circumſtrepentibus, ab eo latere, quod maxime patebat, ſaltem quies eſſet. Miſſi a Scotis, jam de ejus adventu per fœcialem certioribus, qui cum eo transfigerent, [4] *Gulielmus* Duglaſſiæ, & [5] Joannes Dumbarius Moraviæ Comites. Induciæ [6] in triennium factæ. Sed dum ibi de pace agitur, civile bellum in Anglia longe graviſſimum exarſit. Primus auctor fuiſſe dicitur, Joannes cognomento Ballus, ſacrificulus. Is cum plebis animos, ob quatuor nummos Anglicos in capita ſingulorum imperatos, vehementer offendi videret, primum in confeſſionibus & ſecretis conventiculis oblique, mox, ubi ſermonem ſuum non ingratum auribus ſenſit, aperte cœpit vulgus adverſus proceres inflammare. Accedebat ad recentem cauſſam alia vetuſtior, quod magna ruſticæ plebis pars propemodum ſervilis conditionis erat. Ad hos cum ſe adjunxiſſet magna opificum manus, & aliorum, qui nec in re nec in fama, quod perderent haberent, tantum injecere tumultum, ut in magnum ſummæ rei periculum fuerit deventum. Hæc cum in Concilio legatorum nunciata eſſent, tamen [7] utrique rem tamdiu diſſimularunt,

1 *Ad ducentos & quadraginta*] Extr. 340, Boëthius 400 captos tradunt.

2 *Flumen ingreſſi*] Forte legendum *flumen Solvæum ingreſſi*, quod alii exprimunt.

3 *In Luſitaniam*] Male hic ſubducuntur a Buchanano temporum rationes: claſſis enim Anglica in Luſitaniam miſſa eſt anno demum 1381. Vid. Volſing. pag. 534. Joannes autem Lancaſtriæ Dux Scotiam invaſit menſe Sept. anni 1380, cum Scotiſque inducias pactus eſt a primo Novembris ejuſdem anni ad 30 Novemb. anni ſequentis. Fœd. Angl. Tom. 7. pag. 276.

4 *Gulielmus Duglaſſius*] Ita reponendum ſupra monuimus, & ipſa conventio Fœd. Angl. loc. cit. diſertim teſtatur.

5 *Joannes Dumbarius*] Non ille, ſed ipſius frater Georgius Dumbarius Marciæ Comes. Omiſſi autem ſunt Valterus Fani Andreæ, & Joannes Caledoniorum Epiſcopi, & Archibaldus Duglaſſius Gallovidiæ Regulus, qui una cum prædictis Comitibus Duglaſſiæ & Marciæ a Rege Scotorum legati ſunt miſſi. Notandum vero, priuſquam hæ unius tantum anni induciæ exiiſſent, eas 18. Junii 1381 renovatas atque in biennium productas fuiſſe. Legatorum vero ad eas capiendas miſſorum Principes fuere, hinc Joannes Carictæ Comes, illinc Lancaſtriæ Dux.

6 *In triennium*] Utraſque inducias conjunctas intellige, ſecus enim hæ poſtremæ, de quibus Buchananus agere videtur, duorum tantum annorum erant, a die *ſcil.* Divo Andreæ ſacro, anno 1381, ad Purificationem B. Virginis anno 1383, *i.e.* ex ſupputatione Romana 1384.

7 *Utrique rem tamdiu diſſimularunt*] Negant ſcriptores Angli, Scotos de hoc civili bello quicquam reſciſſe; additque inſuper Valſingamius eos doluiſſe ſe non prius

de

runt, donec de pace tranſegiſſent. Tum Duglaſſius Lancaſtrio infit; „Se, „quo in ſtatu res Anglorum ſint, jam ab initio uſque ſciſſe. Tamen tantum „abeſſe, ut momenta temporum, vel ad bellum gerendum, vel ad pacem com„modius conficiundam captarent: ut etiam nunc, ſi opus eſſet, quoad tumul„tus ceſſaret, tutum ei ſit hoſpitium: vel, ut tutius rediret, quingentos equi„tes, qui eum deducerent, dare ſint parati. Lancaſtrius, etſi neutra conditione ut uteretur ſibi in præſentia opus fore ſperaret, tamen prolixe gratias egit. Verum, cum domum rediens, Bervico ab urbis præfecto excluderetur, accepta fide publica in Scotiam ingreſſus, ibi, dum ſeditio popularis conquieſceret, ſe continuit.

XLVI. [1] Induciis triennalibus finitis, anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo quarto, [2] menſe Januario, Arcibaldus Duglaſſius Gallovidianus, adjuncto ſibi *Gulielmo* Duglaſſiæ, & Georgio Marciæ Comitibus, obſedit Mabanum, arcem ad lacum ejuſdem nominis ſitam, unde prope quotidianæ excurſiones in agros propinquos fiebant. Præfectus arcis, repentino malo ictus, cum hoſte pepigit, ni intra octavum diem auxilia ſibi advenirent, ſe eam deditúrum. Deinde, cum ad nonum uſque diem, cum ſumma moleſtia, propter hibernas procellas & continuos imbres, Scoti ibi perſtitiſſent, [3] quarto die Februarii ex pacto arx dedita eſt. Qui proxime Rosburgum accolebant, metuentes ne & illa arx ſimiliter opprimeretur, curant Graſtocum, hominem nobilem & copioſum, & qui in re militari apud ſuos magnum nomen habebat, ei arci præficiendum. Is cum non modo commeatus amplos, ſed omnem domeſticam ſupellectilem illo mitteret, ratus nec alibi eam commodius ad ſuos uſus, neque tutius ab hoſte ſervari poſſe; Dumbarius, cum & iter & diem per exploratores reſciſſet, inſidiis commode locatis, longum agmen, & confuſum ex militibus, plauſtrariis, & vulgo promiſcuo invadit, ac ſine pugna, magna præda cum ipſo domino potitus, ſtatim ſe recepit. MCCC LXXX IV.

XLVII. Anglus, ut damna accepta ulciſceretur, & incurſiones reprimeret memorabili aliqua calamitate, Lancaſtrium cum ingenti terreſtri navalique apparatu in Scotiam mittit. Lancaſtrius ipſe per Marciam & Lothianam Edimburgum uſque venit. Claſſis ad Fifæ maritima pervaſtanda miſſa. Militibus Edimburgum volentibus incendere, Dux memor, ante paucos annos illic ſe a ſuis excluſum, benigne & hoſpitaliter fuiſſe tractatum, ignem tectis arcuit. Non fuit eadem humanitas in copiis navalibus: nam Æmonam inſulam ingreſſi, cœnobium monachorum direptum incenderunt; ſimilique crudelitate uſi ſunt in omni-

de eo certiores factos, quam inducias haſce iniiſſent. Et ſane difficile dictu eſt, an ejus rei fama ad Scotorum aures tum permanaſſe credendum ſit, cum hæc tumultuantis plebis rabies exeunte Majo primum eruperit, de induciis autem, uti diximus, 18 Junii ſit concordatum.

1 *Induciis triennalibus*] Vid. pag præced. Not. 6.

2 *Menſe Januario*] Alii noſtri ſcriptores tempus accurate non definiunt. Menſe autem Januario Mabanum obſeſſum ægre crediderim, nondum enim tum induciarum tempus exierat.

3 *Quarto die Februarii*] Boëthius obſidionem in tertium menſem productam tradit: Vintonus & Ballendenus, niſi quod menſem non deſignent, Buchanano conſentiunt.

omnibus locis, in quæ exſcenderunt: donec a Nicolao & Thoma Areskinis, Alexandro Lindeſio, & Gulielmo Cunigamio, multis cæſis, quibusdam captis, adeo trepida fuga in naves fuerant compulſi, ut, præter alia damna in ea feſtinatione accepta, quadraginta ſuorum, fune nautico, in quo pendebant, cæſo, ſubmergi ante oculos ſuos permiſerint. Vix Lancaſtrius domum ſe receperat, cum Gulielmus Duglaſſius, prope veſtigiis ejus inſiſtens, arcibus, quas Angli in Scotia poſt Dunelmenſe prælium tenuerant, partim captis, partim dirutis, Teviotiam omnem, præter Rosburgum, Scotis reſtituit: ac latrocinia per licentiam bellorum graſſantia compeſcuit. Nec ipſe diu his rebus ſuperfuit, febre in arce Duglaſſiæ extinctus. Succeſſit ei [1] *Jacobus* Duglaſſius, filius omni virtutis genere tanto patre dignus.

XLVIII. Interea, cum annuæ induciæ prope Bononiam Belgicam fuiſſent factæ inter Francos, Anglos, & Scotos, Francique, quibus erat mandatum, ut ea de re Scotos facerent certiores, negligentius ſe geſſiſſent; proceres Anglorum Scotis finitimi, locum ſibi datum rati, ut magna aliqua clade hoſtem ex improviſo afficerent, nec, ante induciarum denunciationem, ſpatium ulciſcendi ei relinquerent, cogunt ad decem equitum, ſex ſagittariorum millia: ac Scotiam ingreſſi, ducentibus Northumbriæ & Notingamiæ Comitibus, late fuſa populatione omnia vaſtant; ſed præcipue Duglaſſiorum & Lindeſiorum agros. Scoti, qui rumoribus acceptis de induciis, omnem belli cogitationem abjecerant, vehementer & ſuæ negligentiæ & hoſtium perfidiæ irati, quam primum poſſent ultum ire ſtatuunt. Rumor interim incurſionis Anglorum, Francos, qui renunciare juſſi erant inducias, ſuæ tarditatis admonuit. Hi cum ſera feſtinatione ſuperiorem ceſſationem corrigere contenderent, ac in ipſo incurſionis ardore Londinum veniſſent, ibi benigne & hoſpitaliter excepti, ac blandis & amicis invitationibus retenti, donec reſcitum eſt Anglos ex hoſtico reverſos eſſe. Tum demum dimiſſi, cum in Scotiam veniſſent, ac mandata expoſuiſſent, pleraque omnis Nobilitas, ac maxime qui recentiſſimæ cladis damna ſenſerant, fremere, eamque ludificationem Anglorum non ferendam clamare. Eos cum Rex fruſtra placare conaretur, ac induciis omnino ſtaturus videretur, illi rem diſceptando prolatant, donec clam per amicos quindecim fere millibus equitum collectis, ſtato die, Duglaſſius & Lindeſius ac Dumbarius clam ex aula ſecedunt, & cum ſuis conjuncti, Angliam infeſto exercitu ingrediuntur: & vaſtato Northumbriæ ad Novum caſtrum uſque agro, per Comitis Notingamiæ & Maubraiorum [2] ditionem reverſi, quicquid ferro flammaque fœdari potuit, corrumpunt ac diruunt. Tum demum cum ingenti hominum pecorumque præda ſe domum conferunt, ac ſtatim inducias publicandas curant.

MCCC LXXXV. XLIX. Sub earum finem, anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo quinto, venit a Rege Gallorum miſſus Joannes Viennenſis, claſſis Gallicæ præfectus, cum

1 *Jacobus Duglaſſius*] Ita ab aliis omnibus & Buchanano etiam ipſo Lib. IX. 49. 55. & 56. appellatur: libri tamen omnes neſcio qua incuria *Gulielmum* hic vocant.

2 *Ditionem*] Vid. ſupra Lib. I. 43

1 *Sexa-*

cum auxiliariorum circiter duobus millibus: e quibus centum erant equites cataphracti, ducenti, qui ſcorpionibus (quos poſterior ætas maluit arcubaliſtas appellare) tela mitterent: cæteri pedites promiſcui generis erant. Attulerant & pecuniam in ſex menſium ſtipendia; præterea munera, & in iis quadringentas panoplias, quæ viris fortibus dividerentur. Is, convento Rege, Northumbriam una cum Jacobo Duglaſſio ingreſſus, tribus arcibus dirutis, cum ulterius progredi vellent, largioribus per autumnum fuſis imbribus, redire coguntur. Acceleravit etiam eorum reditum certus de Richardo Anglo rumor. Majore enim quam unquam alias ira in Scotos incenſus, quod non modo ipſi regnum ejus omni belli clade infeſtarent, ſed peregrinos etiam arceſſiſſent; & eo tempore potiſſimum, quo Gallus in Angliam cum infinita multitudine hominum tranſmittere parabat. Anglus igitur, maximo exercitu coacto, in[1] quo ſcriptores eorum ſexaginta millia peditum, octo equitum fuiſſe tradunt, ſtatuerat ita Scotorum vires frangere, ut in multos poſt annos exercitum conficere non poſſent. Magnam præterea claſſem cum commeatibus Fortham ſubire jubet: quod ſciret eam Scotiæ partem, quam ingreſſurus erat, bellis continuis per multos annos exhauſtam; & ſi quid reliqui eſſet, incolas id in regiones proximas comportaturos. Securus præterea de Gallo erat, quem ſciebat hibernis tempeſtatibus ſe non commiſſurum. Cum illis copiis Scotiam ingreſſus, nulli loco neque ſacro neque profano; nulli homini, qui modo militari eſſet ætate, parcebat. Interea Joannes Vienneníis, qui magis quid Rex ſuus diſcedenti mandaſſet, quam quid Scotorum res poſcerent, meminiſſet, cum Duglaſſio aſſidue agebat, ut prælio decerneret. Ille, cum ſæpe reſpondiſſet, Scotos non ob animi aliquam erga Gallos alienationem, ſed ob infirmitatis ſuæ conſcientiam, prælium detrectare, eum tandem in locum arduum, unde tuto ſpeculari poſſet hoſtium agmen, ſubduxit. Ibi cum longo ordine tranſeuntes Anglorum copias oculis perluſtraſſet, facile in Duglaſſii ſententiam deſcendit. Proximum eis viſum eſt, ut, qua ſola ratione hoſti nocere poſſent, ipſi pro tempore confectis copiis Angliam adorirentur. Ingreſſi diverſiſſimo a Regis exercitu itinere, Cumbriam regioneſque ei propinquas longe lateque populantur.

L. Angli, Lothiana omnibus malis afflicta (nam ne commeatibus deficerentur, non audebant longius a ſua claſſe diſcedere) cum jam inſtante hieme de reditu conſultarent; erant, qui Scotorum veſtigiis inſiſtendum, & in reditu ad certamen (velint, nolint) pertrahendos exiſtimarent. Viarum periti ex adverſo oſtendunt, „Itinerum per paluſtria & montoſa difficultatem, & plerumque anguſtias, omniumque rerum tantam inopiam, ut vix tranſitus eſſet paucis & expeditis, qui ſecum commeatus in aliquot modo dies comportarent; „deinde, ſuperatis viarum difficultatibus, proximam, quæ eos exciperet, regionem, non admodum natura fertilem, & ab hoſtibus vaſtatam: &, ubi „his malis perfuncti fuerint, cum hoſte levi & procurſatore rem futuram, quem „difficilius eſſet invenire, quam, ſi prælio ſe committat, vincere; quique in-

1 *Sexaginta millia*] Fidem pene ſuperat Volſingamius; qui trecenta equitum (ſive equorum) millia in eo exercitu fuiſſe ſcribit.

„inventus, niſi ſuis locis, cogi ad pugnandum non poſſet. Ejus rei periculum „ab Eduardo tertio ejus avo factum, cum Anglorum maximo, nullo Scotorum „incommodo. His auditis, & omnium animo obverſantibus aliis, quæ fert hiems in ſolo frigido malis, & ſubeunte, quæ cuique domi ſunt cara, pignorum memoria, facile de ſententia diſceſſerunt; & qua venerant recta domos pergunt. Ita utrique libere in hoſtico prædati, nuſquam hoſte conſpecto, ad ſua ſunt reverſi.

LI. Scoti, cum pro certo haberent, Anglos uſque ad proximam æſtatem in expeditionem non prodituros, [1] Rosburgum aggredi decreverunt, oppidum propinquum, & longe proximis regionibus infeſtiſſimum. Eo cum frequentes conveniſſent, de oppido nondum expugnato diſſidium inter Scotos & Francos eſt ortum. Galli enim, cum in oppugnationibus urbium Scotis eſſent, ex multo uſu bellorum domeſticorum, peritiores, magnoſque ſumtus in id bellum impendiſſent, oppidum, ſi caperetur, æquum cenſebant ſui juris & Gallicæ ditionis eſſe. Scoti contra, „Iniquum eſſe contendebant, ut præmium univerſi „belli penes auxiliarios eſſet: quos autem ſumtus fecerint, eos non Scotis, „ſed ſibi Gallum impendiſſe, ut hoſtium vires diſtraheret: & partem belli a„verteret a Gallia. Quod ſi ad calculos placeret revocare amicorum officia, „juſtius Scotos a Gallis totius belli impenſas poſſe repetere, quam eos auxilii „lati præmia poſtulare, ac ejuſmodi præmia, quæ nulla memoria vel data, „vel petitâ ab amicis, vel audierimus, vel legerimus. Poſtulationis autem ini„quitatem vel inde facile apparere, quod Scotis integrum fuiſſet per Anglos „in pace conquieſcere, ac Regum potentiſſimorum inter ſe bellantium ſeſe ſpecta„tores præbere: Gallis non idem licitum fuiſſe, niſi bona Galliæ parte cedere „voluiſſent. Nec ſe videre, cui uſui ejus oppidi poſſeſſio Gallis eſſe poſſet, niſi „ut (velut fræno injecto) pacis bellique arbitrium penes ſe eſſe vellent. Quod „ſi id eorum conſilium eſſet, non ſolum utilius, ſed etiam honeſtius Scoto„rum Regibus eſſe eo carere, quam tam levi de cauſſa in ſervitutem ſe volun„tariam dedere. Sin tam iniqua petitione Galli reditum ad ſuos, quem jam pri„dem moliuntur; excuſare conentur, nihil hac excuſatione opus fuiſſe: nam, „ut ultro advenerunt, ita ſuo eis arbitrio ſemper licuiſſe diſcedere. Neque quen„quam morari, quo minus abeant, quando eorum, ſi inviti manſerint, ope„ram inutilem fore proſpiciant.

LII. Ita reditum eſt a Rosburgo re infecta: & cum antea ſæpe graves querimoniæ utrinque fuiſſent, tum, (ſi diutius res in eo ſtatu permanſiſſent) aperte inde inimicitiæ videbantur orituræ. Origo autem diſſenſionum ex diverſa utriuſque in bello vivendi conſuetudine proceſſit. Scoti enim & Angli non minus verecunde & continenter in bello, quam in pace apud cives ſuos agunt, & bona fide ab hoſpitibus accepta ſolvunt: Franci vero, quaſi publice permiſſo-

1 *Rosburgum aggredi*] Abercrombius Boëthium ſecutus Rosburgum non anno 1385, quod Buchanani verba innuunt, ſed ſequente 1386, obſeſſum exiſtimat: ego vero Buchanano aliiſque ſcriptoribus, tam Scotis quam Gallis, potius aſſentior: qui Gallos eodem quo in Scotiam venerant anno ad ſuos rediiſſe tradunt.

1 *Co-*

miſſo latrocinio, quacunque tranſeunt prædas agunt; & qui a pueritia huic vivendi rationi aſſueverunt, quod ſemper factum viderunt, jure fieri putant. Itaque ante id tempus, cum nec Franci a ſolita rapacitate ſe continere, nec Scoti inſolitam ſervitutem ſuſcipere poſſent, ſæpe rixæ, atque interdum pugnæ, aliis aliena rapientibus, aliis ſua tuentibus, conſerebantur. Tum, poſt hanc ad Rosburgum alienationem, cum Gallorum pabulatores, tanquam brevi diſceſſuri, majore quam antea licentia raperent, & ruſtici indignati ſe paucis & peregrinis prædæ eſſe, jumenta ſæpe abſtrahebant, miniſtros pabulatum miſſos, & milites vagos vulnerabant, atque interdum occidebant. Querimoniis ad Concilium relatis, uno omnium agricolarum conſenſu reſpondetur; „ Se „ gravius a Gallis, qui ſe dicerent amicos, quam ab Anglis, ex profeſſo inimi- „ cis, expilari: itaque, non prius peregrinos diſceſſuros, quam data damna com- „ penſarent. Nec ab hac pertinacia a Duglaſſiis, hominibus maxime popularibus, deduci potuerunt. Remiſſo igitur exercitu, dux in Scotia retentus, donec omnibus eſſet perſolutum. Galli cum ad [1] Calendas Novembres vela feciſſent, Scoti, ſive laboribus bellicis ſuperioris anni fatigati, ſive præda tot ſecundis expeditionibus ſatiati, ea quidem hieme quieverunt.

LIII. [2] Proximo vere, Gulielmus Duglaſſius, Arcibaldi Reguli Gallovidiani filius, in Hiberniam navigavit, ut crebras Hibernorum exſcenſiones in Gallovidiam factas, & in præſentia ulciſceretur, & in poſterum prohiberet. Erat is Gulielmus Scoticæ juventutis omnibus corporis & animi virtutibus longe primus: ingens corpus, & perinde vires, formaque (quod in tam vaſta magnitudine raro ſolet evenire) cum virili dignitate grata. Acceſſerant ad hæc belli decora: ſæpe cum paucis longe plures hoſtium aggreſſus, victor evaſerat; nec in ulla fuit expeditione, in qua virtus ejus non enituerit. Atque hæc bona, quæ in pleriſque ſolent eſſe invidioſa, comitas & modeſtia, omnibus ut grata eſſent, efficiebat. His ejus virtutibus Rex, etſi nothum eum eſſe non ignoraret, tamen impulſus, Ægidiam filiam, raræ in illa ætate pulchritudinis exemplum, & a multis nobiliſſimis juvenibus expetitam, ei collocavit, Nithiamque, Gallovidiæ proximam regionem, dotis nomine dedit. Igitur cum ad Kerlinfordam, oppidum ut in ea gente opulentum, ſuos expoſuiſſet, res improviſa magnum oppidanis terrorem attulit; adeo ut ſtatim ad eum miſerint, qui de conditionibus agerent. Nec Duglaſſius abnuit: interea, de hoſte ſecurus, Robertum Stuartum Duriſderanum cum ducentis militibus miſit, ad comme-

1 *Calendas Novembres*] Joannes Major tres duntaxat menſes Gallos in Scotia moratos affirmat: Boëthius vero, cui Abercrombius ſuccenturiatur, anno demum 1386 ſolviſſe tradit: atqui, ut modo dictum eſt, potior mihi hac in re Buchanani aliorumque fides videtur.

2 *Proximo vere*] *i. e.* anno 1386. Extractorum vero auctor hanc Gulielmi Duglaſſii in Hiberniam expeditionem in annum conjicit 1388: quod & ea, quæ apud Buchananum mox ſequuntur, exigere videntur. Nam, Duglaſſium, ſtatim ut ex Hibernia redierat, ad patrem adverſus Anglos profectum feſtinaſſe ſcribit. Ea autem in Angliam expeditio, quæ memorabili ad Otterburnum prælio cauſſam dedit, omnium ſcriptorum ſuffragio in annum incidit 1388.

meatus in naves importandum. Oppidani tempus ad conſultandum nacti, auxilia a Dundalco arceſſunt: Miſſi quingenti equites: eo ſubſidio oppidani aucti, & ipſi bipartito in hoſtem ducunt: ut, omnibus videlicet cæſis (quod multitudine freti perfacile factu putabant) etiam navibus potirentur. Sed utrobique victi, oppidum captum, direptum & incenſum. Quindecim navigiis, quæ in portu ſtabant, ſpoliis urbis oneratis, atque obiter Manna inſula ſpoliata, ad lacum Rianum, qui partem Gallovidiæ a Caricta dirimit, appellunt. Ibi ſtatim Duglaſſius cum reſciſſet [1] patrem ſuum in expeditionem adverſus Anglos profectum, eo & ipſe quantum poteſt feſtinat. Fuerat autem ea expeditio hac maxime de cauſſa ſuſcepta.

LIV. Richardus Anglus, cum Scotiam ſuperiore anno fuiſſet ingreſſus, nec quicquam ſacri aut profani inviolatum omiſiſſet, domum reverſus, in maximam ſeditionem incurrit, quæ omnem totius regni ſtatum immutavit. Huic malo ut mederetur, cum magiſtratus, præfecturas provinciarum, & minorum rerum curationes (ut in hoc genere fieri ſolet) ab aliis in alios tranſtuliſſet, ea ratione odiorum incendia non tam fuerunt extincta quam tecta, & in tempore mox eruptura. Scotia contra tranquillitate ſumma fruebatur, ſed incerta: nam & juvenum robore florebat, nec alia ætas imperatorum feracior erat. Nobilitas igitur belli avida, in omnibus cœtibus fremebat, tantam ulciſcendi veteres Anglorum injurias opportunitatem negligi, quam illi nequaquam rebus noſtris perturbatis præterituri eſſent. Robertus autem Rex, homo natura quietior, & ob ingraveſcentem ætatem ad bella ſuſcipienda tardior, publicis injuriis [2] non ſatis permoveri videbatur: Joannes ejus filius natu maximus, ingenio ſegnis, & equi [3] percuſſu claudus, ad labores caſtrenſes perferendos parum credebatur idoneus. Ad Robertum Fifæ Comitem natu proximum fit procerum concurſus. Ibi, prope deplorato ſtatu publico, facile inter omnes convenit, ulciſcendam eſſe cladem nuper acceptam. In id cum quiſque alacriter operam ſuam offerret, delectus indicitur [4] in proximas Nonas Aug. ſed occultus, ut utrumque Regem, & Scotum & Anglum juxta lateret. Sed Anglos res minime fefellit: qui cum per exploratores rem, diem, locumque conveniendi comperiſſent, & ipſi contra ſimili dolo capere hoſtes conantur. Proceres enim cæteros admonent, ut ſuos quiſque paratos habeant, non in certum quidem diem, ſed quandocunque opus eſſet, ut ad ſigna convenirent.

LV.

1 *Patrem ſuum*] Humius pag. 107. patrem ejus Archibaldum mortuum tradit ante prælium Otterburnenſe, anno *ſcil.* 1387, quamvis ſuis immemor pag. 97. ei prælio interfuiſſe affirmaverat; quod & Vintonus diſertim teſtatur.

2 *Non ſatis permoveri videbatur*] Boëthius hanc expeditionem Regis ipſius juſſu & auſpiciis ſuſceptam tradit, quod & vero magis affine exiſtimaverim.

3 *Percuſſu*] Mirum hanc vocem in optimo Fabri Lexico non reperiri, quæ tamen Ovidii & Plinii auctoritate ſubnixa eſt.

4 *In proximas Nonas Auguſti*] Non video quomodo delectus in Nonas Auguſti indici potuerit, & tamen prælium Otterburnenſe, quod eo poſterius fuerat, 21 Julii ſit commiſſum, quod Buchananus expreſſe affirmat, Lib. IX. 58. & 63. ad quæ loca vide quæ nos annotavimus.

LV. His ita compoſitis, cum jam audirent, non procul a limite in Teviotia, Scotorum ad triginta, aut (ut vult Froſſardus) quadraginta millia conveniſſe, decreverunt (quoniam cum tanta multitudine congredi non auderent) nihil ante hoſtis adventum eſſe conandum: & , ut interim commodius celarent conſilium, domi quiſque ſuæ ſe continerent, dum animadverterent, in quam tandem regionem tanta ſe effunderet procella; ac tum demum ad eorum motus conſilia ſua accommodarent: & (quod autumno ſuperiore ab hoſte factum obſervarant) diverſam tum Scotiæ regionem ingreſſi, clade cladem rependerent. Interea mittunt exploratorem, qui de hoſte propinquo certiora omnia renunciaret: quod referre putarent plurimum, non modo inſtituta, ſed facta dictaque poſtrema cognoſci. Qui miſſus erat, cum ſermone, cultu, armatu nihil a cæteris differret, facile pro Scoto fefellit. Omnibus vero quæ ſcire intererat ſatis compertis, ad equum, quem arbori alligarat, rediens, eum furto ſibi ablatum eſſe deprehendit. Igitur ocreatus, penulatus, calcaria indutus, totoque habitu equeſtri, cum ſe pedes ad iter dediſſet, cœpit res eſſe ſuſpecta: eoque, cum longiuſcule abeſſet, miſſis equitibus, velut e fuga retractus; & interrogatus, quis & unde eſſet, quidve ita abiret, cum non ſatis conſtanter reſponderet, ad duces exercitus productus, metu gravioris pœnæ injecto, Anglorum conſilia eis aperuit.

LVI. Scoti ergo, his compertis, & ipſi rei agendæ ordinem mutant: exercitum dividunt ita, ut major pars Carleolum verſus iter intenderet, eique præeſſent duo Regis filii, [1] Fifæ & Jerniæ Comites; præterea Arcibaldus Duglaſſius Gallovidianus, Comiteſque Marriæ & Sutherlandiæ: alteram, quæ Northumbriam ingrederetur, ducerent Jacobus Duglaſſiæ, & duo fratres Dumbarii, Georgius & Joannes, hic Moraviæ, ille Marciæ Comites. Iis attributi trecenti equites, & duo millia peditum, præter equitum miniſtros. Singulos enim equites ſequuntur minimum ſinguli robuſti miniſtri, qui leviter armati equorum prope curſum adæquant, &, cum res poſcit, manum cum hoſte conſerunt. Diſpertitis ita copiis, qui in Cumbriam, & Carleolum verſus iter intenderant, cum exercitu valido cuncta ferrent agerentque, hoſtem obvium non habuerunt. Duglaſſio, in diverſa parte omnia vaſtanti, non eadem fortuna fuit. Expeditionis enim ſuæ rationem ita inſtituerat, ut, quam magnis & occultis poſſet itineribus, [2] tranſmiſſa Tina Dunelmum præteriret, ac tum demum po-

1 *Fifæ & Ierniæ Comites*] Solus, quod ſciam, Buchan: eumque ſecutus Humius Ierniæ Comitem nominant: rectius tamen quam Boëthius & Major, qui Fifæ & Taichiæ Comites alteri exercitui præficiunt, ex uno duos facientes. Robertus enim poſtea Albiniæ Dux Scotiæque Gubernator geminum tum hunc honorem gerebat, uti ex innumeris ipſius Actis publicis conſtat.

2 *Tranſmiſſa Tina*] Crafordius legendum vult [*tranſmiſſo*] quorundam Grammaticorum, præſertim Deſpauterii, auctoritate fretus. At non audiendi Grammatici exemplis deſtituti, vel potius leges eis contrarias ingerentes. Fluviorum enim nomina in *a* exeuntia ſæpius fœminina eſſe oſtendit Lucanus VII, 409:

Et damnata diu Romanis Allia faſtis.

Et Ovid. Art. Aman. I. 414.

——— *Qua flebilis Allia luce*
Vulneribus Latiis ſanguinolenta fuit.

Vide & alia apud Voſſium & Jonſonum, qui eum proxime a Solœciſmo abfuturum arbitrantur, qui hanc vocem ſe-

populationi ſe daret. Id ab eis tanta cum celeritate & ſilentio factum eſt, ut primum ubi eſſent hoſtes ex incendiorum fumo intelligerent Angli. Percius ſenior, in Northumbria & vicinis regionibus auctoritate & opibus longe princeps erat. Re ad eum delata, duos filios juvenes impigerrimos, Henricum & Rodulphum, ad Novum caſtrum præmittit, cæteris eo convenire juſſis, eo maxime conſilio, ut Scotos reditu ad ſuos intercluderet. Illi vero, agro Dunelmenſi longe fertiliſſimo omni belli clade affecto, præda ingenti potiti, Tinam iterum tranſeunt, ad tria fere millia paſſuum ſupra Novum caſtrum. Ibi homines, domi nobiles, & gloriæ cupidi, & hoc qualicunque ſucceſſu elati, turpe ſibi ducebant, ſi ruſticis tantum, ac non etiam urbibus terrorem inferrent, ad Novum caſtrum adequitant: & oppugnationem comminati, contumeliis hoſtem elicerre tentant.

LVII. Cum biduum ibi reſtitiſſent, ac levia plerumque vario eventu certamina conſeruiſſent, unum tamen ac poſtremum, poſteriore die ſub veſperum, omnium ora oculoſque in ſe convertit. Ipſi enim duces, genere, opibus, ætate, atque animis pene pares, decorum exiſtimabant, ſe ab utroque exercitu ſpectari pugnantes. Igitur cum ex provocatione proceſſiſſent in medium Jacobus Duglaſſius & Henricus Percius, atque infeſtis haſtis concurriſſent, Percius equo dejicitur. Anglis ad auxilium concurrentibus, cum Duglaſſius hoſtem attingere non poſſet, haſta ejus potitur: atque eam quatiens, exclamat, ut facile exaudiri poſſet; „Se ſpolia ejus in Scotiam laturum. Ita diremta pugna, Scoti (ut prope urbem civibus frequentem, & hoſtium plenam) intentius egere vigilias. Poſtridie Scotiam verſus iter capeſſunt, ſed lente: graves enim ſpoliis erant. Præda dum paullum procedit, [1] arcem hoſtium propinquam expugnant, & diruunt: atque inde iterum iter ingreſſi, ad Otterburnum perveniunt: qui locus a Novo caſtro octo ferme millia abeſt. Ibi de reliquo itinere conſilium ineunt. Pluribus videtur, Carleolum verſus ad alterum exercitum eundum: neque (quod ab initio convenerat) certamen cum quoquam contrahendum, priuſquam omnes copiæ ſe conjungerent. Contra, Duglaſſius auctor erat, biduo aut triduo ibi manendum, ut rebus confutarent Percii magniloquentiam, qui affirmabat, eos non laturos in Scotiam ſuam lanceam: interea, ne otioſi eſſent, arcem propinquam oppugnari poſſe. Hæc ſententia, licet pluribus minus utilis videretur, tamen in Duglaſſii gratiam ab omnibus eſt recepta. Communitis igitur pro tempore caſtris, quæ ab una parte paludibus erant ſatis tuta, ad arcis oppugnationem animum intendunt.

LVIII. At Percius, [2] *cognomento Plexippus*, uti erat ingenio ferox, ut acceptam

ſoluta oratione maſculinam adhibuerit. [Recte vir doctus: hoc enim Poëtis tantum permittitur. ſic *Magnus Garumna* Tibullo I. I. *raucus Padusa* Claudian. Epith. Pallad. 109 *Formoſus Duria* de laud. Seren. 73. idem in montibus uſurpatum vidimus ad Ovid. IX. Metam. 165. & Buchananus ſecutus fere ſemper in hujus generis nominibus eſt genus, quod terminatio requirit: ſic lib. x. 17 *Faſcatellum Arx longe munitiſſima captum*; ubi licuiſſet certe *capta* dicere.]

1 *Arcem propinquam*] Penclaum Tyrellus appellat.

2 *Cognomento Plexippus*] Vide quæ nos ad Lib. X. 6.

1 *Du-*

ptam deleret ignominiam, ſtatim abeuntes ſequi cum præſentibus copiis cupiebat: ſed a ſenioribus metu inſidiarum eſt retentus. Neque enim veriſimile credebant, Scotos tam paucos urbem validam aggredi auſuros, niſi majores vires alicubi in propinquo latentes haberent. Eo die & proximo rebus magis exploratis, comperiunt a majore exercitu nihil timendum, ut qui longiſſime a Duglaſſianis abeſſet. Igitur Percius cum decem millibus fortiſſimorum virorum ſe in viam dedit, non exſpectato [1] Dunelmenſi [2] Epiſcopo, qui ea nocte adventurus dicebatur, ſatis virium ſe ratus habere ad debellandos hoſtes, qui plus minus dimidio pauciores erant. Cum jam primi Anglorum conſpicerentur, aliis Scotorum cœnantibus, aliis ab oppugnatione arcis propinquæ defatigatis, & ad quietem compoſitis, ſubito, Ad arma, clamatur. Dum reliqui armantur, peditum pars major, & complures ex equitum miniſtris, freti qualicunque illa munitione caſtrorum, impetus Anglorum ſuſtinent. Equites multum juvit res prius animadverſa: nam cum inter ſe diſputarent de exercitu hoſtium excipiendo (venturos enim exſpectabant) collem vicinum magno uſui ſibi fore vident: eum igitur circumvecti, dum Angli aditum caſtrorum oppugnant, in latus obliquum eorum invecti, late ſtragem, latius etiam tumultum fecerunt. Sed Anglus abundante numero, ſubſidiariis in aciem inductis, facile ordines reſtituit. Hic tamen tumultus hoc Scotis profuit, quod ſegniore interim pro caſtris pugna, ſpatium eis fuit egrediendi, & ſuam aciem explicandi. Interim nox utroſque oppreſſit: ſed admodum brevis, ut menſe Julio, & locis ad ſeptentriones exporrectis: &, forte cœlo ſereno, Luna prope pernox lucis diurnæ uſum præbebat. Pugnatur igitur acerrime, ut inter homines utrinque nobiles, & de gloria magis quam de vita ſollicitos. Percius ignominiam delere, Duglaſſius partum decus novo facinore illuſtrare contendebat. Ita utrinque, impari quidem numero, ſed pari animorum contentione, in multam noctem pugnatum eſt. Ibi obducta Lunæ nubes, cum diſcrimen, hoſtis, an amicus eſſet, ſuſtuliſſet, paullum intermiſſa pugna: Luna vero nubibus liberata, inferentibus ſe vehementius Anglis, Scoti pedem referentes, nonnihil loco ceſſere; ac Duglaſſii vexillum pene amiſere: cum ab altero cornu, duo Patricii Hepburnii, pater & filius, ab altero Duglaſſius per ſuorum ordines penetrantes, in primam aciem, ubi plurimum erat diſcriminis, pervolant, tamque atrox prælium cient, ut multis vulneribus illatis & acceptis, ſuos in locum unde pulſi erant [3] reſtituerent.

LIX. Nec Duglaſſius eo contentus, cum duobus comitibus, Roberto Harto,

1 *Dunelmenſi*] Libri omnes *Dunelmenſe* habent, nos vero in *Dunelmenſi* mutare non dubitavimus. Quamvis enim Soſipater Chariſius ex Cæſare, Plinio & Varrone hanc regulam ſibi confinxerit, *ſi*, inquit, *de perſona loquamur*, *in* e *fiet Ablativus*, *ſi vero de re alia*, *in* i, *ut* ab homine breve, *&* ab itinere brevi; cum tamen apud illſcriptores, nedum Buchananum ipſum, ullum ejuſmodi diſtinctionis reperiamus exemplum; nulla a recepta conſuetudine diſcedendi cauſſa ſubeſſe videbatur.

2 *Epiſcopo*] Libris omnibus irrepſit *Archiepiſcopo*: nos *Epiſcopo* repoſuimus, nullum enim Dunelmenſem Archiepiſcopum uſquam legimus. Vid. Lib. IX. 58. & XIII. 20.

3 *Reſtituerent*] Forte melius, *reſtituerint*.

1 Capto

to, & Simone Glendunino propinquo ſuo, in medios hoſtes irrumpens, vires animi robore corporis æquans, quacunque ſe objiciebat, circa ſtragem ingentem edebat. Amici, quanquam acriter contenderent, antequam ad eum penetrare poſſent, tribus lethalibus plagis ſaucium, atque humi dejectum comperiunt. Juxta eum jacebat multis plagis perfoſſus Hartus. Sacerdos autem, qui per omnia diſcrimina ei ſemper adhæſerat, corpus Duglaſſii, viribus defectum, ſecuri ab injuria tuebatur. In hoc ſtatu propinqui ejus, Joannes Lindeſius, Joannes & Valterus Sinclari, de eo cum rogaſſent, ecquid valeret, „Ego, inquit, recte valeo: morior enim, non in lecto ſegni fato, ſed quem„admodum omnes prope mei majores: illa vero a vobis poſtrema peto; pri„mum ut mortem meam & noſtros & hoſtes celetis: deinde ne vexillum meum „dejectum ſinatis: demum, ut meam cædem ulciſcamini. Hæc ſi ſperem ita „fore, cætera æquo animo feram. Illi ante omnia corpus amiculo, ne cognoſceretur, tegunt: deinde erectò vexillo, Duglaſſii nomen (ut mos eſt) quantum poſſunt, inclamant. Ad eam vocem tantus eſt factus concurſus, tanta alacritate in hoſtem incurſum, ut eum continuo ultra locum pugnæ longe propulerint. Nam ad nomen Duglaſſium, non ſolum vulgus, ſed Joannes Moraviæ Comes accurrerat, ab ea parte rem laborare credens. Jam enim adverſam ſibi aciem, [1] capto minore Percio, multis vulneribus ſaucio, & in caſtra ut curaretur miſſo, vehementer perculerat. Itaque, languidiore in aliis partibus pugna, Duglaſſiani, qui ad vexillum convenerant, Anglos, & viæ diurno labore, & nocturna pugna feſſos, diſſipant: & eodem impetu Henricum Percium ducem hoſtium capiunt. Eo amiſſo, cæteri ſine ordine ſe in fugam conjiciunt. Cæſi fuerunt in illo prælio, ex Anglis M. DCCC XL. vulnerati circiter mille, capti ad mille quadraginta. E Scotis cæſi centum, capti in fuga, dum pauci plures Anglos ſequuntur, ducenti.

LX. Jacobus Lindeſius Matthæum Redmannum Bervici præfectum, inter effuſe fugientes, ex armorum pulchritudine unum e potentioribus ratus, in eum curſum intendit: ille cum tria millia paſſuum fugiſſet, equoque jam laſſo, ſe curſu non ſperaret evaſurum, ſtatim ſe in pedes conjecit. Lindeſius ſine mora idem facit. Tandem poſt conflictum ſatis longum, Anglus genere armorum in-

1 *Capto minore Percio*] Froſſardus Radulphum Percium Flexippi fratrem captum tradit a *Jo. Makirel* cliente Comitis Moravii: quo nomine cum nullum e Scotis tum vel poſtea appellatum meminiſſet, Joan. Major pro Makirel Mariſcallum forte legendum exiſtimat. Quod & Boëthio, Ballendeno & Holinſhedio anſam dedit, utrumque Percium a Joanne Ketho Scotiæ Mariſcallo captum fuiſſe ſcribentibus. Sed non eſt quod incerta hic conjectura nitamur, cum ex ipſis actis publicis pateat Radulphum Percium non a Jo. Makirello (ſive Mariſcallum appellare mavis) ſed a Milcolumbo Drummondo Mariæ Regulo captum fuiſſe. Extat enim in Regiſtro Aberdonienſi fol. 113. Roberti III. ea de re inſtrumentum, in quo hæc verba occurrunt, *Sciatis nos in partem ſolutionis totius tertiæ partis redemtionis Radulfi de Percy Militis debitæ delecto fratri noſtro Malcolmo de Drummonde Domino de Marr, dediſſe & conceſſiſſe eidem fratri noſtro totum & integrum relevium*, videl. *DCC. marcarum nobis debitarum de terris de Strabolgy cum pertinentiis, per deceſſum quondam Johannis de Gordon Militis*, &c. *anno* 1394.

inferior, Scoto ſe dedidit: ab eo domum dimittitur, juratus intra viceſimum diem ſe rediturum. Hæc tum erat inter finitimas nationes adverſum captivos humanitas, quæ & hodie inter limitum accolas optima fide perdurat. Si quis ad diem dictum non redeat, hæc pœna eſt. [1] In congreſſibus, qui ob res repetundas fieri ſolent, qui deceptum ſe queritur, manus effigiem, aut chirothecam, in haſta oblonga omnibus conſpicuam circumfert. Ea ſumma apud ipſos infamia habetur: adeo ut qui fidem violavere, amicis propinquiſque fiant deteſtabiles: nec paullo honeſtior eos convictu, ſermone, aut domo ſua dignetur.

LXI. Lindeſius, captivo hac lege dimiſſo, magnam armatorum multitudinem conſpiciens, ad eos recta proficiſcitur, nec prius hoſtes eſſe cognovit, quam tam prope adequitaſſet, ut ſe recipere non poſſet. Erant autem Epiſcopi Dunelmenſis copiæ, qui, cum ad Novum caſtrum tardius veniſſet, quam ut Percium aſſequi poſſet, nec ante proximum diem eum cum hoſte congreſſurum putaret, ſuos per otium cœnare juſſit: ac paullo poſt cœnam iter ingreditur. Sed priuſquam procul ab oppido abeſſet, cum ex fugientibus de adverſo prælio reſciſſet, in oppidum reverſus, cum amicis de Scotis perſequendis conſultat. Decretum, ut ſub Solis ortum omnes in armis præſto eſſent: mane ad decem millia equitum peditumque promiſcui generis ex propinquis locis aderant. Hi animum Epiſcopo fecerunt, ut confeſtim ad hoſtes, quam proxime poterat, duceret, & eventum pugnæ tentaret: eos enim, & ſuperioris pugnæ, & diei qui eam præceſſerat labore, & pleroſque vulneribus feſſos, & ob ſecundum prælium negligentiores deprehenſurum ratus, non difficilem ſibi promittebat victoriam. Ejus adventu per exploratores comperto, Comes Moraviæ, quem omnes mortuo Duglaſſio unum intuebantur, convocatis illuſtrioribus, de captivis conſultat, quos ſemel in fidem receptos trucidare crudele videbatur, & ſervare turbam hoſtium prope ſuis æqualem periculoſum. Conſenſum eſt, ut, jurati dum confligeretur nihil moturos, & etiamſi a ſuis vindicati forent, captivos tamen permanſuros, in caſtris cum levi cuſtodia relinquerentur, quæ præſentem pœnam, ſi quid quis attentaret, de omnibus expeteret. His ita diſpoſitis, e ſuperiore victoria pleni animorum in aciem prodeunt, muniti retro paludibus, dextra lævaque concædibus. Illud etiam imperatum, ut, ſimul ac hoſtis appropinquaret, ſinguli buccina, quam e cornu bubulo ſuſpenſam a collo gerebant, quam poſſunt maximum clangorem ederent: qui ſonus, cum per ſe terribilis eſſet, etiam repercuſſu collium multiplicatus, longe majoris multitudinis ſpeciem reddebat. Angli, qui magno gradu venerant, inter ſtragem ſuorum pugnaturi, & horribili illo ſono, & alacritate hoſtium, in acie ex adverſo ſtantium, attoniti, cum neque dux militi ſubitario, neque miles duci imperito ſatis fideret, ſtatim retro unde venerant ſigna convertunt. Interea cum Lindeſius (uti dictum eſt) captus, & in Novo caſtro relictus, a Redmanno conſpectus & agnitus eſſet, cum ſumma humanitate habitus, domum liber dimittitur.

LXII.

1 *In congreſſibus, qui*] Ita omnino legendum, non vero, quod libri omnes exhibent, *qua*, in Syntaxin manifeſte peccantes.

LXII. Hoc tam repentino tumultu Scoti leviter defuncti, domum redire ſtatuunt. Radolphum Percium, quod graviter vulneratus, jactationem itineris ferre non poſſet, rogantem ut ad Novum caſtrum ad curandas plagas ire liceret, ac pollicentem, cum primum in equo laborem viæ ferre poſſet, quocunque a comite Moraviæ vocaretur, ſe venturum, fide (ut mos eſt) de reditu accepta, dimittunt. Ejus exemplum ſexcenti captivi ſecuti, venia impetrata ad ſuos redierunt: multi præterea e tenuioribus, ut ex quibus plus oneris, quam emolumenti ſperabatur, ſine pretio dimiſſi: e nobilioribus, Henricus, & cum eo [1] prope quadringenti retenti, & in Scotiam abducti: verum brevi fere omnes, quod ipſi ſibi ſtatuerunt pretium eo liberati. Ita illa ætate, ut ait Ennius, [2] *non cauponantes bellum, ſed belligerantes*, de libertate & gloria homines decertabant. Duglaſſii ac virorum illuſtriorum corpora, tertio die ad Mulroſſiam delata, pompa militari ſepulta ſunt.

LXIII. Hæc uti geſta ſunt, ad alterum, qui Cumbriam populabatur, exercitum nunciata, gratulationem de victoria turbarunt; ac prope omnem e ſecunda fortuna lætitiam in acerbiſſimum luctum commutarunt: ita enim deſiderium Duglaſſii militares homines affecit, ut non modo qui ipſum erant ſecuti, ſed alter exercitus taciturnus ac mœſtus, non ſecus ac ſi victus fuiſſet, domum ſe receperit. Accedebat etiam ad publicam commiſerationem, quod in ætatis flore, quod ſine liberis deceſſerat, ac prope ſolus a ſe partæ victoriæ fructu caruerit. Patrimonium defuncti ad Arcibaldum Gallovidiæ Regulum, cognomento Auſterum, devenit, & ipſum quoque gloria belli florentem. Hæc eſt illa ad Otterburnum pugna memorabilis, non ſolum militum ducumque in pugnando magnanimitate, perſeverantia, laborum tolerantia, & in victoria modeſtia; ſed vario maxime eventu, quod victor, in ſumma gloriæ exſpectatione morte præventus, ſui laboris fructu potiri non potuit; victus, etſi tum.

1 *Prope quadringenti retenti*] Froſſardus *quadraginta* tantum ſcribit; cui eo facilius accedo, quod cum ex 1040 prælio captis, ſexcenti venia impetrata ad ſuos redierint, ſi porro quadringenti in Scotiam ſint ducti, reſtabant ſolum e tenuioribus quadraginta ſine pretio dimiſſi, quorum tamen majorem numerum fuiſſe tum res ipſa, quum Buchanani verba haud obſcure innuere videntur.

2 *Non cauponantes*] Aptiſſime citatur hic verſus ex Ennio; verba enim ſunt celeberrimi ducis Pyrrhi Regis Epirotarum, atque de re ſimili, nempe de captivis reddendis, pronunciata; quæ cum Cicero Offic. I. 12. ſummis in cœlum laudibus tollat, non pigebit integra hic ſubjicere.

Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis,
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes;
Ferro, non auro, vitam cernamus utrique.
Voſne velit an me regnare Hera; quidve ferat Fors
Virtute experiamur: & hoc ſimul accipe dictum;
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum eſt:
Dono, ducite, doque volentibu' cum magnis Diis.

Hic quoque per tranſennam quaſi obſervare liceat, unicum hunc tota Hiſtoria quod meminerim, verſum a Buchanano, quamvis Poëta egregio, citari, quippe qui carminum interpolationes (qui nonnullorum mos eſt) a perſona ac gravitate Hiſtorici abhorrere recte ac ſapienter judicaverit.

1 XII.

tum profligato exercitu captivus, multos tamen annos ei pugnæ cum laude ſuperfuit. Pugnatum eſt, ad [1] XII. Cal. Aug. anno Salutis noſtræ M. CCC. LXXXVIII. MCCC LXXX VIII.

LXIV. Hac victoria paullo tranquilliore domi foriſque ſtatu publico, cum Rex per ætatem rebus gerendis non ſufficeret, atque eam de ſe opinionem, ex proxima expeditione, quam eo inconſulto ſuſceperant, intelligeret; Joanneſque ejus filius natu maximus, ingenio eſſet ſegni, & magis ad otium compoſitus, quam ad res arduas obeundas, habito conventu publico, Robertum Fifæ Comitem vicarium regni fecit, [2] & Gubernatorem appellavit: nam qui ante eum magiſtratum geſſerant, fere cuſtodes vocabantur. Henrico Percio, genere & factis claro, apud Scotos captivo, in locum ejus eſt ſuffectus [3] Comes Martialis, quem vulgo Mareſcallum vocant, homo verbis quam armis ferocior. Is, cum Scotorum in pugna Otterburnenſi virtutem elevaret, & Anglorum ignaviam graviter increparet, utriuſque gentis odium adverſum ſe concivit. Certe Robertus Scotorum Prorex, adeo illa ejus jactantia fuit offenſus, ut juſtam cauſſam duxerit, cur expeditionem adverſus eum ſuſciperet. Ingreſſus in hoſticum, una cum Arcibaldo Duglaſſio, tum Duglaſſiæ Comite, recta ad hoſtem, qui magno cum exercitu præſtolari dicebatur, duxit: atque, ubi eo pervenit, ſtatim pugnandi copiam fecit: ad morantem caduceatorem miſit, qui eum ad æquam certaminis aleam provocaret. Sed cum Martialis locis tutis, & acceſſu difficilibus ſe teneret, nec reſponſum caduceatori daret, Robertus, poſtquam aliquot horas aciem ſuorum oſtentaſſet, exercitum in agros

1 *XII. Cal. Aug.*] *i. e.* 21. Julii, quo menſe pugnatum ſupra innuit, Lib. IX. 58 quod cum iis quæ IX. 54. antea ſcripſerat, ægre convenire videtur. Fieri enim vix poteſt ut Scotorum proceres, qui delectum (quod ibi affirmat) non ante 5 Augusti indixerant, prælium cum Anglis 21 Julii ejuſdem anni conſeruerint. Froſſardus autem, quem hac in parte non Buchananus ſolum, ſed alii ſcriptores noſtri fere omnes ſequuntur, bis menſe Auguſto, cap. vero 129. Auguſti die 19, pugnatum tradit. Potior autem mihi videtur Extractorum, libri Perthenſis, & Ballendeni fides, qui omnes prælium commiſſum referunt die D. Oſualdo ſacro, *i. e.* 5 Auguſti. Rem vero extra dubium ponit Knichtonus Coll. 2729. 1. qui pugnatum ait *die Mercurii proximo ante feſtum Sti. Laurentii* (10 Aug.) qui eo anno *quintus Auguſti* fuit, Lit. Domin. ED. Superius igitur Lib. IX. 54. pro *Nonas Auguſti*, *Julias* legendum exiſtimem.

2 *Et Gubernatorem appellavit*] Idem habent Boëthius, Major, *&c.* Abercrombius vero vol. 2. pag. 225. non ſpernendis argumentis contendit Robertum Fifæ Comitem, quamvis ob rationes a Buchanano allatas in republica adminiſtranda permagna ejus eſſet potentia & auctoritas, nunquam tamen patre & fratre vivis Gubernatorem fuiſſe appellatum. Obſtare tamen videtur Litera Henrici IV. Angli ad Vicecomitem Notingamiæ & Derbiæ 8 Sept. anno 1405 ſcripta, in qua hæc verba occurrunt, *Quia ex relatione quorundam fidelium & fide dignorum noſtrorum certitudinaliter ſumus informati, quod Robertus Dux de Albany, Gubernator prætenſus regni Scotiæ* —— *regnum noſtrum Angliæ* —— *invadere ſe proponit*, &c. Fœd. Angl. Tom. 8. pag. 414. Robertum enim III. Scotorum Regem tum in vivis fuiſſe poſtea oſtendemus ad Lib. X 15.

3 *Comes Martialis*] Hunc Volſingamius Thomam Maubraium Buckingamiæ Comitem appellat. Cæterum in re ipſa referenda a Buchanano multum diverſus abit: ideo-

agros circumjacentes prædatum mittit: atque ea maxime loca, in quibus Martialis diverſari ſolebat, populatus, ſuos præda graves ſine certamine reduxit. Hæc expeditio etſi nimis levi de cauſſa fuiſſet ſuſcepta, tamen non minus Angli, quam Scoti gaudebant hominis vanitatem ita fuiſſe refutatam. Ille autem, quoties ea de re mentio fiebat, caritate civium, quos in diſcrimen ſine cauſſa nollet exponere, id a ſe factum excuſabat.

LXV. Hoc ipſo tempore, cum ex induciis, in [1] ſpem pacis inter Francos & Anglos, per Pontificem & vicinos Principes ventum eſſet, ea lege, ut utrorumque amici aſcriberentur, Anglorum videlicet Luſitani, Francorum Scoti, & Hiſpani Caſtellanenſes: Robertus Rex, omnibus ſuis repugnantibus, unus fruſtra aſſentiebat. Neque enim ipſe [2] pacem vel inducias facere poterat, niſi ex ſententia publici conventus, neque firmas polliceri, ſine publico decreto: [3] nec Nobilitas dolorem ſuum tacitum adverſus Gallum continere poterat, ex quo illum modo uſum caperent, ut, cum eſſet bellandum cum hoſte, arma de manibus detraheret, & fructum ſuperioris victoriæ, ſpemque futuræ auferret. Tandem poſt longam altercationem, legatus, qui a Gallo venerat, vix impetravit, ut ea de re Scoti in Galliam legatos mitterent. Cum iis actum, ne ſua pertinacia ſpem pacis propinquæ impedirent.

LXVI. Nec Robertus Rex diu ſuperfuit: nam in arce ſua, quam Dunum Donaldi vocant, deceſſit, anno M. CCC. XC. ad XIII. Cal. Maji. [4] Vixit annos LXXIV. [5] regnum tenuit XIX. ac dies viginti quatuor. Hic Rex per lega-

MCCCXC.

ideoque Buckingamium prælium ait detrectaſſe, quod ipſi quingenti tantum, Scotis vero triginta millia militum adeſſent: cujus rei fidem haud facile Lectoribus ſuis probabit.

1 *Spem pacis*] Non pax, ſed induciæ triennales inter Gallum & Anglum tum initæ ſunt, a 19 *ſcil.* Junii anni 1389 ad 16 Auguſti anni 1392.

2 *Pacem vel inducias facere poterat*] Nihil falſius: Reges enim Scotorum omni ævo ſummos ac ſolos fuiſſe belli paciſque arbitros, non alii modo noſtri ſcriptores, ſed & ipſa Acta publica demonſtrant.

3 *Nec Nobilitas*] Volſingamius, qui totam hanc rem fuſe exponit, non Nobilitatem Scoticam hiſce induciis repugnaſſe tradit, ſed plebem, quæ ſe exarmari, prædæque adeo, quam ampliſſimam ſibi de Anglis pollicebantur, ſpem de manibus quaſi eripi moleſtiſſime ferebant. Eorum vero pertinaciam fractam fuiſſe a proceribus, qui ſe itineris duces fore negabant, idem teſtatur, pag 337.

4 *Vixit annos LXXIV.*] Natus ergo anno 1316, ſeptem ante avunculum Davidem II. annis.

5 *Regnum tenuit XIX. ac dies viginti quatuor*] Hoc confirmat quod ſupra ad Lib. IX. 37. monebamus, pleroſque *ſcil.* noſtros ſcriptores, præſertim vero Buchananum, regnorum primordia a Regum coronatione deducere; nam inter 25 Martii 1371, quo coronatus eſt Robertus II. & 19 Aprilis 1390, quo idem eſt exſtinctus, omnino intercedunt anni novemdecim, ac dies viginti quatuor. Hoc ſi Crafordius animadvertiſſet, non ſic interpolandum putaſſet hunc Buchanani locum, legendo, *Regnum tenuit annos* 19, *menſes* 11, *ac dies* 24, qua emendatione tres ſimul errores admiſit. Primo quod Buchanani rationibus pugnantem ingerat ſententiam. Deinde quod Buchananum ſecutus, Davidem II. ſeptimo Maji occubuiſſe exiſtimet, quem ſeptem poſt menſes vixiſſe ſupra oſtendimus. Denique, quod medium inter 7 Maji 1370, & 19 Aprilis 1390 ſpatium, annorum ſupputet 19, menſium 11, ac dierum 24: cum id tempus intervallum am-

ſegatos bella fere ſemper optimo ſucceſſu geſſit : paucis ipſe prœliis interfuit : quod factum alii ætati, alii ignaviæ tribuunt. Id vero omnes uno ore conſentiunt, virum fuiſſe optimum, paciſque artibus cuilibet bonorum Regum facile comparandum. Jus enim diligenter atque æquabiliter dicebat : latrocinia ſevere coërcebat : in factis ſumma conſtantia, in verbis fides inerat. Regnum, quod temporibus turbulentis acceperat, domi juſtitia & æquitate ſedatis diſcordiis pacavit : & ab hoſtibus ita recuperavit, ut tres tantum arces reliquas haberent.

LXVII. Eo defuncto, initium rerum turbandarum, unde minime exſpectabatur, eſt exortum. Alexander Buchaniæ Comes, liberorum Regis ex Elizabetha Mora natu minimus, ob levem cauſſam Epiſcopo Moravienſi erat infenſus : cum ipſum ad cædem nanciſci non poſſet, [1] iram in ſacram Elgini ædem, omnium quæ tum in Scotia erant pulcherrimam, convertit, eamque incendio delevit. Eodem anno, Gulielmus Duglaſſius Nithiæ Regulus (quem diximus virtutis ergo generum a Rege aſcitum) Dantiſci ad Viſtulam occiſus fuit, percuſſoribus a Cliffordo Anglo in eum ſubmiſſis. Duglaſſius enim, rebus domi tranquillis, ne in otio langueſceret, in Boruſſiam ad Bellum Sacrum profectus, tale ſpecimen virtutis dedit, ut univerſæ claſſi, quæ maxima & ornatiſſima erat, præficeretur. Orta vero altercatione cum Anglo, ex antiqua æmulatione eum honorem moleſte ferente, ad certamen ſingulare ab eo fuit provocatus. Provocator ſecum cogitans, in quam ancipitem Martis aleam ſe demiſſurus eſſet, hominem per ſicarios tollendum curat.

amplectatur annorum 19, menſium 11, ac dierum 12.

1 *Iram in ſacram Elgini ædem*] In Regiſtro Moravienſi narratur Alexander Comes Buchaniæ menſe Junio 1390, feſto Botulphi Abbatis, non ſolum ædem (quam Cathedralem vocant,) combuſſiſſe, ſed & omnia ejuſdem oppidi ædificia, Eccleſiam ibidem Sancti Ægidii, Ptochodochium, quod domus Dei de Elgin appellabatur, & 18 manſiones Canonicorum & Capellanorum. Menſe autem Majo præcedente Forreſſæ oppidum per ſuos cremari juſſerat. Huic vero incendio ipſe dux & auctor interfuit : ob id aliaque ejuſmodi facinora non immerito *Badenacbæ Lupus* appellatus.

LIBER DECIMUS.

CI. REX.

I. ROBERTO ſecundo ſucceſſit JOANNES filius natu maximus, [1] Id. Auguſti, anno Salutis humanæ M. CCC. XC. Hic, cum ad eum uſque diem Joannes vocatus fuiſſet, de Ordinum ſententia mutato nomine ROBERTUS eſt appellatus. Idne factum ſit, propter duorum Regum, alterius Franci, alterius Angli, qui- M. CCC XC.

1 *Id. Auguſti*] *i. e.* pro Buchanani more, eo die coronatus eſt : ſed in hoc quoque uno die errat Buchananus, 14 enim, non 13 Auguſti inauguratus eſt. Extracta enim

quibus id nomen fuerat, calamitatem; an ob duorum Robertorum, qui nuper in Scotia regnum tenuerant, in pace & bello virtutem & felicitatem, quando ea de re nihil certi traditur, ego quoque pro incerto relinquo. Igitur Robertus tertius cum vitiis magis careret, quam virtutibus eſſet illuſtris, penes eum Regium nomen, penes Robertum ejus fratrem rerum gubernaculum permanſit. Initio regni foris quies fuit, induciis triennalibus cum Anglo factis, ac paullo poſt [1] in quatuor annos præterea prorogatis. Domi motus principium factum a Duncano ſeu Dunacho Stuarto. Is ex fratre Regis Alexandro Buchaniæ Comite natus, patre feroci ferocior filius, avo mortuo, ratus locum rapinis aliiſque injuriis fore, manu valida prædonum cinctus in Anguſiam deſcendit, & velut ex hoſtico prædas agere cœpit. Huic Valterus Ogilvius cum Valtero Lichtonio fratre dum obſiſtere conantur, cum ſexaginta ſuorum cæſi fuerunt. Hoc ſucceſſu latrones elati, cum longe vehementius plebem affligerent, audito adventu [2] Comitis Crafordiæ, quem Rex ad comprimendam eorum inſolentiam miſerat, expeditiores fuga celeri in latebras ſuas ſe receperunt: e tardioribus multi cæſi, multi comprehenſi, & ad ſupplicium ducti. Verum hominum inquietorum nequitia, quo minus in plana & regiones campeſtres erumperet, cohibita, domi inter ipſos vehementius exarſit.

II. Duæ autem potiſſimum familiæ inſignes inimicitias inſigni crudelitate exercebant. Hi cum neque jure de controverſiis diſceptare, nec amicorum arbitrio eas committere vellent, miſſi a Rege ad eos pacandos duo Comites, Thomas Dumbarſus Moraviæ, & [3] *David* Lindeſius (patre defuncto) Crafordiæ, cum animadvertiſſent, gentem ferocem, neque voluptatis modo, ſed etiam mortis contemtricem, non poſſe domari ſine magna bonorum virorum ex adverſo cæde, rem aſtu tractare inſtituunt. Igitur ſeorſum principes eorum allocuti, ante oculos ponunt; „Quantum univerſis periculum, ex mutua inter ipſos cæde impenderet: nec, ſi altera familia alteram penitus extinxerit, id ſine graviſſimo vincentium damno poſſe evenire: nec, ſi poſſet, ibi certaminum finem fore; quippe cum victori multis congreſſibus debilitato bellandum adverſus Regem foret: qui quam infeſtus eſſet utriſque, vel ex eo intelligi poſſe, quod ad utroſque adhuc incolumes delendos ipſi cum copiis miſſi ſint. Verum ſe ſalutis quam ſanguinis eorum cupidiores, ſi audire vellent, rationem inituros, ut nec inhoneſte, nec inulti, nec invito Rege pacificari poſſint. Id cum audire cuperent, conditio proponitur; „Ut ex „utriſ-

enim eum regnum iniiſſe tradunt *vigilia aſſumptionis noſtræ Dominæ*; clarius vero Regiſtrum Moravienſe, *Dominica in vigilia Aſſumpt.* Idem quoque habet Boëthius, rationeſque Chronologicæ confirmant, Lit. Dom B. At Ballendenus id factum ſcribit ipſa Aſſumptionis die, *i. e.* 15 Auguſti, quem forte Buchananus ſequi voluit, oſcitanter exiſtimans Idus Auguſti (quemadmodum Julii) in 15 diem incidere. Scriptum autem oportuit *poſtridie Idus Aug.*

1 *In quatuor annos*] Potius dicendum erat, *ac paullo poſt in duos, ac deinde in quatuor annos prætereaprorogatis.* Vid. Fœd. Angl. Tom. 7. pag. 714. & pag. 769.

2 *Comitis Crafordiæ*] *i. e.* illius qui paullo poſt Crafordiæ Comes eſt creatus.

3 *David Lindeſius*] Ita omnino legendum, non vero quod omnes libri exhibent, *Jacobus*, quod patri jam defuncto nomen fuerat. Nondum vero is *David* ad Comitis dignationem erat evectus.

1 *Tri-*

„ utriſque [1] triceni, [2] enſibus modo armati, coram Rege decertent: victis impunitatem præteritorum fore; victoribus decus, auctoritatem, Regis etiam „ & procerum gratiam.

III. Cum ea conditio ſatis utriſque placuiſſet, dies certamini dictus eſt, quo die cum principes familiarum cum ſuis in aulam conveniſſent, campi ad ſeptentrionale urbis Perthi latus pars, foſſis præaltis a reliquo ſecluſa, eis ad congreſſum aſſignatur, [3] ſtructis circa ſpectaculis. Cum multitudo ingens hominum ibi conſediſſet, mora pugnæ paullulum facta eſt, quod ex alteris tricenis unus metu latuiſſet, nec pauciores adverſus plures decertare vellent: nec reperiretur qui in abſentis locum ſuccederet, nec ex adverſa factione quiſquam eximi ſe numero pugnatorum pateretur, ne velut a propinquis contemtus ac rejectus videretur. Tandem ſellularius opifex prodiit, ac ſe in abſentis locum ſucceſſurum eſt profeſſus, ſi aurei ſcutati Gallici dimidium repræſentaretur ſibi victori, ac in poſterum, donec viveret, de victu caveretur. Ita rurſus æquato numero certamen initur, ac tanta corporum animorumque contentione pugnatur, quantum efficere poterat odium vetus, novis detrimentis inflammatum, in hominum ferociſſimorum crudelitati aſſuetis ingeniis, & victori res decuſque, victo mors & ignominia propoſita. Nec minor ſpectantes horror, quam pugnantes furor tenebat, deformes corporum laniatus, detruncatoſque artus, & in hominis effigie rabiem ferarum deteſtantes. Illud autem in primis ab omnibus eſt animadverſum, quod nemo ſe omnium fortius gereret, quam ſuppoſititius ille & mercenarius bellator, cujus opera maxime victoriam partam exiſtimant. Superfuerunt enim certamini, ex ea, cui ſe ille addixerat, parte, præter ipſum, decem, ſed omnes magnis vulneribus graviter ſaucii: ex altera factione reſtabat unus, qui cum corpus adhuc ferro haberet intactum, iniquamque certaminis fortunam ſibi videret objectam, in Taum flumen propinquum ſe conjecit, ac, adverſariis quo minus eum ſequerentur ob vulnera tardatis, in adverſam ripam evaſit. Hac ratione ferociſſimo quoque cæſo, multitudo ſine

1 *Triceni*] *i. e.* triginta, ita enim alii noſtri ſcriptores conſentiunt. Buchanani autem interpres aliique hallucinantur, qui *tricenos* pro *trecenos* accipientes, vice 30. 300 pugnaturos induxere. At facile fuit ſcriptoribus rem aliunde non edoctis levi unius literæ diſcrimine decipi, pari modo quo nonnullis Horatii editionibus *tricenis* pro *trecenis*, repugnante primæ ſyllabæ menſura, irrepſit, lib. 2. Od. 14.

Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris. ———

Apud Columellam vero lib. 5. cap. 2. omnibus, quod ſciam, codicibus, pro *trecenis triceni* ſcribitur: *Latus unum in ſe multiplico, tricies triceni fiunt* 900 pro *tricies treceni.*

2 *Enſibus modo armati*] Ita quidem Boëthius ejuſque interpres Ballendenus: at Extr. Major, Vintonus & Regiſtrum Moravienſe, non enſibus modo, ſed arcubus, ſecuribus & cultris, ſive pugionibus, armatos affirmant; nullo tamen quo corpora protegerent armaturæ genere permiſſo.

3 *Structis circa ſpectaculis*] Spectaculum hîc locum ipſum ex quo ſpectatur ſignificat. Liv I. 35. *Ubi ſpectacula ſibi quiſque faceret.* Ovid. 10. Metam. 668.

——— *Reſonant ſpectacula plauſu.*

[vide Cl. Grævii notas ad Ciceron. pro Muren. cap. 34]

1 *In*

M. CCC XCVI. ne ducibus relicta, in multos poſt id annos a tumultuando repreſſa, ad agriculturam rediit. Hæc pugna incidit [1] in annum Salutis M. CCC. XCVI.

IV. [2] Biennio fere poſt, in conventu Ordinum Perthi, Rex Davidem filium, octodecim annos natum, Rotheſaiæ; Robertum fratrem, Taichiæ ac Fifæ jamdudum Comitem, Albiniæ Duces vocat. Hic vani honoris titulus [3] tum primum inter Scotos, magno ambitionis nullo virtutis incremento eſt celebratus: nec cuiquam poſtea feliciter ceſſit. Comitem etiam Duglaſſiæ Rex voluit eodem titulo afficere: ſed ille, ut erat ſeverus, conſtanter ſpeciem ſupervacui honoris recuſavit; & ſi quis hoc ei nomen ominaretur, graviſſime increpabat. Sunt qui Gubernatoris titulum a patre datum Roberto Regis fratri, hoc anno a Rege confirmatum, & Lindeſiorum familiam [4] titulo Comitum Crafordiæ auctam tradant. Sed nec illud conſtat inter eos, [5] Thomaſne an David vocaretur, qui primus ex ea gente Comes fuit appellatus.

V. Proximo anno, Richardus ſecundus Anglorum Rex coactus ſe regno abdicare. In ejus locum ſuffectus eſt Henricus quartus. Initio regni ejus, nondum finitis induciis, nova belli ſemina cum Scotis jacta ſunt. Georgius Dumbarius Marciæ Comes, Elizabetham filiam Davidi filio Regis deſponderat, ac bonam dotis partem jam dependerat. Arcibaldus Duglaſſiæ Comes, ægre ferens hominem potentem & æmulum ſibi prælatum, cauſſatus Ordinum conſenſum (quod in nullis ante Regum nuptiis quiſquam factum meminerat) neglectum, filiam ſuam [6] Mariam cum ampliore dote obtulit: perque fratrem Regis Robertum qui tum omnia poterat, effecit, ut a Rege acciperetur conditio, & nuptiæ ex Ordinum decreto conficerent. Hac injuria ſimul & ignominia

1 *In annum Salutis M. CCC. XCVI.*] De anno omnes conſentiunt, at Regiſtrum Morav. 28. Septembris, Extracta vero die Lunæ antefeſtum Sti. Michaëlis, *i. e.* 25 ejuſdem, pugnatum tradunt.

2 *Biennio fere poſt*] *i. e.* 28 Aprilis 1398, die dominico, referentibus Regiſt. Morav. & Extract. Vide Abercrombium idem fere confirmantem, pag. 205.

3 *Tum primum*] Ad exemplum *ſcil.* Richardi Angli, qui non multo pridem Gallum æmulatus eum honoris titulum invexerat.

4 *Titulo Comitum Crafordiæ*] Hunc locum expungi jubet Tho. Crafordius, quia, inquit, non ſibi modo Cap. I. & 2 huj. Lib. hoc pacto pugnantem facit Buch. ſed & aliis omnibus Hiſtoricis, qui Jacobum Lindeſium Comitem Crafordiæ creatum affirmant die coronationis Roberti II. Audacter nimis ac præter rationem utrumque. Primum enim aliorum ſententiam, non ſuam, hic refert Buchananus. Deinde tantum abeſt, ut aliis ſcriptoribus hac in parte adverſetur, ut longe major ac ſincerior eorum pars idem confirment, Major fol. 123, Extracta fol. 242. Carthuſ. Vintonus, qui omnes Davidem Lindeſium Crafordiæ Comitem creatum teſtantur regnante Roberto III. & plerique anno 1398. Vintonus vero eorum temporum ſcriptor æqualis id factum tradit uno aut altero die, antequam Regis filius & frater ad Ducum honores eſſent evecti. Rem vero extra controverſiæ aleam ponunt ejuſdem familiæ inſtrumenta, quorum nonnulla mihi ſunt viſa, quibus Jacobus Lindeſius diu poſt inauguratum Robertum II. non ampliore ſe quam Domini de Gleneſk titulo dignatur: quod & clarius paucis abhinc annis eluxit in celebri inter Crafordiæ & Sutherlandiæ Comites, de Præcedentiæ, quam vocant, jure agitata, necdum finita controverſia.

5 *Thomaſne*] A nemine *Thomam* appellatum memini.

6 *Mariam*] Aliis omnibus præter Extr. *Margeria* appellatur.

1 *Ple-*

minia ictus Georgius, graviter cum Rege expoſtulat: & cum facta infecta fieri nequeant, ſaltem dotem filiæ repetit. Ea tam juſta poſtulatione repulſa, cum nihil æqui ſe impetraturum cerneret, præoccupatis cunctorum ab æmulo animis & auribus, ab aula non ſolum iratus, ſed etiam minabundus diſceſſit: & arce Dumbari ſororis filio Roberto Metellano tradita, in Angliam abiit. Robertus arcem fœciali a Rege miſſo ſtatim tradidit. In eam Duglaſſius cum præſidio receptus, Georgium domum reverſum excluſit. Ille, recepta uxore, liberis, & amicorum intimis, in Angliam rediit. Ibi, cum homo domi potens, & foris etiam clarus, & injuriæ impatiens, cum Percio, Duglaſſii nominis hoſte infeſtiſſimo, conſilia contuliſſet, fretus amore erga ſe finitimorum Scotorum, e quibus plurimi aut clientes, aut propinqui, aut alioqui beneficiis ei devincti erant, totam Marciam excurſionibus, ac prædis e Duglaſſiorum prædiis agendis, brevi infeſtam reddidit. Scotus primum Georgium hoſtem publicum, omnibus bonis ejus fiſco adjudicatis, denunciat: deinde fœcialem ad Anglum mittit, qui transfugam ex fœdere repoſceret, & de violatis induciis conquereretur.

VI. Ad ea poſtulata impudenter ab Anglo reſponſum eſt; „Se fidem publi„cam Georgio dediſſe, nec Regium promiſſum violari debere: „tanquam ſanctius eſſet obſervandum, quod privatim transfugæ eſſet cautum, quam quod publice per legatos & fœciales eſſet confirmatum: induciarum enim, quæ cum Richardo factæ fuerant, nondum exierat dies. Interea Henricus Percius junior, quem [1] Plexippum diximus cognominatum, & Georgius Dumbarius non ceſſabant excurſionibus vicinos Scotorum agros vexare. Id cum aliquoties ab eis impune factum fuiſſet, e ſucceſſu crevit audacia: ac, duobus millibus hominum coactis, Lothianam ingreſſi, circa Hadinam late populati, Halim arcem fruſtra oppugnarunt. Cum ad Lintonem (is vicus eſt ad Tinam Lothianæ amnem ſitus) conſediſſent, ſubito adventu [2] Duglaſſii perturbati, relicta non modo præda, ſed impedimentis quoque, ſe in fugam conjecerunt, adeo trepide, ut nuſquam conſiſterent, donec Bervicum eſſet perventum. Hæc circa [3] initium Februarii, anno M. CCCC. geſta ſunt: quo anno, reverſo domum fœciali, bellum Anglis eſt indictum: & Arcibaldus Duglaſſius, cognomento Auſterus, vir nulli majorum in quovis genere laudis inferior, morbo deceſſit, alieniſſimo patriæ tempore, tot nuper imperatoribus diverſis caſibus amiſſis. Succeſſit ei eodem nomine filius. M CCCC.

VII. [4] Ad Idus Aug. Anglus, contractis maximis copiis, Scotiam eſt ingreſ-

1 *Plexippum diximus cognominatum*] Ut Buchananus ſibi congrueret, ſupra Lib. IX. 58. interſerendas duximus has voces [*cognomento Plexippus:*] quæ ſi abſint, nuſquam ejus cognominis alibi meminerit. Futilis autem videtur Crafordii emendatio [*diximus*] in [*dicunt*] mutantis: Buchanano enim de re indubitata ac certiſſima loquenti ſuperflua eſſet, ne dicam inepta, vocabuli [*dicunt*] adjectio.

2 *Duglaſſii*] Extracta *Duglaſſiæ Magiſtrum* appellant, *i. e.* ex eorum temporum conſuetudine, Comitis filium natu majorem.

3 *Initium Februarii*] 3 nempe die, ſive *craſtino purificationis noſtræ Dominæ*, Extract.

4 *Ad Idus Auguſti*] *Die Aſſumptionis* in-

greſſus. Cum Hadinam veniſſet, triduum ibi moratus, Letham duxit. Ibi quoque cum totidem dies fuiſſet, arcem Edimburgi obſedit. Adverſus hunc Gubernator magnum exercitum ita lente ducebat, ut facile appareret, eum non moleſte laturum, ſi arx ab Anglo, & cum arce David Regis filius caperetur: jam enim non obſcure prava ejus ambitio ſe prodebat. Fratre enim [1] velut imbelli contemto, liberis ejus, quo regnum ad ſe traduceret, quibus poterat modis perniciem moliebatur: eorumque calamitates pro lucro ſibi deputabat. At Anglus contra, velut terrorem belli oſtentando pacem quæreret, inimicitias clementer exercebat: leviter enim oppugnatione arcis tentata, obſidionem ſolvit; ac ſine magna, qua tranſibat, noxa domum rediit, magnam clementiæ & moderati animi laudem & veniens & abiens adeptus: nam & deditos humaniter habuit, & a locis ſacris vim omnem abſtinuit; erga pleroſque etiam, ob hoſpitii paterni memoriam, munificentia uſus. Quæ res ut illi benevolentiam, ita Gubernatori odium conflavit: quod neque bellum, ut adverſus inimicum, acriter gereret; nec Regem tam facilem & beneficium, ſibi amicum facere ſtuderet.

VIII. Poſt Henrici reditum in Angliam, Georgius Dumbarius, magis frequentibus, quam magnis incurſionibus, fines Scotorum infeſtabat. Ad eum reprimendum, quoniam aſſidua magis, quam numeroſa manu erat opus, Duglaſſius, diviſis in mediocres manus regionatim copiis, ſuos ſingulis duces, qui per vices, vel hoſtium incurſiones prohiberent, vel ipſi eos infeſtarent, dedit. Prima ſors Thomæ Haliburtino Dirlitonii fuit, qui ſatis uberem ex hoſte prædam ex agris Bamburgo proximis retulit. Non fuit idem ſucceſſus Patricio Heburno, qui majore manu latius diſcurrerat: nam cum numero ſuorum fretus incautius cum præda rediret, ab Anglis [2] oppreſſus periit, & cum eo flos Lothianæ juventutis. Arcibaldus Duglaſſius, ut ſuorum cladem ulciſceretur, conſentiente Gubernatore, ſupra decem hominum millia coëgit: cum eo clariſſimi procerum una profecti, & in iis Mordacus Gubernatoris filius. Cum Northumbriam uſque ad Novum caſtrum ad Tinam tranſcurriſſent, & ferro ac igne late ſtragem dediſſent, congreſſi cum Henrico Percio minore & Georgio Dumbario, magno prælio vincuntur: complures homines nobiles cæſi: captus Duglaſſius, oculorum altero amiſſo, Mordacus Fifæ, Thomas Moraviæ, Georgius Anguſiæ Comites, aliique permulti genere & opibus clari. Nec a multis retro annis alia pugna æque vires Scotorum attrivit. Pugnatum eſt ad [3] Homeldonum Northumbriæ vicum,

[1] anno

quiunt Extr. *i. e.* 15. die Auguſti, unde eandem facio quam ſuperius ad Lib.X. 1. conjecturam, Buchananum, *ſcil.* memoria forte lapſum, diem 15 Auguſti, quemadmodum & Julii, Idus exiſtimaſſe.

1 *Velut imbelli*] Ita emendavimus cum Elzev. cum in aliis fere omnibus libris *imbelle* legatur; non obſtante quod a Soſiparro obſervatum ſupra monuimus ad Lib.IX.58.

2 *Oppreſſus periit*] Hæc pugna, ad Nisbetum parta, commiſſa eſt 22 Junii 1402, juxta Ballendenum, Balfurium & Abercrombium. Idem quoque Angli ſcriptores confirmant.

3 *Homeldonum*] Scriptores Angli, Volſingamius, Spedius, Stovius, Echardus, *&c.* hunc locum perperam *Halidonhill* vocant, quo nomine appellatus eſt Marciæ collis prope Bervicum, pari vel majore Scotorum clade, anno 1333, infamis. Eſt autem *Homeldonum* mons Northumbriæ prope oppidum *Woller*, Camdeno, Spelmanno & aliis *Hambleton* vel *Hamildon*, Act. publ. Tom.8. pag. 379. *Homeldonhil* nuncupatus

1 *Anno*

anno M. CCCCI. ad Nonas Maji.

IX. Percius hac victoria tam inſigni potitus, ſtatuit imperio Anglorum ſubjicere quicquid terrarum inter Northumbriam & Fortham eſt interjectum: nec in eo magnum ſibi laborem proponebat, quod omnem earum regionum Nobilitatem aut in prælio interemerat, aut captivam detineret. Igitur a Coclao arce Teviotiæ exorſus, cum præfecto arcis pactus eſt; niſi intra [2] quinquageſimum diem Scoti obſidionem ſolverent, ipſe arcem dederet. His conditionibus ad Regem, deinde Gubernatorem relatis, non defuerunt, qui dedendam Anglis arcem cenſerent: tanti enim eam non eſſe, ut vires regni, poſtremo prælio tam attenuatæ, in diſcrimen iterum conjicerentur. Hanc animorum dejectionem non tam ab hoſte metus, quam imminentis regno Gubernatoris perfidia attulerat. Ille contra, ut omnem a ſe amoliretur ſuſpicionem, verbis magnifice & confidenter diſſerebat; „Hanc imbecillitatis & timoris publici confeſſionem, plus quam adverſum prælium audaciam hoſtium aucturam. „Quod ſi quiſpiam exiſtimet, unius arcis conceſſione contentos fore Anglos, „eum vehementer falli: velut enim ignis levi aſperſione aquæ magis accenditur, ita cupiditas prima quæque tradendo non reſtinguitur, ſed inflammatur; „& quicquid conceſſeris initio, ad ulterius penetrandum fit gradus. Quod ſi „univerſi ad arcem liberandam recuſetis progredi, [3] ego vel ſolus proficiſcar, „neque vivus & videns tantum nomini Scotico dedecus inuri ſinam. Hæc locuto Gubernatore, cæteri, vel reſtincta vel diſſimulata ſuſpicione, ſe conclamarunt ſecuturos. Verum fortuna id periculum diſcuſſit, Percio ad bellum civile revocato, atque arce ſine vi liberata. MCCCC I.

X.

1 *Anno M. CCCC. I. ad Nonas Maji*] Triplex hic error eſt Buchanani, neque enim hoc anno, menſe aut die, pugnata eſt infauſta hæc pugna. Omnes quippe ſcriptores, quos ego fere viderim, tam Angli quam Scoti, hoc prælium commiſſum tradunt anno 1402, *die exaltationis Sanctæ Crucis*, *i. e.* 14 Sept. præter unos Ballendenum & Holinſhedium, qui a Buchanano longius abeuntes pugnatum ſcribunt anno 1403. Polydorum Virgilium peregrinum & indiligentem ſcriptorem non moror, qui non Homeldonenſe modo, ſed Salopienſe etiam prælium in annum conjicit 1401. Cæterum Buchananum fefelliſſe videtur *dies exaltationis*, pro *die inventionis ſanctæ Crucis* (qui in tertium Maji refertur,) intercidente forte Librariorum vitio, voce [*quintum*] vel [V.] Humius vero, dum Buchananum ſequi vellet, novum de ſuo adjicit errorem, qui *Nonas* Maji *quintum* diem interpretatur, non attendens Majo ſex Nonas eſſe. Plerique autem quos ſupra memoravi ſcriptores, ne imprudentes erraremus, die ſanctæ crucis *autumni tempore* pugnatum tradunt; addit & Holinſhedius *die Martis*, quæ nullo pacto congruere poſſunt, cum 14 Sept. anni 1402 cadat in feriam quintam; anni vero 1403, quem ille deſignat, in feriam ſextam.

2 *Quinquageſimum diem*] Boëthius tres menſes memorat, ejus interpres duos. Extractorum vero compilator cum Buchanano fere conſentiens, *poſt ſex ſeptimanas*. Vintonus autem narrat Jacobum Duglaſſium Coclai Comarchum menſe Majo Regi [ad quem opem flagitarurus venerat) indicaſſe, ſe, ni ante feſtum ſancti Petri ad vincula obſidio ſolveretur, arcem Anglis dedere paciſci coactum. Hoc autem evenit anno 1403.

3 *Ego vel ſolus*] Extract. *Etſi nullus mecum fiat, niſi Patricius Kinbuck puer, & dextrarii mei ſeſſor* [dextrarius equus major eſt cataphractus, quo potiſſimum in præliis utimur] *quem a longe ſtantem iudice prodidit*.

X. Hæc dum foris cum hoſte geruntur, nihilo felicius res domi eſt adminiſtrata. Nam brevi [1] poſt mortem Arcibaldi Duglaſſii anno ſuperiore, prope continuatis funeribus deceſſerunt Annabella Regina, & Valterus Tralius Fani Andreæ Archiepiſcopus, omnium prope animis magnam rerum mutationem præſagientibus. Nam, ut per Duglaſſium rei militaris ſplendor, per Tralium Eccleſiaſtica auctoritas & veteris diſciplinæ qualiſcunque imago ſtetit, ita ab Regina incolumi aulæ dignitas eſt ſuſtentata: quod ex ejus morte, & rebus quæ eam ſunt ſecutæ, palam eſt intellectum. Regis enim filius David, adoleſcens erat natura ferocior, & ingenio ad libidinem proclivi. Ea vitia cum augeret indulgentia patris, in quo non ſatis erat auctoritatis ad reverentiam ſui retinendam, tamen & admonitionibus eorum, qui infirmitati ætatis regendæ appoſiti, & multo magis materna diligentia & conſilio, impetus ejus retundebantur: ea vero defuncta, libido frenis libera ad veros mores rediit; ac metu & pudore ſepoſito, alienas uxores & honeſto loco natas virgines, quibus flagitium perſuadere non poterat, per vim rapiebat ad ſtuprum: ſi quis ejus inhibere libidinem vellet, male multatus diſcedebat. De hac ejus impotentia cum multæ querelæ ad patrem fuiſſent delatæ, is ad fratrem ſuum Gubernatorem ſcripſit, ut adoleſcentem apud ſe retineret, donec deferveſcente laſcivia ad meliorem frugem rediret. [2] Gubernator, quam jam diu expetebat occaſionem ſtirpis fraternæ delendæ nactus, Davidem, obvium ſibi ad tria ferme milliaria a Fano Andreæ, ſecum ad arcem Andreanam, quam Archiepiſcopo nuper mortuo per ſpeciem cuſtodiæ tenebat, ducit. Inde paullo poſt in arcem ſuam Falcolandiam traducit: ibi moriturum fame in arctum carcerem incluſit. Sed, quem patrui crudelitas ad mortem in primis miſerabilem deſtinarat, ei duarum muliercularum miſericordia vitam in paucos dies prorogavit: altera quidem virgo erat, cujus pater & arci & cuſtodiæ præerat. Ea panem avenaceum, ita tenuiter (ut in Scotia vulgo fieri ſolet) extentum ut complicari poſſet, ſub lineo velo, quod capiti adverſus Solem negligenter injiciebat, quoties adeundi hortos carceri propinquos erat copia, per tenuem rimulam verius quam feneſtram immittebat. Altera nutrix ruſtica, lac e mamillis expreſſum per canalem in os ejus immulgebat. Hoc miſerabili victu, quo magis famem accenderet quam levaret, cum aliquot dies vitam ſimul & pœnam ei produxiſſent, cuſtodibus diligentius obſervantibus deprehenſæ, ad ſup-

1 *Poſt mortem Arcibaldi Duglaſſii anno ſuperiore*] Imo vero ante tres annos ab obſeſſo Coclao anno *ſcil.* 1400, non ipſo modo Cap. 6. huj. lib. ſed Majore, Boëthio, Holinſhedio referentibus. Deceſſit autem Valterus Tralius anno 1401, menſe (ut videtur) Junio, alius enim in ejus locum menſe Julio eſt ſuffectus, *Vinton.* Paullo poſt obiit Annabella Regina, autumni tempore ſepulchro condita. *Idem.*

2 *Gubernator*] De hac re nihil Vintonus; contra vero Gubernatorem ſummis laudibus effert. Extracta autem, liber Perthenſis, Major, Balfurius, culpam magna ex parte in Joannem Ramorgnium rejiciunt, qui confictis criminibus ſerendis, mentiendoque alteri ab altero capitis periculum imminere, Gubernatorem ad facinus quaſi occupandum, necemque quam ſibi metuebat Principi maturandam adegit.

3. *Morte*

ſupplicium protrahuntur, patre perfidiam filiæ vehementer exſecrante, dum erga infidum Gubernatorem ſuam fidem oſtentare conatur. Adoleſcens, omni humano deſtitutus auxilio, poſtquam victus inopia etiam ſua membra laceraſſet, non ſimplice [1] morte defungitur. Mors ejus diu patrem latuit, nemine tam triſtem nuncium rei, quam cuncti ſciebant, ad eum perferre auſo.

XI. Sed ad res Anglicas, quatenus noſtris immixtæ ſunt, revertamur. Cum Percius, magna conjuratione Nobilitatis facta, bellum adverſus Regem ſuum meditaretur, cum Duglaſſio (quem in prælio Homeldonenſi captum adhuc ſecum habebat) paciſcitur, ſi operam ſuam adverſus Regem æque fortiter & fideliter ſibi impendat, ac adverſum ſe foret uſus, cum ſe liberum domum dimiſſurum. Duglaſſius, qui nullam operæ navandæ adverſus Anglum conditionem eſſet recuſaturus, libenter promiſit; & paucis ex clientibus & amicis convocatis, ad futuram ſe dimicationem parat. Nec ſegnius in prælio ſe geſſit, quam Percio promiſerat: nam contemta multitudine in unum Regem animum oculoſque intentos tenebat, & cum plures paludamento Regio eſſent amicti (ſive ut hoſtes ejus capiti imminentes deciperentur, ſive ut omnibus in locis milites præſentem ſuæ virtutis & ignaviæ eum ſe teſtem habere crederent) Duglaſſius, in unum eorum armis conſpicuum totis viribus invectus, eum ex equo dejicit: qui cum a circumaſtantibus exemtus fuiſſet periculo, iterum Duglaſſius alterum, [2] ac deinde tertium (ut, præter noſtros, etiam affirmat Eduardus Hallus Anglus) armorum ſplendore & paludamento deceptus dejecit. Neque tam ſuo periculo commotus, quam, unde tot Reges veniſſent, miratus. Tandem, poſt cruentiſſimum conflictum, verſa fortuna, ac victore Rege, Duglaſſius [3] multis vulneribus ſaucius, inter captivos recognitus, multis in ejus exitium imminentibus, a Rege eſt ſervatus, non ſolum fide ejus erga amicum laudata, ſed fortitudine muneribus honeſtata, ac vulneribus curatis: cum aliquot menſes apud Anglum fuiſſet, magna pecunia perſoluta vix tandem dimiſſus.

XII. Interea de Davide Scoti primogenito, ſcelere patrui occiſo, rumor ad miſerum parentem permanat: auctorque occultis rumoribus (nam palam nemo audebat hominem tam potentem accuſare) deſignabatur. Rex, fratre ad ſe acci-

1 *Morte defungitur*] Quidam dyſenteria exſtinctum ſcribunt [Vide Extract. & lib. Perth.] 7 Cal. Aprilis vigilia Paſchæ ſero, vel die Paſchæ mane. Paſchalis autem ſolennitas incidit anno 1402, in 26 Martii. Lit. Dom. A. num. aur. 16. Vintonus tamen uno die poſterius interiiſſe tradit, anno 1402: Natus erat juxta eoſdem auctores 24 Octob. 1378, adeoque mortuus ætatis 24, Dux creatus anno 20, maritus factus 22. Miſeranda ejus mors ab aliis ante prælium Homeldonenſe collocatur, quæ tamen a Buchanano poſtponitur, ne rerum, opinor, adverſus Anglos geſtarum ſeries interrumperetur.

2 *Ac deinde tertium*] Idem habet & Spedius Anglus, qui *quartum* a Boëthio falſo additum reprehendit. Idem tamen e Volſingamio teſtatur multa Anglorum millia ſe in fugam conjeciſſe, Regem ſuum occiſum credentes.

3 *Multis vulneribus*] In prælio Homeldonenſi altero oculorum, in hoc vero Salopienſi altero teſticulorum eſt privatus, uti, præter Extract. & lib. Perth. Volſingamius Anglus teſtatur.

accito, graviter cum eo expoſtulat. Ille de morte adoleſcentis jam ante paratam fabulam exorſus, crimen in alios transfert; „Se ſuoſque, quando & ubi „Rex velit, ad cauſſam dicendam aſſuturos promittit. E cædis autem patrato„ribus, quoſdam ſe penes in vinculis eſſe; reliquos diligenter perquiſiturum. Quæſtione conſtituta, ipſe ſceleris auctor cogit Concilium, accuſatores inſtruit, &, Rege præſente, tanquam noxius accuſatus, pro innoxio dimittitur. Rex vindictam cœlitus, & graviſſimas diras eis eorumque poſteris imprecatus, qui tam nefarium facinus patraverant, curis infirmitateque corporis æger, in Botam unde venerat eſt reverſus, aucta ſuſpicione de patricidio a fratre commiſſo: ſed potentior erat, quam ut ab eo pœna exigi poſſet. Ille vero, ut rem ſtrenue diſſimularet, ſuppoſititios ſceleris auctores e carcere producit, & facinoroſos quidem illos, ſed cujus inſimulabantur criminis expertes, gravi ſupplicio afficit.

XIII. Rex interea de Jacobo minore filio ſollicitus, quem apud [1] Valterum Vardilaum Fani Andreæ [2] Archiepiſcopum, hominem probum & ſibi fidum, depoſuerat cuſtodiendum, cum amicis conſultat. Illi, nuſquam eum in Scotia tutum fore rati, auctores fuerunt, ut ad Carolum ſextum Galliarum Regem, veterem ſocium & Scotici nominis unice amicum, eum tranſmittat: nuſquam neque tutius neque honeſtius eum educari poſſe. Hærebat enim in animis recens exemplum Davidis Bruſſii, qui, dubiis domi temporibus, aliquot annos ibi honorifice tranſegerat. Igitur parata nave, ad Baſſam, ſcopulum verius quam inſulam, adhibito rectore Henrico Sinclaro Comite Orcadum, conſcendit: ac, dum littus legit, ad Flamburgum promontorium, ſive tempeſtatis vi coactus, ſive ut e nauſea marina ſe paullulum recrearet, deſcendit: [3] ab Angliſque retentus, & a Rege conſulto quid eo fieri velit in aulam arceſſitus. Ibi nec jus induciarum, quæ paullo ante [4] in octo annos fuerant factæ, neque li-

1 *Valterum Vardilaum*] Verum ei nomen *Henrico* fuit, ut non ex Vintono tantum, Extract. lib. Perth. Vitis Pontificum Sancti Andreæ, Spotiſvodio, Leſlæo, *&c.* ſed etiam ipſius inſtrumentis mihi conſpectis abunde conſtat. Buchanano fucum fecerunt Boëthius ejuſque Interpres, qui hoc loco *Valterum*, quamvis paullo ante *Henricum* appellent. Habuit quidem ejus nominis avunculum, Epiſcopum Glaſguenſem & Cardinalem. Qui eum fere proxime præceſſerat *Valterus Tralius* vocabatur; Thomas enim Stuartus Roberti II. nothus paucis menſibus eam dignitatem obtinuit. Prius autem quam ipſe Vardilaus eſt conſecratus, Valterus Dangleſtonius reditus Epiſcopales poſſidebat, quem & Electum fuiſſe Vintonus prodidit. Inter tot igitur Valteros Buchanano errare facile fuit.

2 *Archiepiſcopum*] Lege *Epiſcopum.* Vid. ſupra Not. 2. Lib. VIII. 1.

3 *Ab Angliſque retentus*] Captus eſt Jacobus I. inquit Ballendenus, 30 Martii anno 1404, juxta pleroſque ſcriptores Anglos anno 1406. Ego tamen Vintono, qui hoc ipſo vixit ſcripſitque tempore, potius accedo, qui captum tradit *Dominica palmarum, i. e.* 12 Aprilis anni 1405. Vid. quæ nos poſtea ad Lib. X. 15.

4 *In octo annos*] Inducias *in octo annos* factas nuſquam invenio. Induciarum quidem tempore captum noſtri omnes aſſeverant, remque ipſam confirmant Acta publica Tom. VIII. pag. 363. Unde apparet inducias, non octennales, ſed fere annuas fuiſſe initas, a 20 *ſcil.* Julii anni 1404, ad Paſcha anni ſequentis: cum quibus in omnibus conſentit Vintonus, qui una hebdomade ante earum exitum Jacobum

literæ patris ſupplices ei profuerunt, quo minus jure captivus decerneretur. Pater enim diſcedenti literas ad Anglum (ſi forte illuc appuliſſet) dederat; in quibus, multa de ſua, multa de communi hominum fortuna erant lamentabiliter ſcripta. Verum apud Regem, etſi inconſtantiæ rerum humanarum non expertem, tamen plus valuerunt veteres gentis offenſæ, quam vel ætatis innoxiæ reſpectus, vel miſeri patris lacrymæ, vel Regii nominis dignitas, vel induciarum fides.

XIV. Nam cum Anglus ad Concilium retuliſſet, quomodo Scoti Regis filio in [1] ditionem ſuam appulſo uteretur; quibus æquitatis erat ſtudium, & diuturni belli tædium, ad mitiorem ſententiam inclinabant, ac cenſebant; „Regii generis adoleſcente, crudelitatem ſuorum fugiente, & ſupplice, hoſpi„taliter & amice eſſe utendum: & gentem ferocem, tot ſeculis bello indomi„tam, beneficiis conciliandam. Hanc victoriam firmam & ſolidam [2] debere exi„ſtimari, in qua non per injuriam libertas adimitur, ſed animus amicitiæ vin„culo inſolubili conjungitur. Alii contra differebant; „Jure captum videri, „vel quod e primoribus gentis auxilia in motu Perciano contra Regem in acie „ſtetiſſent, vel quod pater ejus Percium ſeniorem, perduellionis in Anglia „damnatum, apud ſe haberet, & exilium ejus ſuis opibus ſuſtentaret. Hæc ſententia (ut plerumque deteriora ſolent) in Concilio vicit: quanquam qui aderant, non ignorarent, qui in prælio adverſus Anglum dimicaſſent, non publice a Rege miſſos, ſed Duglaſſii privata gratia, cum & ipſe tum in Percii poteſtate eſſet, adductos; ac meminiſſe poſſent, quid ante paucos annos Henricus ipſe Scotis Georgium Dumbarium repoſcentibus reſpondiſſet. In hanc ſententiam itum eſt, ut fere in aulis Principum emolumenti falſa ſpecies honeſtis conſiliis præponderat. In captum tamen a Rege Anglo hoc unum liberaliter & Regie eſt conſultum, quod literis & honeſta diſciplina eum inſtituendum curavit.

XV. Calamitate filii ad patrem cœnantem perlata, tanta doloris vi fuit oppreſſus, ut pene inter manus aſtantium exſpirarit. Delatus in cubiculum, ab eo tempore cibo abſtinuit: ac tertio poſt die, inedia & mœrore extinctus eſt [3] Rotheſaiæ, quod oppidum in Bota inſula eſt, [4] anno ab inito

bum captum teſtatur, ut modo indicavimus.

1 *Ditionem*] Sæpius ſupra monuimus hanc vocem hoc ſignificatu pro *regione, provincia aut parte terrarum quæ poteſtati cujuſdam ſubjecta ſit*, apud probum aliquem ſcriptorem nuſquam reperiri. Vide Scioppium de Stylo Hiſtorico pag. 190, & 210. qui gravem Lipſio, Caſaubono & Thuano vocem eo ſenſu uſurpantibus dicam impingit.

2 *Debere exiſtimari*] MS. & Edinb. *deberi*, male.

3 *Rotheſaiæ*] Ita fere omnes noſtri ſcriptores: potior tamen mihi videtur Vintoni auctoritas, qui ad Dunum Donaldi (qua in arce pater ejus eſt mortuus) exſtinctum tradit.

4 *Anno ab inito regno ſexto decimo Cal. April. anno Chriſti M. CCCC. VI.*] Turpiter hic erraſſe Buchananum contendit Abercrombius vol. 2. pag. 224. qui Robertum III. obiiſſe exiſtimat 29 Martii anni 1405, præcipue adductus barbaris hiſce apud Extracta Monachi cujuſdam carminibus.

Quadringenteno quinto mille ſibi juncto
A data Chriſti anno, mortem ſubit iſte
Ter-

MCCCC VI. to regno ſexto decimo, [1] Cal. Apr. anno Chriſti. M. CCCC. VI. ſepultus Pa-

Tertius, Robertus, Aprilis quarto Calendas:
In Botha leto ceſſit, pauſat Paſſileto.

Sed horum verſuum auctoritatem evertunt ea ipſa Extr. & lib. Perthenſis, qui eum fato ceſſiſſe tradunt *Dominica in ramis palmarum*, quæ eo anno 1405, non in 4 Cal. April. ſeu 29 Martii, ſed in 12 Aprilis incidebat. Præſtantior igitur hac in re Vintoni fides, qui Robertum defunctum ſcribit anno 1406, 4 Aprilis, *die Divo Ambroſio ſacro*, quæ & *Dominica* tum erat *in ramis palmarum:* quæ omnia inter ſe accurate conveniunt. Paſcha enim ejus anni in diem incidit Aprilis 11. Rem vero extra dubium ponunt ea ipſa, quibus Buchanani ſententiam labefactare conatur vir clariſſimus, Roberti Gubernatoris & Jacobi I. inſtrumenta publica: e quibus, præter multa alia, hæc ego oculis luſtravi: Roberti Gubernatoris, unum 13 Maji anno 1407, gubernationis ſuæ 2. alterum 28 Octob. 1408, gubern. 3. tertium 6 Maji, 1410, gubern. 5. Jacobi autem I. unum 5 Aprilis 1424, regni ſui 19. alterum 21 Sept. 1426, regni 21. tertium 19 Julii, quartum 12 Aug. 1427, regni 22. quintum 10 Aug. ſextum 11 Decemb. 1430, regni 25: quæ omnia rite penſitata atque inter ſe compoſita Roberti III. obitum eveniſſe oſtendunt anno 1406. Duo autem viro alioqui perſpicaciſſimo hic fraudi fuerunt. Et primum quidem, quod annis æræ Chriſtianæ & regni idem faciat initium & finem; quod tamen neutiquam factum oportebat. Deinde, non ſatis videtur attendiſſe Scotos tum eodem ritu, quo nunc Angli, annos ſuos auſpicari conſueviſſe, 25 nempe die Martii. V. G. quæ occurrunt Gubernatoris literæ 2 Jan. & 12 Mart. 1406 gubernationis anno 1. juxta ſupputationem Romanam, qua nunc utimur, in annum 1407 referendæ ſunt. Idem dicendum de literis Jacobi I. datis 12 Jan. 1426, regni 21, & 17 Mart. 1429, regni 24. hic enim ad noſtrum computum exactus, annus eſt 1430, ille 1427. Neque aliter conciliari poſſunt duo Gubernatoris inſtrumenta, unum 20 Martii 1407, alterum 27 Martii 1408, utrumque gubernationis ſuæ anno 2. Ut ad pauca redeam, binæ itidem ſunt Jacobi I. literæ, alteræ 5 Aprilis 1424, regni 19, alteræ 31 Martii 1432, regni 26, e quibus evidentiſſime elicitur ejus patrem deceſſiſſe inter 31 Martii & 5 Aprilis anni 1406. Cum autem Extr. Perth. Vintonus, *Dominica Palmarum* defunctum tradant, reſtat ſolus, in quem illa eo anno incidit, quartus Aprilis, Roberto ultimus, Jacobo primus regnandi dies. Rem vero per ſe ſatis claram ulterius adhuc confirmant noſtri ſcriptores, qui omnes Robertum III. regni anno 16 exſtinctum tradunt; quod utique falſum eſſet, ſi 29 Martii 1405 occubuiſſet, cum ipſius pater Robertus II. conſentiente univerſorum teſtimonio, 19 Aprilis anni 1390 occubuerit. Omnium autem accuratiſſime Vintonus, Roberti III. ſcriptor æqualis, qui eum ſedecim annos, demtis diebus quindecim, (quot nimirum inter 4 & 19 Aprilis intercedunt) regnaſſe teſtatur. Unicus tamen adhuc relinquitur ſcrupulus, quod *ſcil.* plerique noſtri ſcriptores, & in his Buchananus, ſcribant, patrem, audita calamitate filii, paucis poſt diebus inedia & mœrore fuiſſe exſtinctum; cum ex Vintono ſuperius monſtratum ſit Robertum III. capto filio annum fere ſupervixiſſe, ad quem tamen multo minore temporis ſpatio tantæ calamitatis indicium permanaſſe credendum eſt. Et quidem, ut libere dicam quid ſentiam, hac in re falſos arbitror noſtros ſcriptores. Vintonus certe de ea nihil tradit. Alii autem ſibi ipſis fidem abrogant: nam ſi filius captus eſt 30 Martii, pater vero mortuus 29 ejuſdem menſis, ut eorum plerique prodidere, aut annum diverſum intelligant oportet, aut rem narrent omnino impoſſibilem; niſi velimus exiſtimare patrem mœrore potuiſſe exſtingui ob filium altero poſt die captum. Non ab re autem hic erit Lectorem admonere, quod a Davide Simſono, quo nemo Scotorum res geſtas diligentius, dum viveret, perſcrutabatur, ſæpius audivi, qui ſe Roberti III. ad Henricum Anglum de filio reſtituendo literas nonnuſquam vidiſſe cum fide aſſeveravit. Vid. quæ nos poſtea ad Lib. XI. 59.

1 *Cal. Aprilis*] Ex dictis apparet legendum

Paſileti. Fuit Robertus, & proceritate, & totius corporis forma & compoſitione nulli fere ſuorum æqualium ſecundus: ſumma vitæ innocentia, & in quo nullam hominis privati virtutem deſiderares: [1] ut vere de illo dici poſſet, meliorem virum quam Regem eum fuiſſe. [2] Rege mortuo, regni adminiſtratio Roberto ejus fratri per omnes Ordines confirmata eſt, qui, ut cupiditate imperandi cœcus, peſſimis rationibus eo properabat, ita, ſi unum illud demas, multa in eo tanto magiſtratu digna inerant: nam & bello fortis, & conſilio prudens erat, & æquitate ſumma lites dijudicabat, & liberalitate proceres conciliabat, nec tributis plebem exhauriebat.

XVI. [3] Eodem anno, Percius ſenior [4] iterum in Regem ſuum conjuravit, ut fratris & [5] duorum filiorum cæſorum ultionem ab eo expeteret: ſed detecta conjuratione, & plurimis conſciorum captis & ſupplicio affectis, in Scotiam ſibi metuens fugit, ut inde in Flandriam & Franciam navigaret, & auxilia ad bellum renovandum conquireret. Interea Angli filius Henricus, magnas in Scotorum agros excurſiones terra marique fecit. Is cum præda ingenti parta domum rediſſet, arx Jedburgi, quam hoſtes a prælio Dunelmenſi ad eum diem tenuerant, per plebem Teviotiæ [6] capta & ſpoliata, ac deinde per Gubernatorem ſolo æquata eſt: & Georgius Marciæ Comes, cum ab Anglis, quorum in gratiam multa damna ſuis dederat, neque ad ſua recuperanda auxilium, [7] neque vitæ honeſte degendæ ſubſidium impetraret, per amicos placato Gubernatore, domum rediit: parte tamen patrimonii, nempe arce ad Mabanum lacum & Annandia multatus, quæ Duglaſſio nomine damni dati attributæ ſunt: ac veteribus offenſis utrinque remiſſis, in ſumma cum vicinis concordia, ac fide erga Regem reliquam ætatem tranſegit.

XVII. [8] Proximo anno, Percius, fruſtra pervagatus Franciam ac Flandriam, in

dum *pridie Nonas Aprilis.*

1 *Ut vere de illo dici poſſet*] Majoris ſunt verba: *Bonus vir, ſed parum bonus Rex.*

2 *Rege mortuo*] Conventum Ordinum habitum fuiſſe Perthi menſe Junio 1406, docet Vintonus, in quo Jacobus Rex, etſi captivus, publico præconio Rex eſt pronunciatus; quo minus excuſandi ſunt noſtri ſcriptores, qui Jacobi regnum a ſuo demum in patriam reditu auſpicantur.

3 *Eodem anno*] Imo quidem anno ſuperiore 1405, ut Dugdalius aliique ſcriptores Angli teſtantur; quod & ea quæ ſuperius Lib. X. 14. Buchan. dixerat, poſtulare videntur.

4 *Iterum in Regem ſuum conjuravit*] Prima conjuratio non patris ſed filii fuit, qui in prælio Salopienſi erat cæſus: neque enim ſatis conſtat patrem ejus rei conſcium aut participem fuiſſe.

5 *Duorum filiorum*] Nondum reperi ullum ex Percii ſenioris filiis præter Henricum cognomento Plexippum, in prælio Salopienſi cæſum fuiſſe. Alios quidem duos habuit, Radolphum & Thomam, quorum meminit Dugdalius vol. 1. pag. 278. at quo genere mortis interierint, non narrat.

6 *Capta & ſpoliata*] Hoc, juxta Extract. accidit anno 1409, quo etiam anno Marciæ Comes ad ſuos rediit.

7 *Neque vitæ*] Oſtendit Abercrombius ex Actis publicis Georgium Marciæ Comitem non modo vitæ honeſte degendæ ſubſidium, ſed & opulenta prædia ab Anglo impetraviſſe, vol. 2 pag. 221, & 236.

8 *Proximo anno*] Male hic diſtinguuntur tempora; nam (ſi Anglis ſcriptoribus credamus, Volſingamio, Spedio & Dugdalio,) occiſus eſt Percius ſenior prælio ad *Brambam-Moor* prope *Haſelwood* pridie Kal. Martias anno 1408.

in Scotiam ad Comitem Marcianum veterem amicum eſt reverſus; & ab eo humaniſſime habitus, & pro copiis cultus. Ibi cum de reditu in patriam per occultos nuncios frequenter ageret, ad quendam vetuſtum amicum, &, ut putabat, fidum, [1] Radolphum Rokesbium ſcripſit; „Sibi e Scotis atque Anglis „non defore copias, quibus fretus, patrimonium ſe recuperaturum non deſpe„rabat, ſi opera ipſius adjuvaretur. Erat autem tum Radolphus in agro Eboracenſi Vicecomes, ut vocant, hoc eſt, conventibus juridicis agendis præfectus. Is, cum falſa ſpe auxilii Percium illuc attraxiſſet, conjuratione Regi indicata, miſerum amicum in inſidias illexit; [2] caputque occiſi Londinum ad Regem miſit. Erat autem eodem tempore in Scotia quidam Anglus, qui ſe Richardum ſecundum diceret: ſed falſo, ut reor. Nam cum ſenior Percius ſæpe ac vehementer colloquium ejus expeteret, nunquam tamen inducere in animum cujuſquam oratione poterat, ut cum eo ſermonem conferret: credo, metuens ne impoſtura deprehenderetur, ab homine, qui optime ſuum Regem noverat. Is tamen tanquam Regii ſanguinis unus aliquot annos cultus, &, quo ſecurius ageret, ab omni regni cupiditate ſe alieniſſimum ſimulans, tandem mortuus, in æde Fratrum Dominicanorum Sterlini fuit ſepultus, aſcripto titulo Regis Angliæ. [3] Nec multo poſt, Faſcaſtellum, arx Marciæ longe muniſſima (uti nomen indicat) de Anglis captum, per Patricium Dumbarium Georgii filium: captus quoque Thomas Huldenus arcis præfectus, qui Lothianæ loca propinqua latrociniis aſſidue infeſtabat: & in Teviotia quoque, a Gulielmo Duglaſſio, & Galvino Dumbario, minore Comitis Marciani filio, pons Rosburgi fractus, oppidum incenſum fuit: arcem non ſunt aggreſſi, quod ab omnibus rebus ad oppugnationem neceſſariis imparati venerant.

MCCCC. XI. XVIII. Altero vero poſt anno, qui fuit a Chriſto M. CCCC. XI. Donaldus Inſulanus Æbudarum Dominus, cum Roſſiam, [4] juris calumnia per Gubernatorem ſibi ablatam, velut proximus hæres (uti erat) repeteret, ac nihil æqui impetraret, collectis Inſulanorum decem millibus, in continentem deſcendit; ac Roſſiam facile occupavit, cunctis libenter ad juſti domini imperium redeuntibus. Sed ea Roſſianorum parendi facilitas animum prædæ avidum ad majora audenda impulit. In Moraviam tranſgreſſus, eam præſidio deſtitutam ſtatim in ſuam poteſtatem redegit: deinde Bogiam prædabundus tranſivit; & jam Abredoniæ imminebat. Adverſus hunc ſubitum & inexſpectatum hoſtem Gubernator copias parabat: ſed, cum magnitudo & propinquitas periculi auxilia longinqua exſpectare non ſineret, Alexander Marriæ Comes, ex Ale-

1 *Radolphum*] Extractis *Richardus* appellatur: verum tamen ei nomen, conſentiente Anglorum teſtimonio, *Thomæ* fuit.

2 *Caputque occiſi*] Canitie ſpectabile, quod & ponti Londinenſi pilo affixum eſt, teſtante Volſingamio, qui non inepte ei applicat hos Lucani verſus:

Sed nos nec ſanguis, nec tantum vulnera noſtri
Affecere ſenis, quantum geſtata per urbem
Ora ducis, quæ transfixo deformia pilo
Vidimus. ———

3 *Nec multo poſt*] *i. e.* anno 1410. Extract.

4 *Juris calumnia*] *Calumnia*, inquit Cic. Offic. I. *callida eſt & malitioſa juris interpretatio.*

1 *Ad*

Alexandro Gubernatoris fratre genitus, cum tota ferme Nobilitate trans Taum, ad Harlaum vicum ei ſe objecit. Fit prælium inter pauca cruentum & memorabile, nobilium hominum virtute, de omnibus fortunis deque gloria, adverſus immanem feritatem decertante. Nox eos diremit, magis pugnando laſſos, quam in alteram partem re inclinata: adeoque incertus fuit ejus pugnæ exitus, ut utrique, cum recenſuiſſent quos viros amiſiſſent, ſeſe pro victis geſſerint. Hoc enim prælio tot homines genere factiſque clari deſiderati ſunt, quot vix ullus adverſus exteros conflictus per multos annos abſumſiſſe memoratur: itaque vicus, ante obſcurus, ex eo ad poſteritatem nobilitatus eſt. Hoc quoque anno, publicæ ſcholæ ad Fanum Andreæ aperiri cœperunt, magis hominum doctorum conſenſu, ad profeſſionem literarum ſe offerentium, quam ullo publico aut privato accedente auxilio.

XIX. Proximis decem annis, nihil fere memoria dignum inter Scotos & Anglos eſt geſtum: ſive induciæ in cauſſa fuerint, quod tamen a nemine proditum invenio: ſive, Henrico quarto, [1]ad XII. Cal. Apr. mortuo, & filio Henrico quinto ſtatim ſubſtituto, per omnem reliquam vitam in res Gallicas intento, Angli ab injuria Scotis inferenda abſtinuerint: ſive Gubernator Scotorum nihil movere ſit auſus, metu ne Rex Angliæ verum Scotici regni hæredem remitteret; cui non dubitabat, ex commiſeratione fortunæ, gratiam apud ſuos non defuturam. Igitur, ſi quæ fuerunt ea tempeſtate excurſiones factæ, latrocinio quam bello propiores erant. Nam & Pennerum in Anglia per Arcibaldum Duglaſſium, & Drumfriſium in Scotia per Anglos eſt crematum: & permutatio captivorum eſt facta, reddito Scotis Mordaco Gubernatoris filio, qui ad Homeldonum captus fuerat, & Anglis Percio, qui ab avo, victis partibus, ex Anglia adductus in Scotiam, apud Gubernatorem relictus fuerat; ac tum a novo Rege majorum dignitati reſtitutus. Is quanquam jure belli captivus non eſſet, tamen injuſta detentio Jacobi filii Regis Scotorum fecit, ne Angli de injuria queri poſſent. Ipſe certe Percius adeo non eſt offenſus, ut, dum vixit, Scotorum erga ſe humanitatem ſit omni officiorum genere teſtatus. [2]Eodem quoque anno, altera legatio venit a Concilio Conſtantienſi, cujus princeps erat Abbas Pontiniaci; altera a Petro Luna, qui Papatum ſemel arreptum pertinaciter retinebat. Is, per Henricum Hardinum Anglum Franciſcanum, in ſuam ſententiam traxerat Gubernatorem; ſed fruſtra, cum univerſus ſacerdotum ordo contra niteretur: qui Conſtantienſi Concilio aſſenſi, electioni Martini quinti ſubſcripſerunt.

XX. Interea Rex Francorum cum ex morbo parum ſui compos eſſet, ac per monachos curam ejus profeſſos id malum auctum fuiſſet, Gallia in duas factiones abiit: alterius princeps erat dux Burgundiæ, qui, cæſo Regis fratre, ipſum in partes Anglorum trahebat: alterius caput erat Regis filius, qui a patre

1 *Ad 12 Cal. April.*] 13 Cal. April. dici debebat: obiit enim Henricus IV. 20 Martii anno 1413 juxta ſupputationem Romanam.

2 *Eodem quoque anno*] Hæc male cohærent: Henricus enim Percius majorum dignitati erat reſtitutus anno 1414, Martinus autem V. a Concilio Conſtantienſi electus 11 Novemb. 1417.

patre deliro exhæredatus, per ludibrium ab inimicis Rex Biturigum appellabatur, quod Avarici Biturigum ſe continebat. Is a majore parte ſuorum, & [1] omnibus externis amicis deſtitutus, anno M. CCCC. XIX. Comitem Vindo-
MCCCC XIX. cinenſem legatum ad Scotos miſit, qui ex fœdere auxilium peteret. Ei in conventu Ordinum ſeptem virorum millia decreta: neque tum, juventute per longam ab Anglis pacem multiplicata, difficile fuit eam voluntariorum manum conficere. Omnibus copiis præfectus eſt Joannes Buchaniæ Comes, Gubernatoris filius. Eum multi genere clari ſunt ſecuti: ſed longe ſupra cæteros eminebat Arcibaldus Victoniæ Comes, Arcibaldi ſecundi Duglaſſiorum Comitis filius. Hi cum in Galliam veniſſent, a Delphino (quo nomine Reges Gallorum filios primogenitos appellant) in agrum Turonenſem miſſi, regionem omnium rerum copia in primis abundantem, & hoſti vicinam. Angli enim frater Dux Clarentiæ, qui in Gallia tum pro Rege erat, Andegavenſium, qui [2] in Regis Gallorum fide permanſerant, agros populabatur: ac ad Baugium vicum venturus credebatur. Hæc biduum ante Paſcha gerebantur. Igitur Scoti, vel Ducem rati (ut moris erat) illis paucis diebus ab omni violentia belli ceſſaturum, & cærimoniis tantum Eccleſiaſticis vacaturum; vel (ut alii tradunt) induciis octo dierum factis, negligentius agebant.

XXI. Id ſive Clarentius per Andream Fregoſum Italum, an per Scotos pabulatores ab equitibus ſuis interceptos reſcierit, occaſione rei (uti putabat) bene gerendæ lætus, a prandio ſtatim ſurgens, equitibus modo arma capere juſſis, recta ad hoſtem ducit: ipſe, præter arma reliquumque ornatum, inſignis diademate aureo multis gemmis diſtincto. Proximi hoſtibus pauci Galli, in vico cui Baugius minor eſt nomen, ejus adventu repentino territi, in turrim templi vicini fugerunt. Hi dum oppugnantur, clamore ad reliquum exercitum perlato, ſubito ad arma cum trepidatione magna diſcurritur. Comes Buchaniæ, dum cæteri ſe expediunt, triginta ſagittarios miſit ad pontem (per quem unum torrens propinquus tranſiri poterat) occupandum. Ibi conſerta pugna, Hugo Kennedus, e templo propinquo ubi diverſabatur, cum centum comitibus accurrit ſuis, ut in re tam ſubita, ſemiermibus. Hi cum ſagittis equos tranſitu arcerent, Clarentius cum ſuorum primis ex equo deſcendens, pedeſtrem pugnam ciet: ac valida impreſſione facta, Scotos partim inermes, partim leviter armatos e ponte rejicit, ac iter ſuis aperit. Interea dum Clarentius equum conſcendit, ac reliqui pontem anguſtum rari tranſeunt, Comes Buchaniæ cum ducentis equitibus adeſt, & ſtatim, ut inter cupidos periculum ſui facere, pugnatur acerrime, paribus animis atque odiis. Nam & Scoti gaudebant locum ſe nactos, ubi primum ſpecimen ſuæ virtutis oſtendere poſſent; & Gallorum convicia refutare, qui eos ut vini & cibi avidiores traducebant: quo probro Galli Britannos, Hiſpani Gallos, Afri Hiſpanos inceſſere ſolent. Et

1 *Omnibus externis amicis deſtitutus*] Imo vero eo tempore a Rege Caſtellæ Duceque Mediolano auxilia ei ſunt miſſa. Vid. Mezeraium ad annum 1418.

2 *In Regis Gallorum fide*] Non *Regis*, ſed *Delphini fide* erat dicendum, Rex enim delirus Angli partibus adverſus filium ſe adjunxerat.

1 *Pu-*

Et Angli indignabantur, ſe non ſolum domi, ſed trans mare ab hoſte implacabili peti. Neque quiſquam acrius quam Clarentius ipſe pugnabat. In eum inſignem armis Joannes Suintonius invectus, lancea in facie graviter eum vulneravit, & Buchaniæ Comes clava percuſſum de equo dejecit. Eo proſtrato, paſſim Angli fugere & cædi cœpere uſque ad noctem. [1] Pugnatum pridie Paſchatis, diebus, ut in regione frigida, paullo poſt æquinoctium vernum, brevioribus. Cecidere in eo conflictu, ex Anglis circiter bis mille, inter quos viri inſignes viginti ſex: capti complures homines: domi clari, ac maxime [2] propinqui Ducis: e Scotis & Gallis pauci, fere omnes ignobiles.

XXII. Hæc, quam modo poſui, vulgatior eſt de morte Clarentii fama. Verum liber Pluſcartenſis interemtum tradit ab Alexandro Macalſelano Equite Leviniano, qui diadema, cujus memini, ei detractum, Joanni Stuarto Dernilæo mille angelatis vendidit; quod ille rurſus Roberto Huſtonio, cui quinque millia angelatorum debebat, pignori oppoſuit: & hanc tum vulgatiorem fuiſſe famam inquit. Cum hujus victoriæ laus præcipua, etiam invidis non repugnantibus, penes Scotos eſſet, Carolus Delphinus Comitem Buchaniæ Magiſtrum Equitum ſeu Stabuli Comitem creat; qui ſummus poſt Regem Gallis eſt magiſtratus: cæteri duces pro cujuſque loco & virtute ornati. Hæc dum [3] anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo in Gallia geruntur, Robertus Gubernator Scotiæ [4] eodem anno moritur, ad tertium Non. Septembres, decimo MCCCCXX.

1 *Pugnatum pridie Paſchatis, diebus, ut in regione frigida, paullo poſt æquinoctium vernum, brevioribus*] Buchanani mentem hic non aſſequor. Ejus enim verba, & ſatis quidem aperte, innuere videntur, dies poſt æquinoctium vernum minoribus incrementis augeri in regionibus frigidis, (*i. e.* ut ego interpretor, ab Æquatoris circulo magis remotis) quam in regionibus calidis, ſeu locis Æquatori vicinioribus; cum tamen contrario plane modo ſe res habeat. Præterea hæc, de qua loquitur, Andegaviæ regio, in media fere Gallia ſita, haud ſatis vere *regio frigida* dici meruit, reſpectu præſertim Scotiæ & Angliæ, regionum multo frigidiorum. Nec denique ſatis idonea ratio hic Buchanano ſuppetere videtur, ut cauſſam, cur dies breviores tum eſſent, aliam ullam adjiceret, quam quod paullo poſt æquinoctium vernum ea ad Baugium pugna eſt commiſſa. Nam cum, ut modo oſtendemus, ea incidit in 22 Martii, quæ tum 9 aut ſummum 10 dierum intervallo ab æquinoctio diſtabat, exiguum utique erat, quod diverſus regionum ſitus ad dierum noctiumque diſcrimina tantillo temporis ſpatio amplianda minuendave conferre potuerat. Ob has igitur rationes, niſi omnium librorum conſenſus obſtaret, has voces [*ut in regione frigida*] omnino delendas, vel ſaltem [*in regione calida*] legendum cenſerem.

2 *Propinqui Ducis*] Somerſeti Comes, ejuſque frater Thomas, quorum ſororem Joannam Jacobus I. uxorem ſibi poſtea copulavit.

3 *Anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo*] Ita quidem Joan. Serranus, Æmilium (ut videtur) ſecutus; at Mezeraius, Tillius, aliique Galli, Extr. Ballendenus, & Angli fere omnes, anno 1421. Sed diverſa ſupputandi ratio omnes conciliat. Paſcha enim ejus anni 1421 in 23 Martii cecidit, adeoque hæc pugna in illius *vigilia* (quam vocant) commiſſa, 22 Martii evenit, ſub finem anni 1420, aut initium anni 1421. Fallitur ergo Serranus, qui 9 Aprilis pugnatum tradit, is enim dies anno 1420 Martis erat, 1421 Mercurii, in quorum neutrum vigilia Paſcharis cadere poteſt.

4 *Eodem anno*] 1420 *ſcil.* ſex menſibus ante prælium Baugienſe. Eo autem anno deceſſiſſe commonſtrat Mordaci ejus filii

mo quinto poſt Roberti tertii Regis mortem anno.

XXIII. Sufficitur in locum ejus Mordacus filius, ingenio ſegnis, ac non modo ad rem publicam, ſed ne ad domeſticam quidem regendam ſatis idoneus. Itaque, ſive ſocordia, ſeu nimia erga ſuos indulgentia, liberos (tres autem habebat filios) ita corrupit, ut & ſe & illos brevi poſt in maximam calamitatem, ac demum exitium præcipitaverit. Hæc domeſticarum rerum mutatio [1] revocavit e Gallia Buchaniæ Victoniæque Comites, & complures eorum propinquos: ſed brevi compoſitis domi rebus, revocante Delphino, Comes Buchaniæ, & ſocer ejus Arcibaldus, cum Jacobo filio, & magna juventutis nobiliſſimæ manu in Galliam navigant, relicto altero filio Victoniæ Comite, qui gravi morbo implicitus ſequi non potuit. Hi cum, expoſitis ad Rupellam militum quinque millibus, Pictavium ad Delphinum adveniſſent, cum maxima gratulatione accepti, ac Duglaſſius Dux Turonenſis appellatus. Henricus Anglus, audita Clarentii morte, Joannem alterum fratrem Bedfordiæ Ducem in ejus locum ſubſtituit: eumque ipſe mox venturus in Galliam præmiſit, cum quatuor equitum, decem peditum millibus. Mox ipſe ſecutus, Jacobum Scotorum Regem ſecum in expeditionem duxit, ut per eum Scotos in Gallia militantes, vel ſibi conciliaret, vel a Gallo ut ſuſpectos averteret: ſed neutrum ei ex ſententia ſucceſſit: ac ne illud quidem tenuit, ut rogatu ſui Regis domum redirent, ac ſe belli ſpectatores præberent. Nam cum præſidia, quæ a Scotis tenebantur, adiſſet, ferme ab omnibus unum reſponſum retulit; „Se, qui in „aliena poteſtate eſſet, eum pro Rege non agnoſcere.

XXIV. Hac eorum conſtantia Henricus offenſus, cum vi Meldenſium oppidum cepiſſet, viginti Scotos ibi repertos laqueo ſtrangulandos dedit, cauſſatus, quod adverſus Regem ſuum militarent. Mox [2] ipſe & Carolus ſextus Gallorum Rex prope continuatis funeribus deceſſerunt. [3] Biennio fere poſt, Anglis ad Vernolium victoribus, cæſi fuerunt [4] e primoribus Comites Buchaniæ & Duglaſſiæ, hic dux Turonenſis, ille Magiſter equitum Gallorum: item [5] Jacobus Duglaſſii filius, Alexander Lindeſius, Robertus Stuartus, [6] Thomas Suin-

& ſucceſſoris diploma, ſcriptum 19 Auguſti anno 1423, gubernationis ſuæ tertio. Fœd. Angl. Tom. 10. pag. 298. Errant igitur Extract. Major, Ballendenus, Holinſhedius, Balfurius, Drakius, *&c.* qui omnes anno 1419 extinctum tradunt.

1 *Revocavit e Gallia*] Proxima poſt prælium Baugienſe æſtate, inquiunt Extract. *i. e.* anno 1422.

2 *Ipſe & Carolus*] Deceſſere Henricus 31 Aug. Carolus 21 Octob. anni 1422.

3 *Biennio fere poſt*] *i, e.* 6 Aug. 1424. Male, me judice, in libris omnibus [*biennium*] legitur.

4 *E primoribus*] Addendum videtur diſtinctionis gratia [*Scotorum*.]

5 *Jacobus Duglaſſii filius*] Animadvertunt Crafordius & Humius hoc fieri non potuiſſe, niſi nothus fuerit. Ejus enim filius Jacobus legitimo matrimonio genitus, Abercorni Regulus, poſtea Duglaſſiæ Comes fuit. Vid. Lib. XI 17. Non immerito igitur Crafordius Lib. X. 23. vocem [*notho*] addendum cenſet.

6 *Thomas Suintonius*] Idem Crafordius aut hic *Joannem Suintonium*, aut Lib. X. 21. *Thomam* legendum exiſtimat; eundem enim fuiſſe non ſine ratione arbitratur. Ille autem *Thomam* potius, quam *Joannem* appellatum cenſet, ex eo quod noſtri Annales *Joannem Suintonium* memorant prælio Homeldonenſi ante annos 22 occiſum. Sed

Suintonius, ac e vulgo militum ſupra duo millia. Poſt hanc [1] fere triennio, altera clades inſignis Scotorum auxilia graviter afflixit: cum commeatum Aureliam [2] portantes Anglos in itinere aggreſſi in Belſia infeliciter pugnarunt. Qua in pugna cæſi ſunt e Scotis viri clari, Gulielmus Stuartus cum fratre, ac Duglaſſiæ gentis duo equites inſignes, quorum poſteri, alterius in Nithia Drumlanricum, alterius in Fifa arcem lacus Levini, opulentoſque circa agros adhuc tenent. Hæc fere a Scotis in Gallia paucis annis geſta leviter percurrimus, ut externa, & quorum fuſior explicatio ex annalibus Gallorum peti poteſt. Quæ, etſi ab hiſtoria Scotorum non ſunt aliena penitus, tamen ad ea non divertiſſem, niſi quorundam ſcriptorum Anglicorum obtrectatio eo me coëgiſſet. Maledicendi enim ſtudio vellicare conantur, quæ geſta fuiſſe negare non audeant: quæ, ſi etiam hiſtoria taceret, tamen & Regum munificentia, & civitatum decreta, & honorifica Aureliæ & Turonis monumenta ſatis ea prædicarent. Quid ergo hîc vitio vertunt? Scotos ajunt pauperiores eſſe, quam ut tantas copias in externo ſolo alere poſſent. Paupertatem ſi vitium putant, agri eſt, non gentis vitium. Nec ego id pro convicio accepiſſem, niſi ſcripta eorum conviciandi animo dictum fuiſſe oſtenderent. Quibus hoc tantum reſpondebo, pauperes iſtos, & (ut iſti volunt) omnium rerum inopes Scotos, de opulentis Anglis multas & præclaras retuliſſe victorias. Id ſi mihi non credunt, hiſtoriis a ſe ſcriptis credant: quibus ſi ipſi fidem detrahant, ne poſtulent, ut nos eas pro veris accipiamus. Sed ad res Scotorum redeamus.

XXV. Suffecto, uti diximus, in locum patris Mordaco, ſoluta domi diſciplina, cum liberi ejus (erant autem Valterus, Alexander & Jacobus) inferiores contemnerent, ac proinde multis injuriis opprimerent, adoleſcentiamque eiſdem, quibus ipſi dediti erant, flagitiis contaminarent, nec pater eorum comprimeret licentiam; tandem ad ipſum pravæ inſtitutionis pœna proſerpſit. Habebat ſenex in deliciis avem ex eo genere aquilarum, quod vulgus falcones appellat. Eam cum a patre ſæpenumero Valterus petiſſet, nec aſſequi tamen poſſet, e ſenis manu abreptam obtorto collo extinxit. Cui pater, „Quoniam tu, „inquit, animo tuo imperare non potes, ut mihi pareas, ego alium arceſſam, „cui obtemperare ambo cogemur. Atque ex eo ad Jacobum patruelem reſtituendum omnem animi cogitationem convertit, Caleno Cambello, viro claro

Sed leve admodum hoc argumentum, cum alius facile exoriri potuerit *Joannes Suintonius* prioris filius aut cognatus. Extracta certe (quibuſcum conſentit Spedius) *Joannem* nominant, eundemque Roberti Gubernatoris e filia nepotem. Boëthium autem & Leſlæum non moror, qui pro ſolita ſua negligentia eum *Thomam* appellant. Nec potior Drakii fides, qui neſcio quo auctore *Robertum* vocat.

1 *Fere triennio*] *Quinquennio* dicendum erat, ſi quod omnes fere tam Angli quam Galli ſcriptores teſtantur, anno 1429, accepta eſt hæc clades.

2 *Portantes*] Hæc vox ab Anglico Buchanani interprete perperam ad Scotos refertur; non enim ii, ſed aliquot Anglorum cohortes commeatum ad ſocios Aureliam obſidentes portabant. Rem omnem fuſe exponit Serranus, qui hoc prælium eveniſſe ait 20 Feb. *Halecum* vulgo appellatum, quod id genus piſcium, utpote tempore Quadrageſimæ, Angli advehebant.

1 *Ob*

ro atque inter Argathelios primario, & quem Valterus antea contumeliis affecerat, id conſilium & probante & juvante. Convocatis igitur omnium Ordinum ſelectis Perthum, cum de revocando Rege conſulti eſſent, vel favore erga legitimum regni hæredem, vel præſentium rerum tædio, cuncti libenter decrevere legationem ad eum repetendum. Miſſi e primoribus legati, proniores quam ſperaverant Anglos invenere. Dux enim Gloceſtriæ, qui tum Rege puero rem Anglicam adminiſtrabat, advocato Concilio, facile perſuaſit, ut Jacobus Regis Scotorum filius ſuis petentibus domum remitteretur, quando nec ea eſſet apud ſuos auctoritate, ut vel auxilia Scotorum e Gallia revocaret, vel aliquam regni partem ad Anglorum amicitiam attraheret. Alia igitur ratione fructum ex eo capiendum eſſe, ut non modo firmus amicus, ſed etiam perpetuo in Anglorum poteſtate eſſet. Nam Joannam Comitis Somerſeti filiam omnium æqualium longe formoſiſſimam (quam jam tum ille vehementer deperibat) ſi uxorem acciperet, per eam fœdus Gallicum facile labefactari poſſe ſibi perſuadebat: & ipſum liberatum, vel eo beneficio conciliatum iri, vel, dum propinquorum adverſum ſe injurias ulciſceretur, patriam gravi & inteſtino bello illigaturum. Hac ratione futurum, ut vel amico parato firmiores, vel inimicis inter ſe diſſidentibus expeditiores ad externa bella Angli fierent.

XXVI. Hæc quidem minime ſtulte excogitata videbantur, niſi animi puſilli anguſtia ipſi ſuum beneficium corrupiſſent. Nam, cum [1] ob eum redimendum majorem pecuniæ ſummam popoſciſſent, quam Scoti, ut tum res erant, vel promittere auderent, vel ſolvere poſſent, ab eis inita ratio eſt, ut [2] pro dimidio dos uxoris retineretur, pro altero filii nobiliorum obſides darentur. Jacobus igitur ita liberatus [3] domum rediit, decimo octavo quam captus fuit

1 *Ob eum redimendum*] Falluntur plerique noſtri ſcriptores, qui Scotos ob Regem ſuum redimendum Anglo pepigiſſe affirmant centum marcarum millia. Primum enim ex ipſis Anglorum Actis publicis liquet non amplius quam quadraginta millia librarum pacta fuiſſe, ſex annis æquis portionibus ſolvenda. Eam autem ſummam non redemtionis pretium, ſed compenſationem pecuniarum in alimentum Regis Scoti, dum inter ipſos degeret impenſarum, Angli petebant. Videſis Abercrombium, qui pro ſolita ſua induſtria totum Jacobi I. liberandi proceſſum ex Actis publicis erutum celebri in luce repoſuit, vol. 2. pag. 260, & ſeqq.

2 *Pro dimidio dos uxoris retineretur*] Non *pro dimidio*, ſed *quarta* duntaxat *parte*. Dos enim dicta erat 10000 libræ, quas matrimonii gratia Henricus Jacobo de 40000 ipſi ſolvendis remiſit. Fœd. Angl. Tom. 10. pag. 322.

3 *Domum rediit, decimo octavo*] Captus eſt Jacobus I. ut ſupra oſtendimus anno 1405, & quidem juxta Vintonum 12 Aprilis: liberatus vero Scotiæ fines ingreſſus eſt 1 die Aprilis anno 1424, uti ex Actis publ. colligitur, comparando 13 Articulum Conventionis inter utriuſque Regis legatos, cum ipſius Jacobi literis eam confirmantibus, Ibid. Tom. 10. pag. 305. & 343. Jacobus igitur in Anglia retentus eſt annos novemdecim, demtis tantum diebus 11. Noſtri autem omnes cum Buchanano conſentiunt, quia, credo, de ejus liberatione anno præcedente erat conventum. Noſtram vero ſupputationem recte ſe habere porro oſtendunt Angli ad ſuos legatos mandata, ſexto Julii anno 1423 ſcripta, quibus triginta ſex millia librarum ad minimum a

Sco-

fuit anno, [1] a Chriſti adventu M. CCCC. XXIII. Cum ad Regem ſuum viſendum maximus concurſus omnium ordinum factus fuiſſet, gratulationes univerſorum excepere ſtatim quærelæ eorum, qui poſt Regis proximi mortem, partim negligentia, partim culpa Gubernatorum, omni genere injuriarum ſe affectos vociferabantur. Valterus Mordaci filius, Milcolumbus Flaminius & Thomas Bodius graviſſime accuſabantur. Hi, ut vulgus in præſentia placaretur, alii in alias cuſtodias incluſi, uſque ad conventum proximum, qui [2] in ſextum Calendas Junias erat indictus. Sed Flaminius & Bodius, damnis aut perſolutis aut compenſatis, & multa pecunia multæ nomine in fiſcum collata, dimiſſi. MCCCC XXIII.

CII. REX.

XXVII. REX interea ad [3] undecimum Calendas Maji una cum Regina coronatus. Ipſe in ſede Regia a Mordaco patruele (quod id jus Comitum Fifanorum eſſet) collocatus. Proximis diebus multæ leges in publicum utiles latæ: ſed potiſſimum ad latrocinia compeſcenda, quæ ſuperiorum aliquot annorum licentia tantum increverant, ut contemtis legibus & magiſtratibus jus in armis eſſet. Agitatum deinde, de penſione Anglo ob redimendum Regem ſolvenda, ut aliqua ratio iniretur. Nam, cum patrimonium publicum, tot bellis, & bella ſecutis ſeditionibus domeſticis, a Gubernatoribus partim condonatum eſſet ſcelerum adminiſtris, partim de regno bene meritis, interim accepta pecunia pignori oppoſitum, Rex, cum de ſuo ſolvere non poſſet, civium imploravit auxilium. Proceres, qui liberos dederant obſides, facile perfecerunt, ut decretum fieret: verum in pecunia præſtanda non eadem facilitate obtemperatum. Nam cum æſtimatione rerum mobilium cujuſcunque generis facta, viceſima imperaretur; in magna pecuniæ penuria, rerumque aliarum ſumma copia, ac proinde vilitate, hominibus tributorum inſolentibus, & exemplum in poſterum magis quam præſens detrimentum metuentibus, res viſa eſt intolerabilis. Nec potentiores calumnia in vulgus caruere, velut inclinato ab ipſis in pauperiores onere. Maxime autem plebem gravabat brevis ſolutioni dies ſtatutus. Nam intra decimum quintum diem dependere tributum jubebantur: &

ſi

Scotis pro expenſis Regis ſui, dum in Anglia degebat, exigi præcipit, *i. e.* inquit, *pro unoquoque anno duo millia librarum*: proinde jam tum octodecim annos in Anglia manſerit oportet. Ibid. pag. 295.

1 *A Chriſti adventu M. CCCC. XXIII.*] Errat cum pleriſque aliis noſtris ſcriptoribus Buchananus, nam ex iis, quæ ſupra diximus, clariſſime elucet eum Scotiam ſuam reverſum fuiſſe 1 die Aprilis. Mulroſſiæ fuit die 5, tertioque poſt die Edimburgum venit, ſive, uti Extracta loquuntur, *pridie ante Dominicam in paſſione*, *i. e.* Dominicam ſecundam ante Paſcha, quod eo anno in 23 Aprilis incidit.

2 *In ſextum Cal. Junias*] *Septimum* dictum oportuit, ex primis enim ejus actorum verbis apparet eum in 26 Maji indictum fuiſſe.

3 *Undecimum Cal. Maji*] Uno rurſus die totoque menſe deerrat a vero, ni Extract. lib. Perthenſis, Boëthius, Balf. Drakius, *&c.* falluntur, qui omnes eum 21 Maji coronatum tradunt. Neque præterea vero ſimile videtur eum ipſo Dominicæ paſſionis die coronari voluiſſe. Vid. Cap. præced. *Duodecimam* igitur *Cal. Junias* legendum.

ſi quis non ſolviſſet, pecus ejus ad dominum fundi, vel juridicum cujuſque conventus præfectum trahebatur. Nec æris alieni, aut cenſus, quem pro penſione quiſque domino fundi ſolvebat, exceptio quicquam ad imminuendum tributum valebat. Nec minimum malum in acerbitate coactorum erat: qui non ſolum plebem vexabant, ſed aut falſis rationibus aut nomine impenſarum, magnam ejus pecuniæ, quæ in publicum uſum colligebatur, partem avertebant. Eo etiam gravius erat præſens tributum, quod laxiore imperio ſub Gubernatoribus habiti erant, qui omnibus in rebus animum populi ſibi conciliare ſtudebant, ne juſti Regis deſiderio aliquando caperentur. Ob eamque cauſſam cum conventus tributum Roberto Regis patruo exigere permiſiſſent, ille, ut benevolentiam popularem colligeret, quo minus decernèretur, obſtitit: „ ſeque affir„mavit potius de ſuo eam pecuniam ſoluturum, quam ut quiſquam eo nomine gravaretur. Rex autem primam penſionem, eamque maligne contributam cum exegiſſet, idque cum peſſima plebis gratia, præter belli laborem querentis hæc nova onera ſibi impoſita, reliquam exactionem remiſit.

XXVIII. [1] Capti in hoc conventu, & in cuſtodias diviſi Mordacus Dux Albiniæ, filii ejus [2] Valterus & Alexander, & ſocer Dunachus Comes Leviniæ, & Robertus Gramus, is qui poſt aliquot annos Regem trucidavit: item viginti quatuor primæ nobilitatis viri. Sed reliqui non adeo diu poſt dimiſſi, Mordaco [3] cum filiis & ſocero retentis. Eodem quoque die, quo captus fuerat Mordacus, Rex ejus arces in ſuam poteſtatem redigendas curavit, in Fifa Falcolandiam, in Taichia Dunum. Ex hac uxor ejus educta ad Tentallonem Lothianæ arcem miſſa. Jacobus filiorum minimus audita clade familiæ, collecta manu Britannodunum oppidum cremavit, & Joannem Stuartum Rufum Regis patruum, & cum eo [4] triginta duos trucidavit. Ipſe in Hiberniam profugit; ibique paullo poſt deceſſit. Ibidem quoque mortuus eſt, qui cum eo fugerat Finelaus Liſmorenſis Epiſcopus, vir ordinis Dominicani, qui Jacobo erat auctor omnium conſiliorum. Fugerat etiam in Hiberniam Valteri uxor [5] cum duobus filiis Andrea, Alexandro, & Arcturo notho: [6] qui Jacobo tertio Rege domum reverſi magnis honoribus ſunt perfuncti.

XXIX.

1 *Capti in hoc conventu*] Non in hoc ſed ſequenti conventu captum Mordacum teſtantur alii noſtri ſcriptores, Extract. Drummondus, Boëthius, Ballendenus, Abercrombius.

2 *Valterus*] Non ſatis accurate hæc traduntur: Valterus enim ſupra in cuſtodiam ante hunc conventum incluſus, nec dimiſſus memoratur, in fin. Cap. 26

3 *Cum filiis*] Ita legendum, non [*filio*] (quod libri omnes habent) oſtendit Lib. X. 28. & 29.

4 *Triginta duos*] Ita quidem Ballendenus, Drummondus 30, Boethius 100 ſcribit.

5 *Cum duobus filiis Andrea, Alexandro, & Arcturo*] Hi *Andreas*, *Arcturus* & *Valterus* vocabantur, omnes filii nothi, non *Valteri*, ſed *Jacobi Stuarti* ejus fratris natu ſecundi. Hujus rei indicium exſtat in Actis Scotiæ publicis, reſcriptum *ſcil.* Jacobi III. 14 April. 1479, regni 19, quo eos eiſdem privilegiis gaudere jubet, ac ſi legitimo toro geniti fuiſſent. Idem habent Abercrombius & Georg Crafordius, qui chartam ſibi viſam affirmant, qua legitimi facti ſunt, hic anno 1474, ille 1472.

6 *Qui Jacobo III.*] Reverſi videntur omnes regnante Jacobo II. Certe maximus natu Andreas (uti oſtendit Geo. Crafordius)

XXIX. [1] Eodem anno, convocatis Sterlinum proceribus, producti e cuſtodiis ad cauſſam dicendam Mordacus cum duobus filiis & ſocero. Judicium patrio more conſtitutum. Mos autem hic eſt. Eligitur qui præſit vir ſingulari prudentia & auctoritate: ei dantur minimum duodecim aſſeſſores, qui crimina objecta audiant, & jurati de reo pronuncient. Hi fere ejuſdem cum reo ſunt ordinis, aut proximi, quoad fieri poteſt. Reo judicum rejectio datur. Ubi juſtus numerus, id eſt duodenarius, eſt confectus, aut, ut fit plurimum, eo major, expenſis criminibus, quod plures judicarint, ei ſententiæ ſtatur. Hoc more tum ſelectis judicibus, quorum non eſt operæ pretium nomina referre (erant certe omnes homines clari, & cum reis pleriquc propinqua cognatione juncti) rei ſunt perduellionis damnati. Eo ipſo die duo juvenes, poſtridie pater eorum & avus maternus capitali ſupplicio affecti, in colle, qui aſſurgit contra arcem Sterlini. Fama quidem conſtans eſt, etſi a nemine ſcriptum reperiam, Regem ad Iſabellam patruelis uxorem miſiſſe patris, mariti & filiorum capita, tentandi gratia, an mulier ferox ex doloris impatientia (ut fit plerumque) animi ſecreta revelaret. Illam vero, etſi inopinato aſpectu turbaretur, nihil tamen immoderatius locutam: tantum reſpondiſſe, „Siquidem vera fuerint objecta crimina, Regem recte & jure feciſſe. Finito conventu, miſſi a Rege Joannes Mongomerius, & Umfridus Cunigamius ad oppugnandam arcem, quæ in Marini inſula in lacu Lominio nomine Jacobi Stuarti profugi tenebatur, eam ad deditionem compulerunt. [2] Nec adeo multo poſt, Joannes Stuartus Dernilæus (qui, cæteris fere Scotorum ducibus in Gallia variis caſibus abſumtis, equitum inter eos præfectus erat) una cum Archiepiſcopo Rhemenſi in Scotiam venit, ad vetuſtum cum Gallis fœdus renovandum, ac matrimonium contrahendum inter Ludovicum Caroli ſeptimi filium, & Margaritam Jacobi filiam, utroſque adhuc impuberes.

XXX. Quibus rebus perfectis, anno proximo, qui fuit milleſimus qua- MCCCC
dringenteſimus vigeſimus ſextus, pacata omni Scotia intra montem Grampium, XXVI.
Rex animum adjecit ad ulteriora perdomanda. Ac primum omnium Ennerneſſæ arcem opportuno loco in ultimis Moraviæ finibus ſitam refici jubet. Eo cum [3] biennio poſt veniſſet ad jus dicendum, latrociniaque comprimenda, omnium familiarum principes ad ſe arceſſivit, præſertim eos, qui cum magnis catervis ſoliti erant e locis vicinis prædas agere, pacatis tributa imperare, ac vulgus ad victum otioſis ſuppeditandum cogere. Horum alii mille, alii duo millia, nonnulli etiam plures latrones ſibi dicto audientes habebant, ac bonos pe-

dius) Avendaliæ Regulus appellabatur anno 1456. Anno quidem 1463, (monſtrante eodem Crafordio) regni Cancellarius ab Jacobo III. eſt creatus, quem & honorem per 18 annos perpetuo obtinuit.

1 *Eodem anno*] Quo anno? Quem proxime meminerat erat 1423. Extract. autem anno 1425, Boëthius 1426, Mordacum cum filiis capite plexos ſcribunt.

2 *Nec adeo multo poſt*] Serius tamen quam Buchananus exiſtimavit, anno nimirum 1428, ut ex Actis Scotiæ publicis liquet: quamvis ille annum 1425 indicare videatur, quippe qui *annum proximum* 1426 indigitet, in init. cap. 30.

3 *Biennio poſt*] *i. e.* anno 1428. Extract. tamen & Major hoc factum produnt anno 1427.

periculi metu tenebant obnoxios, malos, quibus apud eos perfugium certum erat, ad ſcelera patranda reddebant audaciores. Horum cum Rex alios minis, alios blanditiis illexiſſet, circiter quadraginta ex eorum ducibus in cuſtodias incluſit: quorum cauſſa cognita, duo maxime facinoroſi Alexander Macrorius, Joannes Macarčturius laqueo ſtrangulati. Jacobus Cambellus, ob cædem Joannis Inſulani, viri clari inter ſuos, capite luit: reliqui per cuſtodias diviſi, alii poſterius ſupplicio affecti, alii liberi domos dimiſſi. Ita principibus factionum vel cæſis vel carceribus coërcitis, plebem ducibus orbatam nihil auſuram ratus, benigne & clementer admonuit cæteros: „Ut æquitatem colerent, „neque certiorem ſpem ſalutis ulla in re, quam in vitæ innocentia collocarent. „Id ſi facere in animum inducerent, apud ſe honorem & præmia ſemper eis „parata fore: ſin minus, ex aliorum exitu exempla ſumerent, & quid ipſis „foret exſpectandum diſcerent.

XXXI. Cæteris rebus ita compoſitis, adhuc habebat apud ſe Alexandrum Inſulanum, unum poſt Regem longe potentiſſimum. Imperabat enim omnibus Æbudis, ac Roſſiæ præterea fertiliſſima regione per matrem Valteri Leſlii Roſſenſis nuper Comitis filiam auctus erat. Is cum multa flagitioſe, multa crudeliter perpetraſſet, atque in maximo metu verſaretur; tamen per amicos Regem exorabilem eſt expertus. Benigne igitur appellatus, & præteritorum gratia facta, & in poſterum ſpe ampla propoſita, ſi legibus & humanitati aſſueſceret, domum remittitur. Ille vero tantum abfuit, ut ob veniam, ac deinde libertatem a Rege acceptam gratiam habuerit, ut maximam ſibi factam injuriam exiſtimaverit, quod in cuſtodia dies aliquot fuerit habitus. Igitur ubi primum ad ſuos rediit, collecta manu hominum rapto vivere aſſuetorum; Ennerneſſam ingreſſus agmine pacato, hoſpitaliterque acceptus, oppidum in prædam ſuis permiſit. Deinde expilatis ædibus ignem injecit: arcem fruſtra obſeſſam, cum in ſe reſciſſet parari expeditionem, relinquens in Abriam propere diſceſſit. Ibi cum eo, quem habebat, exercitu (habebat autem ad decem millia virorum in armis induratorum) opportunitate locorum fretus fortunam prælii experiri decreverat. Verum audito apparatu Regio, ex iis, qui alacriter ad prædandum ſecuti fuerant, duæ tribus eum deſeruerunt; Catanei nempe & Cameronii, quos illi ſuo more Clanchatan & Clanchameron vocant.

XXXII. Hac parte virium deſtitutus, nec de cæterorum erga ſe animo certus, iterum circumſpicere latebras cœpit: ac dimiſſo exercitu cum paucis in Æbudas profugit: atque ibi cum ſuis de fuga in Hiberniam conſultat. Sed cum nec illic a Regis ira ſe fore tutum ſperaret, ultimum perfugium experiundum eſſe ratus ad Regis ante perſpectam clementiam. In eo quoque conſilio cum inter ſpem metumque dubius reputaret, quid ſcelerum prima defectione patraſſet, quam liberalem & indulgentem Regis animum expertus eſſet, quanta perfidia & crudelitate iterum graſſatus ſpem ſecundæ veniæ ſibi præcidiſſet, Regis erga ſe iræ tam juſtæ fortunas omnes & ſalutem committere formidabat. Medium igitur inter fugam & deditionem conſilium exequi decrevit: ac deprecatores in aulam miſit, per quos animum Regis ad lenitatem inflecteret. Ad id munus quanquam delegerat homines quietos, & a contagione

ſui

ſui ſceleris alienos, ideoque Principi non ingratos; tamen illi reſponſum aliud exprimere non potuerunt, quam Regem, „eum non alioqui auditurum, niſi fidei ſuæ commiſſum: cum abſente nihil tranſacturum. Alexander omnibus periculis circumſpectis, cum nihil adverſus iram Regis tutum ſibi proſpiceret, tempore & loco ad id electo, ſe ei permittere ſtatuit. Ita enim ſupplicem violandi verecundiam ſe ei injecturum. Itaque occultus Edimburgum, ubi tum Rex agebat, venit: ac lineo tantum amiculo tectus magis quam veſtitus, [1] eo die, quo memoria reſurrectionis Dominicæ magna cærimonia celebrabatur, ad genua Regis ſupplicem ſe dejecit; ac oratione ad miſericordiam compoſita, ſe ſalutemque ſuam ei credidit. Movit circumſtantes habitus, locuſque & tempus, ac tanta & tam ſubita fortunæ mutatio. Regina, proceresque qui aderant, pro eo Regem deprecati, hactenus moverunt, ut [2] juberentur ſacrorum finem exſpectare. Interea Rex omnia ſecum perpendens, cum nec tutum exiſtimaret, hominem potentem, factioſum & perfidum impune dimittere incolumem, aliquidque tribuere Reginæ precibus vellet, optimum factu ratus, ut vivum in cuſtodia firma retineret: ita fore, ut & ſibi opinionem clementiæ pareret, & illi poteſtatem novi ſceleris patrandi auferret, & plebis proſpiceret ſecuritati, & exemplo licentiam aliorum reprimeret. Illum in Tentallonem mittit, matrem mulierem ferocem in Æmonam inſulam relegat, ut quæ filium ſubinde ad nova ſcelera impuliſſe credebatur.

XXXIII. Ita inhibita Alexandri licentia, nondum tamen in regionibus ad ſeptentriones porrectis res omnino tranquillæ fuerunt. Nam & Catanei, & Cameronii, qui ſuperioribus annis Alexandrum deſeruerant, orto inter ipſos diſſidio, tanta contentione animorum & virium pugnarunt, ut multis Cataneorum trucidatis, Cameronii pene omnes exſtincti fuerint. In Æbudis quoque, quæ relegatione Alexandri quieturæ videbantur, novum excitavit motum Donaldus Balochus Alexandri frater patruelis, velut injuriam propinquo illatam ulturus. Ad hunc tumultum comprimendum Alexander & Alanus Stuarti, hic Cathaneſiæ, ille Marriæ Comes, coacta popularium manu obviam Donaldo in Abriam (ubi exſcenſurum fama erat) profecti, adventum ejus præſtolabantur. Ille, cum eos incompoſitos, ſine caſtris, ſine excubiis agere comperiſſet, de quarta vigilia ſuis ſine tumultu expoſitis, necopinantes & ſemiſomnes aggreſſus magnam ſtragem edidit. Periit ibi Alanus cum ſuis fere omnibus. Alexander trepida fuga cum paucis evaſit. Hoc ſucceſſu Donaldus ferocior, totam Abriam, nullo reſiſtere auſo, ferro flammaque late pervaſtavit. Sed audito Regem majore in ſe apparatu venire, præda ampliſſima in naves congeſta, in Æbudas rediit. Rex ad Stephanodunum progreſſus, populationis fœdiſſimæ veſtigia conſpicatus, ingentemque irarum molem in animo verſans, cum jam tra-

1 *Eo die*] Ita quidem Boëthius ejuſque interpres: at Extract. *pridie ante feſtum D. Auguſtini, i. e.* 27 Auguſti.

2 *Juberentur*] Ita MS. & princeps Editio Edinb. quibuſdam tamen libris [*juberetur*] legitur: verum eodem res redit, hoc enim ad ipſum Alexandrum, illud ad Reginam & proceres pro eo deprecantes referendum eſt.

trajecturus in inſulas foret, familiarum principes ad eum ſupplices venerunt, negantes quicquam conſilio publico actum, culpam in Alexandrum, hominesque egentes & facinoroſos conferebant. Rex, „ita demum ſe hanc purgatio- „nem admiſſurum reſpondit, ſi ſceleratos comprehenſos ſibi ad ſupplicium tra- „derent. Ad id cum ſuam operam pollicerentur, partem eorum ad latrones conquirendos dimiſit, reliquos obſidum loco apud ſe retinuit. Qui remiſſi domos erant, multos e latronibus occiderunt, trecentos ad Regem vinctos adduxerunt; nam Donaldus ipſe metu pœnæ profugerat. Omnibus laqueo gula fracta.

XXXIV. Hoc latronum ſupplicium etſi in Æbudis proximiſque regionibus omnia paullo fecit pacatiora ad tempus, tamen inquieta ſceleratorum ingenia non ſunt paſſa eam tranquillitatem eſſe diuturnam. Emiſerat Rex e cuſtodiis, nobilium precibus exoratus, duos Anguſios Duffum & Moravium latronum duces. Hi furore in ſe verſo, pari fere numero congreſſi (alebat enim e plebis rapinis latrones quiſque ad mille ducentos) adeo pertinaciter conflixerunt, ut vix ex utriſque ſupereſſent cladis nuncii. Alii enim duodecim, alii novem ei prælio ſuperſtites fuiſſe prodiderunt: Regi certe, utriſque pariter infenſo, vix reliquerunt unde pœnas expeteret.

XXXV. Nec tamen horum calamitas Macdonaldum retardavit a ſolita immanitate. Erat is inſignis latro in Roſſia natus: qui impunitate ſuperiorum temporum pravum ingenium incitante diu in vicinos graſſatus fuerat. Unum præter alia inſigniter crudele facinus ejus narratur. Cum vidua mulier ab eo ſpoliata vehementer quiritaretur, atque identidem clamaret; „Se ad Regem querimoniam delaturam: „Et tu, inquit, quo minore moleſtia illuc pervenias, ego quoque te juvabo: advocatoque fabro, ſoleas equinas plantis ejus clavis ferreis affigi curat: nec hac injuria contentus, etiam verborum contumelias adjecit; „Eam adverſus aſperitates viarum ſic munitiorem fore: ac per ludibrium prætereuntibus ita confixam oſtentabat. Mulier ferox, contumeliis magis accenſa quam deterrita, ubi primum iter tolerare poterat, ad Regem profecta rem ordine denarrat. Rex, qui & ex aliis idem audierat, & auctorem facinoris in vinculis habebat, mulierem conſolatus, brevi ejus ſceleris pœnam in inventorem redundaturam promiſit: prolatoque e carcere Macdonaldo cum duodecim ſociis, clavis ferreis confixos triduo per urbem circumduci jubet, novi ſupplicii cauſſa per præconem populo indicata. Deinde ducis corpus capite truncum, duodecimque ſocios laqueo ſtrangulatos in cruces propter vias attolli juſſit.

XXXVI. Hæc nova eorum ſcelera, quos impetrata ſemel venia non repreſſerat, Regem acriorem in Donaldo Inſulano perquirendo fecerunt. Igitur eum cum reſciſſet apud Regulum quendam in Hibernia latere, per legatos ad ſupplicium repoſcit. Regulus veritus, ne, ſi tanto terræ mariſque ſpatio vivum tranſmitteret, elaberetur, idque malevoli ſua fraude factum calumniarentur, occiſi caput legato deferendum dedit. Latrociniis apertis hac diligentia cohibitis, Rex occultiora crimina, & pravas conſuetudines tollere aggreſſus, viros claros, pru-

dentia & ſanctitate commendatos, ad id munus elegit: eiſque poteſtatem dedit, ut luſtrato regno querimonias omnium audirent; & crimina, ſi qua ad eos deferrentur, de quibus ordinarii judices vel per metum non auderent, vel per odium favoremve non deberent aut nollent, de iis ipſi cognoſcerent. Addidit & [1] ponderum & menſurarum correctorem, rem maxime neceſſariam: cum non ſolum in ſingulis urbibus, ſed etiam prope domibus diverſæ menſuræ eſſent: & in conventu leges ea de re ſaluberrimas fecit: & menſuras ferreas certis in locis cuſtodiri juſſit: & qui ad eam publicam formam cæteras conformaret, per omnia fora & conciliabula miſit, gravi pœna indicta, ſi quis alia menſura quam publice ſignata uteretur.

XXXVII. Hæc dum molitur ad uſum publicum, anno milleſimo quadringenteſimo triceſimo, [2] quartodecimo die Octobris, nati ſunt ei gemini. Ob id cum publicum gaudium celebraretur, Rex quoque, ut aliquid & ipſe ad popularem lætitiam adjiceret, nobilibus viris nonnullas offenſas condonavit: quorum principes erant Arcibaldus Duglaſſius & [3] Joannes Kennedus: qui, quod de ſtatu publico & regni adminiſtratione, temere ac liberius quam oportebat locuti fuiſſent, Duglaſſius in arcem lacus Levini, Kennedus Sterlinum relegati fuerant. Addidit etiam animi reconciliati erga Duglaſſium ſigna, quod ipſum liberis baptizandis teſtem adhibuit: quæ res [4] inter ſignificationes honoris, & neceſſitudinum cauſſas haberi ſolet: filium quoque ejus inter equites, qui ad publicæ lætitiæ teſtificationem creati ſunt, eſſe voluit. MCCCC. XXX.

XXXVIII. Cæteris regni partibus perpurgatis, ad Eccleſiaſticum ordinem inſtaurandum ſe retulit. At ſacerdotes per magiſtratum corrigi non poterant. Jam enim diu, per totam Europam Regibus bello impeditis, paullatim ſacrificulorum ordo juriſdictioni eorum ſe ſubtraxerant, unique Pontifici Romano parebant. Is autem vitiis eorum indulgebat, quod rem quæſtui ſibi videret eſſe: & licentiam fovebat, ut per ordinis ejus potentiam Reges ſibi magis obnoxios haberet. Igitur Rex, qua una ratione poterat, obviam ire eorum tyrannidi ſtatuit. Nam, cum præterita emendare, & homines honoribus indignos ex eo, quem ſemel occupaverant, loco exturbare perſpiciebat in ſua poteſtate non eſſe, in futurum ſibi providendum ratus, ad ſcholas literarum ordinandas animum intendit; eaſque liberalitate & favore proſequendas: quod hoc omnium ordinum eſſet ſeminarium; & inde quicquid ulla in reip. parte magnum & excellens foret, velut e fonte promanaret. Neque ſolum doctores literatos præmiis illexit, ſed

1 *Ponderum & menſurarum*] Hæ de ponderibus & menſuris leges latæ ſunt anno 1425, quamvis Buchananus eas latas innuat poſt regnum demum latrociniis purgatum.

2 *Quartodecimo die*] Alii omnes (quorum conſentienti teſtimonio major fides debetur) 16 *Octobris* natos tradunt.

3 *Joannes Kennedus*] Verum ei nomen *Gilberto* fuiſſe oſtendunt Tho. & Geo. Crafordii, e Rotulis Jacobi II. quemadmodum cum Drummondus in ſua quinque Jacoborum Scotiæ Regum Hiſtoria appellat.

4 *Inter ſignificationes honoris & neceſſitudinum cauſſas*] Libri omnes, *Inter ſignificationes & honoris & neceſſitudinum cauſſas*: nos prius illud [&] ſuperfluum exiſtimantes rejecimus.

ſed ipſe plerumque diſputationibus eorum aderat: & quandocunque otium ei a rebus civilibus erat, literatos ſermones libenter audiebat: falſamque opinionem ex animis hominum nobilium vehementer contendebat eximere, quod literæ a rebus gerendis homines ad otium & ignaviam traducant, animoſque militares molliant, & omnes generoſos eorum impetus aut frangant aut debilitent; literarumque ſtudia ad monachos, homines alioqui inutiles, velut in ergaſtulum [1] *eſſent releganda.* Verum illi, ut a majorum ſimplicitate & parſimonia degeneraverant, ita ab animi cultu ad corporis curam ſe totos contulerant. Nec in reliquis ſacerdotibus minor erat eruditionis contemtus, ex ea maxime cauſſa, quod ſacerdotia vel ignaviſſimis nobilium familiarum hominibus, & ad alias vitæ partes prorſus ineptis mandabantur, vel fraude Romanenſium intercipiebantur: eratque omnino ſacerdotium nihil aliud, quam operæ, nec ſemper in rebus honeſtis navatæ, pretium.

XXXIX. Acceſſerat & aliud malum ad corrumpendam diſciplinam Eccleſiæ vel maximum, ordines fratrum mendicantium. Hi cum initio ſimulatione vitæ ſeverioris facile populo impoſuiſſent, ut eos libentius, quam ſuos Curiones, & animis & corporibus juxta craſſos, audirent; & Curiones, ut quiſque ditior erat, ita ſuum munus maxime faſtidiret, cum fratribus (ita illis vocare ſe placuit) [[2] *Curiones*] tranſigebant, ut penſione annua eos conducerent ad paucas conciones ad plebem ſingulis annis habendas. Ipſi in urbes ad otioſas cantiunculas, velut magico ritu, ignari quid dicerent, ſe congregarunt: neque [3] curiam quiſque ſuam, niſi cum decimæ colligendæ erant, unquam reſpiciebant: paullatimque etiam ſeſe a pſallendi certis horis in templis, levi quidem illo, ſed quotidiano tamen labore exemerunt, conductis pauperibus ſacrificulis, qui vicem ipſorum fungerentur in canendo & miſſificando; certoque pſalmorum penſo, quod in ſingulos dies imperabatur, emurmurando colluderent: & nunc alternis verſibus contendentes, nunc choros inter actus adhibentes tragœdiæ ſpeciem exhibebant, quæ Chriſti morte imaginaria claudebatur. Fratres quoque eorum mercenarii nec audebant conductores ſuos offendere, a quibus omnino pendebant; nec inſolentiam cum avaritia conjunctam ferre poterant. Itaque velut media quadam via inita, ut facilius ad perſolvendam penſionem eos cogerent, in luxum & libidinem eorum populo ſecundo ſæpe acerbe declamabant. Et cum ad illos metu continendos, & vulgus conciliandum ſatis debacchati

1 *Eſſent releganda*] In libris omnibus antea legebatur [*relegabant*;] cui verbo cum nullus aptus præcedat Nominativus, prorſuſque inſolita videatur Ellipſis hic [*homines nobiles*] ſubintelligere, nos utcunque emendavimus, *eſſent releganda.* Multo tamen ornatius concinniuſque, ſi liceret, ſic conſtitui poteſt tota ſententia: *Falſumque opinionem ex animis hominum nobilium vehementer contendebat eximere, qui literas a rebus gerendis homines ad otium & ignaviam traducere, animoſque militares mollire, & omnes generoſos eorum impetus aut frangere aut debilitare exiſtimabant, literarumque adeo ſtudia ad Monachos, homines alioqui inutiles, relegabant.*

2 *Curiones tranſigebant*] Ut ſententia plenior magiſque aperta procederet, vocem [*Curiones*] repetendam cenſuimus.

3 *Curiam ſuam*] *Curiæ* antiquitus dictæ, ubi ſacerdotes res divinas curabant, inquit Varro L.L. l. 3.

1 Paſ

chati eſſent, ſibi quoque, cum in gente ſacerdotum eſſent, in tempore proſpiciebant, docendo; „Utcunque alia eſſent, ordinem tamen ſacroſanctum „eſſe, nec profano magiſtratui ullam in eos eſſe animadverſionem. Deo ſoli, „& Pontifici Romano (cui par quodammodo cum Deo eſſet poteſtas) eos per-„mittendos. Et quia ſimul cum luxu creſcente avaritia, non ſatis magnum ab illis quæſtum ſperare poterant, novam ſibi fratres tyrannidem pepererunt, concione converſa ad operum merita. Inde natum purgatorium, & animarum, quas ibi viſum erat Pontifici detinere, luſtrationes, per miſſæ ſacrificium, per aquæ benedictæ aſperſiones, per eleemoſynas, ſtipes oblatas, indulgentias, peregrinationes, reliquiarum venerationes. Hæ nundinationes cum per fratres exercerentur, brevi ſibi imperium in vivos & mortuos vindicarunt.

XL. Hoc in ſtatu Jacobus primus cum in Scotia rem Eccleſiaſticam repeririſſet, hanc diſciplinæ veteris inſtaurandæ compendiariam viam exiſtimavit, ſi viri boni & docti ſacerdotiis honorarentur. Ut autem æmulationem literas diſcentium accenderet, præfectos gymnaſiorum admonuit, ut, quoniam ipſe curis publicis impeditus ſingulos cognoſcere non poſſet, juvenes virtute & eruditione præſtantes ſibi commendarent, quos ad honores Eccleſiaſticos promoveret: qui non ſolum doctrina & exemplo plebi utiles eſſe poſſent, ſed tenuiores etiam ſuis opibus juvare, & paupertatem eorum hactenus ſublevare poſſent, ne bona ingenia per inopiam cogerentur literis relictis ad ſordidas artes ſe conferre. Ut autem boni alacrius animum ad bonas artes intenderent, & ignavi unam ad honores viam per virtutem eſſe intelligerent, ſtudiorum gradus diſtinxit, ut ſciretur, qui quibus ſacerdotiis potirentur. Quam rationem, ſi qui ſecuti ſunt Reges tenuiſſent, certe ad hæc tempora perventum non fuiſſet, quibus nec populus ſacerdotum vitia, nec ſacerdotes vitiorum remedia [1] pati poſſent. Nec Rex ignorabat Eccleſiam in graviſſima, quibus tum laborabat, vitia, ob immodicam opulentiam fuiſſe prolapſam: nec profuſionem pecuniæ in monaſteriis ditandis, & ærario exhauriendo in ſuperioribus Regibus probavit: Davidemque, alioqui Regem optimum, ſæpe illa ſua pietate multum a multis laudata regno damnoſum fuiſſe prædicabat. Ipſe tamen velut æſtu quodam conſuetudinis abreptus non ſe potuit abſtinere, quo minus ordini Carthuſiano cœnobium prope Perthum ædificaret, & magnis proventibus locupletaret.

XLI. Illud in eo neſcio an maxime fuit admirandum, quod inter rerum maximarum curas ne infima quidem ſua diligentia minora putaret, e quibus aliqua in publicum redundaret utilitas. Nam, cum per aſſidua bella, quæ poſt Alexandri tertii mortem prope centum quinquaginta annos Scotiam exercuerunt, toties ſpoliatis atque incenſis urbibus, juventute ad ſtudia armorum converſa, cæteræ artes negligerentur; opifices omnis generis e Flandria, præmiis & immunitatibus propoſitis, excivit, urbeſque prope vacuas (quod Nobili-

1 *Pati poſſent*] Melius forte [*poſſunt*] ad exemplum Livii (unde hæc mutuatus eſt) in Præfat. *Donec ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, perventum eſt.*

bilitas veteri inſtituto in agris ſe contineret) hoc genere hominum replevit. Neque ſpeciem tantum, & frequentiam antiquam oppidis ita reſtituit, ſed magnam otioſorum turbam ab inertia ad laborem traduxit: effecitque, ne quod parvo ſumtu domi confici poſſet, magno pretio foris pararetur.

XLII. Cum omnes regni partes labefactatas ita commodis remediis confirmaret, incurrit tamen in gravem ſuorum indignationem ob duas maxime cauſſas. Altera quidem in ſpeciem erat levior, ſed unde omnibus fere populis omnium fere calamitatum oritur initium. Nam pace undique parta, otium, luxus, & libido primum ſe, deinde cætera, perdendi eſt conſecuta. Hinc ſumtuoſa convivia, & nocturnæ diurnæque compotationes, & perſonatæ ſaltationes, & peregrinarum veſtium deliciæ, & laxitas ædium, non ad uſum neceſſarium, ſed ad oculorum voluptatem comparata, & corruptelæ morum elegantiæ nomine commendatæ, & omnibus in rebus ritus patrii contemtus; nec quicquam ſatis honeſtum & decorum, niſi novum & inſolitum. Harum omnium rerum culpam in Anglos, qui Regem ſecuti in aula verſabantur, vulgus libenter a ſe transferebat: neque tamen verbis flagitia vehementius damnabat, quam voluptates ſtudioſe amplectebatur. Sed huic peſti Rex, quantum poterat, & legibus latis & exemplo domeſtico reſiſtebat. Ipſe enim non modo cultu corporis, & frugalitate intra privati copioſioris modum ſe continebat: ſed, ſi quid immoderatum ulla in vitæ parte apud quenquam conſpicabatur, vultu, & plerumque verbis id ſibi ingratum eſſe oſtendebat. Ita cohibitus eſt late graſſantis luxuriæ curſus, magis quam nova intemperantia extincta, & vetus parſimonia reducta.

XLIII. Alterum crimen primum inimicorum ſermonibus eſt celebratum; deinde in perniciem publicam erupit. Regis patruus Robertus, & patruelis Mordacus, penes quos regimen civium multos annos fuerat, cum ipſi regnum appeterent, nec Jacobum e medio tollere poſſent, quod proximum erat, hominum animos ita ſibi conciliare ſtudebant, ut Regis deſiderium non adeo magnum potentioribus relinquerent: tantaque moderatione fere omnibus in rebus uſi erant, ut eorum imperium admodum tolerabile multis, ac prope optandum videretur, ſi Valterus Mordaci filius populariter & moderate ſe geſſiſſet. Potentiores enim ita munificentiæ ſpecie amplectebantur, ut agros Regios ab aliis occupari permiſerint, aliis ipſi donaverint: & in gratiam quorundam res judicatas reſciderint, & exules reſtituerint: inter eos autem unum inſignem & præpotentem, Georgium Dumbarium Marcianum Regulum, qui exul patriæ damna plurima & graviſſima intulerat. Quibus rationibus conciliatos proceres ſperabant nunquam de Rege arceſſendo acturos: Jacobo autem ſine liberis defuncto, regnum ad ſe ſine æmulo perventurum; aut ſi forte ille ab exilio rediſſet, ſuam factionem tam potentem fore, ut a vi, etiam ſub Principe parum æquo, ſecuri eſſent. Verum Rege reverſo, & vetere patrui gratia novis Valteri injuriis & flagitiis prope reſtincta, ſatis apparuit nihil eſſe popularius juſtitia. Igitur populo non modo patiente, ſed etiam favente, Mordaco patre cum duobus filiis extinctis, tertio exulante, non eorum modo bonis Rex auctus, ſed Joannes Comitis Bucha-

chaniæ, qui [1] ſine liberis in Gallia deceſſit, & Alexandri Comitis Marriæ, qui & orbus & nothus domi mortem obiit; de quo pauca obiter dicenda videntur.

XLIV. Alexander igitur ex Alexandro Roberti Regis filio natus, in adoleſcentia malis perditorum hominum conſiliis uſus, ductorem ſe latronibus præbuerat: verum cum ad virilem perveniſſet ætatem, mores adeo mutaverat, ut alius plane videretur. Igitur vitiis paullatim decreſcentibus, & accedente conſilio, ita ſe domi foriſque geſſerat, ut præclaram ſui memoriam ad poſteros tranſmiſerit. Nam & domi ad Harlaum Inſulanorum impetum magna cum cæde repreſſit, & bellum periculoſiſſimum in ipſo ortu extinxit: & cum multis opibus bene partis, prædiiſque fructuoſis coëmtis vicinos anteiret, non tamen otio & voluptati ſe dedit: [2] ſed in Flandriam cum [3] firma popularium cohorte profectus, [4] Carolum Burgundum adverſus Leodienſes ſecutus, ex eo bello rem & laudem retulit: [5] opulentis etiam nuptiis in Hollandia Batavorum inſu-

1 *Sine liberis*] Imo vero filia ei fuit, Georgio Setonio nupta, uti Thomas Crafordius, ac deinde Pat. Abercrombius, pag. 293. obſervarunt. Aut igitur, quod Crafordius innuere videtur, ipſius patrimonium, utpote feudum maſculinum, ad Regem pervenit; aut potius, quod Abercrombius arbitratur, Rex, tanquam proximus hæres Alexandri Comitis Buchaniæ abſque legitima prole defuncti, eam hæreditatem ſibi vindicabat; neque enim Gubernatori, qui ea filium Joannem donaverat, patrimonii Regii partem aliquam alienandi jus fuiſſe arbitrabatur.

2 *Sed in Flandriam*] His verbis nec obſcure quidem ſignificat Buchananus Marriæ Comitis in Flandriam profectionem prælio ad Harlaum poſteriorem fuiſſe, quæ tamen, ut mox oſtendemus, tribus annis præceſſit.

3 *Firma popularium cohorte*] Centum viris fortibus comitatum tradit Vintonus, quorum præcipui erant, Joannes Sutherlandiæ Comes, Gilbertus Hajus, Alexander Kethus, Alexander Irvinus, Gul. Nachtanus, ——— Meneſius, Jacobus Scrimgerus, Aliſius Kininmontius, & Jo. Bothuelius, omnes ſuarum familiarum principes.

4 *Carolum Burgundum adverſus Leodienſes ſecutus*] Boëthius, Ballendenus & Drummondus *Philippum* appellant; ſed omnes pariter falluntur. *Philippus* enim Burgundus, Audax cognominatus, nullum adverſus Leodienſes bellum geſſit; ejus vero nepos *Philippus*, cognomento Bonus, licet Leodienſes hoſtes habuerit, eos tamen per legatos, & paullo ſerius pro ætate Comitis Marriæ, anno *videl.* 1431, repreſſit. Huc adde quod Burgundus tum Gallo adverſabatur, cui propterea Scotum operam ſuam collocaturum haudquaquam credibile videtur. Quod ad *Carolum* vero poſterioris Philippi filium attinet; is anno demum 1467 rerum eſt potitus, 30 minimum poſt Marriæ Comitis mortem. Recte igitur Joannes Major, qui eum *Joanni* Burgundiæ Duci militaſſe tradit: is autem adverſus Leodienſes profectus anno 1408, ingente eos clade triginta millibus occiſis compeſcuit. Vide Vignierii Burgundionum Chronicon, in primis vero Heuterum Rer. Burgund. lib. 6. pag. 376, & ſeqq. Ei in omnibus fere conſentit Vintonus, eorum temporum ſcriptor æqualis, quique (ut ipſe teſtatur) omnem rerum ea expeditione geſtarum ordinem a Scotis qui ei interfuerant prolixe didicerat, quibus narrandis operi ſuo finem imponit. Hoc igitur loco *Joannem*, non *Carolum* Burgundum legendum.

5 *Opulentis etiam nuptiis*] Vix ferenda hic Boëthii negligentia dicam, an fingendi licentia, qui Alexandrum Marriæ Comitem uxorem duxiſſe tradit *Jacobam Comitis Hollandiæ fœminam*, alioſque noſtros ſcriptores eum temere ſecutos pari ſecum errore involvit. Nam, ut omittam nihil ejuſ-

inſula auctus eſt. Sed cum peregrini hominis imperium Batavi non ferrent, inde reverſus claſſem comparavit ingenti quidem ſumtu, nec magno tamen emolumento, ut adverſus homines terreſtribus & navalibus copiis inſtructiſſimos. Tandem numeroſam eorum claſſem Dantiſco redeuntem adortus, ea capta & ſpoliata, nautis cæſis; ac navibus ſuccenſis, damnum acceptum hoſti multiplex reddidit: atque ita ferociam eorum fregit, ut centum annorum inducias poſtularint & acceperint. Idem quoque gregem nobilium equarum e Pannonia uſque adducendum in Scotiam curavit, cujus ſoboles in multos poſt annos duravit. His igitur Comitibus longe ditiſſimis ſine prole defunctis, Buchania & Marria eorum patrimonia ad Regem jure pervenerunt: ita trium, qui Roberto ſecundo Regi ex [1] uxore poſteriore nati erant, fratrum ſolus ipſe bonis potitus eſt; ſed non ſine hominum nobilium largitionibus aſſuetorum indignatione, quod Rex e tam opulenta præda nihil ipſis decideret.

XLV. Acceſſit ad hanc & altera cauſſa recentior, quod quaſdam a Roberto & Mordaco poſtremis Gubernatoribus largitiones factas, tanquam injuſtas revocaverat. In his duæ erant inſignes. Georgius Dumbarius hoſtis publicus denunciatus, deinde, parte bonorum reſtituta, revocatus a Roberto fuerat. Ei ſucceſſerat filius Georgius, multis gaudentibus, antiquam & nobilem, & ſæpe de patria bene meritam familiam in priſtinam dignitatem rediiſſe. Sed Regi, dum in jus fiſci diligentius, ne dicam acerbius, inquirit, viſum eſt poteſtatem ignominiæ demendæ, exules revocandi, & bona ob crimen perduellionis in fiſcum illata reſtituendi, majorem eſſe, quam ut eam alieni vicarius imperii, & qui tutoris loco eligatur, uſurpare debeat: quando etiam largitiones in Regum ætate immatura factæ poſſint ex veteri Scotorum inſtituto revocari, niſi a Regibus ætate maturis confirmentur. Igitur Jacobus, ut Marcianos, homines bellicoſos, Angliæ vicinos, in ſuam poteſtatem ſine tumultu revocaret, Georgium apud ſe retinet: literas ad arcis Dumbari præfectum ſcribit: imperat, „Ut eis perlectis arcem Gulielmo Duglaſſio Anguſiæ Regulo, & Adamo Heburno Halenſi, ad eam recipiendam miſſis, ſtatim traderet. Georgius, cum quereretur ſe nullo jure patrimonio ſpoliari ob crimen alienum, cujus etiam ab eo, qui ſummæ rerum præerat, venia fuiſſet impetrata; Rex, ut ejus animum placaret, & clementiam apud vulgus oſtentaret, eum Buchania donavit. Hoc Regis factum cum pro cujuſque ingenio & ſtudio varie celebraretur, incidit alterum quoque, quod vehementer mortem ei acceleravit, altius mihi ab initio repetendum.

XLVI. Dictum eſt a nobis Roberto ſecundo Regi [2] tres ex concubina filios na-

ejuſmodi apud rerum Belgicarum ſcriptores reperiri, e Vintono populari ſuo & Marrii æquali diſcere poterat eum non *Hollandam*, ſed *Brabantam* uxorem accepiſſe, quam ille *Dominam de Diſſil* appellat.

1 *Uxore poſteriore*] Imo, *ex uxore priore*, ut ſupra ad Lib. IX. C. 42. demonſtravimus.

2 *Tres ex concubina*] Commentitium hunc Elizabethæ Moræ concubinatum jamdudum a viris illuſtribus & eruditis, Cromartiæ Comite, D. Geo. Mackenzæo, D. Jac. Dalrymplio, Tho. Rymero, Lud. Inneſio, Rob. Bradio, J. Barneſio, Pat. Abercrombio, &c. profligatum penitus & exploſum oſtendimus Lib. IX. 42. Cum

natos: [1] ille quanquam ex Euſemia uxore [2] Valterum & Davidem, alterum Atholiæ, alterum Ierniæ Comitem haberet, tamen eorum matre mortua concubinam uxorem duxit, ut ejus filios per matrimonium illud legitimos factos regni hæredes relinqueret: ac moriens etiam penes natu maximum regnum reliquit; penes ſecundum præter opes maximas etiam regni procuratio fuit; tertium aliquot regionum conſtituit Regulum. In hac parte, etſi alterius uxoris liberi ſe affectos injuria putabant, tamen quia & ætate & opibus erant inferiores, iram in præſentia tacitam continebant. Eorum quoque potentiam imminuit Comitis Ierniæ mors, qui unica relicta filia deceſſerat. Ea Patricio Gramo, adoleſcenti nobili e familia illa ætate potentiſſima, uxor data, Meliſſum Gramum [3] ex eo genuit. Nec parentes diu ſuperſtites fuere: & puer paucis poſt annis adhuc adoleſcens in Angliam erat miſſus obſes, dum pecunia Regi redimendo promiſſa ſolveretur. Atholius autem, etſi rebus omnibus adverſæ factioni inferior, nunquam tamen ſtudium tollendi propinquos omiſit, neque ſpem recuperandi regni abjecit: & quia ad vim apertam erat impar, callide diſcordias eorum fovebat, & periculis inſidiabatur: donec ejus maxime conſilio ampliſſima familia ad paucos fuit redacta. Multi enim crediderunt eo auctore Davidem Roberti Regis filium fuiſſe ſublatum. Nec Jacobus ejus inſidias fugiſſet, niſi procul domo in Anglia bonam vitæ partem tranſegiſſet.

XLVII.

Cum igitur ejus figmenti vanitatem, nullamque adeo, ut ad regnum parricidiali auſu affectaret viam, juris colorem vel prætextum ſibi exinde dari, ignorare non poſſet Atholius; aliam certe in Regem conjurandi cauſſam (ſi ulla tam immanis conſilii cauſſa eſſe poterat) ipſius animo obverſatam fuiſſe oportet. Huc accedit, quod non Valterus Atholiæ (quod Buchananus aliique innuere videntur) ſed David Ierniæ Comes, filius Roberti II. erat ex Euſemia uxore natu maximus, e cujus filia natus eſt Meliſſus Gramus, jam tum adoleſcens, cuique ob eam rationem (ſi, quod noſtri volunt, aliqua Roberti III. ejuſque adeo poſterorum natalibus labes adhærebat) regnum Scotorum jure debebatur. Quæ cum ita ſint, nullum aliud Atholio relinquitur tam diri facinoris patrandi incitamentum, quam ipſius malus animus, inſana regnandi, omneſque qui obſtabant tollendi, cupiditate percitus.

1 *Ille quanquam ex Euſemia*] Libris omnibus legitur, [*Quos ille*;] verum cum nullum poſtea occurrat verbum, unde [*Quos*] illud regatur, nos vocem otioſam expungere non dubitavimus.

2 *Valterum & Davidem*] Hic & Lib. IX. 43. (ut ad eum locum monuimus) *Valterum* ante *Davidem* ponit, tanquam ætate majorem, cum contra ex ipſius Roberti II. decreto plane appareat *Davidem* prius natum fuiſſe.

3 *Ex eo genuit*] Omnes conſtanter codices [*ex ea*] præferunt, plane repugnante priore parte ſententiæ: nos quam leviſſimas ſemper mutationes nobiſmet permittentes, pro [*ea*] [*eo*] repoſuimus; quanquam non diffiteamur melius forte reſtitui poſſe ſententiam, interjecta inter [*data*] & [*Meliſſum*] voce [*qui.*] Altera tamen correctio facilior, nec exemplis deſtituta. Nam quod verbum [*gigno*] non maribus tantum ſed & fœminis nonnunquam tribuatur, oſtendit illud Virg. Æn. 1.

Tune ille Æneas quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygiæ genuit Simoëntis ad undam?

Et Catull. Car. LXIV. ver. 154.

Quænam te genuit ſola ſub rupe leæna.

Et (ne quis ſuſpicetur non [*ex eo*] ſed [*ei*] dici debere) Tacitus 13 Annal. c. 45. de Poppæa loquens, *Igitur agentem eam in matrimonio Rufi Criſpini Equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit.*

XLVII. Auctor enim erat Fifæ Comiti, ut fratre ignavo e medio ſublato regnum occuparet. Cum Rex liberorum orbus, & fraternæ libidini obnoxius ex mœrore ſubito [1] deceſſiſſet, unus erat regni Gubernator cum liberis, qui ſpem ejus impediret: quippe homo impiger, divitiis, potentia, auctoritate, in vulgus item gratia, & liberis florens. Ea res cum ejus conſilium nonnihil remoraretur, Roberto quidem morte naturali, ac Joanne filio ejus in prælio ad Vernolium ſublato, ad priſtinas cogitationes animum multo acrius intendit: atque omnes ingenii nervos in id unum contulit, ut Jacobum liberaret, & eum cum Mordaco liberiſque ejus committeret. Hi cum pariter incolumes ſtare non poſſent, utercunque cecidiſſet, ſe uno gradu propius admotum ad ſpem regni proſpiciebat. Jacobo demum reverſo in patriam, ipſe omnes machinas admovebat, ut Mordaco exitium maturaret: per homines idoneos crimina adverſus eum ſubminiſtrabat. Ipſe judex in eum filioſque ejus ſederat. Iis quoque extinctis, [2] ſupererat unus Jacobus cum unico filiolo, puero nondum ſextum annum ingreſſo. Eo quoque conſpiratione procerum interemto, non dubitabat, quin ipſe, qui ſolus e ſtirpe Regia reliquus erat, ad rerum gubernacula admoveretur. Atholius igitur, dies noctesque his cogitationibus ſollicitus, tamen ſuas cupiditates occultas continebat: ac per ſimulationem favoris erga Regem, in propinquis tollendis operam oſtentabat: idque unum agebat maxime, ut alieno ſcelere ſuas opes augeret, adverſariorum imminueret.

XLVIII. Interea Meliſſus Gramus (quem diximus obſidem Anglis datum) a Rege, dum in publicum patrimonium diligentius inquirit, Iernia eſt ſpoliatus, quod eam comperiſſet avo ejus materno ea lege datam, ut deficiente ſtirpe maſcula ad Regem rediret; feudum eſſet maſculinum, ut interpretes juris nunc loquuntur. Ea adoleſcentis innoxii, & abſentis, & obſidis calamitas, multos ad commiſerationem, Robertum vero ejus tutorem pene ad inſaniam redegit. Is enim cæteris impatientius propinqui ſui caſum ferens, Regem non ceſſabat palam injuſtitiæ accuſare. Cum autem in jus ad cauſſam dicendam vocatus non affuiſſet, ei aqua & igni interdictum eſt. Ob hæc ferociore animo, velut nova injuria laceſſito, ad vindictam pronus, cum eis conſilia ſecreta coquebat, qui vel multati bonis fuerant, vel amicorum ſupplicia, quantumvis juſta, tamen iniquo animo ferebant, vel Regem avaritiæ inſimulabant, quod ad rem attentior, ipſos parum pro exſpectatione fuerat remuneratus. Ad hæc, non ſolum ad interitum redactas nobiles familias deplorabant, ſed & tutelas adoleſcentium nobilium, quæ præmia virorum fortium ſolebant eſſe, penes Regem eſſe. „ Ad unum omnes regni opes congeri: cæte-„ ros ſub ingrato laborum æſtimatore in miſeriis & inopia contabeſcere. Hoc autem quod de tutelis exprobrabat, hujuſmodi eſt. In Scotia & Anglia, & nonnul-

1 *Deceſſiſſet*] Ita emendavimus pro quo libri omnes [*diſceſſiſſet*,] quamvis enim Cicero ſcripſerit *diſcedere e vita*, *diſcedere* tamen ſimpliciter pro *mori* acceptum nullus memini.

2 *Supererat unus Jacobus*] Imo vero ſupererat Meliſſus Gramus, Davidis (fratris Atholii natu majoris) e filia nepos, adeoque, deficientibus Jacobo cum unico filiolo, regni Scotici proximus hæres.

nullis Galliæ regionibus, mos eſt, ut mortuis parentibus, pueri nobiles, ad viceſimum primum uſque annum, in eorum tutela maneant, quorum ſunt beneficiarii: fructuſque omnes agrorum (præter ſumtus ad pupillum alendum neceſſarios) & præterea dotes ab uxoribus pupillis datæ, ad hujuſmodi tutores redeant. Hæ autem tutelæ, vel (ut vulgo appellantur) cuſtodiæ, cum aut modica pecunia propinquis vendi, aut bene meritis plerumque donari ſolerent, qui inde ex emtione lucrum, vel ex donatione præmium ſperabant, angebantur eas ad Regem unum pervenire: neque tacitum ſuum dolorem ferebant.

XLIX. Hujus generis querelæ cum ad Regem perlatæ eſſent, id factum velut neceſſarium excuſavit. „Patrimonium enim publicum ita per ſuperiores Re„ges & Gubernatores extenuatum, ut nec familia Principe digna, nec co„mitatus honeſtus haberi, nec magnificentia erga legatos exteros exerceri poſ„ſet. Nec hanc diligentiam Regis, in pecunia honeſtis rationibus paranda, eſſe „inutilem Nobilitati, cui nihil magis adverſum ſit, quam inopia publica; „dum Reges, quo carere non poſſunt, id per vim a ditioribus extorquere co„nantur, aut plebem coguntur exigendis tributis vexare: multoque minus in „publicum obeſſe Regum parſimoniam, quæ modum donationibus immodi„cis imponit, quam profuſionem, quæ, ſuis conſumtis, ſine modo in alio„rum bona debacchatur. Hoc reſponſo Rex æquioribus ſatisfecit: iniquiores vero, qui magis conquerendi cauſſam, quam criminum juſtam expurgationem quærebant, vehementius ad maledicendum excitavit.

L. Hoc ſtatu rerum in Scotia, legatio e Gallia advenit, quæ petebat, ut Margarita Jacobi filia, Ludovico Caroli ſeptimi filio jamdudum deſponſa, ad ſponſum mitteretur. Ea aliam Anglorum legationem excivit. Angli enim, abalienato ab eorum amicitia Burgundo, & defectionem moliente Lutetia, cæteriſque provinciis tranſmarinis tumultuantibus, ne, cunctis regni viribus in bellum Francicum inclinatis, Scoti ab adverſa parte eos adorirentur; & fœderis cum Gallis renovationem, & nuptias impedire nitebantur: atque ad fœdus perpetuum cum ipſis, qui in eadem inſula nati, ejuſdem linguæ participes eſſent, feriendum [1] adhortabantur. „Id ſi facerent, ſeſeque jurarent, eoſ„dem quos Angli amicos inimicoſque habituros, pollicebantur, ſuum Regem „Bervico, Rosburgo, cæteriſque omnibus locis & agris, qui juris contro„verſi habebantur, ceſſurum. Scotus eam petitionem cum ad omnes omnium Ordinum, qui Perthi erant congregati, retuliſſet, poſt longam ea de re diſceptationem, Ordine Eccleſiaſtico in duas factiones diviſo, ſucclamatum eſt a Nobilitate; „Se fraudem Anglorum agnoſcere, qui novo iſto fœdere vete„rem cum Gallis amicitiam ſolvere conentur, ut Scotos antiquis amicis ſpo„liatos, ſibi facilius obnoxios redderent, dum aliis curis liberi, in id bellum „totis viribus incumbere poſſent: eo ſpectare tam benignam Anglorum polli„citationem: ſe vero antiquo fœderi ſtaturos, nec a fide ſemel promiſſa diſceſ„ſuros. Hac parte repulſi Angli, a precibus ad minas tranſeunt: & amicitiam renuentibus bellum denunciant: „Filiamque ſi Rex inimico Anglorum deſpon-
ſam

1 *Adhortabantur*] Ita legendum, non [*adhortarentur*,] quod libris omnibus irrepſit.

„ſam in Galliam tranſmitteret, ſe iter, quoad poſſent, impedituros, illamque & comites ejus in ſuam poteſtatem redacturos: claſſem enim jam ſe ad id „paratam habere.

LI. Hæc legatorum comminatio adeo Regem non deterruit, ut ornata claſſe, magnoque comitatu nobilium virorum ac fœminarum impoſito, celerius quam conſtituerat filiam ſolvere cogeret, ut Angli conſilia præveniret. Verum quo minus in manum hoſtium devenirent, magis numine propitio, quam humana providentia, factum videri poteſt. Nam, cum non longe ab eo loco abeſſent, ubi in inſidiis collocati Angli Scotorum adventum præſtolabantur, ecce repente [1] claſſis Belgica apparuit, quæ vinum e Rupella in Flandriam portabat. In eam (quod Burgundus, non adeo pridem Gallo reconciliatus, hoſtes ejus totis viribus oppugnabat) magno impetu Angli feruntur: ac brevi naves expeditæ onerarias aſſequuntur; & prope nullo negotio armati inermes capiunt: verum, antequam in portum captas pertraherent, Hiſpani incompoſitos adorti prædam auferunt, & incolumes Flandros dimittunt. In hac tam varia trium nationum fortuna, Scoti, hoſte non conſpecto, Rupellam applicant. Eo miſſis obviam multis ex aula Gallica viris claris, Turonas deducuntur. Ibi magno cum gaudio, & utriuſque gentis mutua gratulatione, [2] nuptiæ ſunt celebratæ.

LII. Hoc loco, ſcriptores Angli, & in primis Eduardus Hallus, & ejus ſuppilator Graftonus, in Jacobum plenis velis invehuntur, tanquam ingratum & perfidum, citoque beneficiorum acceptorum immemorem; quod tam humaniter tot annos ab Anglis habitus, quod Regiis nuptiis honoratus, quod ampla dote auctus, quod e diuturna ſervitute in libertatem reſtitutus, tot tantaque beneficia oblitus, Gallicam amicitiam Anglicæ prætulerit. Sed eorum maledicentiam res ipſa facile refellit. Nam quod in ſuum littus appulſum, præter fœdera, præter jus gentium detinuerunt, primum injuria eſt, non beneficium. Quod non occiderunt, ac pecuniam potius accipere, quam invidioſo non hoſtis, ſed hoſpitis ſanguine ſe polluere voluerunt, non eorum amori erga ſe & miſericordiæ, ſed magis avaritiæ vitam debet: & ſi quod in eo beneficium eſt, quod aliud id exiſtimari poteſt quam latronum, qui vitam, quibus non eripuerunt, dediſſe videri volunt? Et ſi quid ob id Anglis debebat, quod ſuo lucro conſuluerunt, certe privatim non publice id debebat. Quod autem adoleſcentem, ætate innoxium, fortuna ſupplicem, naſcendi conditione Regem, per ſummum nefas retentum, honeſte inſtituendum curarunt, habet res humanitatis quandam ſpeciem (quam ſi neglexiſſent, extra reprehenſionem non erant futuri) & quæ beneficii nomine commendari poterat, niſi gra-

1 *Claſſis Belgica*] Alii noſtri ſcriptores *claſſem Hiſpanicam* edunt.

2 *Nuptiæ ſunt celebratæ*] 24 Junii anno 1436, inquit Drummondus, Tilius vero 25, quem etiam ſequitur Leonardus, *Recueil des Traitez de Paix*, &c. *faits par les Roys de France*, vol. 1. pag. 23. apud quem videſis inſtrumentum Archiepiſcopi Turonenſis, quo has nuptias celebrari permittit, quamvis Delphinus 14 ætatis annum nondum compleverat, & Margarita Jacobi filia quaſi duodecimi finem attingeret; datum Turonis 13 Junii 1436.

gratia ejus antecedente injuria, & avaritia conſecuta fuiſſet corrupta: niſi forte, ſi quem ultro vulneres, a curato gratiam repoſcas: & magni damni levem compenſationem beneficii loco ponendam exiſtimes: aut, quia tui partem aliquam feceris officii, ſolidum collati in alterum beneficii expetas præmium, &, quod tibi præſtitiſti, alteri expenſum ferri velis. Nam qui ſervum hominem curat erudiendum, vel ſuæ oblectationis cauſſa, vel ut pluris eum revendat, etſi ad eum qui eruditur aliqua redit utilitas, tamen dominus non ſervi, ſed ſuum emolumentum in erudiendo ſpectat.

LIII. At uxorem ei conjunxerunt ſui Regis propinquam, & juvenem Regium Regiis nuptiis honorarunt. Quid ſi ea affinitas non minus honorifica fuit ſocero, quam genero? Quam enim privato alicui collocaturus erat, Reginam fecit: & in eam familiam nuptum dedit, in quam Regum Anglicorum clariſſimi ſæpe ante ſuos liberos collocaverant; & unde tot ſuperiores Reges oriundi fuerant. At dotem adjecerunt peramplam. Cui vero dos iſta data eſt? Nempe ipſis Anglis, qui eam, antequam numeraretur, eripuerunt; &, marito tantum verbis oſtentatam, in ſuum uſum retinuerunt. Itaque dicta, non data dos eſt: & ita dicta, ut a juvene, plurimis & maximis alioqui injuriis affecto, multum ſibi deberi velint, quod indotatam uxorem domum reduxerit. At liberum eum domum remiſerunt. Certe, ut qui a piratis liberantur, pretio perſoluto. Sed quo pacto liberum? Si ipſorum ſcriptoribus credamus, jurare coactum, ut Anglo tanquam domino ſemper obtemperaret; & regnum, cujus nondum compos erat, in ſervitutem perpetuam addiceret: & quod, etiamſi haberet, alienare non poſſet, antequam acciperet, alteri manciparet. Non igitur eum liberum, ſed laxiore in ſpeciem catenâ vinctum remiſerunt, non quidem Regem, ſed alieni regni procuratorem, aut potius vicarium. Omitto dicere, quod hominem captivum & adhuc alieni juris cogunt promittere, & id quidem promittere, quod præſtare non poterat, nec ad præſtandum eos, quorum in poteſtate id erat, cogere. Hæc eſt illa præclara liberalitas, cujus eum immemorem arguunt. Verum, ut permittamus hominibus imperitis, & omnis in ſcribendo modi & modeſtiæ oblitis, ut emolumenta accepta in beneficiis datis annumerent, quantam illam exiſtimabimus vel mentiendi licentiam, vel maledicendi libidinem, qua in ejuſdem Regis filiam utuntur: quam, ob oris graveolentiam (nihil enim in mores homines alioqui tam impudentes audebant confingere) marito ſcribunt fuiſſe ingratam? At Monſtreletus illorum temporum ſcriptor æqualis, & probam fuiſſe & formoſam memoriæ prodidit: & qui librum Pluſcartenſem ſcripſit, eique Reginæ & naviganti & morienti fuit comes, ſcriptum reliquit, eam dum vixit egregie caram ſocero, ſocrui & marito fuiſſe; epitaphiumque, carmen omni laude plenum, Gallicis verſibus Catalauni ad Matronam (quo in oppido deceſſit) fuiſſe publicatum: quod in Scoticum ſermonem verſum plerique noſtrorum adhuc habent. Sed omiſſis hominibus alienæ famæ calumniatoribus, & ſuæ tam negligentibus, ut nihil penſi habeant, quid vel ipſi de aliis dicant, vel alii de ipſis ſentiant, ad rem veniamus.

LIV. Cum Rex, ob ſumtum in claſſe ornanda factum, tributum a populo

exigere tentaſſet, majorque pars aperte recuſaſſet quicquam pendere, pauci & parum & maligne dediſſent, Rex coactores juſſit a reliquo exigendo deſiſtere, & quod exactum erat reſtituere. Nec tamen ita populi ſermones effugit: malevolis & ob incommoda privata iratis, novarum rerum cupidos adverſus eum aſſidue incitantibus. Eodem tempore, Angli terra marique e Scotia prædas agere cœperunt, duce Percio Northumbriæ Regulo. Adverſus eos miſſus Gulielmus Duglaſſius Anguſiæ Comes, cum pari fere numero: erant enim circiter quaterna utrinque millia. Cecidit e Scotis [1] Alexander Jonſtonus Lothianus, vir nobilis & ſpectatæ virtutis. Ex utraque acie, alii ducentos, alii quadraginta tantum cæſos affirmant. Ex Anglis capti ad mille quingentos.

LV. Rex jam bis ab Anglo provocatus, primum inſidiis ad filiam intercipiendam collocatis, deinde recentibus agrorum populationibus, aperto bello eum aggredi ſtatuit. Confecto igitur quam maximo potuit exercitu, Rosburgum acriter adoritur: cumque brevi deditionem exſpectaret, Regina, quantis potuit itineribus ad eum vecta, trepidum in caſtra nuncium affert; „Sæviſſimam in caput ejus conjurationem parari: ac, niſi diligenter proſpiciat, „maturum exitium imminere. Rex, tam inexſpectato malo ictus, dimiſſo exercitu domum revertitur, peſſimo in vulgus rumore: „In ipſo enim articulo rei perficiundæ, ad nutum fœminæ, maximis ſumtibus & vexatione „totius regni, nihil aliud quam dedecus quæſitum videri. Reverſus Rex, in cœnobium Dominicanorum, quod juxta mœnia Perthi erat, divertit: ut ibi quam maxime poſſet occulte de conjuratione quæreret. Sed res non latuit homines in omnem patrandi ſceleris occaſionem intentos. Unus enim e domeſticis miniſtris, qui in conjuratis erat (Joannem ſcriptores appellant, cognomen non edunt) perlato ad ſocios quod in Regia agi ſenſerat, fecit ut res maturaretur, priuſquam occulta conſilia proferrentur, ac remedia adhiberi poſſent. Valterus quidem Atholius, Regis patruus, etſi princeps auctor facinoris obeundi erat, tamen, quantum fieri poterat, ſuſpiciones omnes a ſe ſegregabat. Is propinquum ſuum Robertum Gramum (cujus ante meminimus) hominem manu promtum, conſilio præcipitem, & Regi antea infenſum, cum ob incarcerationem & exilium ante indictum, tum ob fratris filium (cui ipſe tutor erat) Iernia ſpoliatum, [2] ad ſe vocat: ei adjungit ſuum ex filio nepotem Robertum juvenem impigrum: docet quid fieri velit: „Facinore peracto, ſe in ſumma poteſtate futurum: ibi ſaluti quoque illorum proſpecturum. Illi operam libenter promittunt, ac facinus aggredi feſtinant, antequam tota conjurationis ratio patefacta Regi eſſet.

LVI. Igitur manu occulte collecta, ut Regem, quem cum paucis in cœ-

1 *Alexander Jonſtonus*] Thomas Crafordius eumque ſecutus Abercrombius animadvertunt hic a Buchanano erratum; non enim Alex. Jonſtonus, ſed Alex. Elphinſtonius hoc prælio cæſus eſt. Reliquerat is quidem (ut iidem ſcriptores monent) uxorem domi gravidam, quæ filiam eſt enixa Agnetem, Gilberto Jonſtono poſtea nuptam: unde forte Buchanano errandi cauſſa eſt data.

2 *Ad ſe vocat*] Libris omnibus legitur [*eum Atholius ad ſe vocat:*] nos Crafordii monitu, has voces [*eum Atholius*] tanquam ſuperfluas delevimus.

1 *Alii*

cœnobio Dominicanorum divertere ſciebant, incautum minimo cum tumultu opprimerent, Joannem miniſtrum Regium, jam ante ab eis in partes tractum, adhortantur, ut promiſſam operam præſtet. Is conjuratos, in regiam introductos nocte concubia, prope Regium cubiculum occultos collocat: oſtendit oſtium, peſſulo abs ſe ablato, facile confringi poſſe. Alii a Roberto Comitis Atholii nepote putant in Regiam acceptos. Interim dum intenti illic exſpectant, quod in mora futurum videbatur, nempe ut cubiculi fores perfringerent, abſque eorum opera fortuna expedivit. Valterus enim Stratonius, qui vinum paullo ante intulerat, egrediens, cum cerneret armatos, intro ſe proripere conatus, quanta potuit contentione vocis proditores adeſſe clamat. Hunc dum ſicarii conficiunt, adoleſcentula nobilis, e gente Duglaſſia, ut plures tradunt ([1] alii Lovelliam edunt) cum, objecta valva, peſſulum fraude miniſtr ablatum non inveniret, brachium in foramen loco peſſuli inſeruit: ſed eo celeriter confracto, intromiſſi ſicarii in Regem irruunt. Eum Regina, ſuo corpore objecto, cum protegere conaretur, ac proſtrato ſe ſuperfudiſſet, duobus vulneribus acceptis, vix abſtrahi potuit. Tum ipſum, ab omnibus relictum, viginti octo plagis confoſſum, aliquot recta in cor directis, trucidant.

LVII. Hunc finem vitæ habuit Rex longe optimus, a ſceleratiſſimis latronibus morte crudeliſſima, & omnibus bonis maxime luctuoſa, affectus. Divulgato, ex comploratione & tumultu, ejus interitu, magnus undique in Regiam fit concurſus: reliquumque noctis (quoniam parricidæ per tenebras evaſerant) querimoniis & lamentationibus eſt tranſactum. Ibi varie pro cujuſque ingenio, vel acerbe, ad parricidarum invidiam, vel miſerabiliter, ad amicorum dolorem augendum, quæcunque ei vel ſecunda vel adverſa evenerant, commemorabantur. Pueritia patrui inſidiis expoſita, quas dum vitat, ipſe in hoſtium poteſtatem præcipitatus: patris deinde mors conſecuta, & reliqua adoleſcentia in exilio inter hoſtes acta: deinde, vertente fortuna, reditus inſperatus, & poſt reditum, paucis annis res turbulentiſſimæ in ſummam tranquillitatem commutatæ. Ac rurſus, ſubita rerum commutatione, cui hoſtes foris pepercerant, propinquorum fraude circumventus, in ætatis vigore, & regni legibus & moribus conſtituendi medio curſu. Corporis præterea & animi virtutes, extincta erga mortuum invidia, veris laudibus ornabantur. Nam licet ſtatura fuerit infra juſtam, corpore tamen erat adeo robuſto & firmo, ut æquales omnes, in omni genere exercitationis, ubi vires & agilitas ſpectari ſolet, facile ſuperaret. Tanta ingenii celeritas & vigor in eo fuiſſe dicitur, ut nullam homine ingenuo dignam artem ignoraverit. Carmina Latina, ut illud erat ſeculum, rudia ex tempore fundebat: Anglico quidem ſermone poëmata ab eo conſcripta nonnulla adhuc extant; in quibus ingenii præſtantia elucet, expolitior doctrina fortaſſe requiratur. In muſicis curioſius erat inſtructus, quam Regem vel deceat vel expediat: nullum enim organum erat ad pſallendi uſum compara-

ra-

1 *Alii Lovelliam edunt*] Verum ei nomen Catharinæ Duglaſſiæ fuiſſe tradit poſt Boëthium Crafordius: eam vero Alexandro Lovellio Balumbiæ Comarcho poſtea nupſiſſe iidem teſtantur.

ratum, quo non ille tam ſcite modulabatur, ut cum ſummis illius ætatis magiſtris contenderet. Sed hæc fortaſſe ſtudiorum flores verius quam fructus quiſpiam exiſtimabit; quæque vitam magis ornent quam inſtruant, & ad res gerendas confirment. Philoſophiæ cum alias partes, tum eam, quæ de moribus & republica regenda eſt, diligenter didicerat. Virtutes certe civiles quantæ & quam in eo maturæ fuerint, teſtatur ordo rerum ab eo geſtarum, & leges latæ, quibus non ſuo tantum ſeculo, ſed poſteritati etiam vehementer profuit.

LVIII. Mors vero ejus declaravit, nihil juſtitia eſſe popularius: nam qui vivo detrectare ſoliti erant, mortuum flagrantiſſimo deſiderio ſunt proſecuti. Proceres enim, nuncio cædis accepto, ex omnibus regionibus ſponte convenerunt: ac nondum quæſtione decreta, in omnes partes ultro emiſerunt, qui percuſſores comprehenderent, & in jus ducerent. Compluribus captis, principes novo & exquiſito genere ſupplicii affecti, reliqui laqueo ſtrangulati ſunt. Principes in facinore conſciſcendo numerabantur, Valterus Atholiæ Comes, & nepos ex filio Robertus, & eorum propinquus Robertus Gramus. Valteri ſupplicium (quia totius facinoris perpetrandi auctor erat) in triduum diviſum fuit. Primo die vehiculo, in quo ciconia erecta erat, impoſitus, funibus per trochleas tranſmiſſis in altum attollebatur, ac ſubito, iiſdem funibus remiſſis, demittebatur, donec pene terram attingeret, cum graviſſimo per omnes corporis compages dolore: deinde in columellam elato, ut omnibus eſſet conſpicuus, ferrea corona candens impoſita eſt, cum hoc elogio, ut proditorum omnium Rex appellaretur. Hujus ſupplicii cauſſam fuiſſe ferunt, quod Valterus aliquando ex maleficis mulieribus (quo genere ſemper Atholia erat infamis) acceperat, „Se in maxima celebritate Regem coronatum iri: idque vaticinium ita vel impletum vel eluſum eſt: ac certe tales prædictiones frequenter hujuſmodi ſortiuntur eventus. Poſtridie ſuper cratem alligatus, & ad caudam equi per vicum maximum Edimburgi tractus eſt. Tertio die, ſuper tabulam extento, in loco conſpicuo, viventi inteſtina detracta & in ignem injecta, ipſo ſpectante cremata ſunt. Demum cor evulſum in eoſdem ignes injicitur: caput præſectum in ſpectatiſſimo urbis loco conto confixum ad ſpectaculum proponitur: corpus in quatuor partes diviſum, ad urbes regni nobiliſſimas in locis celebrioribus ſuſpendendum mittitur. Secundum eum nepos luit: ſed ut leviore pœna defungeretur, valuit in eo reſpectus ætatis, & quod non auctor, ſed alieni ſceleris comes, avo paruerat. Igitur in cruce ſuffocatus, & membratim diſſectus fuit. Robertus vero Gramus, qui manu facinus peregerat, in curru per urbem traductus, dextra ad patibulum in ipſo curru erectum affixa: adhibiti carnifices, qui candentibus ſtimulis ferreis femora humeroſque, & corporis partes quæ longius a vitalibus abſunt, aſſidue confoderent: eodem deinde quo priores modo diſſectus eſt.

LIX. Hoc maxime pacto mors Jacobi, crudelis quidem illa, ſed certe ultra humanitatis modum crudeliter vindicata eſt. Hujus enim generis ſupplicia vulgi animos non tam a ſævitia metu avocant, quam ad quidvis agendum & patiendum efferant: nec acerbitate tam pravos deterrent, quam aſſuetudine ſpectandi

ſtandi terrorem pœnarum imminuunt: præſertim ſi facinoroſorum animi adverſus vim doloris induruerint: apud vulgus enim imperitum confidentia pertinax conſtantis fiduciæ plerumque laudem accipit. Obiit Jacobus [1] initio anni mille-

1 *Initio anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi ſeptimi*] Contendit Abercrombius vol. 2. pag. 303. gravi errore implicitos omnes ſcriptores noſtros, qui Jacobum I. trucidatum tradunt exeunte anno 1436, aut ineunte 1437: ille autem ex Jacobi II. ejus filii & ſucceſſoris Literis & Actis publicis deprehendiſſe ſe prædicat, Jacobum I. occiſum demum fuiſſe 20 Februarii anni 1437, ſtylo vetere Scoticano; anni vero 1438 ex ſupputatione Romana, qua nunc utimur: *i. e.* uno anno poſterius quam alii auctores noſtri ſcripſere. Sed cujus illos inſimulat, ipſi hac in re obrepſit hallucinationis vitium. Ex eis enim ipſis quas ille in ſubſidium advocat Jacobi II. literis & inſtrumentis evidentiſſime elucet, Jacobum II. regnare cœpiſſe initio anni 1437, juxta ſupputationem Romanam. Ex innumeris autem meis ipſius oculis luſtratis hæc pauca, rei demonſtrandæ gratia proponere libuit; unum 13 Maji 1440, regni 4. alterum 24 Oct. 1444, regni 8. tertium 22 Julii 1450. regni 14, quartum 9 Novemb. 1451, regni 15. quintum 7 Novemb. 1458. regni 22. Item hæc, unum 10 Feb. 1449, regni 13. alterum 23 Jan. 1451, regni 15. tertium 24 Jan. 1458, regni 22. quartum 3 Mart. 1458 regni 23: quæ ad præſentem ſupputandi rationem redacta in annum proxime ſequentem referenda ſunt: ſimulque etiam oſtendunt Jacobi I. parricidium patratum fuiſſe inter 10 Feb. & 3 Martii, anni 143$\frac{6}{7}$. Ne cui autem vel minimus adhuc ſcrupulus hæreat, duo ſunt (apud Rymerum Fœd. Angl. Tom. 10. pag. 679 & 689.) Jacobi II. inſtrumenta, unum quo legatos mittit cum legatis Regis Angliæ de induciis acturos; alterum quo ſe ratum quicquid inter illos convenerit, habiturum pollicetur; utrumque 30 Novemb. 1437, regni ſui anno primo ſcriptum: quorum etiam Abercrombius meminit, pag. 320. etſi ea perperam Jacobo I. adſcribat. Quamvis autem hæc per ſe adeo clara & perſpicua exiſtant, ut nullus dubitandi locus ſuperſit; ne quid tamen diſſimulem, duo ſunt quæ obſtare videntur. Et primum quidem in Rymeri Fœd. Angl. Tom. 10. occurrit induciarum ſeptennalium inter Scotorum & Anglorum Reges Conventio, cui in calce pag. 695. hæc verba ſubjiciuntur; *Huic parti indenturæ apud Chriſtianiſſimum Principem Henricum Dei gratia Regem Angliæ*, &c. *memoratum remanſuræ ſigilla noſtra appoſuimus Londoniæ ultimo die Martii, anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo octavo, & anno regni dicti illuſtriſſimi Principis Jacobi Regis Scotorum primo.* Alterum eſt primi conventus, ſeu *Parliamenti* Jacobi II. titulus, in quo iſte conventus cœptus haberi dicitur 20 Martii anni 1337, regni primo, quo etiam die Rex coronatus perhibetur. Hæc cum ſupra memoratis aliiſque innumeris Jacobi II. inſtrumentis, quod ad temporum rationes attinet, plane repugnent; nulla alia noſmet expediendi relinquitur via, quam ut dicamus utrobique in numeris, ſive ſcriptoris, ſive typographi culpa, erratum admiſſum, & priore quidem loco, pro anno Jacobi *primo*, [*ſecundo*,] poſteriore vero pro 20 *Martii*, 25 ſcriptum oportuiſſe. Alteram emendationem confirmant alia hujus Regis inſtrumenta; alteram vero perſuadent Extract. e Chronicis Scotiæ, quæ Jacobum II. coronatum referunt 25 die Martii anni 1437. Neque hoc unicum Actis noſtris Parliamentariis, quæ vocant, mendum irrepſit: alia nonnulla notata reperio in codice MS. in Bibl. Juridica Edinb cui titulus eſt *Miſcellaneæ Collectiones ex Actis Parliamentariis, Actis ſecreti Concilii, &c.* Unum certe, idque ſatis ſplendidum ipſe deprehendi, quod & omnes Editiones pervaſit; quo in Epigraphe Actorum Jacobi III. annus 1466 regni ipſius annus primus dicitur, qui annus ſextus dici debuerat, cum conſentiente omnium Annalium teſtimonio ejus pater Jacobus II. anno 1460, ſit exſtinctus. Hæc igitur cum ita ſe habeant, non tanti apud Cl. Abercrombium unius aut alterius exempli debebat eſſe auctoritas, ut

CIↃCↃ XXXVII. leſimi quadringenteſimi trigeſimi ſeptimi, ad viceſimum diem Februarii, cum regnaſſet [1] annos tredecim. Vixit annos quadraginta quatuor. In ejus morte ulciſcenda tanta adhibita eſt diligentia, ut omnes conjurati intra quadrageſimum diem pœnas luerint. Reliquit filium unum, poſteriorem e geminis, cui faciei dimidium velut ſanguine ſuffuſum rubebat.

ea univerſis aliis hujus Regis Actis præponderet Extractorum certe, (quibus non immerito plurimum tribuit vir celeberrimus,) & libri Perthenſis auctores adverſus illum faciunt; apud quos incultum hocce occurrit Jacobi primi Epitaphium:

Heu Rex ſublimis Jacobus quoque nomine primus,
Anno milleno, quater C, ter quoque deno
Et ſexto, Chriſto de carcere permeat iſto.
Vixit Rex annis X quater bis quoque binis,
Infra Carthuſiam jacet hic tumulatus in imis.

1 *Annos tredecim*] More ſuo facit Buchananus, qui Jacobum primum tredecim tantum annos regnaſſe affirmat, ab ejus *ſcil.* in patriam reditu vel coronatione potius regnum computans. Sed neque ita ſatis accurate ſubductæ ſunt illi rationes: cum enim (uti ſupra ad Lib. X. 26. & 27. oſtendimus) Jacobus ad ſuos redierit primo Aprilis anno 1424, vigeſimoque proximi menſis Maji regni inſignia ſuſceperit, fato autem acerbo 20 Feb. 1437, ſublatus fuerit; hoc certe pacto 12 duntaxat annos & novem menſes regnaſſe erat dicendus. Atqui (quod ſæpius alibi monuimus) nunquam ea fuit Regibus noſtris computandi conſuetudo: ii enim, præſertim vero Jacobus I. ut ex univerſis ejus Actis tam publicis quam privatis elucet, regnum ſuum ſtatim a morte parentum perpetuo auſpicantur. Proinde obiit Jacobus I. poſtquam annos 31 menſeſque decem cum dimidio regnaſſet. Vid. ſupra ad Lib. X. 15.

LIBER UNDECIMUS.

CIII. REX.

I. SECUNDUM parricidarum ſupplicium, JACOBUS unicus Regis extincti filius, [1] vixdum ſeptimum ingreſſus annum, [2] ad ſextum Calendas Aprilis, in cœnobio Sanctæ Crucis ad Edimburgum regnum iniit. Rege nondum rebus adminiſtrandis idoneo, magna certatum eſt ambitione inter proceres de Prorege eligendo. Omnes ea ætate Scotos di-

1 *Vixdum ſeptimum ingreſſus annum*] Mira eſt ſcriptorum noſtrorum in re Chronologica vel Arithmetica negligentia: Boëthius enim lib. 18. Jacobum II. tum cum regnum iniret *ſextum ætatis annum nondum exceſſiſſe*, Buchananus eodem ſenſu *ſeptimum vixdum ingreſſum* ſcripſere. Utrumque necopinus ſequitur Drummondus. Quod ſi illi ad ea, quæ paullo ſuperius de ipſius natalibus tradiderant, oculos vel leviter reflexiſſent, non poterant non deprehendiſſe Jacobum II. patri ſucceſſiſſe annos natum ſex, menſeſque fere quatuor, id enim temporis a 16 Oct. [Buch. 14.] 1430, quo filium natum, ad 20 Feb. 1437, quo patrem exſtinctum, omnes conſentiunt, effluxit. Rectius igitur Extractorum auctor qui eum coronatum ait *anno ætatis ſeptimo.*

2 *Ad ſextum Calendas Aprilis*] *i. e.* 27 Martii. Acta autem Parliamentaria 20 die coronatum tradunt. Ego tamen ob gravif-

divitiis & potentia longe anteibat Arcibaldus Duglaſſiæ Comes; auctoritate vero & opinione prudentiæ multis officiis ſub Rege ſuperiore collecta, præſtabant Alexander Leviſtonius & Guliemus Crichtonius, Equeſtri uterque familia. Ad hos autem magis procerum conſenſus inclinavit; [1] quod Duglaſſii ſuſpectam haberent (etiam Regibus gravem) potentiam. Igitur Alexander Leviſtonius rerum adminiſtrationi præficitur: Gulielmus Cancellarius eſt creatus, quem ſub Rege ſuperiore magiſtratum geſſerat.

II. Ab eo conventu Nobilitate vix digreſſa, factionibus eſt laboratum. Cum enim Cancellarius cum Rege in arce Edimburgenſi, Prorex cum Regina ſe Sterlini contineret, Duglaſſius præteritum ſe proximis comitiis indignatus, & incertus utram factionem magis odiſſet, omnia miſceri non moleſte ferebat. Itaque, eo magis non impediente, quam conſentiente, Annandiani, homines latrociniis & furtis aſſueti, palam velut ex hoſtico agere, rapere, omnes regiones vicinas infeſtas habere cœperunt. Iis de rebus, cum ad eos, qui ſummæ rei præerant, querelæ fuiſſent delatæ, ipſique per literas Duglaſſium (cujus in poteſtate erant Annandiani) ſui officii admonuiſſent, deinde acrius cum eo expoſtulaſſent; ille tantum abfuit ut præterita puniret, ut impunitate gliſcens malum aleret; atque ediceret, „ Ne quis ſuorum Regiis miniſtris, in jus vocantibus, aut „ quidvis pro magiſtratu agentibus, obtemperaret: ſe enim id privilegium (jus „ Regale vulgo appellant) a Regibus habere ſuperioribus. Id qui imminuere „ tentaſſet, capite pœnas daturum. Hunc rerum ſtatum cum Prorex & Cancellarius magis deplorare, quam mutare poſſent, ea peſtis ad proxima quæque proſerpens, quicquid Scotiæ intra Fortham eſt velut tabes brevi pervaſit. Reliquæ duæ factiones, etiam inter ſe diſcordes, per præcones in omnibus oppidis ac prope vicis edicunt; Alexander, ne quis Cancellario, Cancellarius, ne quis Alexandro obtemperet. Si quis ad ſuas calamitates deplorandas ad alterum veniſſet, a diverſæ factionis hominibus in reditu male accipiebatur; interdum villis incendio corruptis omnibus exuebatur fortunis. Ita mutuis cladibus diverſarum partium homines, odio pluſquam hoſtili, ſeſe conficiebant. Viri autem boni, qui ad nullam ſe factionem adjunxerant, rerum ſuarum incerti, publica ſalute deplorata, mœſti atque taciti ſe domi continebant. Ita, in-

viſſimas ſupra ad Cap. ult. Lib. præced. allatas rationes, Extractis potius accedo, quæ ejus coronationem in 25 Martii, tum anni primum, conjiciunt: quo etiam die coronatus eſt ejus proavus Robertus II.

1 *Quod Duglaſſii ſuſpectam*] Abercrombius tamen pag. 319. duo ſe apud Dominum de Gray vidiſſe ait publica inſtrumenta, unum 28 Novemb. alterum 8 Decemb. anno 1438 ſcripta, quibus *Concilium generale* trium regni Ordinum Edimburgi habitum narratur die Jovis 27 Novemb ejuſdem anni, *ab excellentiſſimo Principe Archibaldo Duce Turonenſi, Comite Duglaſſiæ & Longovillæ, Gallovidiæ & Annandiæ Regulo, Scotiæque Regis Locum-tenente generali*; unde non immerito colligit vir accuratiſſimus, hiſce tribus, Archibaldo Comiti Duglaſſiæ, & Alexandro Leviſtonio & Gulielmo Crichtonio Equitibus, reipublicæ adminiſtrandæ ſummam a tribus Ordinibus fuiſſe demandatam, ita ut Duglaſſius regni, Leviſtonius Regis cuſtodiam haberet, Crichtonius Cancellarii munus gereret, omnes tamen ex Ordinum præſcripto rem geſturi, illiſque ſuæ quiſque procurationis rationem reddituri.

interea dum ad ſe quiſque vires contrahit, publica utilitas ab omnibus in medio relicta deſtituitur.

III. Regina, quæ cum Prorege ſe Sterlini continebat, ne nullam ſuis partibus acceſſionem facere videretur, virilis animi facinus aggreditur. Edimburgum enim, velut ad viſendum filium, profecta, in arcem a Cancellario recipitur. Ibi benigne habita, cum, poſt primos congreſſus, convertiſſet ſermonem ad præſentem regni ſtatum deplorandum, copioſeque diſſeruiſſet, quot & quanta publice mala ex hac diſcordia velut fonte redundarent; „Suum ſem„per animum eo ſpectaſſe, ut diſſidiis ex utilitate publica compoſitis, ſi non „tranquillum, tamen aliquem regni ſtatum haberent. Nunc, quando nec au„ctoritate neque conſilio in publicum prodeſſet, privatim quoad poſſet profu„turam: omnemque operam in eo collocaturam, ut filius in ſpem regni ita „honeſte ac pie educaretur, uti malis quotidie gliſcentibus remedium aliquando „poſſet afferre: eam curationem, ſibi a natura datam, minime invidioſam cui„quam videri debere: cæteras adminiſtrationis publicæ partes uſurparent, qui „tanto ſe oneri exiſtimarent non impares; ſed ita uſurparent, ut aliquando Re„gi adulto rationem ſe reddituros cogitent. Ad hæc cum ita vultum compoſuiſſet, ut facile Cancellario ſinceri animi fidem faceret, neque in comitatu ejus quicquam eſſet, unde vis aut fraus timeri deberet, poteſtatem ei fecit ut filium, quoties vellet, ſine arbitris conveniret, & in arce interdum cum eo pernoctaret.

IV. Interea mulier callida, ſerendo plerumque ſermones, de tollenda inter partes diſcordia, quoſdam etiam diverſarum partium in colloquium evocando, eo familiaritatis hominem illexit, ut de rebus prope omnibus conſilia cum ea conferret. Cancellario ita delenito, puero facile perſuadet; „Ut ex hoc car„cere ſeſe libertatis auctorem ſequeretur: hominique nefario, qui ſceleribus „ſuis Regium nomen prætenderet, omniaque regni munia in ſe unum trahe„ret, &, neglecta ſalute publica, rem privatam augeret, ſe eriperet. Id ut „faceret, animo tantum non abhorrente a rectis amicorum conſiliis ei opus „eſſe: cætera curæ ipſius relinqueret. Hujus generis orationibus facile mater filium, & callida mulier puerum incautum, propoſita liberius vivendi ſpe, ita in ſuam traxit ſententiam, ut in ejus poteſtate Rex futurum ſe diceret. Omnibus igitur ad fugam ſatis paratis, Cancellarium adit: „Se obligatam voto pro „ſalute filii ſuſcepto, in arce ait pernoctaturam: ſummo mane ad Album fa„num (id loco nomen eſt) profecturam: interea dum rediret, filii ſalutem ei „ſe commendare. Ille nullam ſubeſſe verbis fraudem ratus, felicem precatus & profectionem & reditum, eam dimittit. Igitur (uti ante convenerat) in arcula, in qua ſolita erat mundum muliebrem recondere, ex arce per miniſtros fidos Rex poſtridie exportatus, Letham ad mare defertur. Regina cum paucis, quo res minus eſſet ſuſpecta, ſubſequitur. Omnes in paratam ad portum naviculam ingreſſi, ſecundo æſtu Sterlinum petunt: ac dum Regii miniſtri exſpectant in multum diem, donec Rex expergiſcatur, antequam fraus detecta eſſet, jam navis extra periculum evaſerat, ventoque adeo ſecundo uſa eſt, ut ſub veſperum Sterlinum appelleret. Ibi Reges a Prorege, omnique promiſcua

miſcua multitudine [1] populariter effuſa, ſummo cum gaudio fauſtiſque acclamationibus excipiuntur: [2] Reginæ aſtus omnium ſermone celebratur: Cancellarii inveterata prudentiæ opinio infimis etiam ludibrio habetur. Hæc res biduum (ut ſolet) vulgi immoderata lætitia jactata eſt, atque in omnium ore verſata.

V. Tertio die, qui Alexandri factioni ſe dediderant, plerique etiam ſpes novas, nonnulli Regii nominis auctoritatem ſecuti, convenere: quibus rei uti geſta erat ordine expoſito, Reginæ animus in re ſuſcipienda, in gerenda conſilium, in eventu felicitas, immodicis laudibus in cælum fertur: Cancellarii avaritia & crudelitas in omnes, in Reginam & Proregem [3] ingratitudo graviter incuſatur: „Eum omnium diſcordiarum, & proinde omnium, quæ ex diſcor-
„dia civili oriuntur, malorum unum auctorem eſſe. Eum vectigalia publica in
„privatam domum avertiſſe; privatorum bona, quæ poterat, diripuiſſe, quæ
„non potuerit diripere, corrupiſſe. Apud unum opes, honores, divitias eſſe;
„apud cæteros ignominiam, ſolitudinem, egeſtatem. Hæc quanquam acerba
„ſint, graviora omnibus exſpectanda fuiſſe, niſi, divino plane conſilio, non
„minus fortiter quam feliciter Regem e carçere, cæteros a Cancellarii tyran-
„ni-

1 *Populariter effuſa*] Cl. Joan. Clericus, vir alioqui de Buchanano optime meritus, vitio tamen ei vertit, Bibl. ſelect. Tom. 8. pag. 175. quod vocem [*populariter*,] & ſæpius quidem, in ſenſum ab eo, quo veteres ea ſunt uſi, paullo diverſum detorſerit, atque pro eo uſurparit quod Græci πανδημεὶ efferunt. Idem tamen Cl. vir non dubitat quin illius vocabuli eo ſignificatu accepti exemplum in pravis forte ejus ſeculi editionibus alicubi Buchananus offenderit. Ego certe, ut neque viro eruditiſſimo reluctari, ita neque ejus ſententiam prorſus confirmare auſim. [*Populariter*] quidem pro [*more populi*] ſeu [*ut vulgo fit*] ſæpius apud optimos auctores uſurpatum reperio, veluti Cic. 1. de Leg. *Populariter interdum loqui neceſſe erit.* Idem 5. de Fin. *Duo genera librorum ſunt, unum populariter ſcriptum, alterum limatius:* quo ſignificatu vocem Buchananus interdum adhibuit; at ſæpius quidem, fateor, pro *plerique omnes, paſſim, vulgo, fere univerſi, catervatim, generatim,* &c. uſurpavit, ut Lib. IX. 19. XI. 25. XIV. 39. XVI. 28. 52. XVIII. 46. Et hoc forte ſenſu accipiendus Cicero videtur, Somn. Scip cap. 7. *Homines enim populariter annum tantummodo Solis*, i e. *unius aſtri reditu, metiantur.* Et Juv, Sat. III. 37.

——— *Et verſo pollice vulgi*
Quemlibet occidunt populariter, ———
Vel, ut aliis legitur,
——— *Et verſo pollice vulgus,*
Quum libet, occidant populariter ———

Ad quæ verba ſic vetus Scholiaſtes; *Ab his populus occiditur, quos ante populus jubebat, id eſt, imperabat occidi*: & Jo. Britannicus, *Populariter*, inquit, i. e. *vulgo, paſſim, vel populo favente, quaſi dicat omnibus applaudentibus.* Non ignoro alios aliter interpretari; ideoque nihil hac in re confidentius pronunciatum volo.

2 *Reginæ aſtus*] Affirmat vulgus Grammaticorum hoc vocabulum in ſexto ſolum caſu reperiri: ſed Buchananum ſatis ſuperque tuentur Sil. Ital lib. 16.

Non ars, aut aſtus belli, vel dextera deerat.
Val. Flacc. V. 541.
——— *Contra inſcius aſtus.*

Tac. Annal. 2. cap. 20. *Aſtuſque hoſtium in perniciem ipſis vertebat.* Cic. 3 Offic. *Quorſum hæc? ut intelligas non placuiſſe majoribus noſtris aſtus.*

3 *Ingratitudo*] Nihil fere hac voce nunc uſitatius, eam tamen veteribus fuiſſe ignotam oſtendunt Voſſius de vit. ſerm. lib. 1. cap. 16. Vorſtius de Latinit. merito ſuſpecta, cap. 7. Cellar. cur. poſter. cap. 8. Jo. Ker ſelect. de ling. Lat. Obſ. lib. 2.

„nide Regina liberaviſſet. Ab eo, qui Regem in cuſtodia tenuiſſet, quid „privatis foret timendum, nemini eſſe obſcurum. Quæ ſpes reconciliandi ad„verſariis cum eo relicta foret, qui amicos tam perfide circumveniret? Quod „ſubſidium ab eo tenuioribus eſſet ſperandum, cujus inexplebili avaritiæ o„mnium bona non ſufficerent? Itaque, cum ope divina primum, deinde Re„ginæ ſolertia, ab ejus impotentia ſint in libertatem vindicati, proſpiciendum „omni ratione, ut hæc lætitia eis ſit perpetua. Unam ad id viam reſtare, ſi „ab illa tyrannidis arce hominem extrahant: & aut opprimant, aut ita exar„ment, ut ne quid ab eo in poſterum ſit metuendum: quanquam id ipſum „parum tutum eſſe: imbutam enim cædibus & rapinis belluam nunquam con„quieturam, dum ſpiritus & vires ei ſuppeterent.

VI. Hæc in Concilio cum Alexander magno cum audientium aſſenſu diſſeruiſſet, fit decretum, ut domum reverſi, quantum quiſque militum poſſint, adducant: arcem enim Edimburgenſem obſidendam, nec ante rem confectam inde diſcedendum. Id quo facilius fieret, Regina magnum frumenti numerum, e ſuis horreis, quæ in Fifa erant, eo ſe advecturam pollicetur: „Celerita„te opus eſſe, dum conſilia adhuc occulta ſunt, necdum ab hoſte proviſa fo„rent, quæ obſidioni tolerandæ eſſent commoda: nec ab Duglaſſio interim „quicquam timendum: quem in Cancellarium odio implacabili eſſe ſcirent: „penes ſe virium & pecuniæ ſatis, penes ſe Regii nominis auctoritatem eſſe, „quia ſemel hoſti ademta, nullam ſpem amplius niſi in ipſorum clementia ſu„pereſſe. Ita conventu ſoluto, brevi rebus omnibus ad expeditionem comparatis, arx obſidione arctiſſima clauditur.

VII. Interea Cancellarius, qui hoſtium conatus exploratos habebat, ſummam ſpem ſalutis & dignitatis tuendæ in eo ponebat, ſi Duglaſſium ſecum conjungeret. Miſſi igitur, qui ſuppliciter & demiſſe cum eo agerent, Cancellariumque in fidem ejus traderent, ſi in præſentia auxilium ferret: „Falli enim „Duglaſſium, ſi Cancellario extincto, per quem ad ipſius exitium gradum „faciant, ibi exiſtimaret libidinem eorum & crudelitatem ſtaturam. [1] Ad ea Duglaſſius magis libere, quam utiliter reſpondit; „Alexandrum & Gulielmum „pari eſſe perfidia & avaritia: non de virtute & bono publico, ſed de priva„tis aut commodis aut ſimultatibus certamen inter eos eſſe, quo in certami„ne uter alterum vinceret, nihil intereſſe. Si uterque occidiſſet, magno id „totius regni emolumento futurum: nec ullum viro bono lætius poſſe dari ſpe„ctaculum, quam ſi tale par gladiatorum commiſſum cerneret.

VIII. Id reſponſum, cum jam obſeſſa arce apud utroſque divulgatum eſſet, effecit, ut omnium ſpe celerius de pace conveniret. Induciis in biduum datis, Alexander & Gulielmus inter ſe collocuti, intellexerunt, quanta non ſolum publica, ſed privata utriuſque pernicie dimicaturi eſſent, ſi in odio pertinaciter perſtarent: Duglaſſium enim, velut in ſpecula, intentum in ejus certaminis

1 *Ad ea Duglaſſius*] Abercrombius, nec temere quidem, exiſtimat, Archibaldum Duglaſſiæ Comitem tum mortuum fuiſſe, ac proinde non ab eo, ſed ab ipſius filio Gulielmo hoc reſponſum fuiſſe datum. Vid. notam ſeq.

2 *Al-*

minis eventum ſtare, ut integer victorem adoriretur: & omnes regni vires aut altero ſublato, aut utroque fracto & debilitato, in ſe unum traheret: nullam alterutri ſpem ſalutis, niſi in communi concordia fore. Itaque homines, alioqui prudentes, præſens periculum facile conciliavit. Gulielmus, clavibus, uti convenerat, Regi oblatis, „Se arcemque in ejus poteſtate eſſe profitetur: „neque alium unquam ſuum animum fuiſſe, quam ut Regiæ voluntati obſe„queretur: magnoque omnium qui aderant aſſenſu in gratiam receptus eſt. Rex ea nocte in arce ſibi dedita cœnavit: poſtridie arcis præfectura Gulielmo, regni adminiſtratio Alexandro permiſſa eſt. Ita poſt odium exitiabile, inter eos in poſterum (ut ſperabatur) mutui emolumenti ſpes, & ab hoſte communi timor, arctiſſimam amicitiam confirmarat. Per hos civiles motus factionum, præter latrocinia, & ignobilium hominum cædes, quæ paſſim fiebant impune, reſidua quædam inter illuſtres familias odia recruduerunt. Altero poſt Regis mortem anno, XI. Cal. Octob. Thomas Bodius a Cella Marnoci Alanum Stuartum Dernilæum, obvium ſibi inter Limnuchum & Varium ſacellum, per inſidias interemit. Proximo poſt anno, ad VII. Id. Jul. Alexander Alani frater, multis utrinque cæſis, juſto prope prælio Thomam victum occidit.

IX. Opportune in hæc tempora incidere viſa eſt mors Arcibaldi Duglaſſii, cujus vivi potentia omnibus formidoloſa fuerat. Deceſſit febre, [1] altero ab Jacobi primi morte anno. Ei ſucceſſit Gulielmus filius, ſextus in hac familia Comes: quartumdecimum is agebat annum; adoleſcens maximæ quidem ſpei, ſi tanta indole digna acceſſiſſet educatio. Sed ætatem adhuc teneram, præmatura libertate inſoleſcentem, perpetua magnarum domuum peſtis adulatio corrupit. Homines enim otio aſſueti, & quibus opulentiorum ſtultitia quæſtui eſt, paternam laudando magnificentiam, divitias opeſque ſupra Regias, eo impulerunt ſimplex & incautum adverſus hæc mala ingenium, ut ingentem aleret familiam, magno ſemper comitatu, etiam ſupra privati ſortem, prodiret in publicum: veteres clientelas officiis retineret, novas largitionibus aſciſceret: Equites crearet & Senatores; Ordineſque diſtingueret, per quos regni publicos conventus imitaretur: nihilque prorſus omitteret, quo Principis majeſtatem æquare poſſet. Hæc cum eſſent per ſe invidioſa, illud quoque bonorum indignationem non mediocriter augebat, quod cum plerumque duobus millibus equitum ſtiparetur, in iis homines facinoroſos, latrociniis infames, & pleroſque capitalia auſos, in aulam & Regis conſpectum adduceret: ut non ſolum potentiam oſtentare, ſed omnibus bonis per hæc timorem incutere velle vi-

1 *Altero ab Jacobi primi morte anno*] i.e. anno 1439, quod & diſertim Boëthius affirmat. Humius tamen eumque ſecutus Geo. Crafordius, eum fato ceſſiſſe tradunt 26 Junii 1438, cujus rei documentum adferunt hæc verba ejus ſepulchro inſcripta: *Hic jacet Dominus Archibaldus Douglas Dux Turoniæ, Comes de Douglas & Longoville, Dominus Gallovidiæ & Annandiæ, Locum-tenens Regis Scotiæ: Obiit 26 Junii Anno Dom. milleſimo, quadringenteſimo octavo.* Quod tamen nullo pacto conſiſtere poteſt cum duobus inſtrumentis (ſupra ad Lib. XII. 1. memoratis) quæ ſibi conſpecta narrat Abercrombius, altero 28 Novemb. altero 8 Decemb. 1438, ſcriptis. Quorum nullum cum ipſe viderim, rem totam in ambiguo relinquo.

videretur. Hæc ejus inſolentia etiam ex eo aucta eſt, quod miſſis in Galliam legatis, hominibus claris, Milcolumbo Flaminio & Joanne Laudero, commemoratis in Reges Galliarum majorum meritis, facile obtinuit, ut Turonum Dux appellaretur: quem honorem avus ejus a Carolo ſeptimo ob res in bello præclare geſtas acceperat, paterque ad eum diem tenuerat. Hac virium acceſſione elatus, Proregem & Cancellarium, paternos (ut ipſe dictitabat) inimicos contemnebat: neque Regem magnopere metuebat.

X. Duglaſſiorum igitur opes cum ob hæc jampridem nimiæ viderentur, acceſſit & nova ſuſpicionis cauſſa. In Lorna Gulielmus Stuartus amplum habebat patrimonium: ejus frater Jacobus, cum, defuncto Rege, auctus eſſet nuptiis Reginæ, ac liberos jam ex ea ſuſcepiſſet, indignabatur ſe ad nullam munerum publicorum partem admitti. Is, quo facilius quod concupierat adipiſci, & conceptum dolorem ulciſci poſſet, viſus eſt a Duglaſſii factione non alienus: nec Regina ejus conſilii ignara credebatur, indignata maxime, quod ſua merita non perinde ac ipſa ſperabat Prorex expenderet. Has ob ſuſpiciones Regina cum marito & mariti fratre, ad quartum Non. Aug. anno, in cuſtodiam ſunt traditi: ipſa quidem in cubiculo, alioqui anguſto, arcte & diligenter aſſervata: reliqui compedibus vincti, in carcerem conjecti: nec prius dimiſſi, quàm in conventu procerum, prid. Cal. Sept. Regina ſe a novorum conſiliorum conſcientia purgaſſet; Jacobus cum fratre prædibus caviſſent, ſe neque adverſus Proregem quicquam attentaturos, neque ullam publici muneris partem eo invito aggreſſuros. In hac rerum inconſtantia, Æbudani, exſcenſione in continentem facta, longe late ferro flammaque vaſtantes, abſque ſexus & ætatis diſcrimine, nullum crudelitatis aut avaritiæ exemplum ſibi reliquum fecerunt: neque contenti in maritima graſſari, in Levinia etiam, e Marini inſula, quæ eſt in lacu Lominio, Joannem Colchonium hominem nobilem, fide data ad colloquium evocatum, interemerunt, XXIII. die Sept. Hujus generis cum fœda paſſim ederentur facinora, partim agrorum incultu, partim cæli intemperie, ſecuta eſt ingens annonæ caritas: peſtilentia etiam laboratum prope per biennium, tanta morbi ſævitia, ut correpti intra unius diei ſpatium exanimarentur. Cauſſas horum malorum vulgus in Alexandrum Proregem conferebat: is enim, rebus ex ſententia procedentibus, Cancellario illiuſque factionis optimatibus contemtis, omnem rerum adminiſtrationem in ſe unum trahebat. Eum enim querebantur, homines nobilitate inſignes & opibus, ob leviſſimas novarum rerum ſuſpiciones, vinclis coërcere, graviſſimoque afficere ſupplicio, reos ex ſua unius ſententia impunitate donare, cum Duglaſſio clam communicare conſilia.

XI. Hæc Cancellarius cum neque tacitus ferre, neque vi prohibere poſſet, ſtatuit, ſuppreſſa ad tempus ira, ab aula ſecedere. Igitur, ubi primum viſa eſt occaſio, Rege ac Prorege Sterlini relictis, cum ingenti clientium manu Edimburgum venit, ibique in arce munitiſſima, in omnia mutandarum rerum momenta intentus, conſedit. Ea res audita, & Proregi ob potentiam creavit invidiam, & Cancellario ex ſolitudine favorem. Neque huic animorum motui Gulielmus defuit: audaci enim facinore, & adverſarii inſolentiam compeſcere,

re, & ſui contemtum demere decrevit. Igitur, cum per exploratores comperiſſet, Regem, dum quotidie venatum proficiſcitur, negligentius cuſtodiri, obſervata Alexandri abſentia, regionumque commoditate, & temporibus ſtipatorumque numero ſatis explorato, locum non longe a Sterlino deſignavit, in quem fidiſſimi amicorum cum quantis poſſent copiis convenirent, ipſumque præſtolarentur: ipſe ante lucem cum equitatu modico, in ſilvis arci propinquis, Regis adventum opperitur. Nec fortuna tam audax inceptum fefellit. Rex enim ſummo mane cum exiguo eoque inermi comitatu ſilvam ingreſſus, in Cancellarii turmam incidit armatam. Hi cum de more ſalutaſſent Regem, ac bono animo eſſe jubentes confirmaſſent, Cancellarius pro tempore eum paucis hortatur; „Ut ſibi ac regno ſuo proſpiciat, ſeſeque ex Alexandri carcere cripiat, ac Regio more in poſterum & libere vivat: nec aliorum libidini & avaritiæ parere aſſueſcat, ſed aliis ipſe quæ juſta & æqua ſunt imperet, civeſque univerſos præſentibus malis levet, quæ rectorum ambitione & cupiditate adeo invaluerunt, ut nullis omnino, niſi Princeps ipſe capeſſat imperium, ſiſti remediis poſſint. Id ut citra periculum, ac laborem etiam conficiatur, ſe providiſſe. Magnam enim in propinquo manum eſſe equitum, qui eum, quocunque aut vellet aut opus eſſet, comitarentur. Hæc cum vultu Rex, ſive quod ita ſentiret, ſive ut timorem diſſimularet, approbare videretur, freno arrepto Cancellarius eum ducere pergit ad ſuos. Qui cum Rege erant, & pauci & inermes adverſus plures & armatos, ad vim impares retro mœſti abeunt. Rex quatuor ſtipatus armatorum millibus, ingenti lætitia vulgi Edimburgi excipitur.

XII. Prorex, hæc uti acta erant ubi comperit, animo ira & pudore confuſo, Sterlinum reverſus, quid optimum factu ſit expendit. Angebat ingentis animi virum, ſe ſua negligentia ita pueriliter fuiſſe deluſum: interim ſuorum fraude factum credere: diu incertus, cui fideret, quem timeret, pudore, ſuſpicione & ira inter ſe certantibus. Tandem animo paullum ſedato, cogitare ſecum occœpit, quod præſentibus malis inveniret remedium: ſuas enim vires, adverſus Cancellarium, hominem juxta conſilio bonum ac manu ſtrenuum, populi præterea favore & Regia auctoritate ſubnixum, parum firmas exiſtimabat. Reginam in cuſtodia duriter habitam ita offenderat, ut ejus placandæ vix ulla ſpes, in placata præſidii parum eſſet. „Duglaſſio virium ſatis, conſilii parum, ætatem teneram, infirmum animum, aſſentationibus etiam corruptum, alieno circumagi arbitrio: &, ut in hujuſmodi fortuna eſſe ſolet, peſſimum quemque plurimum apud eum poſſe; in ea etiam hominum colluvione non eſſe ſuæ dignitatis verſari. Cancellarium, etſi alieno eſſet erga ſe animo, hominem tamen eſſe prudentem: ejus & ætati & ingenio tutius eſſe credi: neque tantas cum eo cauſſas offenſionum eſſe, ut non veteribus officiis ſuperentur: maximam autem ad reconciliationem habere vim periculorum ſimilitudinem, & animorum in publica ſalute tuenda conſenſionem: ejus præterea inimicitiam ſibi potiſſimum eſſe formidandam, a quo, ſi ad alias factiones ſe adjungat, ipſe in ordinem cogi, vel in exilium protrudi poſſet.

XIII. Hæc per aliquot dies, cum intimis amicorum, & viris bonis & pu-

blicæ ſalutis amantibus, cum agitata eſſent, Alexander de conſilio eorum cum familiari comitatu Edimburgum proficiſcitur. Forte tum aderant Abredoniæ & Moraviæ Epiſcopi, homines, ut illa ferebant tempora, doctrina & virtute præditi. Iis interpretibus Prorex & Cancellarius uſi, in ædem Ægidio ſacram cum paucis amicorum convenere. Prior Prorex verba facit. „Nihil, „inquit, in præſentia neceſſe arbitror, ut aut longiore oratione, quæ omni- „bus plus ſatis nota ſunt, deplorem; aut mala commemorem, quæ ex inte- „ſtina diſcordia, bonave, quæ ex concordia redundent: utinam ea potius ex- „ternis exemplis, quam domeſticis experimentis nobis cognita eſſent. Ad ea „veniam, quæ ad ſalutem omnium civium pertinent, ſed nos tamen proxime „omnium attingunt. Hæc animorum inter nos diſſenſio, quanquam neque ab „avaritia, nec dominandi libidine ſit profecta; ſed quod in ſumma rerum ad- „miniſtranda, quas uterque noſtrûm ſalvas eſſe vult, aliter ego atque tu ſen- „tiam: magnopere tamen providendum, ne illa noſtra diſcordia publice regno, „privatim nobis afferat perniciem. Omnium enim in nos oculi conjecti ſunt: „ſcelerati omnium rerum licentiam, ambitioſi honores, opes, & creſcendi „copiam, in noſtrum duorum interitu ſibi proponunt: invidentium tanta mul- „titudo eſt, quantam homines novos in ſummo gradu collocatos habere ne- „ceſſe eſt. Hi omnes, uti ſucceſſibus noſtris dolent, & res proſperas calu- „mniantur, ita adverſas libenter accipiunt, & exitium noſtrum ſperant & optant: „quo magis operæ pretium eſt, ut & noſtræ incolumitati, quæ cum publica „conjuncta eſt, conſulamus, & [1] inimicos cum ſumma noſtra gloria ulciſca- „mur. Una ad id ratio eſt, ſi privatas obliviſcamur injurias: omnia noſtra con- „ſilia & cogitationes conferamus ad publicam utilitatem: meminerimus Regis „incolumitatem noſtræ fidei commiſſam, regni ſalutem ita nobis creditam, ut „rationibus obnoxii ſimus. Igitur, veluti antea pravo ſtudio certavimus, uter „noſtrûm honoribus & auctoritate auctior eſſet, ita in poſterum contendamus, „uter moderatione & juſtitia alterum antecedat: ita demum efficiemus, ut „plebs, quæ nunc adverſa eſt, & nobis calamitates imputat ſuas, nos amet & „revereatur; Nobilitas, quæ noſtris diſcordiis freta in effrenem prorupit licen- „tiam, ad modeſtiam revocetur; potentiores, qui diſſidentium contemnunt „infirmitatem, metu conſentientium ad ſanitatem revertantur. Quod ad me „attinet, Regis tenellam ætatem, quam pater vivens tibi regendam tradidit, „libenter permitto: eam enim functionem quoties mecum diligentius expendo, „non me honore ſpoliatum, ſed onere levatum exiſtimo: privatim ſi quam „abs te accepi injuriam, eam publicæ ſalutis cauſſa libenter condono: ſi quam „feci, bonorum virorum arbitratu ſatisfaciam: neque committam poſthac, ut „mea vel damna vel emolumenta publicam utilitatem remorentur: idem ſi tibi „videbitur, ſecurius in præſentia uterque agemus, & memoriam noſtri jucun- „dio-

1 *Inimicos —— ulciſcamur*] *Ulciſcor* contrario fere modo accipitur, vel pro *punio*, ut hoc in loco, vel (ut alibi) pro *vindico*. Sic Terent. *Ego te pro iſtis dictis & factis, ſcelus, ulciſcar*, i. e. *puniam*. Virg. *Cadentem ulciſci patriam*. i. e. *vindicare*, ſive *pœnam de ea expetere quæ excidii Trojani cauſſa fuerat*.

1 *Quem*

„diorem poſteritati relinquemus. Sin aliter ſentis, omnes homines & præſen-„tes & futuros teſtes facio, per me non ſtetiſſe, quo minus, quibus nunc la-„boramus, mala vel ſanentur, vel aliqua ſaltem ex parte leventur.

XIV. Ad ea reſpondit Cancellarius. „Ego, ut invitus ad hoc certamen „deſcendi, ita honeſtæ concordiæ mentionem non invitus audio: & quemad-„modum arma non niſi injuria laceſſitus indui, ita, modeſtia provocatus, non „committam, ut mea pertinacia commodis publicis obſtare videatur. Video „enim, hac noſtra diſcordia, optimum quemque pravorum injuriis expoſitum, „ſeditioſorum animos in ſpem novarum rerum erectos, patriam in medio præ-„dæ relictam, Regiam dignitatem imminui, ſalutem prodi, auctoritatem in-„fimo cuique eſſe ludibrio. Neque, dum communem prodimus, privatæ no-„ſtræ res meliore in loco ſunt. Interim enim & nos hominibus turbandarum „rerum cupidis quæſtui ſumus, & inimicis jucundiſſimum præbemus ſpecta-„culum (utrumque enim oderunt ex æquo;) & quantumcunque alterutri dece-„dat, tantam ad ſuas opes acceſſionem fieri arbitrantur. Itaque non repetam „altius ſimultatum cauſſas, ne retractando antiqua recrudeſcant vulnera: illud „breviter profitebor, mea me omnia privata incommoda & injurias patriæ re-„mittere: civium incolumitate nihil unquam aut fuit aut erit mihi antiquius. Hæc qui aderant laudantibus, ac de utriuſque conſenſu delectis ad componendas controverſias arbitris, magna cum omnium lætitia, veterum diſcordiarum acciſis radicibus, & novis amicitiæ jactis fundamentis, rurſus communi conſilio regni procurationem ſuſcipiunt.

XV. Secundum hanc concordiam, conventus omnium Ordinum indictus eſt Edimburgum. Eo non pauci (ut alias fieri ſolet) ſed totæ prope ſuis ſedibus excitæ regiones, conqueſtum de injuriis confluebant. Ejus turbæ tam miſerabilis erat facies, ut non ſine ingenti motu animorum conſpiceretur, cum pro ſe quiſque, patres liberis, liberi parentibus, viduæ maritis, omnes omnibus fortunis a latronibus ſe ſpoliatos quererentur. Deinde, ut fit, ex commiſeratione invidia adverſus latronum duces orta, quorum eſſent tam nefaria ſcelera, ut tolerari nequirent; tam late fuſa factio, ut nemo prorſus vitam fortunaſque tueri poſſet, qui non eorum factioni ſe addiceret; tantæ opes, ut in magiſtratuum auctoritate parum præſidii infirmioribus adverſus vim eſſet. Prudentioribus, cum vi inſuperabilem eſſe eorum potentiam appareret, viſum eſt arte paullatim carpendam. Comitem Duglaſſiæ etſi caput eſſe mali omnes intelligebant, nominare tamen palam nemo eum audebat. Igitur Prorex, odio in tempus diſſimulato, perſuadet univerſo conventui, „Duglaſſium eum eſſe virum, [1] quem placari, quam ſuſpicio-„nibus irritari, magis e re eſſet: quippe cui tantæ opes eſſent, ut is unus, ſi „in ſententia perſtaret, decreta Ordinum impedire, ſin optimatibus ſe con-„jungat, malis præſentibus mederi queat. Fit decretum, ut communi nomi-

„ne

1 *Quem placari, quam ſuſpicionibus irritari magis e re eſſet*] Libris omnibus legitur, *Quem placare quam ſuſpicionibus irritari*. Verum, aut *irritare*, quod Crafordius voluit, aut *placari*, uti nos repoſuimus, erat dicendum.

2 *Aver-*

„ne literæ ad eum honorificæ mittantur, quæ admoneant; „Ut memor loci „quem teneret, memor majorum, quorum plurima & maxime illuſtria in rem „Scoticam exſtarent beneficia, ad conventum publicum, qui commode abſque „eo amiciſque ejus haberi non poſſet, veniret. Si qua de re queri vellet, ſeſe „ei quoad liceret ſatisfacturos: ſi quid ſecus ab eo amiciſque ejus commiſſum „ſit, nobiliſſimæ optimeque de patria ſemper meritæ gentis memores, multa „temporibus, multa ætati, multa ipſi ſummæque de eo conceptæ ſpei remiſſu„ros. Veniret itaque, & quam vellet publicæ adminiſtrationis partem capeſſe„ret, remque Scoticam, ſæpe antea e ſummis periculis Duglaſſiorum armis „ereptam, nunc inteſtinis malis laborantem, ſua præſentia erigeret & confir„maret.

XVI. His cum adoleſcens & natura & ætate gloriæ cupidus commoveretur, acceſſerunt amicorum adhortationes, quos ſua quemque ſpes occœcaverat, ut, [1] averſis a memoria periculorum animis, de privatis modo utilitatibus cogitarent. Cancellarius, ubi eum reſcivit adventare, obviam ad multa millia paſſuum ei eſt profectus: & in arcem ſuam viæ propinquam (Crichtonium vocant) amice invitat, & magnifice excipit. Ibi per biduum comiter habito, cum plurima oſtendiſſet amici animi indicia, ut adoleſcentem improvidum facilius circumveniret, omnemque alienatæ mentis aboleret ſuſpicionem, cœpit familiariter ſuadere; „Ut memor dignitatis Regiæ, ac ſui pariter officii, quem [2] na„ſcendi fors, & patriæ leges, Ordinumque conſenſus ad rerum gubernacula ad„moviſſent, eum ipſe pro domino haberet & agnoſceret: patrimonium longe „ampliſſimum, virtute & ſanguine majorum partum, ad poſteros, ita uti ac„cepit, tranſmitteret: Duglaſſiæque gentis nomen, non minus fide quam fa„ctis illuſtre, non modo a fœda proditionis macula, ſed ab omni ſuſpicionis „nota liberaret: ab injuriis adverſus imbellem plebem ſe ſuoſque contineret: „ſegregaret a ſe latrones: in poſterum ita juſtitiæ tuendæ ſe daret, ut ſi quid „ante offenderit, non vitio naturæ, ſed improborum conſilio tribui poſſet: „in illa etiam ætatis infirmitate pœnitentiam pro innocentia poſſe accipi.

XVII. His & ſimilibus ſermonibus, cum benevoli animi fidem feciſſet, adoleſcentem Edimburgum pellexit, una cum Davide fratre, omnium dictorum factorumque conſcio. Comitibus ejus in itinere nonnullam ſuſpicionis fraudem injecerant crebræ ab Alexandro Prorege miſſitationes, & ad ſingula prope momenta intercurſantes nuncii, blandiorque, quam pro more & loco quem tenebat, Cancellarii oratio. Hæc cum ſecreto murmure totum prope agmen ſtreperet, nonnullique Comitem liberius admonuiſſent; Ut, ſi ipſe in propoſito „perſtaret, ſaltem Davidem fratrem remitteret: neve totam familiam (quod „& pater moriens admonuerat) ſub unum fortunæ ictum daret: incauta ætas ami-

1 *Averſis a memoria periculorum animis*] Princeps editio Edinb. & Lugd. Elz. 1643, male [*adverſis*] exhibent. Moſmanniana 1700., [*verſis*:] rectius MS. Genevenſis & Francofurtenſis Editt. quas nos ſequimur [*averſis.*]

2 *Naſcendi fors*] Ita omnes libri: melius tamen mea ſententia [*ſors*] legeretur Vid. infra ad Lib. XII. 16.

1 *Pæ-*

amicis irata, per vocales homines, velut præconio per totum agmen edito, clandeſtinos ſuſurros compeſcuit: amiciſque reſpondit; „Se ſatis ſcire, magnarum familiarum communem hanc eſſe peſtem, ut ſemper habeant homines „otii impatientes, quibus lucro ſint patronorum pericula & miſeriæ: eos, „quia in pace legum vinculis conſtringantur, ſeditionum eſſe auctores, quo „turbatis rebus liberius graſſentur: ſe magis fidere Cancellarii & Proregis ſpe„ctatæ prudentiæ, quam ſeditioſorum temeritati & vecordiæ credere. Hæc cum dixiſſet, ut ſermonibus hujuſcemodi occaſionem præcideret, properantius quam pro itinere, cum fratre & paucis amicorum principibus recta in arcem pergit; & velut fato trahente, in inſidias inimicorum ſeſe præcipitat. In ipſo temporis articulo, Prorex (uti convenerat) affuit; ut communi conſenſu res ageretur, neve in unum tantæ moles invidiæ incumberet. Duglaſſius liberaliter & amice acceptus, & menſæ Regiæ adhibitus fuit. Verum procedente convivio, armati inermem circumſiſtunt; & taurinum caput (ea illis temporibus teſſera cædis erat,) ei apponunt. Eo viſo turbatus adoleſcens, cum exſurgere conaretur, ab armatis comprehenſus, & in aream arci propinquam eductus, graves intemperantis adoleſcentiæ [1] pœnas capite luit, una cum Davide fratre, & Milcolumbo Flaminio, cui maxima, ſecundum fratrem, apud eum erat fides. Eorum cædi Regem, [2] jam adoleſcentiam ingreſſum, illacrymaſſe ferunt, Cancellario graviter increpante ejus intempeſtivum in morte hoſtili fletum, quo hoſte vivo nulla tranquillitatis publicæ ſpes fuiſſet.

XVIII. Gulielmo ſine liberis defuncto, ſucceſſit in jus Comitatus (feudum enim, ut juris periti loquuntur, maſculinum erat) Jacobus, Craſſus ex re cognominatus: in reliquum patrimonium, quod erat immenſum, ſoror unica Beatrix, forma inter æquales eximia. Fuit hic Jacobus Craſſus, etſi vir minime malus, nihilo minus quam ſuperiores inviſus vulgo, & Regi ſuſpectus, quod homines latrociniis aſſuetos ſub Duglaſſiæ ſuperioribus Comitibus, etſi non aleret, non tamen ſatis acriter reprimeret: ſed mors [3] intra biennium ſubtra-

1 *Pœnas capite luit*] Pro ſolita ſua diligentia & acumine, tria hic animadvertit Abercrombius: & primum quidem hanc cædem patratam fuiſſe anno 1440: deinde aliquam in ea ſervatam fuiſſe juris formulam: ac tertio denique Alexandrum Leviſtonium ei non conſenſiſſe. Harum rerum documenta adfert, primum Roberti Flaminii de Biggar Milcolumbi Flaminii filii & hæredis inſtrumentum, 7 Jan. 1440, *i. e.* 1441, ſtylo Romano, ſcriptum, quo adverſus hanc de patre ſuo tollendo ſententiam tanquam injuſtam proteſtatur. Secundum eſt Alexandri Leviſtonii de Calendar inſtrumentum, poſt tres annos ſcriptum, quo ſolenni juramento interpoſito ſe necis Milcolumbi Flaminii neutiquam conſcium aut participem fuiſſe publice teſtatur. Extracta de Chron. Scot. eos capite plexos tradunt 24 Novemb. 1440.

2 *Jam adoleſcentiam ingreſſum*] Si (quod modo ex Abercrombio obſervavimus) hæc cædes facta eſt anno 1440, nondum eo tempore *adoleſcentiam* Rex erat ingreſſus, utpote natus (ipſo Buchanano referente, Lib. X. 38. anno 1430, ac proinde annum tum agens ætatis ſummum 11. Teſte autem Cenſorino de die Natali cap. 14. *Adoleſcentes* veteribus dicebantur ab anno 15 ad 30: Alii *adoleſcentiam* ab anno 12 ordiuntur.

3 *Intra biennium*] Ex titulo ipſius ſepulchro inſcripto, memorantibus Humio pag. 159. & Geo. Crafordio de Nobil. Scot. pag. 99. eum liquet deceſſiſſe 24 Martii anno 1443, juxta veterem Scotorum

traxit eum invidiæ. Huic e ſeptem filiis Gulielmus natu maximus ſucceſſit. Is avitæ potentiæ æmulus, ut familiam in priſtinum reſtitueret ſplendorem, [1] patrui filiam, multarum regionum hæredem, ducere inſtituit. Id matrimonium plerique ex propinquis, partim ut inſolitum, ac proinde non legitimum; partim ob nimias opes vulgo invidioſum, Regibus formidoloſum, non comprobabant. Rumor etiam erat, nec is temere ſparſus, Regem nihil omiſſurum, quod ad rem impediendam faceret. Ea fuit Gulielmo cauſſa maturandi connubii, interdicto nuptiis tempore, ut regios videlicet conatus præveniret. Secuta nimias opes inſolentia, inſolentiam invidia, graſſantibus paſſim latronum gregibus, quorum duces a Duglaſſii conſiliis non alieni credebantur. In iis erat Joannes Gormacus Atholius, qui cum omnia latrociniis infeſta circa ſe reddidiſſet, Gulielmum Ruvenium, Perthi Vicecomitem, quod latronem Atholium ad ſupplicium duceret, aggreſſus, prope juſto cum eo prælio conflixit. Tandem, Gormaco duce cum triginta ſociis cæſo, reliqui fuga ſe receperunt
MCCCC. in montes. Incidit hæc pugna in annum a Chriſto nato, M.CCCC. XLIII.
XLIII. XIX. Non adeo multis poſt diebus, Britannodunum, arx viribus inexpugnabilis, intra paucos dies bis capta fuit. Præerat arci inferiori Robertus Semplius, ſuperiori Patricius Galbrethus, ita partiti imperium, ut peculiarem quiſque aditum [2] in ſuam partem habentes: nec hi quidem a factionibus liberi; Patricius enim occulte Duglaſſianis favere credebatur. Hunc Semplius, cum ſuperiorem arcis partem negligentius ab eo cuſtodiri animadvertiſſet, ex ea expulſum res ſuas exportare juſſit. Poſtridie Patricius, cum quatuor comitibus inermibus, ad ſupellectilem exportandam ingreſſus, primum janitorem, cum ſolum nactus, deinde arreptis armis cæteros ex arce ſuperiore dejecit: mox, accitis ex oppido propinquo auxiliis, etiam ex inferiore excluſit, totamque arcem in ſuam poteſtatem redegit. Pleræque per id tempus ignobilium hominum cædes factæ, quæ partim a Duglaſſianis patrabantur, partim ab inimicis ad eos referebantur. Rege igitur jam adulto, & rebus gerendis adhibito, Duglaſſius invidiæ Nobilitatis, & plebis de ſe querelis impar, ſtatuit mutatis moribus populo ſatisfacere, & quibuſcunque poſſet rationibus Regem [3] ſibi adverſum conciliare. Magno itaque comitatu Sterlinum venit. Regem cum per aulicos, largiendo ſibi venales, placatum reſciſſet, tum demum ipſe adiit: ac ſe ſuaſque fortunas ei permiſit: ſuperioris vitæ crimina partim purgat, partim (quoniam id placabilius videbatur) ingenue fatetur: „Quamcunque poſt„hac habiturus eſſet fortunam, eam ſe Regis clementiæ, non ſuæ innocentiæ „de-

rum ſupputationem, adeoque tres & amplius a proximi Comitis morte annos. *Intra quadriennium* igitur, ſeu *poſt tres annos* ſcriptum oportebat.

1 *Patrui filiam*] Eam ſupra in init. Cap. 18. & infra Lib. XI. 40. *Beatricem* appellat, eumque ſecuti Humius & Pat. Anderſonus; verum tamen ei nomen *Margaritæ* fuiſſe oſtendit Abercrombius ex Actis publ. Angl. Tom. 10. pag. 310 Vid. infra ad Lib. XI. 40.

2 *In ſuam partem habentes*] Rectius, me judice, [*in ſuam partem haberet.*]

3 *Sibi adverſum*] MS. princeps Editio Edinb Gen. & Francof. [*averſum*;] melius tamen recentiores quibus [*adverſum*] legitur.

„ debiturum. Quod ſi Rex officiis & obſequio ſibi ſatisfieri patiatur, ſe cura-„ turum, ut fide, obſervantia, & ſtudio erga eum a nemine vincatur: in coër-„ cendis & puniendis latronibus, quorum ſcelera inimici in ipſum conferrent, „ nullum neque acriorem neque diligentiorem futurum: ſe ea familia ortum, „ quæ non injuriis in imbecilliores, ſed armis protegenda plebe Scotica creviſſet. Hac oratione Comitis, aulicorumque ſecreta commendatione, Rex adeo mutatus eſt, ut omnium ſuperioris vitæ criminum gratia facta, in familiarium numero eum haberet, ſecretaque cum eo conſilia communicaret. Comes autem obſequio Regem, liberalitate miniſtros, comitate & modeſtia cunctos brevi ita ſibi devinxit, ut vulgo manſueti animi ſpem, prudentioribus metum faceret, quo tam repentina morum evaderet mutatio.

XX. In primis Alexander Leviſtonius, & Gulielmus Crichtonius, omnia ejus conſilia in ſuam ſpectare perniciem rati, procuratione publicorum munerum depoſita, diverſi abeunt; Alexander in ſua prædia, Gulielmus in arcem Edimburgenſem, velut Duglaſſianæ ſimulationis eventum ſpeculaturi. Nec fefellit homines perſpicaces præcepta opinio: nam Duglaſſius Regem, & ob ætatis infirmitatem adhuc incautum, & ſeniorum conſilio deſtitutum nactus, tempus adeſſe ratus ulciſcendi mortem patruelium, facile Regi perſuadet, ut Gulielmum Crichtonium, & Alexandrum Leviſtonium, cum duobus ejus filiis Alexandro & Jacobo, in jus ad ſe vocet, ut rationem ſuæ adminiſtrationis redderent. Eo ſpectabant ejus conſilia, ut, ſi accederent ad aulam, ſuæ factionis opibus eos opprimeret: ſin venire abnuerent, hoſtes publicos declaratos, Regii nominis auctoritate ſuis opibus prætenta, eos facile omnibus bonis everteret. Citati, per literas reſponderunt; „ Se nihil unquam Regis regnique „ ſalute habuiſſe antiquius: magiſtratus ita geſſiſſe, ut nihil optabilius ipſis eſſe „ poſſet, quam ut rationes redderent apud æquos judices: verum in præſentia, „ cum omnium, qui judicaturi forent, animi ſint inimicorum gratia & largitio-„ nibus præoccupati, omnes aditus armatis obſepti, veniam ſibi dandam, non „ quod judicium defugerent, ſed hoſtium capitalium violentiæ ſe ſubtraherent, „ ac melioribus temporibus vitam ſuam reſervarent, dum pulſis a latere Princi-„ pis latronum ducibus, quod ſæpe dubiis temporibus antea feciſſent, ſuam in-„ nocentiam Regi, omnibuſque bonis approbarent. Hoc reſponſo accepto, Duglaſſius, conventu, qui ad Sterlinum in quartum diem Novembris indictus erat, habito, curat ut illi hoſtes publici denuncientur, bonaque publicentur: Joannem Froſtarium Criſtorſinianum, ſuum clientem, ad eorum agros depopulandos, bonaque in fiſcum redigenda, cum copiis mittit. Is arces, per deditionem receptas, partim demolitur, partim novis præſidiis occupat: populatione late fuſa, cum nemo reſiſteret, ingentem prædam aufert.

XXI. Vix Duglaſſiani ſe receperant, cum Crichtonius, ex amicis & clientibus omnium ſpe celerius confecto exercitu, Froſtarii Duglaſſianorumque agros percurrit ad Criſtorſinum Strabrocumque; & Abercornum Blacneſſumque ædificia incendit, frumenta corrupit, & quam maximam potuit omnis generis prædam (in ea nobilium equarum gregem) abegit: ac multo majora quam acceperat hoſti damna rependit. Duglaſſius gnarus Crichtonium alienis magis

quam propriis viribus fretum, in amicos ejus iram vertit, a quibus clam (nam palam pauci audebant) miſſa ſenſerat auxilia. Præcipui erant Jacobus Kennedus, [1] Fani Andreæ Archiepiſcopus, Georgius Anguſiæ Comes, & Joannes Mortonii, uterque Duglaſſiæ gentis: ſed alter ex amita Regis, eademque Jacobi Kennedi matre, natus, alter ſororem Regis habebat in matrimonio. Hi potiorem caritate familiæ ſalutem publicam & officium ſemper habuerunt. Sed Kennedus & ætate, & conſilio, ac proinde auctoritate cæteros anteibat: in eum potiſſimum ira eſt verſa. Crafordiæ Comes & Alexander Ogilvius, conflato ſatis magno exercitu, agros ejus in Fiſa late populati, dum prædam magis quam cauſſam ſequuntur, omni genere cladis in vicina etiam prædia graſſati, nemine congredi auſo, pleni prædarum in Anguſiam revertuntur. Kennedus, ad ſua arma converſus, Comitem Crafordiæ, diſceptationem juris fugientem, diris Eccleſiaſticis eſt proſecutus: quas cum pro ſolita contumacia ille ſpreviſſet, juris divini & humani neglecti brevi pœnas dedit.

XXII. Eodem enim, quo hæc geſta ſunt, anno, Collegium Benedictinorum Aberbrothii (quoniam Monachis de civium cauſſis ſtatuere religio eſt) juri dicundo præfecerat Alexandrum Lindeſium, Comitis Crafordiæ filium natu maximum: ipſi eum magiſtratum Balivum vocant. Is cum numeroſa comitum turba Cœnobio gravis eſſet, ac pro præfecto juridico dominum ſe gereret; a Cœnobiarchis magiſtratu ejectus eſt, ſurrogato in ejus locum Alexandro Ogilvio. Lindeſius cum hanc (ut ipſe rebatur) injuriam iniquo ferret animo, uterque, velut indicto bello, copias undecunque poteſt cogit. Cum utrinque jam in procinctu ſtarent acies, Comes Crafordiæ, certior factus, quanta potuit celeritate advectus equo, inter duas acies, ſola majeſtate nominis tutum ſe arbitratus, proceſſit; & dum, inhibito filii impetu, Ogilvium ad colloquium vocat, a milite, quis eſſet, aut quid peteret, ignaro, haſta in os injecta, moribundus concidit. Hac cæde, velut claſſico, utraque acies mota eſt, & poſt acrem conflictum, multis utrinque vulneribus acceptis, victoria penes Lindeſios fuit. Cauſſam ejus hanc maxime fuiſſe ferunt, quod cum utrinque rectis haſtis, ſpeciem ſilvarum præbentibus, ſtarent, quidam exclamaſſe dicitur, „Quid ſtimulos iſtos, tanquam adverſus boves res eſſet, affertis? quin iis ab„jectis, cominus gladiis & vera virtute, ut viros decet, nobiſcum contendite. Ad hanc vocem, utrinque haſtas abjecerunt cæteri, præter centum Glottianos, qui a Duglaſſio Lindeſiis auxilio miſſi erant. Hi cuſpides manibus tenentes, haſtas a tergo trahebant: quas, cum ad manus ventum eſſet, præ ſe denſo vallo prætenderunt: & inopinata ſpecie territis qui ex adverſo ſtabant, aciem hoſtium perruperunt. Deſiderati ex victoribus centum; ex adverſa acie ſupra quingentos: & in his multi viri clari. Alexander Ogilvius ab hoſtibus captus, paucis poſt diebus vulnerum dolore & animi mœrore confectus interiit. Gordonius Huntilææ Comes, in equum ab amicis ſublatus, evaſit: multoque major cædes fuiſſet, niſi nox fugientes texiſſet: concurſum eſt enim [2] ad nonas Calendas

das

1 *Fani Andreæ Archiepiſcopus*] Lege *Epiſcopus*. Vid. ſupra ad Lib. VIII. 1.

2 *Ad nonas Calendas Februarias*] Ita omnes libri exhibent. Ego vero cum Tho. Cra-

das Februarias, paucis horis ante noctem. Victoriam Lindeſiani, domibus direptis & everſis, agriſque depopulatis, crudeliter exercuerunt. Nec ſegnius in regione diverſa bellum inter factiones gerebatur. Duglaſſius Gulielmum Crichtonium in arce Edimburgenſi jam aliquot menſes clauſum tenebat. Ea ut arctius obſideretur, conventus, qui [1] in Idus Julias indictus erat, ac cœptus haberi Perthi, Edimburgum eſt tranſlatus. Tandem, poſt nonum menſem, obſeſſis & obſidentibus pariter feſſis, deditio facta eſt, in has conditiones, ut Gulielmus, venia omnium, quæ in Regem commiſiſſe dicebatur, accepta, incolumis cum ſuis abiret. In omni enim certamine, qui potentior eſt, etiam innocentior ſtudet videri. Nec adeo diu poſt, Crichtonius in gratiam receptus a Rege, iterum fit Cancellarius, magno omnium conſenſu: verum ille non modo aula, ſed publicis etiam negotiis, quatenus per magiſtratum licebat, abſtinuit.

XXIII. Duglaſſius, Crichtonio magis perculſo quam everſo, reliquam iram in Leviſtonios convertit. Sed antequam ad eam partem veniam, cædes nobilium virorum (nam omnium infinitum eſſet) per ea tempora attingam. Jacobus Stuartus, nobilis Eques, ab Alexandro Lilio & Roberto Bodio, ad Fanum Patricii, quod duo millia a Britannoduno abeſt, fuit cæſus: nec eorum crudelitas ejus morte contenta, uxorem ejus gravidam, ac prope jam parturientem, in ſuam poteſtatem redigere contendunt. Id ut perficerent, ſacrificulum ad eam mittunt, qui tumultuoſe nunciaret, „Equites peditesque omnes „vias obſidere, nec eam aliter tam præſens periculum evadere poſſe, quam ſi „navicula Britannodunum ad Robertum Bodium devehatur: qui ſancte pro„mittebat, ſe eam domum ſalvam remiſſurum. Mulier credula, & quæ ignorabat Robertum in cæde perpetranda affuiſſe, e Cardroſia in arcem vecta, ſe fraude inimicorum undique circumventam cernens, doloris, metus & indignitatis magnitudine victa, fœtum abortivum edidit, qui una cum ipſa intra paucas horas interiit. Eiſdem fere diebus, Patricius Heburnus Halenſis Regulus Dumbari arcem tenebat; ac Joannam Jacobi primi uxorem, quæ fugiens tumultus illuc ſe receperat, ibi ſecum habebat. Archibaldus Dumbarius, hanc iræ juſtam cauſſam ratus, Halim Heburni arcem noctu aggreſſus, primo impetu præſidio interemto cepit: paucisque poſt diebus, timore perculſus, Comiti Duglaſſiæ eam reſtituit, pactus, ut incolumis inde cum ſuis dimitteretur. Nec diu poſt Joanna Regina deceſſit, relictis e poſteriore viro liberis, Joanne Comite Atholiæ, Jacobo Buchaniæ, & Andrea poſterius Moravienſium Epiſcopo. Ea

Crafordio [*nonum*] reponendum exiſtimo; nuſquam enim Latinos numero plurali hac in re uſos reperio. Forte Buchananus [*non.*] aut 9 ſcripſerit, quod librarii in [*nonas*] mutarunt. Mire hic variant noſtri ſcriptores; Leſlæus enim 13, Pat. Anderſonus 16, Extr. 20, Holinſhedius 23, & Buchananus denique 24 Januarii pugnatum tradunt. Plerique porro annum deſignant 1445, *i. e.* juxta ſupputationem Romanam 1446. Extr. tamen annum memorant 1447.

1 *In Idus Julios*] Hunc conventum Perthi haberi cœptum 14 Julii anno 1445, ex ipſis Actorum libris conſtat, adeoque *in diem pridie Idus Julias* dici debebat.

Ea defuncta, Heburnus arcem Dumbari vacuam Regi tradidit. [1] In Anguſia Alexander Crafordiæ Comes, Joannem Leontem, ad magnas opes & honores, ac Regiam etiam affinitatem, a patre ſuo provectum, velut ingratum & beneficiorum immemorem, Taoduni in foro capitali ſupplicio affecit. Annandiani agros propinquos omni calamitatis genere inter has diſcordias fœdabant.

XXIV. Omnium autem cauſſæ malorum in Comitem Duglaſſiæ referebantur: qui tamen ſedulo hæc a ſuæ factionis popularibus fieri diſſimulabat: etſi palam unum id ſtudebat, ut diverſarum partium homines affligeret: eo enim evaſerat impotentiæ, ut acta ejus reprehendere capitale eſſet. Jacobum Stuartum, Regis vitricum, de regni ſtatu liberius locutum, [2] ſolum vertere coëgit: qui, a Flandris capta nave, non diu ſupervixit. Jam maturum ratus Leviſtonios aggredi, Edimburgum ad conventum evocandos curat Alexandrum familiæ principem, ejuſque filium Jacobum; item Robertum Regium Quæſtorem, & Davidem: ex amicis vero Robertum Bruſſium, Jacobum & Robertum Dundaſſios. Ex his Alexander & duo Dundaſſii, bonis publicatis, in cuſtodiam Britannodunum ſunt relegati: cæteri capitibus luerunt. Quo crimine tam grave meruerint ſupplicium, a ſcriptoribus illorum temporum non proditur: nec ego, in re tam a memoria noſtra remota, meas interponam conjecturas: tantum quod fama accepi referam. Jacobum Leviſtonium, cum ad locum ſupplicii veniſſet, graviter & diſerte ajunt de fortunæ inconſtantia conqueſtum; ,, Patrem ſuum, imperio Regibus proximo nuper auctum, ,, ceſſiſſe libenter invidioſo Proregis titulo: in ſua prædia, procul ab aula & ab inimi- ,, corum oculis, abiiſſe: quorum cum nullis ejus miſeriis exſatiaretur crudelitas, ,, arma, ſed coactum, ſalutis tuendæ cauſſa ſumſiſſe, Regiſque juſſu depo- ,, ſuiſſe: ea in re ſi qua fuerit culpa, jam pridem veniam impetraſſe. Poſt id ,, tempus, etiam ab omni ſuſpicione ſe vitam procul egiſſe. Ejus rei ſatis perſpi- ,, cuum eſſe argumentum conſcientiam Nobilitatis, quæ tam ſollicite ſupplicia ,, eorum deprecaretur: plus tamen inimicorum potuiſſe ſævitiam, quam ſupe- ,, riora officia ſuæ familiæ, quam a Rege impetratam veniam, quam Nobilita- ,, tis preces. Itaque ſe omnes qui adeſſent rogare, ut præclaros imperii magiſtra- ,, tuſque titulos nihil aliud eſſe exiſtiment, quam ſævituræ aſperius fortunæ blan- ,, dimenta; & funerum decora potius, quam vitæ præſidia: præſertim cum ,, ſemper plus poſſint improbi ad bonorum perniciem, quam conſenſio bono- ,, rum ad ſalutem tuendam.

XXV.

1 *In Anguſia Alexander Crafordiæ Comes,* &c.] Mira oſcitantia in hunc locum conjecta eſt Joannis Leontis cædes, quæ diu antea, anno *ſcil.* 1382, regnante Roberto II. contigit. Vid. Boëthium fol. 329. Is autem Joannes Leon uxorem duxit Joannam Roberti II. filiam, nuptias conciliante Jacobo Lindeſio, a quo ob ingrati animi (uti ferebat Lindeſius) crimen, capitali ſupplicio eſt affectus. Narrat quidem Drummondus quendam *Joannem Lyntonem* circa hoc tempus ab Alexandro Comite Crafordiæ Taoduni necatum; quod forte Buchananum fefellit. At de magnis hujus viri honoribus, Regiaque affinitate nihil uſquam legiſſe memini.

2 *Solum vertere coëgit*] Exſtat apud Rymerum Act. publ. Tom. 11. pag. 107, ſalvus conductus ipſi, ejus filio Joanni, Gulielmo Dicſono, ac *viginti perſonis in eorum comitiva*, ſcriptus 24 Novemb. 1445.

1 *Cer-*

XXV. Hæc cum dixiſſet, cum ingenti omnium mœrore [1] cervices carnifici ſubjecit. Inter hos motus, [2] miſſus eſt in Galliam Crichtonius, ut, præter antiqui fœderis renovationem, etiam Jacobo Regi peteret Regii generis uxorem. Nec Duglaſſius moleſte ferebat abſentiam, etſi honorificam, hominis juxta prudentis ac ſtrenui, & ex reliquiis veterum diſcordiarum ſibi non ſatis æqui. In tam perturbato regni ſtatu, idem, qui in cæteros vulgatus erat, morbus Eccleſiaſticum ordinem ſuo contagio affecit. Joannes Cameronus Glaſcuæ Epiſcopus, in ſuæ [3] ditionis (quæ in primis ampla eſt) agricolas, multa crudelitatis & avaritiæ exempla ipſe ediderat; multa per eos, quorum in manu ſumma rerum erat, prodenda curaverat: ut dominis iniquo judicio circumventis, bona ad eum redirent, omniumque, quæ populariter fiebant, malorum aut auctor aut fautor credebatur. Ejus viri dignum vita nefarie acta fuiſſe tradunt exitium. Pridie natalem Chriſti cum in villa quadam ſua, ad ſeptem millia paſſuum a Glaſcua diſtante, quieſceret, vocem ingentem audire viſus, ſe ad tribunal Chriſti, ut cauſſam diceret, vocantis. Ex ea repentina perturbatione ſomno excuſſus, famulos excitat, illatoque lumine aſſidere jubet. Ipſe, libro in manum ſumto, cum legere occœpiſſet, eadem iterum audita vox omnium animos ſtupore defixit. Deinde cum longe vehementius atque horribilius inſonuiſſet, Epiſcopus, ingenti gemitu edito, lingua exſerta, mortuus in lectulo eſt inventus. Hoc tam perſpicuum divinæ ultionis exemplum, ut neque temere affirmare nec refellere eſt animus; ita, cum ab aliis ſit proditum, & conſtanti rumore pervulgatum, omittere viſum non eſt. Eodem tempore, Jacobus Kennedus, vita & moribus longe diverſis, ut qui omnia ſua conſilia ad ſalutem publicam referret, cum neque auctoritate aut conſilio novis quotidie malis ingruentibus reſiſtere poſſet, Regiaſque vires adverſus improborum conſpirationem videret infirmas, fortunis omnibus in prædam relictis, ipſe ſuam ſalutem tuebatur.

XXVI. Nec in his malis domeſticis res foris quietiores erant. [4] Finitis cum Anglo induciis, Scoti in Angliam, Angli in Scotiam incurſiones fecere, quacun-

1 *Cervices carnifici ſubjecit*] Quidam forte ſuſpicentur Buchananum culpa non carere, qui Poëtas imitatus, hanc vocem [*cervices*,] cum de unius collo tantum loqueretur, pluraliter adhibuerit. Sed nihili eſt hæc cenſura, cum optimi ſcriptores non ligata modo ſed ſoluta oratione ita frequentiſſime loquantur; Cic. 1. Ant. *Cervicibus caput abſcidit.* Idem 1. in Ver. *Cum iſtius avaritiæ pœnam collo & cervicibus ſuis ſuſtineret.* Id. 2. Philipp. *Cerviceſque ſuas ei objecit ſecuri, qua multi in minoribus peccatis occiderunt.* Cato, *Si caput aut cervices dolent, ea lotio calido lavito.* Quin & Romanorum doctiſſimus Varro de LL. lib. 7, & 9. veteres narrat eo vocabulo in plurali ſemper fuiſſe uſos, primumque Hortenſium in ſingulari uſurpaſſe. Idem refert Quintilianus lib. 8. cap. 3. Vid. Voſſ. Inſtit. Orator. lib. 4. cap. 4. §. 8. & Laur. Vallam Elegan. lib. 4.

2 *Miſſus eſt in Galliam Crichtonius*] Jacobi II. hac de re literæ exſtant in Actis Galliæ pag. 356. ſcriptæ 6 Maji 1448.

3 *Ditionis*] Vid. ſupra ad Lib I. 43. X. 14.

4 *Finitis cum Anglo induciis*] Ex Actis publ. Angl. Tom. 10. pag. 687. & Tom. 11. pag. 4. apparet inducias fuiſſe initas, primum 9 annorum, a 1 *videl.* Maji 1438, ad 1 Maji 1447, ac deinde in 7 annos protractas, ad 1 Maji 1454. Non igitur *finitæ*, ſed *violatæ* (& quidem ab Anglis, ut oſtendit Abercrombius, pag. 339.) ſunt induciæ.

1 Ja

cunque ibant omnia ferro flammaque vaſtantes: in Anglia, Annevicus ab [1] Jacobo Comitis Duglaſſiæ fratre, in Scotia Drumfriſium a Comite Sarisburiæ, Dumbarum a Comite Northumbriæ direptum & incenſum eſt; magnæ utrinque prædæ hominum atque pecudum abactæ ſunt. Inter duces conventum, ut captivorum fieret permutatio. Erant enim fere numero & genere pares. His incurſionibus, cum agri pene ad ſolitudinem redigerentur, nihil autem ad ſummam belli proficeretur, rurſus [2] in ſeptem annos pacti ſunt inducias. In hoc ſtatu rerum Jacobus Dumbarius Moraviæ Comes moritur. Is cum duas filias reliquiſſet hæredes, major natu a patre ante mortem Jacobo Crichtonio collocata fuerat, minor patre defuncto Archibaldo Comitis Duglaſſiæ fratri nupſit. [3] Is contra leges inſtitutaque majorum Comes Moraviæ nuncupatur. Tanta tum erat in aula Duglaſſii potentia. Nec hoc incremento contentus, quo latius familiæ nomen propagaretur, [4] Georgium fratrem curat Ormundiæ Comitem creari; Joannem multis fructuoſiſque prædiis donatum, Balvaniæ Baronem vocat; multis amicorum nimiam jam antea, & formidoloſam Regibus, familiæ potentiam ſuſpectam habentibus: immoderata enim hæc fortunæ incrementa non diuturna fore augurabantur.

XXVII. Inimici vero, quam invidioſiſſime poterant, inſectabantur illam inexplebilem cupiditatem. „Quam enim poſthac vitam fore, ſub hominis impo-„tentis tyrannide; cujus avaritiæ nihil eſſet ſatis; adverſus cujus potentiam nihil eſſet „tutum: qui per fas nefaſque procerum invaderet patrimonia, tenuiores clien-„tibus ſuis in prædam relinqueret; adverſantes libidini, per latrones & ſicarios, „aut bonis everteret, aut e vita tolleret; novos homines ad ſummos honores „eveheret, quos in veterum familiarum ruinis collocaret? In unam domum omnes „opes regni congeſtas: præter tot Equites & Barones, [5] quinque opulentiſſimos „unius gentis Comites. Regem ipſum jam precario regnare. Sub Duglaſſiis ex-„trema omnia in miſera ſervitute patienda: qui vocem libertatis memorem emi-„ſiſſet, animam ſimul emittendam. Hæc atque hujus generis pleraque vera, pleraque ad invidiam creandam ſupra verum aucta, cum paſſim ſpargerentur, qui

1 *Jacobo Comitis Duglaſſiæ fratre*] Drummondus & Abercrombius id factum tradunt a *Joanne* Balvaniæ Regulo, Lindeſius vero Pitſcottienſis *Georgium*, alii fere omnes Buchananum ſequuti, *Jacobum* appellant.

2 *In ſeptem annos*] In ſeptem quidem annos factæ ſunt induciæ, ſed diu antequam priores induciæ exiiſſent, anno *ſcil.* 1442. Vid. Act. publ. Angl. Tom. 11. pag. 4.

3 *Is contra leges*] Narrat Balfurius in ſua Nobil. Scot. Genealogia, Moraviæ Comitatum feudum fuiſſe primitus maſculinum; & licet Robertus II. eam limitationem quam, vocant, ſuſtuliſſet, tantam tamen tum fuiſſe Duglaſſiorum in aula potentiam, ut Jacobus II. eum ſibi Comitatum vindicaret, paullo poſt fratri Duglaſſii donandum.

4 *Georgium fratrem*] Verum ei nomen *Hugoni* fuiſſe ex Actis publicis patet, ſuffragantibus etiam Extr. Crafordio, Abercrombio, in primis vero Actis Angl. Tom. 11. pag. 283. Impoſuit Buchanano Boëthius, iſque rurſus Drummondo, qui *Georgium* vocitant.

5 *Quinque opulentiſſimos unius gentis Comites*] Ii erant Comites Duglaſſiæ, Anguſiæ, Moraviæ, Ormundiæ & Mortonii.

qui extra factiones erant, omiſſa publici emolumenti cura, ſuis negotiis animum intendebant: prudentiores inimicorum læti accipiebant, hominem tantis opibus, ut adverſus eas nullæ vires ſatis firmæ viderentur, ſua ſponte præcipitem ruere. Nec ea divinatio falſos habuit: animus enim, per ſe inſolens, tantis ſucceſſibus eo crevit impotentiæ, ut amicorum liberis admonitionibus aures haberet clauſas. Ac ne ſilentio quidem diſſimulare, quæ probare non poterant, pleriſque ſatis tutum fuit, adulatoribus omnium non verba modo, ſed vultus quoque obſervantibus. Veteres inimici in jus rapiebantur, ad eundem adverſarium & judicem: multi bonis, quidam vita ſpoliati; plures, iniquum fugientes judicium, ſolum vertebant. Duglaſſiæ factionis homines, nullo judiciorum metu (nemo enim [1] jure experiri cum quoquam eorum audebat) in omnem licentiam effuſi, ſacra, profana, agere, rapere, obnoxios cædere, neque ſceleribus modum facere: [2] interdum, nullis peccandi ſuppetentibus cauſſis, gratuita edebant facinora, ne, per deſuetudinem ſcelerum, honeſtæ cogitationes animum ſubeuntes mollirent, ac a feritate illa manſuefacerent: quanto quiſque contumelioſior in plebem eſſet, tanto ſe nobiliorem exiſtimabat.

XXVIII. Tot malis in omnes Regni partes diffuſis, Scotia oneri ſuccubuiſſet, niſi eiſdem temporibus non minor civilium tempeſtatum vis in Angliam incubuiſſet: qua tandem aliqua ex parte ſopita, induciarum fide violata, Angli incurſionem in Scotorum agrum fecere, ac late fuſa populatione, cum ingenti villarum ſtrage graſſati, vi magna pecorum abacta domum rediere. Nec Scotus hanc injuriam diu tulit inultam: ſatis enim ampla manu Angliam ingreſſus, majorem quam acceperat hoſti cladem reddidit. Ita utrinque animis populatione irritatis, magnæ vaſtitates in utriuſque gentis agris factæ: ſed calamitatis major pars in Cumbriam, unde initium injuriæ ortum erat, incubuit: ea enim omni clade belli vexata, prope ad ſolitudinem erat redacta. Hæc Londinum perlata fecere, ut exercitus longe maximus decerneretur in Scotos: quibus copiis regionem inopem, domi inteſtinis malis laborantem, facile in ſuam poteſtatem ſe redacturos arbitrabantur. Igitur delectu militum optimi generis habito, ducem præficiunt Northumbriæ Comitem, ob regionum notitiam, & quod magnum ejus erat nomen, magna auctoritas, in illis gentibus. Ei addunt Magnum quendam, Equeſtri quidem familia, ſed qui multos annos in Gallia, cum induſtriæ & fortitudinis laude, meruiſſet. Is, cum præcipuo adverſus Scotos odio flagraret, tranſegiſſe cum Rege fertur, ut quantum agri, pulſis aut cæſis habitatoribus, de Scotis caperet, ipſe poſterique ejus poſt ſe tenerent.

XXIX. Contra Scoti, audito apparatu hoſtium, & ipſi ſuas ex adverſo copias comparant. Omnibus præficitur [3] Georgius Ormundiæ Comes: qui ſtatim in

1 *Jure experiri*] Idem ac *lege agere cum aliquo*, formula Ciceroni, Nepoti, aliiſque uſitata.

2 *Interdum nullis peccandi*] Hoc ex Salluſtio expreſſit, ita enim ille de Catilina, cap. 16. *Si cauſſa peccandi in præſens minus ſuppetebat, nihilominus inſontes, ſicuti ſontes, circumvenire, jugulare: ſcilicet, ne per otium torpeſcerent manus, aut animus gratuito potius malus, atque crudelis erat.*

3 *Georgius Ormundiæ Comes*] Legendum *Hugo*. Vid. notam ad pag. præced. Num. 4.

in Annandiam, quo venturum hoſtem intelligebat, ducit. Occupant priores Angli in hoſticum ingredi. Superato Solvæo & Annando amnibus, ad Sarcam flumen caſtra locant: atque in omnes partes dimiſſis cohortibus, longe lateque populantur: demum adventu Scotorum cognito, ſuos per tubicines revocant, omneſque in unum vires contrahunt. Ubi primum utrinque inſtructi apparuere, nullam dimicandi moram faciunt. In dextro cornu Anglorum Magnus præeſſe juſſus, in ſiniſtra Joannes Ponentonius Eques. Ei attributi Valli, e veterum Brittonum ſtirpe reliquiæ. Mediam aciem Comes regebat. Georgius Duglaſſius adverſus Magnum [1] Vallam Cragiæ Comarchum, adverſus Ponentonium Maxuallium & Jonſtonium cum ſuis quemque tribulibus locat. Ipſe in media acie curat: ac ſuos breviter eſt hortatus; „Ut bonam de „victoria ſpem haberent, ut qui hoſtium injuriis laceſſiti arma induiſſent: ju„ſtiori cauſſæ proſperum eventum non defuturum: hoſtium ſuperbiam ſi ſemel „inſigni clade retuderint, brevis laboris diuturnum fructum habituros. Angli, qui ſagittariorum numero abundabant, cum Scotos eminus miſſilibus ſauciarent, Vallas, qui ſiniſtro cornu præerat, exclamat, ut a ſuis omnibus audiri poſſet; „Quid ita eludentes velitarentur? Se ſecuti, cum hoſte manum conſererent, „ubi vera virtus ſpectari poſſet: id demum virorum certamen eſſe. Hæc locutus, totum ſecum cornu commovit. Ac ſtatim prælongis haſtis (quas Scoti, pediti atque equiti juxta habiles, ferunt) hoſtem impellunt, impulſum fundunt fugantque.

XXX. Magnus inclinatam ſuam aciem cernens, vitæ ſuperioris honeſte actæ magis quam periculi memor, in Vallam magno impetu fertur, ut vel audacia prælium reſtitueret, vel extremum ſaltem ſpiritum præclari facinoris gloria illuſtraret: ſed dum incautius ruit, a ſuis excluſus cum paucis eum ſecutis occiditur. Hujus cædis fama per utrumque exercitum vulgata, Scotiſque ideo ſe alacrius inferentibus, reliquus Anglorum exercitus non diu ſtetit. Cum effuſa fuga domum properarent, major abeuntium quam præliantium cædes facta eſt; maxima vero in Solvæi ripa, cum æſtus maris, tum forte in amnem refuſus, fugientes retineret. Periere Anglorum in eo prælio circiter tria millia, Scotorum ſexcenti. Captivorum magnus fuit numerus: e quibus clariſſimi Joannes Ponentonius & Robertus Harentonius: Comitis Northumbriæ filius, cum evadere poſſet, dum patrem in equum imponit, ipſe in manus hoſtium venit. Capta præda, quantam nullo ante prælio meminerant. Angli enim & numero militum & genere, & Scotorum diſcordia freti, adeo ſecuri eo venerant, ut non ad bellum, ſed ad pompam proficiſci viderentur: tanta ſui fiducia, hoſtiſque contemtus inerat. Vallas ſaucius, domum lectica delatus, poſt tertium menſem deceſſit. Ormundiæ Comes victor captivos recenſuit: primores in arcem ad lacum Mabanum cuſtodiendos dedit; ipſe in aulam profectus, effuſis omnibus obviam, omni genere honoris excipitur. Res belli geſtas Rex magnis laudibus proſecutus, eum una cum fratre monuit; „Ut, quemadmo„dum ſæpe foris ſpecimen fortitudinis oſtendiſſent, remque Scoticam ſuo la„bore

1 ——— *Vallam Cragiæ Comarchum*] Balfurius in ſuis Annalibus, *Gulielmum Vallam* appellat.

„bore & virtute periculoſis temporibus defendiſſent, ita domi modeſtiæ aſ„ſueſcerent, ab infirmiorum injuria ipſi ſe abſtinerent, ſuoſque continerent: „potentiam, quam multis majorum in Regem civeſque ſuos meritis collectam „haberent, in latronibus coërcendis potius quam fovendis oſtenderent: id unum „eis ad abſolutam laudem deeſſe: quod ſi pergerent facere, intellecturos, ni„hil ſe commodis Duglaſſiæ gentis prius habiturum. Ad ea benigne cum reſpondiſſent, a Rege dimiſſi, læti domum rediere.

XXXI. Poſt hoc ad Sarcam prælium, ut limes Scotiæ ab exterorum injuriis fuit pacatior, ita res Londinum nunciata Anglorum animos magis irritavit quam dejecit. Conſilio de bello in Scotos habito, novus delectus ad ignominiam delendam decernitur. Omnibus in id unum intentis, civiles repente motus exorti, validaque adverſus Regem plebis conſpiratio belli externi conſilia diſcuſſit. Legati in Scotiam de pace miſſi: quorum adventus eo gratior fuit, quod ne ipſis quidem ſatis certæ res domi erant. Cum de pace non con- M.CCCC
venirent, legati, [1] in triennium inducias pacti, retro domum redierunt. [2] Hæc XLVIII.
geſta ſunt anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo. Auxit hanc publicam lætitiam, brevi poſt nuncius e Flandria a Cancellario miſſus, qui ad Carolum Septimum ierat de matrimonio contrahendo. Ejus opera deſponſa eſt Jacobo Maria Arnoldi Ducis Geldriæ filia, per matrem [3] Burgundi ſororem Regium genus contingens. Ea, anno proximo, magno virorum nobilium comitatu, in Scotiam venit: ac, [4] menſe Julio, in Fano Sanctæ Crucis ad Edimburgum coronata eſt.

XXXII. Hanc tam multiplicem lætitiam, de victoria, de pace, de nuptiis, nonnihil turbavit Richardi Colvillii, Equitis non obſcuri, mors, non tam ipſa fortaſſis immerita, quam peſſimo in publicum exemplo perpetrata. Richardus enim Joannem Achleccum, Duglaſſii neceſſarium, de quo ſæpe, poſt multas magnaſque acceptas injurias, conqueſtus erat, cum in jure & æquitate nullum præſidium videret aut ſperaret, pugna adortus, ipſum cum aliquot comitibus interemit. Hanc cædem adeo moleſte tulit Duglaſſius, ut graviſſimo ſacramento ſe aſtringeret, non prius quieturum, quam Colvillii cæde eam expiaret. Nec vanæ fuere minæ: expugnata enim Richardi arce ac ſpoliata, quicunque puberes in ea reperti ſunt, cæſi. Hoc facinus, etſi nullo neque jure neque more factum, non deerant tamen qui excuſarent, & prope-

1 *In triennium inducias pacti*] Non quidem in triennium, ſed primum a 10 Aug. 1449, ad 20 Sept. ſequentis, indeque ad 19 Novemb. ac demum inſolito more in incertum tempus continuatæ, ea tamen lege, ut ſi alteruter Regum animum induceret bellum renovare, id alteri 180 dies prius ſignificaret, quam ei ejuſve civibus vim aliquam inferret. Vid. Acta publ. Angl. Tom. 11. pag. 229, 231, 237, 247.

2 *Hæc geſta ſunt anno* 1448] Prælium quidem ad Sarcam eo anno commiſſum eſt, induciæ vero initæ ſunt anno ſequente 1449. Boëthius utrumque in annum 1450 perperam conjicit.

3 *Burgundi ſororem*] Exſtat, in Actis publicis Scotiæ, ſyngraphus Jacobi II. 1 Maji 1450 ſcriptus, quo ſe viginti ſcutatorum millia a Philippo Burgundo accepiſſe teſtatur in partem ſolutionis dotis ſibi promiſſæ.

4 *Menſe Julio*] *Menſe Junio*. Extract.

modum laudarent, tanquam ab ira generoſo homine digna profectum: & (ut fieri ſolet, rebus in præceps euntibus) opulentiæ perpetua comes aſſentatio extrema flagitia nominibus honeſtis induebat. Duglaſſium, elatum fortunæ, in exitium ejus imminentis, blanditiis, prava cepit ambitio, etiam exteris nationibus oſtentandæ ſuæ potentiæ; tanquam nimis anguſto unius inſulæ theatro ſplendor tantæ familiæ coarctaretur. Occaſio Romam petendi erat ambitio, prætendebatur religio. Veteris Judæorum ritus Eccleſia Romana ſibi aſciverat exemplum, ut quemadmodum illi quinquageſimo quoque anno ſuis civibus debita cujuſcunque generis remittebant, oppignerata gratis reddebant, ſervos Hebræi generis libertate donabant, ita Romanus Pontifex omnium ſecus factorum condonationem, velut Dei in terris Vicarius, arrogabat: quam aliis temporibus minutatim cauponabatur; quinquageſimo quoque anno, apertis miſericordiæ ſuæ horreis, nullius menſuræ parcitate cohibitam, omnibus publice, nec tamen omnino gratis, effundebat. Duglaſſius igitur, magna Nobilitatis frequentia, partim novitatis avidæ, partim ſpe præmiorum illectæ, ſtipatus, in Flandriam trajecit. Inde Lutetiam terreſtri itinere profectus, aſſumſit fratrem Caledoniæ deſtinatum Epiſcopum; deinde, cum liberis Comes careret, Regis permiſſu [1] in ſpem Duglaſſiæ ſubſtitutum. In Gallia, cum ob fœdus publicum cum Scotorum gente, tum ob avitorum in rem Gallicam beneficiorum memoriam, liberaliter & amice habitus, Romam ſui adventus exſpectatione implevit.

XXXIII. Poſt alterum fere ab ejus profectione menſem, qui metu præſentis continebantur inimici, & æmuli paullatim emergere cœperunt, & de injuriis pridem illatis queri. Cum faciles ad Regem aditus, nec difficiles ad audiendas querimonias aures eſſe fama divulgatum foret, quotidie fortunam lamentantium ſuam turba creſcebat, omneſque complebat aditus ad Regiam ferentes. Rex, qui neque rejicere miſerorum querelas, neque Comitem abſentem indicta cauſſa damnare poterat, medio reſponſo importunos turbæ clamores ad tempus ſedavit: ſe enim procuratorem Comitis adeſſe juſſurum, ut eo præſente de criminibus objectis cognoſceretur. Is cum vocatus non paruiſſet, miſſi e miniſterio Regio qui renuentem vi cogerent. Eo in aulam perducto, non defuere, qui vociferarentur, extemplo ſpreti imperii pœnas ab eo expetendas: „Nimia „patientia Regiam auctoritatem vileſcere, ac infimo cuique ludibrio eſſe: ſpe-„cie

1 *In ſpem Duglaſſiæ ſubſtitutum*] Humius in ſua Duglaſſiorum Hiſtoria pag. 181, duo hic a Buchanano aliiſque errata admiſſa criminatur. Primum quod hunc ipſius fratrem (quem ille *Georgium* appellat, omniumque natu minimum) Caledoniæ Epiſcopum deſtinatum tradat, quippe *cui Eccleſiæ tum præerat ipſius frater natu major Henricus*. Deinde haud veriſimile eſſe, ut, tot fratribus intermediis poſtlatis, natu minimus in Duglaſſiæ ſpem ſubſtitueretur. Ego vero, ut alterum haud difficilis ei condonem; at prius illud haudquaquam largiri poſſum. Ex Alexandro enim Millæo, Abbate Cammiskennethi, ac eorum temporum ſuppare ſcriptore, qui Epiſcoporum Caledoniorum vitas deſcripſit, liquido conſtat, nullum Duglaſſii nominis eo tempore, multiſve ante aut poſt annis, ejus Eccleſiæ Antiſtitem fuiſſe. Hic vero advertendum eſt, Duglaſſii fratrem Caledoniæ deſtinatum Epiſcopum, a Boëthio Jacobum, non Georgium, appellari.

1 *Mul-*

„ cie illa lenitatis improborum audaciam creſcere, & peccantium impunitate ſceleribus novis aditum patefieri. Nihil his commotus Rex, in ſententia ſua perſtitit, ut magis incommodorum compenſatione accuſatoribus ſatisfieri, quam animos vindictæ avidos ſanguine expleri vellet. Itaque procuratorem Comitis cuſtodia eductum in jus venire jubet. Si quid ad objecta crimina reſpondere poſſet, licere præfatus, ut id libere ac citra timorem faceret hortatur. [1] Multa judicia parum proſpere experto cum Rex judicatum modo ſolvere juſſiſſet, procurator, in Comitis adventum, quem intra paucos menſes exſpectabat, ſe rem integram ſervaturum reſpondit: idque feciſſe credebatur, auctoribus Ormundo & Moravio Comitis fratribus. Re, ut erat, ad Regem delata, mittitur Gulielmus Sinclarus Orcadum Comes, per id tempus Cancellarius, primum in Gallovidiam, deinde in Duglaſſiam. Is coactores creavit, qui reditus prædiorum Duglaſſii colligerent, remque judicatam cum fide exſolverent. Sed cum ad negotium conficiendum non ſatis virium Sinclaro eſſet, aliis eludentibus, aliis non ſine contumelia eum excipientibus, re infecta domum rediit. Rex hoc ſuæ auctoritatis contemtu irritatus, jubet univerſos Duglaſſiæ factionis fautores in jus venire: detrectantes imperium publicos hoſtes denunciat. Conſcripto adverſus eos exercitu, in Gallovidiam ducit. Primo adventu, ducibus in arces compulſis, pars exigua Regiarum copiarum, dum reliquos per aſpera loca vitabundos perſequitur, non ſine ignominia retro ad Regem venit. Rex indignatus tantum vagos prædones auſos, ut contemtum ſui demeret, receptacula eorum aggreſſus, Mabanum arcem non magno labore capit: Duglaſſiam vero, magno cum fatigatione militum in poteſtatem redactam, ſolo æquavit: agrorum cultores, qui ſe ſuaſque fortunas ſibi commiſerant, ſuis quæſtoribus agrorum fructus pendere juſſit, donec e Duglaſſii bonis judicatum ſolveretur. His fere geſtis, exercitum ſolvit, magnam lenitatis & modeſtiæ famam etiam apud hoſtes conſecutus.

XXXIV. Hæc uti geſta ſunt Romam relata, vehementer Comitis animum commoverunt: jamque etiam vilior ſuis, a magna comitum parte deſertus, [2] cum paucis iter ingreditur. Cum per Angliam in loca Scotiæ vicina veniſſet, Ja-

1 *Multa judicia parum proſpere experto*] Dubitari hic poteſt, an [*experto*] hic dandi ſit an auferendi caſu poſitum. Et ſane utrocunque ponas, obſtare videtur Latini ſermonis conſuetudo. Primum enim, quamvis Flaccus dixerit, *Laudator temporis acti ſe puero*, & Ovid. *Latos fecit ſe Conſule faſtos*; diſpar tamen hic videtur loquendi ratio; ideoque [*expertus*] vel potius [*expertam*] legi malim. Quod ſi [*experto*] hic Dativum dicas, reclamant optimæ Latinitatis auctores, quibus verbo [*jubeo*] conſtanter Accuſativus ſubjungitur. Quod ad illum Cæſaris locum attinet, Bell. Civ. lib. 3. cap. 98. *Militibuſque ſuis juſſit, ne qui eorum violarentur, neu quid ſui deſiderarent*, ex melioris notæ MSS. pro [*juſſit*] Sam. Clarkius repoſuit [*commendavit.*] Defendit tamen vulgarem lectionem Daviſius multis exemplis, quæ tamen mihi aut controverſa, aut ſequioris ætatis videntur. Vid. ſi libet, hac de re Voſſium Art. Grammat. lib. 7. cap. 36. [Adeantur quæ diximus ad Ovid. VIII. Metam. 752]

2 *Cum paucis iter ingreditur*] Exſtat Fœd. Angl. Tom. 11. pag 277. commeatus, ipſi, ejus fratri Jacobo, Jacobo Domino Hamilton, aliiſque viris claris, numero viginti & uni, *cum quaterviginti per-*

Jacobum fratrem præmiſit, qui Regis erga ſe animum exploraret: quem ubi placabilem comperit, domum regreſſus, humaniter receptus, tantum admonetur, ut latrones ſegregatos a ſe compeſceret, præſertim Annandianos, qui per ejus abſentiam multa crudeliter & avare perpetraſſent. Id cum jurejurando Duglaſſius ita futurum recepiſſet, non modo in priſtinum gratiæ locum eſt reſtitutus, [1] ſed Prorex etiam, omnibus ejus imperio parere juſſis, per totam Scotiam declaratus. Sed vaſtus animus, ſublimia ſemper & immoderata cupiens, hoc honore, qui maximus ei ſub Rege poterat contingere, non contentus, ſuſpicionum novas cauſſas temeritate ſua Principi ſubjecit: clam enim in Angliam profectus, ejus gentis Regem convenit: ipſe res repetitas, ac non redditas, cauſſam itineris videri volebat. Ea, quo levior & minus veriſimilis erat, eo acriores in animo Regis jampridem infenſo ſuſpicionum aculeos infixit: cumque iram non diſſimularet, ut qui altius aliquid ſub eo colloquio latere interpretaretur, Duglaſſius iterum ſupplex ad expertam ſæpe Regis clementiam confugit. Ibi, Regina multiſque primorum deprecantibus, cum ſancte juraſſet, ſe nihil in poſterum commiſſurum, quod merito Regem offenderet, noxa liberatus eſt, magiſtratu tantum ademto. Admoti iterum ad rerum gubernaculum Orcadum Comes, & Gulielmus Crichtonius, qui perpetuo in fide permanſerant.

XXXV. Ob hanc tantam (ut ipſe videri volebat) contumeliam, Duglaſſius omnibus aulicis erat iratus: ſed præcipue Gulielmo Crichtonio, cujus potiſſimum prudentia ſuos conatus omnes impediri putabat: hunc igitur, ſi poſſet, inſidiis; ſin id minus procederet, quovis modo e medio tollere ſtatuit. Id quo minore hominum indignatione faceret, ſubornatur quidam e Duglaſſii amicis, qui diceret, ſe Chrichtonium audiſſe aſſeverantem, „Nunquam rem Scoticam „fore quietam, incolumi Duglaſſiorum familia: in eo Regis regnique ſalutem, „& Ordinum concordiam, & pacem publicam eſſe poſitam, ſi homo natura „turbulentus, multis validiſque propinquitatibus ſubnixus, quando nullis beneficiis placari, nullis honoribus ſatiari poſſet, tolleretur; ejuſque morte tran- „quillitas publica ſtabiliretur. Hæc fabula paſſim divulgata, &, quia veriſimilia dicebantur, pleriſque credita, magnam Crichtonio conflavit invidiam. Duglaſſius, comperto per exploratores eum Edimburgo diſceſſurum, inſidias in via de multa nocte, quam poteſt occultiſſime, locat. Ad eas cum ventum eſſet, qui occulte ſubſederant magno cum clamore exorti ſunt: qui deprehenſi erant improviſo primum attonitis malo dexteræ menteſque obtorpuerant. Gulielmus, vir magni animi & conſilii, ubi ſe a trepidatione collegit, uno ex iis, qui primi ſe obtulerant, cæſo, altero vulnerato, per medios hoſtes cum ſuo globo, vulneribus aliquot acceptis, erupit. In arce Crichtonio, quo perfugerat, cum dies aliquot curandis plagis dediſſet, magna clientium & amicorum ma-

perſonis in comitiva ſua, nobilibus & aliis, a Rege Angliæ 12 Novemb. 1450 datus. Proinde non adeo pauci, ac Buchanani verba præ ſe ferre videntur, eum ſunt comitati.

1 *Sed Prorex etiam*] Negat Abercrombius, aut Duglaſſium, aut quenquam alium tum Proregem creatum.

manu, quanto potuit cum ſilentio, collecta, Edimburgum proficiſcitur: adeoque celeritate famam ſui adventus prævenit, ut inimicum nec opinantem pene oppreſſerit. Duglaſſius, inſperato ereptus periculo, incertum ira an pudore magis anxius, cum adverſæ factionis opes, non invito populo, creſcere videret, ut ſuas etiam ipſe partes acceſſione virium firmaret, Crafordiæ & Roſſiæ Comites, ſecundum nomen Duglaſſium, maxime tum fama & opibus florentes, fœdere ſibi conjungit; jurejurando inter ipſos dato, quod eorum quilibet cæterorum fœderatorum clientibus & amicis adverſus omnes auxilio foret. Qua conſpiratione confiſi, non modo diverſarum partium vires, ſed Regias etiam præ ſuis contemnebant.

XXXVI. Hæc cum per ſe Rex indignanter ferret, acceſſerunt & recentes iræ cauſſæ, quæ imminens exitium Duglaſſio maturaret. Joannes Hereſius, Eques nobilis Gallovidianus, quod a Duglaſſiorum ſceleribus abhorreret, ſeque domi fere contineret, immiſſis Annandianis, prædonum injuriis vexatus, cum apud Duglaſſium ſæpe fruſtra queſtus fuiſſet, nullumque aliud ſuppeteret remedium, vim vi ulciſci decrevit. Igitur collecta manu amicorum Annandiam ingreſſus, a latronibus cum ſuis omnibus captus, ad Duglaſſium deducitur: ac Rege multum per literas deprecante, ſuſpendio tanquam latro extinguitur. Ea res cum atrox, ut erat, omnibus videretur, paſſim ferebantur ſermones, „Duglaſſium non obſcure peſſimis artibus regnum affectare: nihil enim jam aliud „ſupereſſe, quo tam vaſta cupiditas expleri poſſet. Quam opinionem, intra paucos dies, alterum æque fœdum facinus auxit. Erat in Gallovidia Maclelana familia genere & opibus facile primaria. Ejus familiæ princeps tutor, cum e Duglaſſianis quendam, aſſiduis injuriis ſibi faciendis moleſtum, occidiſſet, una cum fratre captus, a Duglaſſio in carcerem erat conjectus. Rex per captivi amicos certior factus, ac vehementer rogatus, ne hominem nobilem, & alioqui virum bonum, ſineret, non ad judicium ſed ad certum exitium, ad eundem judicem & capitalem inimicum, in jus trahi; cui non tam præſens crimen foret nociturum, quam quod meliorum partium ſemper fuiſſet. Illuc igitur Rex Patricium Graium, Maclelani avunculum, Equitem nobilem, ac Duglaſſii etiam propinquum, mittit: qui juberet, ut, captivo in aulam miſſo, ibi jure cum eo experiretur. Comes Graium humaniter accipit: captivum cum curaſſet interea ſupplicio afficiendum, tanquam a facinoris, quod ſe invito a ſuis perpetratum erat, conſilio alienus, Graium rogat, ut ſe Regi excuſet. Ille vero, ſe aperte ludibrio habitum cernens, adeo exarſit, ut Comiti propinquitatem, amicitiam, & ſi quo præterea neceſſitudinis vinculo teneretur, ex eo die renunciaret: profeſſuſque ſit, „Se quibuſcunque rebus poſſet inimicum „perpetuo futurum. Nuncio in aulam perlato, adeo indignum omnibus facinus eſt viſum, ut jam palam fremerent; „Duglaſſium, privati modum ſuper„greſſum, quod diu meditabatur, ſe palam pro Rege gerere. Eo haud dubie „pertinere tot Comitum, Crafordiæ, Roſſiæ, Moraviæ, Ormundiæ cum „eo conſpirationem: illuc ſpectare occulta cum Anglo colloquia, cædes bo„norum, diripiendæ plebis permiſſam licentiam. Jam innocentiam pro ignavia „contemni, fidem adverſus Regem pro perfidia puniri: nimia Regis indulgen-

tia

„tia, publicos hoſtes inſoleſcere. Enimvero capeſſeret ipſe aliquando imperium, „ac pro magiſtratu agat: ita demum appariturum, qui hoſtes, qui amici eſſent: „aut, ſi id minus aperte propter quorundam potentiam auderet, perfidiam „ſuis opprimeret artibus: ſin ne id quidem auderet, quid aliud ſupereſſe, „niſi, ut, qui ad eum diem in fide perſtitiſſent, aliquando tandem ſibi con-„ſulerent.

XXXVII. His ſermonibus, quanquam & vita Duglaſſianorum, & (prona in ſuſpicionem) Regum credulitas fidem facerent, Rex, ſive ingenita quadam lenitate, ſive jam facinore deſtinato, Duglaſſium ad ſe arceſſit. Is tot facinorum ſibi conſcius, memor toties veniam impetratam etiam, non ignarus quam novum cum Crâfordio fœdus eſſet invidioſum; etſi in Regis clementia magnam ſpem haberet, tamen proclivior in timorem renuit in aulam venire, in qua tot tamque potentes haberet inimicos, quoſdam etiam nuper ſuo capiti inſidiatos. Hunc timorem ut diſcuterent, multi homines nobiles, qui cum Rege aderant, mittunt ad eum diploma, omnium chirographis & ſigillis appoſitis, ſacramento interpoſito polliciti; „Se, etiamſi Rex quicquam adverſus Comitis „ſalutem moliri velit, incolumem tamen emiſſuros. Duglaſſius, toties expertus Regis clementiam, præter fidem publicam tot nobilium virorum pollicitationibus confirmatus, Sterlinum venit, magna cum clientium turba. Liberaliter a Rege invitatus, in arcem aſcendit. Cœna hilariter peracta, Rex in cubiculum ſecretius cum paucis eum introducit: ne his quidem adhibitis, cum quibus omnia conſilia communicare conſueverat. Ibi ſermonem altius exorſus, de majorum ejus fide & fortitudine, ſuaque in omnem familiam indulgentia, privatim etiam in ipſum. „Facinoribus enim ab eo perpetratis, vel ætatis in-„firmitate, vel improborum conſilio, veniam ſe facile dediſſe: ſemper ſpe-„raſſe, vel ſua in eum humanitate & clementia, vel ætatis maturitate in melius „profecturum: ac ne nunc quidem aliter ſperare: neque, quamdiu eum impie „patratorum pœniteret, aditum ad humanitatem fore interclusum. Hoc qui-„dem poſtremum, inquit, cum Crafordio & Roſſienſi fœdus, neque tibi ho-„neſtum, & mihi ignominioſum, etſi permoleſte fero, tamen ejus dirimendi „tibi adhuc facio poteſtatem. Id, quanquam meo jure poſſum imperare, ta-„men ſuadere malo: ut, quando omnium oculi in te ſunt intenti, criminum „ſuſpiciones abs te eo diligentius ſemoveas. Duglaſſius ad cætera ſatis demiſſe reſpondit: cum ad fœderis mentionem eſt ventum, paullo perplexius agebat: neque liquide expediebat, quid eſſet acturus; „Se enim cum ſociis collocutu-„rum: nec ſatis videre, cur in præſentia Rex id tantopere urgeat, cum in eo „fœdere nihil contineatur, quod ejus animum debeat offendere. Rex, ſive deliberato jam facinore, ſive reſponſi (ut videri volebant aulici) contumacia offenſus; „Si tu, inquit, non vis, ego dirimam. „Et cum dicto, pugionem ei in pectus defixit. Ad ſtrepitum, qui ad oſtium ſtabant, ingreſſi multis cum vulneribus conficiunt. Sunt qui proxime poſt Regem, a Patricio Graio, cujus ante meminimus, ſecuri in caput adacta eum exanimatum ferant; deinde reliquos qui aderant, ut ſtudium in Regem oſtenderent, ſuam quem-

que

que plagam inflixiſſe. Hæc cædes incidit [1] in menſem Februarium, anni M.CCCC.LII. [2] juxta ſupputationem Romanam. MCCCC. LII.

XXXVIII. Erant tum Sterlini quatuor fratres ejus, magnuſque eos ſectantis nobilitatis numerus. Hi, re comperta, (ut in repentino motu fieri ſolet) magna cum trepidatione ad arma concurrentes, omnia clamoribus miſcuerunt: deinde, ſedato per primores tumultu, juſſi in hoſpitia ſe quiſque ſua recepere. Poſtridie, convocato concilio, primum omnium Jacobum fratris defuncti loco Comitem appellant. Is, [3] in Regis aulicorumque perfidiam invectus, hortatur, „Ut qui aderant, arcem obſidione cingant, copiaſque undequaque convocent: „extrahant ab illis latibulis homines ad ſolam perfidiam fortes, dum adhuc ſcelerum conſcientia perturbati trepidant. Qui aderant, Jacobi pietatem & animi magnitudinem laudare: verum ab obſidionis conſilio abhorrere, ut quibus nihil ad rem tantam ſuſcipiendam parati eſſet: domos interea diſcedunt, ac re cum præcipuis amicorum communicata, ad VI. Cal. April. reverſi, aſſula ad caudam equi alligata, diploma Regium ac procerum de fide publica [4] ad eam affigunt, ac nulla verborum contumelia adverſus Regem ejuſque concilium abſtinentes, [5] per vicos trahunt. Ubi in forum ventum eſt, quingentis ſimul buccinis perſonantes, Regem, quique cum eo erant, præconis voce, fœdifragos, perjuros, omniumque bonorum hoſtes denunciant: oppidum, immerenti etiam loco irati, diripiunt, eoque egreſſi, per Jacobum Hamiltonium retro miſſum incendunt. Deinde, eodem furore proximis diebus perciti, ad agros omnium, qui in fide Regis permanſerant, diripiendos diſcurrunt: Dalkethi arcem obſident, jurejurando ſe obſtringentes, niſi ea capta, non diſceſſuros: Joanni enim ejus loci domino maxime erant infenſi, quod ille cum Comite Anguſiæ a reliqua Duglaſſiorum gente conſilia ſeparaſſent. Tenuit exſpectatione diutius obſidio, Patricio Cocburno, præſidii præfecto, ad omnes hoſtium conatus ſtrenue occurrente. Itaque, multis vulneribus acceptis labore & vigiliis confecti, obſidionem ſolverunt. XXXIX.

1 *In menſem Februarium*] 13 Februarii, inquit Humius, in quem tum incidit Carniſprivium: at horum alterum falſum eſſe neceſſe eſt, 13 enim Februarii anno 1452 dies Dominicus erat, Carniſprivii autem dies erat 22 ejus menſis, Lit. Dom. BA. num. aur. 9. Cautius ergo Boethius, qui *circiter* 20 *Februarii* Duglaſſium refert occiſum, cautiuſque adhuc Buchananus, qui menſem tantummodo deſignat.

2 *Juxta ſupputationem Romanam*] Qua nunc Scoti, ac plerique Europam incolentes utimur, menſe Januario annum ordientes. Olim tamen eadem apud Scotos obtinuit conſuetudo, quæ nunc apud finitimos Anglos, qui annum 25 Martii auſpicantur. Sed eum morem, lege 17 Decemb. 1599 lata, abrogavit Jacobus VI. qua ſtatutum eſt, ut deinceps anni initium eſſet primus Januarii, ut ex Actis Secreti Concilii patet.

3 *In Regis aulicorumque perfidiam*] MS. & princeps editio Edinb. [*Regem*] legunt: rectius tamen alii libri, quibus [*Regis*] editum eſt.

4 *Ad eam affigunt*] Ita legendum arbitramur, non [*eum*,] quod omnes codices pervaſit: ea enim vox non proprie ad *equum*, ſed ad *aſſulam*, referenda videtur.

5 *Per vicos trahunt*] *Vicus* proprie eſt *continuata ædium ſeries*, Buchananus autem hic & alibi nonnunquam pro *via*, ſive *platea urbis*, accipere videtur: quo ſenſu vocem a quoquam probo auctore uſurpatam negat Menagius Diction. Etymolog. Franc. voce *Rue*, & Dacierius ad Horat. Sat. lib. I. 9. 13.

XXXIX. Rex interea, collecto exercitu, ut ſuis laborantibus ferret opem, cum ſe Duglaſſianorum copiis videret imparem, decrevit, opperiri Alexandrum Gordonium, qui cum magnis auxiliis, a ſeptentrionibus ultimis uſque collectis, adventare dicebatur. Verum per Anguſiam ducenti Comes Crafordiæ ad Brechinum tum valida manu ſe objecit. Commiſſo acri prælio, cum Regiorum acies media, jam loco moveri cœpta, vix Anguſianorum ſuſtineret impreſſionem, Joannes Coleſſius, qui ſiniſtræ præerat alæ, Crafordio, cui erat infenſus, deſerto, mediam aciem nudavit: quo terrore perculſi, qui pene victores erant, terga verterunt. Gordonius præter ſpem victoria, multo tamen cum ſuorum ſanguine, potitus eſt, duobus fratribus cum magno gentilium & clientium numero cæſis. Cecidere ex Anguſianis non pauci viri illuſtres: in iis Joannes Lindeſius Comitis frater. Ipſe, ira ab hoſtibus in deſertores verſa, arces eorum diruit, agros ferro flammaque vaſtavit. Hæc ut liberius faceret, Gordonii repentino ad ſuos reditu effectum eſt, audito Moraviæ Comitem in ſuos agros Bogianos omni crudelitatis genere ſæviiſſe: itaque, cum victore exercitu reverſus, non modo cladem acceptam hoſti reddidit, ſed eum Moraviæ finibus expulit. Hæc præcipiti vere acta.

XL. Interea Rex, ex Jacobi Kennedi maxime conſilio, conventu Edimburgum indicto, Duglaſſiæ Comitem, quique ejus ſectam ſequebantur proceres, per fœcialem adeſſe juſſit. [1] Is tantum abſuit ut paruerit, ut proxima nocte libellum templi valvis affigendum curaret; „Se ſalutem ſuam nec „Regi commiſſurum, nec ei omnino in poſterum pariturum, qui patrueles „ſuos Edimburgum, fratrem Sterlinum, ad ſe fide publica illectos, tam per- „fide indicta cauſſa, trucidarit. Comitis proxime occiſi quatuor fratres, Jacobus,

1 *Is tantum abſuit ut paruerit*] Accuratiſſimus Abercrombius oſtendit ex Actis publ. Angl. Tom. 11. pag. 323, & 327, Jacobum Duglaſſiæ Comitem a Rege in gratiam fuiſſe receptum circa hoc tempus: ab eo enim ad Anglum legatus miſſus 18 Aprilis anni ſequentis, inducias quadriennales, ſui Regis nomine, cum eo iniit, a 21 Maji 1453, ad eundem Maji diem 1457. Hanc vero Abercrombii ſententiam per ſe ſatis perſpicuam ulterius adhuc confirmat ipſius Jacobi Duglaſſii inſtrumentum, quo ſuo, fratris ſui, Jacobi Domini Hamilton, aliorumque ſibi adhærentium nomine, ſacramento interpoſito tactiſque ſacris Evangeliis, pollicetur Jacobo II. Regi Scotorum; 1. Se nullo juris titulo ſibi vindicaturum terras Comitatus Victoniæ, nec eas quovis prætextu petiturum, niſi cum bona venia Mariæ Reginæ Scotorum. 2. Pari modo ſe Regis arbitrio permiſſurum terras dominii de *Stewarton*, quæ quondam fuere Duciſſæ Turonenſis patrimonium, ſive eas Rex ſibi negare, ſive ex gratia concedere vellet. 3. Se ſuæque factionis homines omnem ſimultatem, odium & malevolentiam erga quoſcunque conceptam in perpetuum remiſſuros. 4. Se ſuoſque pacem, juſtitiam, cæteraſque artes bonis civibus dignas in poſterum culturos, omniaque quibuſlibet damna data, aut injurias illatas cum fide compenſaturos. 5. Denique, ſe, dummodo vitæ ſuæ ſufficienter ſit proſpectum, Regem ſummo honore atque obſervantia proſecuturum. Huic autem ſyngrapho, cujus exemplar exſtat in codice MS. varias collectiones ex Actis publicis complectente, in Bibliotheca Juridica Edinb. aſſervato, nomina ac ſigilla ſua appoſuere Jacobus Duglaſſiæ Comes, & Jacobus Hamiltoniæ Regulus, 28 Auguſti 1452.

2 *Geor-*

bus, Archibaldus, [1] Georgius & Joannes, ac [2] Beatrix nuper Comitis uxor, item Alexander Comes Crafordiæ, in hoc conventu hoſtes publici denunciati: multi etiam [3] in ſupremum ordinem allecti; pleriſque ex rebellium bonis præmia decreta; exercitus ad hoſtes perſequendos contractus, agri vaſtati, pecora abacta; frumenta in horreis igne corrupta: hieme deinde, cum ſub dio haberi miles non poſſet, dimiſſus; expeditio in ver indicta. Jacobus Duglaſſius interea, ne familiæ opes, quæ ex locuplete matrimonio in immenſum excreverant, ad alienos tranſirent, [4] Beatricem, antea fratri nuptam, uxorem accepit: cum Pontifice Romano agit, ut id matrimonium confirmaret. Id inceptum, Rege per literas impediente, fruſtra ei fuit.

XLI. Hoc anno duobuſque ſequentibus, agrorum direptionibus, arciumque everſionibus inter factiones certatum eſt: nunquam ad ſummæ rei aleam eſt ventum: magna ejus cladis pars in Annandiam, Forcſtiamque, & vicinos Duglaſſianorum agros incubuit: vaſtitatem agrorum fames, famem peſtis conſecuta eſt. Interea prudentiores amicorum cum ſæpenumero cum Duglaſſio egiſſent; „Ut ſe ſuaque omnia Regiæ clementiæ, quam antea frequenter majores „ejus experti fuerant, permitteret; cum præſertim Regem haberet natura fa„cilem, & per amicos exorabilem: nec ſua pertinacia familiam clariſſimam „extingueret; totque virorum illuſtrium, qui ſectam ejus ſequebantur, ſalu„tem proderet; aut eo neceſſitatis eos adduceret, ut calamitatibus fracti ſibi „conſulere cogerentur: facilem ei fore pacificationem rebus florentibus; de„ſerto ab amicis nullam ſpem veniæ ſupereſſe. Juvenis, ætate & ingenio ferox, „reſpondit; [5] Nunquam eorum poteſtati ſe permiſſurum, qui nec pudoris, „nec divini aut humani juris vinculis ullis continerentur: qui ſuos patrueles fra„tremque, blande pollicendo ad ſe adductos, tam perfidioſe & crudeliter tru„cidarint: omnia potius extrema paſſurum, quam ut eorum ſe fidei crederet. Hæc pro ingenio quiſque probabat, aut reprehendebat: ferociores, aut quibus mala publica quæſtui erant, animi magnitudinem laudare; prudentiores ſuadere, „Ne ad extremum, deſerentibus amicis, occaſionem pacificandi ſe„ro quæreretur omiſſam: qui fere exitus ſtultis conſiliis eſſe ſolet.

XLII. At Crafordiæ Comes, longinqui belli pertæſus, & cauſſæ quam ſuſtinebat, iniquitatem, communeſque rerum commutationes ſecum reputans, gnaruſque veniam præoccupanti Principis gratiam fore facilem, perſeveranti in armis difficilem; ſimul ab amicorum parte deſertus, reliquorum fide ſuſpecta, Re-

1 *Georgius*] Lege *Hugo*. Vid. ſupra Lib. XI. 26.

2 *Beatrix*] Ea mater horum fuerat. Vid. poſtea ad Lib. XI. 54.

3 *In ſupremum ordinem allecti*] Ita omnino ſcribendum, non [*illecti*,] quemadmodum in aliis omnibus codicibus. Ita Suet. in Nerone, cap. 1. *Et inter patricios allecti perſeverarunt omnes in eodem cognomine.* Allecti autem ſeu Adlectitii dicebantur apud Romanos qui propter inopiam ex Equeſtri ordine in Senatus numerum ſunt aſſumti, ut ait Feſtus. Vid. etiam Budæum in Pandectas fol. 40.

4 *Beatricem antea fratri nuptam*] Vid. ſupra Cap. 18 & infra 44. huj. Lib.

5 *Nunquam eorum poteſtati ſe permiſſurum*] Supra tamen oſtendimus eum ſe Regis poteſtati permiſiſſe. Fraudulenter autem egiſſe conſtat; anno enim ſequente, fide jurisjurandi violata, aperte Regi bellum indixit.

Regem, per Anguſiam iter facientem, habitu maxime ad miſericordiam compoſito, capite pedibuſque nudatis, ſupplex adiit: ingenueque temporum ſuperiorum offenſas confeſſus, ſe ſuaque in fidem Regis tradidit, commemorata prius in Reges majorum ſuorum obſervantia & officiis: „Scire ſua culpa ſe „omnia extrema meritum; quicquid vitæ fortunarumque ſit in poſterum ha„biturus, id ſe Regiæ debiturum clementiæ. [1]Hæc, pluraque hujus generis, non ſine lacrymis locutus, commoverat vehementer omnes qui aderant; inprimis quoſdam e Nobilitate Anguſiana: qui, etſi ſuperioribus temporibus Regem ſecuti fuerant, tamen familiam tam vetuſtam & claram cupiebant ab interitu vindicatam. Functus eſt ibi Jacobus Kennedus & boni Epiſcopi & civis officio: qui plurimis & graviſſimis Comitis offenſis remiſſis, ſalutem ejus Regi accurate commendavit: id enim, quod erat, rebatur, Regis viribus tanta acceſſione auctis, hoſtem in poſterum indies debiliorem futurum, multis tam clari hominis exemplum ſecuturis. Rex etiam, cum arbitratus, fracta priſtina ferocia, ex animo præteritorum pœnituiſſe, non difficilem ſe præbuit: veniaque data, & bonis honoreque priſtino reſtituto, monuit, ut in officio permaneret. Crafordius quoque, lenitate Regis & facilitate provocatus, omni genere officiorum eum poſtea demereri ſtuduit; & in ultimas regni oras proficiſcentem cum ſuis copiis eſt comitatus: rebuſque ibi pro tempore compoſitis, reverſum domi ſuæ liberaliter accepit: eunti ad reliquias belli civilis conficiendas, quantas conficere poſſet copias pollicetur: adeoque omnem vitæ rationem commutavit, ut, priſtina ferocia depoſita, manſuete & comiter cum Nobilitate vicina vixerit: eoque, interitus ejus, brevi conſecutus, majorem Regi populoque univerſo dolorem attulerit.

XLIII. Carpente paullatim Rege vires Duglaſſianorum, reliqua ſpes erat in Anglo, ſi quid inde auxilii impetrari poſſet. Miſſus Hamiltonius Londinum, reſponſum ab Anglo retulit; „Se nulla alia conditione bellum adverſus Scotos „ſuſcepturum, niſi Duglaſſius ſe ſuaque omnia ei dederet, civemque ſe An„glum profiteretur. Hac ſpe inciſa, cum ab altera parte Rex edictis, proſcriptionibus & armis urgeret, atque omnibus, quæ bellum fert, malis rebelles vexaret, Hamiltonius Comitem hortatur; „Ne Regem ſinat, ſingula carpen„do, univerſa labefactare, ac demum evertere. Quinpotius in aciem prodeat: „rem fortunæ committat: aut honeſte vincendum, aut ibi fortiter cadendum. „Id demum nomine Duglaſſiano dignum; in eoque unicum ærumnarum finem „eſſe poſitum. His vocibus excitatus, cum per amicos & clientes quantum potuit exercitum coëgiſſet, ad ſolvendam Abercorni obſidionem ducit. Rex enim, multis arcibus Duglaſſianorum dejectis, Abercornum, longe munitiſſimum præſidium, medio fere inter Sterlinum & Edinburgum itinere ſitum, obſeſſum tenebat. Duglaſſius cum eo veniſſet, ut & hoſtes conſpicere, & ab eis conſpici poſſet, amicique hortarentur; „Ut vel egregia victoria perpetuam „laudem pararet, vel honeſta morte ſe a contumeliis & miſeriis vindicaret; cæte-

1 *Hæc, pluraque hujus generis*] Ita legendum, cum MS. & principe Edit. Edinb. non [*pleraque*] quod aliis fere omnibus irrepſit.

cæteris omnibus ad decernendum paratis, ſua cunctatione omnium animos fregit: exercitu enim in caſtra reducto, bellum ducere decrevit. Id ejus factum cum homines militares damnaſſent, Hamiltonius, pertæſus ejus ignaviam, deſperatoque partium ſucceſſu, ea nocte ad Regem tranſivit. Rex veniam quidem dedit: ſed homini, alioqui aſtuto, non ſatis fidens, eum Roſlinum, quæ arx Comitum Orcadum erat, relegavit: ac poſtea, deprecantibus amicis, cuſtodia liberatum, in amicorum numerum recepit, incruenta ei potiſſimum imputata victoria. Cæteri fere Duglaſſiani, exemplum Hamiltonii ſecuti, qua cuique commodum fuit, dilapſi: arx, multis vulneribus utrinque acceptis, tandem capitur, cæſoque præſidio, ſemidiruta in victoriæ monumentum relicta eſt. Duglaſſius pene ab omnibus deſertus, cum paucis familiarium in Angliam profugit: inde, non multo poſt, Annandiam, quæ Regiis præſidiis tenebatur, cum parva manu ingreſſus, prælio commiſſo inferior, fuga cum Joanne fratre elapſus: [1] Archibaldus Moraviæ Comes cæſus: [2] Georgius, graviter vulneratus, in manus hoſtium venit: curatiſque vulneribus, ad Regem adductus, capite luit.

XLIV. Conventu Ordinum Edimburgum indicto [3] in Nonas Junii, anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi quinti, iterum Jacobo, Joanni & M.
Beatrici Duglaſſiis aqua & igni interdictum. [4] Beatricem hanc acta publica ma- CDLV
trem horum faciunt: quod mihi tamen non fit veriſimile, niſi forte per adoptionem facti ſint ejus filii. Jacobus Comes, fratribus amiſſis, ab amicis deſertus, Anglis diffidens, ut nihil inexpertum relinqueret, Donaldum, Æbudarum tyrannum, eundemque Roſſiæ Comitem, ad Stephanodunum convenit: hominem, ſuopte ingenio ſceleratum, facile ad bellum impellit. In proximos Regis agros primum ſævitur, nullo ſexus ætatiſque diſcrimine: nihil ab injuria fuit immune, quod ferro flammaque violari poterat. Pari crudelitate in Argatheliam & Araniam uſus, domum præda onuſtus rediit. Inde, Abria Mora-

1 *Archibaldus Moraviæ Comes*] Hi duo Duglaſſii fratres, anno 1452, & quidem ante 28 Auguſti cæſi videntur; in inſtrumento enim ſuperius memorato, quo ſe ſuamque ſectam ſecutos in Regis fidem tradit, unius tantum fratris facta eſt mentio.

2 *Georgius*] *Hugo* legendum uti ſupra Lib. XI. 26 monuimus.

3 *In Nonas Junii*] Lege *in nonum Junii*, quod ipſa Acta publica diſertim præferunt. Hic error librariorum culpa admiſſus videtur [*non.*] in [*Nonas*] vertentium.

4 *Beatricem hanc Acta publica*] Et recte quidem Acta publica; confirmat enim prædictus liber MS. in quo horum Interdictionis, ſeu *Foriſfacturæ*, quam vocant, plene exaratum exſtat exemplar: Ubi & inter alia Beatrici crimini datur, quod *ſuis proditoriis conſiliis, auxiliis & ſupportationibus, filios ſuos Jacobum, Archibaldum, Hugonem & Joannem juviſſet.* Rem vero extra dubium ponit ſalvus conductus ei ejuſque nurui ab Anglo datus, Fœd. Angl. Tom. 11. pag. 310. quo ipſa *Beatrix Comitiſſa de Douglas & Annandaliæ*, ipſius vero nurus *Margareta Comitiſſa de Douglas & Annandaliæ, Domina de Galeway, Conſors Willielmi nuper Comitis de Douglas & Annandaliæ*, diſerte appellantur, 2 Junii 1452. Ex his autem alteram, nomine Sinclaram, Comitis Orcadum filiam; alteram, Gulielmi & Davidis Duglaſſiorum in arce Edimburgenſi cæſorum ſororem prodit Tho. Crafordius, quamvis ille aliique fere omnes noſtri ſcriptores hanc falſo nomine *Beatricem* pro *Margarita* appellent.

raviaque vaſtatis, Ennerneſſum divertit: arce capta, oppidum direptum incendit. Nec Anglus interea quievit: ſed, temporibus inſidiatus, incurſiones in Marciam fecit: cæſiſque hominibus aliquot illuſtribus, qui furorem late graſſantem compeſcere annixi erant, plenus prædarum, ut e regione opulenta, domum ſine damno rediit.

XLV. Proximo poſt hunc anno, Beatrix, ſuperioris Comitis Duglaſſiæ uxor, & fratri ejus Jacobo aliquot annos habita uxoris loco, ad Regem profugit: ſuperioris temporis crimina in Jacobum rejicit: „Se & fœminam, & „auxilio deſtitutam, ad ſceleratas nuptias vi coactam, ad primam occaſionem, „Jacobo abſente, ab ea ſervitute profugiſſe: Regiæ fidei ſe ſuaque omnia per„mittere; quicquid de ipſa ejuſque patrimonio ſtatuerit, ejus decreto libenter „parituram. Eam Rex, in fidem receptam, Balvaniæque agris donatam, fratri ſuo, ex eadem matre, Atholiæ Comiti collocavit. Ejus exemplum ſecuta eſt Donaldi Inſulani uxor: ea erat Jacobi Leviſtonii filia, ab avo Prorege, ſuadente etiam Rege, Donaldo collocata; ut ferum hominis barbari molliret ingenium, eumque in partibus factionis Regiæ retineret. Sed tum, propinquis ſuis in priſtinum locum gratiæ reſtitutis, ac marito ad Duglaſſianas partes adjuncto, cum vilior & contemtior apud eum quotidie fieret, adverſus barbaram ejus crudelitatem Regis opem implorabat. Ei nulla ſe purgandi aderat neceſſitas apud Regem, qui auctor ipſe ejus matrimonii fuiſſet. Igitur liberaliter & humane recepta, prædiis amplis donatur, quo ſubſidio reliquum ætatis honorifice degeret. Eodem fere tempore, Patricius Thorintonius, occulte quidem Duglaſſianæ factionis, ſed Regiam aulam diu ſecutus, Joannem Sandelandium Calderanum, adoleſcentem circiter viginti annorum, & Alanum Stuartum, homines nobiles, & conſpicua in Regem fide, ad Britannodunum nactus ſibi opportunos, occidit. Ipſe deinde, ab adverſa factione brevi poſt comprehenſus, pœnas luit. Fuit inſignis hic annus multorum illuſtrium virorum morte, ſed maxime Gulielmi Crichtonii. Is, quanquam Equeſtri loco natus eſſet, tamen, ob ſummam prudentiam & fortitudinem, fidemque ſingularem erga Regem, ad ultimum uſque vitæ diem [1] conſtanter cultam, maximum bonis omnibus deſiderium ſui reliquit.

XLVI. Proximo anno, Angli, ſuperiorum injuriarum impunitate illecti, ducibus Henrico Percio Northumbriæ Comite, Jacobo Duglaſſio exule, Marciam late vaſtarunt. Hanc populationem ut prohiberet, Georgius Duglaſſius Anguſiæ Comes, collecta manu popularium, in prædatores impetum fecit: ac, magno cum tumultu, partem eorum, in quam delatus erat, ad ſuas ſtationes compulit. Qua indignitate Angli commoti, cæteris nondum ad ſigna revocatis, aciem promovent. Nec Scoti moram prælio faciunt. Cum æquo Marte utrinque, majoribus animis quam viribus, pugnaretur, qui ſparſi per agros erant Angli, e clamore diſſono ac tumultu hoſtem adeſſe ſentientes, ne prædam, quam ampliſſimam coëgerant, amitterent, recta domum contenderunt. Eorum diſceſ-
ſus

1 *Conſtanter cultam*] Ita, reclamantibus licet omnibus libris, quibus [*cultum*] legitur, emendavimus.

ſus faciliorem, nec tamen incruentam, Scotis victoriam dedit, pari fere numero utrinque cæſo, multis Anglorum in fuga captis. Hujus victoriæ nuncius ad Regem allatus, ægrum inter civium hoſtiumque arma animum nonnihil erexit: dein Donaldum Inſulanum, ubique partium ſuarum adverſam fortunam cernentem, compulit, ut de pace oratores mitteret. Hi, ſubmiſſa oratione, multa de Regis clementia erga Crafordium cæteroſque, qui in eadem cauſſa fuiſſent, commemorantes, ſuam culpam in fatalem temporum rabiem conferentes, multa de Donaldi in poſterum obſervantia polliciti, moviſſe Regem viſi ſunt. Is, medio reſponſo, nec Donaldo ignovit, nec ſpem veniæ præcidit: „Multa quidem exſtare ejus maleficia: nullum adhuc dediſſe animi mutati indicium: „itaque, ut vera credatur, quæ verbis oſtentatur, pœnitentia, & ex animo „profecta, reparanda ſuperioris temporis damna, quos fortunis evertiſſet, res „eis reſtituendo: aliquo denique honeſto facinore eluendam tot ſcelerum memoriam. Se quidem ſcire, nullam eſſe virtutem, quæ magis clementia Regem deceat: verum providendum, ne, nimia lenitate ſoluto imperio, mali „magis inſoleſcant, quam boni ad officium excitentur. Donaldo quidem & reliquis ejus conſilii ſociis ſe ſpatium daturum, quo mutatæ voluntatis indicia „edere poſſent: talem ſe quemque habiturum, qualem res, non verba oſtenderent. Interea ſecuros eſſe jubet: in cujuſque poteſtate futurum, felicem „an miſeram poſthac ætatem agat.

XLVII. Hac ratione vel compoſitis, vel ſopitis inteſtinis malis, Rex omnem curam in Angliam intendit. Dum de bello gerendo, totieſque violatis induciis, habet conſilium, superveniunt Legati, a Nobilitate Anglica miſſi, auxilium adverſus Henricum Regem ſuum petentes. Henricus enim, ſpreta Nobilitate, novos homines extulerat, quorum de conſilio, uxor ejus, virilis animi fœmina, cuncta adminiſtrabat. Auxerat etiam Regis apud ſuos contemtum, & familiarium ejus invidiam, res in Aquitania & Normania male geſta: tot provinciis amiſſis, antiquis inſulæ terminis incluſi, fremebant, neque Regis ignaviam, neque Reginæ ſuperbiam diutius ferendam. Capita conjurationis erant tres Richardi, nempe Dux Eboraci, & Comites Sariſburiæ & Varvici. Legati Angli, cum de juſta belli cauſſa, conjurationis opibus, & ſui Regis ignavia, multa diſſeruiſſent: adverſus communem hoſtem, in bello timidum, in pace ſordidum, qui diſcordias domeſticas inter Scotos aluiſſet, exules eorum juviſſet, auxilium petunt. Victoria parta, arces & agros, ſuperioribus bellis captos, ſe redditu-ros pollicentur. Rex, de concilii ſententia, reſpondit; „Jampridem ſe de ſtatu rerum Anglicarum audiſſe: neque partis utriuſque jus ſibi ignotum: neque, niſi ex utriuſque partis ſententia, ſe alieni regni arbitrum futurum. Quod „autem ad bellum attinet, ſibi jamdiu in animo fuiſſe, temporum ſuperiorum „ulciſci injurias; regnique ſui loca, per occaſionem diſcordiarum intercepta, „quum jure non poſſet, armis recuperare. Ea ſi Eboraci Dux, quique ejus ſectam ſequerentur, reſtituere polliceantur, ſe adverſus Henricum eis auxilio „futurum.

XLVIII. In hæc cum fuiſſet conventum, Legati domum revertuntur. Rex, copiis paratis, cum in Angliam ingreſſurus eſſet, fit ei obviam Anglus impo-

ſtor,

ſtor, ab Henrico miſſus. Is, ut qui diu Romæ fuiſſet, Italorumque mores & ſermonem didiciſſet, cultu omni comitatuque peregrino, literiſque Pontificis confictis, ſe facile hominibus minime callidis pro Legato Romano probat: & quo minus ſuſpecta fraus eſſet, Monachus in partem fabulæ aſſumitur, cujus ſimulata ſanctitate fides facilius accederet imposturis. Hi, ad Regem perducti, Pontificis Romani nomine vetant, ne ulterius progrederetur: diras comminati, ni pareret: „[1] Pontificem enim, quo commodius commune bellum in „communem Chriſtianorum hoſtem geratur, per totam Europam compoſitis „diſſidiis, in id unum intendere animum: ſe quidem præmiſſos, qui hæc præ„monerent: ampliorem Legationem propediem venturam, quæ diſcordias An„glorum civiles finiret, & Scotis de acceptis injuriis ſatisfieri curaret: eam ſe „credere Legationem in Gallia jam eſſe. Rex, ut qui fraudem nullam ſubeſſe ſuſpicaretur orationi; quique, rebus adhuc domi non omnino tranquillis, honeſtam pacem etiam cuperet, Legato paruit, atque exercitum dimiſit. Vix eo dimiſſo, ab Anglis quibuſdam de Legati ſuppoſititii fraude admonitus, iterum copias contrahit: &, quia cum Eboracenſi ſe conjungere non poterat, ut Regias vires aliqua ex parte diſtineret, & ſuas etiam ulciſceretur injurias, Rosburgum recta ducit: oppidum primo adventu capit, ac diruit. Arcem longe munitiſſimam dum oppugnat, Legati ab Eboracenſi ſociiſque veniunt, qui Regem ſuum victum, bellumque confectum in Anglia nunciant: gratias agunt Jacobo, pro ejus benevolentia & ſtudio in ipſorum dignitate & ſalute tuenda: ejus beneficii ſe memores in tempore fore promittunt: verum in præſentia orare, „Ut ab obſidione arcis recedat, omnique alio maleficio in Anglos abſtineat, „neu ipſos rerum earum gravet invidia apud populum, qui vix contineri potuit, „quin confeſtim exercitum in Scotos decerneret. Ad ea, Jacobus victoriam gratulatus, rogat Legatos; „Ecquid Eboracenſis & ſocii de promiſſis exſol„vendis mandaſſent. Cum, nihil ſibi mandatum, reſpondiſſent; „Ego, in„quit, priuſquam prior ad me Legatio veniſſet, arcem iſtam in agro meo ædi„ficatam evertere decreveram: neque, poſt id tempus, ullo ſum iſti factioni „beneficio obſtrictus, cur intermittere rem affectam, & pene confectam, „debeam. De minis iſtis, ſive ipſorum, ſive populi, ipſi viderint: vos nun„ciate, me non verbis, ſed armis, hinc ſubmotum iri.

XLIX. Ita Legatis re infecta dimiſſis, dum Rex obſeſſos omnibus, quæ bellum fert, malis urgeret, Donaldus Inſulanus, cum magna popularium manu, in caſtra venit. Is, ut facinorum ſuperiore vita admiſſorum faciliorem ob-

1 *Pontificem enim*] Sic reſcribendum oſtendunt quæ mox ſequuntur: editis tamen omnibus irrepſit [*Pontifex*:] mihi vero dubium non eſt quin Buchananus [*Pont.*] per abbreviaturam ſcripſerit, quemadmodum in noſtro MS. exhibetur, quod librarios orationis ſeriem non attendentes pro [*Pontifex*,] fefellit. Ineptire autem mihi videntur, qui *Pontifex intendere animum*, pari modo hic dictum exiſtimant, quo *Populus mihi invidere* apud Terentium; nihil enim hic, ſi totam ſententiam, ejuſque cum iis quæ præceſſerant nexum conſideres, cum altera illa loquendi formula adeſt commune. Quis enim Latine dixerit, *Thraſo Terentianus ait populus ſibi invidere.*

1 Bem

obtineret veniam, Regemque ſibi penitus placaret, ei eſt pollicitus, ſi quo progredi vellet, quamdiu in hoſtico foret, reliquum exercitum mille paſſus anteceſſurum, & aſperiora quæque pericula principem excepturum. Juxta Regem tendere juſſus, cohortes aliquot ad populandos agros emiſit. Eiſdem forte diebus Alexander Gordonius Huntilææ Comes novas copias adduxit. Fecit ea virium acceſſio, ut, quanquam arx ſtrenue defenderetur, Rex in oppugnando pertinacior eſſet, &, cum antea magis obſidio quam oppugnatio eſſet, abundante multitudine, aliis atque aliis in ſtationes deinceps ſuccedentibus, præſidiarii (quorum jam multi ceciderant, plures vulneribus ſaucii inutiles, reliqui laboribus aſſiduis & vigiliis fatigati erant) paullatim ad pericula ſegnius accurrerent: quibus ut major terror admoveretur, pars muri [1] bombardis ferreis, quarum tum magnus & uſus & metus erat, quati juſſa. Ibi dum Rex propius, ut arbiter & exactor laboris, inſtat, una e machinis, violentia ignis interne furentis, [2] excuſſo cuneo ligneo, cæteris illæſis, Regem in terram dejectum ſtatim exanimat. Ex aulicis qui proxime aſtiterant, etſi inopinato caſu perculſi erant, tamen, ne, Regis morte palam facta, vulgus dilaberetur, corpus velant. Regina, quæ eo ipſo die in caſtra venerat, haudquaquam muliebri animo dejecta in luctus, proceres convocat: hortatur, „Ut animo bono „ſint: neu, unius hominis caſu, tot viri fortes deterriti, rem pene ad exi„tum deductam turpiter deſerant: ſe in locum defuncti Regem alium brevi ad„ducturam: interea omni apparatu belli hoſtem urgendum, ne, morte Im„peratoris intellecta, ferocior efficiatur, & in unius hominis morte tot viro„rum fortium ſimul virtutem extinctam exiſtimet. Pudebat viros animi magnitudine a fœmina ſuperari. Arcem igitur adorti ſunt tanta vi oppugnare, ut neutra pars Regem abeſſe ſenſerit. Interea Regis filius Jacobus, [3] ſeptem annorum puer, in caſtra adductus, Rex ſalutatur: nec multi interceſſere dies, cum Angli, qui in præſidio erant, laboribus & vigiliis confecti, arcem novo Regi dediderunt, pacti, ut incolumes ſua ſecum exportarent. Arx, ne iterum cauſſa belli foret, ſolo æquatur.

L. Hunc finem vitæ habuit Jacobus Secundus, anno a Chriſto nato, MCCCC. LX.
M. C C C C. L X. [4] non multis ante æquinoctium autumni diebus, æta-

1 *Bombardis ferreis, quarum*] Ita legendum, non [*quorum*,] quod libris omnibus irrepſit.

2 *Excuſſo cuneo liguco*] *i. e.* ut ego quidem interpretor, *ligno illo extremæ bombardæ inſeri ſolito*, quod & Major teſtatur, *obſtructorium* diſerte appellans: alii tamen bombardæ ipſius fragmine exanimatum tradunt.

3 *Septem annorum puer*] Natum menſe Januario, & quidem intra 7 & 22 diem, anni 1452, *i. e.* ex recepra nunc ſupputandi conſuetudine 1453, oſtendit ipſius inſtrumentum (in Actis publ.) *Georgio Maxwell de Calderwood Militi, de terris de Finlaſton* 22 Januarii 1477 conceſſum, quo alterum ipſius inſtrumentum, eidem de iiſdem terris 7 Januarii 1477 datum, confirmat, hanc rem iterandi cauſſam præfatus; *Nos nunc in ætate perfecta exiſtentes, poſt noſtram generalem revocationem, approbamus, ratificamus, &c.* unde liquet eum ante 22 Januarii 14$\frac{7}{8}$ vigeſimum quintum ætatis annum compleviſſe.

4 *Non multis ante æquinoctium autumni diebus*] 3 nempe Auguſti' die Dominico, referentibus Extr. Majore, Leſlæo, Drummondo, Echardo, *&c.* 40 minimum diebus

[1] ætatis anno XXX. [2] poſtquam regnare cœperat, XXIV. Semper, a pueritia, bella domeſtica & externa cum exercuerunt: ea moderatione animi res adverſas & proſperas tulerat; ea fuerat in hoſtes fortitudine, in deditos clementia, ut maximum ſui deſiderium apud omnes Ordines reliquerit: eoque eſt viſa mors acerbior, quod in juventæ flore, tot malis defunctus, cum ſumma de virtutibus ejus eſſet exſpectatio, repente deceſſit. Auxit deſiderium filii rebus gerendis ætas immatura, reputantibus, quantum ſuperioribus viginti annis malorum pertuliſſent, quorum incendiis nondum plane reſtinctis, ex præteriti temporis recordatione ſequentis divinare poſſe ſtatum ſibi videbantur.

bus ante æquinoctium autumni.

1 *Ætatis anno trigeſimo*] Ita certe legendum, non quod alii codices, & Joan. Major tradunt, *anno XXIX.* Drummondus quidem & Abercrombius, tanquam animi dubii, *obiit* inquiunt, *anno ætatis* 29, *vel*, *ut alii ſcribunt*, 30, quaſi vero ambiguum videatur quoto vitæ anno is deceſſerit, qui conſentiente omnium ſcriptorum teſtimonio, Octobri 1430 natus, Auguſto 1460 eſt exſtinctus.

2 *Poſtquam regnare cœperat XXIV.*] Sic reſtituendum poſtulant non modo alii noſtri ſcriptores & Acta publica, ſed & ipſe Buchan. qui omnes eum menſe Martio anno 1437 regnum iniiſſe teſtantur.

LIBER DUODECIMUS.

CIV. REX.

I. JACOBO Secundo, uti retulimus, in caſtris extincto, ne qua de regni jure (ut alias acciderat) oriretur controverſia, ejus filius JACOBUS, e geminis minor, fratri ſuperſtes, puer ſeptem annorum, in oppido Calſone regnum iniit. Deinde cum proceres, de more, in verba ejus juraſſent, octavo ab inito regno die, exercitu relicto, domum rediit, in arce Edimburgenſi ſub tutela matris futurus, interea dum conventus Ordinum haberi poſſet, in quo de ſumma rerum ſtatueretur. Is paullo tardius eſt indictus: quod, rebus in Anglia turbatis, domi ſatis quietis, primores nihil bello prævertendum cenſerent: ut & veteres ulciſceretur injurias, & hoſtem ſemper inſidiantem alienis malis, damno inſigni compeſcerent. In hoſtico, nullis obviis, in agros Anglorum eſt ſævitum: multæ arces, unde hoſtes repentinas facere excurſiones ſoliti erant, dejectæ: in his præcipua Verca, in ripa Tuedæ amnis ſita, ob propinquitatem Marcianorum agris maxime infeſta. Exercitus, quoad per anni tempus licuit, hoſtilem agrum pervagatus, prænatura hieme domum reducitur.

II. Hoc anno, Henricus Anglus ab Eboracenſi Regulo captus, & Londinum abductus fuit. Ibi formula pacis, Henrico nihil abnuere auſo, ſcribitur, ut ipſe, dum viveret, nomen Regium & inſignia teneret, adminiſtratio rerum penes Eboracenſem eſſet, ſub nomine Protectoris: Henrico mortuo, etiam

etiam [1] Regium nomen ad Eboracenſem ejuſque poſteros tranſiret. Dum hæc Londini geruntur, Regina nunciatur adventare cum magnis copiis, ut Regem e cuſtodia liberaret. Adverſus eam Eboracenſis, cum Henrico Rege Richardo Varvicenſi relicto, circiter quinque millia ſecum ducens, obviam in agrum uſque Eboracenſem proceſſit: & ne, qui toties in Gallia nunquam ſe mœnibus, ſed ſemper armis, adverſus magnos exercitus defendiſſet, certamen adverſus mulierem defugere videretur, cum longe majoribus copiis congreſſus, ipſe, cum minore filio, ac magno procerum numero, cæſus fuit: principum capita, ſuper portam Eboraci affixa, ſpectaculo proponuntur. Regina victrix, cum ad Regem liberandum iter intenderet [2] Comes Varvici obviam ei progreditur, Regem ſecum ducens, velut ejus auſpiciis pacta paullo ante de regno inita defenſurus. Ad Fanum Albani, quod Verolamium fuiſſe creditur, hoſtibus occurrit. Regina iterum victrix, ducibus hoſtium cæſis, marito recuperato recta Londinum tendebat: verum comperto, Pembroci Comitem ab ipſa, Eboracenſis filium à patre, ad auxilia contrahenda miſſos, ex itinere conflixiſſe, ac Eduardum, inimici ſui filium, victorem; ipſa gnara odii Londinenſium erga ſe, Northumbriam verſus (quod ea pars Angliæ velut ſeminarium ſibi virium eſſet) contendit. Ibi quoque cruentiſſima pugna (ut in qua, ex utraque parte, cecidiſſe tradantur ſupra triginta ſex millia virorum fortium) ſuperata, cum hoſtis inſtans ſpatium recolligendis viribus nullum daret, cum marito & filio in Scotiam profugit. Victor ſe Regem Angliæ Eduardum Quartum edit.

III. Henricus, cum opem rebus ſuis afflictis poſtularet, Jacobo Kennedo Fani Andreæ [3] Archiepiſcopo, qui tum auctoritate & opinione prudentiæ cæteros Scotos anteibat, maxime annitente, acceptus eſt humaniſſime, & omni genere officiorum ita cultus, ut in ſpem prioris fortunæ recuperandæ erigeretur: quam ſpem, ut mutuis quibus poterat officiis tueretur, Bervicum oppidum (quod [4] ab Eduardi Primi uſque tempore Angli tenuerant) Scotis reſtituit: qui, eo munere devincti, omnibus rebus Henrici factionem ſublevabant, non modo reliquias naufragii ejus colligendo, ſed auxilum etiam ad cætera in tempore recuperanda pollicendo: & ut amicitia jam inchoata firmius coaleſceret, duæ Reginæ, utraque genere Gallica, tractare cœperunt de affinitate confirmanda, Jacobi ſorore Henrici filio, quem Valliæ Principem nominabant, deſponſa, quanquam neuter eorum adhuc ſeptimum annum expleviſſet. Has nuptias Philippus Burgundus, Reginæ Scotorum avunculus, ſed Anglorum Reginæ ca-

1 *Regium nomen ad Eboracenſem*] Ita emendavimus monente Craforдio: Duci enim Eboracenſi non [*Eduardo*] (quod alii libri præferunt) ſed [*Richardo*] nomen fuit, ipſo etiam Buchanano teſtante Lib. XI. 47.

2 *Comes Varvici*] Perperam libris omnibus *Dux Varvici* nominatur. Vid. ſupra Lib. XI. 47.

3 *Archiepiſcopo*] Lege [*Epiſcopo.*] Vide Lib. VIII. 1.

4 *Ab Eduardi Primi uſque tempore*] Id vero falſum: captum quidem eſt Bervicum ab Eduardo I. anno 1295, recuperatum vero a Roberto Bruſſio anno 1318 in Scotorum ditione permanſit ad annum uſque 1333, quo ab Eduardo III. iterum erat expugnatum. Vid. ſupra ad Lib. VIII. 42. Reſcribendum ergo [*Ab Eduardi III. uſque tempore.*]

capitalis inimicus, maximopere impedire eſt conatus, miſſo Gruthuſio homine nobili ad id Legato: ita enim acerbe Philippus cum Renato, [1] puelli avo materno, exercebat inimicitias, ut omnem undecunque occaſionem creſcendi ſtirpi ejus invideret: itaque tum, in ejus gratiam, res magis dilata, quam omiſſa eſt.

IV. Sed exitum, quem metuebat Burgundus, Henrici fortuna diſcuſſit: benevolentia enim erga ſe Scotorum, & literis ex Anglia amicorum nonnihil confirmatus, uxorem in Gallias ad Renatum patrem miſit, ut ab amicis tranſmarinis quanta poſſet auxilia arceſſeret. Illa apud Gallos hactenus profecit, ut ſuæ factionis hominibus tutum ibi receptum pararet, & adverſarios excluderet: præterea duo millia militum, duce Varenno, ut Monſtreletus prodidit, ut noſtri & Angli, quibus facilius accedo, quingentos, duce Petro Briſeo, aut Braceo Brittone, [2] ut aliis placet, itineris comites verius, quam adverſus hoſtem auxilium, impetrat. Cum hac manu in Scotiam reverſa, atque aliquid movendum rata, nihil dubitans, ad famam externi militis populares ſuæ factionis conventuros, ad oſtium Tinæ exſcenſionem fecit. Sed ea manus exigua, ad famam adventantis hoſtis territa, nulla re memorabili geſta, ad naves rediit: ibi quoque, velut ubique conatibus eorum adverſante fortuna, fœda tempeſtate jactati: major pars, ſecuta Reginam in Scotiam, Bervicum appulit: pauci in Lindisfarnen inſulam ejecti, & ab hoſtibus circumventi, periere. Sed virilis animi mulier nihil hoc infortunio deterrita, ad ſuos valida Scotorum adjuncta manu, rurſus fortunam experiri decrevit. Igitur, filio Bervici relicto, ipſa cum viro Northumbriam ingreſſa, proximos agros ferro flammaque late devaſtat. Ad hanc famam novi exercitus, ex primoribus Dux Somerſeti & Radolfus Percius, multi præterea ex Henrici veteribus amicis, qui Eduardo Regi, metu temporum, ſeſe dediderant, ſed longe plures ex propinquis Angliæ regionibus, latrocinio ſemper aſſueti, ſpe prædæ accurrerunt. Ad hunc tumultum ſedandum, Eduardus magnum belli apparatum terra marique inſtruit: Montacuti Regulum, cum bona Nobilitatis parte, ad hoſtem ducere jubet: mox ipſe cum reliquo exercitu ſequitur. Cum in campis non procul ab Examo utrique caſtra poſuiſſent, turba quæ prædandi ſtudio convenerat, dilabente, Henricus, quod in rebus deſperatis honeſtiſſimum videbatur, confligere ſtatuit: commiſſo prælio, victus, principibus amicorum ab hoſte aut captis aut cæſis, ipſe magnis itineribus Bervicum pervenit: captivorum alii ſtatim, alii paucis poſt diebus, ſecuri percuſſi.

V. Eduardus, ita per duces ſuarum copiarum victoria parta, ipſe Dunelmum venit, & ut Scotorum incurſiones terrore propinqui exercitus coërceret, & ſi quis

1 *Puelli avo materno*] Ita legendum cum MS. non quod editis omnibus irrepſit [*puellæ:*] Renatus enim Andegaviæ Dux, Reginæ Anglorum pater, adeoque ipſius filii Eduardi Principis Valliæ *avus* fuit: *Puellæ* autem, *i. e.* Mariæ Jacobi III. ſororis avus erat Arnoldus Gelriæ Dux.

2 *Ut aliis placet*] Hæc verba mihi ſuperflua videntur: neque enim tanti videtur inter *Briſeum* & *Braceum* diſcrimen, ut illud tam ſignanter notaret, niſi forte Buchananus ſcripſerit, *Petro Briſeo Normano* (cujatem Major & Leſlæus eum diſerte memorant) *aut Braceo, Brittone, ut aliis placet.*

ſi quis domi tumultus oriretur, præſentia ſua motus compeſceret. Ac dum ibi cum parte copiarum ſedet, loca ab inimicis occupata per duces aggreditur: Annevici arcem, multo cæteris majorem & munitiorem, quam (reliquis aut vi captis, aut per conditiones receptis) præſidium Gallorum tenebat, acriter oppugnat: nec minus fortiter præſidiarii, ſpe auxilii propinqui e Scotia, eam tuebantur. Sed cum, nuper in Anglia re male geſta, tam brevi quam præſens flagitabat periculum, exercitus cogi non poſſet, qui obſidionem ſolveret; aliis cunctantibus, nec ſuam ſententiam explicantibus, Georgius Comes Anguſiæ rem audaciæ & periculi plenam ſuſcepit. Collectis ex amicis & clientibus, ac proximo limite, cujus præfectus erat, circiter decem millibus equitum, ad arcem acceſſit: & Gallis, qui in præſidio erant, in eos impoſitis, quos ſine ſeſſoribus equos adduxerat, incolumes ad unum omnes in Scotiam reduxit; Anglis ſive audaciæ miraculo ſtupentibus, ſive ſubſidia Duglaſſio in propinquo deliteſcere ratis, ſive potius arbitrantibus arcem ſine certamine recipere, quam cum paucis illis, attamen delectis, rem univerſam fortunæ ancipiti committere. Eduardus, diſpoſitis ad omnia loca opportuna cuſtodibus, ne qua manus rebellium ultro citroque commearet, velut univerſo regno pacato, Londinum abiit. Henricus interea exul, vel ſpe ab amicis injecta, vel exilii tædio compulſus, ſtatuit in Angliam ad ſuos occultus redire. Sed, eadem fortunæ ad extremum durante violentia, agnitus, captus, & Londinum ductus, in arcem conditur. Margarita uxor, rebus diffiſa præſentibus, cum filio & paucis comitibus e Scotia ſolvens, ad Renatum patrem in Galliam navigavit.

VI. Jam (ut ad res Scoticas revertar) conventus, qui fuerat indictus Edimburgum, dies advenerat. Ad eum cum frequentes ſeſe contuliſſent, multitudo in duas factiones ſeceſſit: pars enim procerum Reginam ſequebatur: & longe plures Jacobum Kennedum & Georgium Duglaſſium Anguſiæ Comitem, alterius factionis principes. Regina diverſabatur in arce, Epiſcopus & Comes in Cœnobio Sanctæ Crucis, in ſuburbio extremo ad Orientem verſo. Cauſſa diſſenſionis erat, quod Regina tutelam Regis ſe penes eſſe æquum exiſtimabat: contra pars altera ex univerſis ad eam curam eligendum maxime idoneum; alteris maternum nomen & propinquitatem; alteris vetuſtam legem perpetua conſuetudine confirmatam jactantibus. Poſt tertium conventus diem, Regina cum ſuis ex arce deſcendit: atque a ſua factione ſe Tutricem Regis, & regni Procuratricem decerni curat: atque in arcem redit. Id cum reſciſſet Kennedus, cum ſua factione in forum advolat, & multitudini, quæ frequens accurrerat, declarat longa oratione; „Se ſuoſque nihil aliud quam publicum emolumentum, „& veterem inſtitutorum obſervationem ſpectare: contra, adverſarios privatis „cujuſque commodis duci. Id ſe perſpicue oſtenſurum, ſi quando liber diſce„ptandi locus ſibi detur. Hæc ubi locutus eſt, in diverſorium cum ſuis ſe recipere cœpit: ac non longe a foro aberat, cum alteram factionem audit armatam deſcendere. Id vero intolerandum ratus Duglaſſius, ut minis paucorum fortiores cederent, ac fugæ inſtar eſſet receptus, vix a Kennedo retineri poterat, quin portam urbis proximam invaderet, atque inermis cum armatis congrederetur: ac niſi tres Epiſcopi, Glaſcuenſis, Gallovidianus, & Dumblanenſis,

nenſis, tumultu exciti, interveniſſent, vix indignatio ſiſti poterat, quin ad manus ventum foret. Epiſcopis interpretibus, res ita tum compoſita eſt, ut in menſem eſſent induciæ.

VII. Ducibus utcunque ſedatis, multitudo tamen nullo imperio cohiberi poterat, quo minus iram & indignationem verborum aſperitate exprомeret: „Reginæ poſtulationem regno eſſe turpem, nec ipſi ſatis decoram. Eone re„cidiſſe veterum Scotorum virtutem, ut, in tot virorum millibus, nemo inve„niatur dignior, quam fœmina, qui rem Scoticam adminiſtraret? qui ei genti „imperet, [1] quæ majorem vitæ partem in armis tranſigat? Quam ſpem tan„dem fore, qui Regibus parum ſtrenuis non uſquequaque tractabiles eſſent, „eos fœminæ peregrinæ obtemperaturos? In huncne finem tot labores exan„tlatos, tantum ſanguinis, per tot annos, terra marique fuſum, ut homines, „in armis nati & educati, ſe in muliebrem ſervitutem ſponte dedant? Quid „futurum, ſi Angli, quod ſæpe alias fecerunt, ultum accepta detrimenta „cum magnis exercitibus veniant? quem ſignum pugnæ propoſiturum? quem „in aciem ducturum? quem leges belli paciſque daturum & accepturum? Hæc, inter ſe, in omnibus ſtationibus, paſſim vulgus hominum libere jactabat.

VIII. Verum menſe exacto, paullum pacatioribus animis, cum, finitis induciis, iterum eſſet conventum, Regina pro ſua cauſſa hæc fere afferebat: „Cum ſuperioris anni adminiſtrationem non ipſa vi uſurpaſſet, aut in eum lo„cum repugnante Nobilitate irrupiſſet, ſed omnium concordi aſſenſu jure ſuo „fuerit uſa, ſe moleſte ferre, nullo prætento crimine, de gradu dejici. Cæte„rum ſi, quod ſolet, in tutelis propinquitas ſpectetur; neminem matre pro„pinquiorem; ſi Regis incolumitas, neminem fideliorem: e Regis enim morte „aliis aliam ſpem eſſe; nihil ad ſe præter luctum & orbitatem redundaturum. „Sin utilitatis publicæ ratio ducatur, ſe peregrinam eſſe, nullis amicitiis ini„micitiiſve illigatam: quod in iis, qui rempublicam capeſſerent, in primis eſ„ſet ſpectandum: quod non modo procul a vitiis eorum vita debeat eſſe, ſed „etiam quam pauciſſimas earum libidinum cauſſas habere, quæ animum in ju„dicando tranſverſum agere ſoleant. Aliis parentum, propinquorum, affinium „eſſe opes, quorum præſidio freti, vel delicti excuſationem, vel faciliorem „veniam ſperare poſſint; interdum etiam cogi, ut ad eorum libidinem ſuas actiones „accommodarent. Sibi vero in ſola innocentia ſpem defenſionis fore: unum enim „eſſe filium, quem ſpectaret; cujus omnia emolumenta cum ſuis utilitatibus eſſent „conjuncta. Hæc niſi reſpiceret, ſe privatam, cum omnium gratia, libentius & „felicius etiam victuram, quam in corrigendis delictis, omnium malorum ſubituram „inimicitias, & in bonorum offenſiones interdum incurſuram. Neque novum „videri debere, ſi fœmina alieni regni procurationem petat: cum non modo „in Britannia, ſed in maximis etiam & potentiſſimis continentis regionibus fœ„minæ regnarint; & ita regnarint, ut adminiſtrationis earum cives non pœni„tuerit.

IX.

1 *Quæ majorem vitæ partem*] Ita ex MS. repoſuimus, editis autem omnibus male [*qui*] legitur.

1 *Archie-*

IX. Hæc cum dixiſſet, multorum ſecutus eſt aſſenſus, partim eorum, qui futuræ gratiæ locum apud eam præmuniebant, partim, qui alienæ invidiæ fructum ad ſe perventurum ſperabant. Neque deerant, qui prava libidine, ſi electio ex omnibus fieret, ne, velut parum idonei, præterirentur, malebant Reginam omnibus, quam alios ejuſdem ſecum, aut ſuperioris ordinis, præferri. Nobilitatis vero pars incorruptior cum & vultu & verbis orationem Reginæ aſpernarentur, omnem cœtum vehementer movit Jacobi Kennedi [1] Archiepiſcopi Fani Andreæ auctoritas & oratio, quem in hunc modum locutum accepimus.

„X. [2] Maxime vellem, Proceres clariſſimi, ut qui de omnium ſalute verba „facere inſtituunt, ſine ſingulorum offenſione, libere ex animi ſententia loqui „& poſſent & vellent. Nunc vero, cum, quæ ad publicam univerſorum di„cuntur utilitatem, ad privatam rapiantur contumeliam, difficile eſt ita mo„dum inter diverſa ſtudia & pugnantes ſententias tenere, ut non in alterius par„tis offenſionem incurras. Quod ad me attinet, ita moderabor orationi meæ, „ut nemo de me queri poſſit, niſi ſuum prius flagitium fateatur: libertate „vero a majoribus accepta ita modeſte utar, ut nec cupide quenquam lædere „voluiſſe, nec per timorem aut ambitionem, quæ ad præſentem faciunt con„ſultationem præteriiſſe videar. Duas omnino ſententias eſſe video, quæ con„cordiam noſtram remorentur. Altera cenſet, in re, quæ ad omnium utilita„tem pertinet, ex omnibus electionem fieri debere: &, quemadmodum o„mnes, ad ferenda ſuffragia, de re, quæ totius regni ſalutem complectitur, „coimus, ita neminem a ſpe honoris æquum eſſe excludi, qui virtute & ho„neſtis artibus eo contendat. Altera, Reginæ clariſſimæ Principi, & lectiſſi„mæ fœminæ, injuriam fieri putat, niſi in filii ſalute tuenda, & regno ad„miniſtrando, cæteris omnibus præferatur. Harum ſententiarum cur priorem „magis probem, dicam poſterius. Aliorum tamen conſilium hactenus probo, „quod parum e dignitate Reginæ putant, ut quiſquam alius cum ea in conten„tionem de honore veniat, ne auctoritas ejus, quæ, ut eſt, ita omnibus exi„mia haberi debet, cum inferioribus collata, imminui videatur. Quod ſi de „honore unius, & non de omnium ſalute hic eſſet diſceptatio, ego quoque „facile ac lubens ad eorum ſententiam accederem: verum cum de eo ſtatuen„dum ſit hodie, quod omnium privatorum vitam & fortunas, quod totius re-

„gni

1 *Archiepiſcopi*] Lege [*Epiſcopi*,] ut ſæpe antea monuimus.

2 *Maxime vellem*] Jamdudum a viris doctis obſervatum eſt, nobiliſſimam hanc, & dubiam veteribus palmam facientem orationem, non a Jacobo Kennedo habitam, ſed a Buchanano ipſo confictam fuiſſe: neque enim apud alios noſtrorum Annalium ſcriptores uſpiam exſtat illius veſtigium. In ea certe concinnanda non tam Hiſtoricæ veritatis, quam ſuorum temporum rationem habuiſſe videtur Buchananus, atque totas eloquentiæ vires expromſiſſe, ſive ſuopte ductus ingenio, ſive patroni ſui Moravii gratiam capturus, ut utriuſque Mariæ parentis & filiæ imperium exagitaret, ſuiſque civibus inviſum redderet: exemplum, ut credibile eſt, Joannis Knoxii ſecutus, qui paullo ante, eodemque fere conſilio, binas in muliebre imperium ſcripſit invectivas, quas *primi ſecundique tubæ flaminis* titulo inſignivit, præfervidum auctoris ingenium teſtantes.

1 *Ante*

„gni incolumitatem complectitur, huic uni cogitationi omnes ſingulorum ra-
„tiones concedere oportet. Quare eos etiam atque etiam moneo, ut ita Regi-
„næ ſtudeant dignitati, ne legum, ne veterum inſtitutorum, ne ſalutis o-
„mnium interea obliviſcantur. Nam ſi oſtendere poterunt, & legibus licere,
„& publice expedire, ut Regis tutela, & rerum adminiſtratio penes Reginam
„ſit, me quoque ſuæ ſententiæ aſtipulatorem habebunt. Sin vero eorum ora-
„tio ſit publice perniciosa, & ad legum omnium interitum, & Reginæ con-
„tumeliam ſpectet; hanc mihi veniam, primum a Regina, deinde ab omni-
„bus bonis, datum iri ſpero, ut ſalva & ſacroſancta (quoad per leges & inſti-
„tuta majorum licet) Reginæ auctoritate, non celem quid ſentiam; aut potius
„ut id libere dicam, quod ſine ſummo ſcelere tacere non poſſum.

„XI. Atque, ut a legibus incipiam: lex eſt a Kennetho, Rege non mi-
„nus prudentia & conſilio, quam belli gloria, claro, [1] ante quingentos am-
„plius annos lata, & ab omnibus regni Ordinibus accepta, & uſu tot anno-
„rum, ad hunc uſque diem probata, ut Rege pupillo coëant Ordines, virumque
„prudentia & opibus primarium eligant, qui Regis tutelam gerat, eoque nondum
„regni potente res adminiſtret. Hæc lex etſi ad Kennethum, velut auctorem,
„referatur, mihi tamen non tam primus eam tuliſſe videtur, quam vetuſtam
„Scotorum conſuetudinem nova ſanctione confirmaſſe. Majores enim noſtri adeo
„erant a cura publica mulieribus mandanda alieni, ut, ſi omnia rerum vocabu-
„la excutias, ne muliebris quidem imperii nomen apud eos invenias. Quorſum
„enim ei rei nomen impoſuiſſent, cujus ipſi nullum penitus uſum habuiſſent,
„nec in poſterum ullum fore ſperabant? Quas enim Reginas alii, ſuo quiſque
„ſermone, nos Regum uxores appellamus: nec altioris faſtigii nomen ullum
„in eis agnoſcimus. Voluerunt enim, opinor, viri prudentes, ut illæ, quo-
„ties mentionem ſui fieri audirent, ex adjuncto viri nomine, ſe viris obno-
„xias eſſe meminiſſent. Itaque, ad hunc uſque diem nullum muliebre impe-
„rium, nulla publica procuratio fuit. In minoribus quoque magiſtratibus &
„mandandis & exercendis, eundem plane morem conſtantiſſime obſervarunt.
„Nam multi honores, atque in his juriſdictiones, propter ingentia erga pa-
„triam merita, etſi ad pleraſque jure hæreditario pervenerint, ac ſæpe fœ-
„minis dotales ceſſerint, nunquam tamen, ad memoriam uſque noſtram,
„proditum eſt, fœminam aut in publico concilio præſediſſe, aut jus dixiſſe,
„aut eorum, quæ propria virorum creduntur, ullum munus uſurpaſſe. Quod
„inſtitutum cum majores noſtri, nullis obſtricti legibus, tam conſtanter ob-
„ſervarint, naturæ tantum inſtinctu impulſi; ſi nos eorum poſteri, adverſus
„legem, omnium ſuffragiis acceptam, & tam longo uſu probatam, in mani-
„feſtum

1 *Ante quingentos amplius annos lata*] Hoc quidem accurate verum non eſt: Kennethus enim III. hujus legis conditor, regnum (juxta ipſum Buchananum) iniit anno 969, a quo ad hoc tempus non ultra 491 anni effluxere. Quod ſi advertamus hanc legem latam fuiſſe poſt multos a regno inito annos, minor adhuc ſumma reſtabit. Vid quæ nos ſupra ad Lib. IV 3. Sed danda hæc Oratoribus venia, qui ſententiarum numeros præcipue attendentes, temporum rationes laxiore trutina caſtigare ſolent.

1 *Hu-*

„feſtum periculum ſtatum publicum præcipitemus, quis non a temeritatis di„co, ſed inſaniæ nos infamia vindicabit? præſertim cum exemplis propinquis „admoneamur. Saxones enim, ob unius Ethelburgæ ſcelus, lege caverunt, „ne ulla deinceps Regis uxor Regina vocaretur, aut in ſede honoris in publi„co Regi aſſideret. Quæſo igitur, diligenter expendite, quantum ab eorum „prudentia degenerent, qui adverſus legem tam vetuſtam, tam fœminis uti„lem, quam viris honorificam, clavum reipublicæ eis committant, quibus „majores noſtri nunquam nomen Regium indulſerunt, vicini etiam honoris „illius vocabulum ademerunt. Aliæ nationes aliter cenſuerunt: quo ſucceſſu, „dicam poſtea; modo prius eis reſpondeam, qui hanc legem non audent pu„blice calumniari, in mulierum autem conventiculis tanquam iniquam arguunt.

„XII. Verum quiſquis eſt, qui eam reprehendit, non ille ſanctionem aliquam, „hominum modo ſuffragiis comprobatam, ſed naturam ipſam, hoc eſt, le„gem illam primariam, a Deo in animos noſtros inciſam, velle reprehendere „videtur: naturam, inquam, quam noſter Legiſlator, in hac roganda, du„cem & conſiliorum ſuorum rectricem habuit. Natura enim ab initio, non „modo viros a fœminis animi corporiſque viribus diſcrevit, ſed ſua cuique ſe„xui munia, ſuas virtutes, genere quidem eaſdem, gradu vero longe diver„ſas, attribuit. Nam, qui minus indecorum eſt fœminis jus dicere, delectum „habere, exercitum ducere, ſignum pugnæ proponere; quam viro lanam, „colum, telam cæteraque muliebris infirmitatis tractare miniſteria? Quæ in „viris liberalitas, fortitudo, ſeveritas; in muliere profuſio, veſania, crudeli„tas habetur: contra, quod in fœmina elegans, come, venuſtum; in viris „fractum, elumbe, putidum judicatur. Hæc, naturæ ſponte diſtincta, qui „permiſcere & confundere conantur, nonne vobis videntur omnem regni ſta„tum, legibus & inſtitutis optime formatum, non perturbare, ſed omnino „evertere; cum muliebre imperium nobis probare contendunt, cujus ne nomen „quidem ullum noſtri majores habebant? [1] Hujus enim (ut dixi) legis lator, „non tam, in ea condenda, novum jus attuliſſe videtur, quam perpetuam „majorum conſuetudinem literis, ad poſteritatis memoriam, conſignaſſe; & „quod, in Rege creando, natura duce, ſemper fuerat uſurpatum, id in Re„gio quoque tutore creando, publica auctoritate obſervandum conſecraſſe. Hanc „qui labefactare conantur, quid aliud moliuntur, quam ut omnes leges, ritus, „conſuetudines majorum, una lege violanda, [2] ſimul evertant? Neque ego (ne „quis id calumnietur) leges omnes, velut in æternum latas, arbitror immu„tabiles: alia aliarum eſt ratio, alia vis, alia conditio: quæ enim ad tempo-

„rum

1 *Hujus enim (ut dixi) legis lator*] Ita legendum cum MS. duobus diſtinctis vocabulis, non unico [*legiſlator*,] quemadmodum editis omnibus legitur. Imo vero nuſquam apud probum quempiam ſcriptorem has voces in unam compactas reperio. Ciceronis eſt 4. Catil. cap. 5. *Lator legis Semproniæ*, & Livii, *Noſter Legum lator.* Patitur tamen Latini ſermonis analogia ut *Legis lator* dicamus; an vero unico vel duobus vocabulis ſcribendum, Critici viderint.

2 *Simul evertant*] Rectius quam [*ſemel*,] qui error hic & alibi nonnunquam libros omnes occupavit.

„rum viciſſitudines accommodantur, eæ fortunæ inconſtantiæ ſunt obnoxiæ; „tamdiu durare ſolent, quamdiu manet, quæ eas impoſuit, neceſſitas: & „quæ per vim tyrannorum obtruduntur, cum ſuis auctoribus fere una tollun-„tur. At naturæ vim illam, quæ viva quodammodo lex eſt, & a Deo condi-„ta, in animoſque hominum inciſa, & penitus impreſſa, nullius multitudinis „conſenſus, nulla hominum decreta abolere poſſunt. *Non* enim (ut egregium „poëtam dixiſſe ferunt) *heri aut hodie nata eſt*, *ſed cum ipſa rerum natura una* „*viget*, *conſeneſcit*, *& interit*.

„XIII. Quo e genere cum hæc noſtra in primis lex ſit, non oppugnat Re-„ginæ dignitatem, qui cupit, ut ipſa ultro ſibi præſcribat metas, quas natu-„ra ſtatuit, ſexus poſtulat, conſuetudo affirmat, & omnium pene gentium „conſenſu latæ leges approbant: ſed qui ſui eam obliviſci jubent, & omnia „juris vincula perrumpere, ordinemque rerum, a Deo inſtitutum, uſu rece-„ptum, & in omnibus bene moratis civitatibus probatum, perturbare ſuadent. „Eum ordinem quicunque negliget, graves non hominibus, ſed Deo, ſuarum „legum vindici, exſolvet pœnas. Nam ſi mortem lex divina minatur viro mu-„liebrem, aut mulieri virilem veſtem induenti, quod ſupplicium ſatis, pro ma-„gnitudine ſceleris, grave eis irrogabitur, qui, adulatione præpoſtera, totam „naturæ vim, & perpetuam Dei conſtitutionem evertant? Vultis intelligere, „quam iſti aſſentatores non ex animi ſententia loquantur? in conventu publico „dicere ſententiam, juri dicundo præeſſe, leges rogare, aut abrogare? Hæc „ſingula etſi per ſe ampla ſunt, quantula tamen portio ſunt adminiſtrationis pu-„blicæ? Cur ergo eorum uxores hîc nobiſcum non conſultant? judiciis præ-„ſident? leges ſuadent, aut diſſuadent? Cur non domi ſuæ ipſi rem familia-„rem procurant, & uxores in caſtra mittunt? Quod ſi, quibus rem familia-„rem committere [1] vix audent, nedum minimæ negotii publici parti pares eſſe „exiſtiment, eas noſtris imponere volunt cervicibus; videte, quam ſibi con-„ſtent: ſin ipſi, infirmitatis ſuæ ſibi conſcii, idem ſentiunt quod loquuntur, „ſed pudore magis quam judicio cohibentur, deſinant male ſperare de aliis, „qui ſua, hoc eſt, virorum officia implere & volunt & poſſunt. Sin (quod „magis reor) hoc aſſentationis genere, ſe Reginæ gratificaturos putent, eos „admoneo & hortor, ut falſam iſtam de Principe ſummæ prudentiæ deponant „opinionem: nec eam adeo rerum ignaram credant, ut, quod aliis fœminis „eſſet turpiſſimum, in eo ſuæ dignitatis aut incrementum ullum aut ornamen-„tum ineſſe arbitretur. Invitus in hanc orationem ingredior.

„XIV. Itaque, cum Princeps illuſtriſſima de univerſo regno ita ſit prome-„rita, ut nihil audire debeat, quod animum ejus aut aures offendere poſſit, „omittam, quæ in ſexus contumeliam ab improbis jactari audio, & virtu-„tum, quæ Reginæ ſunt propriæ, potius uſurpabo memoriam. Hæ enim cum „plurimæ ſint, & in primis illuſtres, nulla tamen majorem ei apud omnes com-„mendationem & laudem conciliavit, quam modeſtia: ea enim iſtius ſexus „ita

1 *Vix audent*] Aut hic [*audeant*], aut mox [*exiſtimant*] ſcribendum videtur: ſed nihil mutare auſim.

1 *Non*

„ ita propria exiſtimatur, ut, in privata plerumque vita, alia aliarum vitia vel „ omnino texerit, vel certe obſcurarit. In Principe vero noſtra, cujus, ob „ fortunæ generiſque claritatem, nullum dictum factumve in obſcuro eſſe po- „ teſt, ita hæc prælucet, ut ejus commendatione cæteræ virtutes gratiores fie- „ ri videantur. Cum ea igitur mihi longa oratione non eſt opus, ſed tantum „ ut admoneam & horter, ut, quam ſemel ad decus & gloriam ingreſſa eſt „ viam, eam conſtanter teneat: neu cujuſquam aſſentationi ita ſe præbeat, ut „ ſui obliviſcatur: malitque certum, & multis experimentis probatum iter, „ ad laudem & immortalitatem inſiſtere, quam, per ancipitia & intuta progre- „ diendo, anteactæ vitæ decus & ſplendorem in diſcrimen mittere. Vobiſcum „ mihi omnis diſceptatio, qui, vel invidia erga meliores, quos, ne vobis an- „ teponantur, timetis, vel, prava ambitione, apud bonam Principem futuræ „ gratiæ fundamenta jacitis. Dicam igitur, Regina clariſſima, fretus tua pru- „ dentia, quod ſentio, & libere dicam. Iſti non te, ſed tuam fortunam allo- „ quuntur: &, dum Reginam cogitant, eandem quoque fœminam eſſe ob- „ liviſci videntur. Cum fœminam dico (ne quis contumelioſe id dictum inter- „ pretetur) hominem dico, cui natura, cum plurima dederit blandimenta, & „ indulgentiæ ſuæ munera, nonnulla etiam admiſcuit (ut pulcherrimis quoque „ & pretioſiſſimis rebus ſolita eſt) infirmitatis incommoda: ideoque, [1] non ſui „ protegendi ſatis potentem, in aliena voluit eſſe cuſtodia; adeoque in alios „ imperium non dedit, ut leges, naturam imitatæ, in perpetua parentum, fra- „ trum, maritorum tutela fœminas eſſe juſſerint. Neque hoc ad earum eſt ex- „ cogitatum ignominiam, ſed infirmitati inventum remedium: nam cum eas „ negotiis, quibus ſunt impares, arcet, beneficium eſt conſulentis pudori, [2] non „ ho-

1 *Non ſui protegendi ſatis potentem*] Quidam exiſtimant [*ſui protegendæ*,] aut [*ſe protegendi*] hic legendum; ſed fruſtra ceſſit horum Criticorum acumen: nam quod a Sanctio primum, deinde a Novæ Methodi auctore ſummo cum judicio eſt obſervatum, Pronominibus *mei*, *tui*, *ſui*, *noſtri*, *veſtri*, *&c.* ſive marem ſive fœminam ſignificantibus, adhibetur gerundium in *di*, non vero gerundivum, quod vocant, ſive adjectivum participiale, eo quod pronomina iſta adjectivis jungi non patiantur. Sic Ovid. Epiſt. Acontii, ver. 74.

Copia placandi ſit modo parva tui.

non *placandæ*, ut nonnullis Editt. ſcribitur, & quidem male, ut notat Nic. Heinſius. Terent. Hec III. 3. 12. *Ego ejus videndi cupidus* (Philumenæ *ſcil.*) *recta ſequor.* Et Phor. I. 3. 24. *Ut neque mihi ejus* (Phanii virginis *ſcil.*) *ſit amittendi, neque retinendi copia.* Vid. ſupra ad Lib. I. 3.

2 *Non honori detrectantis contumelia*] Duo hic obſervanda ſunt: 1. Verbum [*detrecto*] ſenſu gemino & quidem multum diverſo uſurpari, interim *ſcil.* pro *recuſo*, interim pro *vitupero* acceptum: utroque autem ſignificatu *detrecto*, non *detracto* ſcribitur, ut *obtrecto*, *attrecto*, *contrecto*; quamvis in uſu ſit *detractor* verbale, i. e. *vituperator*, a ſupino verbi *detraho* deductum. 2 Etſi *detraho* vituperandi ſenſu ſumtum vel Dativo vel Ablativo, præeunte præpoſitione, jungatur, *detrecto* tamen Accuſativum ſemper poſt ſe poſtulare; ut *detrectare virtutes*, Salluſt. *Detrectare benefacta*, Ovid. Quem etiam caſum adſciſcit *obtrecto*: Livius tamen *laudibus obtrectare* dixit. At exemplo (quod ſciam) prorſus deſtituitur Buchananus, qui verbo *detrecto* Dativum adhibuerit: idcirco hic *detraheretis* (ſi liceret) legi malim.

,,honori detrectantis contumelia. Non commemorabo, quam ægre cohibeat ,,eas maritorum diligentia, & parentum auctoritas: non recenſebo, quo ,,ſoluta vinculis, quarundam licentia proruperit. Ea tantum dicam, non quæ ,,cauſſa præſens offert, ſed quæ exigit, & quæ ſine fraude publica tacere non ,,poſſum: ſi qua in eo ſexu ſunt privatim noxia, ea [1] maritis & propinquis cu- ,,ræ ſunt, quæ publice obeſſe poſſunt, ea leviter attingam.

,,XV. Nunquam ab hoc ſexu animi magnitudo poſtulata eſt: habent certe ,,fœminæ ſuas virtutes; ſed hæc, de qua loquor, inter viriles, non mulie- ,,bres, ſemper connumerata eſt: deinde, quo magis, ob naturæ imbecillita- ,,tem, animorum motibus ſunt obnoxiæ, eo, quoties legum frenos licentia ,,perruperit, longius progrediuntur, difficilius revocantur, ad modeſtiam vix ,,unquam redeunt: quippe morborum & remediorum juxta impatientes. Quod ,,ſi quæ inter eas fortiores videntur, eo ſunt magis periculoſæ, quod vehe- ,,mentiores habeant impetus: & quæ, tædio ſexus, fœminam ſemel exue- ,,runt, etiam ultra curas viriles licentiam extendere volent. Nam ubi modum ,,finemque a natura poſitum ſemel tranſieris, quicquid ultra eſt, infinitum eſt, ,,nullo cupiendi aut audendi tibi relicto termino. Ad hanc etiam naturæ infir- ,,mitatem accedit, quod quanto quiſque ſui minorem habet fiduciam, tanto ,,facilius aliorum dicta & facta ad ſuam contumeliam accipit, vehementius ira- ,,ſcitur, ægrius pacatur, immoderatius vindictam exercet, & velut contem- ,,tum ſui ulciſcitur. Hæc omnia quam ſint magiſtratum gerentibus adverſa, ,,nemo veſtrum, opinor, ignorat. Iſta ſi quis a me confingi putat, apud ani- ,,mum ſuum reputet, quanta cum rerum perturbatione Joanna Neapolitana ,,non ita pridem imperaverit. Revolvite priſcorum temporum hiſtorias. Non ,,commemorabo Aſſyriam Semiramidem, non Cappadocem [2] Laodicen; mon- ,,ſtra ſunt iſta, non fœminæ. Palmyræna illa Zenobia, omnium ore celebra- ,,ta, Parthorum victrix, [3] imperii Romani propugnatrix, tandem victa, ca- ,,pta, triumphata, ſe, regnumque ſuum, ab Odenato marito auctum & il- ,,luſtratum, uno momento evertit.

XVI.

1 *Maritis & propinquis curæ ſunt*] Ita MS. editi omnes [*ſint*] male.

2 *Laodicen*] Hæc uxor erat Antiochi II. Regis Syriæ, quem, quod Berenicen ſibi prætuliſſet, veneno ſuſtulit, ac deinde ipſius rivalem Berenicen immiſſis percuſſoribus necavit. Cæterum MS. *Laodicen*, editis omnibus *Laodicem* adverſus Grammaticorum leges hic ſcribitur. Voſſius tamen & Jonſonus exempla quædam adferunt ejuſmodi nominum in *e* primæ, Accuſativum in *em* mittentium: ad quorum imitationem Buchananus Lib. v. 22. *Igernem* non *Igernen*, bis extulit.

3 *Imperii Romani propugnatrix*] Crafordius legendum vult *oppugnatrix*: verum nihil mutandum, nam licet Zenobia bellum demum Romanis intulit, atque ab Aureliano capta fuit, initio tamen Romanis favebat: ejus quippe hortatu & auxilio ipſius maritus Odenatus Saporem Perſiæ Regem, arma Romanis inferentem, debellavit. Ita Trebell. in vit. Valeriani patris, *Rem*, inquit, *Romanam prope in priſtinum ſtatum reddidit*, & de Odenato loquens, *Cum uxore Zenobia, collecto exercitu contra Perſas profectus eſt.* Clarius vero ipſius Valeriani ad Senatum epiſtola, *Poſſum dicere illius eſſe, quod Odenatus Perſas vicit, ac fugato Sapore Cteſiphontem uſque pervenit. Nec ego illi vitam conſervaſſem, niſi eam ſciſſem multum Rom: Reip. profuiſſe.*

„ XVI. Sed nec illud quidem prætcrire tacitus poſſum, cujus in alienæ rei procuratione in primis ratio ducenda eſt, ne videlicet ſummum imperium ei hominum generi committamus, a quo male obiti negotii ratio exigi non poteſt. Nihil ego neque Reginæ ingenio, neque fidei, neque induſtriæ detraho: ſed ſi quid (quod plerumque accidere ſolet) aliena etiam fraude, geſtum fuerit, ſecus ac publica utilitas, aut quem tenebit loci dignitas, poſtulet, quam multam a Regis matre exigemus? aut quam expetemus pœnam? apud quos rerum geſtarum ratio repoſcetur? apud muliebre concilium in gynæceo de ſumma rerum conſultabitur? Vos ibi decretis aut ſinguli ſubſcribetis, aut univerſi auctores eritis, & quam vix inermem, legibus & moribus vobis obnoxiam, cohibere nunc poteſtis, auctoritate veſtra ſemel armatam muliebrem impotentiam ſuſtinebitis. Neque hoc eo a me dictum exiſtimate, quod quicquam tale a fœmina lectiſſima & omnium longe modeſtiſſima metuam: ſed quod nobis, quibus omnia adhuc in manu ſunt, turpe ducam, ſpem noſtræ incolumitatis, quam nobis ipſis debere poſſumus, in aliena poteſtate collocare; præſertim cum pro nobis faciant divinæ & humanæ leges, & non modo majorum noſtrorum conſuetudo, sed omnium, [1] quæ ubique terrarum ſunt, gentium conſenſus. Tulerunt quidem, in ſummo honoris gradu, nationes quædam fœminas, non illas quidem judicio & ſuffragiis electas, ſed [2] ſorte naſcendi oblatas, nullus tamen unquam populus, cum libera eſſent ſuffragia, cum virorum quantulacunque eſſet copia, ſibi fœminas præfecit. Quamobrem, viri clariſſimi, ſuadeo, voſque vehementer adhortor, ut, juxta leges patrias, & majorum inſtituta, unum, aut plures etiam, ſi ita videbitur, ex optimatibus ſcilicet optimos, eligatis, qui interim regnum adminiſtrent, dum Rex eo robore ſit & animi & corporis, ut ipſe ad rerum gubernacula admoveri poſſit. [3] Quod faxitis Deum Opt. Max. fortunare & volo & opto.

XVII. Hæc cum Kennedus, cum haud dubia majoris partis aſſenſione, dixiſſet, cæteri, ne fruſtra contra niti viderentur, in eorum ſententiam conceſſerunt. Res autem hoc maxime modo eſt compoſita, ut neutra partium alteri ceſſiſſe videretur. Bini e ſingulis factionibus adhibiti ad Regis cuſtodiam, qui publica negotia cum fide tractarent, vectigalia Regia colligerent ac diſpenſarent, familiæque Regiæ curam gererent: e factione Reginæ, Gulielmus Gramus, & Robertus Bodius tum Cancellarius; alterius factionis, [4] Robertus Orcadum Co-

1 *Quæ ubique terrarum ſunt, gentium*] Omnes editi codices *qui*.

2 *Sorte naſcendi*] Ita omnes libri hoc in loco, quod & mihi multo potius videtur, licet alibi nonnunquam [*forte naſcendi*] legatur. Vid. ſupra ad Lib. VI. 41. XI. 15.

3 *Quod faxitis Deum Opt. Max. fortunare & volo & opto*] Ob oculos habuit Buchananus præclaram Porcii Catonis, eodem fere argumento, (*i. e.* de lege Oppia, quæ mulierum nimiis ſumtibus & luxui modum ſtatuebat, non abroganda, apud Livium lib. 34.) orationem: e qua, præter alia nonnulla, poſtrema hæc verba noſter arripere non dubitavit: ita enim perorat Cato, *Vos quod faxitis Deos omnes fortunare velim*

4 *Robertus Orcadum Comes & Joannes Kennedus*] Oſtendit Thomas Crafordius ex Actis publicis in utriuſque nomine a Buchanano hic erratum: prior enim *Guliel-*

Comes, & Joannes Kennedus; omnes familiarum ſuarum principes: adjuncti his duo Epiſcopi, Glaſcuenſis & Caledonius: Reginæ permiſſum, ut educationi Regis adeſſet, modo ne quam partem curæ publicæ attingeret: reliquorum vero liberorum (erant autem quaterni, Alexander Dux Albinius, Joannes Comes Marriæ ac duæ puellæ) ipſa educationi præeſſet.

XVIII. Rebus domeſticis ita cônſtitutis, Legati Anglorum auditi: [1] petentibus induciæ in annos quindecim datæ. [2] Proximo anno, qui fuit M. CCCC.
M CD LXIII. LXIII. Regis mater deceſſit, parum ſecunda pudicitiæ fama. [3] Eodem anno, Alexander Regis frater, [4] dum ab avo materno e Galliis redit, ab Anglis capitur, brevique liberatur, Scotis, ni redderetur, ob violatas inducias bellum comminantibus. Pace foris parta, domi ab inteſtinis motibus non diu ceſſatum: nam controverſiæ procerum, de ſtatu publico ordinando, rumoribus in majus auctæ, ætaſque Regis immatura rebus gerendis, & ſuperiorum temporum licentiæ recens memoria, hominibus natura inquietis frenos facile ſolvit. Alanus Lornenſis, homo ſeditioſus, Joannem fratrem natu majorem, [5] hæreditatis ejus potiundi cupidus, in vinclis captivum tenebat: vivum ſervaturus, quoad, odio nefarii ſceleris ſeneſcente, res ex ſententia tranſigeret. Id facinus Calenus Cambelius Argatheliæ Comes cum reſciſſet, magna clientium manu collecta, Alanum, liberato fratre, in carcerem conjecit, hominem, alioqui multis latrociniis infamem, in aulam ad ſupplicium ducturus. Verum ille (incertum fortuita, an voluntaria) morte ſupplicium prævenit.

XIX. In diverſa regione, Donaldus Inſulanus, ut auctor potentior, ita res turbare majore mole eſt aggreſſus. Is enim, Rege mortuo, metu ſolutus, in eo turbulento rerum ſtatu, locum injuriæ adverſus infirmiores, & augendæ potentiæ occaſionem ſibi datam ratus, Ennerneſſum cum non adeo magno comitatu venit: & a præfecto arcis, ut qui nihil hoſtile metueret, comiter invitatus, arcem, cuſtodibus expulſis, in ſuam poteſtatem redegit, Inſulanorumque copiis undique coactis, ſe Regem Inſularum pronuntiat: per propinquas

lielmus (non *Robertus*) *Sinclarus*, poſterior *Gilbertus* (non *Joannes*) *Kennedus* appellabatur.

1 *Petentibus induciæ in annos quindecim datæ. Proximo anno, qui fuit M. CCCC. LXIII.*] Non ſatis accurate hæc traduntur. Ex utriuſque enim regni Actis liquet inducias fere annuas primum initas fuiſſe, a 16 *videl.* Decemb. 1463 *per terram*, a primo vero Feb. *per mare*, ad ultimum Octob. anni ſequentis duraturas. Fœd. Angl. Tom. 11. pag. 510. Eo quidem anno 1464 in quindecim porro annos ſunt continuatæ, Ibid. pag. 525.

2 *Proximo anno*] Innuit his vocibus Buchan. inducias factas fuiſſe anno 1462, quæ tamen (ut modo demonſtravimus) anno 1464 factæ fuerant.

3 *Eodem anno*] Ita quidem Major & Leslæus, rectius tamen Ferrerius Pedemontanus, Append. Hiſt. Scot. fol. 386. qui eum captum tradit menſe *Junio* (*Majo* vero Abercromb.) anno 1464. Exſtat enim ſalvus conductus ei ab Anglo datus 20 Aprilis 1464, Fœd. Angl. Tom. 11. pag. 520.

4 *Dum ab avo materno e Galliis redit*] Ita quidem Ferrerius & Leslæus; at abeuntem, non redeuntem captum contendit Abercrombius pag. 392.

5 *Hæreditatis ejus potiundi*] Quidam *potiundæ* legendum malint. Vide quæ nos ſupra ad Lib I. 3. Cæterum retineri poteſt [*potiundi*,] eo quod *potior* Genitivum interdum adſciſcat.

1 *Ve-*

quas regiones edicit, ut vectigal uni ſibi cives pendant: neque alium Regem aut dominum agnoſcant; gravi pœna, qui ſecus feciſſet, indicta. Ad hanc famam, facinoroſis ad eum undique coëuntibus, ſatis magno exercitu confecto, Atholiam ingreditur, tanta celeritate, ut Comitem, qui Regis erat patruus, cum uxore, nihil tale ſuſpicatos, ceperit. Is enim, ad repentini tumultus rumorem, Blaro arci diffiſus, in vicinam Brigidæ ædem, ſe religione loci defenſurus, ſeceſſit: multi item popularium, oppreſſi ſubito malo, pretioſiſſima quæque rerum ſuarum eo congeſſere. Ea ædes quanquam in illis locis magna cærimonia [1] veneraretur, & ad eum diem inviolata manſiſſet ob ſanctitatis eximiæ famam, plus tamen valuit, apud animum immanem & avarum, præda quam religio. Comite cum uxore magnoque captivorum numero illinc abducto, ædi, rebus omnibus ſpoliatæ, ignem injecit: ſacerdotes, verbis a ſacrilegio deterrere conatos, alios interfecit, alios male multatos dimiſit. Circumjectis deinde locis ferro & flamma longe lateque vaſtatis, dum cum ingenti præda domum redit, ſuborta repente tempeſtate, magna parte navium amiſſa, reliquis graviter afflictis, ipſe cum paucis in Ilam inſulam ejectus eſt verius, quam expoſitus. Id vero, qui e tanta calamitate evaſerant, rati manifeſta numinis ira eveniſſe, nudis pedibus, ac lineis modo veſtimentis tecti, ſupplices cum muneribus ad Fanum Brigidæ, cui ante paucos dies tam contumelioſe illuſerant, acceſſerunt. Dux vero Donaldus, ſive dolore amiſſi cum præda exercitus, ſive animum (quamlibet immanem) ſubeunte ſcelerum conſcientia, & ſpretæ religionis memoria, ex eo die parum compos fuiſſe mentis dicitur. Hic ducis caſus propinquos ejus movit, ut Atholiæ Comitem [2] cum ſuis liberos dimitterent, ac Brigidam propitiatum cum piaculis ampliſque muneribus venirent. Rerum ita geſtarum fama in aulam perlata, omnem expeditionis adverſus Inſulanos apparatum ſolvit.

XX. Primis tumultibus ita ſedatis, tanta cum æquitate & tranquillitate res Scotorum adminiſtratæ ſunt, ut nunquam altiorem ſecuritatem, ſincerioremque pacem ſeniores affirmarent ſe meminiſſe: ea erat in Jacobo Kennedo (cujus aula tum maxime nitebatur auctoritate) prudentia & gravitas, ea in reliqua Nobilitate, qui prudentioribus parere non recuſabant, modeſtia. Tantam enim Kennedus exiſtimationem, multis erga rem Scoticam meritis, erga ſuperiorem Regem officiis, collegerat; tantam, ob morum elegantiam, & propinquam cum Regibus cognationem, comparaverat in rebus omnibus fidem, ut cæteri pueritiæ Regiæ curatores, qui per ordinem bini in orbem ſibi ſuccedebant, eum, quoties in aulam excurreret, velut diligentiæ exactorem & probatorem, facile ferrent. Itaque, hac eorum concordia, in ſumma tranquillitate ita Rex educabatur, ut, accedente ad rectorum diligentiam optima pueri indole, magnam omnium concitarit exſpectationem. Hæc fere ad ſextum uſque regni annum acta fuere.

XXI.

1 *Veneraretur*] Nuſquam hoc verbum paſſive extra participium reperio.

2 *Cum ſuis liberos dimitterent*] Ita MS. princeps editio Edinb. & Genev. aliæ autem omnes [*liberis*] perperam habent.

1 *Et*

XXI. Erat tum in aula Robertus Bodius, familiæ ſuæ princeps: qui, præter magnas opes, familias tum plurimas & clariſſimas propinquitatibus & affinitatibus erat complexus: florebat etiam tum egregia ſtirpe domus: habebat enim, præter Thomam [1] & Robertum filios, Alexandrum fratrem, omnium primarum artium principem: qui reliquis pueritiæ Regiæ rectoribus [2] non invitis, etiam cupiente [3] Joanne Kennedo propinquo (qui, per ingraveſcentem ætatem, adoleſcentiæ laboribus impar erat) ad Regem eſt admotus, ut militarium exercitationum rudimentis eum imbueret, quibus tum inter æquales facile primus habebatur. [4] His opibus freti, nec loco, quamvis honorifico, quem in aula tenebant, contenti, nec auctoritate, quæ erat eis præcipua, omne robur publicum in ſuam transferre familiam decreverant. Id ut conficerent, Alexandro negotium datur, ut Regis quoque animum adjungeret. Is, Regem jam puberem in ætatis flexu nactus, ita comitate & blanditiis animum infirmum cepit, ut ſumma ſibi fides omnium rerum eſſet. In hanc tam familiarem conſuetudinem admiſſus, ſermones frequenter apud adoleſcentem ſerebat; ,, Eum jam regni potentem ,, eſſe: jam tempus adeſſe, ut, e ſenum prope ſervitio emancipatus, ætatem circa ſe habeat militarem, eaque ſtudia mature capeſſat, in quibus, velit nolit, ,, ei agenda ſit ætas.

XXII. Hujus generis orationes, ab adoleſcente, rerum imperito, & in ætatis lubrico ad licentiam prono, facile accipiebantur: ac paullatim rectoribus contumacior, multa illis inconſultis, nonnulla adverſantibus, tentare, atque occaſionem quærere, ut a ſeniorum ſeveritate, velut e vinculis, evaderet. Igitur, cum e Limnucho Rex, ignorante Kennedo, cujus tum vices erant, in agros venatum prodiret, ſenex certior factus, non procul ab oppido eum aſſequitur: & cum, apprehenſis habenis, remoraretur, ac reducere conaretur, quod nec tempus commodum, nec idoneum comitatum cauſſaretur; Alexander accurrens, ſeni, optime de ſe merito, arcu, quem manu tenebat, vulnus in caput inflixit. Ita abacto Kennedo, velut arbitro moleſto, quo cœperant ire, pergunt. Kennedus ſaucius in oppidum redit: nec Robertus in aulam reverſus, fratris factum improbavit. Inde odiorum ſemina, cum graviſſimo regni damno, alterius autem factionis exitio, ſunt orta. Initium fuit promendæ diſcordiæ, cum Bodii Edimburgum, Kennedi Sterlinum Regem inde transferre vellent. Bodii, qui plus in aula tum poterant, ſine conſenſu publico, eum Edimburgum ducunt, ut ibi regnum iniret. Comites fuere itineris, præter Bodios, Adamus Heburnus, Joannes Somervallius, & Andreas Carus, familiarum ſuarum principes. Hæc acta ſunt, circiter decimum Julii
MCCCC. LXVI. diem, anni M. CCCC. LXVI. Kennedi in ea contentione inferiores, diverſi do-

1 *Et Robertum*] Crafordius *Alexandrum* legi jubet, actorum, ut credibile eſt, publicorum auctoritate fretus.

2 *Non invitis*] Ita ex MS. reſtituimus, pro quo editi omnes [*invitis*] exhibent.

3 *Joanne Kennedo*] Lege [*Gilberto*] ut ſupra Cap. 17. huj. Lib. monuimus. Ejus quidem filius *Joannes* appellabatur: at patrem hic indigitari oſtendunt verba mox ſequentia, [*qui per ingraveſcentem ætatem*,] &c.

4 *His opibus freti*] Ut ſententia magis perſpicua procedat, legendum malim, *His opibus Bodii freti.*

1 *Ja-*

domos abeunt, Joannes in Carictam, [1] Jacobus in Fiſam, tumentibus ira animis, nec ultioni, ſicubi poſſent, defuturi. Bodii ſuperiores, injuria non contenti, ad Joannem ſimiam miſerunt, quicum domi colluderet, ac ſe oblectaret, delirationem ſeni exprobrantes.

XXIII. [2] Nec multo poſt, Jacobus Kennedus deceſſit, mature quidem ille, ſi ratio ætatis habeatur: verum ejus mors omnibus bonis adeo fuit luctuoſa, ut parente publico viderentur orbati. Erant enim in eo viro, præter virtutes ante commemoratas, ſumma domi frugalitas & continentia, foris ſplendor & magnificentia. Omnes ſuperiores, & qui eum uſque ad hunc diem ſecuti ſunt, Epiſcopos liberalitate in publicum ſuperavit; cum interea non magnos Eccleſiaſticos proventus teneret: neque enim adhuc ad Scotos pervenerat conſuetudo ſacerdotia ſacerdotiis cumulandi, & male per avaritiam quæſita pejus per luxuriam profundendi. Unum reliquit ſuæ liberalitatis monumentum egregium, ſcholas publicas, ad Fanum Andreæ maximis ſumtibus ædificatas, & magnis proventibus, ex Eccleſiaſticis tamen fructibus, locupletatas. In eis ſepulchrum ſibi magnifice extruendum curavit, quod tamen ei, privatim de pluribus, publice de omnibus optime merito, malignitas hominum invidit: quod dicerent, nimiæ vanitatis eſſe, in re, ad nullum uſum comparata, tantos ſumtus facere. Mors virtutes ejus fecit illuſtriores, & deſiderium auxit: eo enim, velut perpetuo cenſore morum, de medio ſublato, diſciplina publica paullatim labefactata, deinde penitus corrupta, ſecum omnia pene in exitium traxit.

XXIV. Bodii, ad domeſticæ potentiæ incrementum, & inimicorum vires imminuendas, ſub legum prætextu, animum adjiciunt: e quibus maxime opportunus eſt viſus Patricius Gramus, Jacobi Kennedi ex eadem matre frater, [3] Roberti quoque Bodii conſobrinus. Is, uti tum mos erat, per Canonicos electus Epiſcopus, in locum Jacobi fratris nuper defuncti, ſed per factionem aulicam impeditus, quo minus cum Regis bona venia Romam adiret, ſine commeatu ad Pontificem profectus, facile cum eo tranſegit, ut in demortui locum ſufficeretur: nam, præter generis nobilitatem, & maximarum virtutum commendationem, erat, ut illis temporibus, liberaliter eruditus. Itaque dum Romæ, adverſæ factionis opes metuens, deſidet, vetus controverſia de libertate Eccleſiæ Scotorum agitari cœpta eſt: nam Eboracenſis Epiſcopus jus (quo Scotorum Epiſcopos contendebat ſibi ſubditos) per licentiam bellorum uſurpatum, etiam in pace retinere ſtudebat. Verum, decreto Romæ ſecundum Scotos dato, Gramus non modo Scotiæ Primas judicatur, ſed etiam

a

1 *Jacobus in Fiſam*] Si Ferrerio fol. 387. credimus, Jacobus Kennedus Fani Andreæ Epiſcopus ante duos menſes deceſſerat, 10 *videl.* Maji 1466.

2 *Nec multo poſt*] Vide Not. præced.

3 *Roberti Bodii conſobrinus*] i. e. *matertera filius*: at id fieri potuiſſe negat Tho. Crafordius: Patricii enim Grami mater fuit *Maria Stuarta* Jacobi I. ſoror: Roberti vero Bodii mater *Maxuallia* vocabatur Comarchi Caldervodii filia. Verum laxiore hic ſenſu vocabulum uſurpare videtur Buchananus, pro *propinquo* aut *cognato*: & quidem Patricii Grami avia erat Maria Maxuallia eadem ſtirpe prognata. Vide Geo. Crafordii Nobil. Scot. pag. 47.

a Pontifice [1] Legatione in triennium, ut ſacerdotum prolapſos mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam præcipitantem, in priſtinum ſtatum reſtitueret, eſt ordinatus. Nec tamen vir tantus, tot animi fortunæque bonis illuſtratus, ac ſummi Pontificis tali prærogativa ſubnixus, domum redire auſus eſt, uſque ad inclinatam Bodiorum potentiam.

XXV. Bodii, cum non tantus ad eos Nobilitatis concurſus fieret, quantum ſperaverant, ut inimicorum criminationes amolirentur, & ſecuritati ſuæ in poſterum proſpicerent, conventum publicum indicendum curant, in tertium decimum menſis Octobris. Ibi, coram Rege & Apolectis, Robertus Bodius ſenior, in genua procidens, conqueſtus eſt; „Suum erga Regem obſequium, „quod in eo Edimburgum deducendo præſtitiſſet, malignis inimicorum ſermonibus traduci, & in pejorem partem rapi; [2] ac minari, illius conſilii auctores pœnas aliquando daturos: quamobrem Regem orare, ut, ſi quam „ob id factum, iram aut offenſam animo concepiſſet, id palam declararet, „& malevolentium calumnias compeſceret. Rex, ubi paullum cum Apolectis collocutus fuiſſet, reſpondit; „Robertum non auctorem ejus itineris, ſed comitem fuiſſe; neque obſequii pœna, ſed potius officii in ſe collati præmio „dignum exiſtimare: idque ſe, ut invidorum ſermonibus obviam eatur, publico conventus decreto declaraturum: atque eodem decreto cauturum, ne „ea res Bodio comitibuſque ejus aliquando fraudi eſſe poſſit. Hoc decretum cum Bodius petiſſet in acta conventus redigi, idemque diplomate Regio, cui magnum ſigillum appenderetur, confirmari; decretum quidem ſtatim in acta relatum, diploma paullo poſt, nempe viceſimo quinto ejuſdem menſis die ei traditum. Eodem quoque die adjicitur & aliud diploma ex concilii ſententia, quo Bodium Proregem creat, ſuamque ſalutem, fratres, ſorores, arces & oppida, omnemque juriſdictionem in cives ei Rex committit, donec ipſe [3] viceſimum unum annum expleret: egitque cum proceribus, qui tum aderant, ut ſeſe ſancte promitterent omnium actionum publicarum Bodiis adjutores fore, pœniſque, ni id ſumma ope & fide feciſſent, obnoxios futuros. Huic promiſſo Rex ipſe quoque ſubſcripſit.

XXVI. His rationibus Rege ſibi conjuncto, & parte Nobilitatis privato fœdere connexa, ac totius regni adminiſtratione in ſe traducta, ſecuritati in longum tempus proviſum eſſe exiſtimarunt: fundamenta potentiæ etiam in poſterum jacientes, perfecerunt, ut Regis ſoror natu maxima Thomæ Bodio Roberti filio nuberet. Id matrimonium, ut opulentum & velut potentiæ ſtabili-

1 *Legatione in triennium* ——— *eſt ordinatus*] Aut *Legatus* videtur legendum, aut vice τȢ *ordinatus* ſubſtituendum [*cohoneſtatus*,] vel potius, quod ad alterius vocis ſonum proxime accedat, [*ornatus.*]

2 *Ac minari*] Abrupta hac in parte & hiulca videtur ſententia; niſi dicamus verbum [*minari*] paſſive hic ſumi. Verum cum nullum ejuſmodi reperiatur exemplum, potius legendum arbitrarer, [*Eoſque minari:*] niſi forte ſic totam ſententiam refingere mavis; ——— *Conqueſtus eſt inimicos ſuum erga Regem obſequium* ——— *malignis ſermonibus traducere, & in pejorem partem rapere, ac minari,* &c.

3 *Viceſimum unum annum*] Pro *viceſimum primum.* Ita Cic. de Senect. cap. 5. *Uno & octogeſimo anno mortuus eſt.*

1 *Iu-*

bilimentum videbatur, ita inimicorum odia intendit, & vulgo variam ſermonum materiam præbuit. Etſi enim hac via omnes aditus ad Regem obſeptos credebant, ſolique dictorum & factorum arbitri erant, non tamen aulica gratia magis florebant, quam flagrabant odio publico, quod, quadriennio prope tectum, in exitium totius familiæ tandem erupit. Nec adverſæ factionis prudentiſſimus quiſque tam ſubitum eorum incrementum invitus audiebat: ut cui arrogantiam (ut fieri ſolet) comitem ſperarent, quæ ſuperiores ferre nequeat, æquales contemnat, & inferiores deprimat; ubi autem privati exceſſit modum, Reges, æmulationis intolerantes, in ſui exitium accendat. Fama vero diſcordiæ, inter factiones tam potentes, populari quoque licentiæ frena ſolvit: nam nationes latrociniis aſſuetæ, veterem rapacitatem ex intervallo avidius repetebant; & odiorum ſemina, ad tempus ſuppreſſa, vehementius gliſcebant: & ſeditioſi turbandarum rerum occaſiones libenter amplectebantur: omnes denique omnia, ſpe impunitatis injecta, liberius audebant. Nec deerant occaſioni Kennedi, qui, partim ſpargendis rumoribus plebis iram inflammarent, & omnium malorum cauſſas in Bodios, ut ſeditionum auctores, conferrent: partim etiam (ut nonnulli rebantur) a tumultuoſorum hominum conſiliis non abhorrebant, & nequitiæ faces occulte ſubdebant. Illud certe ex eorum vultibus elucebat, hunc turbidum rerum ſtatum non admodum eis ingratum eſſe. Unum reſtare videbatur, ad florentem inimicorum potentiam ſubvertendam, ut Regis animum ad ſua conſilia traducerent: ſatis enim ſuperque ſibi virium eſſe: & vulgus novarum rerum ſtudioſum, & omnia alia magis quam præſentia ſemper cupiens, facile ad partes acceſſurum. Itaque, per homines callidos, qui ſtudium Bodianarum partium præ ſe ferrent, Regis animum pertentare inſtituunt.

XXVII. [1] Interea Legati in Daniam decreti, ut Margaritam, Dani Regis filiam, Jacobo peterent uxorem: utque proſpicerent, quoad fieri poſſet, ut vetus controverſia de Orcadibus & Schetlandicis inſulis, magnis utriuſque gentis cladibus exercita, tolleretur. Princeps ejus Legationis fuit [2] Andreas Stuartus, Valteri filius, idemque Scotiæ Cancellarius. De nuptiis facile cum Dano tranſactum, omni jure, quod in omnes circa Scotiam inſulas majores ejus ſibi arrogarant, dotis nomine remiſſo; tantum ut privatis agrorum poſſeſſoribus caveretur, ut agros, quos ibi haberent, uti ante poſſederant, ita tenerent. [3] Sunt, qui [4] pignori oppoſitas, donec dos ſolveretur, ſcribant; ſed poſtea Jacobo nepoti

1 *Interea*] *i. e.* anno 1468.

2 *Andreas Stuartus, Valteri filius*] Is erat Avendaliæ Regulus, Jacobi (non Valteri) Stuarti nothus, Mordaci Gubernatoris nepos. Vide ſupra ad Lib. X. 28.

3 *Sunt qui pignori oppoſitas, donec dos ſolveretur, ſcribant*] Et vere quidem, ut ex tabulis nuptialibus apud Torfæum Hiſt. Orcad. pag. 191. liquido apparet. Cui etiam in omnibus fere adſtipulatur Ferrerius, qui hujus inſtrumenti ex Actis Scoticis copiam ſibi factam teſtatur. Vide in primis Abercrombium, de hiſce nuptiis, ut & de Orcadum & Hethlandicarum inſularum jure, fuſe & accurate diſſertantem, vol. 2. a pag. 398. ad 406.

4 *Pignori oppoſitas*] Ita, monente Crafordio legendum, [*oppoſitas*] non [*oppoſitos*,] quod libros omnes pervaſit: non enim privatorum agros, ſed inſulas ipſas, ſive directum, quod vocant, in ipſas dominium, & inde proveniens vectigal, Danus pignori oppoſuit.

poti ex filia recens nato, Danum omne jus ſuum in perpetuum ceſſiſſe. Cum a Cancellario Rex certior eſſet factus, omnia ex ſententia eſſe confecta, proxima incidit deliberatio, de honeſto Nobilium globo, ad novam Reginam deducendam, mittendo. Ibi fraude inimicorum & amicis parum proſpicientibus, Thomas Bodius, Roberti filius, Araniæ Comes, laudata ſupra modum etiam ab invidis & minus æquis ejus virtute, & ſplendore opibuſque ad quamvis magnificentiam ſuppetentibus, Legatus deligitur. Ille, domi omnia, patre Prorege, tuta ratus, libens profectionem ſuſcepit, ac jam ineunte autumno, cum familiarium & amicorum comitatu conſcendit naves.

XXVIII. Kennedi interea, labefactato Regis animo, & vincula, quibus Bodii ejus voluntatem ſe retenturos credebant, nempe voluptates, & a curis publicis otium, trahendo in crimen; eorumque opes, quæ jam erant maximæ, velut Regi formidoloſas in majus extollendo; ac nomine peculatus, prædam ex eorum ruina oſtendendo, animum infirmum, & ſuſpicionibus atque avaritiæ opportunum, varie verſabant. Bodii vero etſi obſequio, & malorum publicorum diſſimulatione, a moleſtis cogitationibus Regem avertere conarentur, tamen & vulgi querimoniæ, & aulæ ſolitudo, utræque ab inimicis auctæ de induſtria, tegi non poterant: nec deerant, qui Regem ſolitarium nacti, de publicis calamitatibus, & eorum remediis, liberius admonerent: & Rex ipſe, velut ad curas viriles aſſurgens, quæ vulgo fierent nonnunquam ingrata ſibi eſſe monſtrabat. Nec Bodii, quanquam eum ſibi paullatim minus obtemperantem, & pariter invidiam popularem [1] increſcere ſentiebant, quicquam tamen e ſuperiore licentia omittebant, confiſi & priſtina ejus facilitate, & venia præteritorum accepta. Igitur adverſa factio, jam Rege clam in ſuas partes abducto, & Thoma Comite Araniæ in Daniam ablegato, unde, propter Oceani ſeptentrionalis ſævitiam, magna anni parte navigationibus impervii, reditus ante ver adultum non pateret; ſenes, & ætate & morbis invalidos, & raro propterea in aulam ventitantes, & præſidio multorum amicorum, qui in Legationem erant profecti, deſtitutos, maturum aggredi arbitrati, primum conventum publicum, jam diu a multis flagitatum, in [2] viceſimum ſecundum diem menſis Novembris, anni milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi noni, Edimburgum per Regem indicendum curant.

MCD. LXIX.

XXIX. Eo Bodiis fratribus adeſſe juſſis, varie res, pro cujuſque odio aut favore erga eos, eſt celebrata. Ipſi certe tam inopinato caſu perculſi, nullo auxilio adverſus imminens malum ante parato, fractis animis, non tam factionis adverſæ potentia, quam ſubita Regis alienatione perturbati; Robertus, omni ſpe incolumitatis abjecta, in Angliam profugit: Alexander, quem adverſa valetudo a fuga cohibuit, in jus venit. Crimini fratribus communiter datum,

1 *Increſcere*] Non eſt quod hæc vox minus Latina quibuſdam videatur, quippe qua non Livius modo, Lucanus, Suetonius, Plinius, ſed & ipſi Cicero & Virgilius ſunt uſi.

2 *Viceſimum ſecundum*] Dele *ſecundum*: Acta enim publica 20 *Novembris* diſerte præferunt: Fefellit Buchananum condemnationis inſtrumentum, quod quidem 22 Novemb. eſt ſcriptum.

1 *In-*

tum, quod, in Regem injecta manu, privato conſilio eum Edimburgum duxiſſent. Cum Alexander affirmaret, ejus culpæ veniam in conventu publico impetratam, ſupplexque peteret, ut ejus veniæ, ex actis publicis, Rex exemplum deſcribi pateretur, id ei negatum. Quid, adverſus id decretum, ab accuſatoribus objectum ſit, ab illius temporis ſcriptoribus non proditur: ego quoque, quanquam conjectura difficilis non ſit, malo cogitationibus legentium rem totam relinquere, quam [1] incerta pro certo affirmare. In eo judicio Alexander damnatus, capite luit: Robertus, paucis poſt annis, Annevici in Anglia, exilii tædio ad prægravem ætatem adjuncto, deceſſit: filius ejus abſens, inauditus, & negotium publicum gerens, hoſtis publicus judicatus: omnium bona publicata. Hæc quidem ita geſta ſunt. Quæ autem ex viris bonis, & illorum temporum non ignaris, accepi, non exiſtimavi diſſimulanda. Ajunt enim, decretum, quo Bodii ante actorum venia fuit data, in actis exſtare, in hanc fere ſententiam, „Ut Rex omnem offenſionem, & (ut tum loque-„bantur) [2] animi rancorem remitteret. Quod quidem qui Regi gratificari volebant, juxta remiſſionis de culpa & pœna diſtinctionem, quæ tum inter Theologos celebrabatur, interpretarentur; his videlicet verbis intelligi, „Noxam „quidem, & ex animi nequitia conceptam labem, aboleri: cæterum, legum „pœnis reos non eximi.

XXX. Proximo vere, Danica claſſis Reginam advexit. Thomas Bodius, audita calamitate totius familiæ, quanquam non deeſſent, qui, in publica omnium lætitia, ſpem veniæ ei oſtentarent, non eſt auſus tamen deſcendere: verum ab uxore, quæ ad rumorem Danicæ claſſis advolaverat, edoctus, nullum reditum ad Regis gratiam patere, omni aditu ab inimicis præcluſo, ſtatim in Daniam, unde venerat, revectus eſt: & peragrata Germania in Galliam

1 *Incerta pro certo affirmare*] Potius dicendum videtur, *incertum pro certo*, vel, *incerta pro certis*: ita enim Cic. de Sen. *Quid enim ſtultius quam incerta pro certis habere?* [Doctior erat Buchananus quam ut Grammatice ſemper loqueretur, cum poſſet Latine optimorum ſcriptorum exemplo, qui non tam religioſe ſervabant canones, ut pro *certo* non auderent dicere, niſi præcederet vox ejuſdem numeri, aut etiam generis. Terent Adel. III. 1. 32. *pro certon' tu iſtæc dicis.* an ille etiam cogetur *pro certis* dicere? Et alia exempla ex Cicerone adducit Stephanus in Theſauro. ita nec generis ratione habita apud Liv. I. 1. Qui *rem tam veterem pro certo adfirmet*, non *pro certa.* Vide quæ notavimus ad Ovid. II. Amor. II. 49. & IX. Met 138.]

2 *Animi rancorem*] *Rancor* putor eſt ex vetuſtate & corruptione: ad carnes autem plerumque refertur: ſed a Palladio de aliis etiam rebus putridis & ſitu obductis dicitur, Re Ruſt. lib. 1. cap. 20. *Receptacula olei ſemper munda ſint, ne novos ſapores infecta veteri rancore corrumpant.* Cæterum cum ad animum transfertur, & *remanens ex male ſarta gratia odium* ſignificat, nullo probo auctore præeunte id fit: quod neque Buchananum fefellit, addit enim, [*ut tum loquebantur*] D. Hieronymus primus, quod ſciam, hoc in ſenſu vocem uſurpat, Epiſt. ad Ruffinum 66 *Conſcientiæ noſtræ teſtis eſt Dominus, poſt reconciliatas amicitias nullum interceſſiſſe rancorem.* [Hæc exempla produxit etiam Faber. medio ævo fuiſſe uſitatam vocem pro reliquiis veteris odii, docet Barth. ad Galli Confeſſoris Cap. XXVI. & hinc, Gallorum *Rancune. odium vetuſtum & reſiduam iram* Latinius dixit auctor inf. cap. 39.]

liam venit. Ibi multa fruſtra conatus, ut Ludovico Undecimo (qui regnum legitimum Francorum in tyrannidem converterat) deprecatore uteretur, ad Carolum Burgundum profectus, fortem & fidelem ei in bello navavit operam; ac multis ab eo invicem donis & honoribus affectus fuit. Ibi, dum privatam, ſed honorificam vitam ducit, uxor ei Jacobum filium, & Græcinam filiam peperit, de quibus ſuo loco dicemus. Nuptiæ Jacobi Tertii & Margaritæ Reginæ, magno Nobilitatis concurſu, celebratæ, [1] decimo die menſis
M.CD Julii, anni M. CCCC. LXX. Ex eo matrimonio, tertio poſt anno, natus
LXX. eſt Jacobus, qui patri in regnum ſucceſſit, menſe Martio, die ſacro Divo Patricio.

XXXI. Rex interea, nondum ſatiatus Bodiorum calamitatibus, ſcribit in Flandriam, ac ſororem domum revocat. Sed cum, ob inſignem erga maritum amorem, non facile ei de reditu perſuaderi poſſe exiſtimaret, curat ex aliorum literis ſpem ei injici, „Regis ira ſpatio temporis lenita, non deſperandum, quin „ſoror apud fratrem plurimum perficere poſſet, ad mariti calamitatem ſublevandam: multum intereſſe, præſensne tuam cauſſam agas, an aliis agendam mandes. Illa, ea ſpe illecta, cum rediſſet, ſtatim de divortio cum ea Rex agit: & affixis libellis publice, ac multis aſcitis teſtibus, Kilmernoci, (quod, ante res afflictas, Bodiorum princeps erat domicilium) jubetur Thomas intra ſexageſimum diem adeſſe, quem ſciebant omnes, vix fide publica data, reverti auſurum. [2] Cum diem non obiſſet, priores nuptiæ decernuntur illegitimæ: ac divortio cum abſente & inaudito tranſacto, Maria Regis ſoror invi-

1 *Decimo die menſis Julii, anni M. CCCC. LXX.*] Major tamen & Abercrombius has nuptias celebratas tradunt anno 1469, Leſlæus 1468, Lindeſius Pitſcottienſis 1471. Sed rectiſſime ſe habet Buchanani ſupputatio. Cum enim inter omnes conveniat capitis ſententiam adverſus Bodios latam, dum Thomas Araniæ Comes novæ Reginæ domum deducendæ cauſſa in Dania legationem obiret; ea autem ſententia (ut ſupra oſtendimus) lata demum fuerat 22 Novemb. 1469; nuptiæ vero æſtate ſequente omnium ſuffragio ſunt celebratæ, plane perſpicuum eſt eas in nullum alium annum quam 1470 cadere poſſe. Rem vero ulterius confirmat Jacobi III. (in ipſius Act. publ.) iſtrumentum quo terras de Kilmarnock, *&c.* quæ quondam fuere Roberti Domini Boyd, chariſſimæ conſorti ſuæ Margaritæ Reginæ Scotiæ, *ad pepla & ſupportationem ornamentorum capitis ſui*, concedit. Dat. Edinb. 25 Julii 1470, regni ſui anno 10.

2 *Cum diem non obiſſet*] *i.e.* cum ad diem ſtatutum non adeſſet. Verum Ballendenus fol. 175. & Holinſhedius pag. 248. eum alio ſenſu *diem ſuum obiiſſe*, i.e. *fatis conceſſiſſe*, tradunt: Leſlæus autem & Ferrerius legitimo divortio diremtos ſcripſere. Vide in primis Abercrombium, qui vol. 2. pag. 410. matrimonium inter Mariam Regis ſororem & Thomam Bodium ideo diſſolutum, & gravibus quidem argumentis, contendit, non quia Bodius ipſi (ut vulgo loquuntur) *adhærere* nolebat, (quod Buchan. eumque ſecutus Drummondus prodiderunt) ſed quia ipſa Maria eidem primum Jacobo Hamiltonio, ac deinde Eduardo Valliæ Principi, fuiſſet deſponſa. [Vide Boeth. fol 377. Joan. Maj. fol. 142. & Buchan. Lib. XII. 3.] Præterea obſervandum has ſecundas nuptias quinque poſt proſcriptum priorem maritum annos celebratas fuiſſe, anno *ſcil.* 1474, ut ex contractu, quem matrimonialem vocant, apud Ducem Hamiltoniæ adhuc exſtante, videre eſt.

1 *Ho-*

invita Jacobo Hamiltonio, [1] homini prope novo, ac multum [2] dignitate & opibus, [3] quam prior maritus, inferiori, nubere cogitur: peperit autem ei Jacobum, & Margaritam filiam. Revocati quoque ex altero viro a Rege liberi: nec ille diu ſuperſtes fuit. [4] Cum Antuerpiæ diem obiiſſet, nec propinquum ibi haberet, qui hæreditatem adiret, Carolus magnificum ei ſepulchrum, pecunia ſatis ampla, qua ipſe munifice eum donaverat, in æde conſtruendum, cum inſcriptione honorifica, curavit. Ita Bodiorum, quæ tum erat in Scotia florentiſſima, familia intra paucos annos & crevit & corruit, magno poſteris documento, quam ſint lubricæ Regum adoleſcentium amicitiæ. Nec ea modo ruina obſtupefecit amicos, ſed inimicos etiam terruit: nullo poſtea ad eum, unde illi dejecti erant, gradum contendere auſo, partim dum rerum humanarum caſus inſtabiles expendunt, partim dum Regis tam ſubito in bene-fi-

1 *Homini prope novo*] Hic & alibi quam ſæpiſſime ſe prodit Buchanani in illuſtriſſimam Hamiltoniorum familiam odium, quo tranſverſus actus Jacobum gentis principem *hominem prope novum* appellat: cum tamen nemini in noſtris annalibus vel leviter verſato dubium eſſe poteſt, quin Hamiltoniorum familia multis ante ſeculis in paucis clara atque illuſtris exſtiterit. Quid? quod ipſe Buchananus Lib. VIII. 48. de Hamiltoniorum origine agens, ejus gentis inter Scotos conditorem, *hominem nobilem in aula Anglica* memorat, qui metu Spenſerorum (e quibus unum ſuperbe ſibi inſultantem occiderat) ad Robertum Bruſſium (ante centum & quinquaginta annos) profugus, ab eo benigne acceptus, opulentiſque agris donatus fuerat: Ejus vero poſteros non multo poſt in procerum dignationem perveniſſe idem teſtatur. Nulla igitur clariſſimam familiam perſtringendi, atque infra alias invidioſe deprimendi, Buchanano hic ſuppetebat occaſio.

2 *Dignitate & opibus*] Meum non eſt de cujuſquam, nedum antiquæ & celebris Bodiorum familiæ fama & meritis detrahere: id tamen cum bona utriuſque gentis venia profiteri auſim, nuſquam ex noſtris monumentis liquere, alteram alteri eo tempore ulla ex parte jure fuiſſe anteponendam. Utriuſque certe principes parem dignitatem *i. e.* Equeſtrem, per aliquot ſecula obtinuere ad Jacobi II. tempora, a quo, atque eodem, ut credibile eſt, anno 1445, in ſupremum ordinem ſunt allecti. Quod ad opes & clientelas attinet, eæ quidem magnæ, &, quod ſciam, æquales utrinque fuere. Verum hæc omnia, non tam Bodiorum gratia, quam Hamiltoniorum (ut dixi) odio, a Buchanano profecta videntur.

3 *Quam prior maritus inferiori*] In dubium vocari poteſt, tanquam parum Latina, hæc loquendi formula: ſed rem facile expedit Cic. ad Quint. frat. *Quem ego intelligo prudentia eſſe inferiorem quam me.* Id. Offic. *Belli laude non inferior fuit quam pater.* Id. de Clar. *Is in jure civili non inferior quam magiſter fuit.* At ſic, qui particulam [*quam*] eoſdem ſemper caſus copulare contendunt, [*quam priori*] potius quam [*quam prior*] dicendum velint. Verum Sanctius & Novæ methodi auctor id nunquam fieri poſſe oſtendunt in hoc locutionis genere, niſi caſus iſte nominandi ſit, aut interdum accuſandi, ut in præcedentibus exemplis; aliter enim verbum [*ſum*] ubique addi jubent, ut Cic. ad Pompejum, *Ut tibi multo majori quam Africanus fuit, me non multo minorem quam Lælium, facile & in Rep. & in amicitia adjunctum eſſe patiare.* [Vide de his conſtructionibus per *quam* Davis ad Cic. 1. de Natur. Deor. Bentb. ad 1. Tuſcul. Quæſt. 17. & quæ nos ad Quinctil. Declam. cccxxii. de particulis *ceu* & *ac* ſimiliter conſtructis vid. ad Ovid. 1. Metam. 135.]

4 *Cum Antverpiæ diem obiiſſet*] Ferrerius tamen in Hetruria ab Italo, cujus uxorem de ſtupro interpellaverat, occiſum tradit, fol. 387.

ficiis pœnitentiam, & in odio tantam pertinaciam in mentem revocant. Multum certe eos, qui, ex ea mutatione ſtatus publici, in maximam ſpem erant erecti, ſua fefellit opinio. Nam Rex, qui ſuperioribus annis aſſueverat otio domeſtico, ac raro prodibat in publicum, jam novus etiam maritus, domeſticis voluptatibus magnam temporis partem impertiebatur: atque excluſa Nobilitate in paucorum miniſtrorum poteſtate totus erat. Cum eſſet enim ingenio acri & præfervido, non facile ferebat ſententiam ſuam a conſultoribus reprehendi: ita cum procerum in cenſendo refugeret libertatem, tales circa ſe habebat, qui non corrigerent, ſed approbarent ſua decreta, & repugnandi offenſione vitata, obſequendo gratiam pararent.

XXXII. Inter hos aulæ mores, ordo Eccleſiaſticus nihilo ſanctius agebat. Quamvis enim luxu & avaritia jam multos annos Eccleſiæ miniſtri laboraſſent, remanſerat tamen adhuc ſpecies quædam antiquæ gravitatis, quæ & ſtimulos literas diſcentibus adderet, & qui in diſcendo profeciſſent, ſpem emolumenti eis injiceret. Eligebantur enim Epiſcopi a collegiis Canonicorum, & Cœnobiarchæ a ſuis ſodalibus: tum autem aulicos, qui Regis animum & aures obſederant, lucri oſtentata magnitudo, & eorum, quibuſcum certamen eſſet, infirmitas eo facile perduxit, ut Regi ſuaderent; „Ne rem tanti emolumenti pe-„nes homines ignaviſſimos, & ad nullam reipublicæ partem capeſſendam ido-„neos, eſſe ſineret: ſed poteſtatem deſignandi quos vellet ad ſe revocaret. In-„de enim non defuturum, unde & contumaces reprimeret, & dubios retineret, „& bene meritis gratiam referret. Nunc autem, penes vulgi fæcem honores „& opes eſſe, non minus in publicis neceſſitatibus parcos, quam in domeſti-„cis voluptatibus profuſos. Unum Regem eſſe oportere, in quem omnium „oculi ſint intenti: penes quem ſit & puniendi, & ignoſcendi, & remune-„randi, facultas. Cum, his & ſimilibus blandimentis, Regis animum, ætate infirmum, nec ſatis adverſus pecuniam firmum, & prava conſuetudine labefactatum, & a natura pronum ad licentiam, in ſuam ſententiam pertraxiſſent, continuo nova rerum facies per totum regnum oritur, rebus omnibus, tam ſacris quam profanis, in aulam, velut ad publicam nundinationem, propoſitis.

XXXIII. Patricius autem Gramus, qui præcipitantem Eccleſiam unus velut ſufflaminabat, cum, inimicis omnia domi tenentibus, Romæ aliquot annos ſubſediſſet, certior per amicos factus, quo in ſtatu res eſſent, fretus propinquitate Regis, e cujus amita magna natus erat, ad ſuos redire ſtatuit: &, ut animos hominum pertentaret, diploma de Legatione impetrata præmiſit, &
MCD. promulgandum curavit menſe Septembri, anni M. CCCC. LXXII. quæ res
LXXII. & magnam ei invidiam ſtatim conflavit. Nam qui redemerant in aula honores Eccleſiaſticos, ne prædam & pretium ſimul amitterent, metuebant: & qui ſpem creſcendi ex aulica nundinatione conceperant, aditum ſibi obſtrui dolebant. Nec minus fremebat ea factio, quæ ſacerdotia mercenario quæſtu a Rege impetraverant, vel impetrata aliis divendebant, ne genus illud lucri e manibus eriperetur. Hi omnes, conjuratione facta, maledictis Patricium abſentem onerant, & in Regiam collecti, queruntur; „Vetuſta majorum jura, & re-

„cen-

„centia Regum edicta violari, ac multa, univerſo regno damnoſa, per Romanenſes agitari: quorum libidini niſi mature obviam eatur, Regem brevi „in ordinem redactum iri, & penes illos omnium rerum poteſtatem fore. Id periculum ut prævenirent, ex decreto concilii, ad Patricium, vix navi egreſſum, miſſi, qui vetarent; „Ne ullam ſui muneris partem attingeret, donec Rex, „de querimoniis adverſus eum ad ſe delatis cognoſceret. Dies dicta, ut Edimburgi adeſſet, ad Cal. Novembres. Interea, cum amici & propinqui confirmarent, Regem, in tam juſta cauſſa, non iniquum fore; idque ex rumoribus adverſa factio reſciſſet, Regis & aulicorum animos, magnæ pecuniæ promiſſione, ita ſibi devinxit, ut nunquam deinde Patricius æquo jure cum adverſariis contendere potuerit. In conventum accitus, cum diplomata protuliſſet, e quibus oſtenderet, ſe a Romano Pontifice Archiepiſcopum Fani Andreæ, Primatem Scotiæ, & Legatum ad Eccleſiaſticum ſtatum ordinandum in triennium creatum, a minoribus quidem ſacerdotibus ſatis æquo animo eſt auditus: gaudebant enim, munus tam neceſſarium viro bono & erudito commiſſum: ſed hi, metu potentiæ aliorum, qui ſibi Regem & aulicos conciliaverant, mutire palam non audebant. Adverſarii, ut favor populi erga Patricium elangueſceret, mora interpoſita, Pontificem Romanum, qui unus in ea cauſſa judex eſſe poſſet, appellant. Ipſe, ad ſuam Eccleſiam a Rege remiſſus, vetitus eſt, dum lis dijudicaretur, Archiepiſcopi inſignia uſurpare, aut quicquam, præter conſueta ſuperioribus Epiſcopis munia, attentare.

XXXIV. Inter hæc exortus eſt Patricio, levi de cauſſa, novus inimicus, ſed omnium longe acerrimus, Gulielmus Seveſſius. Is, juvenis acri ingenio, cum aliquot annos Lovanii apud Joannem Sperincum, medicum, & Aſtrologiæ ſtudiis nobilem, egiſſet, reverſus ad ſuos, cum cætera ingenii dexteritate, tum ſcientiæ rerum cœleſtium jactatione, brevi in aulicorum gratiam ſe inſinuavit. Ea res magnum ei favorem conciliavit, quod aula omnibus divinandi generibus tum uſque ad inſaniam dedita erat. Seveſſius igitur, ingenii acrimonia & aulica gratia florens, brevi Archidiaconus Fani Andreæ deſignatur. Cum ab Epiſcopo ad id munus non reciperetur, communicato conſilio cum Joanne Locco, tum ſcholarum publicarum Rectore, & Patricii inimico, machinas omnes ad eum ſubvertendum admovent. Rector, fretus Romani Pontificis privilegio, quo a juriſdictione Patricii erat exemtus, ei ſacris interdicit. Hanc ille hominis ex inferiore ordine comminationem ita contemſit, ut, etſi veniens in aulam eiſdem diris ſemel atque iterum eſſet petitus, nihil tamen de ſuperioris vitæ conſuetudine remitteret. Tum inimici (ut mos eſt, cum diræ Eccleſiaſticæ contemnuntur) Regis auxilium implorant, ac Patricium omnibus ſacris ædibus excludi procurant: in bona ejus [1] procuratorem fiſci immittunt: comites [2] gravi edicto juſſi diſcedere: dati cuſtodes, qui obſervarent, ne quicquam,

1 *Procuratorem fiſci*] Ita MS. aliis omnibus [*procurationem fiſci*] ſcribitur, male.

2 *Gravi edicto*] Ita ex laudato ſæpius MS. repoſuimus; editi omnes [*gravi indicto:*] quod vix tolerari poteſt, nuſquam enim [*indictum*] ſubſtantive, ut *edictum*, uſurpatur. Sed neque alterum illud [*gravi edicto*] multum arridet, quamvis Ovidius *immite* & *minax edictum* dixerit. Quamobrem,

quam, quod edicto repugnaret, attentaret. Epiſcopi reliqui; ne erga Regem tam benevolum ingrati viderentur, ſummam pecuniæ grandem, quam tenuioribus ſacerdotibus gravate extorſerant, ad eum attulerunt.

XXXV. Rex, hac præda potitus, velut Patricii miſertus, cœpit cum eo mitius agere, ac, miſſis ad eum Abbate Sanctæ Crucis & Seveſſio, Epiſcopus Regi, & Epiſcopo Seveſſius reconciliatur; ſed pecunia ante ab amicis collata, & ad Regem perlata. Igitur Patricius, velut omnibus moleſtiis liberatus, cum ad villam ſuam Monimalium divertiſſet, atque ad ea, quæ ſui muneris erant, privatim & publice obeunda ſe compararet, menſarii Romanenſes ab inimicis in eum immiſſi, ob nondum ſolutam pro diplomate Pontificio (Bullas ipſi vocant) pecuniam, ei ſacris interdicunt. Erat autem ille ad extremam inopiam jam adductus: nam & ante & poſt reditum cenſus ejus majore ex parte a procuratore Regio erant in fiſcum relati; &, quod ab amicis potuit confici, Regi & aulicis datum. Miniſtris autem Regiis iterum in poſſeſſionem miſſis, ipſe in arce ſua, adhibitis a Rege cuſtodibus, ac domeſticis miniſtris ablegatis, ſervari juſſus, etiam ad inopiam conſilii eſt redactus. Gulielmus Seveſſius capitalis inimicus, velut mentis parum compoti, a Rege primum Adjutor (ut vocant) eſt datus, deinde a Romano Pontifice approbatus: mox idem Seveſſius, per factionis adverſæ potentiam, Quæſtor electus, qui de vita & moribus ejus anquireret. Multa ei levia, multa ridicula, quædam etiam incredibilia objecta: inter quæ, quod interim uno die ter miſſaret, idque ea ætate, qua vix reperiebatur Epiſcopus, qui ternis menſibus ſemel id munus obiret. Ibi, inimico judice, conductis teſtibus, Epiſcopatum ejerare coactus eſt: Seveſſius, qui decretum ad Pontificem pertulerat, in ejus locum ſuffectus. Nec inimici hac hominis clade contenti, cum omnes eum contumelias magno animo ferre conſpicerent, curarunt ut in Cœnobium aliquod devium, quatuor adhibitis cuſtodibus, includeretur. Electa eſt Æmona, ſcopulus verius quam inſula: inde, exorto bello, metu Anglicæ claſſis, poſt triennium eſt tranſlatus Fermelinodunum: illinc rurſus in arcem, quæ eſt in lacu Levino: atque ibi tandem ætate & miſeriis confectus deceſſit: vir nullius ſceleris compertus, doctrina & virtute [1] nemini ſui temporis inferior. Reliqui viri boni, calamitate ejus

obrem, ſi conjecturæ pateret locus, *gravi pœna indicta.* ut Lib. XII. 22. aut, ſi mavis, *gravi indicto ſupplicio*, a Buchanano ſcriptum exiſtimaverim. Id quod facilius adducor ut credam, propter vocem [*edicto*] ſequente verſu iteratam. *Edictum* autem ad ipſum Patricium, *pœna* vero *indicta* ad ejus comites vel ſervos referri videntur.

1 *Nemini ſui temporis inferior*] Tho. Crafordius legendum jubet [*nemine*,] & pari modo Lib. VII. 9. etiam [*nullo* pro *nulli*] IX. 6. X. 6. & XX. 64. Sed fruſtra eſt vir doctiſſimus; major enim illo Grammaticus, incomparabilem Voſſium intelligo, Art. Grammat. lib. 7. cap. 16. non ſolum exempla adducit, quibus *inferior* cum Dativo jungitur, veluti Salluſt. *Nulli rei bellicæ laude inferior*, & Plin. *Nulli omnium celeritate inferior eſt*: ſed hanc quoque idoneam ſubnectit rationem, quod nimirum vox *inferior*, non tanquam comparativus, ſed propter nativam ſignificationis indolem Dativum poſt ſe adſciſcat; idem quippe ſonat *nemini* vel *nulli inferior*, quod *nemini* vel *nulli ſecundus.* Idem forte de comparativo *prior* dicendum: Lib. autem VIII. 8. Crafordio, pro [*Joanni* Bal-

ejus deterriti, ſpe abjecta inſtaurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſeſe ad ſua privata quiſque negotia contulerunt. In aula, ſacerdotia aut vendebantur, aut adulatoribus & turpium voluptatum adminiſtris in præmium cedebant. Hæc, ne rerum ſeries ſæpius interrumperetur, quanquam diverſis temporibus geſta, in unum locum contulimus, ut memorabili exemplo miſeriam illius temporis ante oculos exponeremus. Facilis enim hinc conjectura eſt, quibus in malis inferiorum ordinum homines verſarentur, cum omni virtutis genere vir clarus, & idem Regia magnarumque familiarum propinquitate ſubnixus, a paucis infimæ ſortis nebulonibus, fuerit inimicorum ludibrio & crudelitati expoſitus. Nunc ad alia, quæ per ea tempora evenerunt, redeamus.

XXXVI. Anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, cum, ex MCD
decreto publico, adverſus Joannem Inſularum Regulum, qui aliquot jam pro- LXXVI.
vincias occupaverat, & maritimas continentis regiones late populabatur, Rex ipſe terreſtri itinere proficiſci ſtatuiſſet, & Crafordiæ Comitem, tum maris Præfectum, cum claſſe eſſet miſſurus: Regulus, tantis apparatibus impar, ſuadente Atholio Regis patruo, venit in aulam ſupplex, ac ſe Regi permiſit. Ademtæ ei, quas per vim ceperat, provinciæ, Roſſia, Kintera & Cnapdalia: inſularum imperium relictum. Eodem anno, controverſia cum Anglis, jamjam in bellum eruptura, finem habuit. Navem Scoticam, ab Jacobo Kennedo ædificatam, qua majorem ad eum diem in Oceano viſam non meminerant, vis tempeſtatis in littus Anglicum impegerat: bona ab Anglis direpta, ac ſæpe fruſtra repetita. Hæc per aliquot annos cum lis animos diſtinuiſſet, [1] Legatione tandem honorifica in Scotiam miſſa, cujus principes erant Epiſcopus Dunelmenſis, & Scrupus homo nobilis; ab iis, cum Eduardus fortunæ inconſtantia jactatus, [2] pecuniis tam diuturno bello exhauſtus, requiem ab armis

Ballioli gradu priorem] legi jubenti [*Joanne*,] morem geſſimus, non quod iſtam loquendi formulam a Latino ſermone abhorrere exiſtimemus, ſed quod mox ſequatur [*nempe nepotem pronepote.*]

1 *Legatione tandem honorifica*, &c.] Male hic interpungitur in omnibus libris ſententia, utpote his vocibus [*Scrupus homo nobilis*] terminata. Nos igitur minori diſpunctione poſt [*nobilis*] interpoſita, totam utcunque reſtituere non dubitavimus. Non inficior tamen periodum paullo facilius ſic progreſſuram; *Hæc per aliquot annos cum lis animos diſtinuiſſet, legatio tandem honorifica in Scotiam miſſa eſt, cujus principes erant Epiſcopus Dunelmenſis, & Scrupus homo nobilis. Ab iis*, &c. Vel ſic; *Hæc per aliquot annes* ——— *diſtinuiſſet, legatione tandem honorifica i. S. miſſa, cujus p. e. E. D. & S. homo nobilis, res eſt compoſita. Ab iis*, &c. Verum nihil mutandum, optimi enim auctores ita nonnunquam ſcripſere: veluti, Cæſar. Bell. Gall. lib. 3. cap. 22. *Alia ex parte Adcantuanus, cum DC devotis, quos illi Soldurios appellant; quorum hæc eſt conditio; ut omnibus in vita commodis una cum bis fruantur quorum ſe amicitiæ dediderint: Si quid iis per vim accidat; aut eundem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſciſcant: neque adhuc hominum memoria repertus eſt, qui eo interfecto cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret: cum iis Adcantuanus eruptionem facere conatus* &c. Terent. Heaut. I. 1. 79. *Sed gnatum unicum: Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius, Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea eſt, Ego eum hinc ejeci miſerum injuſtitia mea.*

2 *Pecuniis tam diuturno bello exhauſtus*] Ita Cic. *Civitates bonis exhauſtæ. Hortus floribus exhauſtus.* Liv. lib. 1. cap. 57. *Rex Romanus exhauſtus magnificentia publi-*

mis libenter amplecteretur, facile renovatæ ſunt induciæ, eis legibus, ut [1] navis direptæ, & bonorum quæ inerant, pretium per viros bonos æſtimaretur, ac bona fide redderetur.

XXXVII. Eodem anno, Legati ad Carolum Burgundum ad ſedandas mercatorum querelas miſſi, cum in Flandriam appuliſſent, ibi comiter accepti. Ab eis aliquando forte fortuna invitatus, ut una cœnaret, Andreas quidam, Medicinæ profeſſor, & qui magnam Aſtrologicarum prædictionum habere putabatur peritiam. Is, audita eorum adventus cauſſa, ſeductos occulte admonuit; „Non eſſe cur magnopere feſtinarent, intra paucos enim dies certum „de Duce nuncium affuturum. Nec prædictioni defuit eventus: nam, [2] intra triduum, eſt renunciatum, Ducem, exercitu profligato ad Nancæum Lotharingiæ oppidum, ab Helvetiis eſſe interfectum. Ita illi, rebus ob quas profecti erant infectis, reverſi, cum apud Regem Andreæ de rebus futuris præſcientiam mire laudaſſent, animum ejus in eas artes proclivem impulerunt, ut magnis pollicitationibus hominem ad ſe arceſſeret, ac non ita diu poſtea advenientem benevole exciperet, & opulento ſacerdotio aliiſque muneribus donaret. Ab hoc autem cum Rex accepiſſet (uti fama eſt) ſibi a ſuis exitium imminere, eaque dictio cum maleficarum mulierum (quibus immodice deditus erat) reſponſis conſentiret, quæ prædixerant fore, „Ut leo a catulis ſuis extingueretur,„ e Principe, ab initio indolis optimæ & ſummæ ſpei, ac ne tum quidem penitus depravato, in immanem tyrannum degeneravit. Suſpicionibus enim animo ſemel occupato, ſanguine proximos, & fere optimum quemque e Nobilitate pro inimico habebat. [3] Proceres autem, cum ob hanc ipſam cum hoc malefico genere hominum conſuetudinem, Regi erant infenſi, tum longe magis, ob aulicos quoſdam, infimæ ſortis homines, quibus, Nobilitate contemta, ſolis conſultoribus utebatur. Eorum hi principes erant, Thomas Præſtonus, honeſto loco natus, ſed qui Regi omnibus in rebus obſequi in animum induxerat; Robertus Cocheranus, homo magnis corporis viribus, ac pari audacia, qui cum e certamine quodam ſingulari cognitus Regi fuiſſet, ſtatim ex architecto aulicus factus, & ad ſpem vitæ liberalioris erectus, brevi, diligenter obeundis levioribus negotiis, & Regis moribus obſequendo, perfecit, ut ad intima de rebus magnis conſilia adhiberetur, ac gener a Præſtono eligeretur. Tertius erat Gulielmus Rogerus, Anglus cantor, qui cum Regis Angli Legatis in Scotiam ingreſſus, poſtquam ſemel & iterum Regi auditus placuit, ab

eorum operum. Quidam tamen [*exhauſtis*] hic forte legendum malint.

1 *Navis direptæ*] Ita legendum cum MS. monſtrat hoc ipſo Cap. lin. 9. Editis tamen omnibus [*naves*] perperam legitur.

2 *Intra triduum*] Occiſus eſt, Carolus Burgundiæ Dux Nonis Januarii anno 1477. Cæterum credulitatem nimiam (quam ei nec immerito objicere videtur Jac. Melvillius, Memor. pag. 125.) hic prodit Buchananus; nihil enim hac de re apud alios ejus temporis ſcriptores reperio.

3 *Proceres autem*] Vide hac de re Abercrombium, qui Jacobi III. vitam longe diverſo ordine deſcribens, omnes qui mox ſequuti ſunt in Scotia tumultus, civileque adeo bellum, non niſi Regis ſanguine reſtinctum, a proceribus ipſis nimio otio laſcivientibus, pravaque Ducis Albiniæ regno imminentis ambitione, ortum habuiſſe, nec ſpernendis quidem argumentis, contendit.

1 *Vena*

ab eo retentus, & divitiis auctus, brevi in Equeſtrem ordinem eſt aſcriptus. Cæteri, e contemtiſſimo genere hominum, viliſſimarum artium opifices, & ſola improbitate & audacia commendati.

XXXVIII. De aula ab hoc hominum genere purganda cum Nobilitatis convocatio fieret, principibus duobus Regis fratribus, ejuſque paullatim prodirent indicia; Joannes, minimus natu fratrum, cæteris incautior, cum temere de ſtatu regni liberius locutus fuiſſet, ab aulicis arreptus, & in carcerem conjectus, a domeſtico Regis concilio condemnatus, ac [1] vena reſciſſa mori eſt coactus. Cauſſa mortis in vulgus edita eſt, quod cum fœminis veneficis clam conſilia conferret in Regis caput. Id crimen verum ut videretur, decreta adverſus veneficias quæſtione, ad duodecim earum, quarum viliſſima erant capita, crematæ. Mors Joannis conjurationem, jamjam (ut videbatur) erupturam, magis repreſſit, quam diſcuſſit.

XXXIX. Alexander, ut genere, ita periculo proximus, quamvis omnes a ſe, quoad potuit, ſuſpiciones amoveret, tamen per miniſtros Regios, qui nunquam eo vivo ſibi ſatis conſultum credebant, ſubito in arcem Edimburgenſem raptus eſt. Ibi cum diligenter aſſervaretur ab eis, qui ejus potentiam ſibi exitiabilem rebantur, nec per neceſſarios animum Regis placare poſſet, [2] conſilium clam, quando aliter non poterat, evadendi cepit, conſcio cubiculari tantum miniſtro, quem unum e ſuis ſibi relictum habebat. Per eum naviculam conduxit, quam in ſtatione proxima paratam eſſe juſſit. Deinde, crebris ex aula nunciis commeantibus, qui coram cuſtodibus (nam ſecreto colloqui non licebat) fingerent Regem placabiliorem fieri, ac brevi ſpem libertatis oſtentarent: cum deſtinatus ad evadendum dies appeteret, vultu, quantum in illa fortuna potuit, ad hilaritatem compoſito, ſimulat, „Se plane nunciis „credere, Regem ſibi conciliatum eſſe, nec diu ſe ſperare in ea cuſtodia fu„turum: lautam cuſtodibus cœnam dedit, & ad multam noctem una cum eis bibit. Illis diſcedentibus, & vino copioſiore in ſomnum ſolutis, ſolitudinem nactus, e linteis lectuli ſui ſtragulis funem concinnavit, pro altitudine (ut rebatur) muri ſatis longum: ac primum, ut periculum faceret, miniſtrum demiſit, e cujus caſu, breviorem juſto eum eſſe intellexit. Aucto igitur pro præſenti copia fune, ipſe ſecutus miniſtrum, qui in deſcenſu crus fregerat, in humeros ſublatum circiter mille paſſus ad mare tulit, ac ventum ſecundum nactus Dumbarum navigavit: [3] arceque adverſus vim ſatis communita, cum paucis in Franciam abiit. Eo abſente, Andreas Stuartus Cancellarius, cum exercitu ad arcem capiendam miſſus. Eam cum aliquot menſes, fortiter a præſidio defenſam, oppugnaſſet, tandem, qui intus erant, omnibus neceſſitatibus circumventi, naviculas nacti, noctu clam in Angliam diſceſſerunt: poſtridie arx vacua recepta eſt. Cæſi ex obſidentibus aliquot Equites clari.

XL.

1 *Vena reſciſſa mori eſt coactus*] Alio modo rem narrat Drummondus.

2 *Conſilium clam ——— evadendi cepit*] Ita MS. alii omnes [*cæpit*] male.

3 *Arceque adverſus vim ſatis communita*] Elzev. anni 1668, & Moſmanniana 1700 Editt. *non ſatis communita*, præter rationem ac omnium antiquiorum codicum fidem interpolarunt.

XL. [1] Circa hæc tempora, Regibus Scotorum & Anglorum malis domeſticis fatigatis pacis cupido inceſſit. Miſſa, ad eam conficiendam, Legatio, ab Anglis benevolenter excipitur: [2] nec de pace modo conventum, ſed, ad eam confirmandam, adjecta affinitas, ut Cæcilia, Eduardi filia, Jacobi Scoti filio, cum primum [3] nubendo maturuiſſent, nuberet: pars etiam dotis repræſentata, ea lege, ut, ſi utriſque puberibus nuptiæ non ſequerentur, dos Anglo redderetur: dati prædes aliquot oppidorum cives. Sed ea pax non diuturna fuit: nam ex odio vetuſto, & reſidua e ſuperioribus bellis ira, incurſionibus utrinque factis, abactiſque prædis, & villarum incendiis, ita utrinque animi ſunt inflammati, ut ex mutuis injuriis res in apertum bellum erumperet. Erant & præter has ſuæ utriſque cauſſæ. Anglum incitabant Duglaſſius quidem vetus, Alexander autem Regis frater novus exul. Nam Alexander in Galliam, uti diximus, profectus, uxorem accepit filiam Comitis Bononiæ maritimæ: ſed cum a Ludovico Undecimo, qui tum imperitabat, impetrare non poſſet ad ſua recuperanda copias, in Angliam tranſvectus ibi, ſe ſperans aliquid moturum. Jacobum autem Scotorum Regem ad bellum incitabat Ludovicus Gallus, Roberto Irlando Scoto, Doctore Sorbonico, cum duobus Equitibus Gallis, ad id miſſis.

XLI. Igitur, violata pace, quanquam res Scotica, vaſtatis aliquot regionibus, pejore in loco erat, decreto etiam in Anglia magno exercitu, qui ductu Gloceſtrii Scotiam invaderet, Rex tamen, & qui circa eum erant, inviti exercitum indicunt. Homines enim nuper egeni, & qui ex aliorum calamitatibus creverant, Regique impotentium conſiliorum auctores fuerant, nihil magis metuebant, quam Nobilitatis infenſæ frequentem conventum. Cum Lauderam ventum eſſet, oppidum & Martianis & Tevioticis finibus vicinum, quæ regiones aut ab hoſte vaſtatæ, aut per vim parere coactæ fuerant, Rex nihil de ſuperiorum temporum ratione omittebat: Nobilitati enim diffiſus, omnia per domeſticum concilium tranſigebat. Proceres, eam indignitatem non tolerandam diutius rati, [4] in templum oppidi de tertia vigilia coierunt. Concilio jam ſatis frequenti, Archibaldus Duglaſſius Anguſiæ Comes conveniendi cauſſam ita explicaſſe dicitur.

„XLII.

1 *Circa hæc tempora*] Imo vero diu ante, uti ex ipſis pacis & matrimonii tabulis 26 Octob. anno 1474 ſcriptis videre eſt. Fœd. Angl. Tom. 11. pag. 824.

2 *Nec de pace modo*] Excidit editis omnibus vox [*pace*] quam nos e MS. repoſuimus. In conventione quidem ipſa *induciæ* vocantur; ſed eæ cum 45 annorum eſſent. ab anno *ſcil.* 1474 ad 1519, *pacis* appellationem non inepte promerebantur.

3 *Nubendo maturuiſſent*] Forte [*maturuiſſet*] Buchananus ſcripſerit, cum *nubo* verbum ſit fœminarum, non virorum proprium.

4 *In templum oppidi*] Ita MS. alii omnes nullo fere ſenſu [*in templum oppido*] legunt. Credibile tamen eſt vocabulum hic librariorum incuria intercidiſſe, atque a Buchanano ſcriptum fuiſſe [*in templum oppido vicinum.*] Quanquam enim templum Lauderæ intra oppidi pomeria ſit nunc ædificatum; olim tamen modico intervallo ab eo diſtabat. Lindeſius certe Pitſcottienſis Scotorum aciem inter oppidum & templum inſtructam ſtetiſſe teſtatur. Ineptiunt qui hic [*oppido*] adverbium eſſe ſomniantur.

1 *Si*

„XLII. Non arbitror neceſſe, viri clariſſimi, ut ſtatum rerum Scoticarum plu-
„ribus declarem: partim enim ipſi meminiſtis, partim ante oculos videtis. Princi-
„pes Nobilitatis, in exilium pulſi, aut pati intoleranda, aut nefaria facere coguntur:
„vos autem, in quibus omne regni eſt robur, ſine capite relicti, velut navis ſine
„gubernatore, omnibus fortunæ procellis & tempeſtatibus eſtis objecti. Ager noſter
„uritur, fortunæ diripiuntur, agricolæ aut cædibus exhauſti, aut, quia nullum in
„tot malis aliud proſpiciunt allevamentum, hoſtibus dediti. Rex vero,[1] ſi ſui com-
„pos eſſet, homo & animi generoſi, & raræ prudentiæ, malis venenis expu-
„gnatus, non ad procerum cœtum, ſed ad infimæ ſortis homines, de pace,
„de bello, de ſalute publica refert. Illi ariolos conſulunt, & maleficorum re-
„ſponſa ad animum ægrum, & pravis ſuperſtitionibus captum adhibent: &
„de noſtrûm omnium incolumitate, decreta iſtis auctoribus fiunt, qui, quod
„omnibus jure ſe inviſos intelligunt, omnes oderunt: nec veſtram auctoritatem
„imminuere, ſed univerſos omnibus artibus extinguere contendunt. [2]Partim
„jam veſtrum morte, partim exilio ſuſtulerunt: neque, ut homines novi ſo-
„lent, gradatim ad ſumma nituntur; ſed in Regio ſanguine tirocinium cru-
„delitatis & avaritiæ exercent: alterum e Regis fratribus trucidarunt immaniſ-
„ſime, alterum patriæ metu mortis abſtulerunt, & hoſtibus noſtris ducem
„dederunt. Illis jam e medio ſublatis, reliquæ Nobilitati imminent, & ſuæ
„humilitatis conſcii, nihil eminens aut excelſum ſupereſſe volunt. Quicunque
„habent aut divitias ad eorum avaritiam explendam, aut potentiam ad audaciæ
„reſiſtendum, hunc pro hoſte ſibi numerant. Et nos interea caſtra adverſus
„Anglos habemus, ut hoſti publico reſiſtamus: tanquam ullus ſit hoſtis capita-
„lior eo, qui nec bonis veſtris cupiditatem, nec ſanguine crudelitatem explere
„poteſt.

„XLIII. Ut autem intelligatis, quam hæc peſtis inteſtina ſævior, quam illa
„externa ſit, fingite Anglum (quod Deus avertat) victorem, veterum offenſa-
„rum memorem & felicitate præſenti elatum: quem tandem odiorum ſuorum finem,
„aut quod præmium victoriæ ſtatuet? Regiſne inimici mortem, an veſtram?
„Ego certe neutrum exiſtimo. Non enim de vita, ſed gloria & imperio, no-
„bis eſt certamen: & generoſus animus, ut adverſus reſiſtentes vehemens eſt
„& concitatus, ita precibus, obſequio, ipſa denique inſtabilitatis humanæ re-
„cordatione mitigatur, & ad lenitatem inflectitur. Sed demus, hoſtem iratum
„ſanguinem Regium & cædem quærere. Uter tandem mitius conſulere vide-
„tur? Iſne, qui una cum vita omnium malorum ſenſum adimeret? an qui,
„quem ſecundum Deum amare & obſervare debent, ad quotidianam carnifi-
„cinam reſervant? qui animum, veneficiis obſeſſum, in exitium propinquorum
„armant? qui Regem, inimicorum armis prope circumventum, velut capti-
„vum

1 *Si ſui compos eſſet*] Ita ex MS. itidem repoſuimus vocem [*ſui*] quæ editis omnibus exciderat.

2 *Partim jam veſtrum morte, partim exilio ſuſtulerunt*] Fruſtra ſunt recentiores quidam codices qui [*partem*] non [*partim*] hic legendum voluerunt. Veteres enim [*partim*] hoc pacto adhibuiſſe oſtendunt Voſſius lib. 7. cap. 64. Sanctius l. 4. 13. Gronovius Obſer. lib. 3. cap. 2. & in primis Agell. lib. 10. cap. 13.

1 *To-*

„vum detinent; neque permittunt, ut ſuorum vultus aliquando aſpiciat, benevolentiam intelligat, operam & ſtudium experiatur? Non tam hoſtes exiſtimandi ſunt, qui, caſtris ex adverſo poſitis, odium ſuum palam profitentur, quam qui domi ex inſidiis veſtræ ſaluti imminent. Regem, alienatum ab amicis, inimicis produnt, vos duce deſtitutos hoſtilibus armis objiciunt: a quibus ſi victi mortem effugeritis, tamen in ſervitutem & ignominiam incidetis; ſin viceritis, non quietem vobis, opes patriæ, Regi gloriam comparabitis; ſed inimicis veſtris graſſandi licentiam in præſentia, in futurum ſecuritatem, vobis ipſis peſtem ac perniciem, Regi arctiorem ſervitutem conciliabitis: nec vincendo mala fugiemus externa, ſed domeſtica augebimus. Mea igitur ſententia, ut paucis comprehendam, hæc eſt, ut prius domeſticum ſervitutis jugum exuamus, quam cum exteris manum conſeramus. Alioqui enim paucorum libidini omnes ſerviemus, hoſtium opes augebimus, & publicam ſalutem prodemus. Vos quod faxitis Deum velim fortunare.

XLIV. Secundum Duglaſſii orationem, non jam conſultatio erat, ſed murmur confuſum [1] totius fuit concionis, arma in hoſtem publicum poſcentium. Ita enim inflammati erant omnium, qui affuerant, animi, ut, ni ducerentur, extemplo erupturi in Regiam viderentur. Verum qui ætate, honoribus & auctoritate principes erant, ſedato tumultu, (quod metuebant, ne in temerario forte plebis impetu Rex violaretur,) cenſent; „Ut primores, aſſumto quiſque familiarium, quantus eſſet ſatis, numero, ſine majore motu exercitus, in prætorium proficiſcerentur; noxios, penes quos ſumma rerum erat, comprehenderent; eos in judicium ad exercitum producerent, ac pœnas ſecundum leges expeterent.

XLV. Interea dum hæc geruntur, rumor in aulam promanat; „Proceres, ante lucem coactos, in templo conſultare, incertum qua de re; ſed magnam ſane videri, quæ, Rege ejuſque conſiliariis ignorantibus, tales viros coëgerit. Rex trepide e ſomno experrectus, & ipſe, quid [2] optimum factu videatur, e ſuis quærit. Interim Cocheranum præmittit, qui quid agatur obſervet, & omnia certiora referat. Is, dum paucis comitatus ad templum proficiſcitur, occurrit primoribus Nobilitatis in aulam venientibus: ei ſtatim Duglaſſius manum injicit, ac torque aureo magni ponderis, quod geſtabat, apprehenſo, gula paullum conſtricta, dat cuſtodiendum: ipſe recta ad Regis cubiculum pergit. Qui ibi aderant, vel repentino ejus acceſſu attoniti, vel majeſtatem hominis reveriti, ſeſe continuerunt. Ibi cæteris, qui Regem pravis conſiliis corrumpere credebantur, arreptis, unum adoleſcentem, ſe amplexum, ut ſibi condonarent, Rex oravit: is erat Joannes Ramiſæus, honeſto loco natus, quem,

1 *Totius fuit concionis arma in hoſtem publicum poſcentium*] [*fuit*] hic abundare videtur, cum [*erat*] modo præcedat. Præterea [*concionis poſcentium*] quibuſdam inſolens forte videbitur; verum innumera ejuſmodi ſuppetunt exempla.

2 *Quid optimum factu videatur*] [Veteres in hac loquendi formula maluiſſe dicere *Optimum factum videtur*, obſervarunt viri docti. vid. Colvium ad Apulej. pag. 16 Pricæ. pag. 37. Schott. obſerv. Human. III. 40. & Comm. ad Salluſt. Jug. 115. certe ita *bonum factum* præſcribebant edictis & ſimilibus]

1 *Titu-*

quem, excuſatione ætatis facile accepta, dimiſerunt. Cæteri cum in jus ducerentur, exortus eſt, cum clamore totius exercitus, tumultus, omnibus vociferantibus, „Malos male perdendos. Statim igitur ad ſupplicium rapti, vitam ſuſpendio finierunt: idque tanto univerſorum ſtudio in eorum exitium, ut cum funes, in re ſubita, deeſſent, ſinguli lora jumentorum, & frenorum habenas, cum in uſum offerrent: ac vehementer contenderent, quis potiſſimum hoc honore potiretur.

XLVI. Plurimis adverſus privatos injuriis hæc aulica factio premebatur: in publicum his maxime, quod novæ monetæ æneæ fuiſſent auctores cudendæ, quam invidioſo nomine vulgus Nigram appellabat: hinc primum orta erat omnium rerum caritas; deinde etiam fames, dum venditores potius frumenta domi corrumpi ſinerent, quam venditionis prætextu emtoribus condonarent. Sed, ne omnino commercia inter cives ceſſarent, unum contrahentibus inventum eſt remedium, ut in contractibus adjicerent, quo genere monetæ ſolutio fieret. Cuderant & id genus numiſmatis aliquot ſuperiorum Regum, ſed magis ad uſum neceſſarium pauperiorum, quam ad ſuum quæſtum: ac legibus etiam caverant, ultra quam ſummam venditores non cogerentur accipere: ita rerum tenuium hinc erat emtoribus commoditas, &, ne ditioribus permutatio fraudem afferret, ſatis proviſum videbatur. Dabatur etiam crimini, Regis animus a Nobilitate averſus, & ad magicam inſaniam converſus, atque in propinquorum cædem impulſus. Sed Cocherano maxime invidioſus fuit [1] titulus Comitatus Marriæ; quam regionem Rex, extincto minore fratre, vel ei donaverat, vel regendam commiſerat. Pravis conſultoribus e medio ſublatis, cum nec Rex militi, nec miles Regi confideret, ſoluto exercitu, domum eſt reditum.

XLVII. Rex, etſi in præſentia iram ſupprimeret, ac multa & præclara Nobilitati polliceretur, nihil aliud tamen in animo, quam vindictam, cædem & ſanguinem coquebat. Itaque, ubi primum ſui potens ſibi viſus eſt, [2] ſe in arcem Edimburgenſem cum paucis abdidit. Nobilitas, in eventum ſuſpenſa, ſua ſeorſum concilia habebat. Anglus, ſuadente maxime Alexandro, qui, ſimulac Scotiam attigiſſet, magna equitum peditumque auxilia conventura, & Nobilitatem cum Rege diſcordem ſuam fore, pollicebatur, fratrem ſuum Richardum, Gloceſtriæ Ducem, copiis per hiemem coactis præficit; atque in Scotiam ducere jubet. Is adulta jam æſtate iter ingreſſus, intellecto quo in ſtatu res Scotorum eſſent, Bervicum divertit. Admiſſus ſtatim in urbem, quatuor millibus ad obſidendum arcem relictis, cum cæteris copiis Edimburgum recta ducit, fœde vaſtatis, per quæ ierat, locis. At, ducente Alexandro, ſine maleficio urbem ingreſſus, Jacobum (quoniam alloquendi ſpes nulla erat) edicto

1 *Titulus Comitatus Marriæ*] Negant alii ſcriptores Cocheranum Marriæ Comitem creatum, ſed tantum ejus regionis fructus colligendi curam (quod & Buchananus mox affirmat) ei commiſſam. Vide Abercrombium pag. 449, hæc & alia Regi a perduellibus vitio data aut egregie refutantem, aut vindicantem.

2 *Se in arcem Edimburgenſem cum paucis abdidit*] Alii tamen captivum ductum, atque in arcem Edimburgenſem incluſum, appoſito cuſtode ipſius patruo Atholiæ Comite, tradidere; quod & ipſe Buchananus innuere videtur, mox Cap. 50.

edicto palam in foro propoſito, admonuit; „Primum, ut, quæ cum Eduar-„do pepigiſſet, ſervaret: deinde, ut, ante Cal. Septembres proximas, de „damno dato, & injuriis adverſus Anglos perpetratis, ſatisfaceret: id ni fiat, „Richardum Gloceſtriæ Ducem, eum regnumque ejus ferro flammaque per-„ſecuturum.

XLVIII. Ad hæc Jacobus, cum videret, ſe neque in præſentia, quæ po-ſtularentur, poſſe perficere, neque vires habere, quibus hoſtium vim pro-pelleret, nihil prorſus neque ſcripto, neque per nuncios reſpondit. Sco-torum autem primores, [1] a ſuo Rege deſtituti, ne tamen omnino ſaluti publicæ deeſſent, coactis iterum copiis, ad Hadinam caſtra poſuerunt: atque, ut imminentem calamitatem ſaltem levarent, & victoriæ curſum ſiſterent, Legatos ad [2] Gloceſtriæ Ducem miſerunt, qui peterent: „Ut nuptiæ, jam-„pridem promiſſæ, conficerentur: oſtenderent, per Scotos non ſtaturum, „quo minus, in quæ conventum fuerat, optima fide præſtarentur. Anglus, qui ſatis ſciebat, Scotos aleæ pugnæ rem non commiſſuros, cum & pars vi-rium ipſorum cum Alexandro, homine vulgo gratioſo, apud ſe eſſet, & re-liquos factionibus diſtrahi non ignoraret, reſpondit; „Non ſibi ſatis comper-„tum eſſe, quid Rex Anglus eo de matrimonio decreviſſet: interim pecuniam, „quæ Jacobo dotis nomine erat repræſentata, æquum ſibi ſtatim reddi cen-„ſebat. Pacem vero ſi vellent, promitterent, ſe arcem Bervici redditurost: „aut, ſi id minus poſſent, ſancte jurarent, ſe nec obſeſſis ullam opem, nec „obſidentibus moleſtiam allaturos, donec aut vi capta, aut conditionibus dedita „arx foret. Ad ea Scoti per Legatos reſponderunt, „Matrimonium nondum „confectum eſſe, nulla ſua culpa, ſed ob immaturam ſponſi ſponſæque ætatem. „Pecuniam, cujus ſolvendæ dies nondum adveniſſet, nondum deberi. De „ſolvenda, ſi non ſatis cautum videretur, amplius cauturos. Bervici arcem, „in ſolo Scotico a Scotis ædificatam, ſuæ ditionis eſſe, ac per multa ſecula „fuiſſe. Eam ſi aliquando Angli interceperint, aut per vim tenuerint, nihil ea „injuria jus vetus imminutum fuiſſe.

XLIX. Gloceſtrius, qui ſuperior viribus erat, in ſententia perſtabat; neque juris diſceptationem ullam audiebat. [3] Eodem die, Calenus Cambellus Argathe-liæ Comes, & Andreas Stuartus Cancellarius, duo item Epiſcopi, Fani An-dreæ & Dumblani, miſerunt ad Alexandrum, qui in caſtris Anglorum ad Le-thintonum erat, ſuis diploma ſigillis & chirographis confirmatum; „Si Regi „dicto audiens eſſet, ſe curaturos, ut, in proximo conventu publico, bonis „reſtitutis, omnium anteactorum impunitate donaretur: hæc omnia ita futura „fide interpoſita. Alexander, re cum Gloceſtrio communicata, ab eo benevo-le dimiſſus, ad ſuos rediit. Coacto concilio, ſumma imperii ad eum omnium

con-

1 *A ſuo Rege deſtituti*] Imo vero, pri-mores Regem ſuum fœde & alieniſſimo patriæ tempore deſtituerant.

2 *Richardum Gloceſtriæ Ducem*] Ita MS. & in præced. Cap. bis, aliis tamen libris [*Richardum Gloceſtrium Ducem*] legitur.

3 *Eodem die*] *i. e.* 2 Auguſti 1482, ut patet ex ipſa conventione Fœd. Angl. Tom. 12. pag. 161. quod tamen ex Bu-chanani textu nulla ratione elici poteſt.

1 *Ad*

conſenſu defertur: ſtatim ad eoſdem relatum, de obſidione Bervici ſolvenda. Prudentioribus viſum eſt, tam periculoſo tempore, cum omnia ſeditionibus domeſticis eſſent adeo perturbata, ut vix, quietis hoſtibus, fortunæ ſævientis impetus ſiſti poſſet, pacem quavis conditione faciendam. Videbant enim perſpicue, ſi hoſtem tam potentem vincerent, ſe magis eum irritaturos, quam abſterrituros: ſin ipſi vincerentur, incertum eſſe, quemadmodum hoſtis, natura ferox, & rebus ſecundis inſolentior factus, victoria eſſet uſurus. Hæc, etſi nonnulli ferociores, quam pro tempore, occlamarent, ſententia in concilio vicit. Poſt alias atque alias conditiones fruſtra jactatas, tandem, ad [1] ſeptimum Calendas Septemb. anni milleſimi quadringenteſimi octogeſimi ſecundi, conven- MCDL
tum, ut arx Bervici dederetur, ac induciæ in paucos menſes darentur, donec XXXII.
de pace per otium tractari poſſet. Ita Bervicum, [2] viceſimo uno anno poſtquam ad Scotos redierat, redditum fuit Anglis. Glocestrius, re foris bene geſta, cum ſumma gratulatione ad ſuos eſt reverſus. Eduardus, de concilii ſententia, cenſuit, quæ de nuptiis pactus erat, irrita fieri, magis e re Anglica eſſe: quod, in tantis inteſtinis diſſidiis, [3] metueret, ne Jacobi poſteritas regno pelleretur: atque in Alexandrum, quem, ſi Regem feciſſet, tanto beneficio ſibi obnoxium perpetuo in amicitia permanſurum ſperabat, pronior erat. Fœcialis Edimburgum eſt miſſus, qui affinitatem renunciaret, & dotem repoſceret. Is ad octavum Calendas Novembris cum ſui adventus cauſſam publice declaraſſet, cives, impetrato ad ſolutionem die, bona fide pecuniam reddiderunt: datis fœciali, qui Bervicum uſque eum proſequerentur.

L. Alexander, ut ſi qua eſſent reſidua fratris erga ſe odia, ea mitigaret, & novo beneficio novam iniret gratiam, [4] eum, ex arce deductum, in liberam regni

1 *Ad ſeptimum Kal. Sept.*] *i. e.* 26 Aug. 1482. Ferrerius tamen 24, Leſlæus 23 ejus menſis Bervicum in Anglorum poteſtatem veniſſe tradunt.

2 *Viceſimo uno anno*] Ita MS. princeps Editio Edimb. Genev. Francof. & Lud. Elzev. anni 1643: & quidem recte. Vid. ſupra ad Lib. XII. 25. Importuna igitur diligentia eſt Edit. Per. Elzev. anni 1668. & Moſmanni 1700, pro [*uno*] [*primo*] reponentium.

3 *Metueret ne Jacobi poſteritas regno pelleretur*] Imo vero operam dabat, quam & antea ſe daturum Alexandro Albino receperat, ut Jacobus ejuſque poſteritas regno pelleretur. Prodiit nuper in lucem ſcriptoribus noſtris antea incognitum hujus rei teſtimonium, apud Rymerum Fœd. Angl. Tom. 12. pag. 156, conventio *ſcil.* inter Alexandrum Albiniæ Ducem & Eduardum Regem Angliæ 10 & 11 Junii 1582 ſcripta, in qua Albinus (qui ſe *Alexandrum dono Regis Angliæ Scotorum Regem* appellat) ſolenniter promittit, „1. „Se quam poſſet maximas Eduardo An„glo adverſus quoſcunque Principes & „mortales ſuppetias laturum. 2. Se, in„tra ſex menſes poſt ſubditum ſibi Scoto„rum ſceptrum, Angli beneficiarium „profeſſurum. 3. Se oppida & arces Ber„vici & Lacus Mabani, regioneſque „Liddaliam, Eſciam & Annandiam di„tioni Anglicæ in perpetuum ſubjecturum. „4. Se Fœderi Gallico renunciaturum. „5. Se, repudiata, ſi fieri poſſet, uxo„re, Cæciliam Eduardi filiam ducturum. „Contra ea paciſcitur Anglus, „Se ſum„ma ope adnixurum, ut, Jacobo fratre „exauctorato, Alexander regnum apud „Scotos adipiſceretur, atque in eo reti„nendo adverſus Jacobum, qui tunc re„rum potiebatur, validis auxiliis ſuffulci„retur.

4 *Eum, ex arce deductum, in liberam regni*

regni poſſeſſionem reſtituit. Sed plus apud animum impotentem valuit veterum offenſarum, quam recentis beneficii memoria. [1] Accedebant ad priores ſuſpiciones calumniæ inimicorum Alexandri, qui nimiam ejus popularitatem aſſidue criminabantur: idque non dubium affectati regni argumentum eſſe aſſeverabant. [2] Ille admonitus per amicos, conſilia adverſus ſuum caput in aula agitari, clam in Angliam ſeceſſit, arcemque Dumbarum Eduardo tradidit. Alexander abſens damnatus eſt. Crimini ei datum, quod in Angliam primum frequentes nuncios miſiſſet: deinde, non impetrato a Rege commeatu, illuc ipſe tranſiſſet: cum Anglo, adverſus patriam Regiſque caput, conſilia coiſſet. Cæteris omnibus earum rerum conſciis venia data, & in iis Gulielmo Crichtonio, quem, non modo conſiliorum omnium adverſus patriam ſocium, ſed etiam auctorem & impulſorem fuiſſe arguebant. Verum, poſt veniam præteritorum ſemel impetratam, iterum accuſatus, quod literis aſſiduis Alexandrum jam damnatum confirmaret, conſilioque inſtrueret; idque per Thomam Dicſonum ſacrificulum: quod arcem Crichtonium curaſſet adverſus Regem muniendam, eamque non dedendi præſidiariis auctor fuiſſet. In jus adeſſe juſſus, ad XVI. Calendas Martias, anni milleſimi quadringenteſimi octogeſimi quarti:
MCDLXXXIV. quo die cum non affuiſſet, ipſi aqua & igni interdictum, bona in fiſcum redacta.

LI. Hæ quidem in acta publica cauſſæ ſunt redactæ. Verum odium Regis, ob cauſſam privatam conceptum, plus ei nocuiſſe creditur. Erat Gulielmo uxor, e nobili Dumbarorum familia nata, atque inſigni pulchritudine: [1] eam

regni poſſeſſionem reſtituit] Exſtat in Actis Scoticis ea de re Jacobi III. inſtrumentum, quo Alexandrum Ducem Albiniæ Comitatibus Marriæ & Gariochæ donavit, hac memorabili cauſſa adjecta, *Pro noſtram de carceribus ex caſtro noſtro de Edinburgh liberando perſonam; dignitatem ſuam ac nobilem perſonam gravibus vitæ exponendo periculis, dictum caſtrum de Edinburgh obſidendo, ex quo inſultu noſtra jam perſona grata libertate congaudet.* Ibidem quoque exſtat ejuſdem Regis diploma, quo varia privilegia Senatui populoque Edimburgenſi, in primis vero Prætori urbano Vicecomitis intra urbis pomœria juriſdictionem impertitur, *quod ipſius fratri Albiniæ Duci in ſe de Caſtro de Edinburgh liberando ſtrenuam operam contuliſſent.* 16 Novemb. 1482.

1 *Accedebant ad priores ſuſpiciones calumniæ inimicorum*] Non vanas fuiſſe eas ſuſpiciones, quæ ſupra in medium attulimus præc. Cap. quæque mox ab eo perpetrata ſunt, plus nimio demonſtrant.

2 *Ille admonitus per amicos, conſilia, adverſus ſuum caput in aula agitari*] Imo vero ipſe cum ſuis, non depoſita, ſed intermiſſa paullum priora conſilia recoquebant. Nam altero poſt Regem cuſtodia eductum menſe, 12 *videl.* Januarii 1483, miſſis in Angliam legatis Archibaldo Comite Anguſiæ, Andrea Graiæ Regulo, & Jacobo Liddalio Halkerſtoniæ Comarcho; fœdus ſuperiore anno cum Anglo initum iiſdemque legibus renovavit; hac etiam cæteris adjecta, ſe nullis conditionibus a Jacobo fratre, aut quocunque ejus ſanguine genito adductum arma unquam depoſiturum. Porro prædicti ipſius legati, ſuo nomine, atque per fidei, honoris, & militiæ ſacra obſtrinxerunt, ſi Albinus abſque ſobole ipſi in regnum Scoticum ſucceſſura decederet, ſe, amicos, clienteſque ſuos in nullius ditionem præterquam Angli unquam conceſſuros, &c. Fœd. Angl. Tom. 12. pap. 172. Abercromb. pag. 455.

1 Eam

[1] eam cum a Rege maritus corruptam comperiſſet, conſilium temerarium quidem, ſed ab animo amore ægro & injuria irritato non alienum, ſuſcepit: minorem enim e Regis ſororibus, & ipſam quoque forma egregia, & conſuetudine fratris infamem, compreſſit; & ex ea Margaritam Crichtoniam, quæ non adeo pridem deceſſit, genuit. Interim domi uxor Crichtonii moritur. Soror vero, quam a Rege compreſſam diximus, adeo impotenti Gulielmi deſiderio flagrabat, ut interim velut mente alienata delirare videretur. Rex, partim ab amicis Gulielmi exoratus, partim & injuriæ ei factæ memor, & cupidus matrimonii prætextu ſororis infamiam levare, Gulielmo reditum permiſit, ea lege, ut eam duceret. Gulielmus, ab amicis perſuaſus, & melioris conſilii inopia coactus, præſertim Richardo Anglo extincto, Ennerneſſum venit, ac Regem ibi, non adeo diu ante utriuſque mortem, eſt allocutus, atque in ſpem reditus erectus. Ibi ſepulchrum ejus adhuc oſtenditur. Hæc diverſis temporibus geſta, ne curſus hiſtoriæ nobis eſſet abrumpendus, in unum locum ſunt congeſta. Nunc omiſſa repetamus.

LII. Eduardus Anglus, [2] proximo poſt Dumbarum receptum menſe Aprili, deceſſit, anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo tertio, relicto filiis MCDLXXXIII. tutore Richardo fratre. Is, primum Gubernatoris nomine contentus, duos menſes Anglis præfuit: deinde, magna Nobilitatis ac plebis parte variis artibus conciliata, duobus fratris filiis in cuſtodiam conjectis, Regina cum totidem filiabus in aſylum ſanctiſſimum, prope Londinum, incluſa, menſe Junio proximo Regium nomen & inſignia uſurpavit. Alexander Albinus, & Jacobus Duglaſſius, cupidi experiri, qui eſſet civium erga ſe animus, comitati quingentis equitibus ſelectis, ad lacum Mabanum veniunt, quod ibi frequens mercatus, die Divæ Magdalenæ ſacro, fieri ſoleret. Ibi ſubito irritatis animis, pugna conſeritur, vario ſæpe ſucceſſu, prout auxilia his aut illis e vicinis regionibus ſeſe aggregabant. Pugnatum eſt, incerto eventu, fere a meridie uſque ad noctem: tandem victoria, cruenta quidem illa, multis ſuorum amiſſis, ad Scotos inclinavit. [3] Captus ibi fuit Duglaſſius, & a Rege relegatus in Cœnobium Limdorim: Alexander, in equum impoſitus, fugit, nec diu poſt in Anglia manſit. Multæ interea incurſiones factæ, ſed majore Anglorum damno, quam Scotorum commodo. Richardus, domi rerum exitu adhuc incerto, & metu externo impendente, a Comite Richemondiæ, cui, tum apud Gallos exulanti, multi Anglorum favebant, & ad regnum capeſſendum vocabant, magna animi

1 *Eam cum a Rege maritus corruptam*] Infandum hocce crimen a perduellibus confictum fuiſſe, fidem fere faciunt, quæ mox in lucem protulimus.

2 *Proximo poſt Dumbarum receptum menſe Aprili*] Ita MS. princeps Editio Edimb. Genev. Francof. *&c.* At Elzev. 1668 & Moſmanni 1700. quam emendare volebant, corruperunt ſententiam, interjecta poſt [*receptum*] voce [*anno*] quod omnino falſum: Dumbarum quippe hoc ipſo anno 1483., Anglis eſt traditum: In ea enim arce cum legatis ſuis mandata ad Anglum 12 Januarii daret, Albinus adhuc diverſabatur.

3 *Captus ibi fuit Duglaſſius*] Nempe ab *Alexandro* (non *Roberto*, uti eum vocat Abercrombius,) a Cella Patricii, qui ideo agris villæ de Kirkmichel, Drisholm, *&c.* a Rege eſt donatus. 2 Octob. 1484. *Act. publ. Jacobi III.*

mi ſollicitudine afficiebatur. Nec minus ſcelerum ſuorum velut ſtimulis vexatus, ſtatuit, quoniam ſeditiones domeſticas non adeo cito ſedatum iri ſperabat, quibuſcunque poſſet conditionibus, exteros complecti, & eorum auctoritate & opibus ſe domi tutiorem, & inimicis magis formidabilem reddere. Igitur, miſſis in Scotiam Legatis, qui vel pacem, vel ſaltem aliquot annorum inducias impetrarent, omnia opinione ſua multo faciliora invenit. Jacobus enim, qui, ob multa non diſſimilia ſcelera, maximo apud ſuos odio laborabat, Legatos libenter audivit: pace enim cum Anglis facta, ſperabat, ſe per otium civiles injurias, clauſo inimicis perfugio, ulciſci poſſe.

LIII. His maxime de cauſſis, miſſis ad regnorum fines ex intimis utriuſque Regis familiaribus, poſt multas & diuturnas de rebus repetundis diſceptationes, cum, ob repetentium res multitudinem, & probationum infirmitatem, pax confici non poſſet, de induciis in triennium convenit: & quia, ob difficultates quas dixi, & temporis anguſtiam, tum res reddi non poterant, dati utrinque Legati, qui una cum limitum præfectis id ex æquo & bono curarent. Una conditio in eis induciis perplexe ſcripta erat, de Dumbaro Scotis reſtituendo, [1] per quam Anglus eam tenere, Scotus oppugnare poſſe, ſalvis induciis, interpretabatur. Scotus cum, poſt ſex menſes præſcriptos, arcem per Legatos repeteret, Richardus de ſua voluntate per literas ſatis prolixe pollicebatur: ſed alia atque alia cauſſando, eam, uſque ad vitæ ſuæ finem (qui brevi ſecutus eſt) retinuit. Eo autem a ſuis interemto, ac Henrici Septimi regno nondum ſtabilito, Jacobus arcem aſperrima hieme obſedit. Qui in præſidio erant, nullum, ob res domi turbatas, auxilium exſpectantes, eam dediderunt.

LIV. Henricus autem, multis agitatus procellis, ut externorum bellorum cauſſas præcideret, & veterum odiorum incendia reſtingueret, ad Novum Caſtrum ad Tinam venit: inde Legatos in Scotiam miſit, qui vel fœdus perpetuum, vel certe inducias diuturnas facerent. Homo enim ſingulari prudentia, & multas rerum viciſſitudines expertus, in primis ad regnum ſuum ſtabiliendum utile exiſtimabat, cum vicinis omnibus, ac maxime cum Scotis, pacem habere: quod fere hæc duo regna ſemper alterum alterius rebus inſidiarentur adverſis; & rebelles tum integros fovendo, tum extorres recipiendo, ſpe vel auxilii, vel refugii, ſeditiones alerent. Et Jacobus nihil magis cupiebat, quam ut metu ab exteris liber, de ſuis pro arbitrio pœnas expetere poſſet. Itaque Legatos humaniter acceptos monuit; „Se quidem nihil magis quam pacem cu-„pere: verum exiſtimare, a ſuis impetrari non poſſe, ut vel perpetuam pacem, „vel

1 *Per quam Anglus eam tenere, Scotus oppugnare poſſe ſalvis induciis, interpretabatur*] MS. deeſt [*poſſe*,] additur tamen ante [*interpretabatur*] vox, [*ſe*:] unde animum ſuſpicio inceſſit legi debere, *Per quam Anglus eam tenere, Scotus oppugnare poſſe, ſalvis induciis, ſe interpretabatur.* Nuſquam enim verbum [*interpretor*] extra participium, paſſive acceptum reperio. Ex participiis autem communiter uſurpatis, verba ipſa, a quibus deducantur, neutiquam communia ſtatui debere, ſummi nominis Grammatici contendunt.

1 *Hæc*

„vel diuturniores facerent inducias: partim, quod id priſca lege vetitum eſſet, „ne, metu amoto, animi per otium relangueſcerent, & nervos induſtriæ re„mitterent: partim, quod ferociam, ex longo armorum uſu collectam, non „tam cito poſſent omnino deponere. Quod ſi eo adduci poſſent, ut ſex aut „ſeptem annorum induciis faciendis conſentirent, non eſſe reſpuendum. Quod „autem ad ſe attinet, dum viveret, pacem ſibi ſanctam & inviolatam cum „Henrico fore: curaturum etiam, ut induciæ, antequam dies earum exiret, „renovarentur: verum ſe maximopere rogare Legatos, ne quicquam eorum, „quæ ſecreto cum ipſis egiſſet, in vulgus efferrent, ne proceres ad pacifican„dum tardiores eſſent, ſi ſtudium ejus in eam partem perſentiſcerent. [1] Hæc Anglo relata, cum ſciret, quam turbido in ſtatu res Scotorum eſſent, quamque Regi pacem eſſe expediret, eum ſincere & ex animo loqui ratus, induciis in ſeptem annos factis, retro Eboracum ſe recepit.

LV. Interea moritur Scotorum Regina, mulier ſingulari formæ gratia & probitate, quæque viri effrenatos impetus plerumque moderari credebatur: moritur item in Gallia Alexander Regis frater, duobus filiis relictis, Alexandro, ex uxore priore Comitis Orcadum filia, &, e ſecunda, Joanne, qui poſtea Prorex in Scotia aliquot annos fuit. Jacobus autem, confirmata foris pace, & domi conſiliorum ſuorum duobus moleſtis interpellatoribus liberatus, ad ingenium rediit: &, excluſa fere omni Nobilitate, homines novos circa ſe habebat, quos & aulicis honoribus & miniſteriis præficiebat, & rejecta in eos cura publica, & pecuniæ undique conquirendæ rationibus, ipſe totum ſe voluptatibus immerſit. Princeps aulicæ factionis erat Joannes Ramiſæus, qui ad Lauderam, ſervatus a Rege, ſupplicium evaſerat. Is in tantam elatus eſt ſuperbiam, ut, cum domûs Magiſter (is honor apud Scotos præclarus habetur) a Rege eſſet electus, multiſque prædiis opulentis donatus, non tamen ea fortuna contentus, [2] impetraverit edictum, ne quis, præter ſe ſuoſque comites, in eis locis, in quibus Rex diverſaretur, arma ferret: ut ſcilicet hac ratione ſe ſuamque factionem adverſus Nobilitatem communiret; quæ & frequentes ſeorſum coitiones faciebat, & armorum terrore ſtipata obambulabat. Sed id edictum longe Ramiſæo plus odii, quam terroris conciliavit: & jam [3] manifeſtæ ſervitutis imago omnium oculis obverſabatur.

LVI. Rex interea nihil aliud moliebatur, quam ut animum expleret eorum ſanguine, qui rebellandi auctores credebantur. Id cum vi aperta obtinere non poſſet, eos arte capere contendit. Cum aliis atque aliis ſe reconciliatum ſimulans, comiter, ac paullo etiam blandius quam Principem deceret, [4] accipiebat. Alios, quorum potentia eminebat, præmiis & honoribus proſequebatur. [5] Davidem Lin-

1 *Hæc Anglo relata*] Male hæc cum ſequentibus cohærent: ego, aut *Hæc Anglo relata ſunt, qui cum ſciret, &c.* vel potius, *His Anglo relatis, cum ſciret, &c.* legendum putem.

2 *Impetraverit edictum*] Ita monente Crafordio emendavimus, pro quo libri omnes [*impetravit.*]

3 *Manifeſtæ ſervitutis imago*] MS. [*manifeſta,*] quod eodem fere redit.

4 *Accipiebat*] Melius forte [*eos accipiebat.*]

5 *Davidem Lindeſium*] Non ſatis accurate hoc traditur, poſtea enim, nempe

18

Lindeſium, Craſordiæ Comitem, Ducem Montis Roſarum appellat, hominem magnis opibus præpotentem ſibi adjungere ſtudens; [1] Archibaldum Anguſiæ Comitem apud ſe frequentem habebat, & cum eo, velut penitus in gratiam recepto, ſecreta conſilia communicabat. Nec tamen præmiis, nec blanditiis cuiquam ſinceri animi fidem faciebat. Nam qui ingenium ejus noverant, non dubitabant, eo ſpectare illam benevolentiæ ſimulationem, vel ut ſeorſum alios, ac deinde alios comprehenderet, vel proceres inter ſe committeret: quod utique, Nobilitatis principes Edimburgi nactus, magis perſpicuum fecit. [2] Duglaſſio enim in arcem ad ſe vocato, demonſtravit; „Egregiam ſibi in præſentia obla-
„tam ſumendæ ultionis occaſionem: comprehenſis enim factionis ducibus,
„ac ſupplicio affectis, cæteros conquieturos. Hanc opportunitatem ultro ſe
„offerentem ſi omittat, ſimilem poſtea ſe nunquam ſperare.

LVII. Duglaſſius, qui animum Regis nihilo ſibi quam reliquis placatiorem ſciebat, conſilium tam crudele & præceps diſcuſſit, ratiocinatus; „Quam
„turpe & flagitioſum id facinus omnes judicaturi eſſent, ſi, indicta cauſſa,
„tot homines claros, quibus, promiſſa præteritorum venia, conciliatus eſſet
„non ita pridem, nunc fide publica accepta ſecuros, repente ad ſupplicium ra-
„peret. Non enim feroces hoſtium animos interitu paucorum fractum iri: ſed,
„violata ſemel fide, ſpem omnem concordiæ [3] ſublaturum: deſperataque ſe-
„mel venia, iram in rabiem verſum iri: inde majorem obſtinationem, & Re-
„giæ auctoritatis & vitæ propriæ contemtum ſecuturum. Mihi vero ſi credis,
„inquit, rationem inibo, qua, ſalva Regia dignitate, etiam vindictæ proſpi-
„ciatur. Ego enim, convocatis amicis & clientibus, de die & palam injecta
„manu, quo voles, in jus traham, & legum pœnas expetam. Id non honeſtius
„modo, ſed & tutius erit, quam ſi clam, de nocte, velut a latronibus op-
„preſſi, trucidentur. Rex Comitem ex animo loqui credens, (non enim ignorabat,

18 Maji 1488, *Dux Montis Roſarum* creatus eſt *David Lindeſius*, hac inter alias addita ratione & elogio, *quod perſonam ſuam ——— pro perſonæ noſtræ & coronæ tutamine & defenſione, noſtrum etiam honorem conſervando frequenter expoſuit periculis cum effectu, & præcipue ac noviſſime contra noſtros infideles ligios, contra noſtram majeſtatem & vexillum in campo bellico apud Blackneſs inſurgentes*, &c. Acta publ. Jac. III.

1 *Archibaldum Anguſiæ Comitem*] Libris omnibus perperam hic *Georgius* appellatur. Vide ſupra Lib. XII. 40. & infra Lib. XIII. 35 Filius quidem ei Georgius fuit, ad Fluidonem anno 1513 occiſus.

2 *Duglaſſio enim in arcem*] Hæc & quæ præceſſerant omnia ab inimicis excogitata, atque in vulgus falſis rumoribus diſperſa, haud ægre crediderim. Nam quæ Duglaſſio, capitali Regis hoſti, quique ſe ei nunquam obtemperaturum jurejurando antea obſtrinxerat, fides debetur? Sed neque ulla veri ſimilitudine nititur, ut Rex, ſi maxime iis conſiliis animum adjeciſſet, ea inimico infenſiſſimo, qui non ita pridem Regios miniſtros, ab ipſius latere arreptos, nullo judicio habito, trucidaverat, prodere vellet. Anne autem credibile eſt, tam immanem Regi inceſſiſſe truculentiam, qui Duglaſſiæ Comitem, horum omnium malorum fomitem & fontem, venia tam facilis paullo ante donaverat? At ita nimirum perduellium rationes ferebant, ut quem neci jamdudum deſtinaverant, nece dignus videretur.

3 *Sublaturum*] Paullo durius hæc vox inter *fractum iri* & *verſum iri* interjici videtur.

1 *Cor-*

rabat, quæ polliceretur, poſſe præſtare) gratiis ei actis, multis promiſſis oneratum dimittit. Ille, admonitis proceribus, ut imminenti periculo ſe ſubtraherent, ipſe quoque ſe ſtatim ſubduxit.

LVIII. Ab eo die, Rex, poſt occulta conſilia patefacta, nemini deinde fidens, cum ad tempus in arce Edimburgenſi ſe continuiſſet, nave in regiones Transforthanas, quæ adhuc ei parebant, vectus, brevi firmas copias confecit: & proceres, qui antea emendatum, non extinctum Regem volebant, deſperata concordia, conſilia ſua omnia in exitium ejus conferebant. Illa difficultas eos habebat ſollicitos, quem ſibi ducem nominarent, qui, Rege in ordinem coacto, Vicarius regni eſſet populo non ingratus, & obtentu nominis illuſtris factionem minime gravaret invidia. Multa circumſpicientibus, in Regis filium eſt ab omnibus conſenſum. Is a cuſtodibus ſuis, & ætatis infirmioris rectoribus [1] corruptus, hoc maxime metu, ne, ſi ille recuſaret, ad Anglos, hoſtes familiæ ſuæ perpetuos, imperium deferretur.

LIX. Jam Rex Fortham tranſierat, & ad Blacneſſum arcem habebat caſtra, & filii exercitus, dimicationi paratus, non longe aberat: verum, interventu Comitis Atholiæ patrui Regis, res compoſita fuit. Ipſe Atholius pacis pignus [2] Adamo Heburno Bothueliæ Comiti datus, apud eum, uſque ad Regis mortem, permanſit. Verum concordia, ut inter ſuſpectos invicem, non diuturna fuit. Legatis interea commeantibus, a Nobilitate reſponſum eſt; „Cum „Rex nihil ſincere agat, certum bellum infida pace ſibi potius videri: unam „ſpem eſſe concordiæ, ſi Rex, filio ſibi ſuffecto, regno ſe abdicaret: alioqui nihil eſſe, quod colloquiis ſeſe invicem fruſtrarentur. Hoc reſponſum Rex Legatis, quos ad Anglos & Francos mittebat, oſtendit: eoſque ſummopere rogavit; „Ut auctoritate ſua, aut, ſi opus eſſet, auxilio, paucorum „rebellium furorem infringerent, eoſque ad ſanitatem reducerent; communemque eam fortunam exiſtimarent, & quæ ſuo contagio facile ad propinquas gentes ſerperet. Miſſi etiam ad Eugenium Octavum, Pontificem Romanum, qui orarent; „Ut, pro ſua paterna in Scoticum nomen caritate, „Legatum in Scotiam mitteret; qui rebelles, pro jure ſacroſanctæ poteſtatis, „cogeret, ut, armis poſitis, Regi ſuo parerent. Pontifex, cum tum maxime haberet in Anglia Hadrianum Caſtellenſem, hominem ſingulari eruditione & prudentia, ad eum ſcripſit, ut rebus Scoticis componendis operam daret.

LX. Sed hæc ſera fuerunt auxilia. Proceres enim, qui hæc agi non ignorabant, & Regem erga ſe implacabilem ſciebant, antequam majores copiæ ad eum convenirent, decernere armis decreverant: &, quanquam Regis filium apud ſe haberent, ſimul ad [3] auctoritatem ad vulgus comparandam, ſimul

1 *Corruptus*] Suſpenſa hærere videtur ſententia, niſi poſt [*corruptus*] addatur [*eſt*] vel potius poſt [*deferretur*] *ducem illis ſe præbuit.*

2 *Adamo Heburno*] Crafordius legendum præcipit *Patricius.* Idem confirmant Balf. Geneal. pag. 23. & Geo. Crafordius Nobil. Scot. pag. 43. qui porro addunt eum Bothueliæ Comitem tum nondum fuiſſe, utpote creatum a Jacobo IV. 15 Octob. 1488.

3 *Auctoritatem ad vulgus comparandam*]

mul ut oſtenderent, ſe non patriæ, ſed pernicioſo Regi infenſos eſſe; tamen, ne Legatorum externorum adventu plebis animi debilitarentur, dies noctesque ſolliciti erant, quomodo rem ultimo diſcrimini committerent. Obſtabat eorum feſtinationi Regis timor: qui, quoniam ſatis firmas acciverat copias e regni partibus ad ſeptentriones ſpectantibus, in arce Edimburgenſi ſe continebat, dum ea auxilia convenirent. Ab hoc conſilio, quod ei viſum fuerat tutiſſimum, fraude, aut certe inſcitia ſuorum, eſt deductus. Propter enim frequentia æſtuaria, quæ moram & periculum conventuris afferre poterant, ſuaſerunt; „Ut Sterlinum peteret, locum unum totius regni commodiſſimum ad auxilia „ex omnibus regni partibus excipienda. Ibi quoque non minus tuto, quam in „arce Edimburgi, eum fore poſſe, cum hoſtes ab omnibus rebus, ad expu„gnandas arces neceſſariis, imparati eſſent: ſimul claſſem, quam ad omnes „caſus inſtruxerat, in propinquo ſtare poſſe.

LXI. Hoc quidem conſilium & fidele videbatur, & ſatis erat tutum, niſi præfectus arcis Jacobus Siaus, ab adverſa factione corruptus, venientem excluſiſſet. Itaque, cum hoſtes prope veſtigiis ejus inſtitiſſent, neque, quo ſe reciperet, haberet; coactus eſt cum eis, quas habebat, copiis aleam certaminis experiri. Initio cum ſatis acriter pugnaretur, procerumque prima acies loco cederet, Annandiani, & eorum vicini, [1] qui ad occidentalem Scotiæ limitem accolunt, acriter gradum promoverunt. Hi, cum longioribus uterentur haſtis, quam qui ex adverſo ſtabant, ſtatim Regis mediam aciem fuderunt: Ipſe, equi caſu debilitatus, in molas aquarias, non longe a loco ubi pugnatum erat, ſe recepit, eo (ut videbatur) conſilio, ut naves, quæ non longe aberant, conſcenderet. Ibi, cum paucis deprehenſus, occiditur. Tres eum fugientem proxime ſecuti, Patricius Graius familiæ ſuæ princeps, [2] Sterlinus Kerius, & ſacrificulus cognomento Borthicus: incertum, a quo eorum percuſſus. Ejus cædis fama, licet incerta, per utrumque exercitum divulgata, fecit, ut, victoribus minus acriter inſtantibus, fugientium multo pauciores cæderentur: cum Rege enim, non cum civibus, proceres bellum ſuſceptum videri volebant. Cæſus eſt e Regiis Alexander Cunigamius Glencarniæ Comes, cum paucis clientibus & propinquis: ex utraque parte complures vulnerati.

LXII. Hunc finem vitæ habuit Jacobus Tertius, vir non tam ingenio pravo natus, quam prava conſuetudine corruptus. Nam, cum initio magnæ & præclaræ indolis animique vere Regii ſpecimen dediſſet, per Bodios primum, ſed paullatim, in licentiam eſt effuſus. Iis e medio ſublatis, ab hominibus infimæ ſortis [3] in omnia ſimul vitia eſt præceps datus. Tempora etiam corrupta, &

Ita antiquiores codices: Elzev. tamen & Moſmanniana Editt. inſcita licentia [*ad*] in [*apud*] mutarunt, ignorantes *ſcil.* [*ad*] hoc ſignificatu apud optimos auctores reperiri. Vide ſupra ad Lib V. 17.

1 *Qui ad occidentalem Scotiæ limitem accolunt*] Non tantum *accolere mare*, *fluvium*, *lacum*, dicimus, ſed etiam *montem*, *viam limitem*, Liv. lib. 28. cap. 13. *Accolunt viam.* Sed rariſſime additur præpoſitio.

2 *Sterlinus Kerius*] *Gulielmo*, non *Roberto* (quod habet Drummondus) *Sterlino*, nomen ei fuiſſe oſtendit Sagius Præf. ad Drummondi Hiſt.

3 *In omnia ſimul vitia præceps eſt datus*] Sæpius ante monuimus hæc vitia, ab inimicis

& [1] vicinorum Regum exempla, non parum ad eum evertendum juverunt. Nam & Eduardus Quartus in Anglia, Carolus in Burgundia, Ludovicus Undecimus in Gallia, Joannes Secundus in Luſitania; tyrannidis fundamenta jecerunt; Richardus Tertius in Anglia immaniſſime eam exercuit. Morti etiam Jacobi illa inuſta eſt ignominia, ut, in proximo conventu, [2] omnium Ordinum decreto, jure cæſus judicaretur: cautumque ſit diligenter omnibus, qui adverſus eum arma tulerant, ne ea res ipſis eorumve poſteris fraudi eſſet. Obiit, anno a Chriſto nato millesimo quadringenteſimo octogeſimo octavo, regni viceſimo octavo, [3] ætatis triceſimo quinto. MCD LXXX VIII.

LIBER

micis infenſiſſimis ad populi odium adverſus eum conflandum ei objecta, magna ex parte confiᴄta videri. Videſis Abercrombium, qui gravibus argumentis, atque ex ipſis utriuſque regni actis publicis, ut plurimum, petitis, Jacobi III. exiſtimationem ſtrenue defendit, criminumque quorum inſimulabatur infamiam in ipſos perduelles convertit. Non patitur inſtituti noſtri ratio hæc pro dignitate exſequi; unicum tantum, unde de cæteris conjicere liceat, exempli loco hic attingam. In illo, qui ſtatim poſt ejus mortem habitus eſt, conventu, [Vide Jac. IV. Parliam. I. cap. 14. & Buchan. XIII. 8. vitio ei præcipue dabatur, quod Anglos in Scotiam arceſſere, regnumque adeo Anglorum ditioni ſubjicere ſatagebat. At animadvertite quæſo immanem hoſtium impudentiam; ab iis *ſcil.* ipſis hoc crimen Jacobo intentatur, qui Anglis infeſto exercitu Scotiam invadentibus ſe adjunxerant; qui ſe in Angli fidem ſæpius dediderant; qui regnum ejus ſceptro (quantum in ipſis eſſet) ſubdituros, ſeque nunquam Jacobo ejuſve hæredibus obtemperaturos, jurejurando confirmaverant.

1 *Vicinorum Regum exempla*] Imo vero vicinorum Regum exempla pravæ ipſius fratris Ducis Albini ambitioni faces ſubdidere. Henrici enim IV. qui Richardum II. & Eduardi IV. qui Henricum VI. Anglorum Reges ſolio detruſerant exempla ipſius animo obverſabantur, ingenteſque regnum Scoticum pari dolo atque perfidia occupandi ſpes faciebant.

2 *Omnium Ordinum decreto*] Non ſane omnium Ordinum, ſed illius fere factionis, quæ Regem ad necem uſque eſt perſecuta. Multi quidem metu ſe dediderunt: plures tamen, & e principibus Nobilitatis, Dux Crafordiæ, Comites Huntileæ, Leviniæ, Martialis, Rothuſiæ, Sutherlandiæ, Cathaneſiæ, *&c.* & hi Reguli, Forboſius, Lindeſius, Lylius, Ogilvius, Fraſerius, *&c.* tantum abeſt ut huic Conventui interfuerint, ut parricidas (ita enim eos vocabant) juſto bello perſequendos ſtatuerint. Certe, non vicinæ modo gentes, ſed & maxima Scotorum pars, & in his Transforthani fere omnes, ſcelus abominabantur. Memorabile in primis Rom. Pontificis diploma, quo omnes illius conjurationis participes Chriſtianorum communione interdixit, nec niſi poſt veniam ſuppliciter rogatam, feriamque actam pœnitentiam, poſt tres annos ſuam hanc ſententiam revocavit. Hujus rei documentum autographum, 5 Kal. Jul. anno 1491, ſcriptum, mecum communicavit vir eximius David Simſonus, magna reip. literariæ jactura ante aliquot annos defunctus.

3 *Ætatis triceſimo quinto*] Natus (ut ſupra oſtendimus ad XI.48.) intra 7 & 22 Januarii 1453, exſtinctus 11 Junii 1488, ut modo monſtrabimus, vixit 35 annos & menſes fere quinque; proinde 36 *ætatis anno* obiiſſe neceſſe eſt.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

I. IACOBO Tertio, [1] ad *undecimum* Junii, prope Sterlinum cæſo, qui ſectam adverſam ſequebantur, de exitu Regis adhuc incerti, retro Limnuchum caſtra moverunt. Ibi ad eos delatum, ſcaphas a claſſe ad terram commeare, ac ſaucios in naves comportare: inde ſuſpicio eſt orta, Regem a claſſe receptum fuiſſe. Itaque, motis Letham caſtris, miſſi a Principe (ita enim Scoti filium Regis natu maximum appellant) præfectum claſſis evocant. Is erat Andreas Vodius, ſive quis malit interpretari Silvius, Eques, & beneficiorum ſui Regis memor, & ſumma erga defunctum benevolentiæ conſtantia: qui cum negaret, ſe in terram egreſſurum, niſi acceptis obſidibus; dati e ſupremo ordine Setonius & Flaminius. Rogatus a concilio Regio; „Ecquid ſciret, ubi Rex eſſet, & quinam eſſent, qui, poſt „prælium, ſcaphis ad naves vecti fuiſſent: De Rege, ſe quicquam ſcire, negavit: „ſcaphis autem ſe cum fratribus deſcendiſſe, ut, una cum aliis bonis civibus, „ſalutem ſui Regis tuerentur: ſed, cum fruſtra vitæ ejus opitulari eſſent „conati, in claſſem rediiſſe: eique, ſi viveret, uni ſe parituros: ſin extinctus „eſſet, ad mortis ultionem paratos. Cum multa præterea adverſus rebelles jaceret convicia, metu tamen, ne obſides violarentur, incolumis ad naves eſt remiſſus. Receptis obſidibus, cives Lethenſes ad concilium vocati, ac magnis pollicitationibus ſollicitati, ut conſcenſis navibus Andream Silvium oppugnarent. Reſponſum eſt ab univerſis, uno conſenſu; „Eum duas habere „naves, ita omnibus rebus ad bellum idoneis ornatas, ſociiſque navalibus ita „inſtructas, eamque in ipſo præfecto rei navalis eſſe ſcientiam, ut ne decem „quidem naves in Scotia eſſent, quæ cum duabus illis auderent congredi. Ea igitur conſultatione dilata, Edimburgum eunt. Ibi certiores de morte Regis facti, funus ei ampliſſimum faciendum curant, ad Cammiskennethum, Cœnobium Sterlino vicinum, ad viceſimum quintum diem menſis Junii.

C V. R E X.

II. Interea comitia [2] novo Regi creando in certum diem indicunt. Pauci ad id

1 *Ad undecimum Junii*] Lacunam in omnibus libris relictam hoc numero ſupplevimus. Ita enim Leſlæus, Ferrerius, Drummondus; qui omnes *undecimo Junii, die D. Barnabæ ſacro*, occiſum teſtantur. Anderſonus quidem ejus Divi feſto occiſum tradit, at id perperam ad 28 Junii rejicit. Pejus autem Pitſcottius, qui hoc prælium in 18 Julii diem refert. Sententiam vero noſtram amplius confirmant Jacobi IV. Acta publ. Nam ante 12 Junii ipſius patrem occiſum oſtendit primi ipſius Conventus Act. 3. quo edictum eo die de bonis bello captis promulgatum memoratur. Poſt 10 vero Junii cæſum demonſtrat ejuſdem Regis inſtrumentum 10 Junii 1513, regni 25 ſcriptum.

2 *Novo Regi creando*] Importune hic ingeritur *creationis* vocabulum, cum non Ordinum ſuffragiis (quod voluit Buchananus) ſed ſanguinis jure regnum apud Scotos ineatur.

1. *Nam*

id munus, & fere conjurationis adverſus ſuperiorem Regem populares, convenere. Regno ſuſcepto, ſtatim novus Rex ad præfectum arcis Edimburgenſis fœcialem miſit, qui ad deditionem eum ſollicitaret. Ea recepta, Sterlinum eſt profectus, arceque a præſidio dedita eſt potitus. Rumore in Angliam de rebus in Scotia turbatis perlato, quinque naves Anglicæ, e claſſe Regia delectæ, Forthæ æſtuarium ingreſſæ, paſſim prædando, mercatoribus iter clauſerunt; & multis exſcenſionibus in utrumque littus factis, loca maritima vehementer infeſtabant: major etiam rerum motus a terreſtribus civium copiis exſpectabatur. [1] Nam; cum inimicorum vires magis diſſipatæ, quam fractæ ſuperiore prælio fuiſſent, quippe quæ nec univerſæ affuerant, nec ex iis, quæ aderant, adeo multi cecidiſſent, ab animis, adhuc odio & invidia inflammatis, & fiducia ſui elatis, major tempeſtas imminere videbatur. Augebat indignationem, quod non in Regiam, ſed paucorum poteſtatem, tot viri, genere & opibus clari, tam facile recidiſſent; „Titulum enim & nomen Regium penes adole„ſcentem quindecim annorum, qui non regeret, ſed a patris interfectoribus „regeretur; vim autem imperii penes Duglaſſium, Heburnum & Humium „eſſe: „ [2] quibus fiduciam augebat, quod omnia littora duabus claſſibus, Anglica & Scotica, eſſent infeſta.

III. His difficultatibus ut mederetur, novus Rex primum omnium ſtatuit copias maritimas reconciliare: ne aut illæ aliquid turbarent, ipſo in longinquas regni oras ad ſtatum earum regionum ordinandum profecto, aut in interiora regni aditum darent Anglis, ad mediterranea loca expilanda. Igitur Andream Silvium, Regis morte jam paſſim divulgata, minus in cauſſa fore obſtinatum ratus, cum fide publica in littus evocat: & periculo publico, & infamia gentis univerſæ, quam paucæ naves Anglicæ ita ſuperbe contemnerent, ante oculos expoſita, non ſolum in ſuas partes Andream traducit, ſed etiam adverſus Anglos armat: [3] multiſque ſuadentibus, ut in plures & majores ſaltem æquum numerum navium duceret, ſe ſuis duabus contentum, reſpondens, cum primum tempeſtas commoda incidit, recta adverſus Anglos, qui ante Dumbarum oppidum ſtabant, vela fecit: & aſperrimo prælio conſerto, Letham omnes captas perduxit; ac præfectos earum Regi obtulit. Andreas a Rege munifice donatus, ejuſque in re militari peritia, & militum virtus ſingu-

1 *Nam cum inimicorum vires*, &c. *quippe qua nec univerſa affuerant, nec ex iis qua aderant adeo multi cecidiſſent*] Paullo inſolentius hoc loquendi genus videtur, [*nec ex iis qua aderant adeo multi cecidiſſent*] Cum igitur *multa* [vires *ſcil.*] *cecidiſſent* dicere nequeamus, legendum malim, *quippe qui* [inimici] *nec univerſi affuerant, nec ex iis qui aderant adeo multi cecidiſſent.* Verum cum veterum aliquem ſic forte locutum Buchananus offenderit, in re non ſatis explorata religio fuit omnibus codicibus refragari.

2 *Quibus fiduciam augebat*] Ita omnino legendum, eodem quo paulo ſuperius hoc ipſo Cap. ſenſu: [*augebant*] enim, quod omnes libros occupavit, nequaquam cum præcedentibus hic cohæret.

3 *Multiſque ſuadentibus*] Crafordius legendum vult, *Ille multis ſuadentibus.* Verum cum non ſatis idonea hic cauſſa ſubeſſe videretur, nos veterem lectionem ſollicitandam non duximus.

gulari laude honorata. Nec deerant ex eo genere hominum, qui Regum qualeſcunque res geſtas [1] admirentur, ac magnas etiam in majus extollant, qui eam victoriam longe majoris mox ſecuturæ manifeſtum eſſe omen præſagirent.

IV. Interea procerum pars adverſa, legationibus in omnes regni partes miſſis, mutuo ſe cohortantur; „Ne præſentem rerum ſtatum ferant: neu tot vi„ri fortes, parricidas publicos, qui alterum Regem occidiſſent, alterum in ſer„vitute tenerent, ſibi tam ſuperbe paterentur illudere; ac Regiæ ſalutis de„fenſores perduellionis arceſſere; ipſos, omnis divini & humani juris violato„res, pro vindicibus decoris publici ſe venditare, ac liberatorum patriæ nomen „uſurpare, apud quos ne Rex quidem ipſe liber eſſet: quippe qui coactus ſit „in patrem, eundemque Regem, arma ſumere, &, eo nefarie cæſo, paternos „amicos, & capitis defenſores impio bello perſequi. Multa hujus generis cum vulgo jactarentur, ad majorem odii flammam excitandam, Alexander Forboſius, clariſſimæ familiæ princeps, Regiam interulam, ſanguine fœdatam, & vulnerum veſtigiis laceram, ex haſtili longo pendentem, per Abredoniam & illuſtriora vicinarum gentium oppida circumtulit, &, velut edicto publico, per præconem omnes ad fœdiſſimi facinoris ultionem conciebat.

V. Nec minus impigre, in regionibus Cisforthanis, Matthæus Stuartus Leviniæ Comes, homo genere & opibus clarus, & popularitate quadam honeſta ſummis infimiſque juxta carus, vicinos ſibi Regulos accendebat: ac, jam ſatis valida manu comparata, cum per pontem Sterlini, Regiis oppidum tenentibus, penetrare non poſſet, per vadum, non procul a fluminis ortu, ad Grampii montis radices contendit, ut ſociis ſe conjungeret. Id conſilium cum Joanni Dromundo, per Alexandrum Macalpinum ipſius clientem, qui hoſtibus ſe conjunxerat, eſſet indicatum; ac palam factum: in caſtris rebellium omnia adeo ſecura ac neglecta eſſe, ut, quo quiſque loco eſſet, ſparſi tenderent, nec vigiles ſuis locis diſpoſitos haberent, nec ullum rei militaris munus uſurparent; Dromundus, cum aulicis, ac paucis voluntariis, qui operæ navandæ ſtudio ſe ad eos aggregarant, ſopitos invadit. Multis cum ſomno mors fuit continuata: cæteri inermes retro, unde venerant, præcipiti fuga ruunt: plures capti; ſed a notis amicis pars dimiſſa: in eos tantum ſævitum, qui contumelioſius ſcripſerant, aut locuti fuerant.

VI. Auxit hujus victoriæ lætitiam nuncius allatus, eiſdem diebus, de proſpera pugna navali Andreæ Silvii, adverſus Stephanum Bullum. Anglus enim, audito, quinque ſuorum naves a duabus Scoticis, longe etiam minoribus, ſuperatas & captas fuiſſe, cum & ignominiam deletam cuperet, nec juſtam belli cauſſam obtendere poſſe videretur; convocatis ducibus rei maritimæ peritis, oblatiſque navibus ſelectis, & [2] navali apparatu quantum vellent permiſſo, horta-

[1] *Admirentur*] Ita ſcriptum oportuiſſe oſtendit quod mox ſequitur [*extollant.*] Libris tamen omnibus (præterquam MS) [*admirantur*] legitur.

[2] *Navali apparatu quantum vellent permiſſo*] Vocem [*permiſſo*] e MS. repoſuimus.

1 *Le-*

tatus eſt, ut hanc nominis Anglici maculam tollerent: magnis oſtentatis præmiis, ſi ipſum Silvium, aut vivum aut mortuum, ad ſe adducerent. Sed cæteris, qui virtutem hoſtis cum felicitate conjunctam noverant, cunctantibus, Stephanus Bullus, Eques notæ fortitudinis, expeditionem ſuſcepit. Et rei bene gerendæ occaſio videbatur oblata, quod Silvium e Flandria propediem reverſurum ſciebat, cumque in reditu, incautum, non magno negotio poſſe opprimi ſperabat. Igitur tribus e Regia claſſe navibus electis, ac brevi inſtructis, littus Angliæ legens, ad Majum, inſulam in æſtuario Forthæ deſertam, conſtitit, [1] loci maxime naturam ſecutus, quod ab omni parte inſula ſtationes habeat tutas adverſus omnes ventorum procellas; & mare ibi ſe in anguſtum cogat, ut nulla navicula præteriens latere poſſet. Interim e ſcaphis piſcatoriis, qui rei maritimæ peritiores haberentur, retentis, eorum aliquot continenter in ſpeculis habet, ut naves hoſtium, agnitas, ſibi commonſtrent. Cum ibi, non multos dies, ad anchoras reſtitiſſent, Silvii naves, plenis velis advenientes, ſimul viſæ & agnitæ ſunt: & Bullus, ſublatis anchoris, præcepta jam animo victoria, ad pugnam ſe comparat. Silvius tantum moratus, dum ſui arma expediunt, ſuas naves in hoſtes concitat. Congrediuntur duo fortiſſimi duces, magnorum exercituum animos gerentes, ac [2] tam obſtinate pugnarunt, ut, incerta victoria, nox prælium dirimeret. Poſtridie mane, refectis viribus, duces, exhortati utrinque ſuos, certamen renovant: ac [3] manibus ferreis (harpagonas vocant) in hoſtium naves injectis, velut pedeſtri ac ſtabili acie, cominus decertarunt, tanta pertinacia, ut æſtum relabentem neutri ſentirent, donec ad cumulos arenæ in oſtio Tai amnis delati eſſent. Ibi, minus alto mari, naves Anglorum, cum ob magnitudinem regi minus facile poſſent, ſe dedere fuerunt coactæ. Inde adverſo Tao Taodunum tractæ, ibi manſerunt, donec, ſepultis mortuis, vulnerati medicis ad curandum diſtribuerentur. Hoc prælium incidit in decimum diem menſis Auguſti, anno redemti generis humani milleſimo quadringenteſimo nonageſimo. MCD. XC. Paucis poſt diebus, Silvius, ad Regem profectus, Stephanum Bullum, naviumque præfectos, & e cæteris honoratiſſimum quemque Regi obtulit: ac invicem ab eo laudatus, & muneribus eſt donatus. Rex captivos, [4] cum ſuis navibus una, Regi Anglo, collaudata militum fortitudine, munifice reddidit.

1 *Loci maxime naturam ſecutus*] Cic. Offic. 3. *Sed credo illos opportunitatem loci ſecutos.* Ovid. Metam. 3. v. 414.

Procubuit, faciemque loci fontemque ſecutus.

2 *Tam obſtinate pugnarunt*] Ita MS. alii [*obſtinati.*] quod quamvis ſatis eleganter dici videatur, cum tamen alterum ſcriptoribus ipſique Buchanano ſit multo frequentius, nos MS. ſequendum duximus.

3 *Manibus ferreis (harpagonas vocant)*] Lucan. lib. 3. verſ. 635.

Ferrea dum puppi rapidos manus inſerit uncos,

Cæſ. Bell. Civ. I. 57. *Ii manus ferreas atque harpagones paraverant.* Liv. XXVI. *Hoc modo ferreæ quoque manus (harpagonas vocant) quas operibus hoſtium injicerent, præparabantur.* Et XXX. 10. *Aſſeres ferreo unco præfixi (harpagonas vocat miles,) ex Punicis navibus injici in Romanas cœpti.* Curtius, IV. 9. *Ferreæ quoque manus (harpagonas vocant) quas operibus hoſtium injicerent.*

4 *Cum ſuis navibus una*] Melius forte [*una cum ſuis navibus.*]

1 Um-

dit, ut qui non de præda, ſed de gloria certamen iniſſent? virtutemque, etiam in hoſte, apud ſe honoratam eſſe oſtendit. Henricus, etſi ſuorum infelicem pugnam ægre ferret, tamen Regi Scotorum gratias egit: & munificentiam ejus, & animi magnitudinem ſe libenter amplecti eſt profeſſus.

VII. Circa hæc tempora, monſtrum novi generis in Scotia natum eſt, inferiore quidem corporis parte ſpecie maris, nec quicquam a communi hominum forma diſcrepans: [1] umbilicum vero ſupra, trunco corporis, ac reliquis omnibus membris geminis, & ad uſum & ſpeciem diſcretis. Id Rex diligenter & educandum & erudiendum curavit: ac maxime in muſicis, qua in re mirabiliter profecit. Quin & varias linguas edidicit, & variis voluntatibus [2] duo corpora ſecum diſcordia diſſentiebant: ac interim litigabant, cum aliud alii placeret; interim velut in commune conſultabant. Illud etiam in eo memorabile fuit, quod, cum inferne crura lumbive offenderentur, utrumque corpus communiter dolorem ſentiret: cum vero ſuperne pungeretur, aut alioqui læderetur. ad alterum corpus tantum doloris ſenſus perveniret: quod diſcrimen etiam in morte fuit magis perſpicuum. Nam, cum alterum corpus complures ante alterum dies extinctum fuiſſet, quod ſuperſtes fuit, dimidio ſui computreſcente, paullatim contabuit. Vixit id monſtrum annos viginti octo; ac deceſſit, adminiſtrante rem Scoticam Joanne Prorege. Hac de re ſcribimus eo confidentius, quod adhuc ſuperſunt homines honeſti complures, qui hæc viderint.

VIII. Victoriæ navalis fama ad ſeptentrionales perlata, & ipſi, omiſſis belli conſiliis, domos ſuas abierunt. Hoc tumultu ita levi momento compreſſo, Rex, ad ſeditiones non modo in præſentia ſedandas, ſed in poſterum omnino tollendas, animum adjecit. Primum conventum, qui indictus erat in [3] ſextum Octobris diem, Edimburgi habuit. In eo multa ſalubriter, ad concordiam publicam ſtabiliendam, ſunt decreta: in primis, ut animi facilius ad pacem coaleſcerent, culpa in paucos collata, pœnæ magna ex parte levatæ, aut omnino remiſſæ. Cum de jure belli diſceptaretur, Joannes Leon Regulus Glammius capita quædam, a proceribus ad Regem de pacificando miſſa, protulit, quibus Jacobus Tertius ſæpe aſſenſerat, ac ſubſcripſerat etiam: ac plane legibus illis concordiam cum proceribus confirmaſſet, niſi a pravis conſultoribus animus ejus fuiſſet alienatus, atque eo perductus, ut hoſtem veterem, adverſus cives ſuos pugnaturum, in regnum introducere [4] perſuaſus eſſet. Hanc ob conſiliorum in-

con-

1 *Umbilicum vero ſupra*] Anaſtrophe ſoluta oratione ſcribentibus rariſſime uſitata: niſi forte hoc & quod modo annotavimus librariorum vitio acciderint.

2 *Duo corpora ſecum diſcordia diſſentiebant*] Ita ex MS. reſtituimus, pro quo inepte libris editis irrepſit [*diſcutiebant*.]

3 *Sextum Octobris diem*] Ita emendavimus (invitis licet omnibus libris, quibus [*Novembris*] ſcribitur) ex ipſis Actis publicis, Leſlæo & Abercrombio ſuffragantibus.

4 *Perſuaſus eſſet*] *Perſuaſum eſt mihi*, Latiniſſimum eſt, at qui [*perſuaſus ſum*] dixerit nullus memini. [Fateor id frequentius dici & etiam melius. ſed tamen non ſine exemplo, Buchananus ita loquitur. Auctor ad Herenn. Lib. 1. Cap. 6. *ſi perſuaſus auditor fuerit*. Juſtin. II. 11 *nihil erat difficile perſuadere perſuaſis mori*, pro quibus perſuaſum erat, eſſe moriendum. ipſe Buchan. Lib XV. 4. *eo pecunia perſuaſo*.]

1 Ut

conſtantiam, Comites Huntilæus, Arellius, & Martialis, cum ipſo Glammio, & pleriſque aliis viris nobilibus, eum tum deſeruerunt, atque ejus filium Jacobum Quartum, ob animum ejus publicæ utilitatis & tranquillitatis amantem, ſunt ſecuti. Poſt ſatis longam diſceptationem tandem ab univerſis eſt decretum: „Qui in prælio Sterlinenſi cecidiſſent, eos ſua culpa cæſos videri; jureque „eam cædem fuiſſe factam: eos vero, qui, adverſus publicæ ſalutis hoſtes, „fraudi occultæ honeſta nomina prætexentes, arma ceperunt, nec culpæ nec „crimini eſſe obnoxios. Huic decreto, quibus in conventu publico ſententiæ dictio eſt, ſubſcripſerunt, ut exterarum nationum Legatis, quos adventare rumor erat, ſui facti rationem redderent. Multa alia ibi decreta ſunt facta, quæ & pauperioribus ablata redderent, & potentiores leviter multarent, & utrique parti caverent, ne arma tum ſumta ipſis poſteriſve eorum fraudi eſſent.

IX. Hanc, in adoleſcente quindecim annorum, & victore, & in ſumma poteſtate collocato, moderationem adornabat magnopere benignitas, & promiſſorum fides, & (quod in primis vulgus admiratur) corporis dignitas, ac vividum & alacre ingenium. Itaque, cum nec avare, nec crudeliter victoria exerceretur, & delicta bona fide condonarentur, brevi ſumma concordia inter factiones, & æquale partis utriuſque ſtudium & amor erga Regem coaluit. Pauci, qui pertinaciores fuerant, modica pecunia, aut exigua parte agrorum multati: nemo fortunis omnibus exutus: & multæ, non in fiſcum, ſed in pretium operæ navatæ cedebant. Huic Regiæ clementiæ gratiam adjiciebat, quod homines adhuc recenti memoria tenebant, quam levibus de cauſſis, ſub Rege ſuperiore, viri clariſſimi omnibus bonis excidiſſent, quamque diſpares in eorum ſucceſſiſſent locum. Principes quoque factionis adverſæ, quo fidelioribus eis uteretur, affinitate ſibi conjunxit: duas enim amitæ, ex diverſis maritis, filias, Græcinam Bodiam Alexandro Forboſio, Margaritam Hamiltoniam Matthæo Stuarto dedit uxores. Ita brevi, conciliatis omnium animis, tam jucunda pax, tanta tranquillitas, &, velut ancillante fortuna Regiis virtutibus, tantus omnium frugum & fructuum proventus eſt ſecutus, [1] ut, e ſeculo pluſquam ferreo, vere aureum renatum fuiſſe videretur. Rex autem latrocinia armis, cætera vitia judiciorum ſeveritate cum compreſſiſſet, ne, in alios acer vindex, in ſeipſum indulgentior crederetur, ut omnibus palam eſſet, patrem, ſe invito, fuiſſe interemtum, catena ferrea, quoad vixit, ſe cingebat, cui ſingulis annis annulum unum adjiciebat. Id quanquam cædis auctoribus formidoloſum eſſe poſſet, tamen, vel miti Regis ingenio, vel factionis opibus confiſi, omni motu publico abſtinuerunt.

X. In hoc communi univerſorum, ac privata ſingulorum lætitia, ſeptimo fere ab inito regno anno, Petrus Varbecus in Scotiam appulit. Sed, antequam cauſſam ejus adventus explicem, pauca mihi ſupra ſunt repetenda. [2] Margari-

1 *Ut, e ſeculo plus quam ferreo, vere aureum renatum fuiſſe videretur*] Ita cum MS. correximus: editis autem omnibus [*ver aureum*] inepte, me judice, hic ſubſtituitur.

2 *Margarita Eduardi Quarti Regis Anglorum*] Ita a Crafordio & re ipſa admoniti reſtituimus; pro quo libri omnes [*Henrici Quarti*] falſo edidere.

garita, Eduardi Quarti Regis Anglorum ſoror, cum Carolo Burgundo nupſiſſet, ea Henricum Septimum, factionis adverſæ ducem, quibuſcunque poſſet rationibus, ſi non evertere, ſaltem exercere ſtatuit. Id autem ut facilius efficeret, Petrum quendam Varbecum regni æmulum ei excitavit. Erat autem is adoleſcens Tornaci (quod eſt Nerviorum oppidum) humili loco natus, ſed ea forma, ingenio, ſtatura corporis, atque oris dignitate, ut facile Regii generis fidem faceret. Verum, cum ita diu propter inopiam peregre vixiſſet, ut vix a ſuorum paucis agnoſci poſſet, multarum nationum linguas addidicerat, atque ad ſummam impudentiam & os & animum [1] offirmaverat. Hunc Margarita (quæ, ad omnes occaſiones turbandi rem Anglicam intenta, advigilabat) cum eſſet nacta, aliquamdiu apud ſe occulte habuit, donec eum edoceret, quibus factionibus Anglia laboraret, quos amicos inimicoſque illic haberet; perficeretque, ut omnem Regii generis ſeriem, quæ item ſingulis proſpera vel adverſa eveniſſent, teneret.

XI. His ita comparatis, cum jam maturum videretur fortunam experiri, hominem occulte curat, cum honeſto comitatu, primum in Luſitaniam, deinde in Hiberniam, mittendum. Ibi magno concurſu, & vulgi applauſu, velut Eduardi Regis filius, receptus, ſive ſuopte ingenio, ad ſimulandum compoſito, atque arte etiam adjuto, ſive barbarorum hominum credulitate fretus, magnum brevi motum excitaturus videbatur: cum, bello repente inter Gallos & Anglos exorto, a Carolo Octavo magnis pollicitationibus ex Hibernia vocatus, Lutetiam venit. Illic honorifice, ac Regio cultu, adjectis etiam ſatellitibus, habitus, & ab Anglis exulibus, qui tum ibi frequentes agitabant, in ſpem certam regni adductus eſt. Sed, eo tumultu conditionibus ſopito, clam ex aula Gallica, metu ne dederetur, in Flandriam ſe contulit: atque a Margarita, ceu tum primum ab ea viſus, magno ſtudio cultus, & aulicis oſtentatus, & ſæpe multis præſentibus omnem fortunæ ſuæ fabulam iterare juſſus; Margarita, velut eam tum primum audiſſet, ad ſingulos tum proſperos, tum adverſos eventus, ita ſimulatis affectibus orationi ejus ſubſerviebat, ut omnibus faceret fidem, ſe pro veris quæ audiſſet accipere. Poſt unum & alterum diem, Petrus Regio cultu procedere juſſus, adhibitis triginta ſtipatoribus, ac nomine Albæ roſæ (quod inſigne factionis Eboracenſis apud Anglos eſt) commendatus, verus & indubitatus Anglici regni hæres prædicatur. Hæc ubi fuerunt, primum per Flandriam, deinde per Angliam divulgata, ita populi animos erexerant, ut magna ad eum concurreret frequentia, non eorum modo, qui legum formidine in aſylis aliiſque locis latitabant, ſed hominum etiam nobilium, quibus aut ſuæ res non ſatis placebant, [2] aut novarum

rum

1 *Offirmaverat*] Sic MS. & princeps editio Edinb. quorum auctoritate præcipue nitimur: quod cum aliorum ſcriptorum exempla etiam confirment, non erat, quod aliis codicibus [*obſirmaverat*,] reſcriberetur.

2 *Aut novarum erat cupiditas*] Ita MS. at editi omnes [*rerum*] addiderunt, quod mihi haud opus videtur, cum [*res ſuæ*] modo præceſſerat; non magis quam verſu mox ſequente poſt [*præſentes*] ſubjiciendum [*vires*,] quod e proximo tam facile ſit repetendum.

rum erat cupiditas. Sed cum longior mora, quam Petrus vires novas adjecturam ſperabat, præſentes, emergente in lucem mendacio, paullatim imminueret, ſtatuit belli fortunæ rem committere. Itaque, comparata modica manu, paucis ſuorum in littus expoſitis, Cantianorum erga ſe voluntatem fruſtra tentavit. Omnibus, qui in terram deſcenderant circumventis, in Hiberniam curſum flexit. Nec ibi quoque pro ſpe acceptus, in Scotiam navigat, gnarus raram, nec unquam fere diuturnam, inter Scotos Angloſque eſſe concordiam.

XII. Hic, cum, ad Regem admiſſus, Eboracenſis familiæ ruinam, ſuaſque calamitates, quam maxime potuit miſerabiliter, deploraſſet, cumque vehementer obteſtatus eſſet; „Ut Regium ſanguinem ab hac contumelia vindica„ret, „Rex, cum bene ſperare jubet, polliceturque; „Se effecturum, ne „fruſtra ejus auxilium rebus ſuis afflictis poſtulaſſe exiſtimetur. Paucis poſt diebus, convocato concilio, Petrus introductus lamentabiliter de ſua fortuna diſſeruit; „Se, cum e Rege, florentiſſimo ſuæ ætatis, ad ſummam ſpem na„tus eſſet, præmatura morte patris deſtitutum, in Richardi patrui tyranni„dem pene prius incidiſſe, quam calamitatis ejus ſenſus ad ſe pervenire poſ„ſet. Fratre majore crudeliter extincto, ſe a paternis amicis ſubtractum, in „eo regno, cujus hæres jure eſſet, ne in ſumma quidem inopia precariam vi„tam ducere auſum. Apud exteras gentes ita vixiſſe, ut fratris extincti (qui ex „illis miſeriis fuiſſet ereptus repentina morte) conditionem, præ iis quæ ipſe „ferret, felicem duceret. Se enim, ad fortunæ ludibrium ſervatum, ne hoc „quidem reliquum habuiſſe, ut calamitatem ſuam apud exteros, quo eos ad „miſericordiam adduceret, deplorare auderet: poſtquam autem, quis eſſet, „profiteri cœpiſſet, omnibus adverſæ fortunæ telis petitum eſſe: ad priores „enim miſerias quotidianum inſidiarum acceſſiſſe periculum, callidiſſimo ini„mico nunc vitam ſuam ab hoſpitibus mercante, nunc cives clanculum ſolli„citante, qui, ſimulata amicitia, ſecreta rimarentur, veros amicos cor„rumperent, latentes detegerent, & falſis criminibus genus infamarent apud „vulgus: Margaritam amitam, nobileſque Anglos, qui ipſum agnoſcerent, „conviciis proſcinderent: eam tamen, conſcientia ſua adverſus maledicentiam „inimicorum fretam, & miſericordia erga ſuum ſanguinem permotam, ejus „inopiam ſuis fortunis ſuſtentaſſe. Tandem, cum in muliere & vidua id æta„tis non ſatis præſidii videret, ſe vicinos Reges & nationes circumiſſe: ro„gantem, ut communes caſus reſpicerent, neu Regium ſanguinem, violen„tia tyrannidis oppreſſum, in luctu, miſeriis & formidine ſinerent contabe„ſcere. Se vero, etſi in graviſſimis malis verſetur, non ita animo eſſe deje„ctum, ut non ſperet, aliquando fore, ut amicorum (quos plurimos adhuc „habeat in Anglia & Hibernia) auxilio reſtitutus, pro merito cuique gratiam „referre poſſet, præſertim adjunctis ad ſuam ſectam Scotorum viribus: per „quos ſi in regnum redeat, brevi futurum, ut intelligant, firmiſſimum ami„cum ſibi paratum, & eo tempore paratum, quo veri amici conciliari ſo„leant. Tanti autem beneficii ſe ſuoſque poſteros ita perpetuo memores fore, „ut omnem melioris fortunæ acceſſionem debere ſe eis libenter faterentur. Ad-

didit prætcrea multa de Regis laudibus, partim vera, partim qualia præſens fortuna exprimebat.

XIII. Poſt hæc dicta, cum Petrus reticuiſſet, [1] Rex eum ſevocatum bono animo eſſe juſſit. „Se de poſtulatis ejus ad concilium relaturum. Eorum ſen„tentiam etſi ſibi ſit neceſſe in rebus gravioribus ſequi, tamen, utcunque illi „decernerent, ſe effecturum ſpondet, ne eum aliquando ad ſe confugiſſe pœ„niteat. Petro egreſſo, cum ſententiæ rogarentur, prudentiores, & quibus major erat rerum uſus, rem integram rejiciendam cenſebant: ſive quod vana, quæ prætenderentur, exiſtimarent; ſive quod plus e bello proſpicerent periculi, quam e victoria, etiamſi certa eſſet, emolumenti exſpectarent. At major pars, vel ob imperitiam rerum, & animorum inconſtantiam, vel ut Regi gratificarentur, nunc de cauſſa Petri diſſerendo, ut quæ eſſet juſtiſſima, fortunam hominis commiſerabantur: nunc, „Rebus in Anglia turbatis, ani„miſque ex civili diſcordia adhuc fluctuantibus, occaſionem arripiendam, „& quod Angli ſemper facere conſueverunt, id ſe aliquando experiri de„bere, ut inimicorum adverſa tempora ad ſuum uſum traherent: victo„riamque jam ſibi ante claſſicum augurabantur, præſertim adjunctis magnis „Anglorum copiis: quæ ſi ſpe hominum infrequentiores convenirent, ta„men e duobus alterum ſponte ſecuturum: ut vel victores tanto beneficio „Regem ſibi obnoxium in Regiam ſedem collocarent, ab eoque quæ vel„lent omnia impetrarent; vel, ſi abſque certamine rem tranſigere poſ„ſent, Henricum, ſedatis motibus domeſticis, nondum regno confirmato, „in quas vellent conditiones pertracturos: quod ſi facere cunctetur, bello ſe„mel moto, permulta, quæ nunc laterent, ſponte ſe oblatura.

XIV. Hæc cum major pars cenſuiſſet, Rex, novarum rerum cupidus, in eam ſententiam inclinavit, ac cæteros ſecum traxit: nec poſt id ceſſavit, Petrum, honorificentius tractando, Ducemque Eboracenſem appellando, populo oſtentare. Nec hac beneficentia contentus, Catharinam Gordoniam, Comitis Huntilææ filiam, ac, præter ſplendorem generis, forma commendatam, ei uxorem dedit, hac affinitate in ſpem fortunæ melioris eum confirmaturus. Interea, ex concilii decreto, Rex, comparato exercitu, in Angliam ducit: primum circumſpecte, & agmine ad prælium, ſi qua repentina vis ingrueret, parato. Deinde, ut per equites miſſos exploratum cognovit, nullum exercitum, nullam hoſtium manum uſquam coiſſe, dimiſſis ad prædandum cohortibus, brevi pene totam Northumbriam, late in omnes partes fuſa populatione, vaſtavit. Hæc per aliquot dies dum geruntur; neque Anglorum quiſquam ad Petrum deficeret, & nunciatum Regi eſſet, per vicinas regiones exercitum conſcribi, periculoſum ratus, ſuos præda graves expeditis & recentibus Anglorum copiis objici, ſtatuit in Scotiam redire, ac, depoſita præda, cum primum per anni tempus liceret; novam expeditionem para-

1 *Rex eum ſevocatum*] Ita MS. & princeps Editio Edimb. quod reliqui omnes oſcitanter in [*revocatum*] mutarunt.

1 *No*

parare. Neque metuebat, ne Angli abeuntem ſequerentur, ut qui non ignoraret, neque ſubitarium militem diu in caſtris poſſe contineri, neque per inopem & nuper vaſtatam regionem poſſe, nullis ante præparatis commeatibus, ſequi. Et Petrus, contra quam ſperaverat, nullis Anglorum auxiliis ad ſe coëuntibus, veritus, ne, ſi diutius in hoſtico morarentur, commenta ſua palam fierent, velut & ipſe ſententiam Regis probaret, eum adit: & compoſitis vultu & oratione ad miſericordiæ habitum, rogat ſuppliciter; „Ne in regnum ſibi debitum, „& civium ſuorum cruorem, tam hoſtiliter ſæviretur. Tanti ſibi nullum eſſe domi„natum, ut ſuum ſanguinem ita profundi, & ſolum patrium ferro flammaque ſic „miſerabiliter vaſtari cerneret. Et Rex, prope jam intellecto, quo intempeſtiva hominis illa clementia ſpectaret, reſpondit; „Se vereri, ne regnum illud, „in quo nemo eum [1] non modo Regem, ſed nec civem agnoſceret, non ſibi, „ſed hoſti ſuo capitali ſervet. Ita, de communi ſententia, domum reditur, & exercitus dimittitur.

XV. Rex Anglus, de motu & reditu Scotorum certior factus, expeditione adverſus eos in proximum annum decreta, validum exercitum conſcribi, jubet: ipſe interea, ne hiems iners eſſet, Ordinum conventum habet. Ibi conſilio ejus de bello Scotico comprobato, in ſubſidium leve tributum populo indicitur: ſed quod gravius domi bellum excitavit, quam cui reſtinguendo foris erat deſtinatum. Querebatur enim vulgus; „Tot bellis, intra paucos annos geſtis, ju„ventutem delectibus eſſe abſumtam; rem familiarem valde attenuatam; pro„ceres & conſultores Regios non modo iis calamitatibus non commoveri, ſed „in pace nova bella quærere, nova rerum omnium egentibus tributa imponere, „ut, quos ferrum non abſumſerit, hi inopia & miſeriis conficiantur. Hæ querimoniæ cum publicæ fere eſſent, Cornavii longe præ cæteris indignabantur, quippe, cum agrum magna ex parte ſterilem colerent, bellum eis magis quæſtuoſum, quam ſumtuoſum eſſe conſueverat. Igitur homines bellicoſi, qui rem familiarem magis peculio caſtrenſi augere, quam tributis imminuere, ſolebant, primum coactores & miniſtros Regios occidunt: deinde tam audacis facinoris, unde receptus ad miſericordiam non erat, ſibi conſcii, multitudine ad arma indies affluentius properante, Londinum verſus iter capeſſunt. Sed de his motibus, quos longius proſequi animus non eſt, ſatis ad meum inſtitutum arbitror dicere, quod totum eum annum Cornavii Regem Anglum ita exercuerint, ut arma copiaſque, ad bellum Scoticum paratas, in rebelles vertere ſit coactus.

XVI. Interea Scotus, qui animo præceperat, hoſtem ſuperiora damna non paſſurum inulta, & per exploratores cognoverat, ingentes in ſe copias parari, & ipſe ex adverſo cogit exercitum, eo conſilio, ut, ſi Angli priores eum invaderent, ipſe ſua tueretur: ſin minus, expeditione in hoſticum facta, vicina ſuis finibus loca ita devaſtaret, [2] ut non modo ad militem, ſed ne ad cultores agrorum alendos, ſolum (alioqui tenue) neceſſaria ſuppeditaret. Verum, nun-

cio

1 *Non modo Regem, ſed nec civem*] Pro [*non modo non Regem.*] Vide ſupra ad Lib. II. 21. Similiter loquitur Buchananus hac eadem pag. Cap. 16 lin. 5.

2 *Ut non modo ad militem*] Vocem [*ad*] quæ omnibus editis aberat, ex MS. inſeruimus.

cio de Cornaviorum tumultu allato, ſtatim Angliam cum magnis copiis ingreſſus, bifariam ſuos diviſit: partim ad Dunelmenſes agros populandos miſſis, cum reliquis ipſe Noramam, arcem validam ad Tuedam in colle præalto ſitam, oppugnare aggreditur. Sed nec hac nec illac magnum operæ pretium factum. Nam Richardus Foxius, Dunelmenſis Epiſcopus, vir ſumma prudentia, e ſtatu rei Anglicæ turbato, ſuſpicatus Scotum tantam rei bene gerendæ occaſionem non omiſſurum, arces aliquot validis præſidiis communivit: pecora, quæque alia ferri agive poterant, in loca, aut natura tuta, aut amnibus & paludibus impedita, transferenda curavit: Comitemque Surrium, qui magnas in agro Eboracenſi copias habebat, arceſſit. Igitur incendiis in agros modo ſævitum eſt, & Norama valide a præſidio eſt defenſa. Ita, nulla re memorabili geſta, Scoti domum redierunt. Angli, eos brevi ſecuti, Atonam arcem modicam, prope in ipſo limite ſitam, everterunt: deinde & ipſi quoque, nullo operæ pretio facto, ex hoſtico exceſſerunt.

XVII. Inter hos motus, externos & civiles, venit in Angliam Petrus Hialas, vir prudentiæ ſingularis, &, ut illa ferebant tempora, non indoctus, a Ferdinando & Iſabella, Regibus Hiſpaniarum, miſſus. Ejus Legationis ſumma erat; „Ut Catharina, eorum filia, Arcturo, Henrici filio, collocata, nova „affinitas, & ex ea neceſſitudo, contraheretur. Eum cum de affinitate Anglus libenter audiſſet, cuperetque etiam, eo interprete, cum Scoto (a quo ipſe parum e dignitate ſua putabat ut pacem peteret) bellum finire, Petrus libens negotium ſuſcepit: ac profectus in Scotiam, cum, varie verſando Jacobi animum, tandem ad quietiora conſilia eum flexiſſet, ſcripſit ad Anglum; „Se „ſperare, pacem non difficulter coire poſſe, ſi ipſe aliquem e ſuis hominem „prudentem, ſtatuendum de conditionibus, mitteret. Anglus, ut homo fortunæ inconſtantiam ſæpe expertus, ſuorum animis e domeſtico tumultu adhuc ferocibus, nec tam clade fractis quam irritatis, jubet Richardum Foxium, qui in arce ſua Norama ſe continebat, conſilia cum Hiala communicare. [1] Hi cum Jedburgi cum Scotorum Legatis per aliquot dies diſceptaſſent, multis ultro citroque jactatis conditionibus, nihil certi ſtatuere potuerunt. Pax quo minus coiret, maxime impediebat Henrici poſtulatio, qui æquum cenſebat, Petrum Varbecum, hominem fraudulentum, & multarum turbarum auctorem, ſibi dedi. Id cum Jacobus obſtinate negaret, („Neque enim honeſtum ſibi eſ„ſe, hominem Regii generis, primum ſupplicem, mox affinem, violata fi„de, hoſtium ludibrio tradere) infecta re, e colloquio diſceſſum eſt. Spe tamen non penitus abjecta, induciæ [2] in aliquot menſes factæ, dum Jacobus Varbecum, ſalva fide, ab ſe dimitteret.

XVIII. Cum jam, ex colloquio cum Anglis, magniſque aliis indiciis, falſa illa de genere & fortuna Petri fabula dilucere cœpiſſet, Rex, eo ad ſe vocato,

1 *Hi cum Jedburgi*] Non *Jedburgi*, ſed (quod Abercrombius ex Actis Angl. publ. animadvertit) *Atonæ*, cujus arcem Angli paullo ante everterant. Fieri tamen potuit ut *Jedburgi* primum, ac deinde *Atonæ*, Legati convenerint.

2 *In aliquot menſes*] Imo vero in 7 *annos*, a 30 Sept. 1497 numerandos. Fœd. Angl. Tom. 12. pag. 673.

cato, beneficia in ipſum collata, ſingularemque ſuam benevolentiam, cujus ipſe optimus eſſet teſtis, commemoravit: in primis, „Quod, ejus cauſſa, „bellum cum opulentiſſimo Rege ſuſcepiſſet, ac jam alterum annum geſſiſſet, „magno cum hoſtium incommodo, & civium vexatione. Se pacem honorifi„cam, ultro, ſi eum dederet, oblatam, recuſaſſe: ea in re, cum civium „& hoſtium animos juxta offenderet, ſe nec velle, nec poſſe conſenſui co„rum amplius reſiſtere. Petit ab eo, ut circumſpiciat, ſive bellum, ſive pax „placeat, commodiorem exilio locum: ſibi decretum, pacem cum Anglo „facere, factamque ſancte colere, & quicquid eam perturbare poſſet, a ſe „procul ſegregare. Nec Petrum queri poſſe, ſe prius a Scotis, quam ab An„glis, quorum fiducia bellum Scoti moverunt, deſtitutum. Utcunque autem „hæc ſe haberent, ſe eum viatico, rebuſque ad navigandum neceſſariis, pro„ſecuturum. Varbecus, etſi præter ſpem diſceſſu angebatur, nihil tamen remittens de ſimulata animi magnitudine, paucis poſt diebus, cum uxore & familia in Hiberniam navigavit: atque inde brevi in Angliam, & cum reliquiis Cornavianæ conjurationis ſeſe conjunxit. Ibi cum multa attentaſſet, neque quicquam ſuccederet, tandem captus, & vitæ ſuperioris ludibria faſſus, laqueo vitam finivit.

XIX. Seminario belli inter Scotos & Anglos prope extincto, rebuſque ad pacem ſpectantibus, e levi occaſione ſubito animis irritatis, ſæviſſimum bellum prope exarſit. Juvenes aliquot Scoti cum (ut in pace fieri ſolet) in oppidum Noramam, arci propinquum, ſæpiuſcule conveniſſent, ac, per ludum & laſciviam, tam familiariter cum vicinis, ac fluvio tantum, nec eo quidem lato, diremtis comeſſarentur, quam ſi domi fuiſſent; cuſtodes arcis, ex reſiduo ſuperioris belli odio animis infenſis, & per jurgia irritatis, cum velut ſpeculatores Scotos arguerent, a rixa ad manus ventum eſt. Multis vulneribus utrinque acceptis, Scoti, numero inferiores, aliquot ſuorum amiſſis, domum redeunt. Re ſæpius in conventibus inter limitum præfectos agitata, Jacobus, vehementer iratus, fœcialem ad Henricum mittit, queſtum de violatis induciis, & Anglorum inconſtantia in pactis ſervandis: ac niſi ſatisfiat ex legibus, quæ, ex utriuſque populi conſenſu, de rebus repetundis ſanctæ eſſent, bellum denunciare juſſit. Anglus, fortunæ violentia a primis uſque incunabilis exercitus, & ad pacem pronior, reſpondit; „Quicquid hujus patratum eſſet, ſe „quidem invito, atque etiam ingnaro, factum. Si quid temeritate præſidiarii „militis ſecus commiſſum eſſet, ſe, ſalvis fœderibus, curaturum, ut ea de „re quæſtio habeatur, ac de noxiis pœna expetatur. Verum, cum ea res lentius ageretur, id reſponſum eo viſum eſt tendere, ut, dilata pœna, ſpatio temporis invidia evaneſceret, ideoque animum Jacobi magis accendit quam lenüt.

XX. Richardus Foxius, Dunelmi Epiſcopus, qui arcis erat dominus, cum ferret moleſte, cauſſam ſolvendi fœderis a ſuis ortam, id ne fieret, literis officii & humanitatis plenis ſubinde miſſis, homo ſumma prudentia & dicendi peritia, Jacobi animum ita flexit, ut reſcriberet; „Libenter ſe cum eo collo„cuturum, non modo de recenti injuria, ſed de aliis negotiis, quæ ex uſu gen-

„tis

„tis utriuſque forent. Is, conſulto ac aſſentiente primum ſuo Rege, ad Mulroſſiam, ubi tum Jacobus erat, venit. Ibi, poſt vehementem querelam de injuria ad Noramam accepta, prudente & gravi Foxii oratione delenitus, offenſam quidem, concordiæ cauſſa, cujus ſe cupidiſſimum eſſe oſtendebat, remiſit: cætera ſine arbitris acta: quorum hæc, ut poſtea cognitum eſt, ſumma fuit; „Se ſemper non modo pacem, ſed quo arctius ea coaleſceret, etiam aſ-
„finitatem cum Henrico cupiiſſe: ac nunc etiam cupere. Quod ſi Henricus
„induceret in animum, Margaritam filiam deſpondere, ſeſe ſperare, eam rem
„in utriuſque regni emolumentum ceſſuram. Foxius vero, cujus auctoritatem
„jure maximam eſſe domi ſciret, ſi ad eam affinitatem conciliandam ſuum ſtu-
„dium adjungere vellet, ſe non dubitare, facile omnia conventura. Ille ſuam operam libenter eſt pollicitus: atque, in aulam Anglicam profectus, re cum Rege communicata, ſpem Scotorum Legatis fecit, concordiam [1] Reges inter facile coituram. Ita demum, tertio poſt anno, [2] qui fuit milleſimus quingen-
M. D. teſimus, iiſdem fere diebus, Margarita, Henrici natu major filia, Jacobo Quarto; & Catharina, Ferdinandi Hiſpani filia, Arcturo, Henrici primogenito, deſponſa fuit: nuptiæ, altero poſt anno, magno apparatu celebratæ fuerunt.

XXI Secundum nuptias, rebus tranquillis, aulaque a ſtudio armorum ad luſus & laſciviam converſa, nihil aliud, quam ſpectacula, pompæ, & convivia, & ſaltationes conſpiciebantur: ac veluti perpetui quidam ludi, & ludorum cauſſa dies feriati agitabantur. Edebantur & certamina equeſtria frequenter, maxime ad morem Gallicum. Intercurrebant etiam (velut tragici actus) provocationes hominum latrocinio vivere aſſuetorum, Rege ad ea ſpectacula ſe facilem præbente, ut qui cædem eorum in lucro ponendam exiſtimaret. Horum ludorum fama cum ad exteras gentes permanaſſet, multi peregrini, ac potiſſimum e Gallia, virtutis oſtentandæ cupidi, quotidie adventabant: & a Rege benevole & liberaliter excipiebantur & dimittebantur. Nec in has modo ludicras exercitationes, ſed etiam ædificationes, Sterlini, Falcolandiæ, aliiſque

1 *Reges inter*] Præpoſtera eſt recentiorum editionum diligentia, [*inter Reges*] hic reſcribentium: MS. enim & princeps Editio Edimb. a quarum fide niſi gravi cauſſa poſtulante nuſquam diſcedendum, [*Reges inter*] nobis exhibent: & quidem veteres ita nonnunquam ſcripſiſſe oſtendit Cic. de Amicit. cap. 22. *Quæ ſi quos inter ſocietas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt habendus ad ſummum naturæ bonum optimus beatiſſimuſque comitatus.* Liv. lib. 8. *Quos inter belli cauſſa eſſet.* Tacit. lib. 18. *Eſt Judæum inter Syriamque Carmelus.*

2 *Qui fuit milleſimus quingenteſimus, iiſdem fere diebus*] In errore non ſimplice hic verſatur Buchananus: tabulis enim nuptialibus, ab utriuſque Regis Legatis Richemondiæ confirmatis 4 Jan. 150½ conventum eſt, 1. Ut Jacobus Scotorum Rex intra feſtum Purificationis beatæ Mariæ proxime futurum matrimonium cum Margarita Angla contraheret. 2. Ut circa initium Septembris anni 1503 nuptiæ celebrarentur; quod & factum 8 Auguſti, Fabianus fol. 232. Stovius pag. 484. tradidere. Arcturus autem Henrici primogenitus Catharinam Hiſpanam, ei antea deſponſam, uxorem duxit 14. Novemb. 1501. Vide Baconi Hiſt. Henrici VII. pag. 336. Graftonum pag. 936. Stovium pag. 484. *&c.* Duo igitur inter haſce duas nuptias anni interceſſere.

1 *Mex-*

que diverſis in locis, atque in Monaſteriorum ſubſtructiones, magnos ſumtus fecit: ad navium autem fabricationes longe maximos: tres enim eximia magnitudine naves ædificavit, multaſque mediocres: ſed omnium admirationem & ſumtus & apparatus una longe ſuperavit, qua nullam hominum memoria in Oceano majorem viderat. Cujus ut prætercam deſcriptiones, a noſtris hominibus proditas, & [1] menſuram aliquot locis ſervatam, illud ſatis perſpicue magnitudinem ejus indicat, quod Franciſcus Rex Galliarum, & Henricus Octavus Rex Anglorum, æmulatione ſtimulati, cum uterque paullo capaciorem navem exſtruere conati eſſent, & jam utraque perfecta, & omnibus rebus ad navigationem ornata, ac in mare deducta, magnitudine ſua immobiles, & ad omnem uſum incommodæ eſſent.

XXII. In hæc igitur opera, quæ diximus, cum magnos ſumtus feciſſet; &, exhauſto jam ærario, novas conficiendæ pecuniæ rationes comminiſci fuiſſet coactus, inter alias, auctore, ut creditur, Gulielmo Elfinſtonio, Epiſcopo Abredonienſi, rem eſt aggreſſus univerſæ Nobilitati valde moleſtam. Inter agrorum apud Scotos jura, [2] unum genus eſt, quo dominus vel emta vel donata prædia ea lege obtinet, ut, ſi poſſeſſor moriens pupillum relinquat hæredem, tutela ejus ad Regem, vel alium quemcunque dominum ſuperiorem pertineat, omniſque fructus uſque ad ætatis annum viceſimum primum expletum. Eſt & alia ſervitus huic generi agrorum adjuncta, ut, ſi poſſeſſor, ſine aſſenſu ſuperioris domini, ſupra, dimidium agri vendat, totus ager ad ſupremum dominum redeat. Hæc lex, ut parum æqua, & ab adulatoribus aulicis, qui fiſci commoda promovere contendunt, introducta, cum diu jacuiſſet, Rex admonitus, aliquid pecuniæ ab ejus violatoribus corradi poſſe, legem exercere juſſit. Eam quæſtionem Recognitionem vocarunt. Hæc pecuniæ conficiendæ ratio, quanquam nemo bonis omnibus everteretur, prope vulgo moleſtior erat, quam patris avaritia: injuria enim ad plurimos atque honeſtiſſimum quemque pertinebat; quod ſub duobus proximis Regibus, per bella non ſolum externa, ſed etiam civilia, memoria ejus legis prope erat abolita: ideoque cogebantur ſuos agros a procuratoribus fiſci redimere, aut eorum parte aliqua cedere. Tantus tamen amor civium, ad quos id pertinebat incommodum, ob alias virtutes, tantaque erga Principem reverentia erat, ut ea hominum indignatio citra motum conſtiterit.

XXIII. Sed, cum nec Rex modum faceret, [3] nec deeſſent (perpetuum aulæ malum) adulatores, qui id vitium, ſub honeſtis nominibus ſplendoris & magnificentiæ, alerent, in animum induxit in Syriam proficiſci, ut immanem illum luxum, quem nec ſuſtinere ſine pernicie, nec omittere poſſe, ſalvo pudore, videbatur, per abſentiam imminuere aſſueſceret. Prætendebatur profectioni

1 *Menſuram aliquot locis ſervatam*] Lindeſius Pitſcottienſis fol. 48. hanc navem tradit 240 pedes longam, 36 latam, præter laterum craſſitiem, quæ ipſa 10 pedes æquabat; Sciagraphicamque porro ipſius deſcriptionem, Tilibardini ex conſitis ſpinis albis efformatam, ſuo tempore exſtitiſſe.

2 *Unum genus eſt*] *Eſt* illud e MS, ſupplevimus.

3 *Nec deeſſent*] MS. & Editio Edimb. *deeſſet.*

ctioni honeſtum velum, ut expiaret illam culpam, quod adverſus patrem ſuum in acie ſtetiſſet armatus. Hujus autem, ſive veræ, ſive oſtentatæ pœnitentiæ, quam in omni ſermone præferebat, dederat, ut ante commemoravi, ab initio ſtatim regni, ſignificationem. In hanc profectionem claſſem jam ornaverat, & comitum principes deſcripſerat, ac Reges vicinos per Legationes fecerat certiores. Multi quoque, velut eodem voto ſe obſtrinxiſſent, barbam & capillos promittebant: brevique ſoluturus credebatur, niſi in id maxime intento objecta fuiſſent impedimenta. Jam enim futuri belli ſuſpicio inter Gallum & Anglum gliſcebat. Nam & Anglus non ſatis æquo animo ſucceſſus Gallorum in Italia ferebat; & a Julio Secundo Pontifice, & Ferdinando Hiſpano ſocero, in ſocietatem ſollicitabatur; & Venetis & Helvetiis ad hos adjunctis, & Maximiliano (etſi plerumque ſua conſilia ex rerum eventu moderaretur) acceſſuro, conjuratio tot gentium tam firma cunctis apparebat, ut Gallia, [1] tot copiis undique irrumpentibus, opprimi poſſe videretur. Rex Angliæ, & ætate & regni florentis opibus tumidus, & rerum gerendarum cupidus, conjungere ſe eis avebat: ſed honeſtam, quam bello prætexeret, cauſſam quærebat. Cum autem uterque alterius conſilia per exploratores cognoſceret, neque Franco perſuaderi poſſet, ne adverſus Pontificem Romanum Henrici amicum arma ferret, tandem fœcialis in Galliam miſſus, qui Normaniam, Aquitaniam, Andegavos (veterem Anglorum in Gallia ditionem) repoſceret. Sed cum, nec his minis, bellum in Italia intermitteretur. Anglus, bello Gallis indicto, exercitum in Cantabros, ut ſe Ferdinando ſocero conjungeret, mittit: & ipſe [2] expeditionem in Galliam adornat.

XXIV. Jacobus autem Scotus, quanquam neutri adeſſe decreviſſet, tamen in Gallum pronior, claſſem cujus, antea meminimus, mittere ſtatuit dono Annæ Reginæ Francorum, ut, magis amicitiæ pignus, quam ad rem gerendam ſubſidium, videri poſſet. Eccleſiaſticus quoque ordo, largitionibus Gallicis aſſuetus, ſuum ſtudium Ludovico volebat oſtentare: ſed cum id aperte [3] non auderet, ab Anglo ſui Regis alienandi cauſſas circumſpiciebat. Miſſus eſt, [4] ex eorum factione, qui Gallo ſtudebant, in Angliam Andreas Formanus, tum Epiſcopus Moravienſis, ut ab Henrico peteret magnum pondus auri argentique facti, cujus major pars in mundo muliebri erat. Hæc pecunia legata dicebatur ab Arcturo, majore Henrici fratre, Margaritæ ſorori, quam Scoto nupſiſſe ante oſtendimus. Henricus autem (ut credibile eſt) cauſſam belli quæri ratus, benigne reſpondit; „Non modo, ſi quid deberetur, ſed ſi „quo alio Jacobus egeret, nulla in re ſe ei defuturum. Hoc reſponſo accepto, Jaco-

1 *Tot copiis undique irrumpentibus*] Ita MS. reliqui omnes [*erumpentibus.*]

2 *Expeditionem in Galliam adornat*] Ita MS. alii [*Gallum*] edidere.

3 *Non auderet* —— *cauſſas circumſpiciebat*] Ita MS. quod & aptius cum verbo præcedente [*volebat*] congruere videtur; editis tamen omnibus [*auderent*] & [*circumſpiciebant*] legitur.

4 *Ex eorum factione qui Gallo ſtudebant*] Editis omnibus [*ſtudebat*] irrepſit, quod nullo pacto, niſi [*qui*] in [*quæ*] mutato, tolerari poteſt. Rectius MS. verbis licet paullo diverſis, *Miſſus eſt, ex eorum factione qui Gallo ſtudebant ſententia, in Angliam Andreas Formanus.*

1 *Ei*

Jacobus conſtituerat Gallum, ſi qua in re alioqui poſſet, juvare, ſed prorſus ab Anglia invadenda abſtinere: eundemque Formanum in Galliam miſit, qui hæc Ludovico annunciaret.

XXV. Interea, quoniam audierat, magnos belli maritimi apparatus utrinque fieri, claſſem, de qua diximus, ſtatim ad Annam mittere decrevit, ut ante belli initium, ſi fieri poſſet, illuc appelleret. [1] Ei præfecit Jacobum Hamiltonium Araniæ Comitem, &c, cum primum commodum fuit, vela facere coëgit. Sed Hamiltonius, vir minime malus, verum pacis quam belli artibus inſtructior, ſive periculi metu, ſive naturali inertia, omiſſo in Galliam itinere, ad Rupem Ferguſii, oppidum Hiberniæ adverſus Gallovidiam ſitum, appulit: urbem ſpoliatam incendit, atque inde, tanquam re bene geſta in Scotiam, ad Aeram, portum Coilæ, vela fecit. Rex, de ejus reditu certior factus, ac ſupra quam dici poſſet iratus, nec minis nec conviciis adverſus eum ſibi temperare potuit. Iram etiam ejus incendebant, e Gallia literæ Annæ Reginæ, blanditiis ad bellum Anglicum illicientes, & alteræ, Andreæ Formani promiſſionem de claſſe mittenda velut vanam omnium ſermonibus exprobrari ſignificantes. Rex, ut huic malo mederetur, quoad poſſet, ex concilii ſententia, Hamiltonium, qui curſu, quem tenere juſſus erat, omiſſo, urbem nunquam Scotis inimicam, & tum Regum fœdere conjunctam, crudeliter vaſtaſſet, bellumque non indictum amicis intuliſſet, abrogata claſſis præfectura, ad ſe venire juſſit: ſucceſſoremque ei deſtinaverat Archibaldum Duglaſſium Anguſiæ Comitem, miſſo cum eo Andrea Silvio, qui claſſem reciperet. Sed Hamiltonius, ante adventum eorum, per amicos de Regis erga ſe voluntate certior factus, ſtatim vela in altum fecit, ac fortunæ incertæ, potius quam irato Regi, ſe committere elegit. Dum autem Galliam petit, diu adverſis ventis ac fœdis tempeſtatibus jactatus, diſſipata ac multum vexata claſſe, ſero, ac maritimarum rerum cura apud Gallos depoſita, in Britanniam minorem appulit. Ibi navis illa, tanto ſumtu ac labore ædificata, ſublatis armamentis, in portu Briſtonico computruit

XXVI. Interea domi aliæ diſcordiarum cauſſæ ſubortæ ſunt, quæ Scotum ab Anglo penitus alienarunt. Regnante adhuc Henrico Septimo, Robertus Carus, Eques nobilis, ob egregias virtutes Jacobo ita acceptus erat, ut eundem & pincernam ſibi principem, & machinarum bellicarum & medii limitis præfectum crearet. Is, cum acer latrociniorum vindex eſſet, non majorem Regis gratiam, quam limitaneorum odium ſibi conciliavit. Igitur cum & Angli & Scoti, quorum licentiam judiciorum ſeveritate comprimebat, ſi qua daretur occaſio, juxta ejus exitio imminerent, tandem in conventu ſolenni, qui inter Anglos & Scotos rerum repetundarum cauſſa ſolet agitari, orta altercatione, tres Angli, homines audaciſſimi, Joannes Heron, Lilburnus & Starhedus, aggreſſi, unus lancea averſum transfixit, reliqui jam ſaucium confecerunt. Cum res ad bellum ſpectare videretur, Henricus Rex, vir alioqui juſtus, nec minus faci-

1 *Ei præfecit Jacobum Hamiltonium*] Alio prorſus modo rem narrant Leſlæus & Holinſhedius. Videndus etiam hac de re Abercrombius, vol. 2. pag. 528.

facinori turpiſſimo, quam Jacobus inſenſus, perfecit, ut [[1]Joannes] Heron, Joannis frater, Furdi Comarchus, & Angli limitis præfectus, cum Lilburno (nam duo reliqui fuga vitæ conſuluerunt) Scotis dederentur: quibus acceptis, & in Faſcaſtellum arcem incluſis, Lilburnus ibi deceſſit. Illud quoque, in manifeſti criminis expiationem, ſtatutum eſt, ut, in conventibus, Angli priores fidem publicam, ſolum Scoticum ingreſſi, peterent, ibique conventus haberent; & Legati Anglorum, multa verborum & decretorum honorificentia, crimen a conſcientia publica removerent. Duo reliqui percuſſores in Anglia interiore latuerunt, uſque ad Henrici Octavi regnum: nec tamen pœnas effugerunt. Nam cum Regem adoleſcentem, opibus ferocem, ſuaſque vires oſtentandi cupidum, cernerent, e latibulis prodierunt: & Heron quidem, propinquorum potentia fretus, palam domi verſabatur, & occulte latrones in Scotiam ſubmittebat, ad pacem turbandam; bello ſemel moto, veterum injuriarum oblivionem, & novarum impunitatem ſperans: Starhedus vero, prope nonaginta millia paſſuum a limite domicilio conſtituto, ſe longinquitate tutum putabat. Andreas autem Carus, Roberti filius, qui odiorum ſemina, mox in bellum eruptura, jam tum jaci videbat, veritus, ne, armis ſemel publice ſuſceptis, vindicta cædis paternæ ſibi periret, duobus ſuis clientibus, e familia Tatiorum, perſuadet, ut, diſſimulato habitu, Starhedo perniciem moliantur. Illi, facinore ſuſcepto, domum ejus, quod tam procul a limite habitaret, ſecuri noctu ingreſſi, dominum trucidant, & caput abſciſſum ad Andream apportant. Ille, in vindictæ expetitæ teſtimonium, Edimburgum id mittit, & in loco maxime celebri affigendum curat. De Herone ſuo loco dicemus..

XXVII. Excepit hanc veterem injuriam novum facinus, quod ſopitam Scoti Regis iram verius quam extinctam reſuſcitavit. Erat ea tempeſtate mercator Scotus, Andreas, cognomento Britannus: ejus pater cum, ſpoliata nave, cæſus crudeliter a Luſitanis fuiſſet, cauſſa ab Andrea filio in Flandria (quod cædes ibi facta fuiſſet) acta: damnati Luſitani cum judicatum non ſolverent, nec Rex eorum, per fœcialem a Rege Scotorum admonitus, cives ſuos cogeret de cæde & latrocinio ſatisfacere; Andreas a Rege ſuo, ad omnes Principes & civitates Oceanum accolentes, diploma impetravit, ne, ſi Luſitanos, juris publici violatores, vi & aperto bello perſequeretur, pro pirata aut latrone haberetur: intra paucos menſes, magnis eos damnis affecit. Eorum autem Legati, jam bello Gallico adverſus Julium Secundum flagrante, & cum Anglis, in Julii partes aſcitis, mox futuro, Henricum adeunt; „Andream, hominem impigrum & „audacem, & a quo ipſi, Anglorum veteres amici, maximo damno eſſent affe„cti, certum ei, adverſus Gallos rem gerenti, hoſtem futurum: nunc facile „ſecurum opprimi poſſe: ac facti ſi qua eſſet invidia, nominis piratici obtentu „poſſe tegi. Id ſi faciat, & ſuorum civium commodis proſpecturum, & Regi „affini & amico gratificaturum.

XXVIII.

2 *Joannes Heron*] Lacuna hic in MS. relinquitur, quam Editio Edimb. aliæque eam ſecutæ, introducto *Joannis* nomine, ſuppleverunt: quod tamen haud ſcio an factum debuerit, cum rariſſime duobus fratribus idem nomen imponatur.

1 *Con-*

XXVIII. Hac oratione Luſitanus Anglo facile perſuadet, ut Andreæ inſidias collocari jubeat. Miſſus ad id a Rege Thomas Havartus, maritimarum rerum præfectus, duas e claſſe Regia naves firmiſſimas ornat; & ad Dunos (ita cumulos arenarum recedente æſtu eminentes vocant) eum e Flandria domum redeuntem exſpectant: ac mox in nave modica, minore etiam comitatum, cernunt, & invadunt. Andream Havartus ipſe aggreditur, & acri pugna conſerta, licet rebus omnibus eſſet ſuperior, vix tandem domino cum ſuorum plurimis interemto navem capit. In ipſo certe Andrea tantum animi in rebus deploratis ſuperfuit, ut aliquot plagis ſaucius, crure etiam altero globo ferreo confracto, arripiens tympanum, donec ſpiritus cum vita eum defeciſſet, bellicum ſonuerit, & ſuos ad fortiter dimicandum ſit hortatus. Minor navis, quæ ſe, imparem hoſti cernens, in fugam dederat, minore cum certamine dedita. Qui ex utraque cædi ſuperfuerunt, in carcerem Londini conditi. Inde ad Regem producti, cum, ut edocti ab Anglis fuerant, ſuppliciter vitam precarentur, ille, ſuperba miſericordiæ oſtentatione, inopes & innoxios incolumes dimiſit. Miſſis in Angliam a Scoto Legatis, qui de navibus in pace captis, & vectoribus cæſis, conquererentur, reſponſum; „Fœdera piratarum „cæde non violari, nec eam ſatis honeſtam belli cauſſam fore. Hoc reſponſum [1] contemtim purgantis manifeſtæ cædis crimen, cum velut bellum quærentis eſſe videretur, Angli, qui limites accolunt, ex rebus, quæ gerebantur, animum ſui Regis interpretati, homines ſæpe in pace maxime tranquilla belli ſemina ſpargere ſoliti, & ipſi rebus novis intenti, prædas e proximis Scotorum agris agebant.

XXIX. Erat ea tempeſtate Alexander Humius omnibus Scotiæ limitibus, qui in tres provincias dividi ſolebant, unus præfectus, Jacobo quidem Regi vehementer carus, ſed ferociore, quam publicæ utilitati tum expediebat, ingenio. Is Regi, ad belli curas converſo, & de accepta per incurſiones ignominia delenda ſollicito, pollicetur; „Se, cum propinquis & clientibus, brevi „effecturum, ut Angli, ſi quod ex re bene geſta gaudium accepiſſent, magno „damno & dedecore id luant. Hæc ut præſtaret, tribus fere millibus equitum collectis, Angliam ingreſſus, ſeptem proximos pagos, antequam ſuccurri poſſet, ſpoliavit. Sed, dum revertitur cum ingenti omnis generis præda, homines latrociniis aſſueti, moræ impatientes, in hoſtico eam dividunt: &, qua cuique proximum erat, domos contendunt. Alexander cum paucis agmen cogebat, ac proſpiciebat, ne qua in abeuntes incurſio fieret. Sed, cum neminem ſequi videret, dum incautius agit, incidit in trecentos Anglos, in inſidiis collocatos, qui, captato tempore, eum adorti, injecta ingenti trepidatione, in quos inciderunt, eos fundunt, fugantque. In eo tumultu, e Scotis complures occiſi, ducenti capti: in iis, Georgius Humius, Alexandri frater, quem Angli, accepto Comarcho Herone Furdio, qui ob cædem Roberti Cari complures annos in Scotia retentus fuerat, dimiſerunt: præda omnis, quia, qui eam age-

1 *Contemtim purgantis*] Ita reſtituimus, non tam Crafordii admonitu, quam MSti auctoritate adducti, pro eo quod inepte editos omnes pervaſit [*contemtum.*]

agebant, iter præceperant, in Scotiam incolumis venit.

XXX. Hæc animo Regis, ob ea quæ retulimus, ægro, objecta offenſio, cum eum, quo cupiditas agebat, præcipitem impelleret, conventum Ordinum ad conſulendum de bello habuit. Ibi multis prudentiorum contra nitentibus, Legato vero Gallo Lamota precibus promiſſiſque inſtante, & literis crebris Andreæ Formani eodem urgentibus, Rege quoque non diſſimulante quid vellet, multiſque ei gratificari ſtudentibus, cæteris, qui pauciores erant, ne fruſtra pugnando Principis indignationem in ſe accenderent, aſſentientibus, bellum terra marique adverſus Anglos (incertum pejore conſilio an eventu) decernitur: dies exercitui ad conveniendum indictus. Fœcialis in Galliam, ad Henricum, tum obſidentem Tornacum, eſt miſſus, qui bellum ei denunciaret. Cauſſæ armorum capiendorum recenſebantur: „Res repetitæ, & non redditæ. Roberti Cari interemtorem Joannem Heronem palam ſe oſtentare. Andreas Britannus præter fæderis leges ſpoliatus & interemtus, Regis ipſius juſſu. Has etiam injurias ut diſſimularet, ſe non poſſe æquo animo ferre, Ludovici Regis Francorum, veteris amici, & Caroli Geldriæ Ducis, propinqui ſui, ditionem hoſtiliter omnibus belli calamitatibus evaſtari: quibus rebus niſi deſiſtatur, ſe bellum ei denunciare. Henrico & ætatis vigor, & florentiſſimi regni opes, & prope totius Europæ conſentiens adverſus unum Gallum conſpiratio, in animo, gloriæ militaris avido, belli cupiditatem accendebat. Igitur etiam, quam pro ætate, ferocius fœciali reſpondit; „Se nihil ex eo aliud audire, quam quod jamdudum a Rege, divini & humani juris violatore, exſpectabat: proinde ageret, uti ſibi videretur: ſe bellum tam proſpere cœptum, ob ejus minas, non omiſſurum: nec ſe morari ejus amicitiam, cujus jam ſit expertus levitatem.

XXXI. Hac belli denunciatione in Scotiam perlata, dum, ad exercitum proficiſcens, Rex Limnuchi veſpertinas in æde ſacra cantiones (ut tum moris erat) audit, ſenex quidam ingreſſus, capillo in rufo flaveſcente, ac in humeros promiſſo, fronte in calvitiem glabro, capite nudo, veſte longiuſcula cyanei coloris amictus, ac linteo cinctus, cætero aſpectu venerabilis. Is, Regem quærens, per turbam obſtantium penetrat. Ubi ad eum acceſſit, ruſtica quadam ſimplicitate, ſuper ſolium, in quo Rex ſedebat, innixus; „Rex, inquit, ego ad te ſum miſſus, ut te admoneam, ne, quo inſtituiſti, progrediaris: quam admonitionem ſi neglexeris, non erit e re tua, nec eorum qui te comitabuntur. Præterea præmonere ſum juſſus, ne mulierum familiaritate, conſuetudine, aut conſilio utaris: ſecus vero ſi facies, & damno & ignominiæ tibi res erit. Hæc locutus, turbæ ſeſe immiſcuit: nec, cum, precibus finitis, Rex eum requireret, uſquam comparuit: quod eo magis mirum eſt viſum, quod eorum, qui propius aſtiterant, atque eum obſervabant, avidi multa ex eo ſciſcitandi, nemo ejus diſceſſum ſenſerat. In iis fuit David Lindeſius Montanus, homo ſpectatæ fidei & probitatis, nec a literarum ſtudiis alienus, & cujus totus vitæ tenor longiſſime a mentiendo aberat: a quo niſi ego hæc, uti tradidi, pro certis accepiſſem, ut vulgatam vanis rumoribus fabulam, omiſſurus eram.

XXXII.

XXXII. Rex, quo intenderat profectus, prope Edimburgum recenſuit exercitum. Inde, paucis diebus, Angliam ingreſſus, Noramam, Vercam, Etellam, Furdumque, & alias quaſdam, limiti Scotorum propinquas arces, vi cepit ac diruit, & finitimam Northumbriam late populatus eſt. Interea Rex, cum, amore nobilis captivæ (ea erat Heronis Furdii uxor) irretitus, rem militarem negligeret, & otioſo exercitui, in agro non valde copioſo, commeatus deficeret, nec e longinquo facilis eſſet comportatio, major exercitus pars dilapſa ſigna infrequentia reliquit: proceres ſoli, cum propinquis & clientium paucis, iiſque etiam ſubiratis, in caſtris erant. Major enim pars ſuadebat; „Ne in regione bello vaſtata, & alioqui inopi, ſe ſuoſque diutius conficeret: ſed „Bervicum, a tergo relictum, aggrederetur: in quo uno majus eſſet operæ „pretium, quam in omnibus circumcirca pagis & arcibus. Nec ejus expugna„tionem difficilem fore, quod certum eſſet, & urbem & arcem omnibus ad „reſiſtendum rebus imparatam eſſe. Rex, ſuis armis nihil arduum ratus, præſertim occupatis bello Gallico Anglis, aulicis adulatoribus ejus vanitatem foventibus, in reditu ſe ea potiturum facile arbitrabatur.

XXXIII. Dum ad Furdum ita deſidetur, fœciales Anglorum eum adierunt, petentes: „Ut diem locumque conſtitueret, ubi prælio decerneretur. Concilio ſuper ea re coacto, major pars in ea fuit ſententia; „Ut domum rediret, „neu, cum tam paucis, univerſi regni ſtatum in diſcrimen committeret, præ„ſertim cum & famæ, & gloriæ, & amicitiæ abunde ſit ſatisfactum. Nec ul„lam videri juſtam cauſſam, cur ſuos tam paucos, & [1] tot arces oppugnantes „fatigatos, tantæ Anglorum multitudini, recenti, & novis ſubſidiis auctæ, „objiceret (nam illis ipſis diebus dicebatur Thomas Havartus in caſtra veniſſe, cum ſex millibus fortiſſimorum militum e Gallia remiſſis.) „Accedere præterea, „ut, ſi diſcedat ipſe, neceſſe ſit, Anglorum exercitum ſolutum iri: nec ite„rum, eo anno, quod militem e longinquo collectum habeat, cogi poſſe. „Quod ſi maxime acie decernere velit, in ſolo patrio dimicanti, & loca, & „tempora, & commeatum magis in ſua poteſtate fore. Sed cum orator Gallus, & quidam Gallicis donis culti, contra tenderent, facile Regi, pugnandi avido, fuit perſuaſum, ut ibi hoſtem opperiretur.

XXXIV. Interea, cum Angli ad diem fœciali dictum non affuiſſent, Scotorum proceres, eam occaſionem arripientes, iterum Regem adeunt: oſtendunt; „Fraude hoſtium fieri, ut de die in diem res protraheretur, dum ipſo„rum vires creſcant, Scotorum imminuantur. Itaque pari arte adverſus eos uten„dum. Nam, cum illi tempus a ſe deſignatum non obeant, nulla verecundia „obſtrictos eis eſſe Scotos, quo minus diſcedere domum ſine prælio, aut ſuis „locis depugnare poſſint. Horum prius conſilium multis de cauſſis tutius eſſe. „Id ſi minus placeat, alterius capiendi ſummam occaſionem dari. Nam, cum „Tillus amnis, ripis prææltis, ac nuſquam fere vadoſus, nullum intra aliquot „millia paſſuum, niſi per unum pontem, exercitui tranſitum daturus eſſet, „pau-

[1] *Tot arces oppugnantes fatigatos*] Craſordius legendum jubet [*oppugnando*] Verum cum alterum illud tolerari poſſet, nihil temere mutandum.

„paucos ibi tantæ multitudini poſſe obſiſtere: poſſe etiam, parte Anglorum „tranſmiſſa, machinis commode locatis, pontem interſcindi, primoſque tranſ„greſſos deleri, antequam ab adverſa ripa ſubveniri poſſet, Rex, neutro conſi„lio probato, reſpondet; Etiamſi centum eſſent Anglorum millia ex adverſo, „ſe cum eis dimicaturum.

XXXV. Univerſa Nobilitas cum reſponſo tam temerario offenderetur, Archibaldus Duglaſſius Anguſiæ Comes, qui cæteros ætate & auctoritate longe anteibat, leni oratione Regis animum inflectere conatus, utriuſque conſilii ſuperioris rationem explicare aggreditur. Oſtendit enim; „Regem ſatisfeciſſe „Gallorum amicitiæ, qui majorem hoſtilis exercitus partem a Gallis in ſe aver„tiſſet: atque effeciſſet, ne magnæ illæ copiæ aut Galliam (quod ſperarant) „obtererent, aut Scotis damno eſſe poſſent, ut quæ non diu contineri caſtris va„leant, in locis præfrigidis, & ſolo cunctis belli calamitatibus vexato, nec „alioqui frugum fertili: hiemem etiam imminere, quæ in regionibus illis ad „ſeptentriones porrectis præmatura eſſe ſoleat. Quod autem Regis Gallorum „Legatus tantopere ad dimicandum nos impellat, neque novum, neque mi„rum, reor videri oportere, ſi homo peregrinus, qui non communem fa„ctionis, ſed privatam ſuæ nationis utilitatem reſpiciat, tam ſit alieni ſan„guinis prodigus. Eſt præterea poſtulatio ejus admodum impudens: a Scotis „enim petit, quod, ne pro ſuo quidem regno & dignitate, Rex Gallorum, „homo ſumma prudentia præditus, ſibi faciendum judicat. Nec hujus exerci„tus amiſſio levius eo damnum videri debeat, quod pauci numero ſumus: „quicquid enim aut virtute, aut auctoritate, aut conſilio in regno Scotiæ „excellit, hîc eſt. His amiſſis, reliquum vulgus præda victoris erit. Quid? „quod bellum ducere & in præſentia tutius eſt, & ad totius periculi ſummam „utilius? Nam, ſi Ludovicus exiſtimat, Anglos aut ſumtibus exhauriendos, „aut mora fatigandos eſſe, quid accommodatius ad præſentem rerum ſta„tum fieri poteſt, quam ut hoſtem copias dividere cogamus, ut alteram ſui „exercitus partem adverſus nos, velut ſemper incurſuros, intentam & ſollici„tam teneamus: & metu huic injecto, belli molem Gallis labore noſtro leve„mus? Gloriæ etiam & ſplendori (quæ homines, vereor ne magis verbis quam „factis feroces, ſuæ temeritati prætendunt) ſatisfactum arbitror. Quid enim „Regi ſplendidius accidere poteſt, quam, tot arcibus dejectis, agris ferro „flammaque vaſtatis, ex tam effuſa populatione tantum prædæ abactum, ut, „ne multorum quidem annorum pace, regio tot cladibus deformata in priſti„nam faciem redire queat? Quod autem e bello majus exſpectaremus emolu„mentum, quam ut, in tanto armorum tumultu, cum ſumma noſtra laude „& decore, hoſtium ignominia & dedecore, noſtro militi reficiendo quietem, „cum re & gloria conjunctam, habeamus? Id autem genus victoriæ, quod „magis conſilio quam armis paratur, maxime hominis, maxime etiam ducis „eſt proprium, ut cujus nullam omnino partem ſibi miles vindicare poſſit.

XXXVI. His quanquam omnes qui aderant vultu aſſentirentur, tamen Rex, qui ſe cum Anglis dimicaturum ſancte juraverat, totam orationem adverſis auribus accepit: &, domum (ſiquidem formidine caperetur) Duglaſ-

ſium

ſium abire juſſit. Ille qui, rebus præcipitantibus, Regiæ temeritatis exitum jam animo proſpiciebat, ſtatim in lacrymas prorupit: ut primum autem loqui potuit, pauca eſt locutus; „Si mea, inquit, vita ſuperior non me vindicat a timiditatis opinione, neſcio quibus aliis rationibus me purgem. Certe, dum corpus hoc ſufficiebat laboribus ferendis, nunquam ei in ſalute patriæ, & Regum gloria tuenda peperci. Nunc vero, cum meis conſiliis, quibus unis utilis eſſe poſſum, aures occluſas video, duos filios, qui mihi, ſecundum patriam ſunt cariſſimi, cæteroſque propinquos & amicos, hîc relinquo, certiſſimum erga te ſalutemque communem pignus mei animi. Deum autem precor, ut hunc meum timorem falſum eſſe velit: atque potius ego falſus dicar vates, quam, quæ timeo, ac videre videor, eveniant. Hæc locutus, accepto commeatu, diſceſſit.

XXXVII. Reliqui proceres, quoniam Regem in ſuam ſententiam traducere non poterant, quod proximum erat, tenuerant, ut, quando numero erant inferiores, (nam, in exercitu Anglorum, viginti ſex millia arma ferentium per exploratores eſſe compertum erat) locorum opportunitate ſe communirent, caſtriſque collem propinquum occuparent. Erat is locus, ubi Zeviota mons ſenſim in planitiem ſe demittit, modicus quidem, & aditu anguſto leniter declivis. Eum æneis machinis velut prævallant. A tergo erant montes, a quorum radice oriens continens palus ſiniſtrum latus claudebat. Ad dexterum fluebat Tillus amnis, ripis præaltis, aditum per pontem, non procul a caſtris, præbens. Angli cum per exploratores didiciſſent, caſtra Scotorum, ſine certa pernicie, adiri non poſſe, a fluvio iter averterunt: ac ſpeciem dederunt, tanquam, hoſte omiſſo, Bervicum, atque inde recta in proximam Scotiæ regionem longe fertiliſſimam tenderent, majorem quam acceperant cladem relaturi. Auxit eam ſuſpicionem rumor, ſuperioribus diebus, ſive temere ſparſus, ſive de induſtria ab Anglis confictus, ut hoſtes e locis ſuperioribus in planum protraherent. Id vero Scotus non ferendum ratus, & ipſe, incendio in ſtramenta caſulaſque conjecto, caſtra movet: quæ res, fumo late fluvium operiente, proſpectum eis Anglorum ademit. Ita Scotis per aperta loca proxime fluvium, Anglis per aſperiora longiuſcule ab eo ducentibus, ad Fluidonem, collem præaltum, alteri prope de alteris incerti, pervenerunt. Ibi, cum, ſolo æquiore jam ſe in planitiem explicante, fluvius per pontem ad Tuiſilum, & vadum [1] ad Milfordiam, tranſmeabilis eſſet, Angli primum agmen jubent machinas æneas per pontem traducere, cæteros vado tranſmittere; & acie inſtructa pro loci commoditate, velut reditum hoſtibus præcluſuri, ſe objiciunt: ac, ſuperante multitudine, velut duos exercitus inter ſe diſcretos ita ſtruxerunt, ut utravis pars prope Scotorum univerſas copias æquarent.

XXXVIII. In primo exercitu mediam aciem ducebat Thomas Havartus, rei maritimæ præfectus, qui, paucis ante diebus, cum claſſiariis ad patrem advenerat:

1 *Ad Milfordiam*] *Milfeldiam* legendum conjicit Irvinus, in Nomenclatura: nullus quippe *Milfordiæ* nomine appellatus eo in tractu occurrit locus. Irvini conjecturam firmat Echardus, qui planitiem memorat nomine *Milfeldiam*, in quam Surrius Anglorum dux nuncio miſſo Scotorum Regem ad prœlium allicere ſatagebat.

nerat: dexterum cornu Edmundus Havartus, ſiniſtrum Marmaducus Conſtablius agebat. Cæteri poſt eos, velut in ſubſidiis locati, & ipſi tripartito inſtructi, ſteterunt. Dextero cornu Dacrius, ſiniſtro Eduardus Stanlæus, mediæ aciei Surriæ Comes, omnium copiarum dux, præerat. Scoti, cum in totidem partes ſuos dividere ob militum paucitatem non poſſent, niſi frontem extenuarent, quatuor acies adverſas, modico intervallo diſtantes, ſtruxerunt; e quibus tres cum Anglis ex adverſo ſtantibus concurrerent, quarta in ſubſidiis eſſet. Mediam aciem Rex ducebat: in dextero cornu imperabat Alexander Gordonius, cui Alexander Humius & Marciani ſunt attributi: in tertia præerant Matthæus Stuartus Leviniæ Comes, & Gileſpicus Cambellus Argatheliæ. Adamus Heburnus cum propinquis & cætera Lothiana Nobilitate in ſubſidiis erat. Gordonii acies, acri pugna inita, brevi profligavit ſiniſtrum Anglorum cornu: ſed, a perſequendis fugientibus reverſa, reliquas ſuorum acies pene profligatas reperit. Nam alterum cornu, in quo Levinius & Argathelius erat, ſuorum ſucceſſu alacriores facti, ſolutis ordinibus, temere in hoſtem ferebantur, ſignis a tergo relictis, multum Lamota Legato Gallo reclamante, ac præcipites in ſuam perniciem remorari conato. Hi non modo ab ex adverſo ſtructis excepti, ſed ab alia quoque Anglorum manu a tergo circumventi, pene omnes occidione occiſi fuere. Acies Regia, atque Heburnus cum Lothianis, pertinaciſſime pugnaverunt. Utrinque cædes ingens edita, donec feſſis utriſque certamen in noctem protractum eſt. Cecidere ex acie Regia viri illuſtres complures. Qui numerum cæſorum, nominibus ſingulorum per diœceſes exceptis, inierunt, tradunt, in ea pugna Scotorum ſupra quinque millia cecidiſſe: ſed fere nobiliſſimum quemque, ac manu promtiſſimum, qui maluerunt in veſtigio mori, quam ſuorum cædi ſupereſſe. Ex Anglis non minorem numerum deſideratum ferunt, ſed eum gregariorum fuiſſe.

XXXIX. [1] Hæc eſt illa nobilis ad Fluidonem pugna, inter paucas Scotorum clades memorabilis, non tam cæſorum numero (nam pluribus aliis præliis duplo plures perierunt) quam Rege & procerum principibus amiſſis, & paucis ſuperſtitibus, qui multitudinem, natura ferocem, & ſpe impunitatis infrenem, regere poſſent. Duo genera hominum acceſſionem e cæterorum calamitate ſenſerunt: nam & ſacerdotum opulentiorum eo crevit inſolentia, ut, non contenti ſua functione, omnia regni munia ad ſe trahere niterentur: & fratres Mendicantes (id Monachorum tum genus erat maxime ſuperſtitioſum) cum depoſitam eorum, qui in bello ceciderant, pecuniam ſine teſtibus ad cuſtodiendum ac-

ce-

1 *Hæc eſt illa nobilis ad Fluidonem pugna*] Livium hic imitatur lib. 22. cap. 7. *Hæc eſt nobilis ad Traſimenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades.* Cæterum commiſſa eſt hæc pugna 9 Sept. 1513, cum Jacobus IV. annos 25 ac 3 menſes regnaſſet, vixiſſet vero annos 40, menſes 5 ac dies 23. Quod ideo hic ſubnotare libuit, quod omnes fere noſtri ſcriptores anno regni 25, vitæ vero 39, exſtinctum perperam tradant. Natus quippe anno 1573, die Divo Patricio ſacro, *i.e.* 17 Martii: [Vide Buchan. Lib. XII. 30. regnum iniit 11 Junii 1488, uti ſupra oſtendimus ad Lib. XIII. 1.

ceptam, retinuiſſent, ex ea præda opulentiores facti, veteris diſciplinæ ſeveritatem ſolverunt. Nec deerant inter eos, qui id genus quæſtus, velut ſanctam quandam ac piam fraudem, probarent: nec eam pecuniam melius collocari poſſe contenderent, quam cum ſanctis hominibus data ſit, qui ſuis precibus animas defunctorum ſuppliciis horrendis liberarent. Cum tanta fuiſſet in pugna animorum obſtinatio, ut ſub noctem utraque pars feſſa, ac prope ſuæ conditionis incerta, ſeceſſiſſet, Alexandri Humii milites, qui integri remanſerant, magnam ſpoliorum partem per otium legerunt. Poſtridie mane, Dacrius, cum equitatu ſpeculatum miſſus, cum ad locum pugnæ veniſſet, & ænea Scotorum tormenta incuſtodita reperiſſet, majoremque mortuorum partem inſpoliatam, tum demum Havartum arceſſivit, &, ſpoliis per otium lectis, magna lætitia victoriam celebrant.

XL. De Rege Scotorum duplex fama eſt. Angli in pugna cæſum contendunt: Scoti contra affirmant, complures eo die paludamento cæteroque habitu Regio uſos, partim, ne hoſtes unum aliquem ſibi præcipuum hoſtem deſtinarent, a cujus morte victoria ac ſumma belli penderet; partim, ne, cæſo Rege, cives animum deſponderent, nec eum amiſſum crederent, quamdiu aliquem Regio armatu & cætero apparatu in acie verſari conſpicerent, eumque etiam ſemper præſentem bene ac ſecus factorum teſtem conſpicerent. Ex his unum fuiſſe Alexandrum Elfinſtonium, qui & vultu & ſtatura Regi perſimilis eſſet. Cum eo, induto paludamento Regio, florem Nobilitatis, Regem ſequi ſe ratos, ideoque mori obſtinatos, cecidiſſe. Ipſum vero Regem Tuedam fluvium tranſiſſe, & prope Calſonem oppidum a clientibus Humii interfectum, incertum, an eo jubente, an cædis miniſtris cupiditati patroni ſui ſervientibus, quod homines novarum rerum cupidi, eo ſublato, rerum omnium impunitatem ſperabant; vivo autem, ceſſationis in pugna pœnas metuebant. Addunt & alias conjecturas. Eadem nocte, quæ pugnam illam infelicem ſecuta eſt, Cœnobium Calſonem a Caro, Humii familiari, fuiſſe, Cœnobiarcha ejecto, occupatum: quod veriſimile non erat eum auſurum, niſi Regem occiſum ſciſſet. David quoque Galbrethus, & ipſe ex Humii familia, aliquot poſt annos, cum Joannes Prorex Humiis eſſet moleſtus, dicitur ignaviam æqualium graviter incuſaſſe, qui peregrinum illum, ſine modo furentem, perferrent, cum ipſe ſextus, e privatis, Regis inſolentiam apud Calſonem compeſcuiſſet. Sed hæc ita incerta ſunt habita, ut a notho Regis Jacobo Moraviæ Comite, in judicio capitis Humio objecta, non multum nocuerint.

XLI. Verum, utcunque res habet, reticendum non exiſtimavi, quod ipſe e Laurentio Taliferreo, viro & probo & docto, non ſemel audivi. Is enim ſeſe (nam unus tum e pueris Regiis pugnæ ſpectator erat) ajebat, re inclinata, Regem in equum impoſitum vidiſſe Tuedam tranſeuntem. Idem complures cum confirmaſſent, fama multos annos tenuit, Regem vivere, atque in tempore affuturum, perſoluto ſcilicet voto, quo ſe obſtrinxerat, Hieroſolyma religionis ergo ſe petiturum. Sed is rumor æque vanus eſt deprehenſus, atque ille, qui olim ſparſus erat a Brittonibus de Arcturo, & ante paucos annos, a Burgundionibus de Carolo. Illud conſtat, Anglos, ſive Regis

Jacobi, ſive Alexandri Elſinſtonii, corpus requiſitum, & in magna cadaverum ſtrage repertum, in Angliam interiorem comportaſſe, &, inexpiabili odio adverſus mortuum adhuc manente, in capſa plumbea (incertum, barbara magis, an ſtulta crudelitate) inſepultum ſervaſſe: quod ſcilicet arma ſacrilega adverſus Julium Secundum, cui tum ſe Angli venditabant, tuliſſet: aut, ut alii affirmant, quod homo perjurus, contra fœderis leges, bellum Henrico Octavo intuliſſet. Quorum neutrum ei exprobrari debuerat; nec ab hoc Rege, qui, dum vixit, nullam unquam ſtabilem de doctrina Chriſtiana perſuaſionem habuiſſet; nec ab hoc populo, qui toties adverſus Epiſcopos Romanos bella geſſerant. Omitto interim tot Reges Anglorum perjuros, teſtibus eorum ſcriptoribus:

Gulielmum Rufum; teſte Polydoro, & Graftono.
Henricum I. Thoma Volſingamio, Hypodigmate Normaniæ.
Stephanum; Neobrigienſi, Graftono, Polydoro.
Henricum II. Neobrigienſi, Graftono, Polydoro.
Richardum I. Hypodigmate Normaniæ.
Henricum III. Hypodigmate Normaniæ, Graftono, Thoma Volſingamio.
Eduardum I. Thoma Volſingamio.

Hos paucos, exempli gratia, ſelegimus, non e primis illis Saxonici generis Regibus, quorum magna ſuppeditabat copia, ſed e Normanorum familia, & quorum poſteri adhuc regnum tenent, & quorum dominatus in ea incidit tempora, quibus Anglia longe fuit florentiſſima; ut eos admoneam, qui tanta indulgentia ſuorum perjuria patiuntur, ne in exteros ita ſint acerbi: præſertim, cum criminis, quod objicitur, penes ipſos culpa fuerit, qui priores violarunt inducias.

XLII. Sed ut ad rem redeam, magnam ex illa pugna contra Scotos Thomas Havartus Surriæ Comes gloriam reportaverat, ſi moderate ſuam fortunam tuliſſet. Sed homo ſecundarum rerum ſucceſſu quaſi ebrius, & inſtabilitatis humanæ parum memor, ſuis domeſticis miniſtris (ut mos eſt Anglis) notam, qua agnoſcerentur, in ſiniſtris brachiis ferendam dedit, leonem album, (quo ipſe inſigni utebatur) qui rubrum superincumbens unguibus diſcerperet. Hanc ejus inſolentem inſultationem velut numine plectente, nemo fere poſterorum ejus alterutrius ſexus, ſine inſigni ignominia vel clade, deceſſit. Rex autem Jacobus, ut vivus omnibus fuit cariſſimus, ita ejus amiſſi tantum remanſit apud ſuperſtites deſiderium, tam jucunda in omnium animis hæſit recordatio, quantum nullius fuiſſe Regis aut meminimus, aut legimus. Quod eveniſſe credibile eſt, ſimul comparatione malorum, quæ vel ejus regnum præceſſerunt, vel ſtatim ſecutura videbantur; ſimul virtutum expreſſarum, ac vitiorum etiam popularium, quæ virtutum affinitate quadam vulgi animos facile decipiunt. Erat enim corpore firmo, ſtatura juſta, oris dignitate ſumma, ingenio quidem acri, ſed vitio temporis ab literis inculto. Unum e vetuſta gentis conſuetudine hauſit avide, ut vulnera ſcientiſſime tra-

tractaret: cujus rei peritia toti Scotorum Nobilitati, ut hominibus in armis aſſidue viventibus, fuerat priſcis temporibus communis. Erat ei in adeundo facilitas, in reſponſis lenitas, in jure dicundo æquitas, in ſuppliciis expetendis moderatio, ut ad ea invitum cogi omnes facile animadverterent; adverſus malevolorum ſermones, & amicorum admonitiones, tanta animi altitudo ex optimæ conſcientiæ tranquillitate, & ſuæ innocentiæ fiducia, enata, ut non tantum non excandeſceret, ſed nec aſperiore verbo unquam uteretur. Inter has virtutes, quædam obrepſerunt, nimio popularitatis ſtudio, vitia. Nam, dum famam avaritiæ paternæ conaretur effugere, & vulgi gratiam ſubſtructionibus ſumtuoſis, conviviorum & ſpectaculorum apparatu, & immodicis donationibus, captare conatur, in eam incidit inopiam, quæ, ſi diutius vixiſſet, videbatur ſuperiorum temporum gratiam odio novorum tributorum extinctura, ut mors ei magis commode, quam immature, accidiſſe poſſit exiſtimari.

CVI. REX.

XLIII. Extincto Jacobo Quarto, [1] Margarita uxor cum duobus filiis relicta eſt, [2] quorum major biennium non expleverat. Eum conventus procerum, Sterlini habitus, [3] ſexto Calend. Martii, more patrio, Regem declarat. Deinde ad ſtatum publicum ordinandum converſi, tum demum intelligere cœperunt

1 *Margarita uxor cum duobus filiis relicta eſt*] Non ſatis accuratus videtur loquendi modus: ex duobus enim iſtis filiis, alter, Alexander nominatus, 30 demum Aprilis anno 1514 eſt natus, *i. e.* 7 menſes ac dies 21 poſt patris mortem. Vide Leſlæum, Holinſhedium, Geo. Crafordium, *&c.*

2 *Quorum major biennium non expleverat*] Errat igitur cum Geo. Craford. Hiſt. famil. Stuartæ pag. 33. Abercrombius vol. 2. pag. 545. qui Jacobum V. quinto Aprilis anni 1511 natum prodidere: nec vitio immunis Leſlæus, qui 15 Aprilis anno 1412 natum ſcribit. Rectior autem Holinſhedii & Anderſoni mihi videtur ſupputatio, qui ejus natales in 11 Aprilis anni 1512 conjiciunt. Ne quid tamen diſſimulem, pro Geo. Crafordio facere videtur ipſius Jacobi V. ad Joannem Portugalliæ Regem Epiſtola, 26 Julii 1541 ſcripta, in qua hæc verba occurrunt: *Miſſo igitur nuntio, dum iſthinc reſponſum exſpectatur, Rex noſter pater itidem decedit, me vix trimo relicto*, niſi forte librarii culpa [*trimo*] pro [*bimo*] ſit ſcriptum, aut non ſatis amuſſitato loquendi genere, qui nondum alterum vitæ annum exceſſerat, [*vix trimus*] dici poſſit. Vide poſtea ad Lib. XIV. 49. Certe ex Jacobi V. *Revocatione* (quam vocant) Rothomagi 3 Aprilis 1537 ſcripta, evidentiſſime colligitur eum poſt 4 Nonas ejus menſis anni 1512 natum fuiſſe. *Vide Jac. V. Act. Parl. 6. cap. 70.*

3 *Sexto Cal. Martii*] Ab aliis omnibus diverſus hic abit Buchananus; Holinſhedius enim & Anderſonus 21 Septembris, Pitſcottius 29 ejuſdem menſis, Leſlæus autem, eumque ſecuti Geo.. Crafordius & Balfurius, 21 Decembris coronatum tradunt. Verum Leſlæo (aliiſque adeo eum temere ſequentibus) error irrepſiſſe videtur, atque pro *Decembris*, *Septembris* ſcriptum oportuiſſe. Ille enim Jacobum V. *regni diadema ſuſcepiſſe* ait, *exactis ſupra annum ætatis ſuæ unum, menſibus quinque, diebus decem*, quanto *ſcil.* temporis intervallo 11 Aprilis 1512 & 21 Septembris 1513 dirimuntur. Buchananum vero in errore hic verſari mihi dubium non eſt. Neque enim (ut hoc quoque adjiciam) veriſimile videtur ipſius matrem, quæ tum ſummæ rerum præerat, filii coronationem tam longa comperendinatione differre voluiſſe. Rem porro ſe aliter habuiſſe fere oſtendit Legatio Jacobi

runt ſuæ calamitatis magnitudinem. Cæſis enim primoribus, in quibus aliquid auctoritatis & conſilii inerat, qui ſupererant, pars major, per ætatem & animi infirmitatem, ad res magnas tempore tam turbulento tractandas, parum erant idonei. Qui autem e potentioribus reſtabant, in quibus aliquid eſſet ingenii, ob ambitionem & avaritiam a quietis abhorrebant conſiliis. Alexander Humius, omnium limitum præfectus, magnum nomen, magnaſque opes, Rege vivo, &, in regionibus ad Angliam pertinentibus, eo mortuo, pene Regiam obtinebat auctoritatem. Is, prava ambitione, cum latrocinia non inhiberet, ut homines audaces & facinoroſos magis haberet obnoxios, viam ad majores opes, pernicioſo conſilio, & infelici exitu, muniebat. Ei imperium datum in regiones citra Fortham, ulteriora Alexandro Gordonio commiſſa, ut nationes illic ſeditioſas in officio contineret: nomen ſummi imperii penes Reginam erat. Nam ex teſtamento Regis, quod profecturus ad bellum fecerat, decretum erat, ut ea, quamdiu cœlebs maneret, ſummæ rerum præeſſet. Id etſi præter morem patrium, & primum imperii muliebris exemplum apud Scotos fuit, tamen inopia virorum fecit, ut tolerabile pleriſque, ac maxime pacis cupidis, videretur.

XLIV. Is magiſtratus ei diuturnus non fuit: [1] (nam ante veris exitum Archibaldo Duglaſſio Comiti Anguſiæ, adoleſcenti, genere, forma, omnibus denique bonis artibus Scoticæ juventutis primario, nupſit.) Diſcordiarum enim ſemina, ante finem illius anni ſunt jacta. Earum initium ab ordine Eccleſiaſtico eſt ortum. Extinctis enim proceribus, cum in omnibus publicis conventibus major pars ex eo genere hominum eſſet; in calamitatibus publicis multi ſuum agentes negotium, tantas opes compararunt, ut nulla res eos magis præcipitaverit, quam intoleranda, qua poſtea arroganter & immodice ſunt uſi, potentia. Cæſo ad Fluidonem [2] Alexandro Stuarto, Fani Andreæ Archiepiſcopo, tres ad id ſacerdotium, diverſis artibus, contendebant. [3] Galvinus Duglaſſius, familiæ ſplendore, & ſua virtute & doctrina fretus, a Regina etiam nominatus, arcem Andreanam occupat. Joannes Heburnus, Cœnobiarcha Andreanus, Archiepiſcopo nondum ſuffecto, velut ſequeſter, proventus colligebat: homoque potens, factioſus, & callidus, a ſuis Monachis (penes quos jus eligendi antiquo more eſſe contendebat) in locum demortui ſuffectus, Galvini miniſtris pulſis, arcem valido præſidio communiit. [4] Andreas Formanus, cum Romæ &

bi nomine ad Danum miſſa 16 Januarii anno 141$\frac{3}{4}$. Vide Literas Jacobi V. in Bibl. Jurid Edimb. aſſervatas.

1 *Nam ante veris exitum*] Imo vero *præcipite æſtate*, vel potius *ineunte autumno*, 6 nempe Auguſti, anno 1514, Leslæus & Holinſhedius nuptam teſtantur. Crafordius delendam jubet Parentheſin, & lin 3. ſeq. [*diſcordiarum item ſemina*] legendum

2 *Alexandro Stuarto*] Is erat Jacobi IV. filius nothus, juvenis plane incomparabilis, quem magnus Eraſmus, cujus diſcipulus fuerat, ſummo elogio ornat, Chiliad. Adag. *Spartam nactus es, hanc orna.*

3 *Galvinus Duglaſſius*] Is erat Comitis Anguſiæ patruus. Ejus autem elogium vide infra Lib. XIV. 12.

4 *Andreas Formanus, cum Romæ & in aula Gallica*] Quanto in honore is fuerit apud Ludovicum XII. Gallorum Regem, &

& in aula Gallica, e ſuperiorum temporum officiis, magnam gratiam collegiſſet, præter Moravienſem, quem in Scotia jam ab initio tenuerat, Epiſcopatum, ab Ludovico Duodecimo Gallorum Rege acceperat Archiepiſcopatum Bituricenſem. Julius vero Pontifex Romanus etiam honoribus & ſacerdotiis cumulatum a ſe dimiſit. Nam & Archiepiſcopatu Fani Andreæ, Fermelinoduno & Aberbrothio, Cœnobiis longe opulentiſſimis, eum donavit: & præterea Legationem (ut vocant) a latere adjecit. Sed tantæ tum Heburni opes erant, Humiis adhuc cum ea familia concordibus, ut nemo prorſus inveniretur, qui diploma Pontificis Romani de Formani electione promulgare auderet: donec Alexander Humius, magnis pollicitationibus, &, præter alia munera, Cœnobio Coldingamia Davidi minimo ejus fratri donato, ad cauſſam, in ſpeciem honeſtam, adductus, (quo Formanorum familia in clientela Humiorum eſſet, reſque non iniqua peti videretur) diploma Edimburgi curaret promulgandum. Ea res magnorum, quæ poſtea acciderunt, malorum fuit initium. Heburnus enim, elati animi vir, ab eo tempore, dies noctesque exitium Humiis ſemper eſt machinatus.

XLV. Regina in ſummo magiſtratu id unum memoria dignum geſſit, quod ad fratrem ſcripſit; „Ut, ſui & liberorum ſuorum ætatis memor, bello abſti„neret: neu propinqui ſui regnum, in tot factiones ſponte diviſum, externis „præterea armis infeſtaret: ſed potius, ætatis & cognationis memor, adver„ſus aliorum injurias tueretur. Henricus animo magno & vere Regio reſpondit; „Sibi cum Scotis pacatis pacem, cum bellantibus bellum fore. Cum Regina, per nuptias, a magiſtratu excidiſſet, Nobilitas aperte in duas factiones ſeceſſit. Duglaſſiana penes Reginam ſummam poteſtatem eſſe cupiebat, atque ita demum pacem cum Anglis (quæ non utilis modo, ſed etiam neceſſaria erat) fore ſpondebat. Altera pars, cujus princeps fuit Humius, publicæ utilitatis quandam umbram, & veterem regni in Proregibus eligendis conſuetudinem, prætendebat. „Quod ad Reginam attinet, ſe ejus honori, quantum per leges & „publicum commodum poſſent, favere. Ejus rei argumentum eſſe, quod, „contra majorum conſuetudinem, ejus imperium, non legibus coacti, ſed „benevolentia adducti, hactenus tulerint: ac nunc quidem, ſi quid æqui & „honeſti prætexeretur, laturos. Verum, cum ipſa nubendo ſe ſua ſponte „exuerit imperio, nihil eſſe quod indignetur, ſi alius in locum, ab ea deſer„tum, ſubſtituatur: quem veteres ei leges etiam adimebant: quæ, ne rebus „quidem tranquillis, fœminis permittant imperium, nedum his temporibus „tam inquietis, ut ægre, viri maxime prudentis conſilio & auctoritate, tot „undique malis ingruentibus obſiſti poſſet.

XLVI. Dum de Prorege eligendo magna utriuſque factionis pertinacia certatur, ac, vel prava ambitione, vel occulta invidia, præteritis qui aderant, in Joan-

& Julium II. Pont. Rom. oſtendunt eorum ad eum literæ nuper editæ, in libro cui titulus *Lettres du Roy Louis XII.* &c. 4. vol à *Bruſſelle* 1712. Exſtat vero in Jacobi V. literis Leonis Papæ X. ad Margaritam Reginam Regiumque concilium Epiſtola, qua Andream Formanum mirum in modum commendat, eoſque in Archiepiſcopum Fani Andreæ eum recipere quam poteſt obnixiſſime hortatur.

1 *Ma-*

Joannem Ducem Albinum, tum in Gallia fama ſecunda degentem, ſuffragia multorum inclinarent, dicitur Gulielmus Elfinſtonius, Abredonienſis Epiſcopus, publicam fortunam multis cum lacrymis deploraſſe: ac maxime animos commoviſſe, cum recenſeret; „Qui viri proximo prælio erepti fuiſſent: quam „diſpares illis relicti forent, quorum nemo dignus eſſet, ut ad rerum guber- „nacula poſſet admoveri. Quam tenue publicum patrimonium: quam a proxi- „mo Rege imminutum: quanta ejus portio Reginæ eſſet decidenda: quantum „in educationem Regis neceſſe eſſet impendere: quam exigua pars reſtaret, „ad auctoritatem publicam ſuſtinendam. Et quanquam nemo eſſet in præſentia, „qui commodius eum locum ſuſtinere poſſet, quam Regina, ſe, quando ali- „ter concordia ſiſti nequeat, in eorum ſententiam concedere, qui Joannem „Ducem Albinum e Gallis evocandum cenſerent: etſi damna publica hoc re- „medio magis differri, quam ſanari, exiſtimaret. In hanc partem Alexander Humius adeo propenſus erat, ut in conventu ſit auſus profiteri; „Etiamſi re- „liqui omnes recuſarent, ſe privatim Joannem, ad imperium accipiendum, in „Scotiam adducturum. Id autem feciſſe creditur, nullo neque patriæ, neque privati alicujus commodi, aliove reſpectu, quam quod homo ambitioſus, cum opibus magis quam caritate ſe apud cives poſſe cognoſceret, eum ipſe honorem deſperabat: metuebatque, ne, ſi penes Reginam vis imperii eſſet, Duglaſſiorum opes vicinæ nimium invaleſcerent, ac ſuæ minuerentur, jam Lidalianis & Annandianis ſe ſubtrahentibus, & ad veterem Duglaſſiorum clientelam ſe paullatim recipientibus. Accedebat eo, quod Regina, per Anglorum auxilia, omnes ejus conatus poſſet reprimere.

XLVII. Cum in Joannem plurima ſuffragia convenirent, decernuntur Legati (cujus legationis princeps fuit ea ætate clarus Eques Andreas Silvius Largous) qui eum ad rerum Scoticarum regimen arceſſerent, non ſolum ob virtutem, ſed propinquam cum Rege ſanguinis conjunctionem: genitus enim erat ex Alexandro, Jacobi Tertii fratre. Hunc, a Scotis evocatum ad ſtatum publicum ordinandum, Rex Gallorum Franciſcus, ejus honorem commodum ſuis rationibus ratus, proficiſcentem pecunia & comitibus ornavit. Ante ejus adventum, cum nemo unus auctoritate præcipua polleret, paſſim cædes & rapinæ fiebant: &, dum potentiores privatas opes & factiones contrahunt, vulgus inopum, deſertum, omni genere miſeriarum affligebatur. Inter prædones illius temporis, fuit Macrobertus Struanus, qui per Atholiam & vicina loca, octingentis plerumque latronibus ac interim pluribus comitatus, omnia pro arbitrio populabatur. Tandem, cum eſſet apud avunculum Joannem Crichtonium, per inſidias captus interiit.

XLVIII. Major vero moles imminere videbatur, ex Andreæ Formani & & Joannis Heburni diſcordiis: verum utriuſque natura & mores, [1] magis quam animi diſcordes, quod imminere videbatur malum in tempus diſtulit. Erat enim in Joanne profunda non minus avaritia, quam in Andrea pecuniæ

1 *Magis quam animi diſcordes*] *i. e.* ea diſcordia non tam ex alterno odio, quam naturæ morumque diverſitate eſt orta.

niæ contemtus & profuſa largitio. Alterius aperta & omnibus expoſita erant conſilia: neque erat, quod ea magnopere celaret, ut cujus vulgo vitia pro virtutibus haberentur: & naturæ ſimplicitas non minus favoris aſſequebatur, quam Heburni occulta calliditas, & malitioſa diſſimulatio, [1] atque offenſarum implacabilis memoria, & ulciſcendi cupiditas. Igitur Formanus, cum nihil certi adhuc de adventu Ducis Albini haberet, nec per Humium poſſet in poſſeſſionem mitti, cum Heburnus in regione longinqua, & procul ab eis locis, in quibus Humiorum potentia poſſet eſſe formidoloſa, arcem & Cœnobium firmis præſidiis inſediſſet, ſtatuit per amicos experiri, quomodo avaritiam hominis, ſi non pecunia explere, ſaltem frangere aliqua ex parte valeret. Tandem his legibus convenit, ut Formanus Heburno proximorum annorum proventus, quos ille tanquam ſequeſter collegerat, condonaret, Epiſcopatu Moravienſi ei cederet, tria millia ſcutatorum Francicorum annua, ex proventibus Eccleſiaſticis, in amicos dividenda præberet. Ita, paullulum repreſſo implacabilis hominis odio, res in ea parte compoſitæ.

1 *Atque offenſarum implacabilis memoria & ulciſcendi cupiditas*] Quamvis forte Heburni *occulta calliditas & malitioſa diſſimulatio* apud ſimplices & incautos *favorem aſſequi* potuerit; at certe *implacabilis offenſarum memoria & ulciſcendi cupiditas* nullius unquam gratiam captavit: unde forſan conjicere liceat extremam ſententiæ partem hic excidiſſe, atque poſt [*ulciſcendi cupiditas*] addendum [*odii conciliabat.*]

LIBER DECIMUS QUARTUS.

I. HIC erat in Scotia rerum ſtatus, cum Joannes Dux Albinus, [1] decimo tertio Calendas Junii, anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto, Brittannodunum appulit, ſumma cum omnium bonorum gratulatione: quippe qui, in ejus magiſtratu, res tranquilliores & juris æquabilitatem ſperabant. Ac frequenti Nobilitate de ejus imperio latum; ex Ordinum decreto patrimonium ei redditum; Dux Albinus & Marciæ Comes declaratur; & Prorex, uſque ad maturam Regis ætatem, creatur. Jacobus item, proximi Regis nothus, Moraviæ Comes vocatur, juvenis, qui ſummam de ſe ſpem conceptam ſua virtute longe ſuperavit. Spem de Prorege præceptam vehementer confirmavit, in ipſis prope comitiis, Petri Mauſacti ſupplicium. Erat is latro inſignis, qui, poſt multa crudeliter & nefarie perpetrata per licentiam ſuperioris biennii, eo provectus erat audaciæ, ut in aula quoque Regia palam verſaretur. Ejus pœna inexſpectata adeo rerum ſtatum ſubito mutavit, ut facinoroſi fugam & latebras ſpectarent; boni autem animos erigerent: ac repente rerum facies, velut e turbida tempeſtate, cœpit in ſummam tranquillitatem converti.

M. D. XV.

II. Jo-

1 *Decimo tertio Calendas Junii*] Leſlæus & Holinſhedius *decimo ſexto.*

II. Joannes Heburnus interea, in aures atque animum Proregis, per amicos ejus, quos muneribus occulte coluerat, obrepſit: & delationibus, & ſimulatione quadam intelligentiæ moris patrii, apud hominem rerum Scoticarum ignarum ita ſe inſinuavit, ut prope ſoli, de rebus majoribus, haberetur fides. [1] Is autem a Prorege per Scotiam univerſam, ut de delictis eorum, qui vulgus oppreſſum prope ſervorum tenebant loco, [2] anquireret, hac ſibi maxime ratione paravit fidem. Primum, quæ eſſent in ſingulis regionibus aut novæ diſcordiæ, aut veteres inimicitiæ, oſtendebat: quæ factiones item, & qui principes earum eſſent. Et hæc quidem ſatis vere (ut quæ omnibus nota forent) narrabantur. In Humium vero, prout occaſio ſe dabat, qui de ejus impotentia quererentur, excitabat: & partim veris, partim confictis criminibus, aures adverſus omnem purgationem occludebat. Cæterum, toto fere regno perluſtrato, cum explicaſſet diſerte ſingularum inter ſe familiarum cognationes, affinitates, & fœdera; perſuaſiſſetque; „Neminem honeſtiore loco natum, „quantumvis ſceleratum, ſine multorum offenſione poſſe opprimi: neque id „tam ob inimicitias & propinquorum conſpirationes, quam quod delictorum „pœna ad paucos, exemplum ad innumeros pertineret, quos, ex inimicis, „culpæ ſimilitudo, & par metus pœnæ plerumque redderet amicos. In tantas autem, & tam late ſparſas factiones, viribus domeſticis non poſſe animadverti. Rogandum eſſe Regem Gallorum, ut majores copias, ad hanc frangendam contumaciam, mitteret. Eam quoque rem non magis ex uſu terræ „Scoticæ, quam rei Gallicæ eſſe. Interim vero factionum capita aut deprimenda, aut (ſi fieri poſſet) eſſe tollenda: idque ea prudentia, ne plures ſeſe peti opinentur. Capita vero in præſentia tria præcipua eſſe. Eorum, Archibaldum Duglaſſium in flagrantiſſima apud vulgus gratia eſſe: ob multa enim „majorum merita erga rem Scoticam, nomen ejus gentis maxime eſſe populare: præterea, & juventæ flore, & Anglica affinitate ſubnixum, majores „privato ſpiritus gerere. Humium vero ſua potentia gravem, ac longinquitate temporis confirmatum, magis eſſe formidabilem. Ibi, non contentus, quæ adverſus Proregis patrem & patruum facta ab Humiis eſſent, invidioſe commemorare: quorum omnium cum Heburni eſſent participes, tamen invidiam in ſolos Humios conferebat: & ceſſatio in prælio proximo adverſus Anglos, & rumores invidioſi de morte Regis, magna cum aſſeveratione, & Noramæ inſtauratio, eo diſſimulante, ſæpe repetuntur. Formanus neque propinquis, aut generis claritate, erat per ſe metuendus: in quamcunque tamen partem ſe inclinaſſet, magnam acceſſionem facturus videbatur, cunctis regni opibus in unam domum congeſtis. „Eum enim poſſe, vel præſentem partium „inopiam pecunia ſublevare, vel pollicitatione (quia omnia in ejus poteſtate „tum

1 *Is autem a Prorege per Scotiam univerſam*] Intercidiſſe hic videtur vox aliqua, veluti [*miſſus*] aut ſimile aliquid.

2 *Anquireret*] Hoc vocabulum, quo nullum ad auctoris ſenſum exprimendum accommodatius occurrebat, plerique editi codices, ſi diis placet, eliminandum, ejuſque loco [*inquireret*] ſupponendum voluere. Noſtram autem lectionem ſatis defendunt MSti auctoritas, & tritus ejus verbi apud Latinos uſus.

„tum eſſent) multos ad conſiliorum communionem allicere.

III. De Fornano, leviorem Heburni auctoritatem reddebant nobiles inter eos inimicitiæ: nec ejus opes invidioſæ erant, quas magis gaudebat largiendo profundere, quam apud ſe ſervare: nec genus ullum hominum æque muneribus colebat, ac Proregis comites Gallos: nec tam ulli ſe factioni adjungere ſtudebat, quam univerſos benevolentia complecti. Cæterum altius in animum Proregis penetravit de præfecto limitum ſuſpicio: quam ejus ab Humio averſa voluntas, & in congreſſibus vultus minus, quam antea familiaris, quodammodo prodebat. Itaque, poſt paucos menſes, Alexander Humius, non pro ſua ſpe a Prorege acceptus, cœpit cum Regina ejuſque marito ſecretas coitiones facere: in quibus Humius fortunam publicam graviter deplorabat; „Quod Rex, in ea ætate, quæ ſua „mala intelligere non poterat, incidiſſet in manus hominis exulis, in exilio „nati & educati: cujus pater, prava ambitione, regnum fratri majori præ„ripere tentaſſet. Hic cum proximus hæres regni ſit, quis non videat, id „tantum eum ſpectare, ut, ordinatis pro arbitrio rebus aliis, puerum innoxium „e medio tollat, ac regnum in ſe transferat; &, quod pater ejus impie medi„tatus fuerat, ipſe per ſummum ſcelus perficiat? Unam eſſe periculi vitandi „rationem, ſi Regina cum filio in Angliam diſcedat, ſeſe ſuaque omnia fratris „fidei committat.

IV. Hæc, ad Proregem delata, cum facile credita eſſent, homo natura acerrimus, & qui in rebus conficiendis celeritate ſumma uteretur, præſentibus tantum copiis fretus, eorum conatus prævenit. Arcem Sterlini, & cum ea Reginam, in poteſtatem ſuam redegit. Regi ſacramentum palam dixit. Submota Regina & Duglaſſiis, ex procerum decreto, præter Joannem Areskinum, arcis præfectum, tres ſupremi ordinis viros, ſumma fide & integritate, qui Regis educationi præeſſent, adhibuit, ut ſibi per vices ſuccederent, addita etiam, adverſus vim & fraudes, cuſtodia. Sub hæc, Humius cum fratre Gulielmo in Angliam ſeceſſit. Duglaſſius cum uxore tantum morati, dum Henrici voluntatem ſcirent, eos conſequuntur, atque apud Harbotillam in Northumbria ſubſiſtere jubentur, donec prolixius eis de ſua voluntate ſignificaret. Joannes interea, graviter de eorum diſceſſu commotus, ſtatim Legatos in Angliam miſit, qui ſe Henrico purgarent; „Nihil commiſſum, cur aut Regina „ſibi ab eo metueret, aut alieniore erga eum eſſet animo; neque cæteris ejus „fugæ comitibus quicquam a ſe factum, quo minus & patria libertate ſuiſque „bonis frui poſſent. Hæc publice ad Regem. Nec interea Humiis & Duglaſſio, per ipſorum amicos, reditum ſuadere, fidem interponere, omnia liberaliſſime polliceri, deſiit, donec eos in ſuam ſententiam pertraxiſſet. Cæteris igitur domum revocatis, Regina, tum maxime gravida, & inſtante partu, ibi neceſſaro relicta, filiam Margaritam peperit, de qua ſuo loco nobis erit dicendum. Cum autem itineris laborem pati poſſe viſa eſt, ſupellectile Regia & comitatu, ab aula ad eam miſſo, Londinum eſt profecta: ibique ab Henrico fratre, & Maria ſorore (quæ, defuncto marito Ludovico Franco, non ita pridem ad ſuos redierat) honorifice & amanter eſt recepta.

V. Nec ſuſpiciones tamen, in Scotia jamdudum ortæ, aut Reginæ diſceſſu, aut comitum ejus reditu, magnopere fuerunt levatæ. Nam Galvinus Duglaſſius, Comitis Anguſiæ patruus, & Patricius Panitarius, qui ſuperiori Regi fuerat ab epiſtolis, & Joannes Dromundus, ſive Drumenius, ſuæ familiæ princeps, alius alio fuerunt relegati. Alexander autem Humius, in jus, ad conventum publicum, duodecimo die menſis Julii, anni M. D. XVI. vocatus, cum non paruiſſet, damnatus; bonaque ejus fiſco adjudicata. Ille ea (ut rebatur) contumelia ferocior factus, ut metu metum diſcuteret, vel immiſſis latronibus, vel excurrere permiſſis, vicinos magnis calamitatibus affecit. Adverſus hos conatus decem equitum peditumque millia Proregi decreta, ut eum aut caperet, aut regno pelleret. Sed antequam ad manus veniretur, Humius, amicorum ſuaſu, in Proregis fidem ſe dedit: ac Edimburgum ductus, Comiti Araniæ Jacobo Hamiltonio, ſuæ ſororis marito, datus eſt cuſtodiendus, pœna perduellionis denunciata, ſi eum dimitteret. Sed ea res præter omnium exſpectationem ceſſit. Nam Humius Hamiltonio perſuaſit; „Ut ſecum una diſcederet, &, facta „conjuratione, rerum adminiſtrationem ipſe ſuſciperet, ut qui proximus, poſt „ſuperioris Regis liberos, eſſet hæres, nempe e Jacobi Tertii ſorore genitus: „æquiuſque eſſe, ut ille proximum a Rege locum teneret, quam Joannes, e „fratre quidem, ſed exule, natus, & cætera plane peregrinus: cum quo ne „linguæ quidem commercium eſſet. Hæc Prorex cum reſciſſet, ad Hamiltonum arcem diruendam profectus, admotis machinis, intra biduum eam deditione recepit. Humius interea, factis e Marcia excurſionibus, viciniſque regionibus ſpoliatis, Dumbari oppidi magnam partem ferro flammaque vaſtavit. Hæc fere eo anno geſta ſunt.

VI. Veris initio acceſſit ad factionem rebellantium Joannes Stuartus Leviniæ Comes, ex Hamiltonii ſorore genitus, ingenſque manus amicorum & clientium ejus. Hi, capta arce Glaſcuenſi, una cum Hamiltonio, Proregis adventum ibi præſtolantur. Prorex, concilio procerum ſuarum partium Edimburgi habito, ſubitarium confecit exercitum, ac, hoſtibus non exſpectare auſis, Glaſcuam ingreditur, arcemque recipit. In unum bombardarium Gallum, tanquam deſertorem, eſt animadverſum: cæteris, deprecante Formano, tum pacis interprete, venia eſt data. Comes Leviniæ, poſt paucos dies, in gratiam eſt receptus: ac, ex eo die, ſumma fide & obſervantia ſemper erga Proregem eſt uſus. Nec adeo diu poſt, primum Hamiltonius, ac non multo poſterius Humius, in aulam redierunt. Eis quoque præteritorum gratia facta: ſed Humio, quia ſæpius rebellaverat, ægrius venia impetrata: lege etiam adjecta; „Si quid „poſt id tempus offenderet, veterum quoque facinorum memoria renovatum „iri.

VII. Ita, pace undique ſtabilita, Prorex ad Falcolandiam ſeceſſit. Illic cum ſe menſes aliquot continuiſſet, magnis ſuſpicionibus adverſus Humium coortis, inde Edimburgum rediit. Conventu procerum ad octavum Cal. Octobris habito, Humium magnis pollicitationibus in aulam protrahere per amicos eſt conatus: verum, diſſuadentibus pluribus; aut, ſi ipſi decretum eſſet eo proficiſci, ut Gulielmum fratrem (cui, ob fortitudinem & munificentiam, prope major

quam

quam ipſi erat auctoritas) domi relinqueret, conſulentibus: („Proregem enim, fratre incolumi, nihil durius in ipſum conſulturum„:) ille tamen, velut fatali neceſſitate præceps raptus, ſpretus amicorum admonitionibus, cum fratre Gulielmo; & Andrea Caro Farniheſtio, in aulam venit: ac ſtatim diverſi in cuſtodias dati, ex concilii ſententia, paucos poſt dies, ad cauſſam patrio more dicendam, producti. Nec ullum tamen novum facinus objectum. Accuſavit princeps Jacobus Moraviæ Comes, de cæde patris, quem compertum erat multorum teſtimoniis prælio vivum exceſſiſſe. Sed cum hoc crimen, acriter objectum, parum perſpicuis argumentis confirmaretur, tandem ad privata facinora recurſum, & renovata ſuperiorum motuum civilium memoria, quorum omnium aut auctor aut particeps Alexander fuiſſet. Opera etiam ad Fluidonem parum fideliter navata crimini datur. De judicum ſententia Humii damnati, Alexander quinto Idus octobres, frater poſtridie, capite luerunt. Duorum fratrum capita publice in loco maxime conſpicuo ad terrorem fixa: bona publicata.

VIII. Hic finis fuit Alexandri Humii, omnium ſui temporis Scotorum potentiſſimi: qui quanquam in vita multorum odia & æmulationem adverſum ſe inflammaverat, tamen ejus mors, invidia ſeneſcente, multorum ſermonibus varie celebrata fuit: eoque potiſſimum, quod nullo novo crimine, ſed Joannis Heburni Cœnobiarchæ calumniis concidiſſe credebatur. Homo enim factioſus, & vindictæ avidus, implacabili odio adverſus Humium arſerat; quod, ejus unius opera, Archiepiſcopatu Fani Andreæ excluſus fuiſſet. Ideoque odium vetus in tempus recondens, Proregi, jamdudum ob ſuſpiciones Humiis infenſo, durioris conſilii [1] auctor fuiſſe exiſtimatus: oſtenſo, „Quantum Regi & univerſæ rei Scoticæ periculum immineret, ſi, diſcedens ipſe in Galliam, tam „acrem inimicum incolumem relinqueret. Quid enim eo abſente auſurus non „eſſet, qui præſentis auctoritatem toties contemſiſſet? Ejus hominis contumaciam, quæ nec præmiis, nec honoribus, nec venia toties oblata, leniri „poſſet, ferro frangendam, ſi rem Scoticam ſalvam eſſe velit. Hæc atque hujuſcemodi, cum, per ſpeciem conſulendi ſaluti communi, in animum ſua ſponte ægrum paullatim irreperent, plus putant ad mortem Humiorum, quam crimina, valuiſſe. Extinctis fratribus Humiis, Andreas Carus, impetrata unius noctis mora, ut de animæ ſalute cogitaret, per amicos, ac maxime per Gallum, apud quem aſſervabatur, non ſine pecuniæ repræſentatæ ſuſpicione, ſupplicium effugit. Alexandro tres fratres erant ſuperſtites, qui omnes variis caſibus per ea tempora conflictati fuerunt. Georgius, ob cædem exul, in Anglia apud hoſpites latebat. Joannes Jedburgi Abbas, ultra Taum relegatus erat. David, natu minimus, qui erat Coldingamiæ Prior, biennio fere poſt cædem fratrum, ab Jacobo Heburno, ſororis marito, per ſpeciem colloquii evocatus, & in paratas inſidias præcipitatus, interiit, magna hominum commiſeratione, quod adoleſcens innoxius, ac ſumma indole, tam turpiter, a quo minime debuit, pro-

1 *Auctor fuiſſe exiſtimatus*] Crafordius legendum ſuadet *exiſtimatur*: ac ſic potius [*exiſtimabatur*] prætulerim. Verum cum [*eſt*] non abſurde hic ſubaudiatur, non temere ſollicitanda videtur ſententia.

proditus eſſet. Cum, hoc pacto, pœna totam Humii domum pervagata fuiſſet, vertit invidia in eorum inimicos, ac potiſſimum in Joannem Heburnum, tam acerbum ultionis injuſtæ exactorem. Ex unius autem familiæ tam potentis calamitate, cæteris metus injectus, res ad tempus tranquilliores fecit.

IX. Decembri proximo, Prorex Regem Sterlino Edimburgum traduxit: & a proceribus Scotis veniam redeundi in Galliam petiit. Ejus poſtulationi prope cunctis refragantibus, [1] aliquot menſes remanſit: ac, præcipiti jam vere, ſeſe, ſi major aliquis motus, qui præſentiam ipſius repoſceret, oriretur, rediturum pollicitus, naves conſcendit, relictis, qui ſummæ rei præeſſent, Anguſiæ, Araniæ, Argatheliæ, Huntilææ Comitibus; Archiepiſcopis Fani Andreæ & Glaſcuæ: quibus adjunctus eſt Antonius Darſius Gallus, qui Dumbaro præerat: cui mandaverat etiam, ut de rebus omnibus certiorem ſe faceret. Ne qua vero ex ambitione diſcordia inter homines claros, in pari poteſtate conſtitutos, oriretur, ſuas ſingulis regiones attribuit. Gallo, cæteris non gravate concedentibus, [2] princeps inter eos locus eſt datus, ac Marcia, & Lothiana, cui præeſſet: cæteræ, pro cujuſque commoditate, provinciæ diſtributæ. Interea Regina, poſt annum fere quam in Angliam venerat, extremo menſe Majo in Scotiam rediit, ac Bervico per maritum eſt deducta. Verum nequaquam pari atque antea concordia vixerunt.

X. Prorex quanquam diſcedens, ne motuum ſemina, ſe abſente, ſuppullularent, nobiliſſimarum familiarum aut principes ipſos, aut eorum filios propinquoſve, per ſpeciem honoris, obſides ſecum duxiſſet, multoſque in diverſa loca relegatos in libera cuſtodia reliquiſſet, arcibus Dumbaro, Britannoduno, & Garviæ cuſtodes Gallos impoſuiſſet, tamen e re parva, & unde minime metus erat, tumultus origo ſuborta eſt. Antonius Darſius, in ſuo magiſtratu, magnum æquitatis & prudentiæ ſpecimen, ac maxime in compeſcendis latrociniis, exhibuerat. Primum in ejus provincia motum fecit, qui ad bellum ſpectaret, Gulielmus Cocburnus, Comarchi Lanctonii patruus; qui, curatoribus pupilli excluſis, arcem Lanctoniam tenebat, fretus maxime potentia Davidis Humii Vederburnii, cujus ſororem Cocburnus in matrimonio habebat. Eo cum Gallus ſatis firmo comitatu veniſſet, arcemque qui intus erant dedere recuſarent, cum raris equitibus expeditis adequitans David Humius, Alexandri ſui propinqui cædem nefariam exprobrabat. Gallus, partim ſuis diffiſus, partim equo perniciſſimo, cui inſidebat, confiſus, ſe Dumbarum verſus in fugam conjecit. Ibi, lapſu equi impeditum inimici aſſecuti, eum trucidarunt: caputque abſciſſum ſupra Humium arcem, loco conſpicuo, affixerunt. Incidit ea cædes in [3] XII. Cal. Octobris anni M. D. XVII. M. D. XVII.

Cæ-

1 *Aliquot menſes remanſit*] Exſtat, in ſuperius memoratis Jacobi V. Epiſtolis, trium regni Ordinum diploma primo Martii 1516, ſive, ut nunc annum metimur, 1517, quo Joannem Albiniæ Ducem cum ampliſſimis mandatis ad Franciſcum Gallorum Regem legatum decernunt.

2 *Princeps inter eos locus eſt datus*] Leſlæus (cui potius hac in parte aſſentior) cum limitibus tantum regundis præfectum tradit: neque enim Scoticæ nobilitatis principes hominem peregrinum ſibi prælatum æquo animo (quod Buchananus affirmat) paſſuros, mihi fit veriſimile.

3 *XII. Cal. Octob*] *XIII. Cal. Octob.* habet Leſlæus.

1 *Con-*

Cæteri Gubernatores congreſſi, cum ex hoc initio majorem motum formidarent, Comitem Araniæ principem Rectorem delegerunt: Georgium Duglaſſium, Anguſiani Comitis fratrem, cædis nuper factæ ſuſpectum, in Garviam cuſtodiendum dederunt: atque in Galliam ad Proregem miſerunt, qui eum in Scotiam quamprimum revocarent.

XI. Sub idem fere tempus, ſemina diſcordiarum jacta ſunt inter Comitem Anguſiæ, & Andream Carum Farniheſtium, ob juriſdictionem agri quidem Comitis, ſed in quo jus conventuum habendorum Andreas ſibi eſſe affirmaret. Reliqua Carorum familia Comiti, Andreæ vero Hamiltonii favebant, magis ob Duglaſſii odium, quam quod certum jus eſſe Caro arbitrarentur. Igitur, cum, ſub diem conventus, in majoris, quam pro re de qua contendebatur, aleam certaminis ſeſe utrique pararent, Joannes Somervallius, Duglaſſianæ factionis, juvenis nobilis & magni animi, Jacobum, Araniæ Comitis filium nothum, in itinere aggreſſus, quinque comitum ejus occidit, reliquos fugavit, ſupra triginta equos cepit.

XII. Cum Edimburgum conventus eſſet indictus in tertium Calendas Majas, anni milleſimi quingenteſimi vigeſimi; Hamiltoniique dicerent, „Se, „Archibaldo Duglaſſio præfecto, non ſatis in ea urbe tutos futuros; „ille, M. D. XX ne in mora publicis negotiis eſſet, ſub finem menſis Martii, ſe magiſtratu ſponte abdicavit. Suffectus ei indidem civis Robertus Loganus. Scotorum occidentalium proceres, qui frequentes convenerant, in ædes Jacobi Betonii Cancellarii convocati, [1] conſilium ineunt de Comite Anguſiæ comprehendendo: ejus enim opes nimias, & publice formidoloſas cauſſabantur, neque, illo libero, quicquam libere decerni poſſe. Occaſio quoque videbatur eorum cupiditati ſubſervire, quod, propinquis nondum coactis, ipſe, cum paucis clientium, facile poſſet opprimi, antequam amicorum auxilia coirent. Id ille cum agitari ſenſiſſet, patruum ſuum Galvinum Caledoniorum Epiſcopum ad eos miſit, qui animos eorum, nulla provocatos injuria, leniret: peteretque, „Ut „ſine armis & vi diſceptaretur. Si quid de ſe queri jure vellent, ſe paratum ex æquo & bono ſatisfacere. Sed oratio habebatur apud homines, numero feroces, & viribus fretos, & ultionis cupidos. Itaque Galvinus, cum nihil æqui impetraret, declarata Anguſio inimicorum ſuperbia, familiam ſuam Comitem ſequi juſſit: ipſe, ut ſacerdos, & [2] invalidus ætate, in hoſpitium ſeceſſit. Alii id ab eo factum interpretabantur, ut Cancellario intempeſtivam oſtentationem exprobraret; qui, cum maxime pacis auctor eſſe debuiſſet, velut ſeditionis fax, volitaret armatus. Duglaſſius, ſpe concordiæ abſciſſa, ſuos adhortatus: „Ut cum laude potius morerentur, quam per ignaviam ſe abderent in hoſpi- „tia,

1 *Conſilium ineunt de Comite Anguſiæ comprehendendo*] Alio prorſus pacto rem narrat Leſlæus, qui culpam in Anguſium rejicit. Buchanani autem hac in re fides ſuſpecta quibuſdam videbitur, quod perpetuo fere Hamiltonios deprimendi ſtudio ductus videatur.

2 *Invalidus ætate*] Negat Humius vitæque Galvini Duglaſſii ejus operibus nuper editis præmiſſæ auctor, eum hoc tumultu ſe abſtinuiſſe quod *invalidus ætate* tum eſſet, utpote annos tum natus non amplius 46.

„tia, unde, paullo poſt, ad ſupplicium protraherentur : nam, inimicorum „opera, jam portas omneſque aditus præcluſos. Omnibus, qui aderant, aſſentientibus, armatus cum ſuis latiſſimum oppidi vicum occupat. Erant autem ei comites circiter octoginta, ſed omnes viri fortes & virtutis expertæ. Hi, pro loci ratione diviſi; hoſtes per angiportuum anguſtias pluribus ſimul locis prodeuntes exceperunt, & primis interemtis, reliquos [1] ruinæ modo per prona retro compulerunt. Comes Araniæ, dux multitudinis, cum Jacobo filio vadum nactus, per lacum ſeptentrionalem evaſit : reliqui fere per diverſam urbis partem ad Dominicanos profugerunt. Hæc dum ingenti cum tumultu per totam urbem geruntur, Gulielmus Anguſii frater cum magna clientium manu ingreditur. Ea multitudine Duglaſſius fretus, licet multiplex hoſtium numerus in urbe eſſet, per tubicinem tamen edicit, ne quis in publico, præter ſuos amicos & clientes, armatus appareret. Cæteris petentibus, ut ſine injuria diſcedere liceret, facile permiſſum. Abierunt autem uno agmine, præter eos, qui fugam præceperant, equites plus minus octingenti, majore cum ignominia quam damno : ceciderant enim non amplius ſeptuaginta duobus : ſed in his viri illuſtres, Comitis Araniæ frater, & Eglentonii filius. Hæc ge-
M. D. XX. ſta fuerant [2] pridie Cal. Maji, anno milleſimo quingenteſimo viceſimo. Hanc contumeliam ut ulciſcerentur Hamiltonii, Cellam Marnoci (ea Cunigamiæ arx eſt) obſederunt. Eam tenebat Robertus Bodius, Duglaſſianorum cliens : ſed illinc brevi, re infecta, receſſum. Proximo anno, Duglaſſius, ad XIII. Cal. Aug. aſſumtis Humiis exulibus, venit Edimburgum, atque Alexandri & Gulielmi Humiorum capita e publico, ubi affixa erant, detraxit.

XIII. Hoc totum fere quinquennium, a Proregis diſceſſu uſque ad ejus reditum, tumultuoſe actum : nec cædibus & rapinis uſquam temperatum. Re-
M. D. XXI. diit autem ad tertium Calendas Novembris anni milleſimi quingenteſimi viceſimi primi. Ut motus, per abſentiam ſuam coortos, facilius ſedaret, ſtatuit Duglaſſiorum imminuere potentiam. Anguſiæ Comitem, familiæ clariſſimæ principem, in Galliam relegavit : ejus patruum, Epiſcopum Caledoniorum, [3] Romam per Pontificem evocandum ad cauſſam dicendam curavit. Is, proxi-

1 *Ruinæ modo*] Ita Livius lib. 21, cap. 33. *Inde ruinæ maximæ modo jumenta cum oneribus devolvebantur.* Et lib. 42. cap. 66. *Ruinæ quoque ſimilem trepidationem fecit.*

2 *Pridie Cal. Maji anno* 1520] Omnem rerum geſtarum ordinem invertunt Piiſcottius & Anderſonus, qui hunc tumultum Edimburgenſem in annum conjiciunt 1515, atque ante primum Albini in Scotiam adventum accidiſſe volunt.

3 *Romam per Pontificem evocandum ad cauſſam dicendam curavit*] Vitæ ejus ſcriptor id falſum oſtendit : exſtat enim in ſupra laudata Literarum Jacobi V. Sylloge, decretum a tribus regni Ordinibus adverſus eum latum, quo ipſi aqua & igni interdicitur, *quod bello Scotis ab Henrico VIII. indicto, in ejus tamen regnum ſe contuliſſet :* Porro poſt gravem pœnam iis intentatam qui eum ope aut conſilio adjuverint, hæc verba ſubjiciuntur : *Et cum non magis debeat unius hominis gratia apud ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, ejuſque ſacroſanctum Cardinalium Senatum valere, quam noſtri Regis, ſuique Tutoris illuſtris, totiuſque regni ſtatus ſincera devotio, decretum eſt, dictorum trium ſtatuum conſilio, Regis & ſui Tutoris literas ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam miſſum iri, ne præfatum Galvinum, ſic contra Rempublicam molientem, ad Divi Andreæ Archiepiſcopatum, & Dumfermling Monaſterium, nec*

cerius

ximo anno, dum Romam proficiſcitur, Londini peſte correptus obiit, magno ſuæ virtutis apud bonos deſiderio relicto. Præter enim natalium ſplendorem, & corporis dignitatem, erant in eo multæ, ut illis temporibus, literæ, ſumma temperantia, & ſingularis animi moderatio, atque, in rebus turbulentis, inter adverſas factiones, perpetua fides & auctoritas. Reliquit & ingenii & doctrinæ [1] non vulgaria monumenta ſermone patrio conſcripta.

XIV. Proximo poſt reditum Proregis anno, conventu Ordinum habito, exercitus, ad Edimburgum ſtato die adeſſe juſſus, ſatis frequens convenit: qui cum in campis Roſlino proximis caſtra poſuiſſet, omnibus incertis quo ducerentur, per præcones denunciatum eſt, ut Annandiam verſus pergerent, gravi pœna [2] in abnuentes propoſita. Ad Solvæum, Scotiæ limitem, ſatis quidem obedienter a cæteris eſt ventum: unus Alexander Gordonius, & qui eum ſequebantur, ad tria ferme millia longius ab Anglia ſubſtiterunt. Id cum Proregi eſſet nunciatum, poſtridie retro ad eum venit, & ad ſua caſtra perduxit. Ibi, convocatis proceribus, cum plurimis & graviſſimis rationibus oſtendiſſet, cur eam potiſſimum partem Angliæ aggredi ſtatuiſſet, magna pars Nobilitatis, maxime auctore Gordonio, qui cæteros opibus & ætate anteibat, ingredi omnino Angliam renuerunt, ſive prava erga Proregem invidia, ſive (quod maxime præ ſe ferebant) quia tum rei Scoticæ id expedire putabant. Cauſſæ jactabantur, in ſpeciem, vulgo non ingratæ. „Nam, ſi ea opera Gallis navaretur, ne Anglus in eos totis viribus incumberet, ſatis ad id „videri, bellum oſtentare. Sin rerum domeſticarum ratio habeatur, ſtatu publico domi turbato, ac Rege adhuc puero, ſuas exiſtimare partes, fines „veteres tueri, & regnum incolume ſervare. [3] Sin porro ire pergerent, fortuitarum etiam offenſionum ipſis culpam eſſe ſubeundam, ac rei male geſtæ „rationem intra paucos annos eſſe reddendam. Poſtremo, ſi maxime vellent & „commune periculum adverſus hoſtem negligere, & ſuarum domi rationum „oblviſci, ſe tamen vereri, ne in hoſtico Scoti imperio ſatis audientes forent: ac maximopere cavendum, ne, vel æmulatione, vel invidia, vel recentibus adhuc odiis, ignominia accipiatur.

XV. Prorex, qui adverſando ſe nihil acturum videbat, conſenſit. Ne tamen nihil tanto conatu, ducto ad Solvæum exercitu, actum videretur, per hominem idoneum, qui in Anglia negotiari conſueverat, Dacrium, Anglici limitis præfectum, admonendum curat, poſſe aliquid tranſigi, ſi ad colloquium veniretur. Ille, ut cui omnia imparata erant, (neque enim Scotos aut omnino, aut ſal-

eorum aliquod, contra regni privilegia, a ſummis pridem Pontificibus conceſſa, aſſumi commendet. Hoc autem decretum, (quod a Duglaſſii nominis hoſtibus, præcipue Jacobo Betonio, Glaſguenſi Archiepiſcopo, qui Archiepiſcopatum Fani Andreæ, morte Andreæ Formani tum vacantem, ambiebat, expreſſum videtur) ſcriptum eſt 21. Februarii anni 142½.

1 *Non vulgaria monumenta*] In quibus principem locum facile obtinet Virgilii Æneis carmine Scotico reddita, ſummis encomiis a viris doctis celebrata.

2 *In abnuentes*] MS. *abeuntes.*

3 *Sin porro ire pergerent*] Ita, non tam Crafordii juſſu, quam MS. exemplo, reſtituimus. Omnes autem editos codices pervaſit, *Sin porro ue pergerent.*

ſaltem per eum limitem, irrupturos exſpectaverat) libenter id audivit, & miſſo caduceatore, obtinuit, ut fide publica venire in caſtra poſſet. Poſtridie, viginti equitibus, in quibus maxime inſignes Thomas Dacrius & Thomas Muſgravus erant, comitatus, ad tentorium ducis venit, ac cæteris ſubmotis, ſoli cum ſingulis interpretibus ſunt congreſſi. Igitur, cum & Dacrius, rebus imparatis deprehenſus, a quietis conſiliis non abhorreret, & Prorex, invito exercitu, rem gerere non poſſet, pactis induciis, & ſpe pacis injecta, [1] diſceſſum. Scotorum qui rebus gerendis maxime fuerant impedimento, ut culpam a ſe averterent, ſparſerunt rumores, ob pacem obtinendam, Proregi ab Dacrio pecuniam partim repræſentatam, partim promiſſam, ac nunquam ſolutam. Atque, in vulgus his proſeminatis rumoribus, colloquium infamare ſunt conati.

XVI. Prorex, cum VIII. Cal. Novembris diſcederet in Galliam, pollicitus eſt ſe ante Cal. Auguſti rediturum. Eum diem cum obire non poſſet, quod magnam Anglorum claſſem, ad ſe excipiendum, ornatam ſciret, proximo menſe Junio quingentos pedites Gallos præmiſit; qui ſpe reditus propinqui interea Scotos confirmarent. Hi nuſquam toto itinere hoſte viſo, prope Majam, inſulam in æſtuario Forthæ ſitam, in Anglicas naves, freti anguſtias obſidentes, inciderunt: ac magno edito prælio, Galli in hoſtium naves ingreſſi, ſuum quidem navarchum amiſerunt. Eo cæſo, cum neque ſocii navales peditum ducibus parerent, nec milites, quippe rei nauticæ ignari, nautis imperare ſcirent, ingenti Anglorum cæde facta, vix in ſuas naves cogi potuerunt.

XVII. Per Scoti Proregis abſentiam, Thomas Havartus Surriæ Comes, ab Anglo immiſſus, ac Scotos inter ſe diſcordes, ſine ſummo magiſtratu, ſine certo imperio nactus, cum decem millibus mercenariorum, ac amplis auxiliis, Marciam & Teviotiam pervagatus, utriuſque provinciæ arces, cum maximo potentiorum, nec leviore plebis (quæ adverſus ſubitas incurſiones hæc habebant propugnacula, in quibus ſe ſuaque ſervare ſoliti erant) damno, [2] *evertit*. Et Scotia tum ita inteſtinis laborabat ſeditionibus, ut, vicinorum calamitates nemo ad ſe pertinere exiſtimaret. Angli, per aliquot menſes, qua libuit ſine prælio graſſati, cum ſolviſſent exercitum, Scoti finitimi, ut aliqua ex parte accepta damna ulciſcerentur, cum aſſiduis incurſionibus e Northumbria prædas agerent, miſſus iterum adverſus eos Havartus, Jedburgum oppidum, etſi (ut mos fert Scotorum) immunitum, magno cum labore, nec ſine ſuorum vulneribus, cepit. Dum hæc in Teviotia geruntur, tantus, incertum qua de cauſſa, equos Anglorum terror de nocte invaſit, ut prope quingenti, abruptis vinculis, in caſtra illati, obvios dejecerint, quoſdam obtriverint, ac inde velut furentes egreſſi, & per agros diſperſi, paſſim prædæ Scotis fuerint. Trepidatio ingens in caſtris, atque, Ad arma, clamatum: neque ante lucem potuit tumultus ſedari. Eo quod conſecutum eſt triduo nulla re præterea geſta, Anglorum exercitus eſt dimiſſus.

XVIII.

1 *Diſceſſum*] Crafordius legendum vult [*diſceſſum eſt.*]

2 *Evertit*] Hanc vocem, ad ſenſum neceſſariam, omnibus tamen libris deſideratam, Crafordii monitu repoſuimus.

XVIII. Dux Albinus, cum omnes portus Gallici littoris obſeſſos ab Anglis, qui reditum ejus in Scotiam obſervare juſſi erant, ſciret; quibus impar viribus erat, arte ſtatuit eludere. Claſſem ſuam nullum in unum locum contraxit, ſed per varios portus ita ſparſam tenebat, ut nullam bellici apparatus ſpeciem præferret, milites in locis mediterraneis ita collocarat, ut nihil minus, quam de navigando, cogitare videretur. Anglicæ claſſis præfectus, qui ad eum excipiendum, uſquead Idus Auguſti fruſtra toto mari volitaverat, per exploratores certior factus, neque claſſem, neque exercitum toto littore Gallico parari, ratus eum nihil ante ver proximum moturum, naves ſubduxit. Dux Albinus, hoſtium diſceſſu cognito, repente quinquaginta navium claſſe contracta, ac tribus millibus peditum, centumque cataphractis impoſitis, poſt æquinoctium autumni e Gallia ſolvit: ac Octavo Calendas Octobris Araniam inſulam tenuit; eodem forte die, quo Jedburgum ab Anglis eſt crematum.

XIX. Oſtendimus, quam miſerabilis, æſtate ſuperiore, fuerit rerum Scoticarum ſtatus, proceribus inter ſe diffidentibus, Anglo proxima ſibi omni belli clade devaſtante, ac mari obſeſſo, ſpe omni externi auxilii ſublata. Hoſtis autem conſilium eo ſpectabat, ut feroces Scotorum animos, malis fractos, ad paciſcendum ſecum cogeret. Nec ſegnius etiam Scoti factionis Gallis adverſæ laborabant, ut perpetuum cum Anglo fœdus iniretur, Regina principe. Nam, cum Humius morte ſublatus, Duglaſſius relegatus eſſet, cæterique magis idonei comites, quam ad res ſuſcipiendas duces haberentur, quicunque alieno adverſus Gallos erant animo, ſe ad Reginam applicarant. Illa pariter, ut fratri gratificaretur, & imperii vim ad ſe traheret, diſſimulata cupiditate privata, hortabatur; „Ut filium, jam prope puberem, e peregrinorum ma„nibus, & ſe ab externo jugo liberarent. Proſpiciebat etiam Regina, adverſus maritum, quem jamdudum cœperat odiſſe, præſidia. Anglus etiam, frequentibus ad proceres Scotorum literis & pollicitationibus, conſilium ſororis promovebat: „Per ſe enim non ſtetiſſe, quo minus æterna inter vicina re„gna eſſet amicitia: idque ſe, cum alias, tum nunc maxime cupere, nullo „rerum ſuarum reſpectu, ſed ut omnes intelligerent, ſe ſororis filium ample„cti, tueri, & quibus poſſet commodis amplificare velle. Quod ſi Scoti in „animum inducerent, ſoluto cum Gallis fœdere, ſeſe Anglis conjungere, „brevi cogituros, quam nec ambitioni, nec potentiæ, ſed uni concordiæ „ſtuderet, Maria filia unica Jacobo collocata: quo matrimonio, non Scoti „Anglorum, ſed Angli Scotorum imperio accederent. Odia non minora inter „alias gentes interceſſiſſe, quæ & affinitatibus, & rerum neceſſariarum com„merciis, & mutuis beneficiis, extincta & prorſus abolita fuerint. Commemorantur ab aliis commoda & incommoda, quæ ex utraque amicitia redundare poſſent. „Alteram eſſe gentem in eadem terra natam, ſub eodem cœli „tractu educatam, lingua, moribus, legibus, inſtitutis, vultu, colore, li„neamentis corporis adeo ſimilem, ut magis una, quam diverſæ nationes vi„deantur: alteram non magis cœlo & ſolo, quam omni vitæ cultu differen„tem; præterea quæ nec magnum, ſi hoſtis eſſet, detrimentum Scotis poſ-

„ſet afferre, nec, ſi eſſet amica, emolumentum. Anglum in propinquo, „Gallica auxilia longinqua eſſe. Iter unum per mare, quod & ab hoſtibus oc„cludi, & tempeſtatibus impediri poſſet. Conſiderarent itaque, quam ad mo„menta rerum gerendarum eſſet incommodum, & ad ſalutem tuendam intu„tum, ſpem omnem ſalutis a vento ſuſpenſam habere, & in elementi incon„ſtantiſſimi arbitrio ſui ſtatus incolumitatem collocare. Quantum auxilii in „amicis abſentibus, adverſus præſentia pericula, eſſet, ſi unquam alias, cer„te hac ipſa æſtate, non modo intelligi, ſed oculis ſpectari potuiſſe, cum „Anglus hinc nos, ab amicis deſertos, ferret, ageret, totiſque viribus in „perniciem noſtram incumberet; illinc auxilia, ſæpe promiſſa ac diu ſperata, „teneret claſſibus ſuis obſeſſa.

XX. Hæc cum pro fœdere Anglico diſputarentur, ac non pauci in eam ſententiam ituri eſſent, multi contra diſſerebant. Erant enim, in eo conventu, plerique Gallicis largitionibus præoccupati, nonnulli etiam, qui, quod e publicis detrimentis ſua comparabant emolumenta, omnino a pace abhorrebant. Nec deerant, quibus Angli in pollicendo facilitas eſſet ſuſpecta, præſertim cum res Anglica tum potiſſimum penderet ex arbitrio Thomæ Volſæi Cardinalis, viri pravi & ambitioſi, & qui conſilia omnia ad ſuam privatim auctoritatem & dignitatem ampliandam referret; ideoque ea ad omnem fortunæ flatum accommodaret. Hi tum omnes, diverſis rationibus adducti, ſed pari ſtudio tamen, Gallicum fœdus tuebantur: negabantque; „Repentinam „illam hoſtis liberalitatem eſſe gratuitam. Nec nunc primum Anglos illis ar„tibus, ad incautos homines decipiendos, uti. Eduardum Primum juratum, „& omnibus legum vinculis conſtrictum, ad litem dirimendam arbitrum ele„ctum, ſeſe, per ſummam injuriam, Regem Scotorum creaſſe: nuper etiam „Eduardum Quartum Cæciliam filiam Jacobi Tertii filio deſpondiſſe: cum „autem puella nubendo maturuiſſet, nuptias prope paratas, occaſione belli ex „noſtris domeſticis diſſidiis arrepta, diſſolviſſe. Neque nunc aliud Anglum „quærere, quam ut, injecta ſpe vana dominatus, nos in veram ſervitutem ra„piat, ac deſtitutos externis auxiliis, tot virium ſuarum molimine incautos „opprimat. Nec illud quidem, in quo exultat eorum oratio, verum; tu„tiorem eſſe propinquam, quam longinquam amicitiam. Diſſenſionum enim „cauſſas inter vicinos nunquam defuturas: quas ſæpenumero caſus gignat, & „potentiores non raro, levi occaſione oblata, ferant. Concordiæ leges, qui „ſuperior in armorum erit certamine, pro ſuo arbitrio præſcribet. Neque un„quam inter finitima regna tam ſanctum fuiſſe amicitiæ vinculum, quod non, „vel oblatis occaſionibus, vel quæſitis cauſſis, ſæpiſſime violaretur: neque ſpe„randum Anglos nunc magis a nobis violandis temperaturos, quam a tot ſui „ſanguinis Regibus abſtinuerint. Fœderum enim ſanctitas, & jurisjurandi reli„gio, & pactorum & conventorum fides, inter bonos firmiſſima ſunt vincula; „inter malos, oblata commoditate ad fallendum, retia: hæc autem commo„ditas in finium propinquitate, & linguæ commercio, & vitæ cultu non diſ„ſimili, vel maxime ſita eſt. Quod ſi hæc omnia longe ſecus haberent, duo „tamen nobis providenda ſunt, alterum, ne veteres amicos, ſæpe de nobis

„bene

„bene meritos, inauditos rejiciamus, alterum: ne, fruſtra altercando, tem-
„pus hîc teramus, ea præſertim de re, de qua nihil, niſi in omnium Ordinum
„coventu, conſtitui poteſt. Hoc maxime pacto Gallicæ factionis homines tenuerunt, ne quicquam, ante certos de Gallorum auxiliis nuncios, decerneretur.

XXI. Adventus Proregis divulgatus amicos magna lætitia affecit, dubios confirmavit, & multos, ad fœdus Anglicum proclives, retinuit. Ille, apparatu belli adverſo flumine Glotta Glaſcuam miſſo, recenſuit ibi exercitum, ac præmiſſo edicto, ut Nobilitas Edinburgi præſto eſſet, luculenta oratione apud eos habita; laudat eorum conſtantiam in antiquo fœdere conſervando, & adverſus Anglorum perfidioſas pollicitationes providentiam: multa magnifice commemorat de Franciſci Regis erga Scotorum gentem animo, ſtudio, & liberalitate: hortatur; „Ut, ſimultatibus depoſitis, dum externa adſunt auxi-
„lia, acceptas ulciſcantur injurias, & inſigni damno inſolentiam hoſtis repri-
„mant.

XXII. Per hos dies, refecto milite, & [1] Scotorum copiis adjunctis, ad limitem pervenit, ad undecimum Calendas Novembris. Sed cum, jam Angliam ingreſſurus, ponte ligneo, qui eſt ad Mulroſſiam, copiarum partem majorem traduxiſſet, Scotis eadem cauſſantibus, quæ ſuperiore expeditione ad Solvæum prætenderant, ac Angliam ingredi renuentibus, tranſgreſſos amnem eadem via reduxit: atque paullo infra, ad ſiniſtram Tuedæ ripam, poſitis caſtris, Vercam arcem, ad dextram ex adverſo ſitam, oppugnare eſt aggreſſus. Equites interea, trans amnem miſſi, aditus omnes obſidebant, ne qua incluſis auxilia intromitterentur: vicinum agrum ferro flammaque vaſtabant. Arcis hæc forma eſt. Turris munitiſſima in intima area in magnam aſſurgit altitudinem: eam duplex murus ambit, exterior latum amplexus ſpatium, in quod, belli tempore, ruſtici ſolebant confugere, ac pecora fructuſque agrorum conferre: interior multo anguſtior, ſed, foſſis circumductis, & turribus excitatis, munitior. Exteriorem ambitum cum Galli cepiſſent per vim, Angli, immiſſo in horrea atque ſtramenta, quæ in eis erant, igne, flamma fumoque eos exegerunt. Biduo deinde proximo, interiore muro tormentis converberato, poſtquam ſatis facilis aditus patefactus videbatur, iterum Galli rem aggreſſi, per ruinas quidem ſtrenue tranſcenderunt, ſed cum ex arce intima, adhuc integra, omni genere telorum ipſi ad omnes ictus expoſiti peterentur, paucis ſuorum amiſſis, ejecti ad exercitum, trans flumen redierunt.

XXIII. Prorex, cum & Scotorum animos a rebus gerendis videret averſos, & pro certo comperiſſet, copias Anglorum numeroſiſſimas, nempe in quibus ipſi ſcribant quadraginta millia armatorum fuiſſe, ac præterea millia ſex ad Bervici oppidi propinqui cuſtodiam relicta, tertio Id. Novembris caſtra movit ad Cœnobium Monacharum, (Eccleſiam vocant) ad ſex ab eo, ubi conſederat, loco paſſuum millia. Inde, de tertia vigilia, Lauderam profectus, iti-

1 *Scotorum copiis adjunctis*] Huic expeditioni Buchananus ipſe, cum juvenis admodum, interfuit, ut ipſe in vita ſua teſtatur

itinere nocturno, propter ſubitum nivis caſum hominibus & jumentis vehementer afflictis. Eadem vis tempeſtatis effecit, ut Angli, nulla re geſta, ſoluto exercitu, domos diſcederent. Hiemis reliquum prope quietum fuit. Adulto jam vere, Prorex in conventu Nobilitatis cauſſas explicavit, cur ſibi in Galliam redeundum eſſet: verum ante Calendas Septembris ſe rediturum pollicebatur. Ab eis viciſſim petiit; „Ut interea Rex ſe Sterlini contineret: nec pa-„cem, aut inducias, ante ſuum reditum, cum Anglis faceret: neque quicquam „in adminiſtratione regni innovaret. Id cum ſancte ei promiſſum fuiſſet, ad XIII. Cal. Junii cum ſuis e Scotia ſolvit.

XXIV. Abſente Prorege, cum omnes omnia non modo impune dicerent, ſed facerent, agerent, ferrent, raperent; Rex adhuc impubes, matre, Comitibus Araniæ, Leviniæ, Crafordiæ, compluribuſque aliis ſupremi ordinis nobilibus auctoribus, Sterlino Edimburgum venit [1] ad IV. Cal. Aug. [2] Primoribus in Regiam ad Sanctæ Crucis coactis, de conſilio eorum regni adminiſtrationem [3] Rex ſuſcepit: ac poſtridie omnes novo ſacramento in ſuum nomen ade-

1 *Ad IV. Cal. Aug.*] *VII. Cal. Aug.* habent Leſlæus & Holinſhedius.

2 *Primoribus in Regiam*] Significare hic videtur Buchananus Jacobum V. regni adminiſtrationem IV. Cal. Aug. anni 1524 ſuſcepiſſe: quod tamen a vero abeſſe monſtrant ipſius Regis ad Albiniæ Ducem literæ, quas, quod rerum Scoticarum tum ſtatum breviter exponant, nec ineleganti ſtylo ſint ſcriptæ, non indignas, quæ hic Lectorum oculis ſubjiciantur, putavi.

„JACOBUS Dei gratia Rex Scotorum,
„illuſtri Principi Joanni Albaniæ Duci
„ſalutem. Quum ultimo hinc eſſes ena-
„vigaturus, conſanguinee noſter chariſſi-
„me, pollicitus es, te ante Calendas pro-
„ximi tunc Septembris iſthuc rediturum;
„ſique id minus ad præſtitutum conſtitiſſet
„diem, conſuluiſti, Regiam majeſtatem &
„rerum ſummam nobis eſſe deferendam.
„Itaque poſt lapſum diem, poſtque o-
„mnem reditus tui exſpectationem interci-
„ſam, omnes regni noſtri ſtatus, externa
„& domeſtica ægre ferentes mala, puta-
„runt hoc regnum, capite truncum, diu-
„turnum non futurum. Quare iidem ſta-
„tus, tuum conſilium commodiſſime ſe-
„cuti, in publico frequentique conſeſſu,
„nos veluti nativum germanumque Re-
„gem, Regiæque majeſtatis caput, cæte-
„ris membris præfecerunt: chariſſimam
„quoque nobis matrem, ac viros pruden-
„tia & auctoritate ſummos, qui nobis in
„regni adminiſtratione rerumque extera-
„rum conſultatione perpetuo adſint, adjun-
„xerunt: quam regni formam tibi ſumme
„placituram non dubitamus. Sed illud, con-
„ſanguinee chariſſime, omnibus ſatis co-
„gnitum eſt, tibi vero maxime, quam
„imparatos nos plerumque adoriantur ho-
„ſtes. Ea de cauſſa eorum inſultus ſæpius
„perpeſſi, plureſque in poſterum metuen-
„tes, arcem noſtram de Dunbar, ac tor-
„menta bellica quæ tuo nomine a præſidio
„Gallico occupantur, pluries per Heral-
„dum, leniter quidem, ſed incaſſum ex-
„poſcimus. Quare te oratum volumus,
„ut per tuas literas tuo præſidio mandes
„nobis arcem noſtram & tormenta quam
„placidiſſime reſtituere. Cæterum ſpera-
„mus te eodem erga nos animo noſtrumque
„regnum perſeveraturum, quo multis ante
„annis, & hic & in Galliis, noſtri regni
„& majeſtatem & negotia curaſti: nos
„vero pro viribus ſimilem tibi præſtabi-
„mus animum, chariorem enim te, aut
„ſanguine nobis magis junctum, habe-
„mus neminem. In optatos ſucceſſus, con-
„ſanguinee illuſtris, diu vivas. Ex op-
„pido noſtro Edimburgenſi, tertio Idus
„Decembris, anno ſupra milleſimum &
„quingenteſimum vigeſimo quarto. *Vide*
„*Epiſt. Jacobi V. in Bibliotb. Jurid. Edimb.*

1 *Rex ſuſcepit*] Ita MS. & princeps editio Edimb. at recentiores vocem

[*Rex*]

adegit. Qui publicam functionem aut procurationem habebant, univerſos, juris uſurpandi cauſſa, exauctoravit: ac, paucis poſt diebus, omnes in priſtinum, unde dejecti erant, locum reſtituit. Magno procerum numero [1] ad XX. Aug. diem convocato, ut imperium, quod ipſe jam uſurpaverat, Proregi abrogaret, cum ſplendida (ut moris eſt) pompa, in publicum urbis prætorium proceſſit. Fani Andreæ & Abredoniæ Epiſcopi, qui ſoli diſſentiebant, & Calendas Septembres exſpectandas cenſebant, in cuſtodiam dati. Illi, ut ſuis ſe armis ulciſcerentur, omnibus per ſuas juriſdictiones ſacrorum uſu interdicunt: verum, poſt alterum fere menſem, Rege placato, in priſtinum gratiæ locum reſtituti fuerunt.

XXV. Circa idem fere tempus, Archibaldus Duglaſſius (quem in Galliam relegatum diximus) præmiſſo Simone Pennango, homine acri, & cui plurimum fidebat, egit cum Rege Anglorum, ut [2] per ejus ditionem tuto redire domum liceret. Anglus, qui Ducis Albini hominis impigri auctoritatem imminui non moleſte ferebat, ac rerum Scoticarum mutationem libens audiebat, Comitem advenientem benevole accepit, & liberaliter dimiſit. Ejus autem reditus Scotorum animos varie affecit. Nam, cum ad Reginæ & Comitis Araniæ arbitrium negotia publica gererentur, magna Nobiliorum pars, cujus principes erant Joannes Stuartus Leviniæ, & Calenus Cambellus Argatheliæ, Comites, ſe ad nullam curæ publicæ partem recipi, iniquo animo ferentes, cum ingenti gratulatione Duglaſſium receperunt: ut cujus auxilio vel potentiam factionis adverſæ ad ſe traducerent, vel certe faſtum reprimerent. Contra, Regina, quæ (uti dictum eſt) animum a marito averterat, ejus adventu commota, omnibus machinis eum oppugnare inſtituit. Hamiltonius quoque, ex reſiduo odio, ei non modo infenſus, ſed etiam metuens, ne a Duglaſſio, quem ſecundo loco non fore contentum ſciebat, in ordinem redigeretur, adverſus eum, velut pro dominatione retinenda, totis viribus contendebat. Hi cum in arce Edimburgenſi ſe continerent, nec ignorarent, multos procerum rerum novarum eſſe cupidos, tamen & loco munitiſſimo, & Regis quamlibet inermi auctoritate confiſi, a vi ſibi tuti videbantur. Pars adverſa, coacto majore Nobilitatis numero, tres e ſuis eligunt Regis & regni cuſtodes, Archibaldum Duglaſſium Anguſiæ, Joannem Stuartum Leviniæ, & Calenum Cambellum Ar-

ga-

[*Rex*] utpote minus neceſſariam, delendam cenſuerunt.

1 *Ad XX. Auguſti diem*] Ex modo deſcriptis Jacobi V. literis, legatique inſuper ad Franciſcum I. Galliarum Regem eodem tempore miſſis mandatis, plane apparet, Jacobum V. tum 13 ætatis annum agentem, non ante regni adminiſtrationem ſuſcepiſſe, quam elapſæ eſſent Calendæ Septembris, quibus ſe Albinus rediturum promiſerat. *Ibid.* Id vero clarius adhuc elucescit ex ipſis Conventus publici 14 Novemb. 1524 habiti Actis, cujus ſtatim initio hoc decretum occurrit: *A Rege regnique Ordinibus eſt ſtatutum, ut cum Joannes Albiniæ Dux in Galliis abſens, ad præſtitutas Kal. Septembris, cum auxiliis Gallicis, quæ in regni defenſionem ſecum adducturum promiſerat, non ſit reverſus, Rex ipſe ſuis auſpiciis, chariſſimæque matris conſilio, regnum deinceps adminiſtraret.* Vide Obſervat. ex Actis publ. in Biblioth. Jurid. Edimb.

2 *Per ejus ditionem*] Vide ſupra ad Lib. 1. cap. 43.

1 *Epiſco-*

gatheliæ, Comites. Hi, celeritate ſumma uſi, primum tranſmiſſo Fortha, Jacobum Betonium, ſumma prudentia virum, perſpectis factionis opibus recuſare non auſum, ſibi adjungunt. Inde Sterlinum profecti, miniſteriis & procurationibus publicis ad ſuæ factionis homines tranſlatis, Edimburgum, nullis præſidiis munitum, ſine vi ingrediuntur: arcem, levi aggere circumjecto, obſident. Qui intus erant, nulla re ad obſidionem tolerandam ſatis proviſa, & illam & ſeſe dedunt. Cæteris, præter Regem, dimiſſis, omne curæ publicæ pondus in tres, quos diximus, Comites transferunt, ea lege, ut ſinguli per ordinem quaternos menſes apud Regem eſſent.

XXVI. Sed ea ſocietas nec fida, nec diuturna fuit. Duglaſſius primis menſibus ad aulam regendam adhibitus, Regem in ædes Archiepiſcopi Fani Andreæ induxit: & ſupellectili ejus & re familiari pro ſua (nam ab eis jam defecerat) uſus eſt: & quo magis animum Regis ſibi devinciret, omnibus voluptatum illecebris eum imbui permiſit. Nec tamen propoſitum tenuit; miniſtris domeſticis Regis ab adverſa factione, cujus principes erant Regina & Hamiltonius, corruptis. Prima animorum in aula alienatio fuit, ob ſacerdotiorum diviſionem, Duglaſſiis omnia ad ſe trahentibus. Georgio Crichtonio, ad [1] Epiſcopatum Caledoniæ tranſlato, Cœnobium Sanctæ Crucis ſuburbanum, ab eo relictum, Duglaſſius Gulielmo fratri donavit, qui Coldingamiam, ad ſex a Bervico millia paſſuum, jam quintum annum, a cæde Roberti Blacateri poſtremi Abbatis, per vim tenuerat: nam a Pontifice Romano id Cœnobium, conſentiente Joanne Prorege, acceperat Patricius Blacaterus, Roberti frater patruelis. Is etiam litem intenderat Joanni Humio, familiari Comitis Anguſiæ, & ſororis filiæ marito, de veteri Blacaterorum patrimonio univerſo. Igitur Patricius, opibus Duglaſſianorum impar, ſua adverſariis eſſe prædæ patiebatur: ſeſe vero procul ab regionibus eorum factioni obnoxiis, apud materni generis propinquos, melioribus temporibus reſervabat. Duglaſſiani, etſi Patricium facile contemnebant, tamen, cum rerum gubernaculum tenerent, ut maculam illam, aliena violenter obtinendi, eluerent, eum per amicos aliqua ratione placare contendunt: cumque ille non alienum a concordia ſe oſtenderet, ac multum de ſuo jure paratus eſſet remittere, accepta fide publica, per diploma miſſum a Duglaſſio, cum Edimburgum cum paucis & inermibus veniret, non procul ab urbis porta, ab Joanne Humio, ex inſidiis erumpente, eſt interemtus. Ejus facinoris fama cum urbem pervaſiſſet, multi, conſcenſis equis, ut percuſſores comprehenderent, aliquot millia paſſuum ſecuti, animadverſo, Georgium Duglaſſium Comitis fratrem in ſuo cœtu eſſe, ac multos præterea Duglaſſianos, & Humii propinquos, incerti quo animo illi exiſſent, utrum ut caperent, an ut tuerentur, cædis auctores ſequi ulterius deſierunt. Adverſi paſſim de Duglaſſio rumores ferebantur. Jam Calenus Cambellus

1 *Epiſcopatum Caledoniæ*] *Caledoniorum* reſcribi jubet Crafordius, ut Lib. VIII. 44. IX. 7. & XIV. 13. Verum cum ipſe Buchan. Lib. I. 25. & alibi, oppidum *Caledoniam*, populum *Caledonios* appellet, nihil cauſſæ obſtare videtur, quo minus nunc *Caledoniæ*, nunc *Caledoniorum* Epiſcopus vocetur, pari jure quo *Angliæ* vel *Anglorum* Regem appellare ſolemus.

1 *Le-*

lus ſe ab illo velut triumviratu ſubtraxerat: & [1] Levinius, etſi Regem ſequebatur, Duglaſſiis tamen munera publica & emolumenta ad ſe trahentibus, animi ab eis alienati multa indicia dabat. Verum illi, opibus ſuis freti, rumores & indignationes aliorum parvi faciebant.

XXVII. Rex inter hæc, etſi indulgentius, quam decebat, haberetur, ut ea licentia infirmus adhuc animus teneretur, tamen paullatim & eorum imperii pertæſus, &, miniſtris domeſticis, partim vere, partim falſo, Duglaſſiorum acta vellicantibus, & dubia in pejus interpretantibus, alienatus, inter familiares, quibus audebat conſilia ſecretiora credere, de ſe vindicando in libertatem occulte diſſerebat. Unus e proceribus Joannes Leviniæ Comes erat, cui aperire intimas cogitationes non timeret: erat enim, præter alias animi & corporis virtutes, ore probo, & naturali quadam ſuavitate morum ad homines conciliandos egregie compoſitus. Eo igitur in conſcientiam aſſumto, dum de tempore, loco, & ratione rei perficiendæ conſultatur, Duglaſſius, multis expeditionibus, ad latrocinia coërcenda, ſed non magno ſucceſſu, factis, tandem circa finem Julii, Regem in Teviotiam ducere ſtatuit, ejus præſentiam ad terrorem injiciendum aliquid profuturam ratus. Jedburgi conventu habito, principes familiarum, ex omni circa regione ad ſe vocatos, Rex jubet, ſuæ quemque gentis facinoroſos, quorum nomina eis edidit, exhibere: quibus gnaviter parentibus, multi latronum duces ſupplicio affecti: multis, in ſpem vitæ in melius mutandæ, venia data. Ibi in lætitiam ſolutis omnium animis, qui Regem Duglaſſiis eripere conabantur, eis opportunum viſum eſt, ut conata perficerent, quod Valterus Scotus, qui non longe a Jedburgo habitabat, magnas in regionibus propinquis clientelas habebat. Rei gerendæ ratio ſic inita erat, ut Valterus Regem domum ſuam invitaret, ibique non invitum detineret, dum majores ad rei famam copiæ convenirent. Id conſilium, ſive forte fortuna, ſive alicunde emanante indicio, diſcuſſum videbatur, Rege retro ad Mulroſſiam ducto. Verum Valterus, nihil ea re ſegnior, recta ad Regem ire pergit. Cum jam non longe abeſſet, trepidus ad Duglaſſios nuncius affertur; „Valterum, cum ingenti armatorum manu, ipſum armatum advenire: nec dubium „eſſe, quin homo factioſus ac manu promtus aliquid mali machinaretur. Ibi ſtatim magno cum tumultu ad arma concurſum. Duglaſſius, etſi numero eſſet inferior, tamen, cum e ſuis delectos circa ſe haberet, reliquos vero ex Humiorum & Carorum familia, cum principibus ſuis Georgio Humio & Andrea Caro, viros fortes, pugnæ fortunam experiri ſtatuit. In ipſo temporis articulo, pene in mora fuit Georgius Humius, qui Duglaſſio jubente, ut ex equo deſcenderet, & partem pugnæ capeſſeret; „Se, ſi Rex juberet, deſcenſurum, reſpondit. Concurſum eſt magnis utrinque animis, ut quibus Rex (præmium certaminis) ſpectator eſſet. Joannes Stuartus prope Regem otioſus pugnæ arbiter ſtetit. Poſt acrem conflictum, vulnerato Valtero, ejus clientes loco ceſſerunt. Quo minus ex ea victoria ſolida lætitia Duglaſſiani fruerentur, fecit mors Andreæ

1 *Levinius*] Ita MS. & alibi ſemper editi codices, quibus tamen omnibus hic male irrepſit [*Levinianus.*]

Andreæ Cari, propter virtutes utrique partium vehementer deſiderati. Ex ejus cæde, diuturnum odium inter Carorum & Scotorum familias eſt ortum, nec ſine ſanguine reſtinctum. Ex eo, Joannes Stuartus, qui ſe in conflictu ambiguum geſſerat, Duglaſſiis ante ſuſpectus, jam vero manifeſtus hoſtis habitus, ex aula diſceſſit. Hæc geſta ſunt ad VIII. Calendas Auguſti, anno milleſimo quingenteſimo viceſimo ſexto. M. D. XXVI.

XXVIII. Duglaſſiani, multorum ſe obnoxios invidiæ cernentes, ut factionem ſuam nova virium acceſſione confirmarent, Hamiltoniorum gentem, & opibus & multitudine gentilium longe florentiſſimam, ſed ab aula jam diu remotam, compoſitis ex vetere odio diſſidiis, in partem curæ publicæ aſciſcunt. Ex adverſo, Joannes Stuartus, multorum impenſo erga ſe favore fretus, ac Regiis etiam literis occulte impetratis ad principes Nobilitatis, quos rem ſilentio tecturos ſperabat, ſuas partes magnis acceſſionibus auget. Igitur cum Sterlini ſuæ factionis hominum conventum haberet, præſente Jacobo Betonio, cum nonnullis Epiſcopis, ac multis nobiliorum familiarum principibus, jam palam ad concilium refert, de Rege in libertatem vindicando. Id cum magno conſenſu decretum eſſet, quanquam dies a Levinio dictus ad conveniendum nondum advenerat, tamen, quia Limnuchi Hamiltonios ad iter impediendum congregatos audierat, [1] conſultiſſimum viſum eſt, eos, antequam Duglaſſiis jungerentur, aggredi: cum ea, quam habebat, manu, recta illuc iter intendit. Cæterum Hamiltonii, cum reſciſſent, Joannem ſummo mane, eo die, Sterlino moturum, Duglaſſios Edimburgo evocaverant. Illos vero, præter alia impedimenta, Rex etiam nonnihil retinebat, qui, ſimulata valetudine adverſa, & tardius lecto ſurrexerat, & lentius progrediebatur, & per viam, velut alvo ſoluta, ut ad neceſſaria naturæ diverteret, quaſcunque poterat moras nectebat. Georgius Duglaſſius, cum blandiendo ad iter accelerandum nihil proficeret, „Potius inquit, quam te hoſtes nobis eripient, altera diſcerpti corporis pars „penes nos manebit.

XXIX. Id verbum altius, quam pro ætate, in Regis animum deſcendit: itaque Duglaſſiis exulibus, poſt multos annos, cum erga cæteros non admodum eſſet iniquus, de reconciliatione cum Georgio neminem unquam audire voluit. Hamiltonii, inter metum hoſtium imminentium, & ſpem adventantis auxilii, ad Avenni fluminis pontem (qui circiter mille paſſus ab Limnucho abeſt) ſeſe inſtruxerant: & pontem quidem levi præſidio obtinebant: reliquos in ſupercilio collium, qua hoſtem venturum ſciebant, objecerunt. Levinius, præcluſo per pontem tranſitu, paullo ſupra eum, ad Monacharum familiam, (Manuelem vocant) modicis aquis fluentem amnem ſuos tranſire jubet, & Hamiltonios e collibus dejicere, priuſquam Duglaſſii advenirent. Leviniani cum per

1 *Conſultiſſimum viſum eſt*] Concinnius forte ſic incederet ſententia: *Quanquam dies a Levinio dictus a. c. n. a. tamen, quia Limnuchi Hamiltonios a. i. i. c. audierat, conſultiſſimum ratus, eos antequam Duglaſſiis jungerentur aggredi, cum ea, quam habebat, manu, recta illuc iter intendit.* Vel ſic —— *conſultiſſimum viſum eſt, eos, antequam Duglaſſiis jungerentur, aggredi: cum ea igitur quam habebat manu,* &c.

1 *Eum*

per æqua & iniqua ad hoſtem contendiſſent, ac, lapidibus e ſuperiore loco dejectis male accepti, jam ad manus veniſſent, clamor exortus eſt de Duglaſſiorum adventu: atque una ipſi de itinere in aciem accurrentes, prælii fortunam non dubiam fecerunt. Leviniani, cum multis vulneribus, in fugam compulſi. Hamiltonii, ac præter cæteros Jacobus nothus, crudeliter victoriam exercuerunt. Gulielmus Cunigamius, Comitis Glencarniæ filius, multis plagis ſaucius, a Duglaſſiis propinquis ſuis eſt ſervatus. Joannem Stuartum occiſum Comes Araniæ, ejus avunculus, multis lacrymis, & Duglaſſius luctu & mœſtitia, ſed longe ſupra alios Rex eſt proſecutus: qui, conflictu ex clamore & tumultu cognito, præmiſerat Andream Silvium Largoum, familiarem ſuum, ſed ſerum re peracta auxilium, ut vitæ Levinii Comitis, ſi qua ratione poſſet, proſpiceret.

XXX. Poſt hanc victoriam, factio Duglaſſianorum, ut metu injecto æmulos perpetuo ſibi obnoxios haberet, quæſtionem decrevit in eos, qui adverſus Regem arma ſumſiſſent. Ejus quæſtionis metu, alii pecunia cum eis deciderunt: nonnulli in clientelam, partim Duglaſſiorum, partim Hamiltoniorum, ſe tradiderunt: pertinaciores in jus vocabantur. Ex eo numero Gilbertus Caſſiliſſæ Comes, cum ab Jacobo Hamiltonio notho premeretur, ut ſe in clientelam Hamiltoniorum dederet, vir magni animi reſpondit: „Vetus amicitiæ „fœdus ab utriuſque avis factum: quo in fœdere ſuus avus, velut honoratior, „ſemper prior nominatur. Neque ſe nunc adeo decoris familiæ oblitum, aut „a majoribus degenerem videri velle, ut in eorum clientelam (hoc eſt, pro„ximum ſervituti gradum) ſponte concedat, quorum princeps, in æquo ſoci„etatis fœdere faciendo, ſecundo fuerit loco contentus. Igitur cum, die dicta, Gilbertus ad cauſſam dicendam adeſſe juberetur, Hugo Kennedus, ejus propinquus, reſpondit; „Eum non contra Regem, ſed a Rege miſſum, eo „in prælio affuiſſe: ac, multum frementibus adverſus ejus audaciam Hamil„toniis, Regias, ſi ſit opus, ſe literas prolaturum, „affirmavit. Rex enim, cum ad alios complures, tum ad Gilbertum, domum abeuntem, ſcripſerat, ut Joanni Stuarto ſe conjungeret. Ille, cum jam certamen videret inſtare, nec ſpatium ſibi relinqui, ad amicos & clientes convocandos, ex itinere cum familia, quæ tum aderat, Sterlinum divertit. Igitur impotentia Hamiltoniorum in eo judicio paullum repreſſa, Jacobus nothus, graviſſimo in Kennedum odio incitatus, [1] eum intra paucos dies, per Hugonem Cambellum Aerenſis diœceſis præfectum, in reditu tollendum curavit. Hugo, ut ſceleris, quod clientibus commiſerat, conſcientiam diſſimularet, quo die cædes facta fuerat, apud Joannem Areskinum, cujus uxor ſoror erat uxoris Gilberti Kennedi, fuit. Ea, ſtatim facinore audito, multis verbis acerbe ei ſcelus exprobravit. Ita nobiliſſima Kennedorum familia prope ad interitum redacta eſt. [2] Comitis occiſi filius, adhuc

1 *Eum —— tollendum curavit*] Ejus acerbam mortem eleganti Epitaphio deflet ipſe Buchananus. Lib. II. Epigram 19. Vide quæ nos ad Buchanani vitam annotavimus, ad Ann. 1529.

2 *Comitis occiſi filius*] Gilbertus Kennedus III. Caſſiliſſæ Comes, qui altero poſt anno in Galliam profectus, ac Georgii Buchanani ingenio & conſuetudine oblectatus, eum quinquennium ſecum retinuit, atque

adhuc impubes, ad propinquum ſuum Archibaldum Duglaſſium, tum Quæſtorem Regium, confugit: ſuamque & familiæ ſalutem ei commendavit: benigneque ab eo receptus, ob altam indolem, gener eſt deſtinatus. Hugo Cambellus, in jus vocatus, cum ſceleris manifeſti teneretur, ſolum vertit. Nec minus acriter Duglaſſii ſuam in Jacobum Betonium exercuerunt iram. Copiis enim ad Fanum Andreæ ductis, arcem Epiſcopi, quem omnium conſiliorum auctorem Comiti Levinio fuiſſe arguebant, expugnarunt ac diripuerunt. Ipſe, quoniam nemo palam eum tueri audebat, mutando ſæpe latebras, periculum effugit. Pari quoque diſſimulatione, Regina, ne in mariti, quem oderat, manum veniret, ſolitudine ſeſe tegebat.

M. D. XXVII. XXXI. Proximo vere ineunte, Duglaſſius expeditionem in Lidaliam fecit: multos latrones in caſulis inopinantes oppreſſit: ac, antequam ſe colligere poſſent, occidit: captorum duodecim ſuſpendio peremit: totidem obſidum loco retinuit: in quos, paucis poſt menſibus, cum eorum propinqui latrociniis non abſtinerent, animadvertit. Accidit in ejus expeditionis initio, res in primis memorabilis, quam ob facinoris novitatem non cenſui prætereundam. Fuerat, in ſtabulo Joannis Stuarti, homo humili loco natus, ac miniſterio perinde humili ad curandos equos adhibitus. Is cum, occiſo ab Hamiltoniis patrono, aliquamdiu vagus & incertus conſilii oberraſſet, tandem, animo confirmato majus, quam pro fortuna & loco, unde erat, facinus patrare decrevit. Nam Edimburgum ad deſtinatam patroni mortui ultionem profectus, forte occurrit ejuſdem fortunæ & familiæ homini: rogat; „Vidiſſetne Jacobum Hamil„tonium nothum in urbe. Cum ille faſſus eſſet, „Vidiſti, inquit, hominum „ingratiſſime, & non peremiſti ſceleratum illum, qui optimum noſtrum pa„tronum trucidavit? Abi, quo dignus es, in maximam malam crucem: „ ac tantum locutus, ſe, quo iter intenderat, proripiens, recta in aulam perrexit. Erant ibi in area ampla, quæ ante palatium ſuburbanum eſt, ad duo millia hominum armata, ex Duglaſſiorum & Hamiltoniorum clientibus, ad eam, de qua diximus, expeditionem parata. Hic ille patroni vindex, cæteris neglectis, in unum Hamiltonium oculis animoque intentis, tum ſine armis penulatum ex area egredientem conſpicatus, in fornice oblongo, & paullo obſcuriore, qui portæ eſt impoſitus, in eum involat, ac ſex vulnera (quorum quædam prope ad vitalia penetrabant, alia Jacobus, flexu corporis, & objecta penula, pene effugerat) infligit, ſtatimque ſeſe in turbam retro conjicit. Repente orto tumultu, cum Hamiltoniorum quidam ſuſpicarentur, a Duglaſſianis, veteris odii nondum oblitis, tam atrox facinus patratum, nihil propius factum eſt, quam ut hæ factiones inter ſe confligerent. Tandem compreſſa paullum trepidatione, juſſi omnes, qui aderant, ad parietes areæ circumjectos ordine ſimplice ſecedere. Percuſſor ibi, cruentum ferrum adhuc tenens, eſt deprehenſus. Interrogatus, „Unde eſſet, & cur illuc veniſſet, „ cum non ſatis conſtanter reſponderet, ad carcerem tractus, repræſentatis tormentis, ſtatim faſſus eſt, „In ultionem cædis patroni facinus a ſe ſuſceptum: hoc

atque in Scotiam anno 1534 una reduxit. Vide Buchan. vit. loc. cit.

1 *Du-*

„hoc autem unum ſe dolere, quod fruſtra tam præclarus conatus cecidiſſet. Diu tormentis excarnificatus, nullum conſcium edidit: tandem damnatus, ac per urbem circumductus, cum nudi corporis totius ſingulæ partes ferro ignito tentarentur, nullum, nec ſermone, nec oris habitu, doloris indicium dedit. Dextera manus cum detruncaretur, „Levius, quam pro merito, eam plecti, „dixit, quæ animo tam forti non fuiſſet obſecuta.

XXXII. Eo quoque anno, Patricius Hamiltonius, e Joannis Ducis Albini ſorore & fratre Comitis Araniæ natus, juvenis ingenio ſummo, & eruditione ſingulari, conjuratione ſacerdotum oppreſſus, ad Fanum Andreæ vivus eſt crematus. Non adeo diu poſt ejus ſupplicium, animos hominum conterruit Alexandri Cambelli mors. Is erat e ſodalitio Dominicanorum, & ipſe magno ingenio juvenis, & eorum, qui Thomæ Aquinatis ſectam imitantur, inter eruditiores habitus. Cum eo Patricius, de Scripturæ ſacræ interpretatione, ſermones ſæpe contulerat: ac diſſerendo eo perduxit, ut omnia prope capita, quæ tum habebantur paradoxa, vera fateretur. Nihilominus Alexander, vitæ quam veri cupidior, a ſuis perſuaſus, eum publice accuſavit. Patricius, ut erat natura vehementior, hanc hominis ambitioſi pravam gloriæ captationem ferre non potuit: ſed palam exclamavit, „Ego te, hominum nequiſſime, qui quæ nunc damnas, ea vera eſſe ſcis, & paucis ante diebus apud me „es confeſſus, ad tribunal Dei vivi in jus voco. Qua voce Alexander perturbatus, nunquam ex eo die compos mentis fuit: ac, non multo poſt, inſania conflictatus, mortem obiit.

XXXIII. Hoc toto ſpatio, ac magnam anni proximi partem, [1] Duglaſſiorum alii in aliam partem intenti, de Regis ab ſe ſeceſſione ſecuri erant: quod, & blandimentis & immodica licentia ſatis conciliatum ejus animum crederent: nec, ſi ſecus erga eos animatus eſſet, ulla erat factio adverſus ipſorum opes ſatis firma, nec locus ullus munitus, quo ſe reciperet, præter unam Sterlini arcem, quæ ſedes Reginæ ad habitandum attributa fuerat; ſed tum a Reginæ miniſtris, cum ipſa ſe metu Duglaſſiorum occultaret, ad tempus deſerta; ac, tumultu paullatim reſidente, in ſpeciem magis, quam adverſus vim inſtructa. Rex, quantulocunque laxamento accepto, quod id unum ſibi perfugium relictum cerneret, cum matre clam tranſegit, arcemque & circumjectos agros, cum aliis prædiis non minus illi commodis, commutavit: deinde, rebus aliis, quatenus occulte poterat, comparatis, & Duglaſſiis in cuſtodiendo minus intentis, noctu cum paucis e Falcolandia Sterlinum ſe contulit, ac brevi multis procerum ad ſe arceſſitis, aliis ad rei famam ſponte accurrentibus, jam ſatis adverſus vim tutus erat. Ex horum ſententia, Rex edixit, „Ut Duglaſſii „ab omni adminiſtratione publica abſtinerent: item, ne quis propinquorum, „affinium, aut clientium eorum, propius [2] duodecim millia paſſuum, ad au-

„lam

1 *Duglaſſiorum alii in aliam partem intenti*] Ita monente Crafordio emendavimus. Vide tamen annon poſſit defendi vetus lectio, *Duglaſſiorum aliis in aliam partem intentis*, ea ratione qua ad Lib. VI. 22. ſuperius eſt annotatum.

2 *Duodecim millia*] Leſlæus, Holinſhedius & Anderſonus *quatuor* Pitſcottius *ſex millia*, ajunt. Sed in parvo diſcrimine hanc rem ponendam arbitror.

„lam accederet. Si quis ſecus feciſſet, ei capitale fore. Id edictum cum Duglaſſiis Sterlinum venientibus oblatum fuiſſet, multis cenſentibus progrediendum, Comes cum fratre Georgio auctores fuerunt edicto parendi. Ita retro Limnuchum conceſſerunt, ibi manſuri, dum certior nuncius ab aula afferretur.

XXXIV. Interea Rex, ſumma diligentia miſſis etiam ad longinquas regni partes viatoribus, proceres, quibus in comitiis publicis ſententiæ dicendæ eſt jus, imperat, ut Edimburgi III. Non. Septembris adſint: ipſe Sterlini, Duglaſſii Edimburgi, copias contrahunt: uterque magis ſui tuendi cauſſa, quam ut alterum invaderet. Tandem poſtridie Calendas Julii Duglaſſii urbe diſceſſerunt, ac Rex ſub ſignis ingreſſus eſt. Ibi, amicis apud Regem deprecantibus, conditiones Duglaſſiis oblatæ, ut Anguſiæ Comes trans Spæam relegaretur, Georgius ejus frater & Archibaldus patruus in arce Edimburgenſi cuſtodirentur: huic decreto ſi parerent, Regiæ clementiæ ſpes facta. Hac conditione rejecta, per fœcialem juſſi ad comitia Edimburgi III. Nonas Septembris adeſſe. Interea publicis functionibus eis ademtis, pro Comite Cancellarius eſt factus Galvinus Dumbarius, nuper Regis Præceptor, vir bonus & doctus, ſed in quo nonnulli civilem prudentiam deſiderabant: pro Archibaldo Quæſtor Robertus Carnicrucius, a pecunia, quam virtute notior. Duglaſſii prope ad ultimam ſpem redacti, Edimburgum, diſceſſu Regis vacuum, miſſis cum Archibaldo illuc aliquot equitum turmis, occupare conantur; eo conſilio, ut, excluſo illinc Rege, conventum ſolverent. Verum VII. Calendas Septembris Robertus Maxuallius, cum clientibus & amicis, magnoque promiſcuo vulgi numero, juſſu Regis prævenientes, eos excluſerunt: ac ſtationibus & excubiis diligenter diſpoſitis, ad comitiorum uſque tempus, ſummam ibi tranquillitatem ſervarunt. Duglaſſius, hac ſpe dejectus, ad Tentallonem arcem ſuam, ad XVI. millia paſſuum ab urbe ſeceſſit.

XXXV. Rex quo die Sterlino movit, tanta vis imbrium de cœlo dejecta eſt, ut, torrentibus auctis, comites ejus in multas partes diſtracti, ac diu vexati, multa nocte Edimburgum ſint ingreſſi, ita vehementer violentia tempeſtatis afflicti, ut a paucis equitibus maximo damno facile affici poſſent. In comitiis aqua & igni interdictum fuit Comiti Anguſiano, Georgio fratri, Archibaldo patruo, præterea Alexandro Dromundo Carnocenſi, eorum intimo amico: bona eorum fiſco adjudicata. Adjectum eorum condemnationi edictum, quo, qui eos tecto recepiſſet, aqua, igni, aliave ope juviſſet, eidem pœnæ obnoxii judicantur. Maxime ad eos damnandos homines commoti putantur, quod Rex jurejurando affirmavit, „Se, quamdiu apud Duglaſſios fuit, „ſemper vitæ ſuæ timuiſſe: cumque timorem, poſt Georgii minas, vehe„mentius auctum, „aſſeveravit. Unus in hoc concilio Joannes Bannatinus eſt inventus, Duglaſſiorum cliens, qui publice proteſtari auderet, „Nihil eorum, „quæ tum agerentur, Comiti fraudi eſſe debere; cum juſti ei metus cauſſa „eſſet, cur ad dictum diem non adveniret. Paucis poſt diebus, alter Comitis frater, Gulielmus, Abbas Cœnobii Sanctæ Crucis, morbo ſimul & animi anxietate, & rerum præſentium tædio, eſt extinctus. Sacerdotium

ejus

ejus [1] Robertus Carnicrucius, homo humili loco natus, ſed pecunioſus, a Rege, tum a pecuniis inopi, redemit, novo genere fraudis eluſa lege ambitus, quæ ſacerdotia venire vetat: ſponſione ſcilicet victus, qua, magna pecunia depoſita, contenderat, Regem non eum proximo ſacerdotio vacuo donaturum.

XXXVI. Duglaſſii tum demum, omni veniæ impetrandæ ſpe abjecta, ad vim apertam, & vindictæ ſolatium ex inimicorum calamitate, converſi, prædia eorum omni genere moleſtiæ vexabant: Coſlandiam & Cranſtonum vicos cremarunt: & quotidie portis Edimburgi ita obequitabant, ut urbs prope obſeſſa videretur, atque delicta potentiorum vulgus innoxium lueret. Inter hæc, ad undecimum Calendas Decembris, Martina, navigium ea ætate nobile, pretioſis mercibus onuſta, ad Ennervicum vi tempeſtatis in littus impegit: mercium pars a Duglaſſianis equitibus, in ea regione vagis, eſt direpta: reliquum etſi ruſtici ſuſtuliſſent, tanta ignoratione pretii, ut cinnamomum, tanquam vilis cortex, ad ignis uſum diſtractum eſſet, tota tamen invidia in Duglaſſianos verſa eſt. Hac rerum commutatione facta, latrones, qui jam diu metu a maleficiis continebantur, e latebris ſuis prodeuntes, omnes regiones vicinas incurſionibus infeſtas habebant: & quamvis a multis varia facinora paſſim ederentur, omnia omnium furta & cædes, ab aulicis, qui ſe Regi hác re gratificaturos exiſtimabant, in Duglaſſios referebantur, ut nomen, alioqui populare, [2] ad vulgus invidioſum eſſet.

XXXVII. Ineunte jam hieme, Rex, ne quis eſſet exulibus receptus, ad Tentallonem arcem Duglaſſiorum maritimam obſidendam proficiſcitur. Id quo minore labore & impendio faceret, machinas æneas & pulverem e Dumbaro accepit. Ea arx, a Tentallone ſex millia paſſuum diſtans, adhuc præſidio Joannis, nuper Proregis, quod ipſius patrimonii pars eſſet, tenebatur. Ibi, per aliquot dies, obſidione fruſtra tentata, cum ex obſeſſis nemo, ex obſidentibus aliquot cæſi, vulnerati, ac ignito pulvere afflati eſſent, re infecta diſceſſum eſt. Inter redeundum, David Falconarius, qui cum pedite mercenario ad machinas reportandas erat relictus, ab equitibus Duglaſſianis, ad carpendum extremum agmen, & moratores excipiendos, miſſis interficitur. Quæ res adoleſcentem Regem, ultro infenſum, adeo commovit, ut per iram ſancte juraret, „Se vivo, nullum Duglaſſiis poſtliminium fore: „ac ſtatim, ut Edimburgum venit, ut eos arctius premeret, ſtatuit, de concilii ſententia, ad Coldingamiam manum aſſiduam magis, quam magnam continere, quæ agricolas a populationibus tueretur. Id munus Bothuelius, auctoritate & opibus Lothianæ facile princeps, ad ſe ab Rege delatum, recuſavit: ſive Duglaſſianorum potentiam, cui tota reliqua Scotia nuper videbatur impar, metuens, ſive clariſſimæ familiæ interitu, [3] adoleſcentem acrem, & ſuopte ingenio paullo violentiorem, imbui ad crudelitatem nollet. Cum Rex Hamiltoniis, M. D. XXVIII.

1 *Robertus Carnicrucius*] Hunc gemino Epigrammate perſtringit Buchananus lib. II. 13, 14.

2 *Ad vulgus invidioſum eſſet*] Sic Liv. lib. 2. cap. 61. *Cum ad populum agenda cauſſa eſſet.* Vide ſupra ad Lib. V. 17.

3 *Adoleſcentem*] [Regem nimirum.]

niis, ut hoſtium amicis, non ſatis fideret, &, ob cædem Joannis Stuarti Leviniani, eis infenſus eſſet, nec in alio quoquam Nobilitatis vicinæ ſatis auctoritatis aut virium eſſet, tandem eo decurſum eſt, ut Calenum Cambellum, in ultimis quidem regni oris habitantem, ſed prudentia clarum, & perſpectæ in bello virtutis, & ob juſtitiam vulgo carum, Rex, cum imperio adverſus rebelles mitteret. Duglaſſiani, Hamiltoniis & cæteris amicis deficientibus, ad ſummas anguſtias redacti, a Caleno, & Georgio gentis Humiæ principe, coguntur in Angliam exulatum abire.

XXXVIII. Miſſi, menſe Octobri, ab Anglo duo equites clari, qui, quanquam utroque Rege pacem vehementer cupiente, vix ejus ineundæ rationem comminiſci potuerunt. Henricus enim, cum adverſus Carolum Cæſarem bellum pararet, omnia a tergo pacata relinquere volebat; atque, eadem opera, Duglaſſiis reditum ad ſuos parare. Jacobus Tentallonem arcem maximopere cupiebat recipere: ſed a Duglaſſiis reſtituendis abhorrebat animus. Igitur cum, ob hanc cauſſam, dies aliquot eſſet diſceptatum, neque pax tamen coiret, tandem eo deventum eſt, ut induciæ in quinquennium fierent: ab Duglaſſiis Tentallone arce tradita, Rex ſuo ſyngrapho ſeorſum de cæteris eorum poſtulatis caveret. Arce dedita, cætera tamen non ſincere ſervata ſunt, niſi quod Alexandro Dromundo, Roberti Britanni gratia, redeundi data eſt venia: nam ſuperioribus menſibus, cum Jacobus Colvillius, & Robertus Carnicrucius, favoris erga Duglaſſios ſuſpecti, ab aula fuiſſent remoti, eorum munia ad Robertum Britannum, aulica gratia tum florentem, aliiſque multis miniſteriis præfectum, fuerant delata.

XXXIX. Poſt hæc, rebus non plane foris pacatis, (nam Angli, nondum reverſis domum Legatis, Arnen, Teviotiæ vicum, cremarant) ab armis reliquus annus fuit quietior. Sed latronum audacia nondum plane erat compreſſa. Itaque Rex, ut metum cæteris injiceret, Gulielmum Cocburnum Henderlandium, & Adamum Scotum, latrones inſignes, Edimburgi, deprehenſos, capitali ſupplicio affecit. Proximo anno, menſe Martio, Rex Jacobum Moraviæ
M. D. XXIX. Comitem Vicarium regni fecit: & ad limitem miſit, ut Comitem Northumbriæ conveniret, & cum eo de pace & rebus repetendis reddundiſque ageret. Sed id colloquium orta inter eos contentio diremit, altero nitente, ut in Scotia, juxta leges, de expianda cæde Roberti Cari factas, altero, ut in Anglia conveniendi locus eſſet. Interea miſſi, qui utrumque Regem ea de re conſulerent. Ad XVII. Calendas Maji habito procerum conventu, poſt longam diſceptationem, ad veſperum uſque productam, Rex Comitem Bothueliæ, Robertum Maxuallium, Valterum Scotum, & Marcum Carum, in arcem Edimburgenſem cuſtodiendos dedit: Marciæ & Teviotiæ fere principes alium alio relegavit, ratus, eos belli ſemina clam adverſus Anglos ſpargere. Ipſe, menſe Julio, circiter octo millibus hominum coactis, expeditionem ad reprimenda latrocinia ſuſcepit: & magna celeritate eo profectus, caſtra ad Evum flumen poſuit. Non procul inde habitabat Joannes Armiſtrangius, princeps unius factionis latronum. Is tantum ſui metum vicinis incuſſerat, ut etiam Angli ad multa paſſuum millia penderent ei vectigal; ac Maxuallius etiam ejus poten-

tiam

tiam reformidaret, omnibuſque rationibus ei exitium intentaret. Joannes, a Regiis miniſtris illectus, neglecto fidei publicæ diplomate, cum, circiter quinquaginta equitibus comitatus, inermis ad Regem veniret, incidit in exploratores, qui eum, velut a ſe captum, [1] ad Regem perduxerunt. Ibi, cum majore comitum parte, fracta gula periit. Qui cædis auctores fuerant, [2] vulgo ſerebant; „Se pollicitum fuiſſe facturum, ut agri Scotici propinqui aliquot „millia paſſuum Anglis parerent, ſi ea res ſibi honori emolumentoque foret:„ cum Angli contra fuerint ejus morte vehementer lætati, ut qui gravi hoſte liberati eſſent. Sex, qui ſuperfuerunt, comitum ejus, [3] obſidum loco retenti, cum nihil apud eos Rex hoc metu proficeret, poſt paucos menſes pœnas luerunt: ab eis, qui domi ſuperfuerant, novos obſides exegit. Lidaliani, relictis domibus, [4] in Angliam populariter commigrarunt: & prope quotidianis incurſionibus vicinas regiones infeſtabant. Paucis poſt diebus, Rex proceres relegatos libertati reſtituit, acceptis ab eis obſidibus. Ex iis, Valterus Scotus, Roberto Jonſtonio, notæ crudelitatis latrone, ut Regi gratificaretur, interfecto, capitales cum ea familia ſuſcepit inimicitias, ac magnis utriuſque gentis damnis exercuit.

XL. Proximo anno, qui fuit M. D. XXXI. res accidit, novitate quidem M. D.
admirabilis, & cujus admirationi nihil aut auctoris obſcuritas, aut temporis, XXXI.
omnia diligenter explorantis, curioſitas detraxit. Joannes Scotus, homo nec literis expolitus, nec uſu magno rerum peritus, nec ingenii ſubtilitate ad fraudem appoſitus, cum in lite quadam ſuccubuiſſet, nec judicatum ſolveret, in aſylo Cœnobii Sanctæ Crucis, [5] aliquammultos dies, ſine cibo & potu ſe continuit. Res divulgata, & ad Regem tandem perlata eſt. Ejus juſſu, veſte mutata, & diligenter excuſſa, in arcem Edimburgenſem ſeorſum ab omnium commercio ſepoſitus, pane & aqua quotidie appoſitis, triginta duos dies omni cibo

1 *Ad Regem perduxerunt*] Ita MS. at editi omnes [*ad eum*] non ſine κακοφωνίᾳ, cum in eadem fere clauſula [*eum*] præceſſerat.

2 *Vulgo ſerebant*] Ita MS. princeps editio Edimb. & Genev. quorum longe præſtantior auctoritas, quod alii codices recentiores in [*ferebant*] mutarunt. Et quidem fatendum eſt verbum [*ſero*] nondum mihi tralatitio hoc ſenſu conſpectum, niſi vocabulo aliquo adjecto, veluti *ſerere ſermones*, *rumores*, *fabulas*, *colloquia*, *&c.* Religio tamen fuit adverſus meliorum codicum fidem quicquam mutare.

3 *Obſidum loco retenti*] MS. *retentis.* Vide ſupra ad Lib. XIV. 33.

4 *In Angliam populariter commigrarunt*] Vide ſupra ad Lib. XI. 4.

5 *Aliquammultos dies*] Hac compoſita voce hic & Lib. VI. 21. utitur Buchananus. Sic Apulejus Florid. cap. 16. *Prius volo cauſſam vobis allegare cur aliquammultos dies a conſpectu auditorii abfuerim.* Idem Apolog. *Apud Appios veteres amicos meos aliquammultis diebus decumbo.* Et dubitari quidem poteſt, an quiſquam illo ſcriptore antiquior vocem uſurpaverit: Nam qui a Lexicographis profertur Ciceronis locus, 4. Verr. 25. *Sunt veſtrûm, judices, aliquammulti, qui L. Piſonem cognoverunt, hujus L. Piſonis, qui prætor fuit, patrem*, peſſimam Lambini interpolationem Cl. Grævius pronunciat, qui *quam multi*, familiari Ciceroni locutione, ibi legendum contendit. Pro Lambino tamen ſtat Joan. Kerus Select. de ling. Lat. Obſerv. atque in eadem opinione fuiſſe Buchananum, (quo Lambinus ſe familiariſſime uſum teſtatur,) vel ea de qua agitur res ipſa declarat.

cibo humano ſponte abſtinuit. Inde, tanquam re ſatis explorata, eductus, nudus in publicum prodiit: & ad plebis concurſum frequentem ſatis diu ineptiſſima oratione habita, nihil in ea memoria dignum eſt locutus, niſi quod ſe dixit, „Mariæ virginis auxilio fretum, perferre, quamdiu luberet, jejunium. Hæc cum ſtultitiam magis, quam fraudem præferrent, dimiſſus, Romam profectus, & a Pontifice Clemente in cuſtodiam datus, donec jejunando miraculi fidem feciſſet. Illinc, veſte, qua induti ſacrificuli miſſantur, donatus, teſtimonioque confirmato ſigillo plumbeo, quod apud Romanenſes maximam fidem habet, Venetias venit: ac, jejunandi fide apud eos confirmata, cum ſe voti reum diceret, ad viaticum itineris Hieroſolymitani, quinquaginta nummos aureos (quos Ducatos vocant) accepit. Inde reverſus, folia aliquot palmarum, ac ſacculum lapidibus plenum attulit, quos videri volebat e lapidibus columnæ, cui Chriſtus alligatus vapulavit.

XLI. Cum domum reverteretur, Londino tranſiens, cathedram, quæ eſt in cœmiterio ad D. Pauli, aſcendit: ac, magna populi frequentia, de divortio Regis Angli cum Regina, de defectione a ſecta Romani Pontificis, concionatus, verbis quidem aſperrimis, & per jugulum redituris, ſi paullum prudentiæ in eo repertum fuiſſet: conditus ibi in carcerem, cum prope quinquaginta dies continuos victu abſtinuiſſet, inde incolumis fuit dimiſſus. In Scotiam reverſus, cum Thoma Duchtio ſe conjungere voluit, qui circa ea tempora ex Italia advenerat, ædemque Mariæ Virgini, e ſtipe vulgo collata, ædificarat: magnumque e fictis miraculis quæſtum faciebat. Sed Thomæ prope omnibus vita flagitioſiſſima erat nota, & falſitas miraculorum deprehenſa. Nemo tamen ea palam redarguere, ob metum Epiſcoporum, audebat, qui hoc novo Atlante ſuum jam caducum Purgatorium fulcire conabantur: & ille, ut viciſſim gratiam eis referret, quoties ex opulentioribus ſacrificis eo quiſpiam miſſatum veniebat, mendicum aliquem, debilitate mentis aut corporis ſimulata, in promtu habebat, qui illo miſſante ſanaretur. Ab hoc Thomà, qui in ſocietatem lucri neminem admittebat, Joannes Scotus rejectus, cœnaculum ſubobſcurum in ſuburbio Edimburgenſi conduxit: & altari pro opibus erecto & ornato, filiam impuberem, ſed ſingulari oris elegantia, cereis circa accenſis, in eo, pro virgine Maria adorandam, ſtatuit. Sed cum is quæſtus opinioni non reſponderet, ad priſtinam vitæ rationem eſt reverſus, poſtquam in ſimulatione ſanctitatis præpoſteræ hoc tantum profecerat, ut omnes intelligerent, non voluntatem ei, ſed ingenium, ad impietatem comminiſcendam, defuiſſe.

M. D. XXXII. XLII. Initio ſequentis anni, qui fuit M. D. XXXII. Bothueliæ Comes, quod, clam in Angliam profectus, ſermones occultos cum Northumbriæ Comite habuiſſe diceretur, in arce Edimburgenſi, ad XVI. Calendas Februarii cuſtodiri juſſus eſt. Jacobus Sandelandius Eques, ob ſummam prudentiam & fidem, & majorem, quam pro ordine & loco, apud omnes bonos auctoritatem, miſſus eſt ad Heremitagium, (ea arx eſt Lidaliæ) ad latronum incurſiones inhibendas.

XLIII. Cum ab antiquiſſimis uſque temporibus nulli eſſent in Scotia ſtati dies,

dies, aut certus locus, ad judicandum de pecuniariis inter cives litibus, Joannes Dux Albinus a Pontifice Romano impetravit, ut ſumma pecuniæ annua, quanta ſatis eſſet ad paucorum judicum ſalarium ſolvendum, imperaretur Eccleſiaſtico ordini univerſo, a ſingulisque, pro modo cenſus, exigeretur. Galvinus Dumbarius, Abredonienſis Epiſcopus, ſuo & aliorum ſacerdotum nomine, Pontificem appellavit. Ea controverſia tenuit, a V. Idus Martii uſque ad VIII. Calendas Majas, quo die Collegium judicum Edimburgi conſtitutum eſt. Ab iis cum ab initio multa utiliter eſſent excogitata, ut jus æquabile diceretur, tamen qui ſperabatur eventus non eſt conſecutus. Nam, cum in Scotia nullæ pene ſint leges, præter conventuum decreta, eaque pleraque non in perpetuum, ſed in tempus facta, judiceſque, quod in ſe eſt, lationem legum impediant, [1] omnium civium bona quindecim hominum arbitrio ſunt commiſſa, quibus & perpetua eſt poteſtas, & imperium plane tyrannicum, quippe quorum arbitria ſola ſunt pro legibus. In gratiam Romani Pontificis, quæſtio ſevere in Lutheranos exercita. Pontifex contra, ut Regi, tam bene de ſe merito, gratificaretur, ſacerdotiorum decimas ei in proximum triennium dedit.

XLIV. Hoc anno, cum Angli ſtatum rei Scoticæ tranquilliorem indies fieri cernerent, ſed externis auxiliis exiſtimarent nudatos, quod ipſi ſe cum Gallo adverſus Carolum Imperatorem conjunxiſſent, undique cauſſas belli quærebant: menſe enim Aprili, e Bervico expeditione facta Coldingamiam & Dunglaſſum, multoſque pagos vicinos, abacta præda, ferro flammaque fœdarunt, nullis apparentibus cauſſis irritati, nec inimicitia denunciata. Quam enim cupide id bellum ſuſceperit Anglus, ipſius edictum non multo poſt vulgatum demonſtrat: ait enim, „Præſidiarios Bervici licentia verborum apud Scotos jactorum irritatos fuiſſe. Verum ipſa verba in edicto inſerta nullam contume- M. D. XXXIII.

1 *Omnium civium bona quindecim hominum arbitrio ſunt commiſſa*] Injuſta prorſus ac ampliſſimo Senatorum ordine indigna vox: nuſquam enim terrarum gravior ſanctiorque Judicum conſeſſus, nuſquam diſertiores legumque peritiores cauſſarum patroni, nuſquam majori cum æquabilitate jus dicitur. Quin igitur rejecta iniquiſſima hac, atque ex maligno, quo in quoſdam diverſarum partium ſui temporis judices, odio ferebatur profecta, Buchanani ſententia, Leslæum ejus æqualem audiamus, qui ſuam hac de re narrationem claudit his verbis; *Hanc judicii formam noſtri in hunc uſque diem ita ſincere ſemper retinuerunt, ut & Rex quod inſtituerit, æternam gloriam; & poſteri quod ſervarint, infinitam utilitatem inde tulerint.* [Poteſt tamen excuſari ſatis Buchanani hoc judicium: verum enim eſt, omnium bona hoc judicio permiſſa, & eorum arbitria fuiſſe pro legibus. an vero aburanturilla poteſtate, non pronuntiat Buchananus, ſed tantum, eſſe *imperium Tyrannicum.* eo ſenſu, quo Tyranni in rebuspublicis dicuntur, qui perpetuum gerunt Magiſtratum, qui quamvis & civiles & moderati eſſe poſſunt, ut Piſiſtratus & alii fuerunt, non tamen deſinunt eſſe Tyranni, accepta eo ſignificatu voce. vid. Nepot. in Miltiad. in fin. & Cl. Perizon. ad Ælian. II. 20. melius ergo eſſe cenſuit Buchananus judices eſſe annuos vel ad certum tempus, ut in omnibus regni locis, ut in omnibus liberis civitatibus *Scabini* aut alio nomine dicuntur: nam illæ Curiæ, & tribunalia ſumma, quæ hîc & illic ſub perpetuis ſunt judicibus, fere omnia a dominatoribus ſunt liberis olim gentibus impoſita; ſed hæc hîc agendi locus non eſt.]

liam habent. Hæc cauſſa cum ne ipſis quidem ſatis juſta videretur, Canaben, viculum ignobilem, cum paupere Cœnobio, ad limitem ſitum, de quo nulla unquam controverſia fuerat, tanquam ſui juris, repetunt, & Duglaſſios exules reſtitui petunt. Anglus enim, cum ſuam tum operam Gallo adeo neceſſariam videret, ut ea nullo pacto carere poſſet, eumque fœdere, in quo Scotis non caveretur, obſtrictum haberet, non exiſtimabat fore difficile ad quaslibet conditiones eos protrahere. Accedebat, quod alienato, per pacem Gallicam, & divortium cum amita ſua, Cæſare, ac Romano Pontifice bellum apud omnes Reges Chriſtianos cientc, magnam domi rebus novandis relinqueret occaſionem: & Scotus, ne adverſus hoſtis minas eſſet imparatus, fratrem ſuum, Moraviæ Comitem, edicto per univerſum regnum miſſo, Vicarium ſuum pronunciat: &, quia limitum accolæ, per ſe, Anglis, magno mercenariorum præſidio fretis, pares eſſe non poterant, regno in quatuor partes diviſo, ſingulas per vices juſſit potentiores cum ſuis familiis mittere, & quadragenos illic dies morari. His copiis ſibi in orbem ſuccedentibus, magna ſtrages villarum & arcium, agro late pervaſtato, facta eſt.

XLV. Anglus, ſua exſpectatione fruſtratus, cum, præter opinionem, bellum duci videret, & alia ſibi prævertenda exiſtimaret, pacem libenter cupiebat, ſed eam a ſe peti volebat: cum e dignitate ſua non crederet, illam aut offerre, aut petere. Commodiſſimum viſum eſt, ut per Gallum, communem amicum, res conficeretur. Is Stephanum Aqueum Legatum in Scotiam miſit, qui diſpiceret, utrius culpa bellum id inter vicinos Reges ortum eſſet. Rex de belli cauſſa diligenter ſe purgat: conqueritur de ſuis Legatis, diu ſine reſponſo in Gallia retentis: Legato diſcedenti dat literas, quibus petit a Gallo, ut maneat in fœdere antiquo, & ab Joanne Prorege Rothomagi renovato. Simul in Galliam Davidem Betonium mittit, qui Anglorum calumniis reſponderet: item, qui de fœdere antiquo ſervando, & nova affinitate jungenda, ageret. Dat eidem literas, [1] ad Senatum Pariſienſium, acerbas, & querelarum plenas, de iis, quæ Rothomagi pacta & tranſacta erant, inter Franciſcum Regem Gallorum, & Joannem Scotorum Proregem: vetera officia, conventa, pacta, fœdera negligi, in gratiam hoſtium quondam communium. Has literas juſſus erat Legatus, ſi, quæ ei mandata erant, in Gallia minus ſuccederent, concilio judicum dare, ac ſe ſtatim in Flandriam proripere, eo (ut veriſimile eſt) animo, [2] ut & amicitiam, & fœdus, & affinitatem inſtitueret cum Cæſare. In Britannia interea & bellum gerebatur, & ad Novum

1 *Ad Senatum Pariſienſium*] *Pariſienſem* Crafordius mavult, quod & mihi potius videtur: nolui tamen omnibus libris reniti.

2 *Ut & amicitiam, & fœdus, & affinitaten inſtitueret cum Cæſare*] Ita MS. editi omnes [*inſtrueret.*] Utrumque, quod ſciam, recte, quanquam prius illud concinnius atque uſitatius videatur. Ita enim Cicero. Epiſt. ad Sulpitium lib. 13, 17. *Nam & amicitia pervetus mihi cum eo eſt, ut primum in forum venit, inſtituta.* Id. Ver. 4, 9. *Feciſti item ut prædones ſolent: qui cum communes hoſtes ſunt omnium, tamen aliquos ſibi inſtituunt amicos, quibus non modo parcant, verum etiam præda quos augeant.* Liv. lib. 34. *Poſteaquam vobiſcum amicitiam inſtitui.*

1 *De*

Novum Caſtrum de jure belli certabatur. Cum inter utriuſque gentis, ad pacificandum miſſos, Legatos non conveniret, miſſus eſt a Gallo Vido Floreus, ad res componendas. Ei Scotus reſpondit; „Se, quacunque poſſet in re, Gal„lo gratificaturum. Simul de re conjugali (de qua qui tranſigerent, Legatos in Gallia habebat) quod viſum eſt pro tempore, cum eo egit. Floreo pacis interprete, præſidiis a limite utrinque deductis, induciæ factæ, quas mox conſecuta pax eſt.

XLVI. Pace parta, Rex, quanquam proximis aliquot annis cum Gallo & Carolo Cæſare [1] [*de matrimonio*] per Legatos egiſſet, nunc tamen, otio ab aliis curis impetrato, de eo vehementius, quam alias, cogitandum ſibi exiſtimavit. Ac, præter communes cauſſas, affinitate potente ſe muniendi, & familiæ, quæ ab uno pendebat, per ſobolem firmandæ, etiam de proximorum hæredum improba ſpe, curæ animum ejus, alioqui ſuſpicacem, anxium habebant. Multa enim eorum animos ad regni exſpectationem erigebant, opes domeſticæ, ſolitudo Regis, & incauta ætas, animuſque periculorum contemtor, quæ non modo fortiter adibat, ſed etiam ſedulo provocabat, ut qui ſæpe cum paucis adverſus ferociſſimos latrones proficiſcens, frequenter eos, numero ſuperiores, vel celeritate præventos, capiebat; vel, Regii nominis reverentia attonitos, [2] in deditionem accipiebat: [3] diemque & noctem in equo ſedens continuabat, victuque temere oblato, ac ſemper parco, [4] uteretur. [5] Hæc cum Hamiltonios in ſpem prope certam erigerent, longum tamen videbatur, fortuitos, aut naturæ ſponte caſus imminentes exſpectare, niſi inſidiis mortem ei maturarent. Ei rei dabant occaſionem ejus nocturnæ ad amicas itiones, ad quas plerumque unum aut alterum comitem aſſumebat. Sed cum hæc omnia præter eorum exſpectationem acciderent, ſtatuerunt, ſpem legitimæ prolis (nuptias, quoad fieri poterat, impediendo) tollere: quanquam Joannes Dux Albinus, cum Prorex eſſet, huic incommodo ſatis proſpexiſſe videbatur: qui, cum Rothomagi vetus inter Gallos & Scotos fœdus renovaret, etiam caverat, ut [6] Franci filia natu maxima Scoto locaretur. Sed hoc fœdus duo impedimenta objecta prope diremerunt. Nam Gallus, ſtudio maxime & diligentia Angli in libertatem ex Hiſpanorum manibus reſtitutus, fœdus adeo amplum cum eis fecit, ut multum Scotico fœderi derogaretur: & filia Franciſci natu maxima jamdudum deceſſerat. Petebat igitur Scotus natu proximam Magdalenam. Cum, ad eam depoſcendam, Legatos miſiſſet, pater puellæ valetudinem excuſabat, eam-

1. *De matrimonio*] Has voces neceſſario inſerendas poſtulat reliqua ſententia, ſecus enim nihil eſt ad quod [*de eo*] referatur.

2 *In deditionem accipiebat*] Ita ex MS. repoſuimus, pro eo quod editos occupavit, *in ditionem accipiebat.*

3 *Diemque & noctem in equo ſedens continuabat*] MS. *diei que noctem*:] alterum tamen e Tacito expreſſum videtur. Annal. lib. XVI. cap. 5. *Alii dum diem noctemque ſedilibus continuant; morbo exitiabili correpti.* Eadem vero loquendi formula paullo poſt repetitur, XIV. 61.

4 *Uteretur*] Ita omnes libri exhibent: [*utebatur*] tamen legendum videtur.

5 *Hæc cum Hamiltonios*] Conviciatorem hic agit Buchananus, non Hiſtoricum, perpetuo ſuo in Hamiltonios odio indulgens.

6 *Franci filia*] Forte *Franciſci* ſcripſerit Buchananus, ut mox lin. 3.

eamque adeo infirmam, ut nulla non modo [1] ſpes liberûm, ſed ne diuturnæ quidem vitæ eſſe poſſet.

M. D. XXXIV. XLVII. Sub idem tempus de affinitate cum Carolo Cæſare jungenda per Legatos agitatum, tandem XXIV. April. anno milleſimo quingenteſimo triceſimo quarto, Cæſar Godſcalcum Erycum, quo res eſſet occultior, Toleto per Hiberniam ad Scotum miſit. Is cum expoſuiſſet mandata ſibi a Cæſare, de injuriis Catharinæ amitæ filiæque ejus ab Anglo factis; de univerſali Concilio convocando; de hæreſi Lutherana expugnanda; de affinitate contrahenda: ibi Cæſar per literas optionem Regi dabat, de tribus Mariis propinquis ſuis: hæ autem erant, Maria, Caroli ſoror, vidua, cæſo a Turcis ejus marito Ludovico Ungaro; Maria Luſitana, ex Leonora ſorore; Maria Angla, ex Catharina amita nata. Et quia proniorem in has nuptias Carolus Regem fore ſciebat, in eam magis partem incumbebat, ut Scotum a Gallicæ amicitiæ reſpectu abduceret, & cum Anglo eadem opera committeret. Rex ad ea reſpondit; „Matrimonium cum Angla multis quidem modis, ſi „confieri poſſet, utile fore: verum rem eſſe ſpei incertæ, majoris periculi & „laboris, ac diuturnioris moræ, quam ſolitudo ipſius, qui unicus in ſua fami- „lia eſſet, ferre poſſet. Ex omnibus Cæſaris propinquis, maxime commodam „ſuis rationibus eſſe Chriſtierni Danorum Regis filiam, ex Iſabella Caroli ſo- „rore genitam. Ad id, paullo poſt, cum Carolus [2] Madrito reſpondiſſet, eam alteri jam promiſſam, quanquam Cæſar, conditionibus oblatis, magis ducere promiſſis Regem, quam quicquam velle tranſigere, videretur, tamen hæc actio non fuit omnino depoſita,

XLVIII. Tranquillis domi rebus, Rex Scotiam navibus circumire ſtatuit, & feroces Inſulanorum ſpiritus ad imperata facienda cogere. Primum ad Orcadas appulit: ibi turbas exortas compoſuit, paucis e Nobilitate captis, & in cuſtodiam datis: duas arces, alteram Regis, alteram Epiſcopi, præſidiis communiit: deinde, cæteras inſulas obeundo, principes earum ad ſe arceſſiit: renuentes vi cepit: impoſitis vectigalibus, acceptiſque obſidibus, ac turbandarum rerum auctoribus ſecum abductis, præſidiiſque e ſuo comitatu in arces impoſitis, alios e ducibus Edimburgum, alios Dumbarum miſit. Nam Dumbari arcem, circa hæc tempora, Regi [3] Joannes Dux Albinus reddidit, quam ad eum diem præſidio Francorum detinuerat.

XLIX. Proximo menſe Auguſto, acriter in Lutheranos inquiſitum. Quidam coacti publice recantare; nonnulli, quod citati non adeſſent, exules pronun-

1 *Spes liberûm*] Ita MS. princeps Editio Edimb. & Genev. quod recentiores in *liberorum* mutarunt: ſed fruſtra: ita enim ſcripſit Buchananus, & ante eum Tacitus Annal. lib. II. cap. 38. *Numero atque ætate liberûm ſuorum urgere modeſtiam Senatus.* Et Annal. lib. III. cap. 25. *Nec ideo conjugia & educationes liberûm frequentabantur.* Eodem etiam pacto & Livius eſt locutus & noſter poſtea Lib. XV. 6. conſentientibus omnibus libris.

2 *Madrito*] Ita omnino ſcribendum, quo alii omnes ſcriptores nomine appellant, non *Madrico*, quod librariorum vitio hic irrepſit.

3 *Joannes dux Albinus*] Vide ſupra ad XIV. 24.

1 *Spon-*

nunciati: duo cremati: quorum alter, David Strato, ejus criminis omnino purus erat: ſed cum in decimis publicano ſolvendis paullo partinacius ageret, Lutheraniſmi accuſatus, pœnas commentitii criminis luit. In conventu, quem Rex, ad latrociniis purganda vicina, Jedburgi habendum curaverat, Valterus Scotus, perduellionis damnatus, in arcem Edimburgenſem eſt incluſus, ibique, quamdiu Rex vixit, permanſit. Eodem Auguſto menſe, cum Gallus, excuſata (uti dictum eſt) filiæ valetudine, Scoto quamvis aliam Regii ſanguinis puellam obtuliſſet, miſſi in Galliam Legati, Jacobus Moraviæ Comes, regni Vicarius, & Gulielmus Stuartus, Abredoniæ Epiſcopus, mari; Joannes autem Areskinus terra, quoniam mandata quædam ad Anglum ferebat. Additus eſt eis quartus Robertus Reidus, vir bonus, ac non vulgari prudentia. Ibi Regii ſanguinis puella, Maria Borbonia, Caroli Ducis Vindocinenſis filia, eis oblata eſt, quæ Regi collocaretur. Ac cætera quidem facile convenerant: tamen Legati veriti, ne ex animo Regi hæ nuptiæ forent, [1] ſponſalia, eo inconſulto, facere non audebant.

L. Interea Anglus, ut rem tantum non tranſactam turbaret, miſit in Scotiam S. Davidis, ſive Menevenſem Epiſcopum, menſe Novembri, qui libellos Anglico ſermone ſcriptos, religionis Chriſtianæ dogmata continentes, offerret, Regemque rogaret, ut eos perlegeret, ac diligenter quod in eis ſcriptum eſſet expenderet. Is aulicis quibuſdam, ſacerdotum ordini addictiſſimis, eos dedit inſpiciendos. At illi vix inſpectos hæreſeos damnarunt, & Regi ſunt gratulati, quod oculos in tam peſtiferis ſcriptis intuendis non conſceleraſſet. Hæc legationis cauſſa vulgo eſt ſeminata. Sunt qui ſecretiora mandata fuiſſe ad Regem allata credant. Deinde idem Epiſcopus cum Gulielmo Havarto, Ducis Norfolciæ fratre, Sterlinum adeo inexſpectatus venit, ut Regem prope ante rumorem ſui adventus oppreſſerit. Petebat Anglus, „Ut diem Scotus diceret, quo die de rebus magnis, & magnopere ad utriuſque gentis ſalutem „pertinentibus, ſecum colloqueretur; magna ſpe, ſi cætera conveniſſent, fore, ut ei filiam collocaret, ac totius eum Britanniæ Regem poſt ſe relinqueret: & quo firmius promiſſis crederet, eum in præſentia Ducem Eboracenſem, ac regni Anglici Vicarium, pronunciaret.

LI. Cum Jacobus tam magnis promiſſis libenter fuiſſet aſſenſus, ac de die conveniſſet, duæ factiones profectionem Regis in Angliam impediendam ſuſceperunt. Hamiltonii occulte, quod proximi eſſent hæredes, id laborabant, ne Rex uxorem duceret, liberoſque relinqueret, qui eos a ſucceſſione regni excluderent. Sacerdotes ipſi frequentes contendebant: cauſſæ, in ſpeciem honeſtæ, prætendebantur, primum pericula, ſi in poteſtatem veteris inimici Rex cum paucis ſeſe daret, ubi ei, velit nolit, alienæ voluntati obtemperandum foret. Recitabantur majorum exempla, qui, vel credulitate ſua, vel hoſtis perfidia, in extremam neceſſitatem deducti, ex amicis pollicitationibus damnum

1 *Sponſalia, eo inconſulto, facere non audebant*] Mezeraius tamen Hiſt. Franc. Tom. 2. pag. 1000, *ſponſalia facta* tradit.

damnum & ignominiam domum retulerunt. Jactabatur Jacobi Primi infelix error, qui, per inducias in terram (ut rebatur) amicam delatus, per annos octodecim captivus detentus, tandem, expreſſis ab eo conditionibus, quas nec debuit nec potuit accipere, avare ſuis eſt venditus. Proferebatur Milcolumbus primum, deinde frater ejus Gulielmus, Scotorum Reges, illecti Londinum per Henricum Secundum, atque inde in Galliam protracti, ut ſpeciem belli gerendi adverſus Gallum vetuſto fœdere ſibi conjunctum, præberent. „At „nihil horum Henricus Octavus faciet. Primum, qui iſtud ſciemus? dein- „de, cujus imprudentiæ eſt, fortunas omnes, vitam, decuſque, quæ in „tua manu ſunt, alienæ poteſtati permittere? Demum ſacerdotes, qui pro aris ac focis ſibi certandum videbant, Jacobum Betonium, Fani Andreæ Archiepiſcopum, & Georgium Crichtonium Caledoniæ Epiſcopum, ſenes invalidos, ad aulam pertraxerant, fremere, „Religionem hoc congreſſu prodi, „quæ tot ſeculis a majoribus ſervata, cuſtodes ſuos ſervaverit: cujus ruinam „mox regni interitus eſſet ſecuturus. Eam, leviſſimis de cauſſis, deſerere, hoc „præſertim tempore, cum univerſus orbis pro ejus incolumitate vota faciat, „& arma induat, non dico, quanto cum periculo in præſentia, & in poſte- „rum infamia, ſed quanto cum ſcelere & impietate ſit conjunctum. His velut machinis admotis, cum Regis animum, ſuperſtitionibus obnoxium, labefactaſſent, tum corruptis, qui plurimum poterant, aulicis, magnam per eos Regi pecuniæ vim polliciti, penitus eum a colloquio averterunt. Anglus, pro eo ac debuit, rem indigne tulit: ita diſcordiarum ſemina iterum jacta.

LII. Interea Rex, diuturnum cœlibatum ægerrime ferens, non magis legationibus externis, quam domeſticis aulicorum diſſenſionibus, in diverſa diſtrahebatur, omnibus utilitatem publicam præferentibus, multis tamen e publico negotio privatum emolumentum ſpectantibus: & quanquam plerique, rebus Caroli florentibus, affinitatem cum eo utilem exiſtimarent, Rex ipſe tamen pronior in Gallicam amicitiam erat. Itaque, cum per Legatos res non conficeretur, ipſe in Galliam navigare ſtatuit, & claſſe pro temporis brevitate ornata, VII. Calend. Aug. portu Lethæ ſolvit, omnibus, quo pergeret, ignaris: nam plurimi rebantur Angliam petere, ut avunculum conveniret, pœnitentia videlicet ductum, quod ſuperiore anno cum eo congreſſus non eſſet. Sed cum, orta tempeſtate, ventis contrariis jactaretur, ſciſcitanti navis gubernatori, quem curſum teneri vellet, „In quamlibet, inquit, ſi neceſſe „eſt, terram appelle, præter unam Angliam: „tum demum ejus conſilium eſt intellectum. Igitur, quanquam domum revehi poſſet, maluit tamen, Scotiam circumvectus, iter per Oceanum occidentalem experiri. Ibi quoque vento parum ſecundo uſus, ex conſilio paucorum, dormiens retro vectus eſt. Eam rem experrectus adeo ægre tulit, ut Jacobum Hamiltonium, jam inde a cæſo Comite Leviniæ inviſum, ex eo, implacabili proſequeretur odio, neque cæteris ejus conſilii auctoribus unquam ſatis æquus fuerit. Neque deerant, qui, ut iræ Regiæ obſecundarent, Hamiltonium, ſimulatione officii, revera, ut conatus ejus impediret, fuiſſe ſecutum, inſimularent. Iterum navigationem tentaturus,

multis

multis e procerum numero proſequentibus, [1] Calendis Septembris ſolvit, ac decimo poſt die Diepam Normaniæ portum appulit. Inde, ut famam ſui adventus præveniret, occultans quis eſſet, ad Vindocinenſis oppidum, ubi tum diverſabatur, magna celeritate ſe contulit: cujus filia cum ei viſa non placuiſſet, ad aulam recta contendit. Et cum ad Regem Franciſcum, præter ejus aliorumque exſpectationem, veniſſet, ab eo amantiſſime eſt acceptus: qui ſuam ei filiam Magdalenam, prope invitus, [2] VI. Calend. Decembris deſpondit. Pater enim, uti ante dictum eſt, qui filiam natu majorem, ob valetudinis infirmitatem, ad liberos procreandos inhabilem rebatur, filiam minorem, aut aliam quamlibet e Nobilitate Gallica uxorem offerebat. Sed Jacobus & Magdalena, jam ante per nuncios amore inter ſe coalito, & ex mutuo aſpectu, congreſſu, & colloquio confirmato, de ſententia deduci non poterant. Nuptiæ Calend. Januarii factæ, anni milleſimi quingenteſimi triceſimi ſeptimi, cum ſumma omnium lætitia, in Scotiam claſſe Gallica comitati appulerunt, [3] ad V. Calendas Junii. Nec diu illa ſuperſtes fuit, febre hectica conſumta. [4] Deceſſit Nonas Julii, cum ingenti omnium, præterquam ſacerdotum, mœrore, quod, ea viva (quam ſcirent, ſub amitæ, Reginæ Navarræ, diſciplina educatam) formidabant, luxui ſuo ac libidini modum impoſitum iri. Cæteris ejus mors tantum dolorem attulit, ut tum primum (ut opinor) apud Scotos veſtis lugubris uſus occœperit: quæ, ne nunc quidem, [5] quadrageſimo poſt anno, quanquam mores publici in pejus fere proficiunt, admodum eſt frequens. M. D. XXXVII.

LIII. Legati in Galliam ſtatim David Betonius Cardinalis, & Robertus Maxuallius, miſſi, qui [6] Mariam Guſiam, Longovillani Ducis viduam, arceſſerent: nam Rex, id quod evenit, de exitu uxoris veritus, in illam oculos conjecerat. Hoc anno, Bothuelius, quod in Angliam clam commearet, & cum Anglis etiam in Scotia clam conſilia conferret ſecreta, extra Scotiam, Angliam & Galliam fuit relegatus. Circa idem tempus, complures perduellionis fuerant inſimulati: Joannes Forboſius, juvenis acer, & magnæ familiæ & factionis princeps, ab Huntilæo æmulo creditur oppreſſus. Erat enim quidam Strachanus, homo ad quodvis flagitium promtus, multos annos Forboſio valde familiaris, & omnium ei nequiter patratorum aut conſcius, aut particeps, aut auctor. Is parum (ut rebatur) ab eo pro merito cultus ad inimicum

1 *Cal. Sept.*] Leſlæus, *pridie Cal. Sept.*

2 *VI. Cal. Decemb. deſpondit*] Exſtant tabulæ nuptiales apud Frid. Leonardum, *Traitez des Paix*, *&c.* Tom. 2. pag. 397. ſcriptæ Blæſis 26 Novemb. 1536.

3 *Ad V. Cal. Junii*] Leſlæus *XIV. Cal. Junii*, quem Holinſhedius ſequitur.

4 *Deceſſit Nonas Julii*] *i. e.* 7 die, Pitſcottius *die quinto*, Leſlæus & Anderſonus *decimo* defunctam tradunt.

5 *Quadrageſimo poſt anno*] Quidam ex hoc loco, nec abſurde, colligunt Buchananum Hiſtoriam ſuam anno 1577 huc uſque perduxiſſe, adeoque reliquis ſex libris annos fere quinque impendiſſe, cum anno demum 1582 ultimam ei manum impoſuerit.

6 *Mariam Guſiam*] Ita MS. & XIV. 44. plerique omnes codices, quod & nos ubique ſervavimus; aliis tamen locis *Guſia*, *Guiſia* & *Guiſiana* appellatur.

cum ejus Huntilæum ſe confert: & crimen capitale vel ad eum detulit, vel (ut plurimi putant) una cum eo confinxit: quod Forboſius videlicet, ante annos complures, de Rege occidendo conſilium iniſſet. Id crimen quanquam nec ſatis firmis argumentis, nec idoneis teſtibus fuiſſet probatum, & ſtudia inimicorum in judicio neminem laterent, [1] XIII. die Julii, a judicibus, magna ex parte ab Huntilæo conductis, damnatus, capite luit. Sed ejus ſupplicium vulgo minus triſte fuit, quod, etſi criminis, ob quod pœnas dederat, expertem homines crederent, tamen, ob ſuperioris vitæ facinora, morte non indignum exiſtimarent. Strachanus index, quod tantum crimen tamdiu celaſſet, extra Scotiam relegatus, complures annos Lutetiæ vixit, adeo fœde & nequiter, ut nullum in eo crimen incredibile eſſet. Rex, non adeo multo poſt, velut pœnitentia ductus, Forboſii alterum fratrem in familiam ſuam recepit, alteri, claris nuptiis aucto, bona in fiſcum redacta reſtituit.

LIV. [2] Poſt paucos dies, aliud ſecutum eſt judicium, & reorum genere, & ſceleris novitate, & atrocitate ſupplicii, maxime miſerabile. Joanna Duglaſſia, Comitis Anguſiæ ſoror, Joannis Leontis Reguli Glammiſii uxor, item filius ejus, & poſterior maritus Gileſpicus Cambellus, Joannes Leon prioris mariti propinquus, & ſenex ſacrificulus inſimulati, quod Regem veneno tollere voluiſſe dicerentur. Hi omnes quanquam ruri aſſidue, procul ab aula, vitam agitarent, nec quicquam, quod eos læderet, a propinquis & miniſtris foret expreſſum, tormentis tamen damnati, & in arcem Edimburgenſem conditi: Duglaſſia, quinto poſt Forboſii ſupplicium die, igni cremata, cum maxima ſpectantium commiſeratione. Movebat enim homines & ipſius & mariti nobilitas, & in juventæ vigore formæ inter paucas egregiæ commendatio, & inter ipſum ſupplicium virilis in fœmina animi fortitudo: ſed omnium maxime, quod fratris exulis odium, pluſquam crimen ſuum, ei obeſſe crederetur. Maritus ejus, cum ex arce Edimburgenſi evadere conaretur, per demiſſum funem, ſed forte breviorem, quam ut radices rupis attingeret, fractis eo caſu prope totius corporis oſſibus, fuit extinctus. Filius adoleſcens, ſimplicior, quam ut ſuſpicio tanti facinoris in eum caderet, in arcem incluſus, &, Rege demum mortuo, dimiſſus, ademta bona recuperavit. Accuſator fuit Gulielmus Leon propinquus. Is, poſtquam familiæ nobiliſſimæ interitum, e ſua calumnia, imminere vidit, ſera pœnitentia ductus, ſuum ſcelus Regi eſt confeſſus: nec tamen aut pœnam reorum levavit, aut efficere potuit, quo minus bona fiſco addicerentur.

LV. Proximo qui hunc ſecutus eſt anno, poſtridie Idus Junii, Maria Guſia ad Balcomium, villam Jacobi Lermonthii, appulit: inde terreſtri itine-

1 *XIII. Julii*] Uno die lapſus eſt Buchananus: ex Actis enim publicis liquet eum 14 Julii die Sabbathi anno 1537, damnatum fuiſſe. Cl. autem D. Geo. Mackenzæus de Crim. part. 1. tit. 6. eum 17 Julii capite luiſſe tradit.

2 *Poſt paucos dies*] *i. e.* die Mercurii 18 Julii ejuſdem anni 1537. *Vide Act. publ. Jac V.* Errat igitur Cl. D. Mackenzæus, qui loc. cit. Joannam Duglaſſiam igni crematam tradit 17 Julii.

nere ad Fanum Andreæ vecta, magna frequentia Nobilitatis illuc collecta, Regi nupſit. Initio anni proximi, qui fuit M. D. XXXIX. Lutheraniſmi ſuſpecti complures capti ſunt: ſub finem Februarii, quinque cremati: novem recantarunt: complures exilio damnati. [1] In his fuit Georgius Buchananus, qui, ſopitis cuſtodibus, per cubiculi feneſtram evaſerat. Hoc anno Regina filium peperit ad Fanum Andreæ: item proximo anno alterum ibidem. M. D. XXXIX.

LVI. Hoc anno, atque item ſuperiore, magis quietæ quam compoſitæ res erant: nec tam ſeditionum cauſſæ, quam auctor deerat: multis cupientibus, ſed nemine auſo, ſe tumultus ducem profiteri. Nam Rex, proviſis jam hæredibus, de ſua ſalute ſecurior, Nobilitatem velut ignavam & imbellem cœpit contemnere, tanquam adverſus domum ſobole confirmatam nihil auſuros. Ac jam ad ſubſtructiones otioſas animum adjecerat. Ad hæc pecunia opus habebat Rex, juxta egens ac cupiens: unde par formido invaſit & Nobiles & ſacerdotes, dum eam quiſque tempeſtatem a ſe in alterum inclinare contendit. Interim, quoties apud familiares de inopia publica querebatur, altera alterius factionis opes oſtentabat, velut prædam paratam, & ille, modo his, modo illis aſſentiens, utroſque inter ſpem formidinemque ſuſpenſos tenebat. Igitur, cum ea tempeſtate [2] Legati Anglorum in aulam veniſſent, ab eoque petiiſſent, ut Eboracum ad avunculum accederet, magnumque, ſi id faceret, operæ pretium pollicerentur, ac prolixe de ſui Regis amore & benevolentia erga eum ſponderent, factio ſacerdotibus iniquior toto conatu atque animi viribus eo incubuerunt, ut Rex tempus locumque colloquii petitum obiret. Id cum ſacerdotes reſciſſent, actum de ordine ſuo rati, niſi & congreſſum Regum impedirent, & eorum concordiam turbarent, odiorumque ſemina Regem inter & proceres jacerent. Omnes autem rationes circumſpicientibus, unum illud tum præſenti malo remedium præſentiſſimum eſt viſum, ſi animum Regis, adverſus pecuniam infirmum, largitionibus immenſis aggrederentur. „Propo-„ſita ante oculos periculi magnitudine, & fluxa & incerta promiſſorum hoſti-„lium fide, pecuniam domi & majorem, & facile parabilem, „oſtentant. „Primum, de ſuo, in annos ſingulos ſe, triginta aureorum millia contributu-„ros, cæteraſque omnes fortunas, ad incerta diſcriminum, ſi res poſtulet, „paratas fore, „pollicentur: „ex bonis vero eorum, qui adverſus Pontificis „Romani auctoritatem Regiamque majeſtatem rebellarent, & novis ac ſcele-„ratis erroribus ſtatum Eccleſiarum turbarent, pietatem everterent, magiſtra-„tuum jura tollerent, ac tot ſeculorum inſtituta convellerent: ex horum, in-„quam, bonis in fiſcum relatis, poſſe ſupra centum aureorum millia annua „confici, ſi Rex tantum (quoniam ipſi de capite civium jus dicere non poſ-„ſent) qualem velint, judicem ferret. Cæterum, in quæſtione exercenda, „nullum fore periculum, aut in judicando moram: cum tot hominum millia „nihil M. D. XL.

1 *In his fuit Georgius Buchananus*] De hac re vide ipſius vitam.

2 *Legati Anglorum*] Ejus legationis princeps erat Radolphus Sadlerius: mandata autem ei a Rege ſuo data Jacobique Scoti ad ea reſponſa ab ipſo Sadlerio fuſe & accurate deſcripta adhuc exſtant in Bibliotheca Jurid. Edimburgenſi.

„ nihil dubitent, Veteris & Novi Teſtamenti libros contrectare, de Pontifi-
„ cis poteſtate ſermones ſerere, vetereſque ritus Eccleſiæ contemnendo, reli-
„ gioſis hominibus, ac Deo ſacratis, omne obſequium ac reverentiam detrahere.

LVII. Hæc cum illi vehementer urgerent, datus eſt eis judex, ex animi ſententia, Jacobus Hamiltonius nothus, Comitis Araniæ frater, multis largitionibus ante eis obnoxius, & qui, facinore quantumvis crudeli, Regis animum, jamdudum offenſum, ſibi conciliare cuperet. Venerat in Scotiam, circa idem tempus, Jacobus Hamiltonius, Limnuchi conventuum juridicorum præfectus, idemque ſuperioris Jacobi frater patruelis. Is poſt diuturnum exilium, cum adverſus Jacobum nothum judicium eſſet profeſſus, impetrato in patriam ad tempus reditu, ac intellecto, in quanto diſcrimine ipſe, una cum cæteris purioris doctrinæ ſtudioſis, verſaretur, filium ad Regem, in Fifam tranſmiſſurum, miſit, qui, cum nactus antequam naviculam conſcenderet, trepido nuncio hominem, alioqui natura ſuſpicioſum, implevit, „Rem eſſe „capitalem, & toti regno periculoſam, niſi Rex adverſus inſidiatorem facinus „occuparet. Rex, qui tum in Fifam properabat, juvenem remiſit Edimburgum, ad conventum, quem Scaccarium vocant. Ibi convenire juſſit Jacobum Lermonthium, Jacobum Kircadium, ac Thomam Areskinum: quorum primus erat familiæ præfectus, alter Quæſtor primarius: neuter a religione puriore alienus: tertius Papiſticæ factioni deditiſſimus, & Regi ab epiſtolis. Eis mandabat, „ Ut nuncio æque certam haberent fidem, ac ſi ipſe præ- „ſens eadem narraret, „ac annulum notum, de digito detractum, pro teſſera ad eos miſit. Hi, conſilio inter ſe communicato, Jacobum jam pranſum, ac ſe ad iter expedientem, domi ſuæ comprehendunt, & in arcem dant cuſtodiendum: ipſi cum per exploratores comperiſſent, Rege exorato, dimiſſum iri, præter publicum periculum, etiam ſibi metuentes, ſi homo factioſus & potens, ac tanta ignominia laceſſitus, incolumis evaderet, non ignari, quam acerbe & crudeliter vindictam exerceret, ſumma celeritate in aulam provecti, diſcriminis præſentiam, ingenium pravum, animum acrem, opeſque, omnia quam ſuſpicioſiſſime poſſunt, in majus augentes, Regi perſuaſerunt, „Ne „hominem, juxta callidum & audacem, ad hæc ignominia irritatum, indi- „cta cauſſa, liberaret. Igitur Rex Edimburgum, ac inde ad Setonium profectus, Jacobum ad cauſſam dicendam promi juſſit: ac, [1] judicio more patrio conſtituto, damnatum capite multavit: & corpore poſt mortem lacerato, partes ejus in publicis urbis locis ſuſpenſæ. Crimina adverſus Regem objecta; „Quod, certo die, effracto cubiculo, Regem trucidare conſtituiſſet: quod „cum Duglaſſiis, hoſtibus publicis, ſecreta conſilia communicaſſet. Ejus mors, ob ſcelerate actam ſuperiorem vitam, paucis attulit dolorem, præterquam propinquis & ſacerdotum ordini, qui in ejus incolumitate omnem prope ſuarum fortunarum ſpem collocarant.

LVIII. Ab eo tempore, ſuſpicione adverſus Nobilitatem aucta, curiſque ſubinde animum anxium vellicantibus, inſomniis etiam nocturnis mens ægra ſollicita-

1 *Judicio more patrio conſtituto*] Die Lunæ 16 Aug. 1540. *Act. publ. Jac. V.*

ſicitabatur: quorum unum inſigne circumfertur. Videre viſus eſt Jacobum Hamiltonium, enſe ſtricto in ſe ruentem, primum dextrum, deinde ſiniſtrum detruncaſſe brachium: cumque comminatus fuiſſet, „Se brevi, ut vitam quo„que adimeret, affuturum, „ſtatim diſparuiſſe. Ille trepide experrectus, cum de ſomnii eventu multa ſecum volveret, paullo poſt allatum eſt, utrumque filium, alterum ad Fanum Andreæ, alterum Sterlini, eodem prope temporis momento, deceſſiſſe.

LIX. Interea cum Anglo, jamdudum infenſo, neque certa pax, nec bellum erat. Nulla enim armorum denunciatione, e vicina Scotia prædæ agebantur, nec Angli, de rebus repetundis appellati, quicquam æqui reſpondebant: nemini erat incertum, Henricum, ob fruſtrationem ad Eboracum colloquii, graviter indignari. Scotus autem, etſi pro certo haberet bellum inſtare, cenſumque habuiſſet, & fratrem, Moraviæ Comitem, univerſis copiis ducem deſignaſſet, & in belli apparatu diſtineretur, Legatum tamen ad hoſtem miſit, qui ſine vi, ſi fieri poſſet, rem componeret: Georgio interim Gordonio, cum mediocri manu, ut incurſionum licentiam inhiberet, ad limitem miſſo. Angli, Gordonianorum paucitate contemta, cum ad Jedburgum cremandum properarent, Georgius Humius cum quadringentis equitibus eis ſe objecit: prælioque acri conſerto, cum Gordoniani procul viſi eſſent, metu injecto, effuſa fuga ſe hoſti ſubduxerunt. [1] Cæſi non adeo multi: plurimi capti. Jacobus Lermonthius, qui ad Novum Caſtrum de pace agebat, vix tandem reſponſo accepto, quo belli apparatus occultior foret, una cum Anglorum exercitu redire juſſus eſt. Eidem exercitui occurrit Eboraci Joannes Areskinus, & Legati nuper e Scotia miſſi. Hi quoque ab Havarto, qui copiis præerat, retenti: nec ante dimiſſi, quam Bervicum eſt ventum. Scotus, ante Legatorum reditum, certior de adventu Anglorum per exploratores factus, ad quatuordecim millia paſſuum a limite, ad Falaum Fanum caſtra poſuit, præmiſſo Georgio Gordonio, cum decem millibus, qui vagas Anglorum populationes prohiberet: verum is nihil memoratu dignum geſſit: ac ne levia quidem certamina cum hoſte conſeruit.

LX. Rex mirum in modum cupiebat prælio decernere, adverſa Nobilitate: a quibus id impetrare non poterat. [2] Igitur plenus irarum, multa in eos fudit convicia, imbelles & majoribus indignos eos compellans, ac ſubinde dictitans, „Quando ab eis proditus eſſet, ſe cum ſua familia, quod illi renuiſ„ſent, facturum. „Nec placari poterat, quamvis frequentes dicerent; „Satis „ei ad gloriam perpetratum, quod tantum Anglorum exercitum, tanto tem„pore collectum, ac Scotos ex improviſo aggreſſum, ac magna comminantem, „non modo libera populatione prohibuiſſet, ſed, per octo dies quos in Scotia „manſerat, ita continuiſſet, ut vix unquam ultra mille paſſus a limite ſit au„ſus diſcedere. Nam Bervico Anglus egreſſus, adverſo flumine Calſonem uſque tenuit

1 *Cæſi non adeo multi*] Hoc prælium ad Haldonrigum commiſſum eſt die D. Bartholomæo ſacro, 24. Aug 1542.

2 *Igitur plenus irarum*] Vocem [*igitur*] quod omnibus editis abeſt, e MS. ſupplendam duximus.

tenuit iter: ibi certior de Scotici exercitus adventu, vado copias Anglus traduxit, adeo pugnæ fugientes eventum, ut, cum temere & ſine ordine in fluvium proruerent, uti quiſque tranſierat, ſignis relictis, qua proxime poſſent, domum properarent. Nec Gordonius interim, qui hæc e propinquo proſpiciebat, quicquam movebat. Hanc ob cauſſam, Rex adverſus eum odium implacabile conceperat. Maxuallius, ut Regis iram ex parte leniret, promittebat, „Si ſibi decem tantum millia permitterentur, ſe per Solvæum in Angliam pe- „netraturum, ac operæ pretium facturum. Quod adeo præſtare poterat, niſi Rex, proceribus infenſus, [1] Olivario Sinclaro, Roſlini Comarchi fratri, literas dediſſet occultas, quas in tempore promeret. In eis ſcriptum erat, ut exercitus univerſus Olivarium pro duce agnoſceret. Id conſilium eo ſpectabat, ne, ſi quid felicius geſtum foret, rei proſperæ gloria penes proceres eſſet. Cum jam in hoſticum eſſet perventum, ac circiter quingenti equites Angli in propinquis collibus cernerentur, [2] Olivarius a ſua factione in altum elatus, ac duabus haſtis innixus, [3] Regias proferri literas juſſit, quarum lectio adeo totum exercitum offendit, & in primis Maxuallium, ut, ordinibus ſolutis, omnes confundi ac miſceri ſtatim cœperint. Hoſtes, homines militares, ſed nequaquam ad tantæ rei exſpectationem coacti, cum eam omnium rerum perturbationem e loco ſuperiore intuerentur, magno (ut eis mos eſt) cum clamore trepidos, inter pugnæ & fugæ conſilium, aggreſſi, pedites, equites & calones confuſos [4] in paludes proximas adigunt. Ibi multi ab Anglis, plures a Scotis latronibus capti, & Anglis divenditi.

LXI. Calamitate exercitus ad Regem, qui non procul aberat, delata, ſupra quam credi poteſt, commotus, indignatione, ira, mœſtitia animum in diverſa trahentibus, nunc in vindictam de ſuorum (ut ipſe dictitabat) perfidia pronus, nunc in novum belli apparatum, & rationem rerum gerendarum intentus erat. Id autem, inter res prope perditas, optimum eſt viſum, ut, induciis cum Anglo factis, Archibaldum Duglaſſium, Anguſiæ Comitem, quibuſcunque poſſet conditionibus, revocaret. Interim, vigiliis & inedia vires corporis labefactantibus, animo curis obruto, intra paucos dies moritur, [5] XIV. die

1 *Olivario*] Ita MS. aliis vero [*Oliverio*] eſt ſcriptum.

2 *Olivarius a ſua factione*] Drummondus vero non *Olivarium Sinclarum*, ſed Maxuallium a Rege exercitus ducem fuiſſe conſtitutum narrat: Scotorum vero primores *Olivarium* Regias ea de re literas recitare parantem conſpicatos, falſa opinione hanc illi ipſi a Rege provinciam demandatam exiſtimantes, ſolutis ſtatim ordinibus, alios in fugam ſe conjeciſſe, complures vero ſua ſponte in Anglorum poteſtatem ſe dediſſe.

3 *Regias proferri literas juſſit*] Ita omnino cum MS. legendum, non quod cæteris irrepſit [*profiteri*;] ſuperius enim lin. 10. dixerat, *quas in tempore promeret.*

4 *In paludes proximas*] Accepta eſt funeſta hæc ad Solvæi paludes clades 24 Novemb. pridie Catharinæ Virginis anno 1542. *Holinſh.*

5 *XIV. die Decembris*] Ita MS. Leſlæus, Holinſhedius, Pat. Anderſonus, Jac. Gordonus Leſmoreus Chronol. pag. 540. Balfurius Annal. pag. 254. At David Camerius Ormundiæ Comarchus *Hiſt. Abbregee*, &c. fol. 212. Jacobum V. mortuum tradit 10 Decemb. Pitſcottius 20 Decemb. Drummondus vero, Geo. Crafordius & editi Buchanani codices 13 ejuſdem

die Decembris, relicta filia hærede, [1] ante octavum diem nata. Sepultus fuit poſtridie Id. Jan. in Cœnobio Sanctæ Crucis, prope Magdalenam priorem conjugem.

LXII. Erat ei, dum viveret, facies & compoſitio membrorum decora, ſtatura mediocris, ſupra corporis modum vires: ingenium acre, ſed quod vitio temporum parum fuit excultum. Victu utebatur parco, vino parciſſime. Laboris, algoris, æſtus, inediæ patientiſſimus. Sæpe in equo ſedens hieme aſperrima diem noctemque continuabat, ut latrones inopinantes domi deprehenderet: illaque celeritate tantum ſui metum incuſſerat, ut, velut eo ſemper præſente, a maleficiis ſe continerent. Tanta moris patrii erat ſcientia, ut de rebus gravibus, etiam per iter, ſumma cum æquitate expeditiſſime reſponderet. Aditus etiam pauperioribus ad eum erat faciIlimus. Ingentes autem virtutes vitia prope adæquabant, ſed quæ temporis magis, quam naturæ videri poterant. Omnium enim rerum licentia diſciplinam publicam ſolverat, quæ niſi magna ſeveritate animadverſionis ſiſti non poterat. Pecuniæ autem id fecerat avidiorem, quod, cum alienæ poteſtatis eſſet, in ſumma parſimonia educatus fuiſſet: &, cum primum ſui juris eſt factus, in vacuas ædes ingreſſo, direpta ſupellectili, omnis ei ſimul aulæ partes denuo erant exornandæ: proprium autem Regum patrimonium in eos, quos minime voluiſſet, uſus, curatores ejus abſumſerant. Ad mulieres autem proniorem eum reddiderant adoleſcentiæ educatores, qui hac ratione diutiſſime eum ſibi obnoxium fore arbitrabantur. Nobilitatis magna pars ejus mortem non adeo moleſte tulit, ut quorum alios exilio multaverat, multos cuſtodiis coërcuerat: alii, metu ſeveritatis ejus, nunc ad priſtinum contemtum ira recenti adjecta, maluerunt Anglo ſe hoſti dedere, quam ſui Regis iræ ſe committere.

dem menſis exſtinctum prodidere. Leſlæi vero ſupputationem confirmat Rob. Sibbaldi teſtimonium, qui ſe thecæ plumbeæ qua defuncti corpus eſt repoſitum, 14 Decemb. inſcriptum vidiſſe aſſeveravit. Nec minus editorum Buchanani codicum auctoritatem ſuffulciunt Hamiltonii Proregis ad Pontif. Rom. literæ 14 Maji 1543, quibus Jacobus Idibus Decembris exſtinctus memoratur. Obiit autem Jacobus V. anno regni 30, vitæ 31. non (quod Leſlæus, Drummondus, Spotiſvodius, *&c.* ſibi ipſis repugnantes ſcripſere) anno regni 32, vitæ 33.

1 *Ante octavum diem nata*] Ita omnino reſcribendum, pro eo quod libros omnes pervaſit, *ante quintum diem nata*: ſecus enim ſibi ipſi diffidebit, quippe XV. 1. Mariam Jacobi filiam octavo ante ejus mortem die natam affirmat. Et quidem hujus repugnantiæ a Cl. Joanne Clerico Bibl. Selecta Tom. VIII. pag. 191. non tam ipſe Buchananus, quam ejus exſcriptores arguuntur. Cæterum, ſi integrum nobis fuiſſet, ante ſeptimum diem potius ſcriptum oportuit, id enim Leſlæus, omnium ejus familiarium longe fideliſſimus, tribus diverſis in locis, ſcriptum reliquit, quem & plerique omnes ſcriptores alii ſequuntur.

LIBER

LIBER DECIMUS QUINTUS.

I. REGE, in ætatis flore, non tam morbo quam mœroris vi extincto, motibuſque ſuperiorum temporum, inopinato eventu, ſopitis verius quam compoſitis, tanta prudentioribus imminere videbatur tempeſtas, quantam vix ulla proximorum ſeculorum memoria aut ex majoribus audierat, aut ipſa meminiſſet. [1] Nam neque Rex domi ſuprema ordinaverat, & puellam, octavo ante ejus mortem die natam, hæredem reliquerat: & Nobilitatis duces, in quibus aliquid auctoritatis fuerat, vel ſuo fato functi erant, vel apud hoſtem exules aut captivi retinebantur. [2] Nec, ſi domi fuiſſent, vel ob odia privata, vel ob diſſenſionem de religione, vivo Rege metu compreſſam, & mox animis metu ſolutis erupturam, inter ſe diſcordes, [3] quicquam erant pro ſanis acturi. Accedebat ad hæc bellum externum, adverſus Regem potentiſſimum: qui quomodo eſſet uſurus victoria multi, pro ſua cujuſque ſpe aut metu, varie diſſerebant. Qui ſecundus erat hæres, ut nec ad privatam vitam degendam virtutibus multum vulgo præſtabat, ita neque conſilio ad regnum gerendum, neque fortitudine erat inſignis. Cardinalis, in publicis malis locum creſcendi ſibi eſſe ratus, [4] ut & ordini ſuo, & Gallicæ factioni ſe oſtentaret, facinus & audax & impudens eſt aggreſſus. Conducto enim Henrico Balfurio, ſacrificulo mercenario, falſum teſtamentum Regi ſubjecit: in quo ipſe ſe, tribus Aſſeſſoribus e potentiſſimis procerum adjectis, in ſummo magiſtratu collocabat. Spem ei, id conſilium ſucceſſurum, faciebat Comitis Araniæ minime turbidum, & a periculis ad quietem pronum ingenium, & generis propinquitas. Erat enim ex amita Cardinalis natus, [5] & ipſe unus ex Aſſeſſoribus, velut in partem dominationis aſſumtus. Occaſio item ſupremæ poteſtatis invadendæ [6] celeritatis egere viſa eſt, ut captivorum & exulum ex An-

1 *Nam neque Rex*] Cauſalem han particulam [*Nam*] e MS. duximus reponendam, abſque qua non ſatis concinno ordine aut nexu oratio progredi videbatur.

2 *Nec, ſi domi fuiſſent*] Ita MS. ſuffragante etiam Crafordio. Editis tamen omnibus [*Nec fuiſſent ſi domi,*] legitur.

3 *Quicquam erant pro ſanis acturi*] Hanc praſin mutuatus videtur a Cæſare, Bell. Gall. lib. 5. cap. 7. *Nihil hunc ſe abſente pro ſano facturum arbitratus, qui præſentis imperium neglexiſſet.* Ita & Plautus loquitur Menæchmis V. 5. 28. *Hoc quidem ædepol haud pro inſano verbum reſpondit mihi:* & paullo poſt v. 41. *Satin' hæc pro ſano maledicta maledictis reſpondeo.*

4 *Ut & ordini ſuo*] Abeſt ab omnibus editis vox [*ſuo*] quam tamen e MS. reſtituere non dubitavimus.

5 *Et ipſe unus ex Aſſeſſoribus*] Inepte libris omnibus legitur [*unus ex poſſeſſoribus.*] Errorem ſubolfecit Melvinus, qui tamen non ſcita admodum interpolatione [*proceribus*] jubet legendum. Accuratior Crafordii conjectura [*Aſſeſſoribus*] hic reponentis, quam & MSti auctoritas, & ipſius Buchanani verba paullo ante confirmant.

6 *Celeritatis egere viſa eſt*] Libri editi, *& celeritatis.* Nos vero copulam, ad nullum

Angliа reditum præveniret, ne quid in approbatione ſui honoris eis integrum relinqueret, quorum & potentiam & gratiam formidabat, & mentem a ſe alienam, ob diverſum pietatis cultum, non dubitabat. Ea cauſſa fuit ei, ut ſtatim poſt Regis interitum, edictum de quatuor Gubernatoribus eligendis promulgaret. Adjecit etiam factioni ſuæ quoſdam procerum, donis & pollicitationibus illectos: ac maxime Reginam, adverſis partibus non ſatis æquam. Hamiltonius autem, adverſæ factionis princeps, homo minime ambitioſus, quietem oblatam videbatur amplexurus, ſi per propinquos licuiſſet: qui ſuæ magis libidini ſtudebant, quam de ejus honore erant ſolliciti. [1] Hi diu noctuque juvenis animum ſpe implebant, & hortabantur, ne fortunam, ultro ſe offerentem, [2] e manibus elabi ſineret: omniaque commiſceri malebant, quam in vitæ certa & privata conditione conquieſcere. Præterea multos eis conciliabat amicos Cardinalis odium, indignitaſque ſub ſacrificuli imperio ſervitutis. Suberat & ſpes, incerta quidem illa, ſed tamen ad hominum ſtudia excitanda non inefficax, quod, cum Hamiltonius ſecundus eſſet hæres, multi ſecum reputabant; puella paucorum dierum, quæ ſola eum anteiret, [3] quot ante nubilem ætatem vel caſibus fortuitis eſſet objecta, vel tutorum fraude periculis obnoxia. His, in longum fundamenta potentiæ ſtruentibus, conſultiſſimum eſt viſum, qui ex præſente rerum ſtatu ſe offerebat, fructum non negligere, & futurum Hamiltoniorum incrementum ſpe amplecti: [4] quæ ſi fefelliſſet, non difficilem apud novam Principem, gratiam hominum in regni initio colligentem, & ſi quid ſecus eveniſſet, [5] fore veniam.

II. Dum in Scotia hic rerum eſt ſtatus, Anglus interea in lætitiam, ob victo-

lum hic uſum comparatam, MSti exemplo, exulare juſſimus.

1 *Hi diu noctuque*] MS. editi vero *die noctuque*.

2 *E manibus elabi*] Editi, *e manibus labi*: prius autem, ut MSti fide nixum, ita longe elegantius frequentiuſque videbatur.

3 *Quot ante nubilem ætatem*] Ita MS. at editi omnes facili errore [*quot*] in [*quod*] mutarunt.

4 *Quæ ſi fefelliſſet, non difficilem apud novam Principem*] Ita omnes editi: MS. tamen, & forte rectius, *Quæ ſi etiam fefelliſſet, non difficilem apud novum principem, hominum gratiam in regni initio colligentem, ſi quid ſecus eveniſſet, fore veniam*. Utrovis autem modo, haud parum perplexa atque ambigua videtur ſententia, ſive *novam*, ſive *novum principem* legamus. Primum enim, aut hæ voces, [*ſi quid ſecus eveniſſet*] otioſæ videntur, nihil quippe aliud ſignificantes quam quod his verbis [*quæ ſi fefelliſſet*] prius enunciaverat; aut ſententiæ vocabulum aliquod excidiſſe, veluti [*favorem creſcendi locum*] aut ſimile; ut ſi hoc pacto totam ſententiam refingere ac explicare velis, *Quæ* [ſpes *ſcil.* de futuro Hamiltoniorum, Maria ſine ſobole forte exſtincta, incremento] *ſi fefelliſſet, non difficilem apud novum principem* [*i. e.* Hamiltonium Proregem] *gratiam hominum in regni initio colligentem, fore favorem, & ſi quid ſecus eveniſſet.*, [*i. e.* ſi res novas molientibus conſilia male ceſſiſſent, non difficilem fore] *veniam* Quod autem omnes libri editi [*novam principem*] exhibeant, haud multum probare poſſum: *regni* enim *initio*, atque cum *nova Princeps* eſſet Maria, nullius *gratiam colligere*, aut odium reformidare, præ ætate poterat, utpote quæ Princeps nata, atque in cunis vagiens Scotorum Regina coronata fuerat.

5 *Fore veniam*] Omnibus libris, prætterquam MS. abeſt *fore*.

victoriam inſperatam, effuſus, principes captivorum Londinum arceſſit. Biduo in arce concluſi, die ſacro Thomæ Apoſtolo, [1]qui eſt Decembris XXI. per urbem, qua longiſſima eſt, ac velut ad publicum ſpectaculum per ora vulgi traducti, cum tandem ad aulam Regiam perveniſſent, ibi a Cancellario Anglo graviter increpiti, tanquam fœderis violatores, ac verbis ampliſſimis bonitate & clementia Regis laudata; qui multum de ſuo adverſus eos jure remiſiſſet, per familias laxiore cuſtodia diſtribuuntur. [2]Erant autem ii ex ordine ſupremo ſeptem, prætereа honeſto loco nati viginti quatuor. Verum, ante triduum renunciato, Regem Scotorum, unica filia hærede ſuperſtite, deceſſiſſe, hîc occaſio peropportuna Anglo viſa eſt, per concordiam Scotos Anglis conjungendi, eorum Regina filio ſuo deſponſa. Itaque, revocatis in aulam captivis, & per homines idoneos eorum animis prætentatis, blandius eos appellatos, operamque ſuam pollicitos, quatenus aut ſine publico detrimento,
M. D. XLIII. aut privata infamia poſſent, Calend. Jan. ineunte anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio, Scotiam verſus dimiſit. Cum ad Novum Caſtrum veniſſent, ac Thomæ Havarto Duci Norfolciæ obſides dediſſent, cætera liberi ad ſuos redierunt. [3]Redierunt una cum eis Duglaſſii fratres, poſt decimum quintum exilii annum patriæ reſtituti. Omnes autem cum partis majoris gratulatione recepti fuerunt.

III. Cardinalis, qui hanc tempeſtatem in ſe intentam videbat, non dubius quin & captivos & exules in comitiis adverſarios eſſet habiturus, curarat, ut, ante adventum eorum, ipſe Prorex eligeretur. Verum is honor haud diuturnus ei fuit: nam, paucis poſt diebus, fraude ejus in falſo teſtamento Regi ſubjiciendo deprehenſa, honore dejectus, & Jacobus Hamiltonius Araniæ Comes Prorex dictus: aliis, quod regni proximus eſſet hæres, jam tum gratiam occupantibus: aliis Cardinalis crudelitatem in quæſtionibus de religione tanto ante proſpicientibus. Eum timorem auxerunt codicilli, poſt Regis interitum reperti, in quibus ſupra trecentorum e prima Nobilitate nomina continebantur: & inter hos in primis, qui Prorex poſtea factus eſt in crimen vocabatur. Ejus igitur electio, quia multorum pericula ſublevatura videbatur, & ſuperbiam ſacerdotum compreſſura, majori parti hominum admodum grata fuit. Ipſe quoque libellos, qui controverſias de religione continebant, libenter lectitabat, & vitæ ſuperioris quies, procul ab aulica ambitione remota, ſpem animi modeſti & temperantis multis faciebat, magiſtratu nondum torporem & ſocordiam ingenii detegente.

IV. In conventu, qui menſe Martio habitus eſt, affuit [4]Radolfus Sadlerius

1 *Qui eſt Decembris XXI.*] Omnibus libris male legitur *XX.*

2 *Erant autem ii ex ordine ſupremo*] MS. [*Erant autem ex ordine ſupremo*,] cæteri [*ei*] habent: verum cum [*ei*] nuſquam in plurali reperiatur, (quæ nonnullorum Grammaticorum eſt hallucinatio,) nec illius vocis in ſingulari ullus hic uſus videretur, nos ejus loco [*ii*] repoſuimus.

3 *Redierunt una cum eis*] Ita MS. alii *Redierant.*

4 *Radolphus Sadlerius Eques*] Is qui ante duos annos ad Jacobum V. legatus fuerat, cujus & literæ rerum ab ipſo in ſua hac legatione, a 20 Martii ad 12 Decembris 1543, geſtarum ſeriem fuſe & accurate

rius Eques, ab Anglo legatus, qui nuptias & pacem publicam procuraret, & alios promiſſi admoneret, alios (ut fama circumferebat) pecunia tentaret. Huic paci cum Regina Cardinaliſque, cum tota ſacerdotum factione, non ſolum repugnaret, ſed obturbando, & alios interpellando, nihil decerni pateretur, communi prope omnium conſenſu, Cardinalis in cubiculum ſeorſum ſecluſus eſt, dum ſententiæ perrogantur. Eo ſemoto, de matrimonio Reginæ, deque aliis conditionibus facile conſenſum: obſides etiam, hæc firma fore, Anglo promiſſi. Cardinalis, deprecante Regina vidua, liberiore cuſtodia apud Setonium habitus: eo pecunia perſuaſo, brevi poſt eſt dimiſſus.

V. Cum jam, poſt graviſſimam imminentis belli formidinem, pax cum ſummo utriuſque regni emolumento confecta in perpetuum videretur, qui jam aliquot annos a negotiando cohibiti erant mercatores certatim in mare provolant, quam poſſunt pro tempore plurimas pretioſiſſimis mercibus naves onerantes. Edimburgum duodecim, cæteræ illius oræ urbes (quæ pars eſt Scotiæ opulentiſſima) pro viribus quæque ornant. [1] Hæc claſſis, fiducia pacis, Angliæ littus propius quam alioqui neceſſe erat legens, ceſſante vento, alibi ſtabat ad anchoram, aliæ tutos portus erant ingreſſæ, opportunæ Anglis ad omnem injuriam, ſi quis belli motus oboriretur. Eodem fere tempore redierant e Gallia Joannes Hamiltonius Abbas Paſſetenſis, & [2] David Panitarius: hi, multorum annorum abjecta perſona, ad veros mores reverſi, & velut in ſchola non pietatis, ſed nequitiæ ſe exercuiſſent, aulæ omnium flagitioſorum anteſignani erant.

VI. Cardinalis, inſperata libertate potitus, homo ſuperbo ingenio natus, & repulſa accepta, ac fraude detecta, ignominia etiam accenſus, omnes circumſpicit turbandæ concordiæ rationes. Primum, re communicata cum Regina vidua, communiter ambo indignabantur, Duglaſſianos, [3] ob multa & magna beneficia certiſſimos Angli clientes, ſtatim ab exilio in conſilia de ſumma rerum accitos: & receptæ religionis mutationem omnes pariter formidabant, quæ ſecum Gallici fœderis ſolutionem allatura videretur. Ibi de Reginæ conſenſu, Cardinalis, coacto ſacerdotum conventu, & magna ab eis extorta pecunia, quæ imminentem univerſæ Papanæ Eccleſiæ ruinam averteret, primum parte ejus compluribus adverſæ factionis hominibus claris repræſentata, & adjectis multis magniſque pollicitationibus, perſuadet, ne obſides promiſſos Anglo traderent: & qui nuper e captivitate redierant, ab eis pariter impetrat, ut liberos & propinquos, nuper hoſti datos, poſteriores legibus & ſalute publica habeant, & religione priſtina, cujus incolumitas in hoc uno momento vertere-

rate deſcriptam complectentes, in Biblioth. Jurid. Edimb. aſſervantur.

1 *Hæc claſſis, fiducia pacis* ——— *alibi ſtabat ad ancboram, aliæ tutos portus erant ingreſſæ*] Syntheſis Buchanano ſatis frequens, nec exemplis veterum deſtituta.

2 *David Panitarius*] Hic erat Gubernatori ab Epiſtolis, paullo poſt Epiſcopus Roſſiæ creatus, nemini tum Scotorum doctrinæ & eloquentiæ laude ſecundus, uti Spotiſvodius Hiſt. Eccleſ. Scot. pag. 110. in primis vero ab ipſo ſcriptæ literæ teſtantur.

3 *Ob multa & magna beneficia*] Ita MS. alii [*multa magna.*]

teretur: neu ſe in perpetuam ſervitutem ultro præcipitent. Præterea curat per ſacerdotes, ut Regis Angliæ Legatus ſuperbe contemneretur: per operas vero & ſcurras contumelioſis verbis comites ejus acciperentur: eorumque dicta & facta in pejorem partem raperentur. Verum Legatus, obſtinato adverſus omnium contumelias animo, ne quam ipſe diſſidii occaſionem dediſſe videretur, ſtatuit diem tradendis obſidibus dictum opperiri. Is cum veniſſet, Proregem adiit: deque probris, non tam ſibi, quam Regi ſuo illatis, juriſque gentium contemtu, graviter queſtus, petit ab eo, „Ut juxta fœdus, non „ita pridem factum, obſides tradat, amicitiamque, nuper initam, ſanctam & „inviolatam, ex utriuſque gentis commodo, ſervandam curet. Ille de con„tumeliis Legato factis ſe excuſat; ac nolle factum dicere, brevique, quæſtio„ne habita, operam daturum, ut eorum petulantiæ pœna ſit erga gentem „Anglorum ſui ſtudii & voluntatis teſtimonium. Quod ad obſides attinet, „Ego, inquit, nec a volentibus impetrare, nec invitos cogere poſſum: id „genus enim eſt imperium quod gero, ut non minus juris accipiam, quam „dem. Itaque, tanta ſeditione, quantam ipſe vides, a Cardinali excitata, o„mnes meæ rationes conturbatæ ſunt, ut, vi publici furoris abreptus, nihil „de me certi confirmare poſſim.

VII. Jam negatis novis obſidibus, incidit & altera non minor conſultatio, de Nobilibus ante paucos menſes bello captis, qui obſides dederant, ac ſancte promiſerant, ſe, pace, quam Anglus petebat, conditionibus minime iniquis non confecta, redituros. Eos enim factio Cardinalis, reliquuſque ſacerdotum ordo, partim rationibus & exemplis, contendebat, rem, propinquos, liberos, & ſi qua alia hominibus debeant eſſe jucunda, patriæ caritati poſthabenda: partim minas a Gallicis auxiliis, & conjurationem totius Europæ, in majorum ritibus & cærimoniis propugnandis, crimenque proditæ patriæ, & veterum familiarum imminentis interitus intentabant: orabantque, ne tam periculoſo tempore patriam desererent: qua ſalva, liberos & propinquos alios ſperare poſſent; perdita, ſpes reliqui temporis una periret. Multa quoque de inexpiabili harum gentium odio, deque Regis, in cujus poteſtatem venturi erant, crudelitate, vera falſis mixta commemorabantur. Jactabatur etiam decretum concilii Conſtantienſis, quod pacta, contracta, promiſſa, jurata hæreticis, irrita eſſe jubet. Cum major pars eorum, quos ea res attingebat, facile qualemcunque ſuæ culpæ excuſationem acciperent, inventus eſt unus Gilbertus Kennedus Caſſiliſſæ Comes, qui nec pecunia abduci, nec minis depelli, de conſtantia fidei ſervandæ, poſſet. Is, cum binos fratres obſides in Anglia haberet, palam profeſſus eſt; „Se in cuſtodiam rediturum; neque, ullo „metu objecto, commiſſurum, ut ſuam duorum fratrum ſanguine vitam re„dimeret: „[[1] ac] recta Londinum, multis reclamantibus, eſt profectus. Rex & juvenis conſtantiam laudavit, &, ut locum virtuti apud ſe omnes ſcirent, muneribus donatum, una cum fratribus, domum remiſit.

VIII.

1 *Ac recta Londinum*] Particulam [*ac*] ad orationis partes inter ſe rite connectendas neceſſariam, libris licet omnibus invitis, hic inſeruimus.

1 *Non*

VIII. Sed nec placatior erat erga Kennedum Henrici animus, quam erga cæteros Scotos ira implacabilis. Itaque navibus Scotorum, quarum (uti diximus) ſatis magnus numerus in portubus & ſtationibus Anglorum ſtabant, retentis, ſtatim bellum indixit: nec obſcure [1] non modo fœderum, ſed etiam juris

1 *Non modo fœderum*] Imo vero fœdus ab Anglo primum violatum apparet, qui priusquam diploma ab ipſo eſſet ſignatum, aut tradendorum obſidum tempus advenisſet, naves Scoticas diripiendas mandaſſet. Hujus rei luculentum exſtat teſtimonium, Legatio a Gubernatore Scoticæque nobilitatis principibus ad Chriſtianum Daniæ Regem 4 Aprilis 1544 miſſa: cujus idcirco quædam capita, Angli fraudem ac crudelitatem teſtantia, hic libuit exhibere.

„HIS per te [*Legatum* ſcil. *Joannem* „*Haium*] patefactis, recenſebis quemadmodum Anglorum Rex miro artificio „ſollicitaverat illuſtriſſimum noſtrum proximum Regem, ſuum ex ſorore nepotem, „ad prævaricandum vetuſtiſſimam amicitiam; confœderationem & recentem neceſſitudinem Scotorum cum Gallis: quum „vero vafritie quod petebat non poſſet aſſequi, claſſem quadraginta navium ad „vexandam maritimam Scotiæ oram abhinc biennio miſit, ſimulque inſtructiſſimum terreſtrem exercitum quadraginta „millium peditum, quos omnes illuſtriſſimus Rex noſter piæ memoriæ obviam „iens, nullo accepto incommodo, compulit ad. Octobris referre pedem & „flumen Tuedam trajicere.

„His non infeliciter geſtis, circiter finem tunc proximi Novembris illuſtriſſimus noſter Rex præferoci animo miſit „decem ferme millia hominum in occiduas „Angliæ regiones, loco ſane diverſiſſimo „ab illo Angliæ loco, ex quo duobus ante menſibus hoſtes aggreſſi ſunt Scotiam. „In qua quidem populatione nonnulli noſtri nobiles & Barones, minus provide „palantes, ab Anglis ſunt intercepti, & „Londinum ducti: ubi ad proximam Epiphaniam magis honorifice, quam decebat captivos, fuerunt tractati, quum „illuſtriſſimus noſter Rex Decembri illam „Epiphaniam præcedente humanitus e vita exceſſit.

„Cujus mortis tempore, & quindecim „annos ante, Comes Anguſiæ & frater „ejus, principes viri inter Scotos, læſæ „majeſtatis damnati, apud Angliæ Regem toto illo annorum ſpatio exulantes, „honorifice in Scotorum perniciem fuerunt habiti: quos exules cum ſupradictis „captivis nobilibus Rex Anglorum, ſtatim audita noſtri Regis morte, liberos „& bene donatos in Scotiam redire permiſit, promittens ſe cum Scotis initurum pacem: ad cujus conſtantem ob„ſervationem, tam dicti Scoti exules, „quam nobiles captivi, promiſerunt Anglorum Regi ſe curaturos pacta pacis & „leges matrimonii ineundi inter illuſtriſſimam noſtram Reginam, & Eduardum „Valliæ Principem Anglorum Regis primogenitum.

„His noſtrorum captivorum liberationibus ac futuri matrimonii pactis in „Anglia quodammodo formatis, & in „Scotia omnino ignoratis, illuſtris Gubernator in celebri Scotorum omnium „Ordinum conventu ſupradictum Comitem & ejus fratrem, tunc exules, priſtino honorum & dominiorum ſtatui reſtituit.

„Poſt hanc reſtitutionem, hoc Comite „cum fratre & nobilibus captivis in Scotiam reverſo, ſtatim noſtri legati in Angliam de pace & hujuſmodi matrimonio „miſſi ſunt, harum rerum monumentis „& contractibus initio ſequentis Julii confectis, in quibus cavebatur, ut iidem „contractus ante initium tunc proximi „Septembris abſolverentur, ac ſignata „diplomata ultro citroque obligatoria in „argumentum abſolutiſſimæ rei invicem „traderentur.

„Hoc pacto contractibus a noſtris legatis publica auctoritate in Anglia formatis, ipſi in Scotiam reverſi ſignificarunt Gubernatori cæteriſque Scotorum „principibus hanc pacem, non ſolum in „Londini compitis, verum etiam in aliis

juris gentium violatoribus minabatur. Cum in tam præcipiti ſtatu regnum Scotorum ſtaret, tantum abeſt, ut vel cognationis memoria, vel communis patriæ caritas, vel ſalutis publicæ reſpectus, animos permoveret, ut multo acrius ſeditionis faces accenderentur. Factio enim Cardinalis, & Reginæ viduæ quæ omnia trahebat ad Gallos, miſſis ad eos Legatis, oſtendebant, „Niſi quid „in eorum ſubſidiis opis eſſet, nunc in ipſo articulo rem eſſe, ut Scoti & „Angli in unam ditionem coirent: id quam ex uſu [1] terræ Galliæ foret, ali„quot ſeculorum experientia eſſe compertum. Illud autem in primis a Gallis petebant, ut Matthæus Stuartus, Leviniæ Comes, domum ad ſuos remitteretur: ut qui non ſolum Hamiltoniæ familiæ eſſet æmulus, ſed etiam

„Angliæ oppidis, edicto Regio publice
„denunciatam. Quod quum vere factum
„eſſe Gubernator Scotiæ intellexiſſet, id-
„circo & ipſe eandem pacem per Scotiæ
„oppida juſſit pronunciari. Cujus quidem
„pacis confidentia quam plurimæ ſtatim
„onuſtæ naves in Gallias & Flandriam
„navigaturæ ex variis Scotiæ portubus,
„menſe Auguſto, ante dictum Septem-
„brem, publicationem pacis ſequente,
„ſolverunt. Incommodo autem vento in
„varios Angliæ portus ſunt repulſæ. In
„quibus portubus Scoti initio humaniter
„tractati, paullo poſt tamen Anglorum
„Regis juſſu eædem noſtræ naves invaſæ
„ſunt, & merces divenditæ. Nihilominus
„Scotorum Gubernator ad ſtatutum tem-
„pus, hoc eſt, Septembris initium, per
„novos legatos curavit ſolenne hujuſmodi
„pacis & matrimonii diploma Anglorum
„Regi reddendum: ipſe tamen Angliæ
„Rex prorſus renuit ſuum de eiſdem pace
„& matrimonio diploma noſtris legatis
„invicem tradere, juxta præſcriptam
„obligationis formam. Sicque ipſe diri-
„piendo noſtras naves cum mercibus, ac
„renuendo tradere Scotis ſuum diploma
„pacis confirmatorium, renovatam pacem
„apertiſſime violavit.

„Propter pacem hoc modo violatam,
„& quod omnia ſint a Scotis præſtita,
„quæ mutua obligatio requirebat, hujuſ-
„modi contractus de pace deque matrimo-
„nio fuit noviſſimo Decembri illum Se-
„ptembrem ſequente in ſolennibus comi-
„tiis ita reſciſſus & exſtinctus, ut neque
„sereniſſima Regina, neque Gubernator,
„neque ipſi denique Scotorum principes
„ſint ullo pacto ad obſervationem hujuſ-
„modi contractus obligati: eo maxime
„quod ille contractus initus & celebratus
„eſt duntaxat ſpe perpetuæ inter Anglos
„& Scotos futuræ pacis; quæ quidem pax
„vix reviviſcens eſt evidentiſſime ab ipſo
„Anglorum Rege præter æquum & bo-
„num ſuffocata ſtrangulataque: propterea
„quod in Scotorum diſſidiis, quæ ipſe fo-
„vebat, & nunc maxime fovet, multo
„majorem & celeriorem poneret ſpem
„quam in matrimonio, *&c.*

Ab hac rerum narratione non multum diſſentit ipſe Sadlerius; qui Epiſtola ad Regem Angliæ, 24 Sept. 1543 ſcripta, ſe narrat a Regina, Prorege, Cardinale, Scoticæque Nobilitatis Principibus appellatum, interrogatumque quæ cauſſæ herum ſuum ad naves Scoticas intercipiendas impuliſſent, non alias præter has duas proferre potuiſſe: primum, quod iis navibus piſces, aliaque mercimonia apud Scotos provenientia, ad Gallos, antiquos Anglorum hoſtes, deveherentur. Deinde, quod nonnulli e nautis Proregem aliosque e Nobilitate Scotica conviciis ac maledictis proſcidiſſent. Quam autem injuſtus Anglo fuerit primus prætextus, vel ipſe Sadlerius oſtendit, qui, licet in id totis viribus ab initio incubuerat, nunquam tamen hanc ſe pacis legem a Scotis extorquere potuiſſe, ut communes cum Anglis amicos hoſteſque haberent, aut, quod eodem redibat, ut Gallico fœderi renuntiarent, non una Epiſtola teſtatur. Alterius autem prætextus tam aperte ſe prodit futilitas, ut, qui eam monſtrare velit, ineptire videatur.

1 *Terræ Galliæ*] Vide ſupra ad I. 46.

2 *Ma-*

etiam, patre ad Limnuchum ab eis cæſo, capitalis inimicus. Huic juveni, præter, in ipſo juventæ flore, formam egregiam, & corporis dignitatem, conciliabat omnium animos patris, hominis maxime popularis, memoria, & ſolitudo, & pericula familiæ clariſſimæ jam ad paucos redactæ, multæ domi clientelæ, magnæ familiæ propinquitatibus conjunctæ. Ad id, proximi Regis judicium, qui, ſi abſque [1] maſcula ſtirpe liberûm decederet, hunc ſibi hæredem & ſucceſſorem deſtinabat: eamque voluntatem, ſi diutius vixiſſet, conventus publici (penes quem eſt omnium rerum ſumma poteſtas) decreto confirmaturus credebatur. Neque deerant adulatores, qui animum, generoſum quidem, & magnarum rerum exſpectatione jam erectum, ſed adverſus fraudes incautum, ad ſpes ampliores excitarent. Præter enim ſummum, in annos prope viginti proximos, imperium, & in veteres inimicos dominationem, etiam Reginæ viduæ nuptias ſpondebant: & ſi quid humanitus interea puellæ, penes quam tum Regium nomen erat, accideret, eum haud dubie Regem futurum: nec Regem modo, ſed & Jacobi Hamiltonii proxime defuncti [2] legitimum hæredem, [3] quando Prorex nothus eſſet, ac non modo regni, ſed ne ſuæ quidem familiæ hæreditatem jure poſſet ſperare. Accedebant Franciſci Regis Francorum adhortationes, & ſpes oſtentata, & auxilia in tempore promiſſa. His rebus cum ſimplex & credulus juvenis animus facile impelleretur, profectionem in Scotiam adornat.

IX. Horum tum nihil cum Hamiltonius ignoraret, ut & ipſe ſuæ parti vires adjiceret, de conſilio, quibus maxime fidebat, amicorum, [4] ſtatuit Reginam, quæ adhuc in matris poteſtate erat, e Limnucho tollere: ea enim ad ſe traducta, non modo Regii nominis umbram, quæ plurimum apud multitudi-

1 *Maſcula ſtirpe liberûm*] Ita omnes libri, etiam Elzev. 1668, & Moſm. 1700. Vide ſupra ad XIV. 46.

2 *Legitimum hæredem*] Ejus enim pater Joannes Leviniæ Comes filius erat Elizabethæ Hamiltoniæ Proregis amitæ, quæ & Mariæ Stuartæ Jacobi III. Regis ſororis filia fuit. *Geo. Crafordius Ibid.* pag. 192. & 260. Hanc Buchananus XIII. Cap. 9. *Margaritam*, Balfurius vero Geneal. pag. 92. *Mariam* appellat.

3 *Quando Prorex nothus eſſet*] Hæc calumnia inde orta eſt, quod Jacobus Hamiltonius, Proregis pater, tres uxores habuerit, quarum prima erat Beatrix Drummondiæ Reguli filia, qua defuncta Elizabetham Humiam Alexandri Humii ſororem, [Vide XIV. Cap. 5.] ſibi copulavit. Eaque non multo poſt repudiata, uxorem demum duxit Jonetam Betoniam, Roberti Leviſtonii viduam, eandemque amitam Cardinalis, ex quo matrimonio Jacobus Scotiæ Prorex eſt genitus. Hæc autem divortii cum ſecunda uxore faciendi a Patricio Coventrio aliiſque ad id delegatis judicibus juſtiſſima cauſſa aſſignabatur, quod ea primitus Thomæ Hajo, qui nondum e vivis exceſſiſſet, nupta fuerat. Vide Geo. Crafordium Nobil. Scot. pag. 192. Huc adde trium regni Ordinum decretum, 3 Martii $154\frac{2}{3}$ quo Jacobus Araniæ Comes legitimus regni Tutor, proximuſque poſt Mariam Reginam ejuſque ſobolem imperii Scotici hæres declaratur. Vid. omnino Burneti Hiſt. Reform. Ang. vol. 1. pag. 324.

4 *Statuit Reginam ——— e Limnucho tollere*] Imo vero Sadlerius Angli Legatus (uti ex ipſius literis patet) obnixe apud Proregem contendebat, ut Regina e Limnucho aut in Tentallonem Anguſii arcem, aut in arcem Edimburgenſem deveheretur.

1 *Obla-*

tudinem valet, ſe penes fore: ſed puellæ collocandæ, atque etiam regni quo vellet transferendi, ſe arbitrum futurum. Id ſi conſecutus fuerit, tum Anglum pollicitationibus duci; vel, ſi neceſſe ſit, partibus adjungi poſſe. Hoc conſilium cum ſummopere placuiſſet, ut in civilibus diſſenſionibus, exploratoribus omnia utrinque obſervantibus, nihil occulti eſſe poteſt, ad Cardinalem ſtatim eſt delatum. Is, coactis quos ſibi e Nobilitate pecunia conciliaverat, Limnuchum venit, ac, magno cum civium damno, dies aliquot Reginæ præſidio fuit.

X. Interea Levinius e Gallia appulit, & amice Prorege ſalutato, diſſimulatis utrinque odiis, Limnuchum contendit. Ibi convento Cardinale, domum ſuam profectus, in concilio amicorum longo ſermone explicavit, „A quibus arceſ„ſitus, cujus juſſu, qua ſpe fretus, quibus conditionibus veniſſet: nec ſum„mum magiſtratum modo, ſed nuptias Reginæ viduæ ab ipſa factioniſque prin„cipibus [1] oblatas. Ab Rege Gallorum, ad hæc perficiunda, favorem opeſque, &, ſicubi opus eſſet, auxilia ſperare juſſum. Cunctis aſſentientibus, atque adhortantibus ne fortunæ ſeſe offerenti deeſſet, plus minus quatuor millibus hominum comitatus, ad Reginam venit. Hamiltonius, qui, delectu habito, congregatiſque Edimburgum amicis, ad Reginam perrumpere decreverat, jam ſe viribus inferiorem cernens, ex amicorum conſilio, & ſuo ingenio ad concordiam propenſior, de pacis conditionibus tractare cœpit. Miſſis ab utroque ſummæ prudentiæ viris, ad Liſtonem, vicum medio fere inter Edimburgum & Limnuchum ſpatio, in has conditiones conventum eſt, ut Regina Sterlinum traduceretur: educationi ejus qui præeſſent, quatuor primi ordinis proceres eligerentur, qui neutri ſe factioni implicuiſſent. [2] Nominati Gulielmus Gramus, Joannes Areskinus, Joannes Lindeſius, & Gulielmus Leviſtonius, viri clari, & illuſtrium familiarum principes. Hi, ex communi partium decreto, Regina accepta, viam, quæ Sterlinum fert, ingreſſi ſunt, ſtante ſub armis cum ſuis Levinio, donec extra periculum a factione adverſa eſſet perventum: nec multo poſt, peractis conſuetis cærimoniis, acceptiſque imperii inſignibus, [3] ad XII. Cal. Septemb. Sterlini regnum iniit.

XI. Prorex autem, cum nec favore vulgi, [4] ob inconſtantiam a ſe alienati, nec viribus, ſe parem adverſæ factioni videret, & ipſe per occulta colloquia [5] cum Cardinale tractare cœpit: & Cardinalis, qui per matrem Proregi genere propin-

1 *Oblatas*] Ita jubente Crafordio reſcripſimus, pro quo libris omnibus irrepſit [*ablatas.*]

2 *Nominati Gulielmus Gramus*] Leſlæus ejus cuſtodiæ appoſitos tradit Dominos Leviſtonium, Areskinum, Flaminium & Ruvenum.

3 *Ad* 12. *Cal. Septemb.*] *i. e.* 21 *Auguſti* 1543. Errat procul dubio hic Buchananus: ex Rad. Sadlerii enim Epiſtolis pag. 253, 255, & 257. liquido conſtat Mariam coronatam fuiſſe 9. *Sept. die Dominico* 1543.

4 *Ob inconſtantiam a ſe alienati*] Non ob Proregis inconſtantiam, quæ nulla huc uſque erat, ſed quod Angli partibus addictior ille videretur, alienatum ab eo eſt vulgi ſtudium, id quod Sadlerius non uno in loco clariſſime oſtendit.

5 *Cum Cardinale*] Has voces, ab omnibus editis omiſſas, e MS. reſtituimus, quippe quas ad ſententiam plenam ac perſpicuam reddendam neceſſarias exiſtimavimus.

propinquus erat, eum, terrore injecto, potius ad ſe traducere, quam vi armorum opprimere volebat. Igitur cum eum, parte procerum largitionibus ante detracta, domi infirmiorem, & Anglis viliorem reddidiſſet, & ad conſentiendum iniquo fœderi coëgiſſet, per familiares, apud quos pecunia, quam honeſti ſtudium, erat potentior, Sterlinum perduxit: atque, ut infamia flagitii minueretur ad vulgus, non propalam, ſed in æde Franciſcanorum, præſente Regina vidua, & aulicorum primoribus, ſententiam ſuam de religionis capitibus controverſis Prorex mutavit, ac, metu litis de fortunis omnibus intentatæ, ſe ita Cardinali reddidit obſequentem, ut de imperio ſolam auctoritatis umbram retineret.

XII. Hoc modo Cardinalis, quod ſuppoſito falſo teſtamento petierat, Proregis ignavia, & propinquorum ejus avaritia, eſt conſecutus, ut omnibus regni commodis frueretur, & invidia careret. Id unum ad ſtabiliendam potentiam reſtare videbatur, ut Levinium, moleſtum conſiliorum ſuorum interturbatorem, abigeret. Tandem cum Cardinale Regina vidua hunc ordinem rei gerendæ conſtituit, ut interim, dum reſponſum a Rege Gallorum exſpectatur, ipſa juvenis animum ſuſpenſum, ſpe nuptiarum injecta, teneat. Scripſerant autem de Levinio ad Gallum honorifice: neque enim negare poterant, ejus maxime, ſecundum Deum, opera, ſe in libertatem vindicatos. Nunc, Regis liberalitate & ſubſidio, rebus in Scotia tranquillis, eum orant; „Ut „ſuum beneficium tueatur, ac pacem a ſe præſtitam, revocato Levinio, con„firmet: neque enim aliter res diu fore pacatas, ſine factionis alterius pernicie. Hæc occulte adverſus Levinium tentabantur. Ipſe interim variis ducebatur artibus, ab Regina vidua & Cardinale. Aula, in luxum & laſciviam ſoluta, ludis & conviviis indulgebat: dies equeſtrium certaminum ſimulacris, nox perſonatis ſaltationibus ſtrepebat. In hæc cum Levinius & natura proclivis, & aulæ Gallicæ conſuetudine exercitatus eſſet, acceſſit æmulus, [1] Jacobus Heburnus Comes Bothueliæ, qui animum, quamvis languentem, exſtimularet. Is enim ab Jacobo Quinto relegatus, ac ſtatim, eo mortuo, domum reverſus, eiſdem artibus Reginæ viduæ nuptias ambiebat: & eminebant in utroque [2] naturæ & fortunæ dotes, magis ſimiles quam æquales. Itaque, cum Bothuelius, cætera pene par, in omni autem certamine & armorum ludicra meditatione eſſet inferior, aula relicta, domum conceſſit.

XIII. Levinius, æmulo remoto, cum cætera facilia & prona exiſtimaret, ac promiſſa Reginæ & Cardinalis repræſentari vehementius poſtularet, intellexit

1 *Jacobus Heburnus*] Tho. Crafordius legendum jubet *Patricius*: alter tamen Crafordius Nobil. Scot. pag. 44. *Patricium* Jacobi patrem exſtinctum tradit anno 1537, quod mihi neutiquam veriſimile videtur. Eo enim pacto idem Bothueliæ Comes Reginæ viduæ nuptias ambiebat, qui poſtea filiam duxit uxorem Tho. Crafordii autem ſententiam confirmant Acta publica, in quibus *Patricius* Bothueliæ Comes 6. Novemb 1544. læſæ majeſtatis reus peragitur, quo crimine trium Ordinum ſententia 12 Decembris ſequentis purgatur.

2 *Naturæ & fortunæ dotes*] Ita MS. quod & potius videtur quam quod libri editi exhibent *natura & fortunæ dotes*.

lexit demum, ſe, fraude circumventum, ludibrio haberi: inimicum ſuum Hamiltonium, per eos ad opes, auctoritatem, & in omnium vitam & fortunas poteſtatem, promoveri. Juvenis, malarum artium inſolens, & qui aliorum ingenia de ſuo æſtimaret, ita ira exarſit, ut nec verborum acerbitate abſtineret: ac ſancte juraret, „Se inopiam, exilium, mortem, denique po„tius quidvis perpeſſurum, quam ut tantam contumeliam inultam relinqueret. Itaque cum totus in vindictæ cogitatione, ſed conſilii adhuc dubius, Britannodunum ſe removiſſet, ibi ad eum deferuntur triginta ſcutatorum millia, a Rege Gallorum (nondum enim certo compererat, quo in ſtatu Scotorum res eſſet) miſſa, ut hac pecunia vires factionis augeret. Ea res ægrum animum aliqua ex parte erexit, quod a Rege Gallo ſe nondum deſertum crederet. Cum autem, in pecunia diſtribuenda, juberetur uti Reginæ viduæ & Cardinalis conſilio, partim ipſe ſuis amicis diviſit, partim ad Reginam miſit. Cardinalis, qui totam eam prædam ſpe devoraverat, & hoc lucro ſe fraudatum, & ignominia affectum, graviter ferens, Proregi auctor fuit, ut, exercitu ſtatim comparato, Glaſcuam proficiſceretur: non dubius, & Levinium, & pecuniam ibi pariter opprimi poſſe. Eorum conſilio ad Levinium perlato, ille ex amicis & clientibus brevi ſupra decem millia hominum coëgit. Hanc autem ut multitudinem facilius conficeret, multum juvit procerum quorundam indignatio, qui ab initio, & religionis ſtudio, & Cardinalis odio, Proregem ad ſummum honorem evexerant, ac tum priorem benevolentiam in odium commutaverant, quod ille, amicis optime meritis non modo inconſultis, ſed, quod in ipſo erat, proditis, hoſti immaniſſimo ſe & illos in ſervitutem dediſſet. Itaque hic animorum habitus, novam, & vix credibilem, rerum Scoticarum fecit mutationem, ut, prope integris partium viribus, duces modo alii accederent: Hamiltonio, cum propinquis, ad Cardinalem & Reginam viduam adjunctis: ejus autem prioribus amicis ſe Livinio aggregantibus. Cum eis ergo copiis repente coactis, Levinius Letham venit: miſitque Edimburgum ad Cardinalem, qui denunciarent; „Nihil opus eſſe, ut ſe Glaſcuam „oppugnatum venirent: ſe enim, primo quoque die, ſui copiam in campis, „qui Letham Edimburgumque interjacerent, facturum.

XIV. Cardinalis, qui, Prorege in ſuas partes tracto, adverſæ factionis opes & animos fractos rebatur, neque quenquam fore ſperabat, qui ſecum acie congredi auderet, cum ſe, præter opinionem, viribus inferiorem cerneret, conflictum quidem verbo non recuſabat, ſed rem de die in diem, variis moræ cauſſis interpoſitis, differebat: gnarus interim, Levinium non poſſe diu voluntariorum exercitum, ſine ſtipendiis aut commeatu in longum tempus proviſo, continere, aſſidue precibus & pollicitationibus eorum, quos idoneos putabat, animos tentabat, ſi quos ad ſe traducere poſſet. Levinius, cum hoſtem ducere bellum videret, nec ulla ratione prælio rem commiſſurum, ſeque ad obſidionem omnibus rebus neceſſariis imparatum, præterea colloquiis nocturnis quoſdam ſuorum cum hoſte jam tranſegiſſe, ut ſe ex iis anguſtiis quamprimum explicaret, amicis, qui jam ſibi occulte proſpexerant, urgentibus, paciſci cum Prorege fuit coactus. Itaque Edimburgum ad eum profectus eſt, atque aliquot

dies

dies ibi, tanquam odiorum veterum obliti, una tranſegerunt. Tandem ubi Limnuchum eſt ventum, hîc Levinius, per amicos admonitus, ſibi occultas parari inſidias, Glaſcuam de nocte clam ſe contulit, arceque Epiſcopali commeatibus & præſidio, quantum ſatis videbatur, communita, Britannodunum conceſſit. Illic magis dilucide cognoſcit, Duglaſſios cum Hamiltoniis conveniſſe: &, quia ex priſtinis ſimultatibus ſuſpiciones inter factiones adhuc reliquæ erant, Georgium Duglaſſium, & Alexandrum Cunigamium, alterum pro patre, alterum pro fratre, obſides datos. Id quidem quanquam in ſpeciem & firmioris concordiæ ſimulationem factum fuiſſet, promiſſumque foret, eos intra paucos dies liberatum iri, tamen uſque ad Anglici exercitus adventum detenti fuerunt, Hamiltoniis nunquam ſecuris, donec proceribus, in quibus aliquid animi aut virium eſſet, ſublatis, eorum ſupplicii terrore cæteros a tumultuando compeſcerent. Præter hæc, circa idem tempus, fit certior Levinius, Franciſcum Regem inimicorum calumniis eſſe alienatum. Interea Glaſcuam venerunt Archibaldus Duglaſſius Anguſiæ Comes, & Robertus Maxuallius clariſſimæ familiæ princeps, ad controverſias (ſi fieri poſſet) inter Proregem & Levinium ſedandas. Sed, qui Proregi erant a conſiliis, perſuaſerunt, uti ipſi pacis interpretes retinerentur. Itaque per poſticum ædium, ne quis tumultus in oppido fieret, educti, in cuſtodiam ad arcem Hamiltonium mittuntur.

XV. Hoc ſtatu rerum in Scotia, nec Anglis, quam Scotorum præſtantiſſimis, Proregi infenſioribus, Henrico Regi viſa eſt occaſio, non modo fœderis, ſed juris gentium violati pœnas expetendi: ac priuſquam vi & armis quicquam attentaret, literas minarum & juſtæ querelæ plenas ad Edimburgenſes miſit, jure increpans; „ Quod amicitiam ſuam, qua facile carere non poſſent, „ oblatam, adeo arroganter rejeciſſent: nec rejeciſſent modo, ſed beneficiis „ provocati, belli ſemina ſpargerent, & ipſum invitum ad arma cogerent. His literis cum nihil profeciſſet, magnas navales copias, quas tum in armis habebat, in Morinos primo quoque tempore trajecturas, in Scotiam vela facere juſſit: ac Edimburgum & Letham (quæ oppida præcipue Legato ejus inſultaverant) & regiones circumcirca omnibus belli malis affligere. Naves eo delatæ, paullo ſupra Letham, peditum decem millia quarto die Maji expoſuerunt, ac nullo repugnante (cives enim, negotiandi cauſſa, plerique omnes aberant) oppido potiuntur. Prorex & Cardinalis, qui tum Edimburgi erant, cum, ab omnibus rebus imparati, omnia circumſpicerent, tantus eos repente terror invaſit, ut quatuor illos viros, genere & factis nobiliſſimos (quorum ante meminimus) captivos e cuſtodiis eduxerint, nullo certe incolumitatis publicæ reſpectu, ſed ſimul veriti, ne propinqui & clientes eorum aut militiam recuſarent, aut ſe cum hoſte conjungerent, ſimul ut populi, multis de cauſſis a ſe alienati, benevolentiam redimerent: ipſi autem, & civium & hoſtium pari odio ſe committere non auſi, [1] Limnuchum profugerunt. Angli, Lethæ tridum morati, dum impedimenta machinaſque exponunt, ſeſe ad congrediendum parant: aliarum autem rerum cura expediti, Edimburgum ducunt: &, urbe ſpoliata, ac deinde

1 *Limnuchum profugerunt*] MS. [*profugiunt*] editi libri [*perfugerunt.*]

inde incenſa, ad vicinas circa regiones depopulandas diſperſi, multos pagos, arceſque nonnullas, & villas hominum nobilium ferro flammaque [1] evaſtarunt. Edimburgo dein Letham reverſi, ac ſecundam tempeſtatem nacti, ignibus in ædificia immiſſis, naves ſolverunt.

XVI. [2] Per id tempus Levinius certior eſt factus, calumniis inimicorum Regem Franciſcum eſſe penitus alienatum: frequentibus enim literis & nunciis, adverſa factio Gallo perſuaſerat; „Unum eſſe Levinium, qui, ob veteres cum „paternis hoſtibus inimicitias, publicam Scotorum concordiam remoraretur: „eum eſſe caput factionis, Proregi adverſantis, & Anglis amicæ: & qui pri- „vatis magis indulgeret odiis, quam cauſſæ communi faveret. Eum ſi Rex in „Galliam revocaret, inter cæteros facile pacem coituram. Hæc cum Levinius de ſe ab inimicis ad Regem delata, ex amicis reſciſſet, ſcripſit & ipſe ad eundem; „Quo in ſtatu rem Scoticam comperiſſet: quanto ſuo & amicorum la- „bore, utramque Reginam vindicaſſet in libertatem, eaſque rerum potentes „feciſſet, fracta partium adverſarum potentia, atque e turbulentiſſima tempe- „ſtate rem in ſummam tranquillitatem reſtituiſſet. Nec ſibi quicquam fore gra- „tius, quam in Galliam, in qua prope diutius quam in Scotia vixiſſet, redire, „hominumque cariſſimorum ſuaviſſima conſuetudine frui. Verum, ſe, non ſua „ſponte, ſed Regis miſſu, in patriam reverſum, nec quicquam ibi geſſiſſe, „cujus aut ipſum aut Regem pœnitere debeat. Quod ſi favore priſtino non „deſtituatur, ſe brevi facturum, ut non modo ſpem de ſe conceptam æquet, „ſed etiam ſuperet: ſin in medio rerum curſu nunc revocetur, non ſolùm res „præclare inchoatas ſe relicturum imperfectas, ſed amicos, propinquos & „clientes, quos ad cauſſam publicam ſuſcipiendam impulerit, & ſumtu & la- „boribus pene afflixerit, in ſervitutem & cruciatum crudeli & impio tyranno „traditurum: qui, quantum in ſe erat, Reginam & regnum hoſtibus venum „dederit: pacta & promiſſa cum hominibus nihilo ſanctius obſervet, quam „pietatis adverſus Deum cultum; quem, intra paucos annos, jam tertium „mutavit. Nec id in eo mirandum, qui promiſſa & jurata, non fidei firman- „dæ vincula, ſed [3] perfidiæ occultandæ latibula, exiſtimaret. Illud autem ſe „magnopere optare, ut Regia majeſtas, & qui a conſiliis ſunt, cogitent, „utri potius fides in re tanta ſit habenda: eine, cujus omnes majores, ſe, „ſuam vitam, opes, honores ad ejus amplitudinis emolumenta contulerint, „& multis beneficiis, non tam laborum præmiis, quam bene promeritorum „teſtimoniis, aucti, cumulati & honorati [4] fuerint, quam homini, ad omnem „leviſſimi rumoris auram inimicos amicoſque mutanti, & a ſolius fortunæ ar- „bitrio pendenti.

XVII.

1 *Evaſtarunt*] MS. *vaſtarunt.*

2 *Per idem tempus Levinius certior eſt factus, calumniis inimicorum*] Idem ſuperius dixerat, Cap. 14. Calumnias autem illas non falſas fuiſſe oſtendit Sadlerius, qui Levinium diu antea ad Anglicam factionem defeciſſe commonſtrat.

3 *Perfidiæ occultandæ latibula*] MS. *perfidiæ occultandæ inſtrumenta.*

4 *Fuerint*] Ita legendum perſuadet paullo ante in eadem ſententia vox [*contulerint*:] libris tamen omnibus [*fuerunt*] legitur.

1 *Vera*

XVII. Hæc quanquam plurimi [1] vera non ignorarent, tamen Gallus a Guſiis, Reginæ viduæ patre & patruo, omnibus in rebus ejus opes & auctoritatem augentibus, obſeſſus, adverſus Levinii deprecationem aures animumque ita obfirmarat, ut Joannem Cambellum, [2] hominem claro loco natum, & ſpectatæ fidei, ab eo miſſum, nec audire, nec omnino in ſuum conſpectum venire pateretur, ac prope in cuſtodia habuerit, obſervarique juſſerit, ne conſilia, quæ in aula Gallica agitabantur, ad ſuos perſcriberet. Nec defuerunt tamen, qui omnia efferrent. Hæc cum ad Levinium perlata fuiſſent, pudor ſimul & ira in diverſas cogitationes ægrum animum rapiebant. Pudebat irrito incepto diſcedere: multo etiam magis, quod amicis & propinquis, quorum omnes fortunas in diſcrimen ſecum traxerat, niſi ſola morte ſatisfacere ſe poſſe non arbitraretur. Cæteris iraſcebatur, ac in primis Reginæ viduæ & Cardinali, quorum perfidioſo ludibrio in has anguſtias erat conjectus: ſed maxime omnium, de Rege Galliarum querebatur, qui in arenam deductum, in ipſo rerum ſecundarum curſu, deſtituit, & ſe inimicis conjunxit.

XVIII. Cum in hac inopia conſilii fluctuaret, ad eum affertur, omnes citra Grampium montem habitantes, qui arma ferre poſſent, edicto juſſos ad certum diem Sterlinum adeſſe, ac, decem dierum commeatu parato, quo Prorex duceret, ſequi. Nec minus impigre rumorem res conſecuta eſt. Prorex enim, exercitu ad diem dictum confecto, Glaſcuam ducit. Ibi cum arcem, decem dies obſeſſam, æneis tormentis [3] fruſtra converberaſſet, tandem, induciis in unum diem factis, & cuſtodibus per colloquia tentatis, incolumitate præ-

1 *Vera non ignorarent*] Imo vero magna ex parte falſa oſtendunt Leſlæus & Sadlerius: quin & ipſe Buchananus, quem hic Levinius crudelem & impium tyrannum traducit, XV. 1. hominem laudat ob *minime turbidum, & ad quietem pronum ingenium.* Iniquiſſime autem hic ei a Buchanano exprobratur, quod Prorex quantum in ſe eſſet, Reginam & regnum hoſtibus venum dediſſet, qui Cap. 8. huj. lib graviſſime queritur, *neque cognationis memoriam, nec communis patriæ caritatem, vel ſalutis publicæ reſpectum*, animos alterius factionis permovere potuiſſe, ut, Regina Angli filio collocata, bellum jam ſibi indictum amolirentur. Initio quidem Prorex amicitiæ Anglicæ ſtudebat; verum cum, captis pacis tempore ſuorum navibus, nihil minus Anglum agitare perſpiceret, quam ut ne ea amicitia æquis & honeſtis utrinque legibus coiret, tum demum, ut liberi regni Tutorem decebat, ad veteres Scotorum amicos ſe adjunxit, a quibus Levinius eodem fere tempore defecit, nulla ex parte Proregis injuria provocatus, niſi injuriam appellare velis, quod Prorex non modo regni tutela, ſed ſuo ipſius patrimonio abdicato, ſe in inimici infenſiſſimi ſervitutem tradere nollet. Quænam vero ſunt illa pacta a Prorege promiſſa & jurata? An Reginæ cum Angli filio nuptias intelligit? At eas ut impediret miſſus eſt a Gallo Levinius. An ut magiſtratu fortuniſque ſuis omnibus in Levinii gratiam cederet? Hoc quidem ſi rebus ſuis integris promiſit, dignus omnino erat non modo ea, qua toties eum Buchananus aſpergit, ſocordiæ nota, ſed qui generis ſui dehoneſtamentum in ultimas mundi oras deportaretur.

2 *Hominem claro loco natum & ſpectatæ fidei*] Has voces [*claro loco natum*] e MS. repoſuimus; quas, licet in omnibus libris deſideratas, copula [*&*] omnino requirere videtur. Id ipſum perſpexit Crafordius, qui *hominem nobilem & ſpectatæ fidei* legendum cenſet.

3 *Fruſtra converberaſſet*] Editi omnes particulam [*fruſtra*] ad ſequentem clauſulam male rejiciunt.

 1 *Unum*

præſidiariis promiſſa, arx dedita eſt: in omnes tamen præter [1] unum & alterum eſt ſævitum.

XIX. Levinius interea, deſertus a Gallo, omniſque alterius auxilii ſpe præciſa, per amicos Angli erga ſe animum explorat. In Anglia, omnibus ex ſententia ſuccedentibus, cum eo proficiſci ſtatuiſſet, cuperetque Hamiltonios ante ſuum diſceſſum inſigni aliqua clade afficere, ea de re conſilio cum Gulielmo Glencarniæ Comite habito, dies dicitur, quo die Glaſcuam cum amicis & clientibus [2] convenirent, atque inde in regionem Glottianam, [3] quam ſoli Hamiltonii tenebant, impetum facerent. Re ad Proregem delata, optimum viſum eſt, Glaſcuam occupare, & locum conveniendi hoſtibus præripere. Sed jam cum magna ſuorum parte Cunigamius in oppidum receptus, Levinii adventum exſpectabat. Verum, audito Hamiltoniorum acceſſu & conſilio, in campum propinquum progreſſus, pro copia præſente aciem inſtruxit: ac circiter octingentis, partim e ſuis, partim oppidanis civibus, in cauſſam pronis, comitatus, majore animo quam viribus, manum acriter cum hoſte conſeruit: primamque eorum aciem, captis tormentis æneis, quæ ſecum advexerant, in ſecundam impegit. Ibi cum circa Proregem pugnaretur, reſque eſſet in magno diſcrimine, ſubito Robertus Bodius, vir clarus ac ſtrenuus, ex itinere cum parva equitum manu in confertiſſimam pugnam invectus, majorem quidem quam pro multitudine tumultum & trepidationem fecit; utraque enim acies magna ſubſidia Hamiltoniis veniſſe credebat. Is error fortunam pugnæ ſtatim commutavit, dum alteri ſuas, alteri hoſtium copias auctas exiſtimant. Occiſi ex utraque acie circiter trecenti: major pars Cunigamiorum fuit, & in iis duo Comitis filii, viri fortiſſimi. Nec incruenta fuit Hamiltoniis victoria: nam & apud eos aliquot viri inſignes deſiderati ſunt. In Glaſcuenſes graviſſime clades incubuit. Hoſtes enim, non contenti civium cæſorum ſanguine, & ſuperſtitum miſeriis, & ſupellectilis direptione, [4] etiam valvas oſtiorum & feneſtrarum, [5] clathroſque ferreos abſtulerunt, neque ullum genus calamitatis omiſerunt, niſi quod tectis, ſpoliando laceris & deformatis, ignem non ſubjecerunt.

XX. Hujus pugnæ fortuna magnam animorum commutationem fecit: adeo ut amici & propinqui Levinii iterum rem aleæ certaminis committere recuſarent, non tam quod hoſtium opes auctas, & ſuas imminutas, viderent, nec quod, amiſſis viris fortiſſimis, e locis longinquis copias novas non tam celeriter cogere poſſent, quam quod Hamiltonium, ſub cujus imperium ſe mox venturos proſpiciebant, gravius nimia pertinacia offendere, & novam ſæviendi cauſſam præbere, nollent. Levinius, a Gallis & majore Scotorum parte deſti-

1 *Unum & alterum*] MS. editi codices [*unum & alium.*]

2 *Convenirent*] Ita MS. aliis tamen [*conveniret*] legitur, licet mox [*impetum facerent*] ſcribatur.

3 *Quam ſoli Hamiltonii tenebant*] Crafordius nec præter rationem legendum exiſtimat *Hamiltoniani.*

4 *Etiam valvas*] Ita MS. cæteri [*& valvas*] minus recte.

5 *Clathroſque ferreos*] Ita emendavimus pro *Clathras*, cujus vocis eo genere apud Latinos, quod ſciam, nullus eſt uſus.

1 *Pre-*

deſtitutus, arci Britannodunio cuſtodem Georgium Sterlinum dedit: ipſe cum paucis in Angliam navigavit, fruſtra conſulentibus amicorum præcipuis, ut in arce inexpugnabili aliquot menſibus ſe contineret, ac novam rerum (quam brevi futuram non dubitabant) mutationem opperiretur. Ille, certus propoſiti quod intenderat, in Angliam profectus, a Rege fuit ſuſceptus honorifice: qui, [1] præter aliam munificentiam, Margaritam Duglaſſiam ei dedit uxorem. Ea erat Jacobi Scotorum Regis proximi ſoror, ex [2] Comite Anguſiæ & Henrici Regis Anglorum ſorore nata, puella in ætatis flore, ſumma forma & elegantia prædita.

XXI. Interea Scoticam factionem, quæ diſceſſu Levinii ſine duce relicta erat, & [3] obſtinate recuſabat, ne in Hamiltonii (cujus levitatem ante cognoverat, & ſævitiam timebat) poteſtatem veniret, Regina vidua in ſuam fidem recepit: metuens videlicet, ne quid, ex rebus adhuc turbidis ferox, per deſperationem moliretur. Hamiltonii, tam potentis inimici diſceſſu læti, nondum autem pœna ſatiati, nimium intemperanter rebus ſecundis uſi ſunt: ipſum enim & amicos, in proximo conventu Limnuchi, damnarunt, &, bonis in fiſcum redactis, exilio vertere ſolum coëgerunt. Ex eorum multa, ſe ſuaſque res a fiſco redimentium, magna conflata fuit pecunia, ſed non ſine maxima invidia, & omnium bonorum offenſione graviſſima.

XXII. Inter has ſeditiones domeſticas, Angli Scotiam ingreſſi, Jedburgum, Calſonem, & regiones circumjectas, ferro flammaque vaſtantes, late ſolitudines fecerunt. Inde ad Coldingamiam progreſſi, templum templique turrim pro tempore operibus munierunt, ac præſidio ibi relicto diſceſſerunt. Præſidiarii, partim prædæ aviditate, partim ne commeatum obſeſſuris hoſtibus ſuppeditaret ager vicinus, effuſas populationes fecerunt. Qui rei Scoticæ præerant, Regina vidua, Cardinalis & Prorex, advocato concilio, edixerunt, ut Nobiles, & e reliqua multitudine potentiores armati adeſſent, quo Prorex duceret ſecuturi; ſecumque octo dierum commeatum afferrent. Brevi ſupra octo millia convenere, & aſperrima hieme, cum turrim ædis ſacræ machinis verberaſſent, totum diem noctemque illam cum maxima hominum & equorum fatigatione in armis ſteterunt. Poſtridie Prorex, ſive ſuam in labore militari ferendo mollitiem accuſans, ſive vero hoſtilem incurſionem formidans, (erat enim de adventu Anglorum e Bervico urbe propinqua certior factus) cæteris pro-

1 *Præter aliam munificentiam*] At oblitus eſt leges adjicere ei ab Anglo dictas; Ut nimirum in Angli verba adverſus omnes mortales juraret, ut arcem Britannoduni Botæque inſulam ei traderet, ut Scotiæ Prorex ab ipſo conſtitutus omnia quæ majoris eſſent momenti ex illius nutu gereret. Quibus conditionibus, ejus nomine a Gul. Glencarniæ Comite, ipſiuſque fratre Roberto Cathaneſiæ Epiſcopo 17 Maji initis, ipſe Levinius 26 proximi Junii anno 1544 ſubſcripſit. Hujus Conventionis exemplar exſtat in libro, cui titulus eſt *Tractatus Scotici*, in Bibl. Jurid. Edimb. Herberti Hiſt. Henrici VIII. pag. 243. in primis vero Fœd. Angl. Tom. xv. pag. 22, 28, 29, 37, & 38.

2 *Comite Anguſiæ*] Ita MS. cæteris inepte [*Anguſii*] legitur.

3 *Obſtinate recuſabat, ne in Hamiltonii poteſtatem veniret*] Melius forte, *Recuſabat in Hamiltonii poteſtatem venire.*

1 *Quan-*

proceribus ignaris, ac paucis ſuorum comitantibus, [1] quantum equi contendere curſu poterant, Dumbarum ſe recepit. Qui hujus fugæ turpitudinem excuſare conabantur, ajebant, [2] eum timuiſſe, ne a ſuo exercitu, propter odia ex multis offenſionibus collecta, Anglis proderetur. Ejus diſceſſus magnam in exercitu fecit perturbationem: eoque etiam graviorem, quod, quanto cauſſa fugæ erat obſcurior, eo majores timendi cauſſas multi in animo ſibi proponebant. Itaque, pluribus in ea ſententia obſtinatis, ut, qua cuique proximum erat, machinis relictis, [3] domum properarent; aliis, qui magis providi, & minus formidoloſi videri vellent, conſulentibus, ut eas, ne uſui eſſe poſſent hoſtibus, pulvere gravius oneratas dirumperent: Archibaldus Anguſiæ Comes unus obſtitit, ne turpi fugæ turpiſſimum adjicerent flagitium. Et cum nec auctoritate nec precibus quenquam retinere poſſet, clara voce, ut a multis audiretur, inquit; „Quod ad me attinet, quamlibet mortem honeſtam malo, „quam vitam, tali admiſſo dedecore, quamvis opulentam & ſecuram. Vos „amici & commilitones, videritis, quid vobis faciendum ſtatuatis. Ego aut „has machinas reducam, aut vivus ipſe domum non redibo: idemque vitæ & „gloriæ mihi terminus erit. Hæc locutus, paucos admodum, quibus decus vita carius erat, commovit: cæteri, ob probroſam Proregis fugam, animum deſpondentes, vagi, ſolutis ordinibus, qua cuique viſum eſt, abierunt. Duglaſſius præmiſſa tormenta cum ſuis inſtructo agmine eſt ſecutus: &, equitibus hoſtium, quos tumultus excivit, a tergo fruſtra inſtantibus, Dumbarum reduxit.

XXIII. Hæc expeditio, temere ſuſcepta, & turpiter obita, multorum apud Scotos animos fregit, & Anglos in arrogantiam intolerabilem extulit, Scotici Proregis ignaviam ad ſuam laudem trahentes. Igitur Radolfus Iverius, & Brienus Latonius, Angli Equites ſplendidi, nemine obvio, Marciam, Teviotiam, & Lauderiam percurſantes, prope omnes earum regionum incolas aut ſe dedere [4] coëgerunt, aut, ſi quis pertinacius reſtiterat, in agris vaſtatis ſolitudines ei reddebant: eoque inoffenſus proſperarum rerum curſus inſolentiæ Anglos [5] provexerat, ut finem victoriæ ſuæ æſtuarium Forthæ ſtatuerent: atque hanc ſpem ſecum ferentes, Londinum profecti, ab Henrico, ob operam fortiter & fideliter navatam, præmium poſtularent. Ea de re cum in concilio ageretur, Thomas Havartus Norfolciæ Dux, qui multas expeditiones fecerat adverſus Scotos, magniſque damnis eos affecerat, cum ex rebus tum in

1 *Quantum equi contendere curſu poterant*] Quidam [*poterat*] hic ſcribendum malint: verum nihil mutandum. Ita enim Virg. Æneid. VI. 199.

Paſcentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie poſſunt oculi ſervare ſequentum.

2 *Eum timuiſſe*] Nec inanis quidem fuit timoris cauſſa, cum in ipſius exercitu multi eſſent, in primis vero hic ipſe quem tantopere prædicat Anguſiæ Comes, aliique Anglicæ factionis principes.

3 *Domum properarent*] Ita MS. editi vero omnes [*prorumperent*,] quod, præterquam quod mox ſequatur ὁμοιοτέλευτον [*dirumperent*,] minus aptum hic vocabulum videtur.

4 *Coëgerunt*] MS. alii *coëgerant.*

5 *Provexerat*] MS. alii *pervexerat.*

1 *Per*

in Scotia turbulentis intelligeret, non fuiſſe difficile, regiones nullis præſidiis firmatas prædando percurrere, vulguſque, cui nullum eſſet aliud præſentis mali perfugium, ad ſacramentum cogere: idemque non ignoraret Scotorum & in ſuis tuendis conſtantiam, & in amiſſis repetendis pertinaciam: Regi auctor fuiſſe dicitur, ut agrum bello captum eis operæ pretium ſtatueret, & ad eum tuendum, donec Anglorum aſſueſceret imperio, modicas copias daret. Id donum cum libenter acciperent, & Rex non ægre tribueret, vanæ jactationis æque vana compenſatione donati, læti ad limitem rediere: addita, præter limitum accolas, qui ſine ſtipendiis militare ſolent, tria mercenariorum millia.

XXIV. Cum reditus eorum vehementer proximorum animos perturbaret, ut qui nullam a Prorege ſpem haberent auxilii: quippe qui ſacrificulorum, & potiſſimum Cardinalis, uteretur conſilio, Archibaldus Anguſiæ Comes, & publico dedecore, & privatis etiam damnis (habebat enim multas & fructuoſas in Marcia & Teviotia poſſeſſiones) graviter commotus, & periculi magnitudinem Proregi luculenter expoſuit, & ut obviam iret eſt hortatus. Ibi cum Prorex ſuam deploraret ſolitudinem, & ſe a Nobilitate derelictum quereretur, Duglaſſius oſtendit; „Id ipſius culpa fieri, non Nobilium, qui & for„tunas omnes, & vitam ad publicam ſalutem tuendam conferrent: quorum „conſilio contemto, ad ſacrificulorum nutum circumageretur, qui foris im„belles, domi ſeditioſi, omniumque periculorum expertes, alieni laboris fru„ctu ad ſuas voluptates abuterentur. Ex hoc fonte, inter te & proceres fa„cta eſt ſuſpicio, quæ (quod neutri alteris fidatis) rebus gerendis maxime eſt „impedimento. Quod ſi conſilia de rebus magnis cum illis communicare in „animum inducas, qui in illis exſequendis vitam non recuſent impendere, non „deſpero, nihilo minus illuſtres res poſſe geri, quam a majoribus noſtris, tem„poribus aut æque aut non multo minus turbulentis, geſtæ ſunt. Sin per „deſidiam ſingula hoſtem carpere ſinamus, aut nos brevi ad deditionem co„get, aut in exilium ejiciet, quorum utrum ſit miſerius aut flagitioſius, vix „dici poteſt. Quod autem ad nos attinet, ſcio me ab inimicis proditionis, te „vero timiditatis inſimulari. Quod ſi tibi, quod effugere non poteris, quam„primum faciendum videtur, utrumque crimen non verbis expolita oratio, „ſed campus & acies redarguet.

XXV. Cum Prorex ſe in illius & cæterorum poteſtate futurum oſtenderet, concilio ſuper expeditione ſuſcipienda habito, edictum in omnes regiones propinquas eſt miſſum, quo imperabatur Nobilitati, ut, quanta cum celeritate poſſent, ad Proregem, ubicunque eſſet, venirent: ipſi poſtridie, cum præſentibus copiis (erant autem non plures trecentis equitibus) Angliam verſus iter intenderunt. Aggregantibus ſe ad eos non adeo multis Lothianis ac Marcianis, cum Mulroſſiam ad Tuedam deveniſſent, ibique ſuos exſpectare decreviſſent, Angli, qui Jedburgum jam [1] pervenerant, certiores facti per exploratores de hoſtium

[1] *Pervenerant*] MS. alii *perveniſſent*, librarii oculos, ut credibile eſt, fallente e ſuperiore verſu [*deveniſſent*]

hoſtium paucitate, ad quinque fere millia hominum Jedburgo educunt, & recta Mulroſſiam iter intendunt, nihil dubitantes, quin eos, & paucos & de via feſſos, una cum Prorege oppreſſuri necopinatos eſſent. At Scoti, per ſuos exploratores de Anglorum adventu edocti, ſe in proximos colles ſubduxerunt, ſpeculaturi e tuto, quid conſilii hoſtes captarent. Angli, ſpe ſua dejecti, in oppido & Cœnobio Monachorum, non adeo multo ante ſpoliatis, vagi, &, ſi quid prædæ invenirent, intenti, ad ortum uſque diei ſubſtiterunt. Prima luce, cum Jedburgum reverterentur, & Scoti, receptis prope trecentis e Fifana juventute, ducente Normano Leſlio, Comitis Rothuſiæ filio (qui Scoticæ juventutis, in omni virtutum genere, tum facile princeps erat) alacriores facti, lentiore gradu ad colles, qui ſupra Ancramum vicum ſurgunt, ſe recipiebant. Ibi ad eos, paucis admodum comitatus, Valterus Scotus, (cujus ante non ſemel meminimus) homo manu & conſilio promtus, venit. Is, excuſata temporis anguſtia, ſuos mox affuturos affirmans, Scotis auctor fuit; „Ut in collem proximum amandarent equos, &, omnium æquato periculo, „in pedes deſcenderent, atque in loco humiliore hoſtem exſpectarent. Nec enim dubitabat, quin miniſtri, cum equis in editiorem locum ſubeuntes, fugæ ſpeciem Anglis darent, & ad gradum intendendum eos incitarent. Igitur, ne, nocte imminente, ſine prælio Scoti evaderent, ac rurſus cum magno labore veſtigandi forent, Angli, triplice acie inſtructa, ad eos pergunt, uno (ut ſperabant) levi prælio bellum patrare cupientes, &, quo propior ſpes erat, quamvis nocturno diurnoque itinere ſub gravibus armis continuato, alius alium vehementius hortatur, ut gradum addant, & brevi labore longam quietem, rem item & gloriam redimant. Ita, cum quantum adhortatio adderet animorum, tantum viæ labor adimeret virium, prima eorum acies in Scotos, ad prælium inſtructos, velut in inſidias præcipitavit: numero tamen confiſi, arma expediunt, ac fortiter prælium ineunt. Sed duæ res, proviſæ prudenter, Scotis auxilio fuerunt. Nam & Sol, in occaſum præceps, rectis radiis in hoſtium oculos incurrebat, & ventus, ſatis violens, fumum ſulfurei pulveris ita in poſteriores acies rejecit, ut omnem oculis proſpectum adimeret, & odore tetro de via adhuc anhelos graviter afficeret. Prima Anglorum acies in ſecundam, & ſecunda in tertiam, & ſua perturbatione impedita, & Scotorum impetu impulſa, confuſis ordinibus, retro impacta, ita omnia fugæ & terroris implevit, ut nec ſigna, nec ducem quiſquam noſceret; &, dum ſuæ quiſque privatim ſaluti proſpicit, nemo dedecoris & periculi publici reminiſceretur. Cum Scoti conferti ſequerentur, non jam inde pugna, ſed cædes fuit. Sub noctem, Scoti ad ſigna revocati, cum inirent cæſorum numerum, e ſuis duos modo deſiderabant: ex Anglis, præter duces, circiter ducentos milites compererunt interemtos, & in iis pleroſque nobilitate inſignes. Capti fuere fere mille: ex quibus genere clari octoginta. [1] Hæc victoria, quanto magis præter omnium opinionem accidit, tanto lætior fuit: cujus quidem fructus ad

1 *Hæc victoria*] Parta eſt hæc ad Ancramum victoria 17 Februarii 154$\frac{4}{5}$. *Holinsh.*

1 *Pene*

ad Proregem, gloria [1] pene tota ad Duglaſſios redundavit.

XXVI. Circa hæc tempora, fraude, ut creditur, Georgii Gordonii Comitis Huntilæi, certamen commiſſum eſt, in quo tota fere Fraſeriorum familia eſt extincta. Erat inter eos & Reginaldinos vetus odium, ſæpe multis utriuſque partis cladibus nobilitatum: & Huntilæus occulta indignatione æſtuabat, quod, inter vicinas gentes, ſoli ab ejus clientela abhorrebant. Nam cum vicini Inſulani, adverſus Comitem Argatheliæ, quicquid virium poterant, cogerent, nemo fere in illo terrarum tractu fuit, qui non [2] in alterius caſtris futurus eſſet. Sed, re ſine certamine compoſita, inter redeundum, cum diverſo itinere [3] ab eo ſeparati reverterentur, Reginaldini admoniti, cunctis popularibus collectis, atrociſſimo prælio eos adoriuntur. Fraſerii pauciores a pluribus victi, atque ad unum cæſi. Ita gens numeroſiſſima, & ſæpe de re Scotica bene merita, tota [4] interierat, niſi, divino (ut credi par eſt) conſilio, ex familiæ principibus octoginta domi reliquiſſent gravidas uxores, quæ ſuo quæque tempore mares [5] pepererunt ſingulos, qui omnes incolumes ad virilem pervenerunt ætatem.

XXVII. Eiſdem prope diebus, fit certior Anglus, ſuum exercitum in Scotia fuſum & fugatum eſſe, & Legatus a Prorege in Galliam eſt miſſus, qui victoriam nunciaret, & auxilium [6] adverſus poſtulata & minas Regis Anglorum poſtularet, ac Levinium calumniaretur, ejuſque diſceſſum e Scotia infamaret. De auxilio, vix impetratum, quod pro certo compertum eſſet, Anglum magnis cum copiis in Galliam trajecturum. Dati tamen quingenti equites, & peditum tria millia, non tam ut Scotos ab incurſionibus Anglorum protegerent, quam ut eos diſtinerent, ne totis viribus in Galliam irruerent. Anglus, ea æſtate, non exiſtimabat neceſſe, copias majores ad limitem Scotorum mittere, quod ſufficere putabat arcium præſidia ad excurſiones hoſtium inhibendas. Nam ex turbido rerum apud Scotos ſtatu intellexerat, juſtum exercitum, eo anno, ad expugnanda loca munita, cogi non poſſe. A Legato Scotorum in Gallia [7] levia, nec digna reſponſo, crimina, in Levinium abſentem jactabantur, quod pecuniam ad ſe miſſam ſuppreſſiſſet, quod, ob ejus cum Cardinale diſſenſiones, prodita fuiſſet cauſſa publica: diſceſſus autem ejus in Angliam quam invidioſiſſime exagitabatur.

1 *Pene tota*] MS. cæteri, *fere tota.*

2 *In alterius*] Non ſpernenda Crafordii conjectura pro *alterius*, *alteris* legendum exiſtimantis.

3 *Ab eo*] i. e. *Huntilao*, Vide Leſlæum pag. 474.

4 *Interierat*] Melius forte *interiiſſet.*

5 *Pepererunt*] Ita MS. editi libri *pepererant.*

6 *Adverſus poſtulata & minas Regis Anglorum poſtularet*] Non ſatis digna terſis Buchanani auribus locutio [*poſtulare auxilium adverſus poſtulata.*] Quamobrem, & quod nulla hic Angli *poſtulata* memorentur, eam vocem cum ſequenti copula ejiciendas exiſtimo.

7 *Levia, nec digna reſponſo crimina*] Quaſi vero leve ſit crimen ea ipſa pecunia quam Gallus ad ſuæ factionis homines miſerat, milites adverſus Reginam, Proregem, Cardinalem, alioſque Gallicæ tum cauſſæ propugnatores conducere, quod Leſlæus diſerte affirmat, nec Buchananus ipſe prorſus diffitetur, XV. 13.

XXVIII. Rex Gallus, qui recenti, ex [1] rumoribus fictis, invidia ita exarſerat, ut nullam adverſus calumnias purgationem admitteret, quique Levinii fratrem, ſatellitum ſuorum præfectum, [2] in cuſtodiam inauditum incluſerat, [3] paullatim elucente veritate, ut excuſatior eſſet culpa, temeritati velandæ colorem quæſivit: ac in crimina Levinio objecta inquiri juſſit. Id negotium [4] Jacobo Mongomerio Lorgiano, auxiliorum Gallicorum præfecto, viro quidem impigro & probo, ſed Levinii acerrimo inimico, datur, procurantibus maxime Guſiis, quod, ſororis ſuæ cauſſam ſeparare a perfidia Cardinalis non poſſent. Mongomerius, cum Gallicis, quæ diximus, auxiliis, appulit in Scotiam,

1 *Rumoribus fictis*] Rumores eos fictos non fuiſſe, oſtendit ipſe Sadlerius, qui Levinium cum Anguſio, Glencarnio, Caſſiliſſio Anglicarum partium aſſertoribus conſilia pridem communicaſſe teſtatur.

2 *In cuſtodiam inauditum incluſerat*] Exſtant binæ pro Levinii fratre literæ deprecatoriæ, unæ Mariæ Reginæ, ejus matris ac Concilii, alteræ multorum Scotiæ Procerum nomine, conſcriptæ, quarum poſtremas, quod Levinii, quam tacitam Buchananus voluit perfidiam, eleganter exponunt, hic libuit ſubjicere.

,, CHRISTIANISSIMO ac potentiſſimo Galliarum Regi, Scotorum perpetuo confœderato, Principes viri Scotorum, fidi benevolique amici, hoſtium tuorum victoriam & veram precamur gloriam. Invictiſſime Rex, Nos complures ſimul ſtatuimus tuæ commendare majeſtati Dominum *Darnlie*, idque unis duntaxat literis facere, ne literarum multitudine de una eademque re in hoc bellorum incendio nimium moleſteris. Matthæus enim Comes de *Levenax*, nuper cum claſſe Anglica decem & octo navium in Scotiam reverſus, ac in arce *Dumbertane* cum multitudine Anglorum convivio exceptus, amotis epulis & arbitris, cœpit cum præfecto arcis tractare de ipſa arce tradenda Anglis, ad idipſum eodem tum introductis: quo quidem facto, ut virtus præfecti arcis ſumme enituit, ita reſipiſcentia Comitis ab omnibus eſt deſperatiſſima. Quo fit, ut quicquid poſthac illi contigerit, merito evenire putandum ſit. Frater vero illius, Dominus *Darnlie*, non videtur fraterna temeritate gravandus, quod ſemper alieniſſimus ab illius impudentia exiſtimatur. Præterea certo confidimus, nihil indignum indecorumve in tuam majeſtatem aut Scotorum Rempublicam ab *Darnlie* commiſſum iri, quo minus mereatur a te ſumme ornari & promoveri. Hac nos de *Darnlie* opinione freti, ſupplicamus ut ipſe *Darnlie* ſentiat tuam in omne genus hominum profuſiſſimam clementiam: nec velis pati innocentem ire præcipitem odio nocentis. Quin potius ipſum priſtino ſtatui, ac legitimo, quem iſthic in Galliis obtinebat exſpectabatque locum, reſtituere. Quo quidem beneficio ubi illum auxeris cumulaveriſque, nulli tuæ bonæ de ſe exſpectationi non eſt reſponſurus: nos etiam antea tuæ majeſtati devincti, tunc devinctiſſimos profitebimur.

,, Invictiſſime ac Chriſtianiſſime Rex, Deus Opt. Max. concedat tibi hoſtium profligationem & æternam quietem. Datum & ſubſcriptum a nobis Sterlingi, ad ſextum & vigeſimum Septembris anno M. D. XLIV; ſignatum vero gentilitio inſigni Comitis *Huntlye*.

E. M. V.

Fidi & benevoli Amici.

3 *Paullatim elucente veritate*] Ita recentiores libri, MS. autem *illuceſcente*, princeps Editio Edimb. *illucente*.

4 *Jacobo Mongomerio*] Leſlæus & Anderſonus, *Georgium* appellant: at Tho. Crafordius id patri ipſius nomen fuiſſe, ipſum vero *Jacobum* vocatum ſcribit. Mezeraius pag. 1033. *Franciſcum* nominat.

1 F-

tiam, ad [1] V. Non. Jul. M. D. XLV. ac literis & voluntate Regis Galliæ in concilio expoſitis, effecit, ut indiceretur exercitus, potentioribus modo, & qui ſumtus belli ferre poſſent, ad brevem diem convenire juſſis. Ad eum diem, Hadinam convenerunt ad quindecim millia Scotorum, atque ad limitem profecti, e regione Vercæ, arcis Anglicæ, caſtra poſuerunt. Inde, alternis fere diebus, Angliam ſub ſignis ingreſſi, magnas prædas abigebant: &, hoſtibus fruſtra conantibus agros a populationibus tueri, Scoti, levibus aliquot præliis ſatis proſpero ſucceſſu factis, ad ſex circiter millia in omnem partem flamma ferroque vaſtarunt. Cum, his incurſionibus, decem ferme dies conſumſiſſent, nec ulterius in hoſticum penetrarent, quam ut nocte ſe recipere in caſtra poſſent, interea Mongomerius & Georgius Humius ſedulo, ſed fruſtra, cum Prorege egerunt, ut caſtra trans Tuedam amnem transferrentur, ut e propinquo agros liberius incurſarent, terroremque ſpargerent latius. Sed repugnantibus Prorege, & qui in concilio erant, quod omni oppugnandarum arcium apparatu deſtituerentur, ſoluto exercitu, domum eſt reditum: cæteri, quo cuique eſt viſum commodiſſimum, in hiberna conceſſerunt; Mongomerius Sterlinum in aulam. Is, cognitis inimicorum adverſus Levinium calumniis, etſi ei erat infenſiſſimus, tamen Cardinalem graviſſimis verbis arguit, quod, nulla injuria inſigni ab inimico affectus, hominem nobilem & innoxium falſa invidia gravaſſet, [2] atque coëgerit invitum hoſti ſe conjungere.

M. D. XLV.

XXIX. His fere diebus, ad omnes regnorum limites incurſiones utrinque vario eventu factæ: Robertus Maxuallius, Roberti filius, ſingulari virtute juvenis, ab Anglis fuit captus: nihil præterea memoria dignum geſtum. Proximæ hiemis initio, Mongomerius in Galliam eſt reverſus: Cardinalis Hamiltonium Proregem, ſpecie ſanandarum partium, quæ ſeditionibus erant convulſæ, per proximas regiones circumduxit. Primum Perthum eſt ventum. [3] Ibi quatuor hominibus, quod carnem die vetito comediſſent, ſupplicio affectis; mulier cum parturiret, quod virginem Mariam in auxilium opemque ejus implorare noluiſſet, una cum partu extincta eſt. Ad rei univerſæ cogitationem animum intendunt. Taodunum inde profecti, ipſi ſe prædicabant ad pœnas de Novi Teſtamenti lectoribus ire ſumendas. Nam, illa tempeſtate, id inter graviſſima crimina numerabatur: tantaque erat cœcitas, ut ſacerdotum plerique, novitatis nomine offenſi, contenderent, eum librum nuper a Martino Luthero fuiſſe ſcriptum, ac Vetus Teſtamentum repoſcerent. Ibi cum Patricius Grajus, claræ familiæ in illis regionibus princeps, adventare bene comitatus diceretur, unaque Comes Rothuſius, tumultu ſedato per amicos, Prorex utrumque poſtridie adeſſe juſſit. Sed Cardinalis, parum tutum ratus, duos homines, nobiles & factioſos, & bene comitatos, in oppidum recipere, [4] unum in-

1 *V. Non. Jul.*] Holinſhedius 13 *Maji*, Pitſcottius 9 *Julii* appuliſſe tradit.

2 *Atque coëgerit*] Melius forte *coëgiſſet*.

3 *Ibi quatuor hominibus* ——— *ſupplicio affectis*] Melius forte, *homines ſupplicio affecti*.

4 *Unum inſtauratæ religioni addictiſſimum*] *i. e.* Rothuſium. Crafordius leg[illegible] vult *alterum i. r. a* Forte Buchan[illegible] ſcripſerit, *unum inſtauratæ religioni addictiſſimum, alterum ipſi inimicum.* [illegible] nihil mutem, de uno enim ex duobus pro-

inſtauratæ Religioni addictiſſimum, egit cum Prorege, ut Perthum rediret. Proceres mane, cum ad iter parati eſſent, accepto, Proregem Perthum tendere, eum conſecuti, cum in conſpectu eſſent, datum Cardinalis timori, ut Prorex eos juberet, urbem ſeorſum ingredi: poſtridie ambo in cuſtodiam dati: ſed, Rothuſio ſtatim dimiſſo, Grajus, quem vehementius oderant & timebant, ſerius liberatur.

XXX. Antequam illinc diſcederetur, viſum eſt Cardinali, ut potentiam Ruveni præfecti urbani imminueret. [1] Prorex præturam, ei ablatam, dat Kinfanio, Comarcho vicino, & Graji propinquo. Erat Ruvenus Cardinali inimicus, religioni inſtauratæ favebat: Grajus nec prorſus alienus a religionis cauſſa, nec amico in Cardinalem animo. Hoc pacto ſi velut in arenam protrahi poſſent, non dubitabatur, quin, ob familiarum claritatem, multi ex propinquis regionibus ad utroſque ſe eſſent adjuncturi: e quibus quantum caderet, tantum hoſtium ſibi detractum [2] Cardinalis exiſtimaret. Igitur prætura Perthi, quæ, multos jam annos, velut hæreditaria, in familia Ruvena hæſerat, in Kinfanium tranſlata, cum multa civium indignatione, qui veterem ſuffragiorum in comitiis libertatem ſibi ſublatam moleſte ferebant. Miſſus novus prætor, qui cives, niſi ſponte parerent, vi ſubigeret. Urbis oppugnatione bifariam diviſa, Grajus, qui totum rei pondus in ſe ſuſceperat, a ponte Tai oppugnationem aggreditur: altera manus, machinis per adverſum flumen admotis, latus apertum erat invaſura. Sed, quia maris æſtus eorum conſiliis non reſpondebat, in tempore non affuerunt. Grajus, per pontem aggreſſus, (quem Ruvenus, recepto in ædes proximas præſidio, incuſtoditum videri voluit) cum neminem ex adverſo armatum conſpicaretur, ſolutus omni metu, interius in oppidum penetrabat: cum a Ruveno, ex ædibus proximis repente prorumpente, invaditur ita acriter, ut fugam cum ſuis omnibus circumſpectaret: ſed turba, confuſa in anguſto, ſeſe impediebat, & fugam primorum ultimi introrumpere conantes morabantur. In hac confuſa multitudine periere conculcati complures: ſexaginta ferreo cecidere. Cardinalis, etſi penes Ruvenum [3] eſſe victoriam invitus audivit, tamen cædem adverſariorum ab eo factam non moleſte tulit: quos enim amicos ſibi fore deſperabat, eorum vires mutuis cladibus [[4] *imminutas*] in lucro ſibi deputabat.

XXXI.

nuntiato, facile intelligitur alter fuiſſe diverſæ ſectæ. ſic apud Sueton. Tib. 52. cum de Druſo & Germanico præmiſiſſet, ſubjicit, *Alterius vitiis infenſus*; ubi male Lipſ. I. Elect. 18. legi vult, *alterius virtutibus*, *alterius vitiis infenſus*. plura vid. in notis ad Vellej. Pater. II. 54. & Ovid. II. Art. Am. 282 Similes locutiones, ubi una pars deficere videtur, illuſtrat J. Fr. Gronov. ad Liv. III. 37. & XIX. 33. & Jac. Gron. ad Gell. VI. 11.]

1 *Prorex præturam*] Crafordius hic & poſtea pro *Prætura* & *Prætor* legendum vult *Præfectura* & *Præfectus*, quippe quibus alibi ſemper Buchananus utatur. Verum, cum utraque vocabula id magiſtratus genus ſatis commode atque ex æquo exprimere videantur, non ſatis juſtam conſentientem omnium codicum lectionem interpolandi cauſſam hic dari arbitramur.

2 *Cardinalis exiſtimaret*] *Exiſtimabat* legendum videtur.

3 *Eſſe victoriam*] Hic tumultus Perthenſis accidit die D. Magdalenæ ſacro 1545. *Spotiſvodius* pag. 75.

4 *Imminutas*] Hanc vocem, abſque qua ſen-

XXXI. Cardinalis, peragrata, quoad tum ſatis putabat, Anguſia, Proregem [1] poſt hibernum ſolſtitium ad Fanum Andreæ duxit, ut animum ejus, ſi fieri poſſet, ſibi arctius devinciret. Quanquam enim filium ejus Comitem Araniæ obſidem haberet, tamen, quoties de Scoticæ Nobilitatis ferocia, & factionis adverſæ viribus, & Proregis inconſtantia cogitabat, verebatur, ne pari, ac ad ſe venerat, levitate ab adverſariis perſuaſus, ad eos deficeret. Ibi eum per otium cum paucis nactus, viginti Saturnaliorum diebus per ludum & laſciviam tranſactis, multa in præſentia largitus, multa poſterius pollicitus, multa item de ſtatu regni cum eo loquutus, paullo animi ſecurior, Edimburgum eſt profectus.

XXXII. Erat interim ibi conventus Eccleſiaſtici ordinis, ad Id. Januarias. In eo cœtu cum jactata plurima fuiſſent, de veteri Eccleſiæ libertate retinenda, de manifeſtis quibuſdam ſacerdotum flagitiis expurgandis, nec ullus inveniretur exitus, tandem delatum eſt ad eos, Georgium Sophocardium, concionatorem Evangelii longe populo acceptiſſimum, ad ſeptem ab urbe millia paſſuum, apud hominem nobilem, Joannem Cocburnum, diverſari. Ad eum ſtatim equites miſſi, qui hominem ſceleratum depoſcerent. Sed cum Cocburnus alia atque alia cauſſaretur, ac moras innecteret, ſi eum occulte poſſet dimittere circumſpiciens, Cardinalis per ſuos id fieri admonitus, intempeſta nocte, cum Prorege illuc delatus, omnes aditus obſedit: nec tamen aut blanditiis aut pollicitationibus aut minis quicquam efficere potuit, donec Comes Bothueliæ, e propinqua villa ſua evocatus, eo venit. Is, cum omnium Lothianorum facile potentiſſimus eſſet, tandem impetravit, ut Georgius ipſi dederetur, interpoſita fide, ſe ab omni damno & injuria eum defenſurum. Sacerdotes hanc velut opimam prædam nacti, Edimburgo eum ad Fanum Andreæ transferunt. Ibi, poſt alterum fere menſem, coacta frequenti omnis generis ſacerdotum multitudine, quæ de doctrina ejus decerneret, & magis ut

ſententia manca videbatur, inſerendam duximus: quod & And. Melvinus faciendum conjiciebat.

1 *Poſt hibernum ſolſtitium*] Tho. Crafordius hic & inf. xv. 52. legendum vult [*brumam*:] & quidem nunquam aliter locutos bonos & idoneos auctores exiſtimat Salmaſius, Plinian. Exercit. edit. Traj. ad Rh. 1689, pag. 175. antiqui enim *ſolſtitium* τροπὴν θερινὴν proprie vocabant, *brumam* vero τὴν χειμερινήν. Sic Varro Lib. 5. de LL. *Cum venit Sol in medium ſpatium inter brumam & ſolſtitium.* Horat.

Penula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris.

Virg. Geor. I. ver. 10.

Humida ſolſtitia, atque biemes orate ſerenas.

Plin. Nat. Hiſt. lib. 18. cap. 27. *VIII. Calendas Julii longiſſima dies totius anni, & nox breviſſima ſolſtitium conficiunt.* Idem de aliis dicendum. Obſervatum tamen a Cellario eſt, Servium *biemale ſolſtitium* diſerte nominare, & veterem Germanici Scholiaſten *bibernum ſolſtitium* (uti hic Buchananus) pro *bruma* dixiſſe. Quin & Columella, elegans ſcriptor, & ipſo Plinio antiquior, lib. 11. cap. 2. *brumale ſolſtitium* bis extulit. Quibus addas licet Solinum Polyhiſt. cap. 22. *Brumali ſolſtitio dies adeo conductus, ut ortus junctus ſit occaſui.* Quamvis Salmaſius eum, utpote auctorem maxime antiquarium, atque proprietatis obſervantiſſimum, ſcripſiſſe ſuſpicetur, *In qua ſolſtitio nox pene nulla, bruma perinde nullus dies.*

1 *Quid*

ut ſpeciem judicum præberent, quam quod cuiquam dubium eſſet, [1] quid decreturi forent, de conſenſu omnium, Cardinalis (quoniam ipſe, per leges Pontificias, de capite cujuſquam nec exercere quæſtionem, nec ſtatuere poſſet) petit a Prorege, per literas, ut deſignet rei capitalis judicem, qui in reum animadvertere juberet, qui jam a conventu ſacerdotum hæreſeos damnatus eſſet.

XXXIII. In ea re nulla videbatur mora per Proregem futura: ac ne fuiſſet quidem, niſi propinquus ejus David Hamiltonius Præſtonianus, multis verbis eum admonendo, rogando, deterrendo, ac interim prope objurgando, continuiſſet. In hanc fere ſententiam locutum ferunt; „Se vehementer mira„ri, quo conſilio, Prorex, adverſus Dei ſervos, quibus nullum crimen ob„jiciatur, præter Evangelii Jeſu Chriſti prædicationem, tantam licentiam per„mitteret, & hominibus, flagitiorum turpitudine, & morum immanitate pluſ„quam ferina, prope in cruciatum dederet innoxios: [2] quorum vitæ inte„gritatem inimici fateantur inviti, doctrinam non ignoraret, ut cui ipſe non „ita pridem vehementer fuiſſet deditus: cujus commendatione in hunc ſupre„mum gradum pervenerit: quam ſe amplexum ſit teſtatus publice edictis: „quam tuendam palam ſuſceperit: ad quam legendam, cognoſcendam, vita„que & moribus exprimendam, ſingulos & univerſos ſit hortatus. Cogita „igitur, inquit, qui ſermones, quæ cogitationes hominum, [3] de te ſint futuræ: co„gita beneficia in te collata divinitus: ſublatum e medio Regem, hominem „acrem, & tibi infenſum, cum iſtud idem iter inſiſteret, quo tu nunc ve„ſtigia ſequeris. Qui ſuis conſiliis illum præcipitarunt, te nunc in exitium „rapere conantur: te ab initio impugnarunt, omni mole ſuæ potentiæ; nunc „pravis conſiliis te in fraudem illiciunt. Revoca in mentem victoriam, tibi „de

1 *Quid decreturi forent*] Joan. Clericus, vir ob multijugam eruditionem ſcriptorumque immenſam pene varietatem in paucis clariſſimus, in accurata ſua de Buchanano ejusque ſcriptis diſſertatione, Bibl. Select. Tom. VIII. Artic. 3. etſi in re non minus Hiſtorica quam Poëtica proximum poſt veteres illos Romanæ eloquentiæ patres locum ubique ei tribuat, nonnullas tamen loquendi formulas ab eo uſurpatas animadvertit, quæ priſcorum auctoritate deſtitutæ ipſi videbantur, quales ſunt [*populariter*] eodem ſenſu quo Græcorum πανδημεὶ acceptum; & [*fore*] cum participio futuro activo copulatum. De horum altero ſuperius a nobis dictum eſt ad lib. XI. 3. Quod ad alterum attinet, quamvis in eadem qua vir doctiſſimus ſententia fuerint Laur Valla in Eleg. LL. & Barthius Adverſ. lib. 45. cap. 15. qui Eugippium in Severino cap. 24. *Mox perituros fore* dicentem damnat, Buchananum tamen aliosque ſic loquentes ſatis ſuperque defendit Vitræus, ſive Novæ methodi Auctor, his exemplis (Obſerv. particular. Sect. 2. cap. 2. num. 7.) e probatiſſimis veterum petitis: Cic. *Deinde addis, ſi quid ſecus, te ad me fore venturam*, Idem *Nihil horum nos viſuros fore.* Liv. *Deorum immortalium cauſſa libenter facturos fore.* Plaut. *Lepide diſſimulat fore hoc futurum.* Vid. Buchanan. XVIII. 25. 37. XIX. 55.

2 *Quorum vitæ integritatem inimici fateantur inviti: doctrinam non ignoraret, ut cui ipſe, &c.*] Concinnius forte, *Quorum v. i. i. f. inviti; doctrinam ipſe non ignoraret, ut cui non ita pridem vehementer fuiſſet deditus:* aut potius cum MS. *doctrinæ puritatem ipſe non ignoret, ut cui non adeo pridem v. f. d.*

3 *De te ſint futuræ*] Ita MS. alii omnes *ſunt.*

1 *San-*

„de civibus, ſine cæde & ſanguine; de hoſtibus, longe majoribus copiis fre-„tis, cum ingenti tua gloria, maxima illorum ignominia, conceſſam. Re-„miniſcere, quorum in gratiam Deum deſeras, & amicos oppugnes: exper-„giſcere aliquando, & tenebras, tibi a nefariis hominibus circumfuſas, diſcu-„te. Propone tibi ante oculos [1] Saulem illum, Iſraëlitici generis Regem, ex „infimo loco in ſupremum tranſlatum. Quanta illum indulgentia, legi ſuæ „obedientem, Deus eſt proſecutus; quantis miſeriis eundem, præcepta ſua „negligentem, involverit. Confer tuarum rerum, ad hunc uſque diem, ſuc-„ceſſum, cum rebus illius proſperis: ac, niſi conſilium mutaveris, nihilo „feliciorem, imo deteriorem, exitum exſpecta. Quid enim ille deſignavit, „quale tu nunc facis, idque in gratiam hominum ſceleſtiſſimorum, qui ne-„que flagitia ſua tegere poſſunt, nec diſſimulare ſaltem conantur?

XXXIV. Hac admonitione hominis amici Prorex motus, reſcripſit ad Cardinalem; „Ne id judicium præcipitaret: ſed rem totam ſervaret integram „uſque in ſuum adventum. Neque enim ſe conſenſurum in illius hominis per-„niciem, antequam de cauſſa diligentius cognoſcatur. Quod ſi Cardinalis ſe-„cus faxit, in caput ejus pœna vertat: ſe vero immunem cædis & ſanguinis „fore, hiſce literis atteſtari. Cardinalis hoc reſponſo, præter opinionem, ictus, cum non dubitaret, interpoſita mora, reum, vulgo gratioſum, ereptum iri: nec rem diſceptationi committi vellet: partim, quod nullam in æquitate ſpem poneret: partim, quod [2] de ſententiis, jam ante, conciliorum auctoritate, prædamnatis, iterum judicium fieri nolebat: itaque prope furenter iratus in conſilio ante ſuſcepto perſeveravit: ac reſpondit; „Se non ad „Proregem ideo ſcripſiſſe, quod ab ejus auctoritate ulla in re penderet, ſed „quod, ad ſpeciem conſenſus publici, ejus nomen ad condemnationem aſcribi „vellet. Igitur, Georgio e carcere producto, Joannes Viniramus, vir doctus, & qui ex animo ſinceræ religionis cauſſæ, ſed occulte, faveret, e ſuperiore loco concionem habere juſſus, e Mathæi capite decimo tertio declamavit; „Bonum ſemen eſſe verbum Dei, malum vero hæreſes. Hæreſim „enim eſſe opinionem falſam, & cum ſacra Scriptura plane pugnantem, & „quæ cum pertinacia defenderetur: eam vero & gigni & ali ignorantia paſto-„rum Eccleſiæ: qui ſpiritali gladio, id eſt, verbo Dei, nec hæreticos con-„vincere, nec errantes reducere in viam norunt. Deinde, explicato Epiſcopi, „ex epiſtola ad Timotheum, officio, unam eſſe hæreſim deprehendendi ratio-„nem oſtendit, ſi ad verbum Dei, velut ad lapidem Lydium, conferatur. Tandem, cum peroraſſet, etſi, quæ dicebantur, contra ſacerdotes facerent, qui

1 *Saulem*] Alii *Saulum* legendum malint: at nihil mutandum: ita enim D. Auguſtinus & plerique omnes patres Eccleſiaſtici hoc nomen *Saul, Saulis*, declinant.

2 *De ſententiis jam ante conciliorum auctoritate prædamnatis*] Hic, ut innumeris aliis in locis, Buchanani mentem non aſſequutus eſt Anglicus interpres: non enim (quod ille exiſtimat) *ſententiæ* hic *Judicum decreta* ſignificant, ſed *hæreticas*, quas vocabant, *opiniones*, Conciliorum Pontificiorum commentitia auctoritate damnatas.

qui non ad refellendas hæreſes conveniſſent, ſed ad eos plectendos, qui licentiæ & arrogantiæ eorum obviam irent, tamen, velut omnia ſuccederent eis ad votum, ut conſuetam judicandi ſibi formam obſervarent, ad ſuggeſtum, in templo exſtructum, Georgium pertrahunt: alterum ex adverſo ſuggeſtum conſcendit Joannes Lauderus, Romanenſis ſacrificulus: cæteri, velut ad judicandum, circumſiſtunt. Sed nulla judicii aut liberæ diſceptationis ibi forma fuit. Accuſator enim, cum multis abominandis conviciis, odioſiſſima quæque, quæ vulgo adverſus purioris doctrinæ magiſtros confingi ſolent, cum ſumma verborum acerbitate detonabat, atque ita tum actis aliquot horis, Georgius, in arcem reductus, in præfecti cubiculo pernoctavit, magna parte temporis in orando conſumta.

XXXV. Poſtridie mane, Epiſcopi duos Franciſcanos ad eum miſerunt, qui ei denunciarent; „Moriendum quamprimum eſſe: „ac rogarent, „Num „ipſis, de more, peccata confiteri vellet. Ille, „Nihil ſibi rei cum Fratri„bus eſſe, „reſpondit: „nec cum eis libenter collocuturum. Verum, ſi in „animum inducerent, in hoc genere ſibi gratificari, ſe cupere ſermonem con„ferre cum homine illo docto, qui pridie concionatus fuerat. Is cum, Epiſcoporum permiſſu, in arcem veniſſet, cum Georgio ſatis diu Viniramus collocutus, tandem, ſedato fletu, a quo ſe cohibere non potuerat, placide rogat eum; „Num vellet, Cœnæ ſacramentum accipere: „ „Et perlibenter, „(inquit) ſi ex Chriſti inſtituto, ſub utraque ſpecie, nempe panis & vini, „exhibeatur. Viniramus, ad Epiſcopos reverſus, cum retuliſſet, eum ſancte affirmare; „Se immunem a ſceleribus, quorum arguebatur: nec id eo perti„nere, ut mortem inſtantem deprecaretur: ſed ut ſuam innocentiam, Deo „ſatis notam, hominibus etiam teſtatam relinqueret: „ad ea Cardinalis, ira inflammatus: „ [1]Et te, inquit, qui ſis, jampridem non ignoramus. Item rogatus, „Num ſacri corporis, & ſanguinis communionem ei permitte„ret, „cum aliis Epiſcopis paullum collocutus, ex eorum ſententia reſpondit, „Non videri æquum, ut pertinax hæreticus, ab Eccleſiaque damnatus, „ullis Eccleſiæ beneficiis frueretur.

XXXVI. His renunciatis, cum familiares præfecti arcis, & miniſtri, hora circiter nona, ad jentaculum conveniſſent, rogatus ab eis Georgius; „Num & ipſe una vellet ſumere cibum: „reſpondit, „Et perlibenter, ac „multo etiam libentius, quam a me eſt factum ſuperioribus diebus: quod „nunc demum intelligam, viros vos eſſe bonos, & in eodem Chriſti corpore „mecum eſſe ſociatos: quodque hunc mihi in terris noviſſimum convictum „eſſe ſciam. Te autem (inquit præfecto) hortor per Dei nomen, perque „eum amorem, quo afficeris erga Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum „Chriſtum, ut huic menſæ paullum aſſideas, audientiamque facias, donec ego

1 *Et te, inquit, qui ſis, jampridem non ignoramus*] Elegans & ſatis crebra Latinis loquendi formula, pro *Et tu, inquit, qui ſis non ignoramus.* Sic Terent. Eunuch. Act. 3. ſc. 5. *Cum ipſum me noris, quam elegans formarum ſpectator ſiem.* Idem. *Nunc metuo fratrem, ne intus ſit; porro autem pater ne rure redierit.*

1 *Ut*

„ ego brevi adhortatione vos compellem, ac ſuper pane, quem, ut fratres „ in Chriſto, ſumus eſuri, orem; ac deinde vobis valedicam. Interea menſa, ut mos, linteo operta, impoſitoque pane, Georgius diſſerere breviter ac dilucide cœpit, de Chriſti Cœna, tormentiſque & morte, circiter horæ dimidium loqui. Hortatus eſt autem præcipue; „ Ut, abjecta ira, invidia, ac „ malitia, in animos imprimerent mutuum amorem, ac perfecta fierent „ membra Chriſti, qui aſſidue pro nobis interpellat Patrem, [1] ut noſtrum ſa„ crificium apud eum proficiat in vitam æternam. Hæc locutus, cum Deo gratias egiſſet, panem fregit, ac ſingulis particulam ejus porrexit; & vinum pariter, ubi ipſe guſtaſſet, omneſque precatus eſſet, „ Ut memoriam mortis „ Chriſti nunc poſtremum in hoc ſacramento ſecum uſurparent: ſibi autem „ amariorem potionem temperari, ob nullam aliam cauſſam, niſi Evangelii „ prædicationem. Poſt hæc gratiarum actione peracta, ſe in cubiculum ſuum „ recepit, ac orationi finem reddidit.

XXXVII. Nec multo poſt, duo e carnificum numero ad eum a Cardinali miſſi: quorum alter tunica, [2] e linteo panno, nigra eum induit: alter multos pulveris ſulfurei ſacculos ad omnes corporis partes adnexuit: atque hoc ornatu amictum, in cubiculum exterius præfecti eductum, ibi commorari jubent. Interea, eodem pene momento, in area ante arcem ſuggeſtum ligneum erigitur, pyra extruitur, ex adverſo feneſtra & propugnacula arcis tapetibus, ſtragulis ſericis, & pulvinis ornabantur, unde Cardinalis, cum ſuo grege, lætum ſpectaculum e tormentis hominis innoxii caperent, &, velut tam præclari facinoris auctores, gratiam populi captarent. Magna præterea frequentia armatorum, adverſus vim externam, aut verius ad oſtentationem potentiæ, adhibita: machinæ æneæ, per totam arcem, locis idoneis diſpoſitæ. Inter hæc, tubis clangentibus, Georgius productus ſuggeſtum conſcendit, & ad palum funibus alligatur: ac, vix impetrata pro Eccleſia orandi venia, carnifices ignem ſubjecerunt, qui pulverem undique alligatum confeſtim in flammam ac fumum ſolvit. Præfectus arcis, qui tam prope aſtabat, ut flammæ afflatu ambureretur, breviter eum eſt hortatus: „ Ut bono animo eſſet, ac „ delictorum veniam a Deo peteret. „ Cui ille, „ Hæc quidem flamma cor„ pori, inquit, attulit moleſtiam, animum vero non fregit. At, qui nos ex „ editiore loco tam ſuperbe deſpicit, intra paucos dies non minus ignominioſe „ jacebit, quam nunc arroganter cubat. Hæc locuto, funis circa fauces arctius

1 *Ut noſtrum ſacrificium apud eum proficiat in vitam æternam*] Ad hæc verba Melvinus in margine hanc animadverſionem adjecit, *Haudſcio*, inquit, *an Sophocardius ſacrificium cœnam appellarit: non videtur, niſi Eucbariſticum addas.* Quod ideo ſubnotare libuit, propter ingentem ea de re nuper in Anglia excitatam, necdum ſedatam controverſiam, quibuſdam ſummi nominis Theologis cœnam Domini proprium ac verum eſſe ſacrificium; aliis contra contendentibus. Vide Hickeſium de Chriſtiano Sacerdotio, & Hancokii in eum Animadverſiones.

2 *E linteo panno*] Male hæc conjungi videntur vocabula: *pannus* enim *veſtis* proprie *lanea* eſt; *linteus* vero quod *e lino* fit dicitur. MS. *lineo* (quod idem ſonat) exhibet.

ctius aſtrictus vocem incluſit. Poſt aliquot horas, [1] corpore in cineres ignis violentia ſoluto, Epiſcopi, adhuc ira odioque furentes, graviſſimis pœnis propoſitis, vetuerunt, ne quis pro defuncto oraret. Ex eo, Cardinalis a ſuo grege magnus haberi, ac divinis in cœlum laudibus ferri; „Ut qui, torpentibus cæ„teris, unus, auctoritate Proregis contemta, tantum facinus perfeciſſet: qui, „populari ſuperbia compreſſa, totius ordinis Eccleſiaſtici patrocinium tam for„titer ſuſceperit, ac feliciter geſſerit. Tales profecto ſuæ dignitatis vindices ſu„perioribus annis Eccleſia ſi habuiſſet, ipſa nunc aliorum imperiis non eſſet „obnoxia, ſed, ſuæ majeſtatis vi ac pondere, cætera ſub ſe omnia contine„ret.

XXXVIII. Hac ſacerdotum ſupra modum luxuriante victoria, non promiſcuum modo vulgus, ſed plerique, genere & opibus illuſtres, magis irritati quam fracti, rem eo ſua ſegnitie rediſſe indignabantur, ut præceps aliquid cum periculo eſſet audendum, aut omnia cum ignominia foret patiendum. Jam etiam plures, & apertius erumpentibus, vi doloris, querelis, de Cardinale tollendo coire, & ad libertatem recuperandam, aut vitam projiciendam, hortari. „Quam enim ſpem dignitatis reliquam fore, ſub arrogantiſſimo ſacri„ficulo, eodemque tyranno ſæviſſimo, qui bello adverſus Deum hominesque „ſuſcepto, [2] non inimicos modo, id eſt, qui aut rem haberent, aut pieta„tem colerent, ſed [3] cuicunque eſſet leviter offenſus, eum, velut pecus ex „hara, ſuæ libidini mactaret? Qui publice bellum & civile & externum alat, „[4] privatim meretricum amores nuptiis copulet, nuptias legitimas pro arbitrio „dirimat, domi cum ſcortis volutetur, foris in cæde innoxiorum & ſanguine „[5] debacchetur.

XXXIX. Cardinalis autem, etſi ſuis opibus non diffideret, tamen, [6] cum non ignoraret, qui habitus eſſet animorum, qui de ſe ſermones vulgo ſpargerentur, ſibi cogitandum exiſtimavit, de potentia novis incrementis augenda. In Anguſiam igitur profectus, filiam natu maximam filio Comitis Crafordiæ deſpondit, nuptiaſque magno apparatu, & prope Regia magnificentia, fecit. Inter hæc, cum per exploratores certior fieret, Anglum, ad infeſtanda Scotiæ littora, magnos apparatus navales cogere, ac potiſſimum Fifenſibus minari, ipſe, ad Fanum Andreæ reverſus, Nobilitati, ac potiſſimum iis, qui maritimos agros tenerent, diem ad conveniendum ſtatuit, ut in commune conſule-

1 *Corpore in cineres ignis violentia ſoluto*] 2 Martii $154\frac{5}{6}$. *Spotiſvodius.*

2 *Non inimicos modo*] Ita, monente Crafordio, emendavimus, pro quo [*inimicis*] omnibus libris eſt ſcriptum.

3 *Cuicunque eſſet leviter offenſus*] Sic legendum præeunte MS. jubenteque Crafordio exiſtimavimus; refragantibus licet omnibus editis, quibus [*quicunque*] legitur.

4 *Privatim meretricum amores nuptiis copulet*] Qualis erat Mariona Ogilvia, Reguli Ogilvii filia, cujus uxoris loco habitæ filium Melgumia donavit, filiam vero Crafordii filio nuptum dedit. Id vero eſt, quod ex Terent. Andr. Act. 5. ſc. 4. ver. 10. Crafordius obſervat, *Meretricios amores nuptiis conglutinare.*

5 *Debacchetur*] Ita reſcripſimus, admonente Melvino, pro eo quod libris omnibus habetur, [*debaccharetur.*]

6 *Cum non ignoraret*] Ita omnino ſcribendum, quemadmodum MS. codice exhibetur; aliis autem excidit particula [*cum.*]

1 *Quin-*

ſuſcerent, quod huic malo remedium eſſet objiciendum. Quoque id facilius proſpiceret, decreverat, una cum agrorum dominis, totum littus, hoc eſt, pene Fifam univerſam circumire, & loca, pro cujusque commoditate, communire, aut præſidiis obtinere.

XL. Inter alios juvenes nobiles, venit ad Cardinalem Normanus Leſlius, Comitis Rothuſiæ filius, cujus antea a nobis mentio non ſemel facta eſt. Is cum ſæpe ante Cardinali fortem & fidelem navaſſet operam, incidit inter eos contentio de re privata, quæ ad tempus animos nonnihil alienavit: ſed ea lite, magnis pollicitationibus inductus, Normanus ceſſerat. Verum cum, poſt aliquot menſes, ad repetenda promiſſa rediſſet, e ſermone in altercationem, ac deinde, neutri ſatis decora, inciderunt convitia: diſceſſeruntque utrinque animis infenſiſſimis: Cardinalis, non quam volebat reverenter tractatus, indignabundus; & alter, velut fraude circumventus, minabundus, & in vindictam pronus, ad ſuos rediit, & intolerandam Cardinalis ſuperbiam eis expoſuit. Facile omnes in cædem ejus conjurarunt: &, quo res minus foret ſuſpecta, Normanus cum [1] quinque tantum comitibus Fanum Andreæ ingreſſus, in conſuetum diverſorium ſe recepit, ut ea paucitate cædis conſilium diſſimularetur. Erant in oppido præterea decem ex conjurationis conſciis, qui, alii alio in loco, rei aggrediendæ ſignum exſpectabant. Cum hac manu tantum facinus obire eſt auſus, in oppido pleno propinquorum & clientium Cardinalis. Erant tum, ut in illis regionibus, vere præcipiti, dies longiſſimi, nempe [2] circiter Maji Nonas: & Cardinalis arcem ſuam, in uſum belli, communiebat, tanta feſtinatione, ut prope diei noctem in opere continuaret. Igitur, cum diluculo, ad operas intromittendas, aperiretur porta, Normanus e ſuis in domuncula propinqua duos præmiſſos in inſidiis collocarat, ut, janitore ab eis comprehenſo, portæ compotes, ſignum, quod convenerat, cæteris darent. Hoc pacto, ſine tumultu omnes ingreſſi, quatuor e ſuis miſerunt, qui Cardinalis oſtium obſerva-

1 *Quinque tantum comitibus —— Erant in oppido præterea decem*] Leſlæus non plures quam novem, Spotiſvodius duodecim, hoc ſe ſacrilegio obſtrinxiſſe narrat. In Actis vero publicis hi numerantur: *Normanus Leſlie Feodotarius Dominus de Rothus, Petrus Carmichael de Balindie, Jacobus Kircaldy de Grange, Willelmus Kircaldy ejus filius ſenior, David Kircaldy ejus frater, Joannes Kircaldy, Patricius Kircaldy, Georgius Kircaldy fratres dicti Jacobi Kircaldy de Grange, Thomas Kircaldy ejus etiam filius, Joannes Leſlie de Parkhill, Alexander Inglis, Jacobus Melvill ſenior, & ejus filius, Joannes Melvill baſtardus filius Domini de Raith, Alexander Melvill, David Carmichael, Gilbertus Geddes junior, Robertus Moncreif frater Domini de Tibbermallo, Gulielmus Simſon, Alexander Adamſon, David Balfour filius Domini de Montquhany, Thomas Cuningham, Nicolaus Hart, Gulielmus Guthrie, Joannes Sibbald frater Domini de Crukſton, Petrus Carmichael ſervus, Valterus Melvill ſenior, Valterus Melvill junior, Joannes Auchinleck Capellanus, Nicolaus Lermonth, David Kircaldy coquus, Ninianus Cocburn, Joannes Poll Bombardarius, Gulielmus Orrock, Joannes Rollock & Andreas Tanzow*, qui omnes 14 Auguſti 1546 læſæ majeſtatis ſunt condemnati, præter Normanum Leſlium, qui altero poſt die eodem crimine eſt condemnatus.

2 *Circiter Maji Nonas*] Pitſcottius 6, Leſlæus, Holinſhedius & Balfurius 30, at Spotiſvodius, Larrejus & Anderſonus 29. Maji die Saturni 1546, hanc cædem perpetratam affirmant.

1 *Quar-*

varent, ne quis ad eum nuncius perferri poſſet: alii circa aliorum cubicula miſſi, qui hominum & locorum notitia freti, miniſtros nominatim excitent. Eos cum ſemiſomnes ſigillatim evocaſſent, mortem præſentem, ſi quiſquam mutiret, comminati, extra arcem inviolatos ſine tumultu eduxerunt. Ita cæteris ejectis, cum ſoli arce potirentur, qui obſidebant Cardinalis oſtium, tum demum pulſant. Rogati, quinam eſſent, cum ſua nomina edidiſſent, intromiſſi (promiſſa, ut quidam ſunt auctores, incolumitate,) multis eum vulneribus conficiunt.

XLI. Interea rumor de arce capta per totam urbem ſpargitur. Cardinalis amici, ſomno & crapula languidi, ſeſe lente moliuntur e lectis, & tumultuoſe, Ad arma, vocantes, ad arcem accurrunt, cum magnis minis & verborum contumeliis: ſcalas poſcunt, & alia, quæ erant ad oppugnationem neceſſaria, comportant. Qui ex arce hæc ſpectabant, ut repentinum illum animorum impetum paullulum retunderent, & ad reſpectum ſui furentes, revocarent, conclamant, „Fruſtra eos tumultuari, & mortuo ſeram opem ferre: „ & cum dicto cadaver exanimatum oculis omnium exponunt, in illo ipſo loco, unde ipſe, non multo ante, Georgii Sophocardii ſupplicium tam lætus ſpectaverat. Nec ſubibat modo animos rerum humanarum inconſtantia, & inexſpectatus eventus, ſed multis occurrebat Georgii illa de illius morte prædictio, multaque alia, quæ ſanctiſſimus vir ille, non ſine divino (ut credibile eſt) Spiritus afflatu, ventura præmonuerat, ut brevi ſecutus exitus comprobavit. Cardinalis amici & propinqui, ad hoc inſperatum ſpectaculum attoniti, celeriter ſunt dilapſi.

XLII. Re per omnes regni partes divulgata, diverſus animorum, pro cujusque erga eum amore vel odio, fuit motus: aliis pulcherrimum, aliis nefarium facinus exiſtimantibus. Multi enim, ob diverſum religionis cultum, vitæ ſuæ ab eo metuentes: non pauci ob arrogantiam intolerabilem offenſi, non ſolum factum probarunt, ſed & gratulatum ad libertatis publicæ auctores venerunt: quidam etiam vitam fortunasque cum illis conjunxerunt. Aula vehementer perculſa, & velut conſilii ſui parte orbata, de ſententia eorum, qui aderant, cædis auctoribus denunciant, ut intra ſextum diem adſint, & vadibus datis caveant, ſe intra diem, qui eis nominaretur, ad cauſſam dicendam in jus venturos. Illi cum arcem munitam tenerent, & in ea ſupellectilem pecuniamque Cardinalis, & Proregis filium primogenitum, obſidem (ut ante narravimus) Cardinali datum, nec pollicitationibus hoſtium, quorum ſæpe ante levitatem & perfidiam perſpexerant, fidem haberent, nullas conditiones aut mentionem pacis admittebant. Ita eis aqua & igni interdictum eſt. Hoc pacto res partim minis & inanibus alterius partis promiſſis, partim alterius diffidentia, a menſe Majo ad Non. uſque Novembris eſt extracta.

XLIII. Tum vero Prorex, & Reginæ viduæ importunis flagitationibus, & ſacerdotum maledictis & conviciis impulſus, arma ſumſit: & arce totis tribus menſibus circumſeſſa, machiniſque pulſata, [1] quarto demum menſe, præcipite jam hieme, re infecta, copias dimiſit, & ad conventum ante indictum in

1 *Quarto demum menſe*] A 29 *ſcil.* Auguſti ad 19 Decembris 1546. *Act. publ.*

I *Con-*

in menſem Feb. Edimburgum venit. Qui arcem tenebant, interea metu ab hoſte liberi, non ſolum frequentes loca excurrendo vicina populationibus aſſiduis & ferro flammaque vaſtabant; ſed, tanquam armis parta licentia, in ſtupra & adulteria, aliaque hominum otio abundantium vitia, profuſi, jus & æquum ſua libidine metiebantur. Nec, Joanne Knoxio, qui tum ad eos advenerat, crebro admonente; „Deum non irrideri, ſed graves mox pœnas per eos, a „quibus minime ſibi timebant, de ſuæ legis profanatoribus expetiturum, „ a flagitiis tamen [1] contineri poterant.

XLIV. Præter hoc domeſticum, & in ipſis viſceribus graſſans malum, acceſſit & bellum externum. Angli enim, collectis copiis, Solvæum tranſgreſſi, longe lateque ſui terrorem fuderant: nec prædis & incendiis contenti, arces quasdam munitas vi ceperant, & præſidiis occuparant. Nec in reliquis limitibus res quietæ erant. Robertus Maxuallius, in quem maxima belli tempeſtas incubuerat, Edimburgum ad auxilium rebus pene perditis poſcendum venerat; „Jam enim in agris ſolitudines vaſtas eſſe: præſidia ab inimicis teneri: cultores „agrorum, ſedibus patriis ejectos, omniumque rerum inopia confectos, ami- „corum miſericordia vivere. Quod fidem [2] erga Regem mutare nollent, hæc „pati. Quod niſi eorum egeſtati proſpiciatur, brevi futurum, ut & ipſi ſuis „miſeriis coacti, & vicini, ſimilium metu, in fidem Anglorum ſe dedant. Ei, ut ſua recuperaret, auxilia promiſſa. Prorex, cum exercitum eo duceret, ad Megatam amnem caſtra poſuit. Ibi amicis & propinquis Cardinalis a Prorege importune petentibus, ut Georgium Leſlium, Normani patrem, qui ibi aderat, in jus vocaret: neu hominem potentem, ſed fidei dubiæ, aut verius aperte hoſtem, ut belli ſocium, duceret: Comes, etſi & tempus & locus contra ſuaderent, tamen nullam ſe judicio moram facturum oſtendit. Igitur judicum nominibus, de more (quem alibi retulimus) lectis, ac nemine ab adverſariis nominatorum rejecto, ſententiis omnibus eſt abſolutus.

XLV. Inde ad Langopum arcem progreſſi, expulſis illinc Anglis, cum alia præſidia aggredi vellent, nuncio repentino ſunt revocati. Allatum enim erat, Gallicam claſſem non procul ab Ebbæ promontorio viſam, in qua eſſent una & viginti triremes. Prorex, id quod res erat ſuſpicatus, ad arcem Andreanam (uti convenerat) expugnandam eas advenire, lætus domum properat. Ibi cum [3] Leonte Strozio, Gallicarum triremium præfecto, collocutus, conjunctis copiis arcem obſidione cingunt, tanta celeritate, ut multi ex præſidiariis excluderentur; & plerique, qui extra eam conjurationem erant, negotii cauſſa arcem

1 *Contineri poterant*] Ita, ſuadente Crafordio, emendavimus, libris tamen omnibus [*Contineri non poterant*] ſcribitur.

2 *Erga Regem*] Rogat Crafordius an *Proregem* hic, an *Reginam* intelligat? ego poſterius exiſtimo; *Rex* enim utrumque ſexum generaliter complectitur, licet rariſſime in ſingulari fœminæ tribuatur. Vide ſupra ad VII. 61.

3 *Leonte Strozio*] Hunc Leſlæus, cumque ſecutus Mezeraius, Petrum appellant, Holinſhedius tamen & Anderſonus Buchanano, & recte, ſuffragantur. Duo enim erant *Strozii*, alter *Petrus*, qui poſtea Deſſium in Scotiam eſt comitatus, alter *Leon*, Capuæ Prior dictus, qui huic expeditioni præfuit.

I *Pro-*

cem ingreſſi, includerentur. Mox, ſublatis machinis æneis in turres duorum templorum, quæ in proximo utrinque ſtabant, totam arcis aream adeo propugnatoribus infeſtam reddiderunt, ut nemo, ſine manifeſto vitæ periculo, extra ædes apparere auderet. Nec multo poſt, quod inter duas turres muri erat, (cum ſubſtructiones poſteriores cum prioribus non ſatis coagmentatæ eſſent) admotis majoribus machinis, cum magno fragore corruit. Jam vero, qui antea munitionibus confiſi, ſe ad omnia diſcrimina ſubeunda promtos oſtenderant, trepidare cœperunt: & convocato de ſumma rerum concilio, [1] Proregis crudelitatem (quæ in animis imbecillioribus acrius exardeſcere ſolet) in propinqui morte ulciſcenda metuentes, Leonti Strozio, incolumitatem modo pacti, [2] ſe dediderunt. Ille, ſuis ad arcem ſpoliandam immiſſis, in qua, præter omnis generis commeatus vim maximam, & Cardinalis pecuniam & ſupellectilem, etiam præſidiariorum omnes facultates, & multorum præterea civium, ut in locum tutiſſimum, opes erant congeſtæ, una cum Proregis filio, qui obſes a patre Cardinali datus, eoque cæſo, in arce deprehenſus fuerat. Arx de
M. D. concilii ſententia diruta. Leon, poſt paucos dies, cum deditis in altum vela
XLVII. dedit. Hæc in menſem Auguſtum anni M. D. XLVII. inciderunt.

XLVI. Eodem fere tempore, allatum eſt, Anglos magnas copias terra marique parare, ut in Scotiam irrumpant, & pacti fœderis fidem repetant: quod fœdus, circiter quatuor annos antea, factum fuerat cum Prorege, de Regina Scotiæ Angli filio collocanda. Repentinus hic rumor animum Proregis, alioqui imbecillum, vehementer perculit, ut qui nec tum auxilia haberet externa, nec domeſticis copiis admodum confideret: nam & Papanorum factio ejus levitate offendebatur, & Levinii exulis amici, crudeliter ab eo & avare habiti, odiorum ſemina adhuc retinebant. Tamen Edimburgum, ad edictum, frequentes convenerunt. Inde profecti ad Eſcæ fluminis (quod per Lothianam fluit) oſtium, adventum Anglorum præſtolantur. Interea Scoti equites, adventantem hoſtem omni ex parte adequitantes, & convitiis eos ad certamen laceſſunt, & iter infeſtum reddunt. Imperator autem Anglus, qui Scotos in tumultuario genere pugnæ [3] ſciret ſuis longe præcellere, vetuit, ne quiſquam ex agmine adverſo in eos excurreret. Tandem, importunis Graji equitum præfecti precibus exoratus, permiſit, ut paratæ [4] complures equitum graviter armatorum & cataphractorum turmæ in imparatos ex inopinato ſe effunderent: qua repentina procella Scoti, qui deſierant hoſtem timere, cum ſolutis ordinibus fugerent, eorum aut cæſi aut capti ſunt circiter octingenti: ex Anglis etiam,

1 *Proregis crudelitatem, quæ in animis imbecillioribus acrius exardeſcere ſolet*] Hoc odio Hamiltoniorum dictum.

2 *Se dediderant*] 28 Julii, inquit Leſlæus; Spotiſvodius, Holinſhedius & Anderſonus 29. Buchananus, Pitſcottius & Balfurius menſe Auguſto 1547.

3 *Sciret ſuis longe præcellere*] Ita Melvini juſſu reſcripſimus [*ſuis*] non [*ſuos*,] quod pleriſque libris legitur; idque magis ad ambiguitatem vitandam, quam quod nobis perſuaſum ſit nuſquam verbum *præcello* Accuſativum regere.

4 *Complures*] Ita ex MS. reſtituimus, pro [*quamplures*] quod in aliis libris adverſus veterum ſcriptorum exempla & Linguæ Latinæ analogiam eſt editum.

1 *Ut*

etiam, dum avidius fugientibus inſtant, capti fuerunt complures: & in iis nobiles aliquot turmarum ductores. Ex eo die, Scotorum equitatus nihil memoria dignum geſſit. Anglorum caſtra ad Præſtonum vicum erant, paullo plus mille paſſus diſtantia. Inde e ſuperiore loco Scotorum copias contemplati, cum opinione majorem multitudinem viderent conveniſſe, interim, dum de ſumma rerum conſultant, literas ad Scotos mittunt, ut, ſi quid æqui impetrare poſſent, bellum conditionibus potius quam armis finirent. Earum literarum hæc ſumma erat.

XLVII. „Se magnopere Scotos orare: primum, ut meminerint, utramque aciem Chriſtianorum eſſe hominum, quibus (niſi ſuæ profeſſionis prorſus obliviſcantur) nihil pace & tranquillitate debeat eſſe optatius, nihil armis & vi injuſta deteſtabilius. Deinde, belli præſentis cauſſam non ab avaritia, odio & invidia natam eſſe, ſed a perpetuæ pacis ſtudio, quæ nulla ratione firmius quam matrimonio coire poſſet, eoque publico procerum omnium conſenſu promiſſo, publicoque fœdere palam approbato; eiſque conditionibus, quæ Scotis quam Anglis eſſent æquiores: [1] ut quæ non in ſervitutem, ſed in vitæ ſocietatem, omniumque fortunarum communionem eos vocent. Tanto autem utiliores eas nuptias fore Scotis quam Anglis, quanto infirmioribus a potentiore & emolumentorum ſpes & injuriarum metus eſſet major. Illud autem in primis, in rationibus ponendis, in hoc genere ſpectandum, quod Reginam viro collocare Scotis eſſet neceſſe: quod neceſſitatis vis eſſet inevitabilis, & moderatio difficilis: viri eligendi poteſtatem unam publico concilio relictam eſſe. Quod ſi maritum ex dignitate & utilitate publica eligant, quem potius aſſumant, quam Regem vicinum, in eadem inſula natum, genere propinquum, [2] in eiſdem legibus, inſtitutis, moribus, & lingua educatum; nec opibus tantum, ſed omnibus fere externarum rerum vel ornamentis vel emolumentis ſuperiorem: & ad hæc, qui perpetuam ſecum concordiam, & veterum odiorum oblivionem afferret. Quod ſi peregrinum aliquem, lingua, moribus & inſtitutis diſſentientem, arceſſant ad regnum capiendum, ſecum ut cogitarent, quantis illud conſilium malis implicatum eſſet, & quot ſecum afferret incommoda: id ipſos aliarum nationum exemplo poſſe animis proſpicere: idque ſatius eſſe, quam experiundo diſcere. Quod autem ad ſe attinet, ſi Scotorum animos a concordia non alienos intelligant, aliquid de jure ſummo remiſſuros: contentoſque fore, ut puella Regia in poteſtate ſuorum educaretur, uſque ad ætatem nubilem, donec ipſa, de conſilio procerum, ſibi maritum eligere poſſet: ad id uſque tempus, ut utrinque a vi & armis abſtineretur: ne interea Regina in peregrinum ſolum tranſvehatur: neve cum Gallo, aut alio quoquam extero, de matrimonio pactio fiat. Id ſi Scoti ſancte promittant, ſe ſine mora pacato agmine diſceſſuros: & ſi quid damni Scotiam ingreſſi dederint, id ſe bonorum virorum arbitrio compenſaturos.

XLVIII.

1 *Ut quæ*] Forte [*qui*] legendum, ad [*Anglos*] enim, non ad [*conditiones*,] potius referri vocabulum videtur.

2 *In eiſdem legibus, inſtitutis*] Ita MS. editi omnes *in eiſdem legibus inſtitutum.*

XLVIII. Has literas ad ſe allatas Prorex, cum Joanne fratre, Fani Andreæ Archiepiſcopo, quem in locum & auctoritatem Cardinalis aſſumſerat, [1] paucis aliis oſtenderat. Illi in ſpem victoriæ erecti, auctores fuerunt, ut ſupprimerentur: verebantur enim, ne, ſi palam factæ eſſent, æquitate conditionum intellecta, multi ad pacatiora conſilia inclinarent. Ipſi autem per totum exercitum rumorem ſpargendum curant; „ Anglos eo conſilio veniſſe, ut ablata „ per vim Regina, regnum vi & armis in ſuam ditionem redigerent. [2] Prorex autem, homo natura ſocors, quatuor, nihilo ſeipſo in re militari conſultiores, allegerat, ad quorum nutum omnia circumagerentur. Hi erant tres ejus propinqui, Joannes frater, Fani Andreæ Archiepiſcopus, Abbas Fermelinoduni Georgius Durius, & Archibaldus Betonius: quartus erat Hugo Riggius, cauſſidicus, corporis mole & ſtolidis viribus, magis quam militarium rerum cognitione, inſignis. Hi Proregem, ſua ſponte inconſtantem, ſed ad omnem rumoris auram conſilia mutantem, ita vana ſpe victoriæ implerunt, ut aliorum admonitionibus clauſas aures haberet.

XLIX. Interea, cum per Scotorum exercitum Proregis amici fictum a ſe rumorem diſſeminandum curaſſent, ſtatim, magno cum tumultu, ad arma diſcurſum eſt. Primam aciem Archibaldus Duglaſſius Anguſiæ, poſtremam Georgius Gordonius Huntilææ, Comites, ducere juſſi. Dena utrique virorum fortium millia data. Prorex in media prope parem numerum habebat. De fuga Anglorum rumor ſubito exortus, nec omnino vanus erat. Nam, cum deficerentur commeatu, nec e longinquo frumentari, nec rapere ex agris, in tanta paucitate, auderent, unam ſalutis expediendæ rationem credebant, ſi, parte impedimentorum relicta, ipſi longis itineribus retro contenderent. Verum, tot armatorum millibus ad prælium inſtructis, cum nec in planum deſcendere auderent, [3] nec abeundo fallere poſſent, in loco ſuperiore adventum hoſtium præſtolantur. Ex adverſo, Prorex, impatiens moræ, cum per unum e ſuis Duglaſſium admonuiſſet, ut aciem promoveret; ille, ut qui, ob inopiam commeatuum, ſciret Anglos non poſſe diutius in eo loco conſiſtere, ac exſpectabat, ut agmen abeuntium invaderet, lente progrediebatur, donec per alterum a Prorege nuncium juberetur addere gradum; tum demum flumen tranſivit, media atque ultima acie ſatis longo intervallo ſequentibus.

L. Angli, qui de diſceſſu cogitabant, cum Duglaſſium ad ſe venientem magno gradu proſpicerent, Grajum, equitum præfectum, cum toto equitatu obviam miſerunt, qui agmen hoſtium moraretur, dum pedites collem propin-

1 *Paucis aliis oſtenderat*] MS. [*oſtendit,*] & melius forte ad ὁμοιοτέλευτον præcedentis verbi [*aſſumſerat*] vitandum. Ego vero totam ſententiam ſic ab Auctore ſcriptam exiſtimo; *Has literas ad ſe allatas Prorex cum Joanni fratri, Fani Andreæ Archiepiſcopo, q. i. l. & a. C. aſſumſerat, & paucis aliis oſtendiſſet: illi in ſpem* &c.

2 *Prorex autem, homo natura ſocors*] Alii ſcriptores tamen Proregem ſtrenui prudentiſque ducis officio hic functum teſtantur: at Buchananus nuſquam non diverſarum partium viros exagitandi cauſſam invenit.

3 *Nec abeundo fallere poſſent*] Ita MS. editi omnes [*obeundo.*]

1 *Equi-*

pinquum occuparent: aut, ſi daretur occaſio, Scotorum ordines turbaret: nam major pars eorum, cum Gallico armatu eſſent, Scotos impetum ſuum ſuſtinere non poſſe exiſtimabant. Verum Scotorum phalanx, denſis ordinibus conſtipata, ac longarum haſtarum vallo prætento, venientes exceperunt. Ibi cum primi Anglorum ſe haſtis induiſſent, proximi, velut in inſidias illati, retro in aciem ſuorum ſe receperunt, ac pro certo affirmarunt, „Scotorum „ordines nihilo magis perrumpi poſſe, quam ſi in murum ſaxeum incurrerent. Cum jam, peditatu relicto, equites Angli fugam meditarentur, partim mutua adhortatione, partim a ducibus retenti, & æquiore loco confiſi, ordines reſtituunt. Scotos a progrediendo in adverſum collem retinuit illud maxime, quod Jamboam Hiſpanum, cum cohortibus ſclopetariorum equitum gentilium, velut in latus incurſurum, per obliquum clivum deſcendere viderent. Itaque, ne phalangem per ſubita belli dividere cogerentur, neve a lateribus circumvenirentur, a recto collis aſcenſu pedetentim deflexerunt. Media acies cum, loco relicto, primos fugere crederet, ipſa ſolutis ordinibus fugæ ſe dedit. Id Angli e ſuperiore loco conſpicati, miſſo equitatu multos fugientium obtrivere. Toto hoc itinere, ab Eſca ad caſtra Anglorum, claſſis Anglica, in obliquum Scotorum latus jaculata, magno damno eos affecit. Cum viæ omnes armis conſtratæ eſſent, ob cædes paſſim factas, quoſdam in reditu amnis abſumſit. In ſacerdotes Monachos (nam & qui per ætatem & vires arma ferre poterant, in caſtra venerant) Angli graviſſime ſævierunt. Nec pauci erant, qui illius diei calamitatem illis imputarent, qui arroganter pacem honeſtam rejeciſſent; & in victoria, ſi eis obtigiſſet, in ſuos magis, quam Angli ſævituri ſperabantur. Ceciderunt, ex Anglis equitibus, in primo congreſſu ſupra ducentos: e Scotis vero, tota fere illuſtriorum familiarum juventus, cum amicis & clientibus, qui ſine flagitio ſe eos non poſſe deſerere exiſtimabant. In fuga multi capti. Scoti priſci, in unum globum congregati, integris ordinibus incolumes domum redierunt: per loca enim impedita, & equiti incommoda, primum ſunt progreſſi: nec, ſi quando in plana deſcendere cogebantur, [1] equitibus Anglis, qui ſparſi [2] fugientes premebant, eos auſis aggredi. Hoc prælium, inter pauca Scotis calamitoſum, factum eſt decimo die menſis Septemb. anno M. D. XLVII. M. D. XLVII.

LI. Angli, parta victoria, eaque lætiore, quod præter ſpem acciderat, quinque millia cum omnibus copiis progreſſi, ibi circiter octo dies ſubſtiterunt, & quotidie excurrendo, ad ſex ferme millia regionem circumjectam ferro flammaque vaſtarunt. [3] Neque rem ullam memoria dignam præterea attentarunt, niſi quod in æſtuario Forthæ deſertas inſulas, Ketham & Æmonam, munierunt: in æſtuario Tai, Brochteam arcem ceperunt: & inter redeundum, terreſtri itinere, Faſcaſtellum & Humium arces, injecto terrore, ad dedi-

1 *Equitibus Anglis*] Forte legendum, *Equites Angli* ——— *eos* auſi ſunt *aggredi.*

2 *Fugientes premebant*] Princeps Editio [*premerant*] quod cæteri editi in [*premerent*] mutarunt. MS. autem [*premebant*] ſcriptum eſt, quod & Crafordius voluit.

3 *Neque rem ullam memoria dignam*] Ita MS. editi omnes *ulla memoria.*

deditionem compulerunt: præſidiaque, alterum ad Lauderam, alterumque in ruinis Rosburgi, excitarunt. Repentinus eorum diſceſſus Scotorum animos nonnihil recreavit: & facultatem coëundi, ut de ſumma rerum conſulerent, dedit. Igitur ad Reginas, quæ tum Sterlini erant cum parte procerum, ſtatim poſt prælium, Prorex cum reliqua parte acceſſit: Prorex quidem & frater [1] mœſti & dejecti, ut quorum culpa eo calamitatis deventum eſſet; Regina autem vidua multa ſigna luctus, & vultu & oratione, præ ſe ferebat: ſed qui ſenſus ejus introrſus ſpeculabantur, eis non ægre ferre videbatur, Hamiltoniorum arrogantiam repreſſam: eum autem affectum, qui in dolore publico ſuperante lætitia eminebat, quibus Regum vitia nominibus honeſtis occultare mos eſt, ad animi magnitudinem referebant. Præterea Regina vidua, jam inde a morte Cardinalis, in omnes occaſiones fuerat intenta, ut Proregem loco dejiceret, & ſummam rerum in ſe transferret poteſtatem: nec unquam id effectum iri ſperabat, illis in ſummo culmine collocatis, & loca munita tenentibus. In omni fere ſermone, aucto in majus ex Anglis metu, domeſticarum copiarum infirmitatem oſtendebat, & pericula proponebat, quæ civilibus diſſenſionibus impendebant: ſuumque conſilium cum iis, quos Hamiltoniis minus æquos eſſe ſciebat, communicabat.

LII. Proceribus de univerſa re Scotica conſultantibus, decretum fit, ut Regina Britannodunum ſeponeretur, dum in conventu procerum de toto regni ſtatu ageretur. Datus eſt cuſtos, ex Reginæ viduæ haud dubie factione, Joannes Areskinus: additur ei Gulielmus Leviſtonius, Hamiltoniorum fautor: miſſi in Galliam Legati, qui a Rege Francorum Henrico auxilia ex fœdere peterent, adverſus hoſtem communem: ſpes etiam facta, Reginam in Galliam venturam, ac Delphino nupturam. Sed Galli, domeſticis curis intenti, dum lentius, quam periculum inſtans poſtulabat, auxilia comparant, Angli ab utroque limite interim Scotiam ingreſſi: Levinius Comes, velut accitus ab amicis, ad [2] ſolſtitium hibernum Drumfriſium venit. Socer enim ejus Anguſius, & vetus amicus Glencarnius, duo millia equitum, ac vicinarum gentium peditum auxilia, ei promiſerant, ſi relictis Anglis ad ſe veniret. Verum, cum ad locum & diem ventum eſt, vix trecenti convenerant; hique ex iis fere, qui latrocinio victitabant. Hæc, atque alia hujus generis ſuſpicionum plena, ac maxime varium ingenium Joannis Maxuallii, qui jam obſides Anglis dederat, Levinio fidem faciebant, ſe dolo peti. Igitur ut pari arte luderet hoſtes, retento apud ſe Glencarnio, item Joanne Maxuallio, aliiſque Scotorum primoribus, qui de ipſius ad ſuos tranſitione tractabant,

1 *Mœſti & dejecti*] Alii vero eum forti infractoque animo hanc calamitatem tuliſſe teſtantur, cujus rei præclarum adferunt documentum, heroicam ab ipſo in conventu procerum ſtatim poſt prælium habitam orationem, qua eos majorum graviora paſſorum exemplo ad patriæ jura libertatemque fortiter vindicandam animat atque hortatur. Ea autem apud Joan. Haywardum vit. Eduardi VI. pag. 287. Larreium Hiſt. Angl. Tom. 1. pag. 584. Abercromb. Præfat. ad Beaugiii bell. Scot. pag. 61. Geo. Craford. Nobil Scot. pag. 194. deſcripta exſtat.

2 *Solſtitium hibernum*] Vide ſupra ad Cap. 31. huj. Lib.

3 *Juſſi*

bant, de media nocte ſexcentos equites, partim Anglos, partim e Scotis deditis, Drumlanricum verſus pergere juſſit. Hi cum ad locum deſtinatum veniſſent, fere quingenti emiſſi, qui quam tumultuoſiſſime ferro & igne graſſarentur, ut arcis dominum Jacobum Duglaſſium in inſidias elicerent. Ille, id ipſum agi ratus, cum ſuis lucem exſpectavit: deinde, inſidiarum metu liberatus, in prædatores effuſius invectus, amnem Nithum tranſgreſſus, ipſe cum ſuis a tergo urgens abeuntibus inhæſit. Illi ſpatium & locum ſe colligendi adepti, retro in eum verſo impetu feruntur, & in anguſtiis vadi, trepidatione injecta, turbant, turbatiſque inſtantes paucos occidunt: multos viros præſtantes capiunt. Hac levi expeditione, tantus majorem Gallovidiæ partem terror invaſit, ut certatim ſe Anglis dederent: partim Levinio gratificari ſtudentes; partim ne a vicinis, relicti, ad omnem injuriam paterent, metuentes. Prorex Scotorum, veritus, ne, ſi ipſe, tanto circumſtrepente undique tumultu, nihil moliretur, animos ſuorum labefactatos penitus dejiceret, Brochteam arcem obſedit, ac, poſt tertium fere menſem, nulla memorabili re geſta, ſuos abduxit, relicto cum centum equitibus Jacobo Haliburtono, juvene impigro, qui vicina loca infeſta redderet, & commeatus terreſtres in Brochteam, & præſidium, quod in colle vicino Angli communierant, inferre prohiberet. Hæc fere ſub finem illius anni geſta.

LIII. Proximi anni, qui fuit M. D. XLVIII. initio, Angli Hadinam oppidum ad Tinam amnem in Lothiana communierunt, & villarum incendiis & direptionibus agrum totius ferme Scotiæ fertiliſſimum vaſtarunt: aliudque præſidium ad Lauderam urgebant. Et Levinius, ſub finem Februarii, limite occidentali tranſmiſſo, inſidias ſibi a parte deditorum paratas ægre evaſit: & Carleolum reverſus, de aliquot obſidibus, ac maxime Joannis Maxuallii, quem præcipuum defectionis auctorem rebatur, ex literis Regis Anglorum, pœnas ſumſit. M. D. XLVIII.

LIV. Inter hæc, Henricus Gallus, qui patri Franciſco ſucceſſerat, miſerat ad mare copias, quæ in Scotiam trajiciendæ erant, ad ſex fere millia hominum: in iis erant tria Germanorum peditum millia, duce Ringravio; duo fere Gallorum millia, ac circiter mille diverſi generis equites. Omnes [1] juſſi parere Deſſio Gallo, qui jam aliquot annos copias in Gallia, non ſine laude, duxerat. Hi Lethæ expoſiti, ac juſſi Edimburgi commorari, dum ſe a nauſea & jactatione marina reficerent. Prorex, & quod ſecum habebat copiarum, Hadinam profecti, omni aditu obſeſſo, urbem clauſerunt: edictoque in omnes partes miſſo, paucis diebus ad octo millia Scotorum convenere. Ibi, Nobilitate omni congregata, renovata eſt illa conſultatio, de Regina in Galliam tranſportanda; & Delphino deſpondenda. Convocatur concilium in [2] Cœnobium Monacharum, quod extra Hadinam eſt, hoc eſt, in ipſa

1 *Juſſi parere Deſſio Gallo*] Res a Deſſio proximo biennio feliciſſime in Scotia geſtas juſto libro complexus eſt Beaugnius Gallus, edit. Pariſ. 1556, quem & Pat. Abercrombius Anglice redditum Edimb. excudendum curavit anno 1707.

2 *Cœnobium Monacharum*] Ita MS pro quo libris editis perperam *Monachorum* legi-

ipſa caſtra. Erant in eo conventu diverſi animorum motus. Alii enim diſputabant; „Bellum ab Anglis perpetuum, & a Francis ſervitutem, ex hac Re„ginæ ablegatione, imminere. Erant qui, ob religionis conſenſum, & præſentium temporum conditionem, Anglorum oblatam amicitiam cenſerent amplectendam; „Præſertim, cum pacem decennalem offerrent, nec ullo vin„culo & pactis gravioribus Scotos illigarent. Totum enim id fœdus eſſe, „ut, vel Rege Anglorum, vel Regina Scotorum, ante decennium e vita „decedente, omnia utrinque ſint integra. Ut nullus autem fortuitus eventus „intercurrat, tamen regno malis præſentibus, quibus fractis viribus prope „ſuccumbat, liberato, poſſe, juventute, quam proxima clades pene totam „abſumſerat, longa pace aucta, ſopitis inteſtinis diſſenſionibus, maturius quam „inter cornua tubaſque, de ſumma rerum agi: qua in conſultatione, ſæpe „mora fuit ſalutaris, & præcipitem feſtinationem celeris eſt ſecuta pœniten„tia.

LV. Gallicæ cauſſæ favebant primum omnes Papani: deinde Gallicis beneficiis præoccupati, aut in magnam ſpem emolumentorum erecti. In hoc genere fuit & Prorex. Ei promiſſi erant reditus annui duodecim millium librarum Francicarum, & præfectura centum equitum cataphractorum. Ita in eorum ſententiam frequenter itum eſt, qui Reginam in Galliam [1] amittendam cenſebant. Igitur claſſis, quæ ad eam devehendam venerat, & interim Lethæ ſtabat, ſimulato diſceſſu, totam Scotiam circumvecta, Britannodunum appulit. Regina, quæ [2] complures menſes ejus adventum exſpectaverat, comitantibus Jacobo fratre, Joanne Areskino, & Gulielmo Leviſtonio, conſcendit: ac multum tempeſtatibus adverſis jactata, tandem in Britanniam, peninſulam Gallicam, fuit expoſita, atque inde ad aulam modicis itineribus perducta.

LVI. In Scotia, cum bellum ad Hadinam ſubſtitiſſet, vulgus Scotorum diverſis in locis rei gerendæ occaſionibus non defuit. Nam cum ex Humio & Faſcaſtello arcibus hoſtes excurrentes magnis incommodis vicinas regiones afficerent, tandem Scoti, obſervato, negligentius in Humio vigilias obiri, nocte per rupem, ubi ſciebant, fiducia loci, minimam diligentiam adhiberi, in ſummum penetrarunt, ac cæſis cuſtodibus arcem in ſuam poteſtatem redegerunt. Nec ita multo poſt, cum præfectus Faſcaſtelli imperaſſet vicinis agricolis, ut magnam commeatuum vim ad certum diem adveherent; hanc vicina juventus occaſionem nacta, frequens ad diem dictum affuit: ac depoſita

legitur: erat enim *Monialium* iſte conventus, quod & *vicus*, *Monialium* vulgo dictus, confirmat.

1 *Amittendam censebant*] Ita omnes libri præter unum Lud. Elzev. anni 1643 cui [*mittendam*] reſcribere placuit; at citra neceſſitatem: quamvis enim verbum *amitto* ſæpius pro *perdo* accipiatur, proprio tamen & nativo ſignificatu *amandare* innuit, quo ſenſu Terent. utitur, Heaut. III. 1. 70. *Prius proditurum te tuam vitam, & prius pecuniam omnem, quam abs te amittas filium.* Et alibi paſſim. [Vid. ad Phædr. lib 1. fab. 13]

2 *Complures menſes*] Libri editi [*quamplures*,] rectius tamen MS. *complures.* Vide ſupra ad XV. 46.

1 *Fan-*

ſita e jumentis onera cum in humeros extuliſſent, per pontem, qui duas rupes committit, recepti, repente quod ferebant dejecto, cuſtodum qui aderant ſigno dato conficiunt: ac priuſquam reliqui Angli convenire poſſent, armis & locis opportunioribus occupatis, ſuiſque per patentem portam acceptis, arce ſunt potiti.

LVII. Nec maritimus interea Anglorum exercitus quievit: tota enim terreſtris belli mole Hadinam verſa, proximas regiones præſidio nudatas rati, hoſtium duces in Fifanum agrum deſcendere decreverunt. Igitur, cum aliqua oppida maritima habitatoribus frequentia prætervecti, ad Fanum Miniani, vicum ſatis frequentem, appulerunt, ut inde, terreſtri itinere, ad immunita quidem, ſed majora, & in quibus diripiendis majus operæ pretium eſſet, pergerent; Jacobus Stuartus, Reginæ frater, accepto tumultu, ipſe cum plebe Fani Andreæ, & paucis, qui domi relicti erant, civibus, eo accurrit, aggregantibus ſe ad famam paſſim vicinis. Angli, jam in terram egreſſi, circiter ad mille & ducenti, ad pugnam inſtructi ſtabant: ac metu machinarum, quas e navibus expoſuerant, agreſtium turbam facile diſſipabant. Jacobus autem, terrore fugientium paullum compreſſo, tanto impetu in hoſtem irruit, ut, quamvis turbam temere collectam magna ex parte ſecum haberet, ſtatim hoſtem [1] funderet ac fugaret, atque inde ad mare magna cum cæde compelleret. Multi in fuga trucidati: non pauci, dum ad naves properant, aquis abſumti: navicula una cum vectoribus, dum tumultuoſius ad ſuos feſtinat, depreſſa eſt. Ferunt eo die cæſos circiter ſexcentos, centum captos.

LVIII. Illinc claſſis [2] ad Merniam, regionem minus frequentem, eſt devecta: eo conſilio, ut Montem Roſarum, oppidum non procul [3] ab Eſcæ fluminis oſtio ſitum, opprimerent. Exſcenſionem noctu facere ſtatuunt: quam opperientes, donec lucis aliquid ſupererat, ad anchoras, extra terræ conſpectum, ſteterunt. Cum per tenebras paullatim ad littus allaberentur, ipſi, ſua imperitia, rationem occulti conſilii, accenſis in omnibus naviculis lucernis, hoſti prodiderunt. Joannes Areskinus Dunius, oppidi præfectus, omnibus abſque ſtrepitu arma capere commonitis, tripliciter ſuos diviſit: [4] alios retro aggerem terrenum, in littore ad exſcenſiones impediendas exſtructum, collocavit: ipſe jaculatores alioſque leviter armatos in hoſtem duxit: tertiam manum miniſtrorum & vulgi promiſcui, adjunctis paucis hominibus militaribus, qui turbam regerent, retro collem propinquum exſpectare juſſit. His ita comparatis, ipſe cum

1 *Funderet ac fugaret*] Ita MS. ſolenni Latinis formula: editi autem [*funderet aut fugaret*] male.

2 *Ad Merniam*] Potius [*Anguſiam*] erat dicendum, qua in regione Mons Roſarum oppidum eſt ſitum.

3 *Ab Eſcæ fluminis oſtio*] Ita, non tam a Crafordio admoniti, quam re ipſa edocti, reſtituimus, pro quo libris omnibus ſcriptum eſt [*Deæ,*] qui fluvius Aberdoniam novam alluens a Monte Roſarum 28 millia diſtat.

4 *Alios retro aggerem terrenum —— collocavit*] Hic & mox lin. ult. & XVI. 33. vocem [*retro*] inſtar præpoſitionis cum Accuſativo adhibuit, cujus rei exemplum nondum reperio: forte *ad*, vel *poſt*, librarii incuria intercidit, vel corruptæ ejus ſeculi librorum editiones Buchananum fefellerunt.

1 S:

cum jaculatoribus in hoſtes deſcendentes invectus, acre certamen conſeruit: ac, tumultuario genere pugnæ, eos uſque ad aggerem pertraxit: ibi conjunctus cum ſtatione ſuorum, acie inſtructa, omnes una in hoſtem immiſit. Nec illi ceſſiſſent, niſi e colle propinquo acies alia ſub ſignis [1] ſe oſtendiſſet: tum demum ad mare & naves adeo trepide acti ſunt, ut e circiter octingentis, qui exſcenderant, vix tertia pars incolumis evaſerit.

LIX. Interea ad Hadinam acriter excurſionibus pugnabatur, nec ſine utriuſque partis damno: plures tamen ab Anglis cadebant. Itaque cum multarum rerum aut jam eſſet, aut mox inſtaret, penuria; atque auxilium, quod parabatur, ſerius venturum crederetur, quam vires obſeſſorum affectæ ferre poſſent, Bervico interea duo Equites illuſtres, [2] Robertus Bovius & Thomas Palmerius, eo mille pedites, & trecentos equites, quanta poſſent celeritate, ducere juſſi ſunt. Hi omnes, inſidiis excepti, pene ad unum interierunt. Cum Angli ſtatim alia ſubſidia mittere conarentur, eorum conſilio intellecto, Galli ad anguſtias viarum, qua venturi erant, ſe objecerant. [3] Verum Deſſius, per exploratorem hoſtium, quem ceperat, deluſus, (quippe aſſeverabat, Anglos adhuc procul abeſſe, & [4] alia via inſtituiſſe ad ſuos penetrare) relictis quas obſidebat faucibus, alio ſe avertit: & Angli interea, qua pertenderant, nemine obvio, penetraverunt. Trecentos adducebant recentes milites: attulerunt & globos ferreos miſſiles, & ſulfurei pulveris nonnihil: commeatum item ejus generis, cujus apud obſeſſos ſummam eſſe penuriam ſciebant.

LX. Dum hæc ad Hadinam varia fortuna geruntur, neque quicquam ad ſummam belli proficitur, certus affertur rumor, juſtum in Anglia conſcribi exercitum, ad obſidionem ſolvendam. Deſſius, copiis adventantibus, cum ſe imparem ſciret, caſtra paullo longius ab oppido removit, & machinas æneas, præter ſex minuſculas, ex eo genere, quæ campeſtres vocantur, Edimburgum remiſit. Tandem [5] Anglici exercitus adventus obſidionem ſolvit: quod in unius aleam certaminis rem Scoticam duces committendam non cenſebant. Scoti, [6] qua cuique proximum erat, domos redierunt. Galli, etſi Anglis vehementer prementibus, ſine noxa ſe receperunt. In reditu, Edimburgi præfectum, prohibentem cum omnibus copiis oppidum ingredi, (quod ſciret eos a prædandi licentia non poſſe contineri) una cum filio & civibus aliquot, qui ſe ad eos aggregabant, [7] interemerunt. LXI.

1 *Se oſtendiſſet*] Ita MS. alii [*oſtendiſſent,*] prius autem, ad vitandam ob antecedens [*ceſſiſſent*] κακοφωνίας quandam ſpeciem, potius videbatur.

2 *Robertus Bovius*] Is captus eſt a Roberto Kirktono Scoto. *Act. Secr. Conc.* 19 Apr. 1550.

3 *Verum Deſſius ——— deluſus*] Ita ſcribendum Crafordius admonuit, non, quod omnes libri exhibent, [*Deſſio deluſo.*]

4 *Alia via inſtituiſſe*] Ita recentiores libri, MS. tamen & princeps editio Edimb. *alia via inſtitiſſe.* [De perpetua horum verborum, etiam in antiquorum ſcriptorum codicibus, permutatione vid. ad Quinct. Lib. 1. de Orat. Inſt. Cap. 5. Gronov. ad Gell, XII. 2. ad Liv. XXVIII. 48. & Græv. ad Suet. Vitel. 2.]

5 *Anglici exercitus*] Ita MS. rectius; alii *Angli.*

6 *Qua cuique proximum erat*] Ita MS. at editi libri *qua cui proximum erat.*

7 *Interemerunt*] Editis omnibus *Galli milites interemerunt* legitur: nos vero MSti fidem ſecuti has voces [*Galli milites*] utpote

pote

LXI. Deſſius interea, ne ſeditio gliſceret, ſimul, ex rebus bene ſuccedentibus, ratus hoſtem negligentiorem factum, ſtatuit tentare, num ex inopinato Hadinam intercipere poſſet. [1] Eo tota fere nocte profectus, prima luce, vigilibus occiſis, ad muros venit, ac munimento, quod ante portam erat, oppreſſo, cæſiſque excubitoribus, alii portam effringere conantur, [2] alii horrea Anglorum proxima invadunt. Ibi molientium portas fragor, & Gallorum alacritas victoriam ingeminantium, vix tandem ſopitis Anglis ſomnum excuſſit. In hac maxima omnium trepidatione, miles quidam machinæ æneæ maximæ, quæ in portam [3] forte obverſa ſtabat, ignem ſubjecit, ut in præſenti malo etiam anceps remedium tentaret. Globus perfracta porta per denſos Gallorum ordines tranſvolans, tantam ſtragem dedit, ut, inter vociferationem militum victoriam gratulantium, & fractarum valvarum fragorem, clamor diſſonus ad extremos perveniret. Illi, trepidationis cauſſam ignorantes, in fugam converſi, reliquos ſecum traxerunt. Inde Galli cum damno repulſi, in Teviotiam, quam Angli maximis afficiebant calamitatibus, ducti. Ibi, præſidente Deſſio, Jedburgo hoſtes repreſſi, multæ incurſiones in agrum Anglorum, non ſine re & laude, factæ. Tandem, omnibus agris vaſtatis, omnium rerum inopia ad labores quotidianos adjuncta eſt, minore vulgi commiſeratione, ob Edimburgenſem ſeditionem: quam velut ad tyrannidem conatum accipiebant. Nec ab eo die quicquam a Gallis memoria dignum eſt patratum.

LXII. Rex Galliarum, ex Proregis & Reginæ viduæ literis certior factus, Deſſium, levibus expeditionibus, & ferme inutilibus, magnos ſumtus facere, gravioremque eum amicis, quam inimicis eſſe, ac præcipue poſt Edimburgi factam ſeditionem, adeo Franci militis auctam inſolentiam, (ut res non procul abeſſet a pernicie, ex inteſtinis diſcordiis eo revocato, auxiliis Paulum Termium, virum militarem, & ſumma prudentia præditum, [4] cum ſupplemento miſit in Scotiam. [5] Is dum advenit, Deſſius, cum ad ſuam exiſtimationem facere arbitraretur, Ketham inſulam, ante paucos dies captam, & muniri cœptam, recuperare, claſſe Lethæ coacta, cum lecta manu Scotorum & Francorum conſcendit, Regina vidua ſpectante, & nunc ſingulos, nunc univerſos adhortante: ac, littore potitus, Anglos in altiſſimum inſulæ angulum compulſos, cæſis fere omnibus eorum ducibus, ad deditionem, nec tamen ſine ſanguine, coëgit. Hoc poſtremo in Britannia opere fortiter patrato, exercitum Termio tradidit.

LXIII. Is eductas ex hibernis copias in regiones ad ſeptentriones ſpectantes duci juſſit: eos ipſe, Deſſio dimiſſo, ſtatim ſecutus eſt, ac exercitu [6] ad Broch-

pote parum neceſſarias, delevimus.

1 *Eo tota fere nocte profectus*] MS. editi autem omnes [*ea.*]

2 *Alii horrea Anglorum*] Vocem [*alii*] quod libris editis exciderat, e MS. repoſuimus.

3 *Forte obverſa*] Ita MS. alii *adverſa.*

4 *Cum ſupplemento miſit*] Ita MS. editi tamen vocem non neceſſariam [*Gallus*] inferſerunt; quod & Crafordius notavit.

5 *Is dum advenit*] Beaugius Termium huic expeditioni interfuiſſe ſcribit.

6 *Ad Brochteam arcem*] Leſlæus & Holinſhedius non niſi poſt recuperatam Hadinam,

Brochteam arcem admoto, brevi cam, ac mox caſtellum propinquum de Anglis cepit, utrinque fere omni præſidio deleto. Cum in Lothianam rediſſet, ac totis viribus in id incumberet, ne commeatus Hadinam ſubveherentur, ac, pene ex improviſo, magnus Anglorum & Germanorum exercitus ei ſe ad prælium paratum oſtendiſſet, ſuos inſtructos magno gradu retroduxit, donec ad loca tutiora perveniret. Interea Scotorum eques, qui ab omni parte hoſtium agmini inſultabat, conſpicatus Germanorum impedimenta incuſtodita, ea momento temporis diripuit: commeatus interim, nullo impediente, Hadinam illati. Inter hæc, ad Coldingamiam Julianus Romerus, cum Hiſpanorum cohorte, incautius, [1] ut in rebus tranquillis agens, oppreſſus, ipſe capitur: pene tota cohors eſt deleta.

LXIV. Termius, domum reverſis Anglorum copiis, ad Hadinam oppugnandam redire decreverat. Tenebant oppidum viri acres: ſed, regionibus circa vaſtatis, cum difficilis & periculoſa eſſet commeatuum e longinquo ſubvectio; parumque & raro, nec unquam ſine damno, apportaretur; ipſique præterea Angli graviſſima ſeditione domi laborarent, & foris Gallico bello premerentur, præſidium Hadinenſe, omni ſpe auxilii deſtitutum, ad Cal. Octob.
M. D. M. D. XLIX oppido incenſo, in Angliam diſceſſit. Præſidium quoque ad
XLIX. Lauderam jam in eo erat, ut, omnium rerum neceſſariarum inopia circumventum, dederetur, cum ſubito allatum eſt, de pace inter Anglos & Fran-
M.D.L. cos inita, quæ ad Cal. Apr. anni M. D. L. fuit in Scotia promulgata, ac, proximo menſe Majo, Galli milites ſunt claſſe domum revecti. Ea pax circiter triennium, quod ad externum hoſtem attinet, duravit: ſed graviſſimo bello nihilo minus fuit & moleſta & pernicioſa. Nam, qui præerant rei ſummæ, Prorex & frater ejus Fani Andreæ Archiepiſcopus, [2] uterque ſumma crudelitate & avaritia. Archiepiſcopus etiam in omnium rerum licentia ſuis cupiditatibus obſequebatur.

LXV. Primum velut futuræ tyrannidis fuit præſagium inulta cædes [3] Gulielmi Crichtonii, hominis primarii. Is in ipſis Proregis ædibus, ac tantum non in ipſius conſpectu, a Roberto Semplio fuit cæſus: pœnæ tamen exemtus fuit cædis auctor, exorante concubina Archiepiſcopi, quæ Semplii erat filia. Archiepiſcopus, qui, Rege vivo, inter eos, quibus plurimum fidebat, ſincerioris religionis ſtudium præ ſe ferebat, & eo defuncto in omnia vitia præceps ierat, e multis concubinis, hanc Sempliam, nec forma decoram, nec fama alioqui integram, nec alia re, quam procacitate, inſignem, a marito, propinquo ſuo & gentili, abductam, prope in uxoris juſtæ loco habebat. Proxime ſecuta eſt mors Joannis Malvillii, Nobilis Fifani, qui proximo Regi inter familiariſſimos habebatur. Ejus deprehenſæ fuerunt literæ ad

dinam, *Brochteam* a Termio obſeſſam tradunt.

1 *Ut in rebus tranquillis agens*] Ita MS. at vox [*agens*] omnibus editis deſideratur.

2 *Uterque ſumma crudelitate & avaritia*] De Prorege id falſum alii fere omnes teſtantur.

3 *Gulielmi Crichtonii*] Additur in MS. [*Sancharii*,] cum qua voce nos deſtituit præſtantiſſimus codex MS. reliquis quinque libris nondum tum abſolutis, aut injuria temporum deperditis.

3 *In*

ad Anglum quendam, cui amicum captivum commendabat: in eis etſi nulla ſuſpicio criminis inerat, tamen ad ſupplicium auctor earum raptus capite luit. Pœnam fœdiorem fecit patrimonium ejus, Davidi, filiorum Proregis minimo, datum. Horum quidem facinorum damna ad paucos, invidia ad multos, exemplum prope ad omnes pertinebat. Ob hanc imperitiam regni gerendi, totiuſque vitæ ſegnitiem, cum animos etiam vulgi Prorex offendiſſet, tum ob alia indies fiebat vilior: præcipue, poſt ſublatum Georgium Sophocardium, maxima parte hominum ſecutas calamitates [1] in religionem vertente: ſed iis maxime, qui non modo puritatem doctrinæ, & vitæ totius moderationem in Georgio ſuſpiciebant; ſed qui multis & ejus veraciſſimis prædictionibus perſuaſi, vim futuri perſpiciendi divinitus ei inditam credebant.

LXVI. Vileſcente ob hæc interim Proregis auctoritate, mox & ſecutum malum, multo latius fuſum, quod omnium querelas, nec eas quidem obſcuras, expreſſit. [2] Conventibus enim juridicis, per univerſum regnum indictis, verbo quidem, ut latrocinia comprimerentur: verum res ipſa oſtendit, nihil aliud, quam publicam direptionem, ſub honeſtis nominibus, quæri. Ab univerſis enim extorquebatur pecunia: & a bonis viris & latronibus æqualis multa exigebatur: & utrique, non pro magnitudine ſcelerum, ſed opum, plectebantur. Nec a ſinceræ religionis cultoribus abſtinebat crudelitatem & avaritiam; etſi ipſe aliquando eam ſectam profeſſus fuiſſet, [3] nec tum haberet Cardinalem, [4] ſub cujus nominis prætextu ſua vitia tegeret. Nec Proregis nomine pecunia turpius quærebatur, quam flagitioſius libidine fratris profundebatur.

1 *In religionem*] Ita Genev. Francof. & Lud. Elzev. at princeps Editio Edimb. Moſm. & Pet. Elzev. *in religione*, male.

2 *Conventibus enim*] Particulam [*enim*] delendam jubet Crafordius, at, me judice, præter rationem.

3 *Nec tum haberet Cardinalem*] Ita legendum, & verſu ſequente [*ſua vitia tegeret*] oſtendit orationis nexus & tenor. Hoc enim commate Proregis (licet non ſatis ex merito) crudelitatem, ſequente fratris libidinem perſtringit, aliis *haberent* & *tegerent* legitur.

4 *Sub cujus nominis prætextu*] Ita Francof. Lud. Elzev. 1643 & Moſm. 1700. antiquioribus autem, & Pet. Elzev. 1668. [*prætentu*] legitur, quam vocem alibi nuſquam reperio.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

I. REBUS domi compoſitis, Regina vidua, partim ut filiam, patriam, ac propinquos viſeret, partim ut ſpem dominandi admotam & ſeſe offerentem amplecteretur, [1] in Galliam proficiſci ſtatuit, comitibus adjunctis, quos a ſuis conſiliis non putabat fore alienos. Mulier enim ambitioſa, nec incallida, ſperabat, Proregem, [2] ſuis vitiis peſſum euntem, facile de gradu depelli, ac ſe in ejus locum poſſe ſubſtitui. Itaque, cum, apud Gallum ſupra annum commorata, rerum Scoticarum ei ſtatum indicaſſet, benigne audita eſt, & quæ voluit per fratres facile perſuaſit. Rex Gallus, ut quæ cupiebat in Scotia ſine motu adipiſceretur, Scoticæ Nobilitatis, quæ Reginam viduam proſecuta fuerat, primores, pro cujuſque ordine & loco, variis honoribus accepit. Qui Proregi aliqua neceſſitudine erant conjuncti, honoribus cumulantur. Filius enim ejus Jacobus Scotis omnibus mercede militantibus in Gallia præficitur: duodecim præterea Francicarum librarum millia annua ei promiſſa. Huntilæus (cujus filius ei erat gener) fit Comes Moraviæ: filiis Rothuſii, ex diverſis matribus, de patrimonio litigantibus, natu minimus, qui Hamiltoniis erat affinis, Comes vocatur. Gallus, a Regina vidua admonitus, Robertum Carnagium, Proregis familiarem, nuper in Galliam miſſum, ut gratias agat de auxiliis toties adverſus Anglos miſſis; item Davidem Panitarium, Scotorum nomine per aliquot annos in Gallia Legatum, & Galvinum Kilvinini Abbatem, omnes haud dubie factionis Hamiltoniæ, ad ſe vocat. Iis aperit, quæ cum Guſiis ſuperioribus diebus tractaverit: quorum ſumma eo fere tendebat, ut Proregi oſtendant; „Eum Regi rem facturum gratiſſimam, ſi breve tempus, „quod ſupererat ei magiſtratus, Reginæ viduæ cederet. Id cum & æquum „& bonum, [3] & cum legibus eſſet conſentaneum, tum ſe curaturum, ut a „rationibus ejus non alienum foret: operamque daturum, ut cum Rege munifico ac amico fideli ſibi rem eſſe ſentiat: oſtendere jubet, qua beneficentia in eum & amicos in præſentia ultro ſit uſus; quid in poſterum ſperare debeat. Ita, magnificis promiſſis oneratum, Carnagium domum remittit: ac brevi poſt, Legatum Scotorum Panitarium, Roſſienſem Epiſcopum, ſequi jubet. Is, ut majore erat eloquentia & auctoritate, cum Prorege atque ejus amicis egit,

1 *In Galliam proficiſci ſtatuit*] Ea e Scotia ſolvit menſe Septembri 1550, in Angliam venit Octob. 1551, ac exeunte Decembri proximo in Scotiam eſt reverſa. *Holinſh.* & *Diarium Eduardi VI. apud Burnetum Hiſt. Reform. Vol. II. pag.* 34.

2 *Suis vitiis peſſum euntem*] Hæc & quæ ſequuntur: ejuſdem farinæ in Proregem immerentem probra conjecta; facile nobis eſſet diluere, ni breves hiſce Animadverſionibus limites præſcripti obſtarent.

3 *Et cum legibus eſſet conſentaneum*] [*Cum*] hic præpoſitio eſt: ita enim loquitur Cic. lib 3. Epiſt. 6. *Quod quidem erat conſentaneum cum iis literis quas ego Romæ acceperam.*

egit, ut ſummæ rei adminiſtrationem in Reginam viduam transferri ſineret, ac vix tandem impetravit: ipſe ob fidem ac induſtriam in eo negotio tranſigendo, a Rege Galliarum Cœnobio in Pictonibus eſt donatus. Regina, tanquam certa de rerum in Scotia ſucceſſu, cum ſatis proviſum videretur, quo pacto Scoti, amiſſa vetere libertate, ad ſervitutem Gallorum adducerentur, accepto Legato ad rem gerendam Oſellio, homine acri, cujus conſilio in rebus omnibus uteretur, terreſtri per Angliam itinere domum eſt reverſa.

II. Proximo poſt reditum anno, Proregem, prope per omnes regni partes conventus juridicos agentem, ſecuta, Nobilitatem paullatim ſuam faciebat. Hoc toto itinere, pauci facinoroſorum ſupplicio affecti, cæteri pecunia luerunt. Hæc Regina nec probare poterat, nec tamen penitus invita audiebat: quicquid enim favoris publici Proregi decederet, id univerſum ſibi accreſcere interpretabatur. Interim igitur Nobilitate in ſuas partes tracta, cum ipſo Prorege per amicos egit, ut ſponte magiſtratu ſe abdicaret. Propinqui, circumſpectis ejus viribus, cum a pecunia & amicis eum inopem cernerent, & quanta ex tutelæ rationibus reddendis ei moles incumberet, (Rex enim Jacobus Quintus magnam vim pecuniæ & armorum, magnum navium & equorum machinarumque æneacarum numerum, magnam & pretioſam ſupellectilem decedens reliquerat, quæ ille inter ſuos, intra paucos annos, profuderat,) nec rationes poſſe diu differri, Regina jam prope adulta, videbant. His moleſtiis ſi imperii abdicatione ſe explicare poſſet, non magnam in eo jacturam fore cernebant; & magiſtratum eum totum Gallis redderet, cujus jamdiu vis omnis ab illis penderet; & invidioſo Proregis titulo, quem diu retinere non poterat, incolumitatem & ſecuritatem ſuam & ſuorum redimeret. Hæc conditio cum non diſpliceret, in has fere leges conventum eſt, ut, quæcunque Hamiltonius e proximi Regis bonis uſurpaverat, ea Gallus ei condonanda caveret, ac immunem a rationibus tutelæ nomine reddendis eum faceret: accepto tantum jurejurando, ſe, quæ comparerent, redditurum. Nec tamen in eo promiſſum præſtitit. Nam, duodecimo fere poſt anno, arce Hamiltonio poſt prælium ad Langoſidum capta, multa illic ſunt deprehenſa, quæ perjurium ejus coarguerent.

III. Data ſunt ei ampla munera, & titulus Ducis Caſtellerotii (quod eſt Pictonum oppidum, ad Viennam flumen ſitum) cum annuo duodecim millium Francicarum librarum reditu: cujus ſummæ dimidium aliquot annos fuit perſolutum. Adjectum, ut, omnium Ordinum ſuffragiis, ſi Regina ſine liberis decederet, Hamiltonius proximus hæres ei decerneretur. Hæc quidem ibi conventa & pacta, atque in Gallias miſſa, ut per Reginam ibi & Curatores ejus confirmarentur. Curatores autem Regina, de ſententia matris, creat Henricum Secundum Regem Francorum, Franciſcum Ducem Guſiæ, & Carolum Cardinalem ejus fratrem. Et Prorex quidem, quanquam ab adminiſtratione publica, ſuadente Panitario, jam decedere erat pollicitus, tamen, appropinquante finiendi imperii termino, pro ſua ſolita inconſtantia, rurſus omnia in dubium revocare, & quam gravis, e ſummo magiſtratu in vitam recidere privatam, caſus eſſet, cogitare; obnoxium ſe fore iis, quorum multos offenderat: jam

palam obniti, excuſationibus nectendis tergiverſari, cum Regina nondum duodecimum expleſſet annum. Adverſus hæc cum non deeſſet quod diceretur, tamen Regina vidua maluit Sterlinum ſecedere, ac tempus finiendæ tutelæ exſpectare legitimum, quam de re parva, etſi certa, rixari. In hoc ſeceſſu, cum Nobilitatis pars maxima ad eam ventitaret, fortuna illuc inclinante, nunquam interea ceſſavit omnibus rationibus aut proceres in ſuam factionem pertrahere, aut tractos confirmare, bonam omnibus ſpem de ſe faciendo, &, cum rerum adminiſtrationi admoveretur, (quod brevi omnes futurum intelligebant) multa ſingulis & univerſis pollicendo. Tantum illis artibus profecit, ut duo ſolum primi ordinis Proregi adeſſent, reliqui ad Reginæ partes tranſirent: apud eum enim ſoli remanſerunt Joannes frater ejus ſpurius, & Leviſtonius propinqua cognatione junctus. Hæc ſolitudo circa Proregem, & velut publica ſignificatio alienatæ voluntatis omnium Ordinum, & apud Reginam procerum frequentia, coëgit eum, ad conditiones, quas pœnitentia ductus rejecerat, denuo reverti, hac lege, ut Regina vidua eas in proximo conventu per tres Ordines, & per Curatores in Gallia, curaret confirmandas.

IV. Eodem fere tempore res in Anglia turbatæ fuerunt, ob Regis Eduardi Sexti mortem, adoleſcentis maximæ exſpectationis, propter raram ad omne genus virtutis indolem, & natura inditam, & doctrina excultam. Principio veris proximi Nobilitas Sterlini coacta eſt. Ibi frequenti concilio prolata eſt approbatio eorum, quæ cum Prorege tranſacta fuerant, quibus omnibus Regina cum Curatoribus ſubſcripſerant. Hæc quoque adjecta eſt conditio, ut Britannoduni cuſtodia penes Proregem eſſet. Ad ea perficienda, conventus eſt indictus Edimburgum, in decimum diem proximi menſis Aprilis: ibi prolata ſunt pacta & conventa, uti dictum eſt, a Curatoribus approbata. Iis lectis, Prorex aſſurgens, ſeſe palam abdicavit magiſtratu, atque inſignia imperii Oſellio tradidit. Is ea Reginæ abſentis nomine recepit: atque, ex ejuſdem mandato, Reginæ viduæ tradidit, eaque magno conventus aſſenſu, illa ſuſcepit: atque in locum Proregis ſuffecta, pompa præeunte, per urbem in palatium ſuburbanum eſt vecta. Prorex autem, qui magna frequentia procerum ſtipatus, enſe, corona & ſceptro prælatis de more, ingreſſus in comitium erat, in ordi-
M. D. nem redactus, turbæ ſe immiſcuit, [1] anno M. D. LIV. Novum fuit id pror-
LIV. ſum, & ante eum diem inauditum Scotis ſpectaculum: primum enim tum, de con-

1 *Anno M. D. LIV.*] Libris omnibus M. D. LV. perperam legitur. Ex Actis enim publicis conſtat Reginam viduam, Scotiæ Regentem publico præconio pronunciatam fuiſſe 12 Aprilis 1554, aliis noſtris ſcriptoribus conſentientibus. Quin id ipſum voluiſſe Buchananum rerum mox geſtarum ſeries & annus proxime memoratus 1555. XVI. 6. innuere videntur. Unicus tamen hic reſtat diſſolvendus nodus, quod hoc pacto ſcilicet Regina nondum tum duodecimum ætatis annum expleſſet, contra quam Buchananus aliique fere noſtri ſcriptores affirmant; nata quippe 7 Decemb. 1542, Vide ad Lib. XIV. 49. a quo tempore ad 12 April. 1554, annorum tantum 11 menſiumque fere quatuor eſt intercapedo. Et ſane non alia ratione huic difficultati occurrendum videtur, quam ut dicamus Reginæ viduæ ſententiam valuiſſe, quæ, teſtante Leſlæo pag. 518 eum annum, quo in utero matris latebat, reliquæ filiæ ætati annumerandum contenderat.

1 Cor-

concilii ſententia, ad regni gubernacula admota eſt fœmina. Hac rerum ad Gallos inclinatione, Scoti nunquam adduci potuerunt, ut arcem Edimburgenſem exteris cuſtodiendam committerent, veriti, ne, ſi Regina ſine liberis decederet, eam ſibi Galli tyrannidis ſedem conſtituerent: ea igitur tuenda Joanni Areskino velut ſequeſtro eſt data; quam nemini, niſi ex Ordinum decreto, redderet.

V. Poſt hæc, ſtatu publico (ut videbatur) compoſito, Regens (ita tum eam vocare placuit) Georgium Gordonium Huntilææ Comitem, ad comprehendendum Joannem Muderacum, Reginaldinæ gentis principem, inſignem latronem, multis ac ſceleſtiſſimis facinoribus coopertum, miſit. Hanc expeditionem parum ſincera fide creditur obiſſe Gordonius. Itaque, cum re infecta rediſſet, in cuſtodia, uſque ad diem cauſſæ dicendæ, retentus eſt: propinquis interim, ad leniendam rei male geſtæ invidiam, culpam in Catanam tribum, falſos rumores in vulgus ſpargendo, referentibus: rem enim ab eis corruptam ementiebantur, ob inſigne eorum in Gordonium odium. Id autem ex hoc fere initio exarſit. Dum Regina adornat navigationem in Galliam, [1] Gordonius Gulielmum Catanæ familiæ principem, adoleſcentem cura Jacobi Comitis Moraviæ liberaliter educatum, in vincula conjecerat, nullius quidem maleficii compertum, ſed quod ſe in clientelam ejus dedere recuſabat: oberat etiam Moravii, cujus e ſorore natus erat, propinquitas. Hunc, Gordonius, contumelia accenſum, non ſatis tutum arbitrabatur [2] poſt ſe liberum relinquere, neque dignam cauſſam expetendi ſupplicii reperiebat. Igitur, per amicos, homini adoleſcenti, & malarum artium ignaro, perſuadet, ut ſibi uni ſuam cauſſam permitteret: hac enim una ratione, poſſe alterius famæ, alterius incolumitati conſuli. Igitur Gordonius, vitæ neciſque inimici dominus factus, odio diſſimulato, cum uxore agit ſua, ut ſe abſente de homine innoxio ſupplicium ſumat: ratus, facinoris invidiam in eam transferri poſſe: quod longe contra evenit.

VI. Nam, cum omnes Gordonii vafrum ingenium agnoſcerent, & uxorem ejus, fœminam lectiſſimam, in omni reliqua vita intra matronalis decoris præſcriptum ſe continuiſſe ſcirent, omnibus facile perſuaſum eſt, eum omnium conſiliorum uxori auctorem fuiſſe. Igitur, Gordonio [3] in cuſtodia retento, de pœna in concilio Regentis ſententiis eſt variatum: aliis in Gallias eum ad aliquot annos relegantibus, aliis capite multandum cenſentibus. Utraque ſenten-

tia

1 *Gordonius Gulielmum Catanæ familiæ principem*] Editis omnibus legitur, *Gordonius apud ſe in vinculis Gulielmum Catanæ f. p. a. c. J. C. M. l. e. in vincula conjecerat*. Verum cum hæ voces *in vinculis* plane ſuperfluæ eſſent, eas rejiciendas cenſuimus. Error autem inde natus videtur, quod Buchananus primum [*in vinculis habebat*] ſcribere voluerit, poſteaque oblitus id initio ſententiæ dictum fuiſſe [*in vincula conjecerat*] addiderit.

2 *Poſt ſe*] *i. e.* dum Reginam viduam in Galliam comitaretur anno 1550. Vide Leſlæum & Holinſhedium.

3 *In cuſtodia retento*] Exſtat Regentis ſuique Concilii adverſus Huntilæum lata ſententia, qua quod ipſe legationem ſibi demandatam mala fide obiiſſet, Regentis arbitrio plectendus decernitur 11 Octob. 1554. *Act. publ.*

1 *Prin-*

tia eſt rejecta, per [1] principem inimicorum ejus Gilbertum Comitem Caſſiliſſæ: is enim, cum ex præſenti rerum ſtatu proſpiceret, non diuturnam fore inter Scotos & Gallos concordiam, ne in Galliam relegaretur, obſtitit. Hominem enim, ingenio vafro, & obtrectatoribus & æmulis nocendi cupido, bello, quod brevi futurum, ob Gallorum inſolentiam, non dubitabat, velut facem, atque adeo ducem hoſtibus præbendum non eſſe. Supplicio afficiendum etiam multo minus exiſtimabat: nullum enim malum domeſticum tantum eſſe, aut ejus vindictam tanti putandam, ut Gallos procerum Scotorum ſanguini fundendo aſſuefacerent. Eo tandem decurſum eſt, ut pecunia cum eo decideretur, ac retineretur, donec jure, quod in Moraviam ſibi vindicabat, cederet; Orcadum, Hethlandicarum inſularum & Marriæ vectigalibus, omni denique patrimonio Regio, quod in illa plaga ſitum eſt, item præfecturis juridicis aliquot provinciarum, unde illi magnæ commoditates erant, abſtineret; omneſque fructus utendos fruendoſque publicanis & coactoribus, quibus Regenti viſum eſſet, libere permitteret. His conditionibus dimiſſus, cum Regentem, alioſque nonnullos, qui apud eam plurimum poterant, conciliaſſet, non multo poſt ad intima conſilia fuit adhibitus. Interea aulica omnia officia, ex quibus quæſtus eſſet, ut æmuli videri volebant, auctore Gordonio, peregrinis dabantur, eo conſilio, ut Regentem cum Scotorum proceribus committeret; &, ex utriuſque partis cladibus, voluptatem, ſi non honeſtam, ſaltem non injucundam, caperet. Comes autem Caſſiliſſæ, qui hanc tempeſtatem futuram viderat, jam prope vates haberi cœperat. Ex eo res tranquillæ fuerunt, usque ad menſem Julium, [2] anni M. D. LV.

M. D. LV. VII. Regens, hoc velut otium a bellis nacta, ad publicum regni ſtatum corrigendum animum intendit. Ennerneſſum profecta, publicos conventus in omnibus locis fere, in quibus haberi ſolebant, coëgit; &, cum multa ſeveritate, de pluribus quietis publicæ perturbatoribus ſupplicia ſumſit. [3] Joannem Stuartum, Atholiæ Comitem, adverſus Joannem Muderacum miſit, ut offenſam Gordonii in ſuperiore expeditione corrigeret. Ille non ſolum fortitudine & conſtantia, propriis ſibi virtutibus, ſed ſolertia & felicitate ſumma uſus, eum cum liberis & omni familia deditum recepit, & ad Regentem perduxit. Verum ille, [4] ſive otii, cujus erat impatiens, ſeu ſcelerum conſcientia ægrum animum ſtimulante, cuſtodiis deceptis, elapſus, omnia cæde & ſanguine rurſus

ſus

1 *Principem inimicorum*] Is autem cum eo in gratiam, conciliante Regina, redierat, 5 Sept. 1550. *Act. publ.*

2 *Anni M. D. LV.*] 1556 reſcribendum exiſtimat Melvinus, nulla alia (ut videtur) ratione adductus, quam quia eundem annum prius pag. 554. cap. 4. memoraverat. verum cum nos illic errorem latitare ibidem oſtendimus, atque pro 1555, 1554 ſcriptum oportuiſſe, recte ſe hic numeri habere videntur.

3 *Joannem Stuartum*] Exſtat diploma, quo is una cum Argatheliæ Comite adverſus Æbudenſes mittitur, ſcriptum 27 Junii 1555. *Act. publ.*

4 *Sive otii, cujus erat impatiens, ſeu ſcelerum conſcientia*] Cum inepte [*conſcientia otii*] dici videatur, mihi vix dubium eſt quin aut [*Otio*,] aut potius, [*Otii, cujus erat impatiens, tædio*] Buchananus ſcriptum voluerit.

ſus implevit. Quo tumultu audito, Regens citius, quam conſtituerat, coacta eſt ad judicia exercenda adverſus illum atque alios maleficos proficiſci. Inde reverſa, in conventu publico, quoſdam a Cardinalis Betonii interfectoribus, homines populares, a Prorege in exilium pulſos, reſtituit. Nec tamen hoc facto plus gratiæ collegit, quam ex novorum tributorum excogitatione offenſionis. Hanc pecuniæ conficiendæ rationem, vulgo creditum eſt, Oſellium, Rubeumque, & pauculos illos Gallos, qui circa Regentem erant, commentos, ut videlicet, cenſu facto, tabulæ conficerentur, in quibus omnium bona perſcriberentur: ac ſinguli, pro rata, quotannis portiunculam ad ſumtum belli, in theſaurum publicum, hunc in uſum deſtinatum, reponerent. Ex ea pecunia, in hoc peculiari ærario ſervata, mercenarium militem poſſe conduci, qui limitibus eſſet præſidio, quieta interim domi Nobilitate, niſi ſi quando major vis hoſtium ingrueret, quam ut ordinariis præſidiis poſſet ſuſtineri.

VIII. Hanc novam pecuniæ confectionem cum tenuiores ægerrime ferrent, & amarulentis dictis palam proſequerentur, e proceribus major pars tacite muſſabat, dum quiſque reſpicit, ne, qui primus obviam iret Regentis cupiditati, præcipuam recuſationis invidiam in ſe unum averteret. Proximus ordo primoribus, qui ſua taciturnitate libertatem publicam proderent, non minus quam Regenti infenſus, cum circiter trecenti Edimburgi conveniſſent, e ſuo corpore duos, Jacobum Sandelandium Calderanum, & Joannem Vemium, ad Regentem miſerunt, qui in tributo ſolvendo ignominiam, & in cenſu conficiendo paupertatis publicæ & privatæ confeſſionem deprecarentur; „Majores enim ſuos non „modo ſe ſuaque adverſus Anglos, longe quam nunc ſunt potentiores, defendiſſe, „[1] ac ſæpe etiam in illorum agros incurriſſe: neque ſe nunc degeneraſſe adeo, „ut non & rem & vitam, ſicubi uſus poſtulet, patriæ impendant. Quod ad „mercenariorum conductionem pertineat, rem eſſe periculi plenam, ſummam „rei Scoticæ hominibus, ſine re, ſine ſpe, quidvis ob pecuniam auſuris, com„mittere, quorum profundam avaritiam incendat ad nova molienda occaſio, „& fortuna ſecum fidem circumagat. Et, ut cætera recte ſe habeant, illique „patriæ caritatis magis quam ſuæ conditionis meminerint, cuiquamne cre„dibile fore, mercenarios fortius pro alienis, quam dominos pro ſe ſuiſ„que, præliaturos, majoreſque ſtimulos excitaturam in vulgi ignobilis ani„mis exiguam mercedulam, mox in pace caſuram, quam Nobilitati fortunas, „liberos, conjuges, araſque & focos? Huc præterea illud accedit, quod hæc „conſultatio ad imperii Scotorum ſummam ſpectet, reſque multo ſit major, „quam quæ hoc tempore, & in hac Principis noſtræ ætatula, ſit tractanda: „&, ut confici abſque ullo motu poſſit, ipſam illam novam belli adminiſtran„di rationem inutilem fore, major pars hominum ſuſpicatur & metuit, præ„ſertim cum ex tributo Scotorum, hominum non copioſiſſimorum, tantum „pecuniæ ægre confici poſſit, ut ad tuendum per mercenarium militem limi„tes ſufficiat: verendumque, ne hujus conſilii is ſit exitus, qui limitem no„ſtrum

1 *Ac ſæpe etiam*] Forte legendum, *ſed ſæpe etiam.*

„ſtrum hoſtibus potius aperiat, quam claudat. Nam ſi Angli ex opulentiore „regno opulentius in eum uſum ærarium inſtituant, quis dubitet, eos, cum „ſuæ plebis minore moleſtia duplo noſtris majores alere poſſe copias: & eas, „non quæ limiti obtendantur, ſed in ipſa regni viſcera penitus irrumpant?

IX. Reliquam orationis partem, neſcio, an præſtet ſilentio ſupprimere, an „in vulgus efferre. Audio pleroſque obmurmurantes, Hanc pecuniolam quis „colliget? Quantum ex ea erit neceſſe in quæſtorum aut coactorum mercedem „decidere? Quis eam ſpondebit, non in luxuriæ inſtrumentum, ſed in uſum „publicum converſum iri? Magnam, nihil tale futurum, ſpem nobis affert, „magnam ſuppeditat fiduciam Principis clariſſimæ (penes quam nunc ſumma „eſt poteſtas) probitas & temperantia: ſed, cum aliorum vel externa, vel no„ſtra facta recordamur, non poſſumus nobis imperare, ne, quod ſæpe factum „vidimus, aliquando futurum timeamus. Sed, his omiſſis, quæ fortaſſe fru„ſtra timemus, ad ea veniamus, in quibus majores noſtri, in ſua libertate „munienda, adverſus arma potentiorum, maximum collocarunt præſidium. „Roberto, ejus nominis Primo, Scotorum Regum nemo creditur fuiſſe pru„dentior: certe fortiorem nullum fuiſſe omnes confitentur. Is, ut, quemad„modum ſæpe vivus fecerat, etiam vita functus aliquando civibus ſuis prodeſſet, „moriens hoc conſilium dedit, ne Scoti non modo pacem perpetuam, ſed nec „longiores inducias cum Anglo facerent: videbat enim homo, & natura ſoler„tiſſimus, & longo rerum uſu in utraque fortuna exercitatus, in otio & deſi„dia animos deliciis & voluptatum amœnitate frangi, corpora langueſcere, & „extincta diſciplina ſeveriore & parſimonia, velut in ſolo inculto, luxuriam & „avaritiam ſuccreſcere, & laborum impatientiam, & otio aſſuetorum ignaviam „& militandi odium: quibus malis, corporis & animi vires labefactatæ, virtuti „malorum tolerantia exercitatæ, [1] facile concedunt, & inſolitam iſtam ex otio „brevi voluptatem inſigni aliqua calamitate fœnerantur.

X. Hæc ubi dicta ſunt, Regens, tumultum (ſi perſeveraret) verita, cenſum remiſit, &, errore ſuo agnito, ſæpe dictitaſſe fertur, „Non ſe, ſed Scoto„rum non obſcuriſſimos ejus conſilii fuiſſe architectos. His verbis plerique Huntilæum deſignari exiſtimabant, hominem ſuopte ingenio acrem; e cuſtodia nuper emiſſum, magiſque injuriæ (ut videri volebat) in ſe detinendo: quam oſtentatæ in liberando benevolentiæ memorem. Igitur, cum videret Regentem in id unum intentam, ut Scotos tributis aſſuefaceret, veritus, ne, nimium aucta ejus potentia, Nobilitatis vires infringeret, & auctoritatem imminueret, omniumque rerum arbitrium mulier peregrina ad ſuos cives revocaret, conſilium dediſſe creditur, non abhorrens ab ejus animo, & pecuniæ confectione, quam illa tum maxime tractabat, ſed alioqui plane hoſtile: gnarus videlicet, neque Scotos tributa ſoluturos, nec in poſterum tam facile, quam antea fecerant, parituros. Sunt qui hanc pecuniæ cogendæ rationem a Davide Panitario Roſſienſi Epiſcopo excogitatam credant. Erat enim is homo ſummo ingenio & doctrina præditus, Hamiltoniorum quidem beneficiis affectus, nec ab eorum genere & conſiliis alienus. XI.

1 *Facile concedunt*] Forte *concidunt* Buchananus ſcripſerit.

1 *In-*

XI. Proximo anno, qui fuit M. D. LVII. dum Legati Scotorum de pace Carleoli agunt, Gallus a Regente Scotorum per literas petit, ut Anglis, ex fœdere, bellum indiceret. Cauſſa prætendebatur, quod Angla Philippum Hiſpanum ſuum maritum, tum acerrime adverſus Gallos bellantem, auxiliis in Belgium miſſis juvabat. Reverſis ex Anglia Legatis, neque certo bello, neque pace confirmata, Regens, ad Neobotellum Cœnobium proceribus convocatis, cum varias incurſiones Anglorum in Scotorum agrum factas, prædas abactas, res repetitas & non redditas, recenſuiſſet, poſtulat a Scotis; „Ut „bellum Anglis indicant, & ſimul hanc genti ſuæ ignominiam demant, & „Regi Gallorum eadem opera opem ferant. Nec proceribus tamen perſuadere poterat, ut bellum priores inciperent. Igitur alia via rem aggreſſa eſt, maxime Oſellii (ut creditur) uſa conſilio. Ad oſtium Aii amnis præſidium ædificare jubet, adverſus Anglorum ſubitas incurſiones: in quo etiam tormenta ænea, reſque alias ad uſum belli neceſſarias, ſeponere tuto & commode, cum opus eſſet expromere, poſſet, ne convehendi, e longinquis regni partibus, labor multum temporis conſumeret, &, præter vecturæ moleſtiam, rebus gerendis eſſet impedimento. Et hæ quidem utilitates omnes aderant: ſed alia erat deſtinati operis cauſſa. Non enim dubitabatur, Anglos opus impedituros, & omnia conaturos, ne molitio, tam propinqua Bervico, creſceret. Hinc ſemina belli (quod illa cupiebat) jaci; culpamque ſumtorum armorum in hoſtes rejici poſſe. Nec defuit eventus conſilio. M. D. LVII.

XII. Nam Scoti, hoſtium injuriis laceſſiti, dum ſua defendere coguntur, facile Regenti, de indicendo bello, conſentiunt: ac, receptis Legatis, qui ad pacem faciendam fuerant in Angliam miſſi, propoſito edicto, ac die ad conveniendum ſtatuto, frequentes Edimburgum coëunt. Cum ad Maxuallii rupem caſtra eſſent poſita, nec de ratione belli gerendi quicquam adhuc in concilio decretum foret, qui Regenti gratificari ſtudebant, & ſuam Gallis operam oſtentare, jam circa Vercam arcem, in Anglorum limitibus ſitam, prædabundi diſcurrebant. Oſellius aliquot Gallorum vexilla illuc adduxerat, & tormentorum quantum ad ejus arcis expugnationem ſatis videbatur. Is, non exſpectato concilii decreto, ea trans Tuedam amnem miſerat. Id factum Scotorum procerum animos, ſupra quam credi poteſt, offendit. Oſellius enim eo ſpectare videbatur, ut, quicquid in ea expeditione gereretur, ejus gloriam, apud Gallum, in ſe unum transferret: atque paullatim Scotos, imperiis ferendis aſſuetos, ſibi obnoxios faceret. Scoti vero[1] [*indignabantur*] ab homine privato, eodemque peregrino, ſe ita contemni, ut ne ſententiis quidem, juxta majorum conſuetudinem, corrogatis, circumagerentur, ab eo præſertim, qui, proceribus inconſultis, plus uni ſibi arrogaret, quam ullus unquam Regum attentaſſet. Re igitur in concilio deliberata, in id omnes conſenſerunt; „Se non objecturos regni vires hoſtibus, ad cujuſvis privati hominis arbitrium, præſertim cum nec Regibus unquam legitimis in eo genere „parere conſueſſent, niſi rebus, antequam geri cœpiſſent, in concilio expli„catis,

1 *Indignabantur*] Hanc vocem, ab omnibus libris omiſſam, Crafordio & re ipſa admonente, reſtituimus.

„catis, & multùm diuque expenſis. Hanc vero imperandi licentiam quid „aliud eſſe, niſi tentationem, quam patienter tyrannidem ferre poſſent. Itaque Oſellium jubent machinas reducere; ni parcat, pœna, quæ a proditoribus exigi ſoleret, indicta. Hæc moleſtiſſime tulerunt Regens & Oſellius: quod altera ſuam, alter Regis, cujus erat Legatus, majeſtatem minui exiſtimaret: ſed cum viribus eſſent impares, pro tempore ferenda erant: neque remedium aliud occurrebat, niſi ut Regina Scotorum, quæ jam nubilis erat, cum primum commode poſſet, Delphino nuberet: ita enim concilii publici vim, cum in viri manu uxor eſſet, imminutum iri.

XIII. Per eam hiemem variæ, & eventu vario, fuerunt excurſiones: una ad Zeviotæ montis radices memorabilis, qua inter Norfolciæ Ducem & Andream Carum acriter & diu ancipite victoria certatum eſt. Tandem, ad Anglos inclinante victoria, Carus captus fuit: multi utrinque viri fortes vulnerati. Conventus Edimburgum in menſem Decembrem eſt indictus, ad literas Regis Francorum audiendas. In iis, poſt ſatis longam fœderum antiquorum commemorationem, & mutuam officiorum viciſſitudinem, petit a Senatu Scotorum, qui ex trium Ordinum delectis conficitur; „Ut, quoniam Delphinus filius ſuus, circa finem Decembris, ætatem, juxta leges nuptiis maturam, eſſet ingreſſurus, Legatos homines idoneos cum liberis mandatis mitterent, qui nuptias prope inchoatas (quippe hac ſpe Regina Scotorum in Franciam fuerat tranſmiſſa) abſolvant, & gentes hactenus fœderatas in unum velut corpus uniant, & veterem utriuſque populi benevolentiam hoc inſolubili vinculo connectant. Id ſi faciant, prolixe de ſe ſuiſque omnia pollicetur: & quicunque benevolentiæ fructus ad amicos pervenire poſſent, a ſe ſperare „jubet.

XIV. Hæc feſtinatio Galli cum omnes intelligerent quo pertineret, Scotique cum eo mox de libertate certamen imminere proſpicerent, tamen ad conventum indictum obedienter omnes venerunt. Ibi, ſine tumultu, electi octo, in Galliam matrimonio conficiendo legati, ſupremi Ordinis tres, Gilbertus Kennedus Caſſiliſſæ, & Georgius Leſlius Rothuſiæ Comites: his additus eſt [1]Comernaldiæ Regulus Jacobus Flaminius, familiæ ſuæ princeps; tres item ordinis Eccleſiaſtici, Jacobus Betonius Glaſcuenſis Archiepiſcopus, Robertus Reidus Orcadum Epiſcopus, & Jacobus Stuartus Cœnobii Fani Andreæ Prior, & idem Reginæ frater: infimi ordinis duo, Georgius Setonius, quod Edimburgi, & Joannes Areskinus Dunenſis, [[2]quod] Montis Roſarum præfectus eſſet, Equeſtri quidem loco, ſed dignatione primoribus facile par. Eos, cum vela feciſſent, littus Scotiæ legentes, primum ventus vehementiſſimus excepit: deinde longius provectos adeo ſæva tempeſtas afflixit, ut duæ naves, non procul a Bononia, Morinorum oppido, fluctibus obrutæ perierint. Comes Rothuſius, & Orcadenſium Epiſcopus, piſcatoria navicula in ter-

1 *Comernaldiæ Regulus*] Ita legendum, ut in utraque Edit. Edimburg. non *Comerlandiæ* quod cæteris irrepſit.

2 *Quod*] Hanc vocem, poſtulante ſententia, monitu Crafordii interſeruimus.

terram delati, ſoli ex vectoribus evaſere incolumes: cætera claſſis, diu fluctibus jactata, ad alios littoris Gallici inferiores portus appulit.

XV. Legati, cum rurſus in unum locum conveniſſent, ſtatim in aulam contenderunt. Ibi de nuptiis agi cœptum: & cunctis fere aſſentientibus, Guſiorum tamen in eis accelerandis inſigne ſtudium erat: ſimul quod ea affinitate multum auctoritatis acceſſurum ad ſuam familiam exiſtimabant: ſimul occaſio eorum cupiditati ſuffragabatur, quod, qui eas maxime improbaturus videretur, Annas Momorancius, omnium tum Gallorum procerum habitus prudentiſſimus, detineretur ab hoſte captivus. Is, cum ob multas alias cauſſas, ut pleriſque videbatur, non injuſtas, rem præcipitari nolebat, tum ne Guſiorum potentia (quæ prudentioribus ſuſpecta, omnibus jam intolerabilis eſſe cœperat) ſupra quam tutum Regibus eſſet, creſceret. E quinque enim fratribus Guſiis, qui natu maximus erat, omnibus, quæ in Gallia merebant, copiis præerat: proximus in Ligures, ut Carolo Coſſæo ſuccederet; tertius ad eum, qui in Scotia erat, exercitum, cum imperio & ſupplemento, mittebatur: in quarti poteſtate triremes ad Maſſiliam erant: in Cardinalis Caroli manu res nummaria tenebatur: ita ut nec miles, nec nummus, in omni ditione Regis Gallorum, citra eorum voluntatem moveri poſſet. Hanc Regis optimi fortunam quidam commiſerati, memoria repetebant illorum temporum conditionem, cum, per aulæ factiones, Gallorum Reges in monaſteria, velut mitius quoddam exilium, relegabantur.

XVI. Aula, per aliquot dies nuptialibus illis orgiis operata, ubi ad ſe rediit, Legatis Scotorum in concilium vocatis, Cancellarius Franciæ cum eis egit, „Ut coronam cæteraque regni inſignia repræſentarent, ut Reginæ ma„ritus, de more, Scotorum Rex crearetur. Ad ea breviter Legati; „Nihil „ſibi de iis rebus mandatum, „reſponderunt. Tum rurſus Cancellarius: „Ni„hil aliud a vobis in præſentia poſtulamus, quam quod in veſtro poſitum eſt „arbitrio, ut, cum hac de re in conventu Scotorum diſceptabitur, honorem, „quem juſte nunc petimus, veſtris ſuffragiis comprobetis: idque vos ita factu„ros, ſyngrapha confirmetis. Id poſtulatum cum impudentiæ plenum videretur, paullo conſtantius atque acrius rejiciendum exiſtimarunt: itaque reſponderunt; „Suam legationem intra præſcriptas metas coërceri, quas nec „poſſent, nec vellent tranſgredi. Quod ſi etiam cum liberis mandatis miſſi „eſſent, tamen amicorum fidelium non eſſe, poſtulare, quod ſine certa per„nicie & proditionis infamia, etiamſi periculum capitis abeſſet, concedi ne„quiret. Se quidem Gallis, tot neceſſitudinibus conjunctis, quæ ab amicis „honeſte tribui poſſent, gratificaturos. Orare, ut illi in petendo intra eoſ„dem modeſtiæ ſe fines continerent.

XVII. Ita Legatis ex aula dimiſſis, etſi redire ad ſuos feſtinabant, tamen, antequam conſcenderent, quatuor e principibus eorum, Gilbertus Kennedus, Georgius Leſlius, Robertus Reidus & Jacobus Flaminius, omnes ſumma virtute & caritate in patriam; item complures ex eorum comitibus, non ſine magna ſuſpicione veneni, deceſſerunt. Creditus eſt Jacobus, Reginæ frater, eadem potione petitus: nam etſi, conſtitutione corporis firmiore & juventæ

 ro-

robore fretus, mortem evaſerat, aſſidua tamen & periculoſa ventriculi infirmitate, quoad vixit, laboravit.

XVIII. Ea æſtate fuit is rerum in Britannia ſtatus, ut magis pax non eſſe, quam bellum eſſe, videretur. Certatum eſt utrinque prædis abigendis, & villarum incendiis: incurſiones interim non incruentæ factæ: duo Nobiles captivi ab Anglis abducti, Gulielmus Kethus, Comitis Martialis filius, & Patricius Grajorum familiæ inter Scotos princeps: cætera bellorum damna per vilia capita ſunt evagata. Eodem fere tempore, Angli, duce Joanne Claro Equite, claſſem ad infeſtanda Scotiæ littora miſerunt. Ea ad Orcades acceſſit, ut, exſcenſione facta, Cracoviacam, ſedem Epiſcopalem, ſolumque in ea gente oppidum, cremarent. Cum ſuorum non paucos in littus expoſuiſſent, ſæviſſima procella ſubito exorta naves ab ora maris in altum rejecit: ibi, cum undis & ventis diu conflictatæ, vela retro in Angliam dederunt. Qui deſcenderant, ab Inſulanis ad unum ſunt occiſi.

M. D. LVIII. XIX. Hoc anno, & ſuperiore etiam, cauſſa religionis quodammodo jacuiſſe videbatur, quod, morte Georgii Sophocardii nonnihil compreſſa, abunde ſibi ſatisfactum putarent alteri, ſi in cœtibus privatis tranquille Deum patrio ſermone colere, & de rebus divinis ſobrie diſputare, liceret: alteri, cæſo Cardinali, magis duce partium quam vindictæ cupiditate ſe carere oſtenderent: nam qui in locum ejus ſucceſſerat, magis pecuniam quam ſanguinem adverſariorum ſitiebat; neque fere ſæviebat, niſi ut prædandi & voluptatum fruendarum licentiam tueretur. Menſe Aprili, Valterus Millus, ſacrificulus, nec admodum literis expolitus, Epiſcopis tamen ſuſpectus, quod miſſare deſiiſſet, ad conventum eorum rapitur. Is, quanquam & natura & ætate invalidus, & extrema paupertate oppreſſus, tamen e ſqualore carceris productus, & acerbiſſimis conviciis petitus, adeo non modo conſtanter, ſed etiam acute reſpondit, ut tanta animi magnitudo & fiducia, in tam tenui corpuſculo, etiam inimiciſſimis, divini numinis vi nixa videretur. Cives Fani Andreæ adeo ægre injuriam ei factam tulerunt, ut nemo inveniretur, qui judex in eum ſederet: nec, tabernis omnibus clauſis, quicquam, quod ad ſupplicium faceret, venale haberetur: quæ res unum vitæ diem ei produxit. Poſtridie tandem repertus eſt e familiaribus Archiepiſcopi, Alexander Somervallius, homo flagitioſus, qui judicis perſonam in eum diem ſuſciperet. Populus certe ejus mortem adeo moleſte tulit, ut, ne memoria mortis ſimul cum vita interiret, in eum locum, ubi corpus ejus crematum fuerat, magnum lapidum cumulum congeſſerit: quem cum per aliquot dies diſſipandum ſacerdotes curaſſent, ſemper poſtridie congeſtus apparebat, donec tandem, opera Papanorum, ad ea, quæ per oppidum extruebantur, ædificia fuit aſportatus.

XX. Ad XIII. Cal. Aug. dies ab Epiſcopis dicta erat Paullo Meſanio, nobili tum verbi divini concionatori. Eo die, cum frequens advocatio procerum adfuiſſet, ac res ad tumultum ſpectaret, judicium in aliud tempus dilatum eſt: complures, ſed abſentes tantum, damnati: qui, ne acerbitate pœnæ terrerentur, juſſi ad Cal. Sept. adeſſe: ac recantantibus errorum venia promiſſa. Cum in eaſdem Cal. incideret dies D. Ægidio feſtus, quem,

velut

velut Deum tutelarem, Edimburgenſes venerabantur, & magnis ei poculis libabant, ac vicinos & hoſpites magno epularum luxu accipere ſolebant; Regens, verita, ne, in tam confuſæ multitudinis turba, tumultus aliquis oriretur, & ipſa adeſſe voluit. Papani ejus adventu læti, facile exorant, ut in pompa ſolenni, in qua Ægidius per urbem ferri conſueverat, adeſſet: ſed Ægidius, ex æde ſua furto ſublatus, nuſquam comparebat. Verum ne pompa Ægidio, aut oppidum pompa, tam celebri die careret, ſubſtitutus eſt ei alius Ægidiolus. Hunc cum Regens eſſet comitata, per maximam oppidi partem, ſine ulla ſuſpicione motus, ac ſe feſſam in diverſorium contuliſſet, ſtatim juventus urbana Ægidiolum, e ferentium humeris detractum, in cœnum provolvit, apparatumque pompæ disjecit. Sacrificuli & Fratres, qua quiſque poterat, trepida fuga dilapſi, ſpeciem tumultus majoris præbuerunt. Verum, ubi intellectum eſt, plus in eo motu timoris quam periculi fuiſſe, remque totam citra cædem ac ſanguinem tranſactam, rurſus e latibulis ſuis prorepſerunt, & congregati, de ſumma rerum conſultant. Ibi, etſi priſtinæ dignitatis recuperandæ ſpe prope penitus dejecti, tamen, ſi quid, fiduciæ ſimulatione, rebus deploratis mederi queant, non ſecus ac ſi prioris fortunæ vires manerent, ultro metum hoſtibus intentant: conventum Edimburgi ad VI. Id. Novembr. indicunt. Ejus dies habendi cum veniſſet, ſacerdotes in ædem Dominicanorum collecti, Paullum Meſanium, quem jampridem in ſuperiori conventu adeſſe juſſerant, nominatim citant: ei abſenti exilium indicunt, cum graviſſimæ pœnæ denunciatione, ſi quis eum tecto recipiat, aut ulla re ad vitam neceſſaria juvet. Ea comminatio minime Taodunanos ab officio deterruit, quo minus neceſſaria ſuppeditarent, & alii ad alios deducerent, & per homines in aula gratioſos agerent cum Regente, ut exilium ei remitteretur: ſed, cum ſacerdotes non ſolum reniterentur, ſed pecuniæ vim ſatis magnam offerrent, nihil confici potuit.

XXI. Inter hæc, quidam viri nobiles, e Fiſa maxime & Anguſia, ac aliquot oppidorum cives illuſtriores, per omnes Scotiæ præfecturas diſperſi, hortabantur univerſos; „Sinceram divinæ legis prædicationem amarent: ne ſe „ſuoſque amicos, & eorundem ſacrorum participes, a paucis & infirmis op„primi ſinerent. Si jure agere inimici velint, ſe ſuperiores: ſin vi contende„rent, non impares fore. Quibus hæc placerent, tabulas, ea de re confectas, quibus ſubſcriberent, offerunt. Hi primi CONGREGATIONIS nomen aſſumſerunt, quod poſtea celebrius, qui conſecuti ſunt, fecere. Purioris religionis vindices, cum jam procul dubio rem in ultimum diſcrimen brevi venturam proſpicerent, communiter ad Reginam poſtulata quædam mittere decreverunt, quæ niſi obtinerent, neque facies Eccleſiæ ulla futura erat, neque multitudo a ſeditione poterat contineri. Eis ad Regentem ferendis, hominem ætate venerabilem, totoque vitæ curſu eleganter acto, Jacobum Sandelandium Calderanum ſplendidum Equitem ſelegerunt; qui, legationis mittendæ neceſſitate multis verbis explicata, nomine omnium, qui Eccleſiam Chriſti inſtauratam cupiebant, in ſumma hæc poſtulavit; „Ut, in precibus publicis, in

„Sa-

„Sacramentorum adminiſtratione, Miniſtri Eccleſiæ populari lingua, quæ ab „omnibus intelligi poſſet, uterentur: ut Miniſtrorum electio, juxta antiquam „Eccleſiæ conſuetudinem, penes populum eſſet: ut, qui præeſſent electioni, „in eorum vitam doctrinamque diligenter inquirerent: & ſi, per ſuperiorum tem- „porum negligentiam, indocti flagitioſive ad honores obrepſiſſent, ut, eis a „miniſteriis Eccleſiæ remotis, alii ſufficerentur.

XXII. Sacerdotes, ad hæc indignabundi, fremebant, eſſe quenquam, qui palam tam imprudentis facinoris auctorem ſe profiteri auderet. Deinde, paullum ſedato motu, reſpondent; „Se rem procul dubio diſputationi commiſſu- „ros: quod enim illinc fore periculum, ubi ipſi in ſua cauſſa futuri eſſent judi- „ces? Contra contendentibus religionis vindicibus? „Non ex hominum arbi- „trio, ſed perſpicua Scripturæ ſacræ ſententia rem decidi debere: „propoſuerunt ſacrificuli & alias concordiæ conditiones, ſed tam ridiculas, ut reſponſione ſint indignæ; „Ut videlicet, ſi vindices religionis Miſſam in priſtino reti- „nerent honore: ſi Purgatorium poſt hanc vitam eſſe faterentur: ſi & Divis ſup- „plicandum, & pro mortuis orandum eſſe, conſentirent: illi nobis viciſſim „permitterent, ut ſermone patrio, in precibus Deo offerendis, in Baptiſmo & Cœna Domini, [1] uteremur. Inſtauratores Eccleſiæ inſtiterunt (uti ante) a Regente petere; „Ut, in cauſſa tam juſta, reſponſo ſe, ab æquitate & ratione „non alieno, ſolaretur. Regens quidem ſacerdotum cauſſæ favebat: eiſque clam, ubi primum ſe daret occaſio, ſuam operam opemque ſpondebat: adverſam factionem jubebat; „Patrio ſermone orare Deum, Sacramenta populo exhibe- „re, cæteroſque ritus obire, ſine tumultu: tantum, ne doctores eorum pu- „blice, Edimburgi & Lethæ, conciones ad populum haberent.

XXIII. Hæc etſi illi ſedulo præſtarent, tamen alienatæ ab eis voluntatis multa ſe prodebant indicia, & Papani Edimburgi ad eadem fere poſtulata, quæ per Nobilitatem ad eam ſunt delata, pene paribus uſi ſunt reſponſis: hoc etiam amplius, ad eam partem, quæ erat de Miniſtrorum electione, in hoc genere quæſtionum, aut juris Canonici, aut Concilii Tridentini decretis ſtandum. Sed nec ipſi, de rebus ſuis, quicquam in illo cœtu ſtatuerunt, niſi quod Epiſcopis mandarunt, ut in ſingulas ſuæ ditionis parœcias occultos delatores mitterent, qui legum Papiſticarum violatores ad ipſos deferrent: &, quanquam jam palam ſuas minas pro nihilo pendi viderent, tamen & auctoritate publica (quæ penes ipſos erat) & Gallorum armis confiſi, non minus imperioſe quam antea infirmioribus inſultabant. Ad horum animos aliqua ex parte mitigandos, & acerbitatem ſententiæ adverſus Evangelii concionatores deprecandum, miſſus eſt Joannes Areskinus, Dunenſis Comarchus, homo doctus, & perinde pius & humanus. Is, pro ea, qua cuncti erga Deum pietate, erga homines caritate, affici debemus, eos oravit; „Ut ſaltem non gravarentur, tolerare, „ut, cum populus ad orandum conveniret, Deum patrio ſermone, juxta le- „ges divinitus juſſas, coleret. Hanc ejus poſtulationem tantum abeſt ut com- pro-

1 *Uteremur*] Ita, admonente Crafordio, reſcripſimus, pro quo [*uterentur*] libros omnes mendoſe occupavit.

1 *Ve-*

probarent, ut acrioribus & arrogantioribus, quam unquam antea, verbis inceſſerent, adjectis etiam ſolito gravioribus minis & conviciis: ac, ne nihil in eo conventu actum putaretur, quaſdam protritas Papanorum leges typis curant excudendas, omniumque templorum valvis affigendas, quas, quia quadrante [1] veniebant in publicum, vulgus quadrantarias, & interim triobolarem fidem, vocabant.

XXIV. Inter hæc, in conventum Ordinum ingreſſi, qui ſuperiori anno legationem in Gallia obierant, facile tenuerant, ut acta ſua probentur. Introductus deinde Gallorum Legatus, cum ſatis longa oratione explicaſſet Regum Gallorum veterem ac diuturnam in omne Scotorum nomen benevolentiam, ab omnibus & ſingulis vehementer contendit, ut corona, quam ille, novo ac monſtroſo nomine, matrimonialem vocabat, maritum ſuæ Reginæ ornent: quo e nomine, nullum emolumentum, nulla potentia, præter nudam vocis illius uſurpationem, eſſet acceſſura. Multæ aliæ verborum blanditiæ, quas hic enarrare ſupervacuum eſſet, a Legato adjectæ fuerunt: quæ, quo in re futili erant accuratiores, tanto, ne fraus occulta ſubeſſet, ſuſpectiores fuerunt. Legatus tamen, partim immodicis promiſſis, partim importunis precibus, favore etiam quorundam mox futuræ adulantium potentiæ, tenuit, ut corona Delphino decerneretur. Delecti, qui eam ferrent, Gilcſpicus Cambellus Argatheliæ Comes, & Jacobus Reginæ frater. Hi, cum in manifeſtum exitium ablegari viderentur, jam imminente omnium capitibus Gallicæ ambitionis procella, lentius profectionem adornare, ac rem in diem proferre, decreverunt, donec, omnia circumſpiciendo, velut futuri temporis certius omen captarent: præſertim cum propior & luculentior honoris titulus ſeſe offerret. Mortua enim Maria Anglorum Regina, ſtatim Scota ſe pro hærede gerit: ac titulos & inſignia Regum Anglorum in omni ſupellectili & inſtrumento domeſtico apponenda curat, &, cum Gallia miſere, per id tempus, in Mediolani, Neapolis & Flandriæ dominatu vindicando, vexaretur, ad cumulum malorum adjectum eſt tituli Anglicani ludibrium. Neque prudentiores Gallorum non hoc videbant: ſed Guſiorum (qui tum omnia poterant) erroribus etiam aſſentiendum erat. Illi enim plurimum hoc vanitatis genere ſplendoris Gallico nomini ſe adjeciſſe videri volebant. Regens quoque, accepto decreto de corona matrimoniali, novum quodammodo induiſſe videbatur ingenium: nam priſtinam illam, omnibus gratam, comitatem in imperioſam paullatim convertebat arrogantiam: & pro lenibus reſponſis, quibus utrique factioni ſe excuſabat, non voluntate ſua fieri, ſed ratione temporum, quo minus tam prolixe, quam cupiebat, nondum accepto illo decreto, promittere, auderet, nunc omnium rerum, ut rebatur, compos, aliis moribus, alia oratione utebatur.

XXV. Indictus erat Sterlinum conventus in VI. Id. Maji, cum ſæpe ex ea audiretur; „Nunc ſe, aliis curis vacuam, non paſſuram, majeſtatem ſum-
„mi

1 *Veniebant in publicum*] i.e. *vendebantur*. Ita Val. Max. lib. 2. cap. 2. *Immolatarum enim ab his hoſtiarum exta ad Quæſtores ærarii delata veniebant.*

„mi imperii de gradu dejectam : nobili aliquo exemplo eam eſſe reſtituendam. His futuræ tempeſtatis indiciis multi admoniti, deprecatum veniebant : & in iis, quo dignitate hominum res fieret impetrabilior, publice miſſi Alexander Cunigamius Glencarniæ Comes, & Hugo Cambellus præfectus juridicus Aerenſis, Eques illuſtris. Ibi non ſe potuit continere, quin vocem impietatis teſtem profunderet ; „Invitis, inquit, vobis, veſtriſque miniſtris, iſti, „[1] etſi Paullo ſincerius concionabuntur, tamen exulabunt. „Cum illi ſubjicerent ſupplices, „Ut, quæ ſæpenumero promiſiſſet, in memoriam revo„caret : „reſpondit ; „Fidem promiſſorum a Principibus exigendam, quate„nus eam præſtare commodum eis videretur. „Ad hæc illi ſubjecerunt, „Se „ergo omne obſequium & parendi neceſſitatem ei renunciare : „atque præmonuerunt, quantum incommodorum eſſet ab hoc fonte emanaturum. Hoc reſponſo, præter opinionem, icta, ſe cogitaturam, dixit.

XXVI. Hîc cum reſediſſe nonnihil impetus iræ videretur, nova fax multo acrius eam incendit, audito Perthanos Evangelium publice recepiſſe. Illa Patricium Ruvenum, oppidi præfectum, qui forte aderat, aggreſſa, jubet omnes illos novandæ religionis motus comprimere. Cum ille, „In corpora fa„cultateſque eorum ſe imperium reſpondiſſet habere, hæc ut in poteſtate ei „ſint, ſedulo curaturum, jus in animos non habere : „adeo ſtatim incanduit, „ut diceret, „Non mirandum fore, ſi brevi eum [2] tam præfractæ pœniteret „audaciæ. Jacobum Haliburtonum, Taoduni præfectum, juſſit, Paullum Meſanium comprehenſum ad ſe mittere. Verum is, ab eodem præfecto admonitus, ut tempori paullum cederet, oppido exceſſit. Ad cæteros quoque vicinos conventus reſcripſit, ut Romano more Paſcha proximum celebrarent : qua in re cum nemo ei paruiſſet, jam furenter irata, omnes Eccleſiarum totius regni Miniſtros Sterlinum in jus vocavit, ad decimum diem proximi menſis Maji.

XXVII. Ea re divulgata, purioris religionis cultores ſeſe mutuo exhortati, ut una cum Miniſtris ad confitendam ſuam quoque fidem adeſſent ; tanta fuit eo properantium multitudo, ut, etſi inermes adventarent, Regentem metus inceſſeret, ne conſilia ſua parum ſibi procederent. Igitur Joannem Areskinum Dunenſem, qui forte aderat, ad ſe arceſſit : cum eo agit ; „Ut turbam non „neceſſariam domum remitteret : [3] quod ei non difficile, propter auctoritatem „quæ ei apud ſuos erat : ſe interea nihil adverſus quenquam illius ſectæ molitu„ram. Multi, de hoc Regentis promiſſo certiores facti, omiſſo veniendi conſilio, domos rediere. Illa nihilo ſecius, cum decreta conventui dies adveniſſet, omnibus, qui citati ad nomen non reſpondiſſent, velut contumacibus, aqua &

ign i

1 *Etſi Paulo ſincerius concionabuntur*] Ita omnino ſcribendum cum majuſcula litera prima, *Paulum* enim Apoſtolum intelligit: male autem Francof. utraque Elzev. & Moſm. Editt. [*paulo*] minuſcula *p* exhibent.

2 *Tam præfractæ pœniteret audaciæ*]. Hanc quoque eidem Crafordio emendationem debemus : libris autem omnibus [*perfractæ*] legitur.

3 *Quod ei non difficile*] Crafordius, ut ſententia plenior magiſque perſpicua fiat, [*difficile eſſet*] legi jubet.

igni interdixit. Dunenſis, quam parum promiſſis fidendum eſſet, expertus, jam ſibi a vi metuens, ſe ſubtraxerat, ac Jerniæ, Anguſiæ & Merniæ proceres, etſi de Reginæ fide dubios, tamen adhuc collectos reperit. Illi, ex ejus ſermone cum (quod ante ſuſpicabantur) odium Reginæ inexpiabile intelligerent, neque amplius per ſimulationem rem tranſigi poſſe, adverſus apertam vim ſe parant.

XXVIII. In hoc tam lubrico ſtatu, Knoxius Perthi multitudinem coactam nactus, concionem ad eos luculentam habuit, animoſque accenſos penitus inflammavit. A concione major populi pars pranſum diſceſſit: in æde pauci & plebeji, ſed & hi ira & indignatione æſtuantes, remanſerant. Inter hæc ſacrificulus plebejus animos hominum experiri volens, ſe ad miſſandum apparat, ingentem tabulam, ac verius idolothecam, explicat, in qua erat hiſtoria multorum Divorum maximo ſumtu exſculptorum. Adoleſcens quidam aſtans, cum adclamaſſet, facinus intolerandum fieri, ſacerdos ei colaphum incuſſit: ille, lapide ſublato, ut in ſacerdotem mitteret, ictu in tabulam delato, unam ſtatuam ex ea confregit. Reliqua multitudo furens, partim in ſacrificulum & tabulam, partim in cæteras aras involant: ac momento temporis omnia profani cultus monumenta comminuunt. Hæc ex infima plebecula operæ, prandentibus tum maxime potentioribus, peregerunt. Eodem furoris impetu ad monaſteria Fratrum diverſi diſcurrunt, reliquo ſe vulgo continenter ad eos aggregante: & quanquam Fratres haberent velut ad hos caſus comparata præſidia, nulla tamen vis temerario multitudinis furori potuit obſiſtere. Primus in idola & ſacrorum apparatum factus eſt impetus: proxime tenuiores ad prædam diſcurrerunt. Inventa eſt apud Franciſcanos ſupellex quidem, non ſolum copioſa, ſed etiam admodum lauta, & quæ decuplo tot, quot ipſi erant, abunde ſatis fuiſſet. Dominicanis nequaquam eadem erat opulentia, ſed certe tanta, ut mendicitatis profeſſionem facile falſam redargueret, adeo ut non inſcite quidam non Fratres mendicantes, ſed manducantes eos appellaret. Atque hæc omnia pauperibus in prædam ceſſerunt: nam quibus res erat, adeo ſe continuerunt ab omni avaritiæ ſuſpicione, ut Monachorum nonnullos, ac præcipue Fratrum Carthuſienſium præfectum, auro atque argento facto diſcedere onuſtum permiſerint. Nec magis fuit incredibilis militarium hominum a præda abſtinentia, quam in demoliendis tot ædificiis celeritas. Carthuſienſium enim ædes illæ laxiſſimæ tam properanter non modo dirutæ, ſed etiam exportatæ fuerunt, ut intra biduum vix fundamentorum veſtigia ſupereſſent.

XXIX. Hæc ad Reginam, ut erant geſta, aut paullo etiam atrocius relata, animum ejus elatum ita inflammarunt, ut ſancte juraverit; „Se civium ſan„guine & oppidi incendio tam execrandum ſcelus expiaturam. Cuprenſes Fifani, audito rerum Perthi geſtarum ordine, & ipſi, maximo conſenſu, ſimulachris aut confractis aut ejectis, ſuam ædem repurgant. Eam rem ædis Curio adeo acerbe tulit, ut nocte, quæ inſecuta eſt, ipſe ſibi mortem conſciverit. Harum rerum nuncio Regens perculſa, Hamiltonium, Argatheliæ atque Atholiæ Comites, cum propinquis atque clientibus, ad ſe arceſſivit: & quanquam ſumma celeritate hoſtium conatus prævenire cuperet, tamen machinarum ænearum

ſubvectio in cauſſa fuit, ut vix demum decimo octavo die Maji ad loca urbi vicina accederent. Ubi de Regentis apparatu & copiis ad proceres, qui Perthi erant, eſt perlatum, & illi, nunciis celeriter in omnes partes dimiſſis, amicos & eorundem ſacrorum ſocios implorant, ne in ultima de vita & omnibus fortunis dimicatione ſe deſerant. Acceſſere e proximis conventibus, magno ſtudio & ſumma celeritate, prope omnes [1] populariter. Nonnulli etiam Lothiani properarunt eodem, ne communi periculo defuiſſe viderentur. Sed omnium conatus & feſtinationem vicit Alexander Cunigamius Glencarniæ Comes. Is, audito, quo in ſtatu res eſſet, bis mille & quingentos, partim equites, partim pedites collegit, ac, diei noctem continuans in itinere, ducto exercitu per loca aſpera & inculta, vitatis Regentis caſtris, Perthum pervenit.

XXX. Erant in exercitu Regentis adhuc Jacobus Stuartus, proximi Regis nothus, & Gileſpicus Cambellus Argatheliæ Comes. Hi, etſi præcipui auctores inſtaurandæ religionis erant, tamen, quia ſpes concordiæ nondum erat penitus abjecta, manſerant apud hoſtes, eo conſilio, ut, ſi bonis rationibus pax coire poſſet, operam amicis præſtarent: ſin autem animi Papanorum a quiete prorſus abhorrerent, eandem cum cæteris, qui Perthi erant, aleam fortunæ ſubirent. Regens, per exploratores certior facta, in caſtris hoſtium ſupra ſeptem virorum fortium millia eſſe, omneſque ſumma alacritate ſe ad prælium expedire, quamvis ipſa, præter Gallorum auxilia, prope parem Scotorum numerum in armis haberet, tamen in ultimum diſcrimen rem committere verita, per eoſdem, quos ante nominavimus, Jacobum Stuartum & Gileſpicum Cambellum, ad hoſtem miſit. Ex altera parte, Alexander Cunigamius & Joannes Areskinus Dunenſis electi, qui cum eis de concordia agerent. Hi quatuor, Regina jam placabiliore, quod ſciret Glencarnium jam copias conjunxiſſe cum reliquis idololatriæ oppugnatoribus, ita convenerunt, ut, Scotis militantibus utrinque dimiſſis, Regenti oppidum pateret, donec laſſitudinem, ex itinere contractam, paucorum dierum quiete, ipſa comiteſque levarent: interea oppidanorum neminem damno aut moleſtia afficerent: Gallorum ne quis oppidum ingrederetur: neve propius tria millia paſſuum accederet. Cæteræ omnes controverſiæ in proxima comitia dilatæ.

XXXI. Ita præſenti tumultu compoſito ſine cæde & ſanguine, religionis vindices, ut qui non inferre arma, ſed illata propulſare, cupiebant, læti diſceſſerunt, Deum laudantes, qui belli incruentum exitum hunc dediſſet. Comes Argathelius & Jacobus Stuartus ad Fanum Andreæ, relicta ad Perthum Regente, conceſſerunt, ut tædia ſuperioris temporis per otium diſcuterent. At illa, ſoluto voluntariorum utrinque exercitu, oppidum cum paucis ingreſſa, honorifice pro civium copiis eſt recepta. Galli mercenarii cum Patricii Moravii, civis honeſti, ædes præterirent, ſex eorum cum omnes jactus adverſus podium ligneum, unde familia ſpectabat, direxiſſent, unus Patricii filius, adoleſcens tredecim annorum, fuit peremtus. Regens, corpore ad ſe allato, cum genus didiciſſet, „Caſum quidem miſeratione dignum eſſe, inquit: eoque „ma-

1 *Popularitér*] Vide ſupra ad XI. 4.

„ magis, quod in filium, ac non in patrem potius, ea calamitas incidiſſet: ſe „ vero fortuita præſtare non poſſe. Ex hac ejus oratione, cum facile omnes intelligerent, fidem conventorum non amplius duraturam, quam, donec ſuæ vires Regenti placerent, illa orationi facta convenientia adjecit. Nam intra triduum omnia miſcere cœpit: civium enim alios ſpoliavit, alios exilio multavit: magiſtratus omnes, nulla juris formula obſervata, commutavit: ac, Sterlinum diſcedens, Scotos mercenarios, qui præſidio eſſent, in oppido reliquit: quo facto a conventis volebat videri non diſcedere, quod promiſiſſet, „ Urbe libe- „ ra, neminem Gallum ſe in ea relicturam. Cum objiceretur; „ In conventis „ omnes Gallos cenſeri, qui fidem Regi Gallo haberent obligatam, „ ad illud „ Papanorum commune recurrit, „ Hæretico non ſervanda promiſſa. Quod ſi „ æque honeſta facinoris excuſatione uti poſſet, nulla ſceleris conſcientia ſe „ impediri, quo minus iſti hominum generi & bona & vitam adimeret: pro- „ miſſorum autem fidem a Principibus non eſſe adeo anxie exigendam.

XXXII. Cum hæc ſatis indicarent, pacem non diuturnam fore, tum ea, quæ ſecuta ſunt, multo vehementius opinionem de ea ſiniſtram confirmarunt. Jacobum Stuartum & Gileſpicum Cambellum minacibus literis & mandatis proſecuta, extremas legum pœnas eis, ni redirent, interminata: de adverſæ factionis exercitu ſecura, quippe quem e voluntariis, & qui ſine ſtipendiis militarent, conflatum eſſe ſciebat: nec, ubi dimiſſi eſſent, facile aut cito conventuros exiſtimabat. Miſſa reſtituta, cæteriſque rebus quoad poterat compoſitis, oppido, quo diximus, præſidio communito, Sterlinum verſus iter ingreſſa eſt: multis enim de cauſſis, [1] eum locum a ſuis teneri volebat. Nam id oppidum, prope totius regni in medio ſitum, & ſolum muris cinctum, cives habet bellicoſos, & vicina Nobilitas univerſa a Papanis aliena erat: ad quos reprimendos hanc arcem objici volebat. Commoditates habet præterea multas, & in primis ad terreſtrium & maritimarum copiarum ſubvectiones: nam per Taum amnem, qui muros alluit, æſtus maris infunditur, exterarumque nationum commerciis aditum præbet: idque unum fere eſt oppidum, quod, ab ultimis uſque regni finibus, undique terreſtri itinere adiri poteſt: ad cætera enim, longis æſtuariis a mari immiſſis, viæ multifariam interciſæ ſunt, & per ea itinera lenta, quod nuſquam ea ſit navicularum copia, ut uno commeatu magnam multitudinem tranſmittere queant: ſæpe etiam, aut ventis contrariis, aut tempeſtatum violentia, dies complures viatores retinentur. Ob has cauſſas, Perthum, & conventibus habendis, & militibus undequaque contrahendis, commodiſſimum habetur. Verum, illa tempeſtate, Regens non tantum accepit ex loci commodo ſitu emolumenti, quam ex violata induciarum fide comparavit invidiæ. Is enim ultimus ei rerum ſecundarum, & publici contemtus primus dies fuit: res enim divulgata magnorum ei in omnibus regni partibus motuum cauſſas dedit.

XXXIII. Nam Comes Argatheliæ & Jacobus Stuartus, in violandis, ſe aucto-

[1] *Eum locum a ſuis teneri volebat.*] Perthum hic intelligi (non Sterlinum quod proxime meminerat) oſtendunt ea quæ mox ſequuntur, hoc ipſo capite.

auctoribus factis, induciis, ſuam fidem lædi credentes, convocata ad Fanum Andreæ vicina Nobilitate, ſe ad purioris religionis cultores adjungunt: atque ad ejus ſectæ ſocios ſcribunt, „Regentem Falcolandiæ cum Gallicis copiis „eſſe: Cupri & Fani Andreæ exitio imminere: cui niſi præſenti auxilio ob- „viam eatur, omnes Eccleſias Fifanas in ſummo diſcrimine verſari. Ad eos, e locis propinquis, magna repente accurrit multitudo, infenſiſſimis adver- „ſus Regentem & ejus copias animis; „Quippe cum gente inſociabili & fe- „ra bellum eſſe, apud quam æquitas, jus, fas, promiſſa, fides, & juris- „jurandi religio tam levi momento penderent, ut, ad omnem ſpei auram, & „incertiſſimos blandientis fortunæ flatus, dicta indicta, facta infecta eſſent: „nullas in poſterum conditiones concordiæ audiendas, nullam pacis, niſi alte- „ra parte extincta, aut certe peregrinis regno exactis, ſpem ſupereſſe: pro- „inde ſe ad vincendum, vel moriendum, compararent. His atque hujuſmo- di ſermonibus ita univerſorum animi fuerunt incitati, ut primum Caraliæ (quod oppidum in extremo Fifæ angulo ſitum eſt) impetu facto, aras everte- rent, ſimulacra confringerent, & omnem miſſificandi apparatum diſperde- rent. Quod autem vix credibile eſt, ira plus apud vulgi animos poterat, quam avaritia. Inde ad Fanum Andreæ progreſſi, ſpoliatis reliquis Divorum ædibus, Fratrum Franciſci & Dominici Cœnobia ſolo æquarunt. Hæc cum prope in oculis Archiepiſcopi gererentur, quanquam ſatis validam equitum ma- num ſecum haberet, quibus copiis ſe oppidum poſſe tueri paullo ante ſpera- verat: tamen, cum populi ſtudium, ac tantum voluntariorum concurſum cerneret, ſeſe cum ſuis a furore multitudinis ſubduxit, ac Falcolandiam ad gentiles & propinquos venit.

XXXIV. His auditis, Regens adeo exarſit, ut, ſine ulteriore delibera- tione, denunciaret in proximum diem profectionem, ac ſtatim præmitteret, qui Cupri hoſpitia Gallis deſignarent, ac, miſſis in omnes partes edictis, im- peravit, ut omnes, qui arma ferre poſſent, ſe Cuprum ſequerentur: præ- ſenteſque Gallorum & Hamiltoniorum copias præmonuit, ut ad ſonum tubæ omnes præſto in armis eſſent. Hoc eorum conſilium cum rectæ religionis vindices per exploratores reſciſſent, iis, qui aderant, familiaribus & amicis repente convocatis, ut Regentis conſilium prævenirent, ſtatim Cuprum con- tenderunt. Eodem prope momento, Taodunani, & Nobiles e proximis agris, ad mille virorum, velut eodem ſigno exciti, ſe cum eis conjungunt. Eam noctem ibi commorati, poſtridie mane copias ex oppido educunt, & in cam- pis proximis in procinctu ſteterunt, Papanorum exercitum exſpectantes, ſua- que auxilia, quæ paullatim adventabant, recolligentes. In caſtris Regentis duo Gallorum millia erant, quibus præerat Oſellius: mille Scotos ducebat Jacobus Hamiltonius Dux Caſtellerotius, ita tum eum vocabant. Hi omnes, præmiſſis de vigilia ſecunda machinis, ſummo mane iter ingreſſi, eo vene- rant, ut hoſtium primos conſpicerent, & ipſi ab eis conſpicerentur. Modi- cus in medio amnis fluebat: ad eum idoneis locis machinæ erant collocatæ: quingenti equites emiſſi, quibus levibus prœliis hoſtium animos pertentarent, ſimul ſi flumen tranſire pararent, ut impeditos aggrederentur. Horum ala- critas

critas Gallis cunctationem afferebat: eam etiam auxit adventus Patricii Lermonthii, præfecti urbani Fani Andreæ, cum quingentis civibus armatis: qui, agmine (ut mos itineris habet) in longum exporrecto, majoris, quam pro numero, multitudinis ſpeciem præbebat. Hæ res eis erant impedimento, ne (quod maxime cupiebant) numerum & ordinem hoſtium conſpicerent, ac duces e propinquo noſcerent, ac (ut juſſi erant) ad ſuos referrent. Itaque, quidam, e Gallis ut totam hoſtium aciem, ſaltem e longinquo, ſubjectam oculis haberent, in collem ſatis editum conſcenderunt. Inde, cum plures equitum peditumque acies, modicis intervallis relictis, ſtare viderent, ac, [1] retro illos, magnum calonum & equiſonum numerum, ad vallis cujuſdam labrum, velut ſpectaculum in longum extentum, conſpicerent, rati univerſam illam multitudinem ibi in ſubſidiis collocatam, omnia vero majora ad ſuos detulerunt.

XXXV. Duces, de concilii ſententia, ad Regentem, quæ Falcolandiæ ſubſtiterat, miſerunt, qui, quo in ſtatu res eſſent, edocerent: „Scotos ſibi „videri multo plures, quam ſperarant, & ad pugnandum alacriores: con- „tra, qui ſecum militarent, muſſare: & quoſdam aperte indignari, ſe, in „paucorum peregrinorum gratiam, adverſus cives, amicos & propinquos duci. Tandem, aſſentiente Regente, tres ab Hamiltonio legati ex primoribus mittuntur, atque hi maxime, qui in exercitu hoſtium propinquos aut liberos haberent. Hac legatione pax confieri non potuit, quod pietatis vindices, toties variis promiſſis eluſi, nullam pactionibus fidem haberent: nec Regens tum habebat, aut ſi habuiſſet, e dignitate ſua exiſtimaſſet, aliud fidei firmamentum dare. Accedebat & illa difficultas, ut (quod maxime petebatur) peregrini regno excederent, quod præſtare, inconſulto Rege Galliæ, non poterat: & moræ induciarum interpoſitæ, non ad animos ad pacem inflectendos, ſed, ut ſæpe antea experti erant, ad arceſſenda auxilia externa, petebantur. Hoc tantum convenit, ut Galli milites in Lothianam tranſportarentur, induciæque in octo dies fierent, dum Regens pacificatores e ſuis ad Fanum Andreæ mitteret, qui pacis æquas leges utriſque ferrent.

XXXVI. Sed vindices libertatis cum plane perſpicerent, Regentem, quod conditionibus, ſibi honeſtis, rem componere non poſſet, tantum rerum prolatationem quærere, dum proximum æſtuarium cum ſuis tranſmitteret: Comes Argatheliæ & Jacobus Stuartus, per literas egerunt cum ea; „Ut Per- „thum, deducto præſidio, liberum ſuis legibus relinqueret, uti, in oppido „recipiendo, pacta erat: hujus fœderis violati invidiam in ſe conferri, qui fa- „ciendi auctores fuerant. Cum nihil a Regente reſponderetur, Perthum verſus, unde preces & lamentabiles querelæ quotidie afferebantur, ſigna convertunt, Kinfanius enim, vicinus Comarchus, quem Regens, cum diſcederet, oppido præfecit, ut obſequendi ſtudium vexatione civium oſtentaret, ſuo dolori privato indulgebat: & veteres inimicitias, quas cum pleriſque civium habebat, parum civiliter exercebat, aliis domo fugatis, aliis obtentu religionis ſpo-

1 *Retro illos*] Vide ſupra ad lib. XV. cap. 58.

1 *Edim-*

ſpoliatis. Nec diſſimilem militibus licentiam permittebat. Has injurias, amicis & eorundem ſacrorum ſociis illatas, cum, qui Cupri erant, intellexiſſent, iter eo primo mane pronunciatum eſt. Oppidum obſeſſum, poſt paucos dies eſt deditum: ac, pulſo Kinfanio, præfectura urbana Patricio Ruveno, præfecto juridico, reddita eſt: deinde Sconam, vetus & infrequens oppidum, ob unum ſuorum, contra fidem datam, occiſum, incenderunt.

XXXVII. Per exploratores eſt reſcitum, Regentem præſidium Francorum Sterlinum miſſuram, ut, qui ultra Fortham erant, a reliquis excluderentur. Id conſilium ut prævenirent, Gileſpicus Cambellus & Jacobus Stuartus, jam multa nocte cum ſummo ſilentio Pertho moverunt, ac Sterlino potiti, monaſteria Fratrum ſtatim diruerunt: cætera item circa urbem ſacraria ab idolorum cultu nefario emundarunt: ac, poſt tertium diem, viam, quæ Edimburgum fert, ingreſſi, Limnuchum, in medio itinere ſitum, ſuperſtitioſo cultu liberant: & quanquam admodum pauci numero eſſent, vulgo militum, tanquam bello confecto, ad domeſtica negotia dilapſo, per tot oppida tamen compreſſo Papanorum faſtu, Scotorum & Gallorum cohortes mercenarias tantus terror invaſit, ut, cum omnibus, quæ trahere poterant, impedimentis, Dumbarum perfugerent. Scotorum proceres, inſtaurandæ religionis principes, complures in re ordinanda dies [[1] *Edimburgi*] morati, præter ædium ſacrarum ab omni miſſificandi apparatu repurgationem, verbo Dei ſincere enunciando concionatores conſtituerunt.

XXXVIII. Interea e Gallia nunciatur, Henricum Secundum Regem deceſſiſſe. Ea res ut Scotis auxit lætitiam, ita minuit induſtriam; pleriſque, tanquam omnibus defuncti eſſent periculis, quo viſum eſt, dilabentibus. Regens contra, formidans, ne ipſa cum Gallis tota Scotia exigeretur, ſumma cum vigilantia in omnes occaſiones erat intenta. Primum, exploratores Edimburgum præmiſit, qui hoſtium conſilia cognoſcerent. Per eos admonita, vulgus militum dilapſum: paucos reſtitiſſe, adeo ſecuros, ut nullum omnino militiæ munus obirent; non cunctandum rata, cum eis, quas habebat, copiis recta Edimburgum ducit. Occurrerunt ei officioſe Jacobus Hamiltonius Dux, & Jacobus Duglaſſius Mortonii Comes. Hi, cum conditionibus fruſtra rem componere tentaſſent, illud ſaltem tenuerunt, ne eo die confligeretur. Tandem, conditionibus hinc inde jactatis, XXIV. die Julii, M. D. LIX. induciæ factæ, in decimam uſque Januarii, quarum ſumma hæc erat; „Ut nemo cogeretur, cærimoniis, quas nollet, uti. Ne præſidium militare Edimburgi „collocaretur. Ne ſacerdotibus fieret impedimentum, quo minus prædiorum „ſuorum fructibus, decimis, penſionibus, aliiſve quibuſcunque reditibus libere uti frui poſſent. Ne quis Eccleſiæ inſtauratæ templa, monaſteria, aliave „loca, in ſacerdotum uſus fabricata, demoliri, aut in alios uſus transformare, „tentet. Item, ut poſtridie illius diei, typos excudendæ pecuniæ, ac palatium Regium, Regenti, cum omni, quam in ea acceperant, ſupellectili, „redderent.

XXXIX.

1 *Edimburgi morati*] Hanc vocem [*Edimburgi*,] Crafordio admonente, addimus, aliter enim Lector, quem locum Buchananus innuat, ægre dignoſcat.

1 *Cujus*

XXXIX. Has inducias ne per ſe aut ſuos violaſſe videretur, Regens eo impenſius dabat operam, quod in ſuperiorum temporum promiſſis ſervandis ejus levitas vulgo erat infamis: veruntamen curabat, ut, per ſuæ factionis homines, Scoti, ad iram natura paullo propenſiores, irritarentur; occaſioneſque ſæviendi in miſerum vulgus darent. Cum nullus autem color occurreret, qui juris aliqua ſpecie crudelitatem celare poſſit, falſos rumores diſſeminandos curat; „Religionem rebellioni prætendi. Veram ſumendorum armorum cauſſam „eſſe, ut, ſtirpe legitima extincta, Jacobus, ſuperioris Regis nothus, re„gnum in ſe transferret. His atque aliis hujus generis mendaciis, cum animos vulgi nonnihil labefactari videret, literas unas atque alteras, quas a Regibus Gallorum, Franciſco & Maria, videri volebant miſſas, ad eundem Jacobum curant perferendas. Hæ partim falſam beneficiorum exprobrationem, partim graviſſimas minas continebant, ni, defectionis conſilio abjecto, ad officium rediret. Ad hæc cum Jacobus reſpondiſſet; „Se nullius dicti aut fa„cti ſibi conſcium eſſe, adverſus vel Reges vel leges: quod vero cauſſam eo„rum, qui religionem prolapſam in ſuum gradum reſtituere vellent, Nobi„litas ſuſceperit, vel potius ad eam cauſſam ſe adjunxerit, eorum, quæ cum „illis geſſerit, invidiam, ſi qua eſt, facile ſuſtinere: nihil enim ibi quæſi„tum, niſi divinæ gloriæ illuſtrationem: [1] cujus conſilii pœnitere non eſſe „æquum, cujus habeat auctorem, fautorem, & propugnatorem Chriſtum: „quem niſi ſponte abnegare vellet, ab incepto deſiſtere non poſſe. Extra „hanc unam cauſſam, & ſe & reliquos, quibus invidioſum rebellionis nomen „impingitur, in aliis rebus omnibus fore obſequentiſſimos. Hoc reſponſum, ut in Galliam mitteretur, Regenti datum, contumax ei & ſuperbum eſt viſum: contra pleriſque non modeſtum modo, ſed etiam intra modum, præſertim in jactatione beneficiorum, quæ nulla prorſus acceperat, niſi quæ cum omnibus peregrinis erant ei communia.

XL. Inter hæc, & mille mercenarii Galli Letham appulerunt, & Comes Aranius, Jacobi Hamiltonii nuper Gubernatoris filius, ad conventum procerum, qui tum Sterlini habebatur, venit. Regens, Gallorum adventu velut ſpei ſuæ certa, jam palam ad Scotiam domandam animum adjecit. Araniæ Comitis reditus hæc fuit cauſſa. Cum vehementius, quam per illa tempora tutum erat, inſtaurantium rem Eccleſiaſticam cauſſam tueretur, a Guſiis, qui omnia apud Franciſcum minorem poterant, ad terrorem inferiorum Ordinum, morti deſtinabatur. Nec dubitavit Cardinalis Lotharenus, cum in ſenatu Pariſienſi vehementius in cauſſam inſtauratæ religionis inveheretur, pronunciare, eos propediem ſupplicium ſpectaturos hominis, qui Principum dignationi eſſet æqualis. Id ille cum reſciſſet, atque in memoriam revocaſſet, ſe, non ita pridem, cum Duce Guſio liberius verba commutaſſe, clandeſtina fuga, de conſilio amicorum, ſaluti conſuluit: ac derepente, præter omnium exſpectationem, domeſticis tumultibus intervenit: ac ipſe ad partes vindicum pietatis acceſſit. Cum patre etiam

1 *Cujus conſilii*] Forte legendum [*ejus*] ob ſequentis [*cujus*] κακοφωνίαν. [Forte præſtet *hujus* legere]

etiam egit, ut ſe eis adjungeret, ac multos, e veteribus offenſis ei inimicos, reconciliavit.

XLI. Principes factionis qui ibi aderant, cum pro certo audiſſent, auxiliares copias partim jam appuliſſe, partim, ut quamprimum mitterentur, conſcribi, Lethamque ſumma vi communiri, ut horreum commeatuum & apparatus bellici eſſet; ibique Galli in rebus adverſis receptum, in ſecundis portum ſuſcipiendis amicis haberent: [1] Scoti, per hæc tempora, accitis undequaque copiis, Letham obſidione, ſed fruſtra, claudere tentant: nam fere, quicquid æncarum machinarum erat in Scotia, penes Regentem erat, aut arcis Edimburgenſis præfectum, qui nondum cum libertatis publicæ vindicibus ſe conjunxerat: neque penes eorum factionem hæ vires erant, ut oppidum, ab una parte mari cinctum, & fluvio diviſum, claudere juſta obſidione poſſent. Gallus interea, de rerum Scoticarum ſtatu certior factus, Labroſſium, Equitem Conchiliati ordinis, cum duobus millibus peditum eo miſit, qui Regenti, Papanæ ſuperſtitionis cultum promoventi, pro viribus adeſſent. Miſſus fuit una Epiſcopus Ambianenſis, treſque Doctores Sorbonici, qui de controverſiis, ſi opus eſſet, diſceptarent. Eorum adventus Regentis animum dejectum ita erexit, ut ſancte promitteret; „Se propediem pœnas de Di„vorum & Regum hoſtibus expetituram.

XLII. E principibus nobilitatis duodecim tum Edimburgi erant collecti, [2] a quibus, Labroſſio & Epiſcopo, qui ſe Legatos miſſos dicebant, & diem ad explicanda mandata peterent, reſponſum eſt; „Eos non pacem (quod ſi„mulabant) quærere, ſed bellum minari: alioqui, quid attinebat armatas co„hortes ad diſceptandum adducere? Se vero non adeo rerum eſſe ignaros, ut „in eam diſceptationem ſe committerent, ubi cogi poſſent ad conditiones ini„micorum arbitrio accipiendas. Quod ſi pacificatio inter arma placeret, ſe „quoque curaturos, ne magis vi compulſi, quam rationibus adducti, vide„rentur. Illi autem, quod præ ſe ferunt, ſi vere & ex animo petant, pere„grinum militem remittant, inermeſque (ut ſæpe alias) conveniant, velut ad „rem ex æquo componendam, non ferro & viribus decernendam. Hæc quidem de Legatis. De munitione Lethæ, in hanc fere ſententiam reſcripſerunt; „Se vehementer mirari, quod Regens, nullis provocata injuriis, tam „cito a conventis receſſerit: ac, veteribus Lethæ incolis expulſis, peregri„norumque colonia ibi collocata, arcem, ad interitum legum & libertatis, o„mnium capitibus imponat. Se magnopere orare, ut ab hoc tam pernicioſo „conſilio, adverſus fidem promiſſorum, publicam utilitatem, leges & li„ber-

1 *Scoti*] Hanc vocem, nec injuria, delendam jubet Crafordius.

2 *A quibus, Labroſſio & Epiſcopo*] Fruſtra eſt And. Melvinus, qui legendum vult [*quibus a Labroſſio & Epiſcopo, &c.*] non enim hoc reſponſum a Labroſſio & Epiſcopo Ambianenſi, ſed a Nobilitatis principibus eſt datum; id quod ipſius reſponſi verba manifeſte oſtendunt. Virum doctiſſimum fefellit, quod voces *Labroſſio* & *Epiſcopo*, vicinitate pronominis [*quibus*] deceptus, auferendi caſu poſitas exiſtimaverit, quas tamen tum orationis ſeries, tum rei geſtæ fides Dativo adhibendas requirunt.

3 *Quam*

„bertatem, temere ſuſcepto, deſiſtat: neve eam neceſſitatem eis imponat, ut „univerſi populi ſidem implorare cogantur. In eandem fere ſententiam, poſt menſem, Edimburgi collecti reſcripſerunt: ac ſuperioribus hanc petitionem adjecerunt; „Ut, molitionibus novis everſis, peregrinos alioſque mercena„rios quoſlibet oppido emigrare jubeat, ut liberum ibi omnibus ex æquo eſ„ſet negotiari & mutua exercere commercia. Id ſi recuſaret, ſe pro certo „indicio accepturos, eam regnum hoc in ſervitutem velle redigere: cui ma„lo ſe, quacunque ratione poſſent, remedium quæſituros.

XLIII. Ad hæc qui reſponderet, Regens, triduo proximo, miſit Robertum Formanum, principem fœcialem (vulgus Regem armorum vocat) cum his mandatis, „Primum omnium, oſtendes, nihil nobis magis præter opinio„nem accidere potuiſſe, quam alium eſſe quempiam, qui poteſtatem hic ha„beat, [1] quam generum & filiam meam, unde omnis noſtra pendet auctoritas. „Superiora procerum acta, & hæc præſens poſtulatio, ſeu potius imperium, „ſatis declarant, eos nullam ſuperiorem agnoſcere auctoritatem. Nec eorum „petitio, aut potius minæ, utcunque verborum coloribus opertæ, nobis jam „novæ videri poſſunt. Poſtulabis a Duce Caſtellerotii, ut in memoriam revo„cet, quæ nobis verbis, & Regi per literas, ſit pollicitus; non ſe modo Regi „dicto audientem fore, ſed facturum, ne filius ejus, Araniæ Comes, patriæ „tumultibus ſe omnino implicaret. Item, ecquid, quæ nunc geruntur, illis „reſpondeant promiſſis. Ad literas autem reſpondebis; Nos, publicæ tranquil„litatis cauſſa, oſtendiſſe, facturos, ac nunc etiam polliceri, quicquid cum pie„tate in Deum, ac obſervantia erga Reges non pugnet: neque de libertatis & „legum everſione unquam cogitaſſe: de regno vero per vim acquirendo multo „minus: cui enim illud quærerem, quod jam filia hæreditario jure ſine con„troverſia teneat? Quod ad munitionem Lethæ attinet, illud rogabis: Noſne „unquam aliquid in eo genere attentavimus, priuſquam illi, multis conventio„nibus, ac demum conjuratione inter ſe facta, palam oſtenderent, imperium „legitimum ſe rejicere, ac nobis, quæ ſupremi magiſtratus auctoritatem & lo„cum tenemus, inconſultis ſtatum publicum pro ſuo arbitrio perturbaſſent; „ſuaſque partes, captis urbibus, confirmaſſent; & cum veteribus inimicis de „fœdere ſanciendo tractaſſent; ac nunc maxime complures eorum Anglos do„mi ſuæ habeant? Et, ut alia omittam, quam tandem cauſſam proferre pote„runt, cur illis liceat exercitum tenere Edimburgi, ad rerum præſides inva„dendos; nobis autem non liceat Lethæ, ad ſalutis noſtræ præſidium, aliquid „copiarum circa nos habere? Illud nimirum cupiunt, ut, quotidiana mutatio„ne locorum, furorem eorum (quod ad hunc diem fecimus) vitare conemur. „Ecquæ in eorum literis de parendo juſtis magiſtratibus eſt mentio? Ecquam „ad concordiam inſtaurandam viam pandunt? Ecquo indicio monſtrant, ſe hos „motus velle ſedatos, & in priſtinum ſtatum omnia velle reducta? Operiant „iſta,

1 *Quam generum & filiam*] Ita legendum, ut recte Crafordius admonuit, Syntaxeos lex omnino poſtulabat, libri tamen omnes [*quam gener & filia mea*] edidere.

 1 Ut

„ iſta, quibus velint, emolumenti publici coloribus; palam tamen eſt, nulla „de re minus eos cogitare: nam ſi id unum concordiam moraretur, ſæpenumero, quæ duceret eo, viam oſtendimus. Nec ipſi ignorant, Gallos iſtos, „mandatu ſui Regis, jamdudum, niſi ſuis ipſi factis in mora fuiſſent, extra „Scotiam futuros. Itaque, ſi quas nunc quoque offerant conditiones honeſtas, „quæ ſpem faciant, imperii majeſtate ſalva, ſe obedienter & modeſte ſuperioribus parituros, nullam inſtaurandæ concordiæ rationem recuſabimus: neque „quicquam omittemus, quod ad utilitatem publicam ſpectare poterit. Nec „nos modo erga eos hoc animo ſumus, ſed etiam Reges eorum, qui Conchiliati ordinis Equitem illuſtrem, & Eccleſiaſtici ordinis hominem primarium, „cum literis ac mandatis eodem ſpectantibus, ad eos miſerunt: quos illi tamen „ita contemſerunt, [1] ut non modo reſponſo, ſed ne audientia quidem, ſint di„gnati. Quamobrem poſtulabis, & imperabis quoque Duci, & cæteris proceribus, aliiſque cujuſcunque ordinis civibus, ut ab eis ſtatim diſcedant: ſin „minus, perduellionis eos teneri, denunciabis.

XLIV. Ad hæc poſtridie, qui fuit XXIII. Octobris, proceres in hanc ſententiam reſponderunt; „Ex literis tuis ac mandatis per fœcialem miſſis, facile „intelleximus, quam perſeveranter male animata ſis adverſus pietatem in Deum, „& noſtræ gentis publicum emolumentum, & communiter omnium libertatem. Hæc ut, perinde ac debemus, tueamur, nos, Regum noſtrorum nomine, præfecturam, aut quocunque alio imperii titulo publicam adminiſtrationem ſub Regibus uſurpas, ſuſpendimus ac inhibemus: ut qui pro certo „habeamus, quæ nunc a te geruntur, ea cum eorum perpetua voluntate, erga „publicam hujus regni incolumitatem, pugnare: & quemadmodum tu nos, „legitimos hujus regni & Regum cives, pro ſenatu & concilio publico non habes: neque nos te Regentem aut magiſtratu ſupremo fungentem agnoſcimus: „cum præſertim imperium (ſi quod habes a Regibus commiſſum) graviſſimis „juſtiſſimiſque de cauſſis ſit a nobis inhibitum: idque, eorundem Regum nomine, quorum nos conſultores nati ſumus, præſertim in rebus, quæ ad „omnium ſalutem ſpectant. Quanquam autem nobis eſt decretum, nullum ſubterfugere vitæ diſcrimen, in eo oppido liberando, in quo tu contra nos mercenarios peregrinos collocaſti: tamen pro ea, quam tibi, ut Reginæ noſtræ „matri, debemus, reverentia, & opera fideli, magnopere, ut ſecedas, oramus, dum nos utilitatis publicæ ratio cogit, oppidum iſtud nunc armis repetere, quod ſæpe antea precibus liberare ſumus conati. Illos prætera rogamus, „ut una tecum educas, intra XXIV. horas, ſi qui ſunt, qui aut Legatorum, „ad controverſias diſceptandas, aut ad res gerendas, nomen ſibi vindicant, „quicquid item mercenariorum militum in eodem eſt oppido, quorum nos „ſanguini libenter parcimus, & incolumitati favemus, propter veterem, „quæ tot ſeculis inter Scotos & Francos fuit, amicitiam: quam, ob noſtræ „Reginæ cum illorum Rege matrimonium, potius augeri quam imminui eſt „æquum.

XLV. Eo-

1 *Ut non modo reſponſo*] Pro *non modo non reſponſo*. Vide ſupra ad Lib. 11. 21.

1 *Quem*

XLV. Eodem quoque die, idem fœcialis retulit, pridie illius diei, procerum aliorumque civium frequentiſſimo concilio perſuaſum eſſe, „Omnia Re„gentis dicta, facta, conſiliaque meram ſpectare tyrannidem. Igitur decretum factum, de abrogando ei magiſtratu, cui univerſi, ut juſtiſſimo, ſubſcripſerunt: legationemque, ei a genero & filia datam, inhibuerunt, eamque pro imperio quicquam agere vetuerunt, uſque ad generalem Ordinum conventum, ab ipſis, ubi commodum forte, indicendum. XXV. autem die, proceres fœcialem miſerunt Letham, qui omnibus Scotis denunciaret, „Ut intra ſpatium XXIV. „horarum ex oppido diſcederent, ſeque ab everſoribus libertatis publicæ ſe„gregarent. Poſt has comminationes, excurrentibus utrinque equitibus, bellum, citra tamen magnam cædem, commiſſum eſt. In hoc rerum gerendarum initio, tantus in caſtra vindicum libertatis repente terror incidit, ut & præſentem ſtatum vehementer perturbaret, & ſpem omnem ſucceſſus in poſterum extingueret. Multos enim Regens, qui nomina Eccleſiæ dederant, partim minis, partim promiſſis, a procerum factione abſtraxerat: & caſtra ſpeculatorum erant plena, qui non modo dicta & facta, ſed conſilia etiam, quæ maxime occulta & credebant & volebant, ad eam deferrent: & comprehenſo Jacobi Balfurii miniſtro, qui literas Letham ferebat, ſuſpicio in multos, timor in omnes ſe diffuderat. Mercenarii quoque, ob non ſoluta ad diem ſtipendia, tumultuabantur: ac, ſi quis eos a nefario conſilio revocare conabatur, graviter ei comminabantur. Sed in hominibus, a pietate & honeſto alienis, non tam miranda erat ſeditio, quam omnes male habebat Ducis Caſtellerotii imbecillitas, & prope diffidentia, [1] quem propinqui terroris ita implerunt, ut ejus timor multorum animos labefactaret.

XLVI. Qui firmiores erant, cum remedia his malis adhiberent, prima de mercenariis placandis conſultatio fuit. Cum inter ſe proceres, qui remanſerant, de pecunia in ſtipendium conferenda agerent, aliis per avaritiam detrectantibus, aliis inopiam excuſantibus, ſumma confici non potuit, quæ mercenariorum furorem mitigaret. Proximum viſum eſt, ut vaſa ſingulorum argentea conflarentur: cumque monetarii operam ſuam liberaliter promitterent, typi, incertum quorum fraude, ſublati fuerunt. Reſtabat unica ſpes ab Anglis, ſed lenta nimis videbatur. Tandem, privatim ſuorum amicorum fidem experiri decreverunt: atque ad Equites duos notæ virtutis, (qui tum Bervici publicis muniis præfecti erant) Radulphum Sadlerium & Jacobum Croftum, mittunt Joannem Cocburnum Ormiſtonium, qui vel modicam, ad remedium præſentis

1 *Quem propinqui terroris ita implerunt*] *Propinqui* (*i. e.* cognati Ducis) in recto, (non gignendi caſu; quod quidem forte exiſtiment,) hic collocatur. Porro recentiores libri Francof. uterque Elzev. & Moſm. (quos & Anglicus interpres inepte eſt ſecutus) [*terrores*] edidere, aut neſcientes, aut ſaltem non advertentes verbum [*impleo*] Genitivum nonnunquam admittere, idque non apud Poëtas modo, ut Virg. Æn. I.

Implentur veteris Bacchi, pinguiſque ferinæ.

ſed etiam Hiſtoricos, ut Liv. lib. 1. *Adoleſcentem ſuæ temeritatis implet*: Et lib. 5. *Multitudinem quoque, quæ ſemper fere regenti eſt ſimilis, religionis juſtæ implevit.*

 1 *Pa-*

tis neceſſitatis, impetraret pecuniam. Id conſilium quanquam maxime occultarent, tamen ad Regentem eſt delatum. Ea Comitem Bothuelium reditum ejus obſervare juſſit. Is, quanquam ante paucos dies ſancte juraverat, ſe cauſſæ procerum nulla in re obfuturum, ſpemque feciſſet, ſe factioni eorum ſubſcripturum, tamen Ormiſtonium, ex inſidiis necopinum aggreditur, vulneratum capit, pecuniam eripit.

XLVII. Hujus facinoris fama Edimburgo Araniæ Comitem & Jacobum Stuartum, cum toto pene equitatu, excivit, non tam vindictæ cupiditate, quam ut Ormiſtonium (ſi forte viveret) eriperent, aut ſaltem impedirent, quo minus ad Regentem tranſportaretur. Sed Bothuelius per ſpeculatorem præmonitus, adventum eorum fuga prævertit. Eodem die præfectus Taodunanus, cum ſuis civibus ac paucis voluntariis, Letham verſus progreſſus, ſuas in colle propinquo machinas collocarunt. Galli, qui per exploratores cognoverant, omnem prope hoſtium equitatum abeſſe, ad pedites, quorum paucitatem videbant, opprimendos, aliquot cohortes eduxerunt. Taodunani aliquandiu ſpe ſubſidii reſtiterunt: ſed cum, in primo ſtatim congreſſu, mercenarii (qui pauci eos erant ſecuti) terga vertiſſent, ipſi quoque, relictis machinis, ſenſim pedem retulerunt; donec a tergo clamor ortus eſt, Gallos, breviore via prægreſſos, ad portam urbis a tergo tendere, ut eos excluderent. Ad hanc vocem, tanta omnium rerum perturbatio eſt orta, ut quiſque, qua proxime poterat, in tutum ſe reciperet, & dum alii aliis obſtant, infirmiores a valentioribus conculcarentur: ac, dum quiſque ſibi proſpicit, nihil in commune conſulitur. Papani, e latebris prodeuntes, palam conviciabantur: qui antea ſtudium doctrinæ purioris præ ſe ferebant, partim clam ſe ſubducere conabantur, partim de tota cauſſa abjicienda conſultant.

XLVIII. Quinta die Novembris, cum nunciatum eſſet Gallos exiſſe, ut commeatus Edimburgum venientes interciperent, præterquam quod vindices religionis inter ſe non ſatis eſſent concordes, mercenarii vix ex oppido extrudi poterant. Comes Araniæ, ac Jacobus Stuartus, primi cum familiaribus egreſſi, adverſus eos exierunt. Hos multi viri honeſti ac ſtrenui comitati ſunt; ac in Gallos ſe acrius quam prudentius intulerunt: nec quicquam propius fuit, quam ut, ab Edimburgo intercluſi, ſuæ temeritatis pœnas dediſſent. Nam, cum hinc paludes, illinc [1]paradiſi proximus murus, iter & anguſtum, & Gallorum

1 *Paradiſi proximus murus*] Dubitari poteſt quem locum [*Paradiſi*] nomine hic Buchananus inſigniat. Rem autem facile expedit Pat. Anderſonus, qui MS. Hiſt. vol. 2. fol. 292. hunc Gallorum cum Scotis conflictum factum tradit ad paludes quæ a Reſtalrigo ad Palatium Regium, vulgo Cœnobium Sanctæ Crucis appellatum, pertinent. Paradiſus autem quem hic vocat Buchananus illi ſeptum eſt, ſive vivarium, pone Regias ædes, in qua vivæ feræ olim paſcebantur. Et quidem ejuſmodi loca Græcis *Paradiſos* fuiſſe appellatos teſtis luculentus eſt Aul. Gellius lib. 2. cap. 20. *Vivaria*, inquit, *quæ nunc vulgus dicit, ſunt quos Græci* παραδείσους *appellant.* Ejus autem ſententiam confirmat Philoſtratus in vita Apollonii Tyanei, lib. 1. cap. 23. Μέλλων ὁ Δάμις πρὸς θήραν γίνεσθαι τῶν ἐν τοῖς παραδείσοις χωρίων, εἰς οὓς λέοντές τε ἀπόκεινται τοῖς βαρβάροις, καὶ ἄρκτοι, καὶ παρδάλεις. Et Xenophon Pæd. 1. Περιῳκοδομημένα θηρία

πα

lorum ſclopetariis obnoxium, eis reliquiſſent, partim a ſuis, partim ab equitibus pedites obterebantur. In hac trepidatione, certa clades omnibus imminebat, niſi duces, æquato cum cæteris periculo, ex equis deſcendiſſent. Cum illis pudor multos retinuit. In his fuit Alexander Haliburtonus, centurio, juvenis ſtrenuus, & in cauſſa religionis inſtaurandæ acer. Is cum, gravi vulnere accepto, in manus hoſtium veniſſet, multis ab eis plagis lethaliter ſauciatus, brevi poſt moritur.

XLIX. Poſt hunc conflictum, in quo circiter viginti quinque perierunt, multis ſe ſubtrahentibus, cæteris animum deſpondentibus, Araniæ Comes & Jacobus Stuartus ſuam operam obtulerunt, ſi vel modica manus una maneret. Cunctis pene recuſantibus, proxima fuit conſultatio, de urbe relinquenda: ac, uti decretum fuit a proceribus, de ſecunda vigilia iter ingreſſi, poſtridie Sterlinum pervenerunt. Ibi Joannes Knoxius luculentam ad eos concionem habuit, ac multorum animos in ſpem certam brevi ex his malis emergendi erexit. In hoc conventu, id modo decretum eſt, ut, quoniam Galli quotidie novis ſubſidiis augerentur, & ipſi etiam externis opibus ſe confirmarent. [1] Miſſus eſt in Angliam Gulielmus Mætellanus, juvenis ſummo ingenio & eruditione, qui Reginam edoceret; „Quantum immineret Angliæ periculum, ſi Galli in Sco„tia operibus & præſidiis loca communirent: ut qui non religionis modo, ſed „legum & libertatis interitum quærerent. Scotis autem vel vi vel fraude op„preſſis, vel iniquo fœdere in ſervitutem redactis, faciliorem eis gradum fieri „ad Anglorum vires infringendas. Angli, re diu inter ſe diſceptata, tandem ſpem auxiliorum fecerunt.

L. Proceres, libertatis vindices, in duas ſe partes diviſerant: alteri Glaſcuæ conſtiterunt, ut proximis provinciis præſiderent, & ſocios ſacrorum ab injuria tuerentur, alteri in Fifam miſſi. Franci, qui nullam ab hoſtibus abſtinebant injuriam, de Anglorum auxiliis ſolliciti, ante eorum adventum, reliquias adverſæ factionis delere conantur: ac primum adverſus eam partem, quæ Fifam inſederat, ducunt. Primum in itinere Limnuchum ac Hamiltoniorum prædia ſpoliant: inde Sterlinum profecti, atque ibi tantum commorati, dum oppidanos diriperent, pontem tranſeunt; & ſecundum flumen ducto exercitu, littus illud, vicis & oppidulis frequentibus habitatum, legunt: ac toto itinere quæ occurrebant direptis, tandem Kingornum veniunt. Scoti, ut eorum curſum remorarentur, Deſertum, oppidulum, (id loco nomen eſt) cum paucis inſederunt. Hîc per viginti dies, cum quotidie levia prælia confererentur, Galli, quam non poterant in dominos, iram in parietes effuderunt: villamque Gulielmi Kircadii, Grangiam nomine, a fundamentis diruerunt. Ille, qui non ignoraret, Gallos eo ad ruſticos diripiendos frequenter excurrere, paullo ante lucem ſe in inſidiis collocavit: ac, animadverſo Labaſtio

τὰ ἐν τῷ παραδείσῳ. Et Hellen. 4. *Καὶ θῆραι, αἱ μὲν ἐν περιειργασμένοις παραδείσοις, αἱ δὲ καὶ ἀναπεπταμένοις τόποις, πάγκαλαι.*

1 *Miſſus eſt in Angliam*] Ita diſpungendam duximus ſententiam, quam alii libri inciſo duntaxat a præeunte oratione diſterminant. Paullo tamen concinniore nexu proceſſura ſententia videtur, interpoſita poſt [*miſſus*] voce [*igitur.*]

baſtio Allobroge cum ſua centuria egreſſo, tamdiu in inſidiis occultus ſubſtitit, dum ſupra mille paſſus a præſidio Galli abeſſent: tum demum immiſſo equite, a ſuis eos excluſit. Illi, quod in tali diſcrimine unum reſtare videbatur, in ruſticam villam propinquam ingreſſi, ſe maceria ſepibuſque tueri conabantur. Scoti, ex ſuperiore Gallorum crudelitate irritati, ſuæ ſalutis immemores, & dum hoſtem læderent, (etſi nulla, præter lanceas equeſtres, haberent arma) proſtratis quæcunque obſtabant, intro irrumpunt: ducem, recuſantem ſe dedere, & cum eo quinquaginta milites, interimunt, cæteros Taodunum mittunt.

LI. Qui ad Deſertum, veluti in ſtatione aſſidua erant, Cuprum convenere. Ex eis, & aliis qui Glaſcuæ erant, electi, qui ad ſcribendum fœdus cum Anglis Bervicum mitterentur, cujus hæ præcipuæ leges fuerunt; „Uti „adverſus peregrinos, ſi qui in Britanniam, belli faciendi cauſſa, deſcende„rent, utrique alteris auxilia mitterent. Scotis in Anglia, Anglis in Scotia „militantibus, Angla ſtipendium ſolveret. Præda de hoſte capta Anglis, op„pida & arces ſtatim antiquis dominis redderentur. Scoti obſides darent, „qui, durante matrimonio Regis Galli cum Regina Scota, atque, eo di„remto, unum annum in Anglia manerent. [1] Hæc Bervici acta, XXVII. M. D. LX. die Februarii, M. D. LX. Illud Angli magnopere Scotos monuerunt; „Ne, „antequam amicorum auxilia venirent, prælio cum hoſte decernerent, ac in „ſummæ rei diſcrimen venirent. Magnopere enim proceres Anglorum metuebant, ne Scotorum præfervida ingenia in errorem inemendabilem univerſam rem præcipitarent.

LII. Galli interea Deſertum ac Vemium depopulati, inter ſe diſceptare cœperunt, rectane ad hoſtem, an ſecundum littus ad Fanum Andreæ, atque inde Cuprum ducerent. Poſterior ſententia placuit, quod, propter ingentes nives, viarum confuſis veſtigiis, equites, ſine magno incommodo, per mediterranea duci non poſſent. Igitur, cum paullum ſecundum mare eſſent progreſſi, atque ad promontorium, quod Kineragium, hoc eſt, rupis caput aut finem, appellant, eſſet perventum, quidam conſcendentes, unde in mare longiſſime proſpectus erat, renunciarunt cum magna lætitia, octo majoris formæ naves conſpici. In illis, Galli univerſi, pro certo, quod jam diu exſpectaverant, habentes, auxilia ad ſe advehi, eas ingenti, ut mos eſt, ſonitu tormentorum æneorum conſalutarunt, ac ſeſe mutuo invitantes, aliique aliis congratulantes, cum diem ibi tranſigere cum ſummo gaudio ſtatuunt. Nec ita multo poſt, [2] navicula una & altera ex adverſo Lothianæ littore appulit. Ab eis (ut qui inter tranſmittendum cum vectoribus navium exter-

1 *Hæc Bervici acta*] Huic Conventioni (quæ exſtat Fœd. Angl. Tom. xv. pag. 569) ſubſcripſerunt Jacobus Stuartus Prior Fani Andreæ, Patricius Ruveniæ Regulus, Joan. Maxuallius Terriglius Eques, Gul Mætellanus Ledintonius Junior, Joan. Sophocardius Pitarrous, & Henricus Balnavius Halbillius, qui ſe Ducis Caſtellerotii procerumque Scotorum eandem cauſſam tutantium Legatos appellant.

2 *Navicula una & altera ex adverſo Lothianæ littore appulit. Ab eis (ut qui inter tranſmittendum cum vectoribus navium externarum collocuti fuiſſent) reſcitum eſt.*] Hic voces *eis*, *qui collocuti*, non ad naviculas, ſed ad nautas referendæ ſunt.

1 Quæ

ternarum collocuti fuiſſent) reſcitum eſt, Anglicam eam claſſem eſſe: præterea rumoribus ferri, copias eorum terreſtres non procul a Scotorum finibus abeſſe. Fit ſubita animorum mutatio, & immatura lætitia in metum & trepidationem eſt verſa.

LIII. Statim ſublatis ſignis, pars Kingornum, alii Fermelinodunum, plurimis præ feſtinatione impranſis, retro properant: metuebant enim, ne, præſidio, quod Lethæ reliquerant, extincto, ipſi ab hoſtibus undique circumfuſis opprimerentur, antequam vires omnes in unum contrahere poſſent. Hoc toto itinere, e Papanis, qui ſe frequentes eis conjungebant, plures quam ex hoſtibus exuebant bonis. Nam hoſtium fere opulentiores fortunarum ſuarum bonam partem in loca longinqua periculo ſubduxerunt: ſi qui vero ſua non aſportarant, præfecti Gallorum, non modo præſenti ſucceſſu elati, ſed auxiliis etiam, quæ de die in diem e Gallia exſpectabantur, confiſi, ſe perpetuos illarum regionum dominos fore, villas opulentiores, omni commeatuum genere abundantes, in ſuam peculiarem prædam, inſpoliatas reſervabant: Papani vero, aut crebris honoratiorum invitationibus, amicitiæ ſpecie, exhauriebantur, aut clam a milite ſuppilabantur, aut in reditu, cum magna commeatuum eſſet penuria, etiam non ſine ludibrio, palam ſpoliabantur, Gallis acerbe exprobrantibus eorum in præliis ignavam operam, & in amicorum inopia ſublevanda avaritiam: [1] quæ res quantum a perfidia abeſſent, ipſos judicare jubebant. Hæc ſuperbia contumelioſa, cum rapacitate conjuncta, multorum animos a ſtudio Gallicæ factionis avertit. Nec multo poſt, Fifani, partim hoſtium metu, partim ſociorum injuriis coacti, Eccleſiæ inſtauratæ nomina dederunt: ac demum longinquæ regiones ab exteris [2] populariter defecerunt: nec minus acres ſe oſtenderunt in Gallorum tyrannide reprimenda, quam reliqui Scoti in ſua religione aſſerenda.

LIV. Jam ver appetebat, & utraque pars feſtinabat ſua in unum locum auxilia contrahere. Comes Martigius, ſtrenuus & nobilis adoleſcens, ad mille pedites, & paucos equites, duabus navibus e Gallia advexit, Ipſe cum milite ſtatim deſcendit. Naves de nocte a Scotis fuerunt captæ. Eisdem fere diebus, Marchio Elbevii, Regentis frater, qui octo navibus pecuniam & auxilia portabat, partim metu impulſus, mari navibus Anglis pleno, partim tempeſtatis adverſæ excuſatione uſus, unde ſolverat revectus eſt. Et [3] nova claſſis Anglica ad priorem eſt miſſa, ac toto freto volitantes, Ketham inſulam obſeſſam tenebant, & Letham omnibus maritimis commoditatibus prohibebant. Interim libertatis vindicum, qui Fifæ præſidebant, principes, Perthum profecti, & cum Huntilæo triduum ibi collocuti, facile totam eam Scotiæ plagam, quæ ad

1 *Quæ res quantum a perfidia abeſſerit*] Quidam forte *abeſſet* legendum malint, at præter rationem, duas enim res *ignaviam* ſcil. & *avaritiam* auctor innuit.

2 *Populariter defecerunt*] Vide ſupra ad XI. 4.

3 *Nova claſſis Anglica ad priorem eſt miſſa, ac toto freto volitantes*] *Naves* vel *vectores* intellige, per Syntheſin (ſeu Syneſin cum Voſſio appellare mavis) Buchanano ſatis familiarem. Vide ſupra ad XV. 5.

ad ſeptentriones verſa eſt, ſibi adjunxerunt. Edicta paullo poſt propoſita ſunt, ut ad finem Martii frequentes adeſſent.

LV. Ad id tempus, univerſi fere Eccleſiæ inſtauratæ principes Limnuchum convenerunt; inde Hadinam profecti, ad Calendas Apriles Anglis occurrerunt. Erant in Anglorum exercitu ſupra ſex peditum, duo equitum millia. Proxima nocte, ad Præſtonum caſtra poſuerunt. Eodem die, Regens, jam propius admoto periculo, ut ab incertis belli caſibus abeſſet, ſe, cum paucis domeſticis, in arcem Edimburgenſem recepit. Præerat arci Joannes Areskinus, vir & innocentiæ & diligentiæ ſpectatæ: ejus autem cuſtodiam, ex publici concilii decreto (ut jam antea demonſtratum eſt) acceperat, ea lege, ut eam nemini, niſi ejuſdem concilii juſſu, redderet. Hanc cum Galli ſuis rationibus opportunam viderent, multa ſæpe moliti ſunt, ut ea dolo potirentur. Ille, etſi nec animum eorum erga ſe ignoraret, arcemque ita communiſſet, ut a vi doloque eſſet ſecurus, ac omnia ſedulo caveret, Regentem tamen excludere tali tempore nolebat. Id autem in ea recipienda diligenter providit, ut ipſam & arcem in ſua poteſtate ſemper haberet. Nec proceres, qui liberandæ patriæ erant duces, etſi ſæpe antea Regentis animum adverſus cauſſam, quam ſuſceperant, obſtinatum ſenſiſſent, tamen præſentem occaſionem prætermittendam cenſuerunt: ſi forte aut belli propius admoti metus, aut ex longinquis auxiliis ſpes incerta, eam ad quietiora conſilia innecterent. Igitur collecti ad Dalkethum factionis principes ita ſcripſerunt.

LVI. „Sæpenumero ante, per literas nuncioſque, a te contendimus, ut „milites Gallos, qui jam alterum annum infirmam plebeculam intolerabilibus „malis premunt, ac populum univerſum in miſerrimæ ſervitutis formidinem „conjecerunt, tandem aliquando hinc amandares, noſque hoc metu liberares. „Verum, cum juſtis precibus apud te nil promoveremus, coacti fuimus, apud „Reginam Anglorum, [1] & regni finibus maxime propinquam, conditionem „noſtram deplorare, & auxilium implorare, ad peregrinos, ſervitutem nobis „intentantes, armis (ſi aliter nequeamus) expellendos. Illa vero quanquam „noſtris calamitatibus permota cauſſam noſtram ſuſceperit, tamen, ut erga Re„ginæ noſtræ matrem noſtro fungeremur officio, & a Chriſtiano ſanguine „fundendo, quoad fieri poſſet, abſtineremus; & vim armatam tum denique „experiremur, cum aliter jus noſtrum obtinere nequiremus: adhuc noſtræ „modeſtiæ eſſe putavimus, te iterum rogare, ut Gallicas copias, cum præfe„ctis & ducibus, quamprimum hinc emigrare jubeas. Id autem ut commodius „confici poſſit, Regina Anglorum, non modo tutum ut ſit iter per ſuum re„gnum, præſtabit, ſed & claſſe ſua in Galliam tranſportandos curabit. Quæ „conditio ſi rejiciatur, nos Deum & homines teſtamur, nulla noſtra malitia „aut odio, ad arma itum, ſed invitos, & mera neceſſitate coactos, extrema „experiri remedia, ne ſtatum publicum, nos ipſos, fortunaſque noſtras, & „poſte-

1 *Et regni finibus propinquam*] Aut copula [*&*] redundare videtur, aut ſententiæ alterum membrum excidiſſe, veluti *purioris religionis propugnatricem*, aut *eorundem ſacrorum communione junctam*, &c.

1 *Gra-*

„ poſteritatem omnem in ultimas calamitates præcipitaremus. Neque tamen, „ quanquam graviſſima patiamur, & graviora inſtent, ullum periculum nos „ coget ab officio erga Reginam noſtram diſcedere, aut Regi marito ejus, ulla „ in re, quæ non ad vetuſtæ libertatis interitum, aut ad noſtrum poſterorum- „ que noſtrorum exitium pertinebit, reſiſtere. Te autem, Princeps benigniſ- „ ſima, iterum atque iterum rogamus, ut, expenſa noſtræ poſtulationis æqui- „ tate, & quæ ex bello ſequi poſſint malis, & quam huic tuæ filiæ regno, „ [1] graviſſime affecto, neceſſaria ſit quies, juſtis precibus te non gravatim ac- „ commodes. Id ſi feceris, & jucundam tuæ moderationis memoriam apud „ omnes nationes relinques, & maximæ partis Chriſtianorum conſules tranquil- „ litati. Vale, Dalkethi IV. die Aprilis, M. D. LX. M.D. LX.

LVII. Sexto Aprilis die, cum Angli ſecundum mare appropinquarent, Galli, circiter mille & trecenti, Letha egreſſi, collem, ubi planities deſinit, modice aſſurgentem occuparunt, quod ibi Anglos caſtrametaturos exiſtimarent. De loco aut capiendo, aut retinendo, ſupra quinque horas acerrime dimicatum eſt, non paucis utrinque cadentibus: tandem, Scotis equitibus magno impetu in denſiſſimam Gallorum aciem irruentibus, trepida fuga in oppidum fuerunt compulſi. Id modo, quo minus omnes a ſuis excluſi perirent, obſtitiſſe viſum eſt, quod Angli equites paullo tardius, quam convenerat, erant emiſſi. Tentata poſt hæc fruſtra ſunt colloquia, Anglis inducias aſpernantibus, &, per excurſiones, levia, nec tamen incruenta, certamina miſcentibus, quæ commemorare non eſt operæ pretium.

LVIII. Ad undecimum Calendas Majas, Joannes Monlucius, Valentiæ Allobrogum Epiſcopus, primum in caſtra Anglorum, inde in arcem Edimburgenſem, ad Regentem eſt deductus. Cum ea biduum collocutus, rediit ad Scotorum proceres: nec tum ratio concordiæ cum eis iniri potuit: quod Scoti in eo conſtanter perſtarent, ut peregrinus miles domum remearet. Poſt hæc, Angli, cum, ob intervallum, quod caſtra dirimebat ab oppido, globorum impetus evaneſceret, ac ictus prope invalidi conciderent, caſtra trans Letham fluvium propius oppidum locant, unde certior e propinquo nocendi eſſet facultas, & cum hoſte frequentius cominus congrederentur. Pridie Calendas Majas, circiter duas horas ante Solis occaſum, ignis fortuitus partem oppidi corripuit, ac, violentia ventorum adjutus, ad proximam uſque lucem in tecta ſæviit, lateque ſtragem dedit: ac, partem horreorum publicorum amplexus, nonnihil commeatus abſumſit. Nec in hoc tumultu Angli ſibi defuerunt: nam, & majoribus machinis in eam partem obverſis, vulgus ab incendio reſtinguendo prohibebant, & foſſas ingreſſi, altitudinem murorum aliquot in locis ſunt dimenſi: & niſi Galli, initio tumultus, inſidias veriti, frequentes in muros conſcendiſſent, ac, ne quid in tali trepidatione acciperetur cladis, providiſſent, ea dies bello finem allatura videbatur. Ad IV. Nonas Maji, Angli in molas aquarias, quæ juxta oppidum erant, ignem injece-

1 *Graviſſime affecto*] Ita legendum & Crafordius & res ipſa monet: non quod aliis omnibus irrepſit [*affecta*.]

jecerunt: alteram ante lucem, poſtridie alteram abſumſerunt, incendio fruſtra Gallis opem ferre conantibus. Nonis Maji, cum obſidentes, ſcalis undique admotis, aditum tentaſſent, ob ſcalarum brevitatem cum multis vulneribus repulſi fuerunt, centum ſexaginta ſuorum amiſſis. Proximum triduum, cum ſummo labore & periculo, Galli muris reficiendis dederunt, Anglis in eos aſſidue, ſicubi frequentes vidiſſent, jaculantibus.

LIX. Hoc ſucceſſu Papani immodice elati, jam ſibi, diſcedentibus Anglis, & obſidione ſoluta, finem belli promittebant. Verum Angli & Scoti, nihil ob hanc offenſionem animo demiſſiores, alteri alteros ad conſtantiam ſunt hortati: & Angli ſe exſpectaturos pollicebantur, donec ex aula de voluntate ſuæ Reginæ certiores fierent. Sed interim Ducis Norfolciæ literæ vehementer omnium animos confirmarunt: ſcripſit enim ad Grajum, qui in caſtris ſummum habebat imperium; ac juſſit obſidionem continuare: militem autem ei non defuturum, quamdiu in ſua provincia eſſet, qui arma ferre poſſet, (ea autem latiſſimis finibus inter Tuedam & Trentam patebat) ac ſi res poſceret, ſe in caſtra venturum promittebat. Idque ut certius confirmaret, ſuum tentorium eo miſſum in caſtris tendi juſſit, ac intra paucos dies duo millia militum ſubſidio miſit. Atque ita omni memoria damni accepti ex animis expulſa, cum ſumma alacritate bellum velut renovatur: & quanquam creberrimis excurſionibus confligeretur, nulla fere ex eo tempore Gallis fuit ſecunda.

LX. Interea, Regina Anglorum Gulielmum Cecilium, hominem doctum & prudentem, & cujus conſilio tum maxime res Anglica innitebatur, & Nicolaum Vottonum, Decanum Eboracenſem, qui de pace agerent, in Scotiam miſit. Hi juſſi cum Randano & Monlucio Gallis de pacis legibus conſilia conferre. Reges enim Gallorum non credebant e ſua eſſe dignitate, in æquam diſceptationem cum civibus ſuis venire. Hujus colloquii fama in cauſſa fuit, ut, controverſiis veluti jam tranſactis, conventus in menſem Julium indiceretur.

LXI. Regina vidua interea, in arce Edimburgenſi, quarto Idus Junias, deceſſit, morbo ſimul & mœrore confecta. Mors ejus varie mentes hominum affecit. Nam & apud quoſdam eorum, quibuſcum armis contendit, non mediocre ſui deſiderium reliquit. Erat enim ſingulari ingenio prædita, & animo ad æquitatem admodum propenſo: genteſque ferociſſimas, & extremos inſularum cultores, virtute & conſilio pacaverat. Sunt, qui nullum ei futurum cum Scotis bellum crederent, ſi ſuo ei ingenio uti licuiſſet. Ita enim ſe moribus eorum accommodabat, ut omnia ſine vi facile confectura videretur. Etſi enim nomen imperii penes eam eſſet, neque virtutes loco tam ſublimi dignæ abeſſent, tamen precario tantum dominari videbatur: ut cui de ſummis rebus reſponſa, velut oracula, erant e Galliis exſpectanda. Guſii enim, quorum tum immodica in aula Gallica erat potentia, Scotos peculiare ſuæ familiæ regnum deſtinabant: auctoreſque ſorori erant, ut in cauſſa Papanæ religionis aſſerenda aſperior eſſet, quam aut ipſius natura, aut illa tempora ferre poterant: quod ipſa frequenter non celabat. Affirmabat enim, ſi ſui arbitrii

res

res eſſet, non ſe deſperare, conditionibus non iniquiſſimis diſſidia componi poſſe.

LXII. Erant, qui hæc eam populariter magis jactare, quam ex animi ſententia exiſtimarent dicere: neque ſolum illa eo pertinere crederent, ut culpam vel invidiam rerum ſecus geſtarum a ſe averteret; ſed ut, prætextu conſilii petendi, moras interponeret, dum peregrina arceſſeret auxilia; & Scotorum impetus vehementes cedendo contunderet, & tractu temporis eorum iram langueſcere fineret, ſimul quod putaret, eorum cœtus voluntarios, ſemel atque iterum ſolutos, non facile rurſus in una caſtra poſſe cogi, quippe qui hominum eſſent, ſine ſtipendio, ſine certo imperio militantium. Hujus autem ſimulationis in Regina, certiſſimum fuiſſe indicium in promiſſis inconſtantiam, ut quæ non ex præſcriptis conditionibus induciarum finem exſpectaret, ſed, qualicunque emolumenti ſpecie oblata, bellum ex ſua unius libidine reſumeret. Nec deſunt, qui omnium, quæ avare aut crudeliter facta ſunt, quæ fraude aut calumnia attentata ſunt, culpam in eos referant, quorum conſilio in rebus gerendis utebatur. Erant enim ab initio, cum eum, quem tenuerat, magiſtratum ſuſcepit, Galli conſultores adjuncti: Regis Gallorum Legatus Oſellius, homo celeris & vehementis iræ, cætera vir bonus, & pacis bellique artibus juxta eruditus; quique ad juris æquitatem potius, quam ad Guſiorum libidinem, ſua conſilia dirigeret. Additus ei fuerat Rubeus quidam, cauſſidicus Pariſienſis, ad juris controverſias, ſicubi opus eſſet, diſceptandas. Is cum, in adminiſtratione publica, omnia ad mores & leges Gallicas (tanquam ea demum recta eſſet reipublicæ regendæ ratio) quam poterat proxime conformare vellet, ſuſpicionem rerum novandarum in ſe tranſtulit; & communis fortaſſe cum aliis criminis invidia prope ſolus flagrabat. Atque hi nihil immedicabile peccabant.

LXIII. Sub finem belli, tres, diſtincti ſuis limitibus, duces militarem rem tractabant; e familia Lucemburgica Comes Martigius, qui & Dux poſtea Stamparum fuit; & Labroſſius, Equeſtri loco natus, ſed qui magnum in re militari uſum habebat: tertius iis additus erat Ambianenſis Epiſcopus, aliquot Sorbonicis Doctoribus comitatus, quaſi verbis, non armis, de dominatione cernendum eſſet. Horum trium omnia conſilia ad apertam tyrannidem ſpectabant. Martigius auctor erat, ut in omnia loca Lethæ vicina ferro & igne ſæviretur: ut ſoli vaſtitas, & rerum neceſſariarum penuria Scotos ab obſidione prohiberet. Sed ex eo conſilio, pacatis hominibus, & alioqui pauperibus, & majore ex parte Papanis, exitium parabatur; & nullum ad obſeſſos redundabat emolumentum. Commeatus enim, aperto mari, abunde ex omnibus Angliæ Scotiæque locis maritimis, in caſtra obſidentium ſubvehi poterant: clades autem ex vaſtatione agrorum, non minus ad Papanos, quam ad religionis veræ cultores pertinebat. Labroſſius cenſebat, omnem ſine diſcrimine, Scotorum Nobilitatem eſſe extinguendam: in eorum autem prædiis mille cataphractos equites Gallos collocari poſſe: reliquam multitudinem ſervorum loco habendam. Id conſilium, literis ejus ad Gallum interceptis, divulgatum, mirum, quantum Gallorum odium, jam aliis de cauſſis natum, auxit. Ambianus autem Epiſcopus non modo Romanæ cauſſæ minus æquos, ſed etiam Gallorum partibus minus

quam ipſe cenſebat æquum addictos, indicta cauſſa agere, rapere, trucidare, jubebat: Galloſque milites graviter increpabat, quod ſui Regis inimicos palam omnium oculis impune ſe oſtentare paterentur. Unum etiam nominatim deſignabat, Gulielmum Mætellanum, juvenem nobilem & eruditum, quem, quia Sorbonici rationibus refellere non poterant, ferro Epiſcopus tollere deſtinabat: ejuſque Gallis militibus vitam exprobrabat, & mortem commendabat. Id ille cum reſciſſet, captato tempore, ſe a Gallis ſubduxit, & in Scotorum caſtra venit.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

I. PAUCIS poſt mortem Regentis diebus, induciis in breve tempus factis, ad audiendos Legatos, qui, ut de concordia agerent, e Gallia & Anglia advenerant, ex utraque gente primores congreſſi ſunt. Hi quo minus quicquam conficere potuerint, obſtitit maxime concordiæ, quod Galli, qui ſuperiore hieme magnam e locis vicinis prædam comportaverant, diſcedere, niſi ſalvis impedimentis, recuſarent. Id cum obtineri non poſſet, eruptiones rurſus multo quam antea ferocius factæ ſunt, ſed Francis minus ſecundæ. Tandem, cum omnes belli tæderet, nec amplius pacis cupiditas diſſimulari poſſet, iterum ad colloquia Legati utrinque convenerunt Quæ animos maxime ad ſtudium pacis inflecterent, hæc erant. Galli, omni ſpe auxilii præciſa, commeatibus indies arctioribus, ac non diu ſuffecturis, prope in extremam deſperationem erant conjecti: & Angli, diuturna obſidione feſſi, nihilo minus, quam Galli, inopes omnium rerum, finem belli cupiebant. Scoti etiam, ut qui ſine ſtipendiis militabant, ideoque difficilius in caſtris contineri poterant, libenter concordiæ mentionem audiebant. Ita, maximo tandem omnium conſenſu, octavo die Julii, anno ab humani generis
MD. LX. Redemtione M. D. LX. pax eſt promulgata, his fere legibus: „Ut Galli, „intra viceſimum diem, ſalvis impedimentis, enavigarent: &, cum in præſentia navium illis copia, ad tantam multitudinem tranſportandam, non ſuppeteret, ut naves ab Angla mutuo acciperent, relictis interim obſidibus, uſque „ad claſſis reditum. Ut, Letha Scotis reddita, ejus muri diruerentur. Ut munitiones, nuper a Gallis ad Dumbarum ædificatæ, complanarentur. Ut, his „(uti conventum erat) peractis, Angli ſtatim copias reducerent. Ut Maria „Scotorum Regina, conſentiente Franciſco marito, lege lata ſanciret oblivionem omnium, quæ per Scotorum proceres geſta aut attentata fuerant, „a decimo die Martii, M. D. LIX. uſque ad Calendas Auguſti, M. D. LX. „eaque ſanctio in proximo publico Scotorum conventu (qui in menſem Auguſtum dilatus erat) approbaretur: eique conventui habendo Franciſci & Mariæ Regum conſenſus accederet. Ketham inſulam & Dumbarum arcem ſexaginta Galli cuſtodirent, ne Regina totius regni poſſeſſione dejecta videretur.

II. Poſt

II. Poſt hunc externi militis diſceſſum, uſque ad Reginæ reditum, ſumma fuit ab armis tranquillitas. Conventus Ordinum Edimburgi cœpit haberi, in quo de religione ſincera promovenda potiſſimum eſt actum. Ea decreta in Galliam ſunt miſſa[1], ut Regina eis ſubſcriberet; magis ut ejus animum nudarent, quam quod quicquam impetrare ſperarent. Miſſi in Angliam Legati, qui ob auxilium tempore tam neceſſario latum gratias agerent. Nec multo poſt, in aulam Gallicam venit Jacobus Sandelandius, Rhodienſis collegii Eques, & a factionum diſcordiis adhuc liber, qui, ante acta purgando, motus animorum ex bello reſiduos leniret, & omnes ſtabiliendæ concordiæ rationes tentaret. Sed in tempora longe turbulentiſſima ejus adventus incidit. Nam Guſiorum in manu tum res Gallica erat: qui, poſtquam ſe animadverterunt blanditiis & minis parum proficere, vi & armis adverſam factionem opprimere conabantur: &, in quos ſectæ diverſæ crimen competere non poterat, eos proditi regni fecerunt reos. Jam Rex Navarræ perpetuæ cuſtodiæ erat damnatus, & frater ejus, Princeps Condæus, morti addictus: Annas Momorancius, duoque ſororis ejus filii, Gaſpar & Franciſcus Collinii, & propinquus eorum, Carnutum Vice-dominus, cædi deſtinabantur. Præter eos, ſupra decem millia reorum in tabulas erant relata. Ad hæc, omne terroris genus oculis & animis offundebatur: urbs Aurelia plena peditum: in agris equitum præſidia paſſim collocata: omnes viæ publicæ ſtationibus eorum inſeſſæ: judicia exercebantur, per paucos in aula, de hominum honeſtiſſimorum vita, fortunis & fama: omnes ſacrarum ædium, omnes per murorum ambitum turres, occluſis luminibus, oſtiiſque adverſus vim firmatis, in uſum carcerum erant præparatæ: rerum capitalium judices e toto regno convocati. Ratio ſuppliciorum ſumendorum ita erat conſtituta, ut ſimul ac Ligeris, glacie ſoluta, navigabilis eſſet, Rex Chinonem, ad oſtium Viennæ fluminis in agro [1]Pictonum, ſecederet: Guſii cum paucis, ex præſcripto concilii aulici (cujus ipſi principes eſſent) pœnas exigerent.

III. Inter hæc, Sandelandius in aulam venit, non tam præteritorum veniam precabundus humiliter, quam ad cives ſuos, tumultuum cauſſis in Gallos rejectis, purgandos. Guſii, in eum aſperrime coorti, increpabant; „Quod „homo, ſacræ militiæ addictus, mandata rebellium, pro hæreſi illa execra„bili, quam tum maximus omnium gentium conſenſus [2]in concilio Tridenti„no damnaret, perferenda ſuſcepiſſet. Plerique etiam non jam ſtultitiam, ſed inſaniam Scotorum mirari, qui pauci, & inter ſe diſcordes, atque bellico apparatu, ſed maxime pecunia, deſtituti, Regem tam potentem, & ab hoſte externo quietum, ultro laceſſerent.

IV. In-

1 *Pictonum*] Ita, Crafordio admonente, reſcripſimus, pro quo omnibus libris [*Pictorum*] mendoſe legitur.

2 *In concilio Tridentino damnaret*] Ita princeps Editio Edimburg. alii autem omnes, ſive caſu, ſeu dedita opera, pro [*damnaret*] male nobis exhibent [*damnarat.*] Nondum enim tum peractum fuiſſe famoſum iſtud Concilium non obſcure innuit Buchananus adjecta particula [*tum.*] Quin ejus conventus in tres deinceps annos celebratos omnes ſcriptores conſentiunt.

1 *Nun-*

IV. Inter hos indignantium fremitus & minas, Rex in morbum repente incidit. Legatus ſine reſponſo dimiſſus eſt: [1] nuncius autem eum, de morte Regis Lutetiæ ad Nonas Decembres, deprehendit. Inde, meliore in reliquum ſpe, domum properat. Fama de morte Regis divulgata, tam Scotorum animos, periculorum imminentium cura ſuſpenſos, erexit, quam univerſam Galliam factionibus & ſeditionum domeſticarum veneno implevit. Jacobus Reginæ frater, Scotia jam, per mortem Franciſci, omnino a Gallorum dominatu libera, [2] quanta potuit celeritate, ad Reginam contendit: quæ marito vidua, in Lotharingiam cum avunculis conceſſerat, ſive ſecretum ſuo dolori quærens, ſive muliebri æmulatione, ut a ſocru procul abeſſet: quæ, ſocordia Antonii Borbonii, Regis Navarræ, freta, totam regni adminiſtrationem paullatim in ſe derivabat. Ibi Jacobus ejus frater, rebus in Scotia pro tempore pacatis, eam convenit: ac multis ſermonibus ultro citroque habitis, Regina oſtendit, ſibi in animo eſſe in Scotiam proficiſci: diemque præfinivit, ad quem ſe exſpectari vellet, avunculis etiam in eam partem pronioribus. Magna enim, ante Jacobi adventum, ea de re deliberatio fuerat: pleriſque cauſſantibus itineris difficultatem, præſertim; „Regina Anglorum non ſatis æqua. Deinde ad homines barbaros, & natura ſeditioſos, „eam proficiſci, qui nec virorum imperiis ſatis obedienter pareant. Exem„pla ante oculos eam habere recentia patris matriſque: quos cum palam op„primere, vel non auderent, vel non poſſent, variis artibus ad deſperationem „adegerint: apud quos aſſidue, vel de honore, vel de vita, periculum eſ„ſet ſubeundum. „Contra, diſſerebatur a peritis rerum Scoticarum, „Sæpius „Regum, quam civium culpa, ſeditiones illic ortas, dum regnum, quod „ab extremis uſque temporibus ſemper fuerat legitimum, ad infinitam & li„beram legum poteſtatem, reducere conarentur; eamque, quam gens belli„coſa magis quam opulenta tolerare non poſſet. Reges autem omnes, qui „jus populi imminuere non tentaſſent, non ſolum ab inimicis & populi tumul„tibus fuiſſe tutos, ſed in ſumma civium caritate ab hoſtibus fuiſſe invictos, „& apud exteros illuſtres regnaſſe. Potentiſſimam, ac fere ſolam, in præ„ſentia, pacandarum rerum eſſe rationem, ne quid in ſtatu religionis rece„ptæ mutaretur.

V. Hæc palam utrinque jactabantur: ſed apud propinquos aliæ potentiores

1 *Nuncius autem eum de morte Regis Lutetiæ ad Nonas Decembres deprehendit*] Anceps ſententia, neque enim facile ſcias, an locus tempuſque hic memorata Regis mortem reſpiciant, an nuncii adventum. Cæterum ſcriptores Galli rem omnem expediunt, qui Franciſcum II. Aureliæ (non Lutetiæ) obiiſſe tradunt, 5 Decembris die, circiter horam quintam pomeridianam. Proinde *Nonæ Decembris* ad Regis mortem referendæ videntur, non vero ad adventum nuncii, quippe quem vix credibile eſt eadem nocte, ea præſertim anni tempeſtate, 68 millia (quanto *ſcil.* intervallo Lutetia ab Aurelia diſtat) percurrere potuiſſe. Quamobrem luxatas exiſtimem ſententiæ partes, voceſque adeo hoc ordine melius collocari poſſe: *Nuncius autem de morte Regis ad Nonas Decembres, eum Lutetiæ deprehendit.*

2 *Quanta potuit celeritate*] Non tanta tamen, quin Joan. Leſlæus (ipſo referente) adventum ejus uno die anteverterit.

1 *Spe-*

res erant cauſſæ. Avunculi, qui, rebus in Gallia turbatis, magis magnas, quam honeſtas, ſpes alebant, Reginam abſentem arbitrabantur magis in ſua poteſtate futuram, quam ſi in Gallia maneret: ejuſque matrimonii ſpe vicinis Regibus oſtentata, ſe multorum amicitias complexuros, & opera uſuros: interea, e ſuæ factionis hominibus, aliquem rebus adminiſtrandis in Scotia præfuturum. Accedebat ad hæc Reginæ voluntas, cui omnino decretum erat redire ad ſuos. Marito enim rebus humanis defuncto, ſocru (quæ res moderabatur) alieniore, viliorem ſe videbat in regia futuram. Et, quanquam non adeo diu regno aſſueverat, moleſte ferebat mulier adoleſcens, ætate florens, & animo elato, ſe in ordinem redigi: quamlibet enim in imperio malebat fortunam, quam alioqui opulentiſſimam: nec certe admodum honorificam [1] ſperare poterat, Guſiorum potentia ab adverſis partibus primo impetu labefactata. Nec minimum ad hæc momentum addiderunt Jacobi fratris adhortationes, & pollicitationes, omnia eam domi pacata reperturam: præſertim cum is eſſet, cujus fidei ſe maxime tuto poſſet committere, natura frater, & qui, ab adoleſcentia magnis rebus ſumma fortitudine & felicitate geſtis, apud omnes gloriam & auctoritatem comparaſſet.

VI. Regina his rebus intenta, Noalius, Senator Burdegalenſis, qui e Gallia miſſus, paullo poſt finem publici conventus in Scotiam venerat, rejectus eſt in proximum concilium, quod, de publico ſtatu ordinando, ad XII. Calendas Junias indictum fuerat. Sed cum ne tum quidem proceres (qui ad diem frequentes convenerant) ſederent, quod adhuc de Reginæ voluntate erant incerti; interim Jacobus Stuartus, e Gallia reverſus, a Regina diploma attulit, quo conventus habendi, ac ſtatuendi de rebus in publicum utilibus, jus eis faciebat. Tum demum Legatus Gallus eſt auditus. Legationis capita hæc erant; „Ut vetus cum Gallis fœdus renovaretur, novum cum „Anglis ſolveretur. Sacerdotes, unde erant dejecti, ut bonis redditis reſtituerentur. „Ad hæc reſponſum: „Quod ad fœdus Gallicum attinet, ſe nulla „in re ejus violati ſibi conſcios eſſe: contra multipliciter a Gallis fuiſſe neglectum: maxime vero nuper, in oppugnanda publica libertate, cum populum, antea amicum, nullius ſceleris compertum, in miſerrimam ſervitutem „redigere attentarent. Fœdus vero cum Anglis ſolvere ſe non poſſe, niſi omnium ingratiſſimi velint haberi, & beneficium maximum graviſſimo maleficio compenſare, & adverſus liberatorum ſuorum ſalutem conjurare. Demum, quod ſacerdotum reſtitutionem petat, quos ille ſacerdotes appellat; „eorum ſe neque munus ullum nec uſum in Eccleſia agnoſcere. In eodem illo concilio factum eſt decretum, de omnibus Monachorum Cœnobiis demoliendis: ac ſtatim in omnes partes ſunt dimiſſi, qui imperata perficerent.

VII. Rebus (uti dictum eſt) in Gallia ad profectionem comparatis, Reginæ

1 *Sperare poterat*] Princeps Edit. Edimb. [*ſpectare*] quod forte tolerari poteſt, pro [*exſpectare*;] ad exemplum Publii Mimi, *Ab alio ſpectes alteri quod feceris.* Ita enim legendum cenſet Jan. Gruterus, quanquam vulgo *exſpectes* legatur.

næ amicis intimis, penes quos ſumma conſiliorum erat, viſum eſt, ut de religione in præſentia res in totum diſſimularetur: quanquam non deerant, qui impotentibus conſiliis ad cædem eam armarent; in primis, Durius Abbas Fermelinoduni, & Joannes Sinclarus, nuper Brechinenſis deſignatus Epiſcopus. Ad ea autem conſilia, ipſa, & natura & propinquorum impulſu, adeo erat prona, ut ab invita aliquando erumperent minæ, quæ, exceptæ in aula, ad populum perferebantur. Palam etiam inter familiares jactitabat, „Se propinquæ ſuæ Mariæ Reginæ Anglorum exemplum imitaturam. Igitur ſumma conſiliorum eo tendebat, ut ſuæ factionis homines in præſentia ſpe aleret: adverſarum partium ſectatores paullatim deprimeret: deinde, confirmatis jam viribus, in tempore animum exprom eret. Id autem non adeo difficile videbatur, concilio Tridentino non ita pridem inchoato, ſpecie quidem ad reſtituendos collapſos Eccleſiæ mores, revera ad Evangelii profeſſores eliminandos, quod poſtea ex concilii ſecretioris decreto eſt declaratum. Ad hæc avunculi Reginam vehementer animabant, vires Papanæ factionis demonſtrando, cui dux ex concilii decreto futurus eſſet Franciſcus, fratrum Guſiorum natu maximus. Interea Carolus Cardinalis, inter tot publicas curas ſui non oblitus, conſulebat Reginæ, ut ſupellectilem, mundumque muliebrem, magni pretii, velut in alium orbem tranſitura, apud ſe deponeret, donec de ſui itineris eventu certius cognoſceret. Illa, facile intellecta fraude, ut quæ hominis ingenium probe noſſet, reſpondit; „Cum ſe periculo committeret, non videre, cur mundo magis quam ſibi caveret.

VIII. His ita decretis, mittitur in Angliam, ad Reginæ voluntatem explorandam, Oſellius. Is honorifice ab Angla receptus, ac ſtatim in Galliam remiſſus, refert Reginæ Scotorum; „ [1] Si per Angliam tranſire vellet, nullum eam officium, quod vel a propinquis, vel ab amicis exſpectari deberet, deſideraturam: ſeque maximi beneficii loco id habituram. Sin declinaret ſuum congreſſum, contumeliæ loco accepturam. „Præterea claſſem ſatis amplam ornaverat Angla, ſpecie piratas perſequendi. Id alii interpretabantur factum, ad Reginam Scotorum excipiendam, ſi ſe invita tranſire conaretur. Unam autem illi navem, in qua navigabat Comes Eglentonii, Londinum pertraxerunt, ac brevi liberam dimiſerunt. Sed qualecunque fuerit in claſſe paranda conſilium, fortuna, ſi quid intentabatur periculi, diſcuſſit: nam, triremibus Gallicis in altum evectis, caligo per aliquot dies eſt ſecuta, donec in Scotiam [2] ad duodecimum Calendas Septembres applicuerunt.

IX. Fama de Reginæ adventu paſſim divulgata, quicquid erat Nobilitatis ex omnibus regni partibus paſſim accurrit; partim velut ad ſpectaculum publicum, partim ut reditum gratularentur. Convenerant & nonnulli, ut officia ſua erga abſentem commemorarent, gratiamque ejus ſtatim occuparent, aut inimicorum calumnias prævenirent; non pauci, ut ex initio novi regni au-

1 *Si per Angliam tranſire vellet*] Aliter rem narrant Leſlæus, Camdenus & Spotiſvodius.

2 *Ad duodecimum Cal. Sept*] Idem teſtatur Leſlæus; at Spotiſvodius 13 *Cal. Sept*, reverſam tradit.

1 *Intra*

auſpicium de rebus futuris captarent. In his tam variis animorum motibus, omnes ex æquo ſuam Reginam videre cupiebant, poſt tam varios fortunæ utriuſque eventus, velut ex inſperato ſibi oblatam: ut quæ, inter ſæviſſimas bellorum tempeſtates, patre [1] intra octavum quam nata erat diem orba: matris quidem lectiſſimæ fœminæ ſumma diligentia educata: ſed inter domeſticas ſeditiones, & externa bella eorum, qui plus poſſent, prædæ relicta, &, antequam ſenſum habere malorum poſſet, omnibus fortunæ ſævientis expoſita periculis: & patria relicta, velut in exilium relegata, inter hoſtium arma & fluctuum violentiam ægre ſervata. Ibi quidem, fortuna paullulum blandiente, matrimonio quidem illuſtri aucta; ſed velut oſtentato magis, quam exhibito gaudio, extinctis matre viroque, in luctum & orbitatem rejecta, novo, quod acceperat, regno amiſſo, vetere prope incerto. Commendabatur etiam, præter diſcriminum varietatem, excellentis formæ bonitate, & matureſcentis ævi vigore, & ingenii elegantia: quam vel auxerat, vel certe falſis virtutum coloribus gratiorem fecerat aulica educatio, minime quidem illa ſincera, ſed ad honeſti quandam ſimilitudinem adumbrata; & quæ naturæ bonitatem, ſtudio & placendi cura, deteriorem faceret, & virtutum ſemina delinimentis voluptatum retunderet, quo minus ad maturos fructus pervenirent. Hæc ut in vulgus grata erant, ita perſpicaciores minime fallebant: ſed mollis adhuc & flexibilis ætas, rerum uſu, putabatur facile corrigi poſſe.

X. Incidit inter has gratulationes levis quidem offenſio, ſed quæ altius in utriuſque factionis animos penetravit. Nam, cum Reginæ ita cum Nobilitate conveniſſet, ut in ſtatu receptæ religionis nihil immutaretur, ipſi tantum, ſuæque familiæ, una permitteretur Miſſa, eaque privata. Ad eam adornandam, dum apparatus per aulam in ſacellum ferretur, quidam e turba cereos arreptos confregit, ac, niſi interventu modeſtiorum conatus ille fuiſſet diſcuſſus, reliquus omnis apparatus fuiſſet disjectus. Ea res varie in vulgus accepta, quibuſdam id facinus ut nimis audax culpantibus, aliis patientiam hominum tentari, quid ferre poſſet, interpretantibus: quibuſdam cenſentibus, atque etiam clamantibus, ut pœna, quæ in ſacris literis adverſus idololatras eſt ſancita, ſacerdos plecteretur. Sed hic ſtatim in ipſo ortu motus per Jacobum Reginæ fratrem eſt compoſitus, Georgio Gordonio vehementer, ſed clam, indignante. Is enim in omnes turbandarum rerum occaſiones intentus, hîc locum gratiæ patere arbitratus, Reginæ avunculis (qui aderant) conventis, pollicitus eſt, quicquid ultra Caledonios eſt regionum ad veteres cærimonias reducturum. Id illi cum ſuſpectum haberent, ut qui de hominis ingenio multa aliunde audiſſent, veriti, ne ſine ullo effectu tempeſtatem novam excitarent, ad Jacobum Reginæ fratrem rem detulerunt.

XI. Quod reliquum fuit ejus anni, dimiſſis honorifice Gallis, qui Reginam officii gratia comitati fuerant, ludis & conviviis tranſactum. Unus ex avunculis,

1 *Intra octavum quam nata erat diem*] Ita omnino ſcribendum, ne ſecum ipſe auctor diſſideret. Libris autem omnibus [*intra ſextum*] legitur. Vide ſupra ad XIV. 49.

lis, Elbevii Marchio, eſt retentus. Inter hæc, Gulielmus Mætellānus junior, Legatus in Angliam miſſus, Reginam ejus gentis (uti mos eſt) officioſe ſalutavit, ſuæque animum erga eam, ſtudiumque pacis & concordiæ ſervandæ, demonſtravit. Tum literas procerum Scotorum ei porrexit. In iis inerat ſuperiorum officiorum benigna commemoratio, benevolentiæque plena. Ab Angla autem magnopere petebant; „Ut erga ſuam Reginam amice & humaniter, & publice & privatim, „ſe gereret. Ut, officiis provocata, non modo in amicitia inita libenter perſeveraret, „ſed arctioribus, ſi fieri poſſet, vinculis eam indies connecteret: Se, pro ſua vo„luntate & ſtudio, inter vicina regna perpetuandæ concordiæ nullam occaſio„nem prætermiſſuros. Unam & certiſſimam eſſe rationem, quæ omnium diſ„ſidiorum veterum oblivionem afferret, & fontem diſcordiarum in poſterum „exhauriret, ſi Regina Anglorum, decreto publico univerſi populi, ſtatueret, „ac ipſa ſua auctoritate confirmaret, ſecundum ſe, ſuoſque (ſi quos gigneret) „liberos, hæredem Anglici regni jure eſſe Reginam Scotorum. Id decretum „cur æquum eſſet, & ex uſu univerſæ Britanniæ, cum Legatus pluribus „argumentis diſſeruiſſet, adjecit, Neminem in eo perficiendo diligentia & „ſtudio ipſam, ut quæ genere maxime eſſet propinqua, præcedere debere: „eamque benevolentiæ & officii declarationem ab ea Scotam ſperare.

XII. Ad hæc Angla: „Aliam exſpectabam, inquit, a Regina veſtra lega„tionem. Miror enim ei e memoria excidiſſe, quid, ante ſuum e Francia diſ„ceſſum, poſt longam flagitationem tandem promiſerit: ut videlicet fœdus, „Lethæ tranſactum, ratum haberet & confirmaret. Qua de re certum mihi „reſponſum erat pollicita, ubi primum ad ſuos rediſſet. Jam ſatis mihi „verba dari ſum paſſa: jam certe tempeſtivum erat (ſiquidem ſuæ dignitatis „rationem habuiſſet) ut orationi tam benevolæ facta reſponderent.

XIII. Ad hæc ille; „Se a Regina, pauciſſimis poſt adventum diebus, in „hanc legationem miſſum, antequam ullam adhuc publicorum negotiorum „partem attigiſſet: in eo tantum fuiſſe occupatam, ut proceres, pleroſque „omnes de facie adhuc ignotos, ac tum primum ſalutatum advenientes, reci„peret: maxime autem omnium, ut ad aliquam certam formam ſtatum religio„nis reduceret: qua in re quantum eſſet difficultatis & moleſtiæ, ipſa non igno„raret. Ex iis facile tua Majeſtas poteſt intelligere, potuiſſe nullum, ante „meum diſceſſum, Reginæ Scotorum tempus vacuum fuiſſe: nec homines „affuiſſe idoneos, quos in conſilium de rebus tam arduis advocaret: præſertim „cum qui extremas regni oras in ſeptentriones obverſas habitent, nondum, „ante meum ab aula diſceſſum, affuiſſent: præter quorum ſententiam, res „tanti in publicum momenti confici nec debeant nec poſſint. Tum illa commotior: „Et quid, inquit, Reginæ hîc erat opus conſultatione, id ut effe„ctum redderet, ad quod efficiendum & [1] chirographo & ſigillo ſe aſtrinxerat.„

„Ego,

1. *Chirographo & ſigillo ſe aſtrinxerat*] Ita princeps editio Edimb. cujus ſolius auctoritate cæteræ omnes innituntur. Genev. tamen *abſtrinxerat* ſcribitur, quale verbum cum nuſquam invenirent poſteriorum editionum procuratores, pro eo [*obſtrinxerat*] (non male quidem, niſi a principis codicis fide, nulla neceſſitate cogente, deſciviſſent) ſubſtituerunt. Cæterum *adſtringere ſe ad rem aliquam*, quam *obſtrin-*

„Ego, inquit ille, quid reſpondeam ad hæc in præſentia non habeo, ut de „quibus nec mandata ulla acceperim, nec Regina noſtra exſpectabat, ut a me „nunc ratio poſceretur. Illud autem ipſa facile apud te potes expendere, quam „juſtas ipſa nunc moræ cauſſas habeat.

XIV. Poſt nonnihil verborum ſuper his rebus ultro citroque jactatum, Regina ad graviſſimum totius negotii caput reverſa; „Hoc, inquit, in primis „notavi, quod & in oratione, nomine Reginæ veſtræ, declaraſti, & in man„datis procerum explicandis poſuiſti. Commemoraſti enim, ex Anglorum „Regum ſanguine eam oriundam, meque naturali illo vinculo, ut proximam „genere, ad eam diligendam conſtringi: quam rem ego inficiari nec volo, „nec poſſum. Orbi etiam univerſo perſpicue oſtendi, me, in omnibus meis „actionibus, adverſus ejus ſalutem, aut regni tranquillitatem, nihil at„tentaſſe. Et, qui intimos meos ſenſus & cogitationes norunt, multi ſunt „conſcii, me, ne tum quidem, cum juſtiſſimas offenſionum cauſſas illa „mihi præbuiſſet, meis inſignibus uſurpandis, titulumque regni mei vindi„cando, nunquam tamen in animum inducere potuiſſe, quin hæc odio„rum ſemina ab aliis potius, quam ab ea, exorta crederem. Utcunque ta„men hæc habent, meum, opinor, mihi viventi ſceptrum non eripiet: „neque liberis (ſi qui ex me naſcentur) erit impedimento, [1] quo minus in „meum locum ſuccedent. Si quid autem interea humanitus acciderit, nun„quam tamen illud comperiet, quicquam a me factum fuiſſe, quod jus, quod „illa ſibi in regnum Angliæ aſſeveret, aliqua ex parte lædat & imminuat. „Illud autem jus quale eſſet, nunquam diligentius mihi expendendum exiſti„mavi: nec ea de re unquam diſquirere altius eſt animus, eamque, quorum in„tereſt, quæſtionem judiciis diſceptandam relinquo. Veſtræ autem Reginæ „cauſſa ſiquidem juſta eſt, illud a me pro certo exſpectare poteſt, me nulla „in re ei nocituram: ac Deum præſentem noſtri ſermonis arbitrum teſtor, „me neminem, ſecundum meipſam, noſſe, quem illi præferam, aut, ſi res „in controverſiam veniat, eam poſſit excludere. Tu, qui competant, noſti, „inquit. Quibus tandem opibus, aut qua virium fiducia, miſellæ illæ tantam „rem attentabunt? „Deinde, non longo ſermone de illis interjecto, tandem is „finis fuit, ut, „Rem gravem & magni ponderis eſſe, diceret: ac nunc pri„mum ſerium de ea ſermonem ſe habuiſſe; itaque longiore, ad eam expedien„dam, ſpatio eſſe opus. „Poſt paucos deinde dies arceſſito rurſus Legato; „Se „mirari vehementer ait, quid procerum, in ipſo ſtatim Reginæ adventu, ſibi „velit poſtulatio: præſertim cum ſcirent, ſuperioris offenſæ cauſſas nondum „eſſe ſublatas. Quid autem poſtulant? Ut ego videlicet, tam gravi affecta „injuria, abſque ulla ſatisfactione, ei in re tanta gratificer? Hæc autem oratio „quantulum a minis abeſt? Iſthac ſi pergant, illud velim cogitent, nec mihi „domi vires, nec foris amicos defuturos, magis quam illis, qui meum jus „tueantur.

XV. Ad

ſtringere uſitatius multo videtur. Vide XVII. 18.

1 *Quo minus in meum locum ſuccedent*] Forte *ſuccedant.*

1 *Hanc*

XV. Ad hæc ille reſpondit, „Se ab initio dilucide oſtendiſſe, proceres, ut „hunc ad concordiam publicam aditum patefacerent, partim inductos officio, „quod Reginæ ſuæ & ſecuritati tuendæ, & dignitati amplificandæ proſpicere „debeant: partim ſtudio pacis publicæ firmandæ, & conciliandæ amicitiæ. „Tecum autem ut hæc apertius, quam cum ullo alio Principe agerent, effecit, „non ſolum egregia tua erga illos voluntas, experiundo perſpecta, ſed etiam „ipſorum incolumitatis ratio, quippe qui ſibi vitæ & fortunarum omnium diſ- „crimen ſubeundum intelligant, ſi quis Reginæ jus oppugnet, aut ſi quis „motus armorum, inter hæc regna, ea de cauſſa, oriatur. Quamobrem, non „injuſto ſtudio ſibi teneri videntur, qui cupiunt, ut, ſublatis diſcordiarum „ſeminibus, ſolida & certa cum pace diſſidia componantur.

XVI. „Siquidem, inquit illa, ego quicquam attentaſſem, quod Reginæ „jus imminueret, tum demum juſta fuiſſet poſtulandi cauſſa, ut ſecus facta „corrigerentur. Hæc autem poſtulatio, ut viva mihi linteum ſepulchrale an- „te oculos proponam, exemplo caret: neque ſimile quicquam ab ullo Prin- „cipum unquam eſt petitum. Animum tamen Nobilitatis veſtræ in peten- „do boni conſulo, eoque magis, quod hinc intelligam, Reginæ ſuæ colen- „dæ, ejuſque dignitatem promovendi, illis eſſe ſtudium. Nec minus pru- „dentiam amplector, quod & ſuæ ſecuritati proſpiciunt, & a fundendo Chri- „ſtiano ſanguine abhorrent: cui (ut fateor) parci non poſſet, ſi qua factio ſe „objiceret, quæ regnum ſibi vindicaret. Sed quæ tandem illa erit? aut qui- „bus viribus freta? Sed, his omiſſis, finge, me ultro in eam partem pro- „pendere, ut iſti poſtulationi aſſentiar. Exiſtimaſne, me procerum volun- „tati potius, quam ipſi Reginæ id gratificaturam? Verum & alia ſunt plu- „rima, quæ me ab hac tranſactione avocant. Primum, quod non ignorem, „quam ſit periculoſum, [1] hanc movere Camarinam: ac jure mihi ſemper abs- „tinuiſſe videor, ne jus regni in diſceptationem vocarem. Toties enim jam „ſermonibus, multorum jactata eſt controverſia, de matrimonio juſto, de- „que nothis & legitimis liberis, dum pro ingenio quiſque aut huic aut illi par- „ti ſtudet, ut & ego ipſa, ob has diſputationes, hactenus ad nubendum fue- „rim cunctatior. Semel, cum publice coronam accepi, matrimonium cum „hoc regno inii: cujus pignus hunc annulum perpetuo fero: utcunque autem „hæc ſe habent, quoad vixero, Regina Anglorum ero. Ego ubi defuncta „fuero, in meum locum, qui jure potior erit, ſuccedito. Ea ſi Regina ve- „ſtra eſt, nulla interim in re ei obero: ſin alteri jus eſt potius, iniquum erit „poſtu-

1 *Hanc movere Camarinam*] Adagium eſt, quo quis inhibetur rem tractare, unde ſibi infortunium arceſſat. Ejus originem tradit Servius ad illud Virg. Æneid. III. ver. 701.

——— Et fatis nunquam conceſſa moveri,
Apparet Camarina procul ———

Camarina, inquit, *palus eſt juxta oppidum ejuſdem nominis: quæ cum olim ſiccata, peſtilentiam creaſſet, conſuluerunt oraculum, an penitus eam deſiccare præſtaret. Vetuit Deus Camarinam moveri. At illi exſiccarunt, non obtemperante oraculo: & ceſſavit quidem peſtilentia, ſed per eam ingreſſis hoſtibus pœnas dederunt neglecti oraculi.* Ejus etiam meminit Silius Ital. lib. 14.

Et cui non licitum fatis Camarina moveri.

1 Ob

„poſtulare, ut a me aperte afficiatur injuria. Si qua lex veſtræ Reginæ ob„eſt, mihi quidem ignota eſt, quod non libenter hac de re exactius diſquiro. „Sed ſi qua eſt, ego, cum regnum inivi, civibus meis juravi, me leges eo„rum non mutaturam. Quod autem ſecundo loco ſumebas, ex hac ſucceſſio„nis declaratione arctius inter nos amicitiam coituram, vereor ne hinc ſit po„tius odiorum ſeminarium. Credisne tu, me libenter funeris mei apparatum „ſemper ante oculos habituram? Regibus hoc fere peculiare eſt, ut erga li„beros naſcendi jure ſibi ſucceſſuros alieno ſint animo. Carolus Septimus „Galliarum Rex qualis erga Ludovicum Undecimum fuit? aut is rurſus erga „Carolum Octavum? aut Franciſcus nuper adverſus Henricum? Quo igitur „animo me veriſimile eſt fore, adverſus propinquam meam, ſemel hæredem „judicatam? eo ipſo videlicet, quo Carolus Septimus fuit erga Ludovicum „Undecimum. Accedit illud, in quo ego longe graviſſimum pondus ineſſe „ſtatuo.

XVII. „Novi ego populi hujus inconſtantiam: novi quam præſentem re„rum ſtatum faſtidiant: novi quam intentos habeant oculos in proxime ſucceſ„ſuros: ſcio natura comparatum eſſe, ut plures (quod dicitur) Solem orien„tem quam occidentem adorent. Id autem, ut aliorum exempla omittam, „ex meis ipſius temporibus didici. Cum ſoror mea Maria regnum teneret, „quibus votis plerique petebant, ut ejus in ſolio me collocatam viderent? Quo „ſtudio in me provehenda ferebantur? Nec ignoro, quibus periculis ſubeun„dis, homines eventum conſiliorum ſuorum attentaſſent, ſi mea voluntas ad „eorum cupiditatem adjuncta fuiſſet. Nunc autem iidem illi, fortaſſe, non „ſunt eodem erga me animo: non ſecus ac pueri, qui, inter quieſcendum, „[1] ob poma ſibi per ſomnum oblata, exultant, mox mane experrecti, ac ſua „ſpe decepti, gaudium in lacrymas commutant: ita, qui me, cum Eliſabeth „modo vocarer, ſumma benevolentia complectebantur, & ſi quos forte ala„criore vultu eram intuita, ſecum cogitabant, ſtatim atque ego regnum ade„pta eſſem, ſe pro ſuæ cupiditatis potius, quam officii mihi præſtiti, modo, „remuneratum iri: nunc vero, cum eventus exſpectationi non reſpondeat, „quidam eorum non gravate novam rerum mutationem, in ſpem fortunæ „melioris, ferrent: nullæ enim Principum facultates, quantumvis magnæ, „inſatiabiles hominum cupiditates explere poterunt. Quod ſi animi civium no„ſtrorum erga nos langueſcant, aut voluntates immutentur, ob temperamen„tum nimiis largitionibus adhibitum, aut aliam leviculam cauſſam, quid ſuſpi„cabimur futurum, ſi certum regni ſucceſſorem malevoli cives haberent, „ad quem animi ſui ægritudines deferrent, aut ſe ipſi irati conferrent? Quanto „me judicas in periculo verſaturam, tam potente & propinqua Principe ſucceſ„ſura, cui quantum ego virium in ſucceſſione confirmanda adjicerem, tantum „meæ ſecuritati detraherem? Hoc periculum nec ullis cautionibus, aut aliis „legum vinculis averti poteſt. Nec facile Principes, quibus regni ſpes oblata „eſt

1 *Ob poma ſibi per ſomnum oblata exſultant*] Ita utraque Elzev. & Moſin principi autem Edit. Edimb. Genev. & Francof. deeſt [ob.]

1 Cum

„eſt, ſeſe intra juris & æqui terminos continebunt. Ego vero, ſi de meo „ſucceſſore orbi conſtaret, nunquam res meas in tuto collocatas exiſtimarem.

XVIII. Hæc in ſumma in illo congreſſu acta ſunt. Nec adeo multis poſt diebus, Legatus Reginam rogavit; „Ecquid literis procerum Scotorum re-„ſponderet. Ego, inquit, in præſentia non habeo quod reſpondeam, niſi eo-„rum benevolentiam & ſedulitatem erga Reginam ſuam me probare: res au-„tem tanta eſt, ut nequeam repente plane & diſerte reſpondere. Verum, cum „veſtra Regina, ad quod ſe aſtrinxit, in fœdere confirmando præſtiterit offi-„cium, tum erit tempeſtivum, ut meum erga ſe ſtudium experiatur. Interea, „ſine meæ dignitatis imminutione, nihil ei gratificari me poſſe arbitror. Hac „de re, [1] cum ſe illi quicquam mandatum habere negaret, nec unquam cum „ſua Regina in hoc genus ſermonum incidiſſe: neque ſe tum Reginæ, ſed „ſuum de jure ſucceſſionis judicium, & ad id confirmandum, rationes afferre: „comprobationem autem fœderis, per maritum, a Regina Scotorum, abſque „eorum conſenſu, quorum id ratum aut irritum fieri intereſſet, expreſſam, „non tanti eſſe, ut ipſam omneſque poſteros a regni hæreditate excluderet. „Nec inquiro nunc, inquit, per quos, quando, quomodo, qua auctorita-„te, qua de cauſſa, fœdus illud factum fuerit: quando nihil horum in præ-„ſentia attingere ſim juſſus. Illud autem audeo affirmare, etiamſi ab ea, ma-„riti voluntatem ſecuta, confirmatum eſſet, cum tamen ex eo tanta emolu-„menta penderent, Reginam noſtram in tempore omnes rationes conquiſitu-„ram, cur ſolvi & poſſet & deberet. Nec ego tamen hoc Reginæ nomine „loquor: ſed eo tantum mea ſpectat oratio, ut oſtendam, proceres noſtros „non ſine cauſſa laborare, ut omnibus controverſiis radicitus ablatis, ſtabile „fœdus & perpetuum inter nos coëat.

XIX. Tandem, multis ultro citroque verbis de fœdere habitis, Regina eo perducta eſt, ut Legati utrinque congrederentur, qui fœdus retractarent: atque ad hanc prope formam corrigerent; „Ut Regina Scotorum abſtineret „Regiis Anglorum inſignibus: abſtineret item titulis regnorum Angliæ & Hi-„berniæ, Regina Anglorum, aut liberis ex ea ſuperſtitibus. Contra vero, „ut Angla caveret, neque ſe, neque poſteros ex ſe genitos, quicquam actu-„ros, quod jus ſucceſſionis Scotæ læderet, aut imminueret.

XX. Hæc fere ſunt, quæ in ea legatione ſunt agitata: quæ dum foris de pace ſtabilienda tractantur, domi res ad ſeditionem paullatim ſpectare cœpit. Nam, ut antea dixi, permiſſa erat Reginæ ejuſque familiæ unica Miſſa: qua de re cum edictum publicaretur, qui contradiceret, e tota Nobilitate unus eſt inventus, Comes Araniæ, multum, licet diſſimulanter, indignante Regina. Proxima fuit offenſio adverſus Edimburgenſes. Hi fere ad III. Cal. Octobres ſuos magiſtratus eligere ſolebant. Tum Archibaldus Duglaſſius præfectus de more edixit; „Ne quis adulter, fornicator, ebrioſus, Miſſarius, aut obſtinatus „Papanus, poſt proximas Cal. in oppido deprehenderetur, gravibus legum „pœnis

1 *Cum ſe illi*] Ita omnes libri: rectius tamen cum Crafordio [*cum ſe ille*] videtur legendum.

1 *Non*

„ pœnis in contumaces denunciatis. Id ubi ad Reginam delatum eſt, ſtatim incognita cauſſa, magiſtratus in arcem cuſtodiendos miſit: civibuſque imperavit, ut novos magiſtratus eligerent: atque edixit, „Ut urbs omnibus fidelibus civibus pateret: „[1] non ſine riſu & indignatione, quod homines flagitioſiſſimi, pro fidiſſimis miniſtris agnoſcerentur.

XXI. Cum Regina majorem, quam exſpectaverat, civium ſuorum patientiam hîc comperiſſet, paullatim ulteriora tentare cœpit. Cal. Novembribus, ad Miſſam adhuc tenuem, & quotidiano cultu contentam, [2] omnem Papanæ pompæ faſtum adjecit. Id cum Evangelii miniſtri tuliſſent ægerrime, & in publicis cœtibus magnis querimoniis rem proſecuti fuiſſent, ac Nobilitatem ſui officii commonuiſſent, controverſia in domo privata inter paucos eſt agitata: „Poſſentne idololatriam, jamjam in omnium perniciem graſſaturam, „compeſcere, & ſummum magiſtratum, quando ipſe nullum ſibi modum ſta„tuat, intra legum præſcripta per vim reducere. Eccleſiæ miniſtri in ſententia, ſuperioribus temporibus approbata, conſtanter permanſerunt; „[3] Poſſe videli„cet magiſtratum ſub leges vi cogi. Proceres, vel gratia, vel ſpe honorum & pecuniæ, minus firmi fuerunt, & tamen ſecundum eos, & numero & ſplendore ſuperiores, judicatum eſt.

XXII. Aulam, inter hæc, indormientem ſuis vitiis, & in omnem luxum ſolutam, vix excitarunt latrones, limitum Anglicorum accolæ, qui vicinas regiones, velut permiſſa populatione, libere diripiebant, ac cæde interim & ſanguine omnia fœdabant. Ad hos reprimendos, cum vicaria poteſtate, miſſus eſt Jacobus Reginæ frater, non tam, ut multi exiſtimabant, ut augeretur honore, quam, [4] ut objiceretur periculis. Gravis enim erat ejus potentia Re-

1 *Non ſine riſu & indignatione, quod homines flagitioſiſſimi pro fidiſſimis miniſtris agnoſcerentur.*] Frigida hæc eſt & maligna cavillatio. Non enim Regina ægre ferebat adulteros, fornicatores, ebrioſos urbe exulare juſſos, ſed huic hominum fæci Pontificios omnes, nemine excepto, non tam impietatis profligandæ, quam Reginæ ſuæ inſultandi ſtudio, annumeratos fuiſſe.

2 *Omnem Papanæ pompæ faſtum adjecit*] Ita princeps Editio Edimb. aliis autem omnibus (præter Moſm.) excidit vox *pompæ*.

3 *Poſſe videlicet magiſtratum ſub leges vi cogi.*] Multos, & eos fere præſtantiſſimos, e primis illis purioris religionis vindicibus ab hac ſententia abhorruiſſe eorum ſcripta demonſtrant.

4 *Ut objiceretur periculis*] *Hic ſuccus nigræ lolliginis, hæc eſt ærugo mera.* Quanta enim benevolentia Regina fratrem & tum & diu poſtea fuerit complexa, tum alii ſcriptores, quum ipſe Buchananus oſtendit, qui ſummam rerum ei in aliquot annos fuiſſe demandatam, ipſumque Moraviæ Comitatu aliiſque innumeris beneficiis (non ſine quorundam e Nobilitate indignatione) poſtea auctum confitetur. In memoriam revocare debuerat Buchananus aureum Patroni ſui dictum, XVII. 50. *Se meminiſſe*, inquientis, *obſervatum, & poſteris ad imitationem relictum, ut in vita Regum & moribus occultiora vitia diſſimularent, dubia mollius interpretarentur, manifeſta eatenus ferrent, modo ne perniciem publicam ſecum traherent:* Quam regulam ſi ipſe & Buchananus hic & innumeris aliis locis tenuiſſet, non utique nobiliſſimæ Reginæ exiſtimationem, tot criminibus aut falſis aut ambiguis ferendis, tam atrociter commaculaſſent [De hujus temporis rebus Scoticis ex fide ſcribendis admodum ſollicitum fuiſſe Thuanum apparet ex ejus ad Cambdenum Epiſtola LIV. qua

Reginæ, gravior etiam innocentia, quæ ei ſua vitia exprobrabat, & impetum ad tyrannidem retardabat. Sed Deus, ultra ſpem hominum, ejus juſtos conatus promovit: viginti octo enim e ferociſſimis latronum laqueo ſuſtulit: alios acceptis obſidibus, alios ſolo terrore nominis, compreſſit.

XXIII. Regina, ex ejus abſentia, nonnihil licentiæ nacta videbatur. Nam præſentem rerum ſtatum non ſatis æquo animo ferebat, cum ob religionis controverſias, tum quod res adminiſtrabantur majore cum ſeveritate, quam adoleſcens mulier, educata in aula omnium corruptiſſima, tolerare poſſet, (ut quæ legitimi regni moderationem Regibus indecoram, & aliorum ſervitutem ſuam libertatem interpretaretur) adeo ut frequenter impotentis animi voces exciperentur, & paullatim tyrannidis fundamenta jaci viderentur. Nam, cum ſuperiores Reges omnes fidei Nobilitatis ſuam ſalutem credidiſſent, illa quidem [1] cuſtodiam ſatellitum adhibere decreverat, ſed rei exitum non inveniebat: neque enim ullam ſuæ cupiditati cauſſam prætendere poterat, præter inanem aulicæ magnificentiæ ſpeciem, & exterorum Regum conſuetudinem. Fratris vero mores quanto ſanctiores erant, tanto majorem ei curam afferebant, quod neque ſuſpicionibus aut criminibus fingendis locum dabant, neque vivendi licentiam laturi viderentur. Populum præterea ita animatum videbat, ut cuſtodiam corporis pro tyrannidis non obſcuro indicio accepturus eſſet. Igitur inquies animus, quod ſemel deſignaverat, cum quovis modo efficere ſtatuiſſet, tale commentum excogitat. Erat Reginæ frater, Joannes nomine cupidus potentiæ, ſed ingenio minus quam Jacobus ſevero, & qui facile induceret in animum omnia Reginæ obſequi, ideoque ei carior, & cupienti omnia miſcere magis idoneus. Cum hoc, abſente Jacobo, conſilium de ſtipatori-

tori-

qua ejus opem implorat, ubi & Buchananum acerbius ſcripſiſſe, & Jacobum Regem ob id ſuccenſuiſſe præceptori ſuo; quia tamen geſta ſunt, diſſimulari citra flagitium non poſſe profitetur: & apertius adhuc Epiſtol. LIX. ubi Moravii cauſſam ſedulo agit. Cambdeni reponſio exſtare videtur, in appendice ad Epiſtolas pag. 356. ubi omnia, quæ ex Buchanano narravit Thuanus, ſola auctoritate fere Jacobi Regis refutat. Sed quis verum dijudicabit & Regi plus credet quam Hiſtoricis? Cambdeno gratias agit Thuanus Epiſt. LXXI.]

1 *Cuſtodiam ſatellitum*] Reginæ obtrectandi nuſquam non cauſſam arripit Buchananus, qui perpetuus Regii faſtigii contemtor neceſſariam ſatellitum cuſtodiam tyrannidis argumentum interpretatur. At rem ipſam penitius intuentibus, ne vel leviſſima tyrannidis affectatæ hinc ſuſpicio ſuggerebatur. Nam, ut omittam vicinorum omnium Regum exemplum, cujus neglecti priores Scotorum Reges haud raro pœnas dedere, ſuberant Reginæ peculiares corpori ſuo cuſtodes adhibendi rationes: ea autem in primis, quod fœmina, ætate florens, forma incomparabilis, multorum non modo exterorum, ſed civium ſuorum votis petita, merito metuebat, ne cui in prædam aut ludibrium cederet. Quam autem juſtæ ei timoris cauſſæ inde ſuppeditarentur, vel quæ poſt evenerunt plus nimio oſtendunt. Sed inquies, fidei Nobilitatis Reginæ incolumitas ſatis tuto credebatur. At quam fallax ea cuſtodia, indicio erant Jacobus Secundus, Tertius & Quintus, a factioſis nobilibus toties in prædam abducti. Huc adde tot factionibus tum convulſam fuiſſe Nobilitatem, ut cui potiſſimum fideret Regina non inveniret, nunc his nunc illis fidem fallentibus, aut partes, ut quemque nova ſpes metuſve impellebat, ſubinde mutantibus,

2 *Im-*

toribus aſſumendis communicat. Ejus hæc fuit ratio. Nocte tumultum annunciandum curant, ac ſi Jacobus Hamiltonius, Araniæ Comes, Reginam, per comitum infrequentiam, clam aggredi, atque in ſuam arcem, quæ ad quatuordecim millia paſſuum aberat, aſportare conaretur. Hæc videbatur fabula illis veriſimilis futura, vel ob Reginæ animum ab eo alieniorem, vel ejus immodicum erga eam amorem, quorum neuter vulgo erat obſcurus. Hoc, uti compoſitum erat, tumultu nunciato, cum bonam noctis partem per agros propinquos equites diſcurriſſent, poſtridie cuſtodes ad fores Regias appoſiti apparent, aliis indignantibus, aliis ridentibus. Hujus commenti auctores, etſi ipſi ſcirent vulgo fidem ſibi non haberi, tamen ipſi ſecum geſtiebant, ſecuri de opinione hominum, cum neminem eorum, qui aderant, ſibi palam repugnaturum certi eſſent.

XXIV. Ab hoc initio, aula in luxum & laſciviam præcipite, jus tamen adhuc æquabiliter dicebatur, & ſcelera plectebantur. Summa enim rerum penes Jacobum Reginæ fratrem erat, qui ob fortitudinem & æquitatem cunctis erat carus. Conſilio in primis utebatur Gulielmi Mætellani, adoleſcentis ſummo ingenio, quique magna jam dederat præclaræ indolis experimenta, magnamque in poſterum exſpectationem concitarat. Horum virtute & conſilio factum eſt, ut domi & foris eſſet ſumma tranquillitas; & is rerum ſtatus, quem boni cuperent, factioſi magis indignari, quam queri, poterant.

XXV. Inter hæc, in regia orta eſt conſultatio, quæ totos tres menſes univerſam aulam exercuit. Qui proxime ſuperioribus annis aut Reges fuerant, aut locum Regum tenuerant, publicum patrimonium (quod nunquam in Scotia fuit amplum) prope ad nihilum redegerant, & [1] immoderatæ Reginæ luxui nihil erat ſatis. Procerum ac plebis facultates, proximorum temporum tumultibus, vehementer erant attenuatæ: nihil reſtabat, unde in aulicorum ſumtuum ſubſidiis, aliquid deradi poterat, præter ſacerdotia. Arceſſit in aulam ſacerdotum principes: adjuncti, e primoribus Nobilitatis, qui vel ingenio perſuadere, vel auctoritate cogere, poſſent. Tandem, poſt longam diſceptationem, cum ſacerdotibus, magis infirmitatis conſcientia non recuſantibus, quam rationum vi permotis, tranſactum eſt, & e fructibus Eccleſiaſticis tertia pars deciſa eſt, unde Regina miniſtros orthodoxos aleret, reliquum in ſuos uſus reſervaret. Ea tranſactio nemini omnium fuit grata. Sacerdotes opulentiores indignabantur quicquam ex veteri fortuna ſibi detrahi: Miniſtri Evangelii nihil æqui a Regina exſpectabant: ad ipſam autem ex illa oſtentata ſpe non adeo multum rei perveniebat. Multis enim ex veteribus poſſeſſoribus ſuorum fructuum pars tertia condonabatur: multis etiam, non viris modo, ſed etiam fœminis, domeſtici miniſterii merces, & operæ per multos annos impenſæ hinc præmia, & ſenectutis viaticum, aſſignabatur.

XXVI.

1 *Immoderatæ Reginæ luxui nihil erat ſatis*] Ita quidem omnes libri, at mihi vix dubium eſt quin [*immoderato*] legi debeat, quemadmodum pag. ſeq. lin. 11. *immoderata luxuria*, & XVII. 33. *immodicus luxus*, & Ciceroni *immoderata intemperantia* dicitur.

1 *Is*

XXVI. Ea hieme, Regina Jacobum fratrem, magno cum bonorum omnium aſſenſu, Marriæ Comitem creavit: nam, quod virtuti honos eſſet habitus, omnes laudabant; quod propinquitati aliquid eſſet conceſſum, non improbabant; & utilitati publicæ conſultum non pauci exiſtimabant, quod vir, genere illuſtris, meritis erga patriam illuſtriſſimus, hoc honore auctus, majore cum auctoritate in publicis functionibus procurandis verſari poſſet. Nec deerant, qui Reginæ beneficentiam eo ſpectare crederent, ut animum Jacobi, quem iis rebus, quæ per abſentiam ejus in aula gerebantur, offenſum non dubitabant, eam reconciliare voluiſſe arbitrarentur. Tum quoque uxor ei data eſt Agnes Ketha, Comitis Martialis filia: quibus in nuptiis, epularum magnificentia, aut verius immoderata luxuria, omnium amicorum animos graviter offendit, & invidis maledicendi materiam ſuppeditavit: eoque vehementius, quo ille in omni ſuperiore vita ſe temperantius geſſerat. Non adeo multo poſt, ei pro Marria, (quæ veteri jure Joannis Areskini fuiſſe deprehenſa eſt) Moravia donata eſt.

XXVII. Gordonius, ablata primum ſibi Marria, deinde Moravia, cui regioni diu præfuiſſet, ſe velut patrimonio ſpoliatum arbitratus, omnia ſua conſilia eo conferre cœpit, ut æmulum everteret. Multa eum præterea ad id facinus incitabant. Nam cum eſſet, ob multa majorum in Reges merita, omnium Scotorum longe opulentiſſimus, & majorum ipſe potentiam malis artibus quotidie augeret, primum Joannem Forboſium (uti ante dictum eſt) falſis teſtibus circumvenerat: deinde Jacobo Stuarto, Jacobi Quinti fratre, ſine liberis defuncto, procurationem Moraviæ ab eis, qui in ſummo magiſtratu erant, adeptus, ſe quaſi hæredem gerebat, quibus opibus eo magnitudinis crevit, ut, æmulatione depoſita, omnes, qui propinquas ei regiones incolebant, in ejus auctoritate conquieſcerent, & prope in ditionem concederent.

XXVIII. Inter hunc aliorum vel metum periculi, vel ſervitutis patientiam, unius hominis libertas, &, ut ipſe videri volebat, ſuperbia, eum peſſime habebat. [1] Is erat Macaintotius, magnæ inter priſcos Scotos familiæ princeps, natus quidem & educatus inter homines feros & prædæ aſſuetos, tamen, ſive arcano naturæ impulſu, ſive rectis monitoribus uſus, comitate & modeſtia, omnique humanitatis genere, cum iis certabat, qui magna parentum & magiſtrorum cura ad virtutem capiendam erudiuntur. Hujus adoleſcentis cum Gordonius potentiam ſuſpectam haberet, nec ingenio recto ad ſcelerum miniſteria abuti poſſe videretur, manum ei necopinanti injecit, atque in cuſtodia detinuit. Sed, cum nullum in eo capitale crimen inveniret, ſubmiſſis amicis (uti dictum) ei perſuaſit; „Ut ſe „ſuamque cauſſam ipſi permitteret: eam unam eſſe rationem, & e cuſtodia „cum bona gratia abeundi, & amicitiæ cum longe potentiore ineundæ. Homine ſimplice, & minime malo, ad ſuum exitium hac fraude impulſo, tamen adhuc mortis ejus invidiam Gordonius vitans, cum ſua egit uxore, ut ea ſe culpæ

1 *Is erat Macaintotius*] Hoc Huntilæi flagitium ſupra XVI. 4. ac iiſdem fere verbis narratur: neque juſta Buchanano cauſſa ſuppetiiſſe videtur, cur ingrati facinoris memoriam lectoribus ſuis refricaret.

1. *Cer-*

culpæ ſupponeret. Nec virilis animi mulier rem cunctanter ſuſcepit, ac miſerum, & innoxium, & ſupplicem, & deditum, abſente marito, ſecuri percuſſit. Hoc ſupplicio, vicinis vel metu ſtupentibus, vel largitione conciliatis, quicquid terrarum ultra Caledonios eſt, uni parebat. Itaque homo, & gloriæ & potentiæ avidiſſimus, moleſtiſſime ferebat, Jacobum Moraviæ Comitem ſibi æmulum appoſitum, ſtatuſque præſentis impatiens, in omnes rerum occaſiones erat intentus: actaque ejus omnia aſſidue & palam calumniabatur: librumque, ſua manu ſcriptum, Reginæ porrexit, in quo eum graviſſime, ſed leviſſimis argumentis, affectatæ tyrannidis accuſabat.

XXIX. In diverſa regione, eodem tempore, Jacobum Heburnum, Bothueliæ Comitem, æris alieni magnitudo, & indomitæ libidines, ad inſidias eidem Moravio inſtruendas impellebant. Is enim, luxurioſa adoleſcentia inter ſcorta & popinas acta, eo redactus erat, ut aut civile bellum ei foret excitandum, aut audaci aliquo facinore extremæ inopiæ metus propellendus. Omnia circumſpicienti maxime commodum ei videbatur perturbandi ſtatus publici initium, ſi Moravium cum Hamiltoniis committeret: [1] certa, ut videbatur, ſpes, in utriuſque partis exitium incertum. Primum Moravium adit: ei perſuadere conatur, „Ut Hamiltoniorum familiam, Reginæ, regno, atque ipſi privatim imminentem, e medio tollat. In id ſuam operam pollicetur. Nec id facinus ingratum Reginæ fore contendebat: quæ, præter commune omnium Regum odium, quo ſanguine proximos, velut in exitium ſuum intentos, proſequuntur, etiam peculiares offenſionum cauſſas, nec eas injuſtas, habere videbatur: vel ob Evangelicæ doctrinæ ſtudium, cujus Aranius unicus erat aſſertor, ob quam etiam cum Guſio in Gallia contraxerat inimicitiam; vel ob contentionem verborum, nuper in Scotia, cum altero Reginæ avunculo, Elbevii Marchione, habitam. Sed cum Moravius, homo probus & innocens, abhorreret a fœditate tam ſcelerati facinoris, Heburnus ad Hamiltonios ſe contulit, & miniſtrum ad cædem Moravii, cujus potentiam moleſte ferebant, ſe offert; „Illum eſſe unum, qui ſpes eorum „remoretur, & commoditatibus obſtet: eo ſublato, Reginam, velit nolit, in „ipſorum poteſtate futuram. Ratio autem expedita & facilis videbatur. Regina tum in Falcolandia erat: ea arx eſt, cum ejuſdem nominis pago: modica in propinquo ſilva eſt, in qua platycerotes cervini generis (quas vulgo damas falſo appellant) aluntur. Regina cum aut eo iret, aut in loca vicina prope quotidie cum familiari comitatu, perfacile videbatur, Moravium, inermem & incautum, tollere, & ipſam in ſuam poteſtatem redigere. Cæteris non ægre perſuaſum, ac tempus facinori perpetrando conſtitutum.

XXX. Unus Araniæ Comes ſcelus eſt execratus: clamque, literis ad Moravium miſſis, omnem rei ordinem expoſuit. Moravius per eundem nuncium reſcribit: ſed Aranio forte abſente, literæ patri ejus redditæ fuerunt. Ibi, con-

ſilio

1 *Certa, ut videbatur ſpes, in utriuſque partis exitium incertum.*] Corrupta videtur ſententia, cui tamen incerta conjectatione medicinam ferre non auſim. Cæterum id innuere Buchananus videtur, Bothuelium, Moravio ſemel cum Hamiltoniis commiſſo, certam ſpem animo concepiſſe, ut alter alterum (an Hamiltonium, an Moravium, anne vero utrumque, incertum,) exitio mactarent.

ſilio inito, Aranius a patre in arctam cuſtodiam eſt incluſus, e qua noctu elapſus, ad Falcolandiam contendit. Ut ejus fuga palam eſt facta, equites in omnes partes dimiſſi, qui comprehenſum retraherent, quos, in ſilvam ingreſſus, ea nocte fruſtratus eſt. Mane ad Falcolandiam deductus, omnem inſidiarum ordinem aperit. Nec multo poſt, Bothuelius & Galvinus Hamiltonius, qui manu facinoris patrandi partes ſuſceperant, conſecuti, in arce Falcolandiæ, juſſu Reginæ cuſtodibus appoſitis, retinentur. Cum facinus totum ante oculos eſſet, & ad locum tempuſque ab Aranio dictum duces conveniſſent, exploratoreſque retuliſſent, equites multis in locis apparuiſſe, Aranius, rei ordinem interrogatus, paullum animo turbatus eſt: nam, cum Reginam deperiret, Moravioque arctiſſima junctus eſſet amicitia, & illis gratificari cupiebat, & patrem, hominem minime malum, ſed ad res difficiles ſuſcipiendas nimis facilem, e conjuratione eximere volebat. Pietate & amore animum in diverſa ea nocte per ſolitudinem rapientibus, ita mente eſt emotus, ut non obſcure ex vultu & ſermone animi perturbatio appareret. Præceſſerant & aliæ, quæ juvenis animum commoverent, cauſſæ. Nam cum, ad eum diem, liberaliter & pro amplitudine familiæ fuiſſet educatus, pater, homo ad rem attentior, conſiliarios nactus, qui id vitium alerent, filium, magno comitatui aſſuetum, ad unum miniſtrum redegit. Qui facinus patrandum ſuſceperant, diverſi in cuſtodias miſſi, Bothuelius in arcem Edimburgenſem, Galvinus in Sterlinenſem, donec de cauſſa cognoſceretur. Aranius, ad Fanum Andreæ, quo Regina erat profectura, miſſus, atque in arce Archiepiſcopi aſſervari juſſus. Ibi, quoties ad ſe redibat, ad Reginam, de ſe deque aliis, tam prudenter & accurate ſcribebat, ut in ſuſpicionem incideret ſimulatæ inſaniæ, quo patrem e conjuratione cædis eximeret. Cæteros ita conſtanter & acriter accuſabat, ut aliquoties ad concilium productus, ſe, quando facinus tam occultum aliis teſtibus coarguere non poſſet, armis cum Bothuelio dimicaturum promitteret. Circa ea tempora, Jacobus Hamiltonius, Aranii pater, primum ad Reginam ſcripſit, deinde, ipſe ad Fanum Andreæ venit, ac multis precibus ab ea poſtulavit, „Ut filium ſuum, Bothuelium, & Galvinum Hamiltonium, „acceptis vadibus, ſibi dimitteret: nec impetrare quicquam potuit. Eiſdem etiam diebus, Regina Britannodunum, arcem longe omnium quæ ſunt in Scotia munitiſſimam, ſed quam Hamiltonius tenuerat, ab eo tempore quo Prorex fuerat, repetitam accepit.

XXXI. Georgius Gordonius (uti ante diximus) Moravio inimicus, Hamiltonio, filii ſui ſocero, in manifeſto ſcelere implicito, ac prope perculſo, longe infenſior factus, occaſionem adeſſe ratus, cum impune inimicum e medio tollere poſſet, duabus familiis illuſtribus ad cauſſam adjunctis, primum per ſuos tumultum in oppido, tum admodum infrequenti, curat excitandum, ſperans Moravium ad rem auctoritate ſua ſedandam ex aula egreſſurum. Ibi facile hominem, inermem & incautum, in turba opprimi poſſe. Id ubi parum ex ſententia proceſſit, e ſuis aliquot armatos, ad perpetrandum facinus, in Regiam venire ſub veſperam jubet, qui Moravium, in ſuum hoſpitium redeuntem a Regina, quæ ad multam noctem eum detinere ſolita erat, obtruncarent.

Id

Id enim tempus maxime videbatur idoneum, & rei patrandæ, & patrata evadendi. Ejus rei cum ad Moravium permanaſſet indicium, nec is, niſi oculis foret ſubjecta, crediturus eſſet, paucis ex amicorum fidiſſimis (ne quid ſuſpicatus fuiſſe videretur) comitatus, unum & alterum e Gordonianis, manu in exitu atrii pertentans, armatos deprehendit. Re ad Reginam delata, Gordonius accitus, ſuorum aliquot commentus domum diſceſſuros, arma induiſſe, deinde, neſcio qua de cauſſa, retentos: ita tum, ea excuſatione magis accepta quam probata, diſceditur.

XXXII. Ea æſtate, Legatis utrinque miſſis, agebatur, ut Reginæ Scotorum & Anglorum Eboraci congrederentur, ibique de multis controverſiis tranſigerent: ſed cum prope ad iter ſe compararent, res in aliud tempus rejecta eſt. Cauſſa differendi colloquii vulgo ferebatur, quod Aumalius, e Guſiis fratribus unus, literas Legati Anglici, qui in aula Gallica tum agebat, reſignaſſet: quodque, illius opera maxime, navis Anglica, quæ alterum vehebat Legatum, fuiſſet direpta. Itaque, rebus, uti credibile erat, ob has & alias injurias, ad bellum Gallicum inclinatis, Regina e Fano Andreæ Edimburgum profecta, Aranium eodem miſit, & in arcem ibi condidit.

XXXIII. Interea Jacobus ejus frater, Havicum ad frequentem in illis locis mercatum profectus, quinquaginta e latronum, qui illuc convenerant, primariis, inopinato adventu oppreſſit: cæteris circa provinciis metum ingentem incuſſit, & totum illum tractum ad tempus quietiorem reddidit. Verum id factum, ut amorem & reverentiam bonorum ei conciliabat, ita invidorum animos magis ac magis in ejus exitium indies inflammabat. Nam, ad tres familias potentiſſimas, in ejus perniciem pronas, acceſſit Guſiorum conſpiratio. Hi enim, cum veteres Eccleſiæ Romanæ ritus reſtitui vellent, nec id vivo Moravio perfici poſſe arbitrarentur, ad eum quovis modo tollendum omnem ingenii vim intenderunt. Spem perpetrandi ſceleris multa eis faciebant: in primis autem, quod Galli, qui Reginam deduxerant, domum reverſi, quantæ eſſent Gordonii opes, quam inquietus animus, quam item operam in Miſſa aſſerenda pollicitus eſſet, omnia paullum ſupra verum augentes, expoſuiſſent, re in aula Gallica multum inter Papanos agitata: hæc ejus perficiundæ ratio tandem eſt inita. Scribunt ad Reginam, „Ut Gordonii vecordiam promiſſis alat: Joanni ejus filio ſpem ſuarum nuptiarum magis oſtentet, quam promittat: ut, hac ſpe occœcatus, quo vellent, impelleretur: ſimul nomina eorum edunt, quos una interimi vellent. Ad hæc literæ Pontificis Romani & Cardinalis eodem incitabant. Nam cum ad immodicum, cui Regina aſſuerat, luxum, opes publicæ non ſufficerent, a Pontifice Romano pecuniam, tanquam ad bellum, adverſus eos qui ab Eccleſia Romana defecerant, popoſcit. Is reſcripſit obſcurius, ſed Cardinalis aperte, „Pecuniam, ad id bellum non defuturam: ſed iis demum interfectis, quorum nomina eſſent edita. Has Regina Moravio, cæteriſque ad cædem deſtinatis, literas oſtendit, ſive quod indicium ad eos aliunde permanaſſe crederet, ſive ut animi ſinceri, & occulta conſilia ab iis non ſeparantis, faceret fidem.

XXXIV. Igitur, cæteris ad facinus exſequendum comparatis, Regina magno deſiderio teneri ſimulat, eam Scotiæ partem, quæ ad ſeptentriones vergit, inviſendi: & hanc ejus cupiditatem Gordonius, liberaliter invitando, alebat. Tandem cum Abredoniam, ad Idus Auguſti, ventum eſſet, Gordonii uxor, virilis animi & conſilii mulier, omnibus modis Reginæ animum verſabat, nunc ut ſecretas cogitationes penitus haberet exploratas, nunc ut in partem, quam volebat, eam inflecteret. Gnara enim erat, quam levi momento ſint mobilia Regum conſilia: nec ignorabat, quo animo Regina, non multo ante, in utrumque, Moravium nempe & Gordonium, fuiſſet affecta. Nam, cum utrumque odiſſet, ſecum interdum agitare ſolebat, utrum priorem ſublatum vellet. Moravii innocentiam licentiæ ſuæ adverſam graviter ferebat, & Gordonii perfidiam, primum erga patrem, deinde matrem, multis experimentis perſpectam, oderat, & potentiam metuebat. Sed avunculorum & Pontificis Romani literæ ad Moravii cædem urgebant. Hanc ejus cunctationem, cujus non ignarus erat, Gordonius cum eximere vellet, rurſus per uxorem promiſſa de inſtaurandis ritibus Romanis repetit. Ea cum libenter Regina acciperet, unum tamen, nec id adeo magnum, erat impedimentum, quo minus ei aſſentiretur, quod non putaret (uti affirmabat) e dignitate ſua, Joanni filio ejus (qui, ante paucos dies, ob tumultum Edimburgi excitatum, in cuſtodiam traditus, effugerat) reconciliari, niſi ad cuſtodiam liberam, ſaltem ad paucos dies, Sterlinum rediret. Id Regina, non tam ob eam, quæ ſimulabatur, cauſſam, volebat, quam ut omnia integra, extincto Moravio, haberet, neu ad nuptias, abſente ſponſo, cogi poſſet. Gordonius quidem ſatisfacere Reginæ cupiebat: ſed filium, velut obſidem, in manum hominis, maxime ſuis conatibus adverſi, (is erat Joannes Marriæ Comes, Moravii avunculus, qui arci Sterlinenſi præerat) dare cunctabatur, præſertim incertus, quam in partem Regina cædem patratam [1] acceptura foret.

XXXV. Cum inter ingenia, ſe invicem fraude captantia, ita mutuis ſuſpicionibus laboraretur, ac ſe Regina in mora eſſe negaret, quo minus ex ſententia res conficeretur, neque quicquam expediret: tamen Joannes Gordonius, & ipſe ſuam operam oſtentans, in omnes eventus intentus, circiter mille e propinquis & clientibus ſuis, homines ad quodvis facinus paratos, armaverat, atque in propinqua oppido loca adduxerat. Moravius vero, etſi non optime comitatus eſſet, & hæc omnia (uti per amicos ex aula Gallica & Anglica erat præmonitus) in ſuum exitium videret parari; nec interim Reginæ admodum confideret, de die ſolita obibat in aula munia; nocte intra cubiculum [2] unum &

1 *Acceptura foret*] Vide ſupra ad XV. §2.

2 *Unum & alterum ſuorum*] Hanc locutionem Germaniſmi crimine a quibuſdam inſimulatam abſolvunt Vorſtius de Lat. falſo ſuſpecta, cap. 27. & Cellarius cur. poſter. pag. 426. Cæterum dubitari poteſt, an [*unus & alter*] collective ſemper. i. e. pro [*duo*] accipiantur, anne vero interdum disjunctive pro *unus aut duo*; quemadmodum Horatius uſurpare videtur II. Epiſt. I. 74.

Si verſus paullo concinnior unus & alter.

Et Art. ver. 15.

Purpureus late qui ſplendeat unus & alter
Aſſuitur pannus. ——

Et

& alterum ſuorum vigilare jubebat: ac ſæpe de inimicorum inſidiis certior factus, amicorum præſidio fretus, omnes eorum conatus abſque tumultu eluſit.

XXXVI. Eiſdem forte diebus, Bothuelius, per funem e feneſtra dimiſſus, ex arce Edimburgenſi evaſit. Rebus Abredoniæ mutua ſimulatione adhuc ſuſpenſis, cum Regina progredi ſtatuiſſet, a Joanne Leſlio, homine nobili, Gordonii cliente, invitata, domum ejus, ad duodecim ferme millia paſſuum ab oppido diſtantem, divertit. Is locus, ut infrequens, Gordonianis ad cædem commodus eſt viſus: Leſlius vero, qui ſecretorum conſiliorum non erat ignarus, deprecatur; „Ne hanc ſibi ac ſuæ familiæ inurant infamiam, ut ipſe „potiſſimum Reginæ fratrem, hominem alioqui non malum, nec ſibi inimi„cum, ad cædem prodidiſſe videatur. Proxima nox ad Rothimajum Abrenethiorum villam ſatis tranquille tranſacta eſt, quod poſtridie in Strabogio Gordoniorum arce diverſari ſtatuiſſent. In id tempus conſilium cædis eſt dilatum, quo in loco omnia in ipſorum poteſtate erant futura. Itaque, inter eundum, cum Gordonius longum cum Regina ſermonem inſtituiſſet, ac tandem eo ventum eſſet, ut ille accuratius Joanni filio veniam erroris peteret: quod videlicet homo adoleſcens, legum ignarus, fugiſſet e cuſtodia, in quam, nullum ob ſcelus, ſed ob tumultum, nec illius tamen culpa excitatum, datus eſſet. Regina contra contendebat; „Suam imminutam viſum iri auctoritatem, niſi filius ejus „in aliam cuſtodiam, quamlibet laxam, ad aliquot dies, rediret: ut, velut „expiata priore culpa, dimitti honeſtius poſſet. Gordonius, qui deſtinati facinoris occaſionem prætermitti nollet, etſi levia imperabantur, tamen obſtinate renuebat: vel quod, ſi Regina cædem factam non probaſſet, culpam ejus in filium conferri volebat: vel quod, ſi, abſente filio, ac Regina non invita, res confici poſſet, tamen adoleſcentem obſidem videbat futurum. Ea Gordonii pervicacia Regina adeo fuit offenſa, ut, cum jam prope in ædium ejus conſpectu eſſet, alio diverteret. Ita tota facinoris ſapientiſſime, ut ipſis videbatur, conſtituta ratio, tum quidem dilata eſt, donec Enterneſſum ventum eſſet. Nam, præterquam quod juri dicundo ibi ipſe Gordonius præfectus erat, quod arcem Regiam (quæ in colle edito imminet oppido) teneret, tota circa regio clientelis ejus plena erat. Regina, cum in arce diverſari ſtatuiſſet, & a cuſtodibus eſſet excluſa, tum demum timere cœpit, ut quæ in oppido immunito pernoctatura eſſet, cum interea Huntilæi filius plus mille ſelectis equitibus, præter propinquæ regionis promiſcuam multitudinem, in armis haberet. Regina, conſilio pro re præſenti capto, aditus omnes oppidi vi-

Et II. Sat. V. 24.

——— *Si vafer unus & alter*
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo.

Quibus & ſimilibus locis [*unus & alter*] Gallice *un ou deux*, Anglice *one or two* fere interpretamur. Sic apud Buchananum XX. 15. *Cum uno & altero comite Edimburgum venit*, perinde fere ſonat quod apud Livium lib. 27. cap. 31. *Vagabatur cum uno aut altero comite per maritimas domos dies noctesque*: Et Tacit, vit. Agric. cap. 40. *Uno aut altero amicorum comitatus*: Et noſtrum, VIII. 32. *Cum uno aut altero fere comite per deſerta loca vagus*; pro quo editi libri *cum uno & altero* exhibent. Paria his ſunt XIX. 24. *Cum uno & altero miniſtro*, & XX. 58. *Uno aut altero, e miniſtris, cæſis.* Vide XVII. 31. XVIII. 1. XIX. 62.

vigiliis obſidet: naves, quæ commeatum advexerant, in ſtatione fluminis paratas eſſe jubet, ut, ſi major vis ingrueret, id perfugium haberet. Nocte intempeſta, exploratores ab Huntilæo miſſi, cum primi vigiles de induſtria eorum adventum diſſimulaſſent, progreſſi in anguſtias, ac undique circumventi, capiuntur: & e Montanis Catana tribus, cum primum ſe adverſus Reginam duci intellexit, Huntilæum deſeruit, & poſtridie ad eam in oppidum venit.

XXXVII. Audito Principis periculo, magna priſcorum Scotorum multitudo, partim excita, partim ſua ſponte, affuit: in primis Fraſerii & Monroi, hominum fortiſſimorum in illis gentibus familiæ. Cum jam ſatis a vi tuta videretur, arcem Regina oppugnare cœpit. Ea, cum nec propugnatoribus, neque cæteris rebus, ad oppugnationem ſuſtinendam, ſatis eſſet munita, deditur. Propugnatorum præcipui ſupplicio affecti, cæteri incolumes dimiſſi. Tum concurrente undique Nobilitate, aliorum adventu, ulterioribus domum redire permiſſis, cum ſatis firmo præſidio quarto die Abredoniam rediit. Ibi demum metu liberata, vehementer in Gordonii odium inflammatur, & in vindictam prona, fratrem rurſus omni favoris oſtentatione amplexa eſt, ſimulando ſe totam ex eo pendere; ac ſuam ſalutem in ejus incolumitate poſitam cunctis perſuadere nititur.

XXXVIII. His Gordonius totam ſcenæ aulicæ faciem cum videret inverſam, Moraviæ Comitem, nuper morti deſtinatum, in ſumma gratia eſſe, ſeſe, e ſumma ſpe honoris & dignitatis, in flagrantiſſimum odium incidiſſe: cum ulterius jam ſe progreſſum exiſtimaret, quam ut receptus ullus ad veniam reſtaret, ad præcipitia ſe conſilia convertit. Nec ullum aliud periculis inſtantibus remedium ratus, quam ut Reginam quovis modo in ſuam redigeret poteſtatem; eam etſi in præſentia ſe graviter offenſurum videbat, tamen officiis, blanditiis, & filii nuptiis, quarum etiam avunculi credebantur auctores, muliebrem animum cum tempore flecti poſſe non deſperabat. Itaque, communicato cum amicis conſilio, Moravium, quovis modo poſſet, tollere decrevit. Eo enim ſublato, neminem eſſe, cui vel Regina imperium mandaret, vel qui ſuſceptum ſuſtinere poſſet. Rei perpetrandæ ſpem afferebant ſpeculatores: ac, præter alios, [1] Georgius Gordonius, Sutherlandiæ Comes, qui aſſiduus in aula, ſimulatione erga Reginam benevolentiæ, omnia ejus conſilia rimabatur, ac per idoneos homines indicabat: nec modo temporum & locorum opportunitates obſervabat, ſed operam ſuam in re perficiunda offerebat. Accedebat ad hæc, oppidum undique apertum, & inſidiantibus commodum; cives, vel beneficiis conciliati, vel neceſſitudine juncti, vel metu nihil auſuri; auxilia Montanorum dimiſſa domum; cum Comite Moraviæ paucos eſſe, & e longinquis regionibus adductos, quorum offenſa ei non eſſet magnopere pertimeſcenda: & cum, per vicinas regiones, omnes in ipſius eſſent pote-

1 *Georgius Gordonius Sutherlandiæ Comes*] Non *Georgio*, ſed *Joanni* ei nomen fuiſſe oſtendunt Acta publica, quibus Conventu 28 Maji 1563 læſæ majeſtatis damnatus, 14 vero April. 1567 in integrum reſtitutus memoratur.

poteſtate, rem ſine ſanguine perfici poſſe: uno homine extincto, & Regina in poteſtatem ipſorum redacta, cætera vulnera perfacile poſſe ſanari. His cogitationibus ad rem aggrediendam impulſus, cum jam ratio perpetrandi facinoris conſtituta eſſet, ex literis Comitis Sutherlandiæ & Joannis Leſlii deprehenſis, omnia eorum conſilia ſunt patefacta. Sutherlandius, cognito indicio, diſceſſit: Leſlius, agnita culpa, veniam impetravit; ac deinceps, quoad vixit, fortem & fidelem operam Reginæ, deinde Regi præſtitit.

XXXIX. Huntilæus, quæ exitum ſuorum conſiliorum, in loco, ob circumjectas paludes, prope inacceſſo, cum magna ſuorum manu exſpectabat, intellecto, quid in aula gereretur, ex conſilio amicorum, ſtatuit in montes ſecedere. Sed, cum ex vicina Nobilitate, quæ ad Reginam convenerat, multos haberet ſui ſtudioſos, eorum promiſſis ſatis confiſus, iterum mutato conſilio, ſtatuit eventum pugnæ in loco natura munito exſpectare. Moravius, cum ſuorum, quibus confideret, vix centum equites haberet, ſequentibus qui aderant proceribus, in primis Jacobo Duglaſſio Mortonii Comite, & Patricio Lindeſio, ad hoſtem ducere cœpit. Cæteri ex vicinis agris collecti, circiter octingenti, magna ex parte ab Huntilæo præcorrupti, magis Moravii cohortem ad exitium tracturi, quam in periculis opem laturi, magna cum verborum jactatione una progrediebantur; „Pollicebantur enim, ſeſe ho-„ſtem, ſine aliorum ope, debellaturos: adeſſent modo, ac ſpectatores ſeſe præ-„berent.

XL. Præmiſſi equites, qui circa paludem aditus omnes ſervarent, ne Huntilæus evaderet, cæteri lentiore gradu adventabant: & quanquam ſuperiore nocte e Gordonianis non pauci diffugiſſent, reſtabant adhuc ſupra trecentos, ſuis ſe locis tenentes. Eo cum ventum eſſet, Moravius in clivo propinquo, unde proſpectus in paludes erat, cum ſuis, ſimplice ordine acie inſtructa, ſtetit. Reliqui ſtatim, inter ducendum adverſus hoſtem, aperte proditionis ſignum dederunt: qui ramos ericæ (cujus magna in illis locis copia erat) ut ab hoſtibus agnoſcerentur, tegumentis capitum affixerunt. Ubi propius ventum eſt, Huntilæani, ſecuri de exitu, gradum ad eos accelerant, & cum adverſam aciem a proditoribus turbatam viderent, & jam in fugam converſam, ut expeditius ſequerentur, ſariſſas abjiciunt: &, ſtrictis enſibus, ad terrorem integrorum, proditionem ingeminantes, in hoſtem magno gradu feruntur. Proditores eodem illo impetu [1] aciem ſtantem una ſe rati in fugam averſuros, ad eam accelerabant. Sed Moravius, qui nullam in fuga ſpem videret, neque quicquam, præter honeſtæ mortis decus, reſtare crederet, exclamavit, „Ut ſariſſas ſui præ ſe tenderent, nec in aciem ſuam fugientes reciperent. Illi, præter opinionem excluſi, cornua utrinque confuſis ordinibus prætererunt. Huntilæani vero, qui jam profligatam rem putarant, cum aciem quidem parvam, ſed prætentis haſtilibus horrentem, cernerent, ipſi, ut qui ſparſi ac ſine ordine ſeſe inferebant, nec, propter haſtarum longitudinem, ex adver-

1 *Aciem ſtantem*] Hanc veram lectionem ex ipſa narrationis ſerie indagavit accuratiſſimus Crafordius, pro quo libris omnibus ſcriptum eſt [*etiam ſtantem.*]

verſo ad manus venire poterant, repentino terrore perculſi, non paullo celerius fugiunt, quam antea ſequebantur. Eam fortunæ mutationem proditores conſpicati, jam fugientibus inſtant, ac, ut ſe a priore culpa purgarent, quicquid fuit cædis [1] eo die, ipſi ediderunt. Cæſi ex Huntilæanis circiter CXX. capti C: ex altera acie nemo. Inter captivos fuit ipſe Huntilæus, ac duo filii Joannes & Adamus. Pater, ætate ingraveſcente, [2] &, ut in homine corpulento, anguſto ſpirituum meatu, inter capientium manus eſt exanimatus: cæteri, multa jam nocte, Abredoniam ducti. Moravius, miniſtro Eccleſiæ ſuum adventum exſpectare juſſo, primum omnium gratias Deo immortali egit, quod e tanto ac tam præſenti periculo, nullis ſuis viribus & conſilio, ſed ejus unius benignitate, præter omnium exſpectationem, cum ſuis emerſiſſet. Deinde ad Reginam illinc profectus eſt. Ibi, inter mutuas multorum gratulationes, Regina nec vultum hilariorem, nec vocem lætitiæ indicem edidit.

XLI. Proximis diebus, Joannes Gordonius ſupplicio eſt affectus, non ſine vario motu animorum: erat enim adoleſcens viriliter elegante forma, in ipſo florentis ætatis aditu, Regalibus nuptiis non tam deſtinatus, quam earum ſimulatione deceptus, &, quod non minorem indignationem quam miſericordiam movebat, ab imperito carnifice laceratus. Regina mortem ejus, cum multis lacrymis, ſpectavit: verum, ut erat ad celandos animi ſenſus compoſita, ita tum ejus mœſtitiam varie interpretabantur: eoque magis, quo non minore odio ei fratrem, quam Huntilæum, eſſe plerique intelligebant. Adami ignovit adoleſcentiæ. Georgius, natu maximus, deſperatis domi rebus, ad ſocerum Jacobum Hamiltonium ſe recepit: ut vel apud eum fugæ latibulum, vel ejus precibus veniam culpæ impetraret. Multi e Gordoniorum clientibus, prout quiſque deliquiſſe viſus eſt, alii pecunia, alii exilio multati: nonnulli in longinquas regni partes, ne res domi turbarent, relegati: quibus potentiores contigerant deprecatores, ſcelere ſoluti, ac in priſtinum gratiæ locum reſtituti.

XLII. Ita, vel compoſitis vel ſopitis ad ſeptentriones rebus, reliqua hiems per quietem tranſacta eſt. Ad V. Cal. Decembris, Bothuelius, per fœcialem in cuſtodiam, unde erat elapſus, redire juſſus, cum non paruiſſet, hoſtis publicus eſt denunciatus. Ad Reginam, Abredonia Perthum reverſam, venit Jacobus Hamiltonius, pro Georgio Gordonio genero deprecatum: ac ſatis clementi reſponſo accepto, tamen generum tradere eſt coactus. Is ad Dumbarum in cuſtodiam eſt remiſſus: ac deinde, anno proximo, qui fuit M. D. LXIII.

M.D. LXIII. [3] ad VII. Cal. Februarii, inde arceſſitus Edimburgum, perduellionis damnatur, ac Dumbarum remittitur. Hoc maxime tempore, edicto multa pecuniaria irrogata

1 *Eo die*] Commiſſa eſt hæc ad Corrichiam pugna 28 Octobris anno 1562.

2 *Et, ut in homine corpulento, anguſto ſpirituum meatu*] Libri omnes copulam minime neceſſariam hic inſerſerunt, legentes *& anguſto ſpirituum meatu.*

3 *Ad VII. Cal. Februarii*]. *i. e.* 26. Januarii: at Acta publica eum 8 Februarii damnatum teſtantur: proinde vox [*Cal.*] delenda, atque pro [*VII.*] ſcribendum [*VIII.*] vel [*VI. Idus Feb.*]

3 *Sub*

gata fuit, ſi quis Quadrageſimalis jejunii tempore carnibus veſceretur: in quo edicendo, non religionis, ſed publicæ utilitatis cauſſa valuit. Archiepiſcopus Fani Andreæ, quod, poſt edictum in adventu Reginæ factum, nec Miſſis audiendis nec dicendis abſtinuiſſet, in arcem incluſus fuit Edimburgi: cæteri, ejuſdem criminis rei, leviter multati, graviore pœna denunciata, ſi poſtea ejus culpæ affines deprehenderentur. Jam comitiorum, quæ in XX. menſis Maji indicta erant, dies advenerat. Regina coronata, atque ampliſſima veſte amicta, cum ingenti pompa in Senatum venit: novum prorſus ſpectaculum, niſi, ſub ejus matre & avia, oculi hominum ad tolerandum imperium muliebre fuiſſent aſſuefacti. In eo conventu, quædam decreta fuerunt, in eorum favorem, qui puriorem Evangelicæ legis doctrinam profitebantur: ac in Monetarios paucos animadverſum. Reliquum æſtatis Regina venationi in Atholia indulſit.

XLIII. [1] Sub finem autumni, permittente Regina, rediit in Scotiam Matthæus Stuartus Leviniæ Comes, [2] XX. anno quam turpiter a Rege Gallorum deſtitutus abierat, uti ante a nobis eſt ſcriptum: ac [3] proximo anno, qui fuit M. D. LXIV. menſe Januario, in conventu publico, ad id prope unum indicto, remiſſo exilio, & bonis receptis, reſtitutus; eamque reſtitutionem Regina proſequuta eſt multa verborum honorificentia, commemoratis in ſe Comitis multis magniſque officiis, in prima ſua adhuc infantia: quippe cujus ope fuerit e manibus inimicorum liberata, & regni inſignibus decorata. Ex Anglia deinde, commeatu in tres menſes impetrato, ad Id. Feb. venit in Scotiam Henricus ejus filius. Hunc adoleſcentem, genere & forma præſtantem, amitæ ſuæ filium, Regina Scotorum comiter accepit: cumque, quotidiana conſuetudine illecta, amare cœpiſſet, frequens ſermo de eo in virum aſciſcendo vulgo ferebatur, nec invita quidem Nobilitate, quod permagnæ commoditates ex iis nuptiis in totam Britanniam redundaturæ viderentur, ſi volente Regina Anglorum fieri poſſent. Illa, ut quæ utriſque eodem gradu conſanguinitatis erat proxima, [4] non tam repugnabat, quam M.D. LXIV.

1 *Sub finem autumni*] Perperam a Buchanano Levinii in patriam reditus in annum conjicitur 1563, (quippe quem Conventu publico anno proximo 1564 ineunte reſtitutum tradat:) ex aliis enim noſtris ſcriptoribus & Camdeno Anglo plane liquet Levinium in patriam demum reverſum anno 1564. Rem vero extra dubium ponunt Thomæ Randolphi (Angli ad Scotam tum legati) literæ, quibus Gul. Cæcilium de Levinii ad Edimburgum 27 Sept. 1564 adventu certiorem facit. *E Biblioth. Cotton. Caligula. B.* 10. Vide quæ mox ſequuntur.

2 *XX. anno*] Ita jubente Crafordio reſtituimus, pro quo libris omnibus irrepſit [*XXII.*] in Angliam enim conceſſit (ut ſupra oſtendimus ad XV. 20.) anno 1544, reverſuſque anno, ut modo docuimus, 1564, non quod Crafordius Buchananum ſecutus exiſtimat, 1563.

3 *Proximo anno, qui fuit* 1564, *menſe Januario*] Imo vero anno 1565, juxta ſupputationem Romanam. Quod ſi veterem Scotorum anni ordiendi rationem ſequamur, tum non [*proximo anno*,] ſed [*eodem anno*] erat dicendum. Vide Not. 1. huj. pag.

4 *Non tam repugnabat, quam ſe auctorem credi volebat*] Nihil falſius. Reginam enim Anglorum ſumma ope adnixam fuiſſe ut nuptias iſtas impediret, non modo Jacobus

 Mel-

quam [1] ſe auctorem credi volebat: ſuamque in conficiendo aliquam eſſe gratiam, ſimulque ex uſu ſuo putabat, propinquæ ſuæ potentiam hac mediocritate conditionis coërceri, ne, ſupra quam vicinis eſſet tutum, augeſceret. Sed, quæ res omnia jam tranſacta paullum retardarit, cunctaque tandem divina & humana miſcuerit, paullo altius initio repetito, quo magis omnia in aperto ſint, paucis explicabo.

XLIV. Erat inter aulica miniſteria, David quidam Rizius, Auguſtæ Taurinorum natus, e patre homine quidem probo, ſed pauperculo; ut qui, elementa Muſices docendo, ægre ſe & familiam ſuſtentabat. Hic, cum nullum, quod ſuis patrimonium relinqueret, haberet, liberos utriuſque ſexus pſallere docuit. Ex iis, cum David in adoleſcentiæ vigore conſtitutus, non inamœna voce præditus, & a patre in muſicis inſtitutus eſſet, in ſpem fortunæ liberalioris erectus, Nicæam, in aulam Ducis Sabaudiæ, nuper in ſuam ditionem reſtituti, profectus eſt. Sed ibi non pro ſpe acceptus, cum omnium rerum egenus omnia circumſpiceret, tandem in Morettium incidit, jam tum, Ducis miſſu, iter in Scotiam adornantem. Hunc cum ſecutus eo veniſſet, nec Morettius, homo non admodum copioſus, operam ejus aut neceſſariam aut utilem ſibi exiſtimaret, ibi ſubſiſtere paullum, & fortunam denuo experiri decrevit: eo maxime adductus quod Regina diceretur cantionibus valde oblectari, nec ipſa Muſices omnino imperita eſſet. Igitur, ut primum ſibi aditum ad eam patefaceret, egit cum cantoribus, quorum plerique Galli erant, ut inter eos appareret: ſemel atque iterum auditus placuit: ſtatimque in eorum collegium aſcriptus eſt. Ibi brevi, cum Reginæ ſenſum atque mores intellexiſſet, partim adulando, partim alios miniſtros calumniando, perfecit, ut non minore eſſet apud Reginam gratia, quam apud cæteros odio. Neque tamen hoc fortunæ blandientis favore contentus, cum æquales omnes partim viliores feciſſet, partim variis criminationibus expuliſſet, paullatim aſſurgere, & majora negotia tractare, cœpit: donec [2] ab epiſtolis aſſumtus eſſet; &, hoc prætextu, ſecretius & ſeorſum a vulgo agere cum Regina poſſet. Jam ſermonibus materiam dabat repentinus ho-

Melvillius, Memor. pag. 56. & Camdenus Hiſt. Eliz. ad annum 1565, ſed ipſius Elizabethæ ad ſuos in Scotia legatos Tho. Randolphum & Nicolaum Throgmortonium mandata, eorumque reſponſa, in Biblioth. Cottoniana adhuc aſſervata, evidentiſſime demonſtrant. Sed neque his contenta Elizabetha, quo magis averſam ab hoc matrimonio voluntatem ſuam teſtaretur, ad primum nuncium, Darlæi matrem in cuſtodiam conjecit, Leviniumque ac filium omnibus, quas in Anglia tenebat, poſſeſſionibus privavit, nec legatum ſuum Darlæum Regis nomine ſalutare unquam eſt paſſa.

1 *Se auctorem credi volebat*] Tantum abeſt ut Angla harum nuptiarum auctor aut fuerit, aut credi voluerit, ut, quamvis per ſuos legatos Robertum Dudlæum poſtea Leiceſtriæ Comitem Scotæ maritum anxie commendare videretur, quo Mariæ animum ab aliis in Germania, Gallia, &c. procis diverteret, tamen eo ejus conſilia omnia ſpectabant, ut Regina Scotiæ, nullo matrimonio inito, ac proinde nulla prole relicta, diem ſuum obiret.

2 *Ab epiſtolis aſſumtus eſſet*] Gallicarum tantum epiſtolarum cura ei erat demandata, quo munere Raulerus Gallus, quod illicitos amores ſectaretur, non multo pridem exciderat, id quod ex Tho. Randolphi ad Gul. Cæcilium literis 3 Decemb. 1564 apparet. *Bibl. Cotton. Calig. B.* 10.

1 *Cu-*

hominis, tantum non mendici, ad opes non mediocres progreſſus, & ſupra virtutem fortuna, ſupra fortunam arrogantia, & æqualium contemtus, & cum ſuperioribus æmulatio. Alebat hanc vaniſſimi hominis inſaniam magnæ partis Nobiliorum adulatio; qui amicitiam ejus captabant, ſalutando, orationi ejus ſubſerviendo; foribus obambulando; exitus reditusque ejus obſervando. Unus autem Moravius, in [1] cujus animo nihil ſimulatum inerat, non modo non aſſentabatur, ſed vultu plerumque eum aſpernabatur: quæ res non minus Reginam, quam Davidem ipſum, offendebat. Ille contra, ut ſubſidium ſibi adverſus odia procerum compararet, adoleſcentem, Regiis nuptiis deſtinatum, omni aſſentationis genere ambiebat: in eumque familiaritatis gradum pervenerat, ut lectum, cubiculum, ſecretoſque ſermones, communicaret: perſuaderetque adoleſcenti incauto, & in id quod cupiebat proclivi credulitate, ſua maxime opera fieri, ut Regina oculos in illum conjiceret. Semina etiam diſcordiarum inter eum & Moravium aſſidue ſerebat: eo enim pulſo, reliquum vitæ curſum ſibi inoffenſum fore, promittebat.

XLV. Cum jam non obſcuri rumores vulgarentur, non ſolum de nuptiis Henrici, ſed etiam de ſecretis ejus cum Regina congreſſibus: [2] nec belli ſermones de Davidis cum ea familiaritate ſpargerentur, Moravius, qui bene monendo nihil aliud quam ſororis odium aſſequebatur, ſtatuit ab aula ſecedere, ne rerum, quæ gerebantur, auctor crederetur. Nec Regina moleſte ferebat, tam ſeverum arbitrum abeſſe, eo maxime tempore, quo factionem ei adverſam confirmabat. Exules enim, [3] Bothuelium e Galliis, Georgium Gordonium Sutherlandiæ Comitem e Flandria, revocavit: & alterum Georgium Gordonium, Huntilæi Comitis filium, e cuſtodia eductum, priori dignitati & loco reſtituit. Bothuelium, e Galliis reverſum, Moravius de recentibus contra ſe inſidiis accuſat: detulerunt nomen juvenes honeſto loco nati, qui in Gallia ex intimis ejus familiaribus erant. Res aperta, atrox, invidioſa. Cum dies cauſſæ dicendæ appropinquaret, primum Regina cum fratre diligenter egit, ut ab accuſando deſiſteret. Cum ille exorari non poſſet, quod multum [4] ad famam ſua-

1 *Cujus animo nihil ſimulatum inerat*] Quam vere hoc prolatum, ex ſequentibus patebit. Vide interim Melvillium qui pag. 63. Moravium tradit, adamante magni pretii muneri miſſo, Rizii opem humiliter imploraſſe, pollicitumque, ſi ejus opera cum Regina in gratiam rediret, ſe Rizii amicum unicum & protectorem futurum.

2 *Nec belli ſermones*] Quæ hic non ſemel de Reginæ cum D. Rizio familiaritate narrantur, pura pura mendacia ſunt, nulla veri ſimilitudine innixa, eo conſilio a Moravio ejuſque ſectæ hominibus excogitata, ut Reginam civibus ſuis exoſam redderent, gradumque ad eas quas mox excitaturi eſſent tragœdias præſtruerent.

3 *Bothuelium e Galliis revocavit*] Tantum abeſt ut Regina Bothuelium e Galliis tum revocarit, ut eum ingratiis reverſum in jus vocari, renuentique capitis pœnam denunciari juſſerit. Vide literas Randolphi Angli ad Cæcilium, *Bibl. Cotton. Cal. B.* 10.

4 *Ad famam ſua intereſſe putaret*] Ita conſtanter omnes libri: mihi vero vix dubium eſt, quin [*famam ſuam*] legi oporteat Ita enim Cic. lib. 16. Epiſt. 1. *Magni ad honorem noſtrum intereſt, quam primum ad urbem me venire.* Et lib. 5. Ep. 12. *Equidem ad noſtram laudem non multum video intereſſe: ſed ad properationem meam quiddam intereſt te exſpectare, dum ad locum venias, ac ſtatim cauſſam illam totam & tempus arripere.*

1 *Mora-*

ſua intereſſe putaret, quam in partem eventus acciperetur, Regina, quod proximum erat, multos procerum per literas deterruit, ne diem judicii obirent: Alexandrum Glancarniæ Comitem, Moravio amiciſſimum, cum non longe a Sterlino iter ei eſſet, de via ad ſe arceſſivit. Tantus tamen omnium bonorum erat conſenſus, ut Bothuelius, non modo ſua conſcientia prædamnatus, ſed publica ſui ſceleris deteſtatione permotus, diem cauſſæ dicendæ obire non ſit auſus.

XLVI. Hoc vulgi ſtudium adeo Reginæ animum adverſus fratrem accendit, ut jampridem ei deſtinatum exitium maturaret: cujus ita ratio compoſita erat. [1] Moravio Perthum evocato, ubi Regina cum paucis erat, ibi Darlæus cum eo ſermonem conferre debebat: cum nemo dubitaret, Moravium libere & ſimpliciter locuturum, re in altercationem deducta, David Rizius primus eum feriret; cæteri mox vulneribus conficerent. Hac de conjuratione Moravius per amicos, qui in aula erant, edoctus, tamen certus eundi pergebat. Tandem per [2] Patricium Ruvenum iterum admonitus, ex itinere ad matrem, in propinquas ejus ad lacum Levinum ædes, divertit: ac, alvo forte ſoluta, ea morbi excuſatione uſus, ibi ſubſtitit. Interea, cum amicorum quidam eum inviſerent, rumor ſtatim diffuſus eſt, ibi eum hæſiſſe, [3] ut Reginam & Darlæum redeuntes Edimburgum interciperet. Equites paſſim dimiſſi, cum neminem armatum conſpexiſſent, tamen Regina tanta celeritate ac tam trepide iter illud confecit, velut certo imminente periculo.

XLVII. Nuptiis jam inſtantibus, ut aliqua conſenſus publici ſpecies ad Reginæ voluntatem accederet, convocatur Sterlinum magna pars procerum: ſed hi præcipue, quos aut libenter conſenſuros, aut repugnare non auſuros, credebant. Ex iis, in conſilium adhibitis, multi aſſenſerunt, modo ne quid in religionis doctrina publice recepta innovaretur: plurimi citra ullam exceptionem, quod Reginæ gratum fore exiſtimabant, ad id ſententias accommodabant. Unus, Andreas Stuartus Ochiltrius, palam profeſſus eſt, ſe nunquam aſſenſurum, ut Papanæ factionis Rex aſſumeretur. [4] Moravius quidem alienus a nuptiis non erat,

1 *Moravio Perthum evocato*] Ita Buchananus animum induxit omnia patrono ſuo aſſentari, ut cuncta ejus dicta apud eum oraculorum inſtar obtineant; quæcunque autem ipſius exiſtimationi adverſantur, ficta protinus & commentitia evadant. Quanquam enim ea quæ ſequuntur pari auctoritate (& poſteriora majori forte) inniti videantur, Reginæ tamen & Darlæi de Moravio tollendo conſilium, tanquam res explorata narratur, illius vero Darlæo ſtructæ inſidiæ ceu vanæ & futiles exhibentur.

2 *Patricius Ruvenus*] Is ipſe eſt, qui intra annum vertentem principem in Davide Rizio trucidando operam præſtitit, forte etiam jam tum ſcelus animo meditatus, cuique propterea parva aut nulla hac in re fides debeatur.

3 *Ut Reginam & Darlæum redeuntes*] Hic rumor de Regina Darlæoque intercipiendis fabula Buchanano videtur: at rem veram narrant Melvillius pag. 56. & Spotiſvodius pag. 190. De ea ambigue ſcribit ad Gul. Cæcilium legatus Anglus 4. Julii 1565, qui hoc iter (quod vulgo *Bathienſe* ſive [*The Road of Baith*] appellatur) die Dominico proxime præcedente confectum memorat. Bibl. Cot. Ibid.

4 *Moravius quidem a nuptiis alienus non erat*] Imo vero alieniſſimus a nuptiis erat Moravius, neque quidquam intentatum,

quo

erat, (ut qui in primis auctor erat juvenis ex Anglia evocandi) ſed videbat, quantis motibus ea res initium datura eſſet, ſi, non aſſentiente Angla, conficerent. Pollicebatur etiam, ſe curaturum, ut, volente atque auctore Angla, omnia tranſigerentur, ſi modo religioni caveretur. Sed cum videret, in illo conventu nullum libere cenſendi locum futurum, maluit abeſſe, quam ſententiam dicere, ſibi fortaſſe exitiabilem, & in publicum inutilem. Jactabatur etiam vulgo illa quæſtio, poſſetne Regina, defuncto marito, quem vellet alium ex animi ſententia virum ſumere: aliis cenſentibus, Reginæ, ex morte viri, eam libertatem non negandam, quæ plebejis quoque conceditur: aliis contra affirmantibus, in regnorum hæredibus diverſum jus eſſe, ut quæ una opera & virum ſibi ſumerent, & populo Regem darent: multoque æquius eſſe, ut populus uni puellæ maritum, quam puella Regem univerſis eligeret.

XLVIII. Menſe Julio, [1] venit ex Anglia Legatus, qui oſtenderet; „Reginam Angliæ, quæ in eodem conſanguinitatis gradu utrumque contingeret, „mirari, quod rem tantam præcipitarent, neque ſecum communicarent: quique magnopere peteret, ut interpoſita mora, diligentius rem expenderent, „fortaſſe non ſine utriuſque regni emolumento. Hac legatione cum nihil actum eſſet, ſtatim ſecuta eſt alia. Nicolaus Throgmortonus, Eques, nomine Reginæ Anglorum, Levinium & filium ejus monuit, in certum diem commeatum habere: eumque diem jam præteriſſe: domum itaque illos redire jubet, niſi ſe multari exilio, bonaque in fiſcum redigi mallent. Illi, nihil ea comminatione retardati, in ſententia perſtiterunt. Interea Regina, cum connubium illud nimium diſpar videretur, ſi nuper maximi Regis uxor, ipſa regni illuſtris hæres, adoleſcenti privato, nullis inſignioribus honorum titulis claro, nuberet, edictum publico præconio promulgavit, in quo Darlæus Dux Rotheſajus ac Roſſiæ Comes appellatur. [2] Præterea, ad rem accelerandam urgebant

quo illas impediret, reliquit; cujus rei vel illud certiſſimum indicium eſt, quod ſtatim poſt eas confectas arma ſumſerit, capitaleſque deinceps inimicitiæ inter eum & Darlæum exarſerint.

1 *Venit ex Anglia legatus*] Duas hic ex Anglia legationes commemorat: at priorem commentitiam eſſe narrat Camdenus: Thomas quidem Randolphus, qui aliquot annos apud Scotam, ab Angla legatus, vel ſpeculator potius, hæſerat miſſus, nondum Scotia exceſſerat. Ex Nicolai autem Throgmortonii literis apparet eum hac de re legatum miſſum fuiſſe menſe Majo, quem tamen Buchananus ſerius illo qui menſe Julio advenerat, refert veniſſe.

2 *Præterea ad rem accelerandam*] Vel hinc elucet quam non immerito Jacobus Melvillius Buchanano objicit nimiam credulitatem, qua (inquit ille) haud raro factum eſt, ut ex vagis conviventium ſermonibus dicendi ſcribendique materiem arriperet. Quis enim non videt has maleficarum prædictiones, aniles fabulas eſſe, quas, qui nobiliſſimam Reginam odio inexpiabili inſectabantur, ſuperſtitioſo popello credendas propinabant. Et ſane mirum eſt Buchananum, dum frivolas aut incertas matrimonii maturandi cauſſas commiſcitur, veram obliviſci, nempe metum ab Angla, quæ nullum non movebat lapidem, ne Maria, non modo cum Darlæo, ſed ne cum quoquam mortalium connubio jungeretur. *Melvill. Camden.*

gebant maleficarum ex utroque regno prædictiones, quæ, ſi nuptiæ citra finem Julii menſis conficerentur, multa Regibus commoda in poſterum promitterent; re ſecus geſta, damna & ignominiam comminarentur. Accedebant rumores, paſſim de morte Reginæ Anglorum divulgati; dieſque præſcriptus, intra quem moreretur: quæ prædictio, non tam divinationem, quam civium conjurationem, denunciare videbatur. Erat & illa feſtinandi Reginæ cauſſa non leviſſima, quod ſuos avunculos a nuptiis illis averſos non dubitabat: igitur, ſi mora longior interponeretur, metuebat, ne quod ab illis, quod rem prope confectam turbaret, impedimentum objiceretur. Nam cum ſecretum illud decretum, de bello ſacro per totam Chriſtianorum ditionem ſuſcitando, & pura Chriſti doctrina penitus exſtirpanda, eſſet factum, eique Dux Guſius imperator deſtinatus, ſpes improbas & immodicas aleret, is ſtatuit, per ſororis filiam, ita domeſticis tumultibus perturbare Britanniam, ut nullo auxilio transmarinos amicos juvare poſſent. Sed Davide, qui tum apud Reginam plurimum poterat, contendente, ex uſu rei Chriſtianæ nuptias eas futuras: quod Henricus Darlæus, & pater ejus ſectæ Papanæ acerrimi eſſent aſſertores, & in utroque regno gratioſi, clariſque familiis innexi, multiſque clientelis ſubnixi; res, diu agitata, tandem impulſa eſt. Is cum, ſi nuptiæ coirent, conſentientibus Regina Angliæ & Nobilitate Scotica, duo ſuis rationibus adverſa videbat; primum, in eis conficiendis nullam ſuam fore gratiam; deinde religionis incolumitati cautum iri, ſin vero Regina ſe ad Concilium Tridentinum adjungeret, ipſe ſibi honores, ſacerdotia, ſine modo pecuniam, ſine æmulo potentiam, promittebat: igitur, omnia moliendo, tandem perfecit, ut nuptiæ præcipitarentur, Scotis non ſatis æquis, Anglis vehementer infenſis.

CVII. REX.

XLIX. [1] Quarto Calendas Auguſti, HENRICUS STUARTUS Mariam Stuartam uxorem ducit: factoque ſilentio, acclamatum eſt, precante multitudine, ut proſpere omnia ſuccederent Henrico & Mariæ, Scotorum Regibus: ac poſtridie, Edimburgi iidem Reges præconio pronunciantur. Id factum non modo Nobilitatem, ſed vulgus quoque, graviſſime offenderat: nec deerant, qui indignarentur, rem peſſimi exempli factam. „Quid enim attineret concilium de Rege creando cogere, cujus nunquam ſententiam roges, „nulla in re auctoritate utaris? In Senatus loco præconem ſupponi, qui, pro „ſenatus-conſulto præconium recitet. Enimvero non conſultationem jam „eſſe, ſed, quomodo Scoti tyrannidem ferre poſſent, tentationem. Eam ſu-

1 *Quarto Cal. Auguſti*] Merito a Cl. Clerico aliiſque Buchanano vitio vertitur in re Chronologica negligentia; hic enim diem menſemque deſignat, anni vero (quod factum oportuit) non meminit. Quod ſi annum proxime memoratum 1564 hic intelligendum quis cauſſetur, is male rationes ſubducit; alii quippe ſcriptores, & (quorum fides omnibus præponderat) ipſa Acta publica Mariam nuptam teſtantur 29 Julii 1565.

1 *Ha-*

ſuſpicionem auxit procerum abſentium deſiderium. Aberant enim Nobilitatis fere principes, Jacobus Dux Caſtellerotii, Gileſpicus Argatheliæ, Jacobus Moraviæ, Alexander Glencarniæ, Andreas Rothuſiæ, Comites, compluresque alii, ſplendore generis & opibus clari. Ad eos fœciales miſſi: cum non paruiſſent, exilio multati, in Argatheliam major pars ſeceſſere: inimici eorum in aulam revocati. Ita rebus omnibus, quantum ſatis videbatur, adverſus rebelles comparatis, Reges, quatuor millibus comitati, Glaſcuam venerunt: rebelles Paſleti ſe continebant.

L. Ibi, pro partium ingeniis, variæ conſultationes fuerunt. Reges, miſſo fœciali, arcem Hamiltoniam dedi petunt: ac, re infecta reverſo, ad prælium ſe expediunt. Altera factio, ſecum ipſa diſcors, variis ſententiis diſtrahebatur. [1] Hamiltonii, qui in illis locis ſummas habebant opes, nullam pacis firmam conditionem eſſe aſſerebant, niſi Regibus ſublatis. „Illis enim incolumibus, nihil aliud ſperandum, quam nova bella, novas inſidias, & pacem „ſimulatam, aperto bello magis periculoſam. Privatorum injurias ſæpe laborum tædio deponi; ſæpe magnis emolumentis compenſari: Regum inimicitias ſola morte extingui. Moravius & Glencarnius, qui intelligebant, eos non publicum emolumentum, ſed privatas opes ſpectare, (ut qui, Regina exſtincta, proximi hæredes eſſent) & a cæde, & ab Hamiltonii imperio (quod crudele & avarum non ita pridem ſenſerant) juxta abhorrebant, mitiora conſilia probabant; „Diſſenſionem enim eſſe civilem, & adhuc incruentam, in „qua hactenus, non armis, ſed ſententiis eſſet certatum: eam, ſi fieri poſ„ſet, honeſtis conditionibus eſſe finiendam. Ad hæc conſilia, non defuturos „in Regiis caſtris, qui & pacem cupientes libenter audirent, & incolumi„tatem tueri armis neceſſariis conantibus non eſſent defuturi. Reges autem, „per adoleſcentiam, fortaſſe minus proſpicere: nondum autem ea peccaſſe, „quæ ad labefactationem ſtatus publici pertinerent: ſi qua vitia adſint, quæ „ad privati dedecoris labem faciant, ea non morte aboleri, ſed levioribus re„mediis curari, oportere. Se enim meminiſſe obſervatum, & poſteris ad imi„tationem relictum, ut in vita Regum & moribus occultiora vitia diſſimula„rent, dubia mollius interpretarentur, manifeſta eatenus ferrent, modo ne „perniciem publicam ſecum traherent.

LI. Hæc ſententia cum pluribus placuiſſet, cæteri Hamiltonii, præter Jacobum gentis principem, ſibi quieſcendum ſtatuerunt: ille enim, ſedecim equitibus comitatus, cum proceribus remanſit. Hi cum, ita extenuatis viribus, infirmiores eſſent, quam ut vel congredi poſſent, vel ad ſuas quiſque vires penetrare, temporibus obſecuti, ea nocte Hamiltonium venere: poſtridie Edimburgum profecti, ut ibi belli gerendi conſilium inirent, cum & arx urbi imminens aſſidue in eos jacularetur, nec amici, e regionibus longinquis, tam celeriter quam res poſcebat, convenire poſſent, & Reges, prope veſtigiis co-

1 *Hamiltonii* ——— *nullam pacis firmam conditionem eſſe aſſerebant.*] Vide *Camdeni Animadverſiones in Jac. Aug. Thuani Hiſtoriam, in qua res Scoticæ memorantur.*

eorum inhærentes, adventare dicerentur, multum rogante ac pollicente Joanne Maxuallio Herciano, Drumfriſium verſus iter ingrediuntur. Reges, retro Glaſcuam reverſi, Leviniæ Comitem vicarium in regionibus ad occidentem hibernum ſpectantibus conſtituunt: ipſi Sterlinum, ac inde in mediam Fifam, progreſſi, Nobiliorum majorem partem jurare cogunt, ſi quis ab Anglia motus armorum ingrueret, fidelem operam ſe navaturos: reliquos pecunia, aut relegatione multant: bona rebellium, qui in Angliam finitimam ſeceſſerant, ſicubi comparerent, diripiunt: conventus juridicos indictivos per omnes regiones denunciant, ad anquirendum de reliquiis conjurationis: [1] ad IX. Octob. exercitus, Edimburgo eductus, Drumfriſium verſus iter capeſſit. Maxuallius, qui ad eum diem ſtudium factionis Regibus adverſantis præ ſe tulerat, tempus ad ſuas res agendas adeſſe ratus, velut ſupplex pro partibus, obviam eſt progreſſus: cum eis, de parte patrimonii ſoceri ſui, quam vehementer cupiebat, loquitur. Ea, homo impiger, & conſilio manuque promtus, facile impetrata, ad rebelles redit: oſtendit, „Nihil in ſe opis eſſe, proin ſibi conſulant: Angliam eſſe „propinquam: ſi eo ſecedant, ſe, rebus compoſitis, mox ſecuturum, ſuaſque „omnes fortunas cum eis conjuncturum. A Moravio interim mille libras, expenſæ in ſtipendia militum nomine, extorſit: hanc pecuniam in equites expenſam ferebat. Juſſus enim paucas equitum turmas conducere, ſuos miniſtros domeſticos pro mercenariis oſtentabat.

LII. Reges, adventu ſuo, & acceſſione Hereſiani ad ſuas partes, territis inimicis, ac omnibus circumcirca pro arbitrio conſtitutis, ducibuſque partium expulſis, & cæteris in eorum periculi eventum intentis, circa finem Octobris Edimburgum rediere. In Scotia uſque ad initium veris res tranquillæ fuere. Conventus Ordinum totius regni promulgatus erat in menſem Martium, ut bona exulum publicarentur, & nomina ex albo Nobilium eraderentur, ac inſignia lacerarentur, quorum nihil, abſque conventus publici decreto, Regibus licet.

LIII. Interea David, aulam principibus procerum vacuam nactus, quo ſuam immoderatam potentiæ ſpem confirmaret, Reginam impotentibus conſiliis armabat, aſſidue hortando, ut factionum principes ferro coërceret. Paucis e medio ſublatis, cæteros nihil auſuros. Sed ſtipatores Reginæ, quod Scoti genere eſſent, in cædem Nobilitatis nefariam non facile conſenſuros putabat. Eis loco dejectis, eo totis viribus incubuit, ut exteri (quod fere omnis tyrannidis eſſe ſolet initium) ad cuſtodiam eligerentur. Primum injecta mentio, de Germanis arceſſendis: quod ea natio ſumma fide erga dominos fuerit. Verum David, [2] re ſecum diligentius expenſa, commodius ſuis rationibus eſt ratus, ut Itali ad id munus adhiberentur: primum, quod homines ejuſdem gentis magis in ſua poteſtate futuros crederet: deinde quod, nulla religione imbuti, ad res turbandas aptiores viderentur: ut quos, citra omne diſcrimen æqui atque iniqui, ad quodvis facinus facile impelli poſſe arbitraretur. Præterea homines egeni &

1 *Ad IX. Octob*] X. Octob. 1565 habent Acta publica.

2 *Re ſecum diligentius expenſa*] Vide Camdeni Animadver. ſupra cit.

1 *Cum*

& facinoroſi, ſub tyrannis nati & educati, bellis nefariis aſſueti, & qui procul domo in Britannia nihil carum haberent, ad res novas magis videbantur idonei. Igitur, paullatim e Flandria, aliiſque continentis regionibus, milites vagi arceſſiri cœpti, ſed prope ſinguli, & per intervalla, ne ea res agi videretur. Horum aliquem offendere, quam Reginam ipſam erat periculoſius.

LIV. Cæterum, ut apud Reginam creſcebat indies Davidis auctoritas & potentia, ita Rex quotidie apud eam vilior fiebat. Nam, ut in faciundis nuptiis Reginæ præceps fuerat temeritas, ita repente ſecuta eſt pœnitentia, & mutatæ voluntatis non obſcura indicia. [1] Cum enim, a nuptiis ſtatim, ſine publico conſenſu, publice præconis voce Regem pronunciaſſet, & poſtea in diplomatis obſervatum ad id tempus fuiſſet, ut Regis & Reginæ nomen exprimeretur, non multo poſt, utroque nomine ſervato, mutatus tantum ordo eſt, ut Reginæ nomen prius, Regis poſterius ſcriberetur. Tandem Regina, ut omni gratificandi poteſtate ſpoliaret maritum, cauſſata eſt, per ejus abſentiam, dum venationibus & aucupiis eſſet occupatus, multa aut non ſuo tempore fieri, aut omnino prætermitti: commodius fore, ut ipſa pro ambobus ſubſcriberet: hac ratione proſpici poſſe, ut & ille ſuis voluptatibus frueretur, & publicas neceſſitates ejus abſentia non moraretur. Id cum ille, ut qui nulla in re eam offendere volebat, in bonam partem accepiſſet, primum levibus de cauſſis ablegatur: ut procul a concilio & negotiorum publicorum conſcientia abeſſet, & omnium beneficiorum gratia ad ſolam Reginam redundaret. Ita enim ſecum rationem inibat, Regem, cujus nec amicitia cuiquam eſſet fructuoſa, nec ira formidabilis, paullatim in contemtum omnium venturum. David etiam, quo res indignior eſſet, ei ſubſtituitur, qui ferreo typo diplomata quædam pro Rege ſignaret. Ille, hac fraude omni cura publica exutus, etiam ne moleſtus rerum ſecretarum arbiter eſſet, hieme aſperrima Peblium detruſus eſt, exiguo admodum, atque intra privatorum complurium dignitatem, comitatu, in prædam verius quam aucupium. Eiſdem diebus tanta vis nivis e cœlo decidit, ut in locis non admodum copioſis, & præterea latrocinio infeſtis, homo ſemper in aula educatus, & victui liberaliori aſſuetus, ob rerum neceſſariarum penuriam, periculum adiſſet, niſi caſus eo Orcadenſem detuliſſet Epiſcopum. Is, locorum gnarus, vini nonnihil, atque aliorum commeatuum, in ſuum uſum attulerat.

LV. Nec hac ratione tantum Regina Davidem e ſuæ obſcuritatis latebris producere, & oſtentare populo, contenta, aliam viam eum ornandi honore domeſtico eſt commenta. Cum jam antea Regina, per aliquot menſes, ſolito plures ad menſam ſuam adhiberet, ut in multitudine ſaltem locus Davidi minus invidioſus eſſet: hac popularitatis ſpecie rata eſt fore, ut inſolentia ſpectaculi, convictorum multitudine, & quotidiana conſuetudine, paullulum levaretur, & ſtomachi hominum ſenſim aſſueſcerent, ut quidvis pati poſſent. Tandem eo perventum eſt, ut ille cum uno atque altero quotidianus convictor eſſet.

1 *Cum enim a nuptiis ſtatim*] Vide eundem ibid.

eſſet. Ut autem loci anguſtia, facti, quadam ex parte, minueret invidiam, nonnunquam in cellula exigua, interdum apud ipſum Davidem, epulæ apparabantur. Sed hæc invidiæ minuendæ remedia infamiam augebant, ſuſpiciones alebant, & ſiniſtris ſermonibus materiam ſuppeditabant. Acceſſit, ad hominum, jam in pejus proclives, cogitationes inflammandas, quod ſupellectili, cultu corporis, equorum & genere & numero, longe Regem ſuperabat: quæ res eo videbatur indignior, [1] quod non faciem *cultus* honeſtabat, ſed facies cultum deſtruebat. Igitur Regina, cum naturæ vitia non poſſet emendare, divitiis & honoribus cumulandis, in ſupremum ordinem eum nititur protrahere, ut naſcendi humilitatem, & corporis vitia, fortuitæ claritatis obtentu tegat: cum ob alia, tum maxime, ut jus ſuffragii in conventu publico nactus, id concilium ad Reginæ nutum circumagere poſſet. Sed, cum per gradus eſſet promovendus, ne inops & mercenarius Senator videretur, primus in agrum Edimburgo vicinum impetus eſt factus: Malvillium Scoti vocant. Dominus agri, & domini ſocer, aliique, qui plurimum apud eum poterant, amici convocantur: cum domino agri agit Regina, ut prædio cederet; cum ſocero & amicis, ut id domino perſuaderent. Sed cum parum ex ſententia res procederet, Regina eam repulſam in ſuam contumeliam interpretabatur: &, quod magis erat exitiale, David id moleſte tulit.

LVI. Vulgus (neque enim obſcure hæc agitabantur) præſentia deplorare, pejora indies ominari, ſi, ad egeni nebulonis libidinem, homines, antiqua nobilitate & fama illuſtres, majorum ſedibus extruderentur: multi etiam e ſenioribus memoria repetebant, & ſermonibus celebrabant, id tempus, cum Cocheranus, Regis fratre per ſummum ſcelus occiſo, e latomo [2] Comes Marriæ factus, belli civilis ea excitavit incendia, quæ morte Regis, & pene regni interitu, ſunt reſtincta. Hæc cum palam fierent, multoque plura clandeſtinus rumor (ut in rebus minus honeſtis fieri ſolet) muſſaret, Rex tamen certus, niſi re explorata, nemini credere, accepto, Davidem cubiculum Reginæ ingreſſum, ipſe ad oſtiolum, cujus clavem ſe penes ſemper habebat, acceſſit, ac præter morem interius oppeſſulatum invenit. Cum pulſanti nemo reſponderet, ingentem irarum molem animo coquens, noctem eam prope inſomnem egit.

LVII. Ex illo, paucis e domeſticis adhibitis, (paucis enim fidebat, ut qui cæteros a Regina corruptos, & factorum omnium dictorumque exploratores ſibi appoſitos ſciret) de Davide tollendo conſultat. Illi conſilium quidem probabant, ſed rei gerendæ rationem non ſatis expediebant. Ea conſultatio aliquot dies tenuit. Alii miniſtri, qui extra id conſilium erant, id quod erant ſuſpicati, multis prodeuntibus indiciis, factum ad Reginam deferunt, atque eam in rem præſentem ſe pollicentur ducturos. Nec in eo fefellerunt. Obſervato enim tempore, cum excluſis aliis, Rex ſolos, quibus fidebat, miniſtros ſecum habe-

1 *Quod non faciem cultus*] Vocabulum [*cultus*] quod libris omnibus excidiſſe videtur, monente Crafordio, reſtituimus.

2 *Comes Marriæ factus*] At vide quæ nos ſupra ad XII. 45.

1 *Le-*

haberet, Regina, velut per cubiculum ejus ad ſuum tranſitura, Regem cum conſciis arcanorum oppreſſit: & in eum acerbe invecta, domeſticis ejus graviter interminata, „Fruſtra eos conſultare, ſe omnes machinationes eorum ſcire, „& remedium in tempore adhibituram.

LVIII. Cum in eo ſtatu res eſſet, Rex dolorem ſuum cum patre communicat. Malorum præſentium unus eis videtur exitus, ſi ea pars Nobilitatis, quæ aderat, reconciliari, & quæ aberat, revocari poſſet: ſed ad id feſtinatione opus erat, quod jam dies eſſet propinquus, quo die Regina proceres abſentes damnare decreverat. Ea enim de cauſſa conventum illum indixerat, Francorum & Anglorum Legatis multum deprecantibus: ut qui ſcirent, nihil tam ſevera animadverſione dignum a reis commiſſum: animiſque etiam ſecuturum præceperant periculum.

LIX. Eiſdem diebus, literæ longiſſimæ ab Angliæ Regina venerant: in quibus multa benevole & prudenter de præſenti rerum in Scotia ſtatu diſſerebat; [1] leniterque, atque etiam amanter, propinquæ animum ab ira ad moderationem revocabat. Eas, quia proceres veniſſe ſciebant, neque dubitabat quiſquam qua de re erant ſcriptæ, civilioris animi affectum Regina erga eos ſimulans, compluribus adhibitis, legere cœperat: cum, in medio curſu, David eam palam admonuit, ſatis lectum eſſe, atque ſubſiſtere juſſit. Id ejus factum magis ſuperbum, quam novum omnibus eſt viſum: quippe qui non ignorarent, quam imperioſe plerumque erga eam ſeſe gereret, atque interdum acrius reprehenderet, quam maritus auderet.

LX. Per eos dies, in conventu publico, de cauſſa exulum acriter diſputabatur: aliis, ut Reginæ gratificarentur, pœnam perduellionis decernentibus, aliis contendentibus, nihil adhuc fuiſſe perpetratum, quod tam ſevere plecteretur. David interea ſingulos circumibat, animoſque pertentabat, quid de abſentibus decreturus quiſque eſſet, ſi a reliquo conventu Πρόβουλος legeretur: nec dubitabat oſtendere aperte, Reginam velle eos condemnari: qui ſecus fecerit, fruſtra niti: ſuperque malam gratiam apud Principem initurum. Hæc agebat, partim ut infirmiores ſpe & metu turbaret: partim ut firmiores e numero judicum ſelectorum excluderentur: ſaltem ut major pars ex eo numero eſſet, qui omnia Reginæ aſſentarentur. Hanc, in ſumma improbitate, hominis obſcuri potentiam cum plerique timerent, omnes odiſſent, Rex, ex patris ſententia, Jacobum Duglaſſium, & Patricium Lindeſium, alterum patris, alterum matris propinquum, arceſſit. Hi rem conferunt cum Patricio Ruveno, viro & manu & conſilio promto: ſed qui diuturno morbo ita debilitatus fuerat, ut per aliquot menſes de lecto non conſurgeret. Ei, inter paucos, de re tanta fides habita fuit, cum ob ſummam prudentiam, tum quod liberi ejus eſſent Regis conſobrini. Ab his Rex admonitus, quantum temporibus proximis erraſſet, qui propinquorum & amicorum præcipuos, in gratiam

1 *Leniterque*] Ita omnino legendum videtur, facili unius literæ mutatione, pro quo libris omnibus [*leviter*] habetur. Sic Lib. XIV. 1. principi editioni Edimb. [*levitatis*] irrepſit, quod alii libri in [*lenitatis*] recte mutarunt.

tiam nequiſſimi nebulonis, non modo paſſus eſſet expelli, ſed ipſe propemodum ſua manu extruſerit, illumque terræ filium ita extuliſſet, ut ipſe jam ab eo contemneretur. Multa præterea cum eo de ſtatu publico collocuti, effecerunt, ut facile culpam agnoſceret, & ſe affirmaret in poſterum nihil, niſi de Nobilitatis conſenſu, geſturum. [1] Ac homines, multo rerum uſu eruditi, non ſatis tutum rati adoleſcentis uxorii ætati credere, ne quando blanditiis illectus, cum certa pernicie ipſorum, pacta inficiaretur, capita, in quæ conſenſum erat, ſcripta ei exhibuerunt, quibus libenter atque etiam cupide omnibus ſubſcripſit. Ea autem erant: „De religione ſtabilienda, uti cautum erat „in Reginæ reditu in Scotiam. De reducendis civibus nuper pulſis, quibus „patria non facile carere poſſet. De cæde Davidis, quo ſalvo, neque Rex „dignitatem, neque Nobilitas incolumitatem, tueri poſſet.

LXI. His omnium chirographo confirmatis, Regeque cædis auctorem ſe profitente, tum ut condemnationem procerum abſentium prævenirent, tum ne mora conſilium palam fieret, ſtatim facinus aggredi viſum eſt. Igitur, cum Regina in cellula anguſta cœnaret, adhibitis de more ad menſam Davide & Comitis Argatheliæ uxore, paucique aſtarent miniſtri, (locus enim non multos capiebat) Jacobus Duglaſſius Mortonii Comes, cum magno familiarium numero, in extimo cubiculo ambulabat. In area ſubdiali, e clientibus & amicorum fidiſſimis obſervare juſſi erant, & tumultus, ſi qui orirentur, compeſcere. Rex, e ſuo cubiculo, quod infra Reginam erat, per ſcalas anguſtas, quæ ei ſoli patebant, aſcendit: ſequebatur Patricius Ruvenus armatus, cum quatuor aut quinque ad ſummum comitibus. Iis in cellam, ubi cœnabatur, ingreſſis, cum inſolens rerum facies Reginam nonnihil commoviſſet, Ruvenum ſqualidum, & e diuturno morbo macilentum, & tamen armatum aſpiciens; „Ecquid rei novæ eſſet, „percunctatur: nam, qui aderant, e febre delirare, ac ſui parum compotem eſſe, credebant. Ille, „Davidem ſurgere „& prodire, jubet: eum enim, in quo ſedebat, locum ei non eſſe decorum. Regina ſtatim aſſurgit, & corporis objectu adverſus venientes eum protegit. Rex, eam complexus, „Bono animo eſſe jubet: nihil enim eſſe, quod ipſa „timeret: cædem unius nebulonis decretam eſſe. David, primum in proximum, deinde in extimum cubiculum, pertractus, ibi ab iis, qui cum Duglaſſio præſtolabantur, [2] multis vulneribus confoditur: idque præter omnium, qui in cædem ejus conſpiraverant, voluntatem: qui eum publice ſtrangulandum, populoque, cui gratiſſimum fore ſciebant id ſpectaculum, præbere deſtinabant.

LXII.

1 *Ac homines*] Melius forte, *At homines.*

2 *Multis vulneribus confoditur*] Patrata fuit hæc cædes 9 Martii 1566. Operæ autem pretium eſt videre Jac. Melvillium pag. 64. qui tum in ædibus Regiis verſabatur, Camden. Hiſt. Elizab. pag. 114. Edit. Amſt. 8vo. Spotiſvod. pag. 194. Davidem Crafordium Comment. rerum Scotic. pag. 6. & ſeqq. qui hanc rem longe diverſo more tradidere. Illud vero in primis memorabile, quod Davidis Rizii tollendi conſilium non a Darlæo primum (quod Buchananus credi voluit) ſed a Mortonio, Lindeſaio & Ruveno excogitatum videatur: qui eum præcipue locum ac tempus facinori perpetrando delegerant, Primum, ut Moravii ſaluti conſulerent, qui eo ipſo tempore comitiis in eum

finem

LXII. Conſtans fama eſt, eum ab Joanne Damiœta, Gallo ſacrificulo, qui magicæ artis non imperitus vulgo habebatur, non ſemel admonitum; „Ut, „re confecta, ſe alio transferret: & potentiorum odio, cui par non eſſet, ſe „ſubtraheret. „Reſpondit, „Scotos magis minaces quam pugnaces eſſe. „Iterum itidem, paucis ante cædem diebus, admonitus, ut a notho ſibi caveret: „Nothum illum, ſe vivo, in Scotia eam potentiam non habiturum, ut ſibi „timendus eſſet, „reſpondit: a Moravio enim periculum ſibi denunciari putabat. Verum, dictione illa ſive expleta, ſive eluſa, primum ei vulnus a Georgio Duglaſſio, Comitis Anguſiæ notho, fuit illatum: poſt id, ut quiſque proxime ſteterat, princeps feriebat, vel dolori ſuo indulgens, vel in publicæ vindictæ ſocietatem aſcribi cupiens.

LXIII. Ad hæc, tumultu in totis ædibus orto, Comites Huntilææ, Atholiæ, & Bothuelii, qui in diverſa palatii parte cœnabant, cum prorumpere vellent, ab iis [1] qui in area adſervabant, intra cœnacula ſua ſine noxa ſunt cohibiti. Ruvenus, e cella egreſſus in cubiculum Reginæ, cum, viribus ad ſtandum non ſufficientibus, reſediſſet, ac bibere petiiſſet, Regina verbis, quæ recens dolor & ira amat, in eum ut perfidum & proditorem invecta, inter alia exprobravit, quod ſe ſtantem ſedens alloqueretur. Ille excuſat, nulla id ſuperbia, ſed virium infirmitate factum: ipſam vero hortatur: „Ut, in „regno gerendo, Nobilitatem, cujus intereſſet omnia ſalva eſſe, conſulat, „potius quam nebulones vagos, qui nullum ſuæ fidei pignus dare poſſent: „quippe qui, nec in re, nec in fama, quicquam haberent, quod perderent. „Neque, quod in præſentia perpetratum eſt, rem eſſe novi exempli: Re„gum Scotorum legitimum eſſe imperium: nec unquam ad unius libidinem, „ſed ad legum præſcriptum, & Nobilitatis conſenſum, regi ſolitum. Si qui „Regum contra attentaſſent, graves ſuæ temeritatis pœnas luiſſe: neque nunc „ita Scotos a majorum ſuorum inſtitutis degeneraſſe, ut exteri hominis, quem „vix honeſte ſervum eſſent habituri, non modo imperium, ſed ſervitutem, „æquo animo perferrent.

LXIV. Hoc ſermone cum Regina magis inflammaretur, illi diſcedunt, ne major aliquis tumultus oriretur, locis idoneis cuſtodibus diſpoſitis. Interea rumor tota urbe manat: alius alibi, & pro ficto aut vero, pro cujuſque ingenio, creditus. Ad arma concurritur, ac recta omnes ad Regiam pergunt. Ibi Rex, per feneſtram multitudinem allocutus, „Se ac Reginam incolumes „eſſe,

finem indictis erat proſcribendus. Secundo, ut Reginæ famæ maculam altius inurerent. Ac tertio denique, ut hoc tumultu excitato impedirent quo minus prædia Eccleſiaſtica, ſibi ſuiſque antea conceſſa, Ordinum decreto (quod Regina tum deſtinabat) ſibi adimerentur. Sunt etiam qui exiſtimant, quibuſdam horrendum conſilium fuiſſe, ut Regina gravida hoc metu conterrita abortum faceret, unde ipſa forſan una cum filio exſtingueretur.

1 *Qui in area adſervabant*] *Adſervare* idem fere hic ſonat quod *obſervare*, ſive, ut Rob. Stephanus interpretatur, *oculis aliquid cuſtodire*, *animoque*, *in modum ſpeculatoris*, *ne nos ſilentio*, *tacitoque prætereat*. Sic Plaut. Merc. *Adſervabo hinc quid rerum gerat*. Id. Menæch. *Ita illa me ab læva rabioſa fœmina adſervat canis*. Terent. Heaut. *Atqui nunc here hic tibi adſervandus eſt*.

„eſſe, affirmat: nullam tumultuandi cauſſam eſſe: quicquid actum eſt, ſuo „juſſu actum: id quale ſit, ſuo tempore ſcituros: in præſentia, domum ſuam „quiſque abeat. Illi juſſi diſcedunt, præter paucos, qui ad vigilias agendas retenti fuerant.

LXV. [1]Poſtridie mane, proceres ab Anglia reverſi. Primum omnium, in prætorio urbis judicio ſe ſiſtunt, ad dicendam cauſſam parati: nam is dies ad id præſtitutus erat. Ubi nemo ex adverſo apparuit, publice teſtati, quod non per ipſos ſtetiſſet, quo minus legitimo judicio ſe committerent, in hoſpitia quiſque ſua diſceſſerunt. Regina, fratre arceſſito, & cum eo ſatis diu collocuta, ſpem fecit, ſe, poſt id, in procerum poteſtate futuram: ac laxiore cuſtodia habita, multis, malo publico illam clementiam ceſſuram, ominantibus, veteres ſatellites recollegit: & noctu, per poſticum egreſſa, cum Georgio Setonio, qui ducentos adduxerat equites, primum in ejus arcem, inde Dumbarum profecta eſt: Regemque, metu mortis injecto, ni obſequeretur, ſecum duxit. Ibi, collectis viribus, cum reverſis nuper ab exilio ſe conciliatam ſimulans, impetum in Davidis percuſſores convertit. Illis vero tempori cedentibus, velut rebus jam pacatis, ad priſtinum ingenium rediit. Primum omnium, cadaver Davidis, quod ante fores templi propinqui ſepultum erat, curavit de nocte transferendum, ac [2]in ſepulchro proximi Regis & liberorum ejus collocandum. Et hoc factum, ut inter pauca improbum, ſiniſtris ſermonibus locum præbuit. „Quam enim ulteriorem adulterii confeſſio„nem exſpectarent, quam ut illum terræ filium, nullis honeſtis ſtudiis, „nulla in publicum opera impenſa, inſignem, patri ac fratribus, quo„ad potuit, honore ſupremo æquaret, &, quod pene invidioſius erat, „hominem ſpurcum prope in Magdalenæ Valeſiæ, paullo ante Regi„næ, amplexus daret. Marito inter hæc comminari, obliquis dictis alludere, operamque dare, ut omnem ei auctoritatem apud omnes detraheret, & quam poterat contemtiſſimum redderet. His fere diebus, quæſtio de cæde Davidis acerbiſſime exercita fuit. Multi ex iis, qui conſcii dicebantur, alii alio relegati: plures pecunia multati: nonnulli (ſed fere inſontes, atque adeo ſecuri) ſupplicio affecti: nam principes factionis, alii in Anglia, alii in montanis Scotorum regionibus, delituerunt. Magiſtratus, & munerum publicorum procurationes, omnibus, quos vel paullum attigerat ſuſpicio, ademti, & eorum inimicis traditi: per præconem edictum (nec, in tanta mœſtitia publica, ſine riſu)

1 *Poſtridie mane*] Hinc, nec abſurde quidem, a quibuſdam colligi videtur, Moravium cædis Rizianæ conſcium fuiſſe: ſecus enim non auſum poſtridie Edimburgum, ut judicio ſe ſiſteret, venire. Certe Huntilæus & Argathelius publice teſtati ſunt Moravium & Ledintonium ſibi agnoviſſe, non alio conſilio Rizium fuiſſe trucidatum, quam ut ipſius (Moravii) ſaluti conſuleretur. Ejus rei inſtrumentum autographum ſibi viſum narrat Camdenus, pag. 117. nec ipſe Moravius ſuo ad eos reſponſo in *Biblioth. Cotton. Calig.* C. 1. rem diffitetur.

2 *In ſepulchro proximi Regis*] Hoc a ſolo, quod ſciam, Buchanano traditum, mihi haudquaquam veriſimile videtur. In eo certe loco (quem non ſemel ipſe oculis luſtravi) nulla nunc præter Jacobi V. ac ejus liberorum, Magdalenæ item Reginæ, & Henrici Darlæi corpora conſpiciuntur.

1 *Paul.*

ſu) ne quis diceret, Regem aut participem, aut conſcium Davidicæ cædis fuiſſe. Hac rerum perturbatione poſt Id. Apriles paullum ſedata, Comites Argatheliæ ac Moraviæ in gratiam recepti. Ipſa, non multo poſt, appropinquante puerperii tempore, in arcem Edimburgenſem ſeceſſit; atque, decimo nono die Junii, [1] paullo poſt horam nonam æqui

1 *Paullo poſt horam nonam æquinoctialem*] Multi, ſed ii fere in antiquorum ſcriptis parum verſati, ſibi aliiſque in hoc loco explicando negotium faceſſere ſolent, in ſcirpo, quod ajunt, nodum quærentes. In eorum igitur gratiam, rem alioquin ſatis facilem breviter enarrabo. Et primum quidem advertendum eſt dierum ſpatia in duplici eſſe differentia; Alius enim, *Dies naturalis* vulgo dictus, illud tempus complectitur, quo Sol ſupra Horizontem commoratur, cui *Nox* ex adverſo reſpondens Solis iridem infra Horizontem mora circumſcribitur. Alius vero, *Civilis* appellatus, illo temporis ſpatio definitur quo Sol ab uno cœli puncto ad idem punctum fixum convertitur, Græcis ideo Νυχθήμερον dictus, quod noctem quoque ſuo ambitu includat. Hujus autem initium varie a variis gentibus eſt conſtitutum. Babylonii enim ab ortu Solis ad ortum, Umbri a meridie ad meridiem, Athenienſes ac Judæi ab occaſu Solis ad occaſum, Romani denique, quos plerique in Europa populi hodie ſequuntur, a media nocte ad mediam noctem, diem civilem deducebant. Vide hac de re Plinium lib. II. cap. 77. & Cenſorinum cap. 23. Binis hiſce dierum generibus menſurandis bina itidem *horarum* genera ſunt inventa. *Lux* enim, ſive *dies naturalis*, in duodecim *horas*, nox item in totidem tribuebatur. *Dies* autem *civilis* (ſive νυχθημέρον) in viginti quatuor *horas* erat diviſus. Hæ, quod omnibus temporibus & locis eædem ſemper ac pari menſura defluerent, Latini HORÆ ÆQUALES, ſive ÆQUINOCTIALES, Græcis ἰσημερινάς, quaſi *æquidiales* dicas, appellabantur. Illæ vero, quod pro diverſis terrarum plagis, variiſque anni tempeſtatibus, impari temporis ſpatio conſtarent, horæ INÆQUALES, καιρικάς, ſive *temporariæ*, interdum & *Planetariæ* dicebantur. Cum enim utrumque, & diei & noctis ſpatium, in duodecim æquales partes diſpeſceretur, plane neceſſe erat æſtivas horas lucis, maximas; noctis minimas fieri: e contrario perbreves hieme lucis horas, noctis longiſſimas. Rurſus, cum νυχθήμερον, ſive junctum diei noctiſque ſpatium, æquali ſemper (frigidas cœli plagas excipio) temporis mora definiretur, horas certe *æquinoctiales* illud dimetientes, pares ſibi ſemper conſtare oportebat. Poſtremo & illud obſervandum eſt, quamvis horis hiſce *æquinoctialibus* pleræque per Europam gentes nunc utamur, apud veteres tamen (uti oſtendit Salmaſ. Plin. exercit. pag. 452, &c.) non niſi Aſtronomis, Aſtrologis & rei Gnomonicæ ſcriptoribus, aut re alioquin ſic poſtulante, fuiſſe uſurpatas. Priſci autem Judæi, Græci & Romani horis *inæqualibus* diem vulgo metiebantur, unde & *vulgares* iiſdem olim ſunt dictæ. Hujus rei teſtes locupletiſſimi ſunt ipſi ſacrarum literarum ſcriptores, Joh. 11. 9. Matth. 20. 3, 5, 6. & alibi paſſim. E Romanis autem inſtar omnium ſit Martialis lib. 4. Epig. 8.

Prima ſalutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia cauſſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris,
Imperat exſtructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorum,
Temperat ambroſias cum tuu cura dapes.

His utcunque explicatis, facili negotio eruitur, quodnam hic diei tempus per has voces [*paullo poſt horam nonam æquinoctialem*] Buchananus intelligi voluerit, idem *ſcil.* quod nos *paullo poſt horam nonam antemeridianam* dicimus. Vocem autem *æquinoctialem* ideo adjecit, quod aliter, ex Latini ſermonis genio, cujus, ſi quiſquam alius, ſe ubique prodit obſervantiſſimum,

æquinoctialem, filium peperit, cui poſtea Jacobo Sexto nomen fuit.

horam diei *vulgarem* innuiſſet, *i. e.* quam nos fere *tertiam pomeridianam* numeramus; quam & nonnulli hic a Buchanano ſignificari falſo exiſtimantes, in eum errorem, quem ille, voce [*æquinoctialem*] addita, fugiendum volebat, imprudentes ſunt prolapſi. Noſter autem hic Plinium præcipue imitatus videtur, qui libro 6. cap. 34. varium terrarum ſitum deſcribens, quotque horas cujuſque mundi circuli (nos climata vocamus) longiſſima diei noctiſve ſpatia complecterentur, *æquinoctiales* ſemper appellat. Memorabilis autem in primis eſt lib. 2. cap. 97. locus, quique ea fere omnia quæ de horis ſuperius diximus, confirmat. *Bis,* inquit, *inter duos exortus Lunæ affluunt* [æſtus maris,] *biſque remeant, vicenis quaterniſque ſemper horis,* ——— *paribus tamen intervallis reciproci, ſeniſque ſemper horis: non cujuſque diei aut noctis, aut loci, ſed ÆQUINOCTIALIBUS; ideoque inæquales VULGARIUM horarum ſpatio, utcunque plures in eas aut diei aut noctis illarum menſuræ cadant, & æquinoctio tantum pares ubique.* Cæterum ſententiam noſtram, per ſe ſatis claram, extra omne dubium ponunt, duo Buchanano coævi ſcriptores, Jacobus Melvillius & Petrus Junius; quorum alter *Memor.* pag. 69. ſe, inter horam decimam & undecimam matutinam de Reginæ partu nuncio accepto, altera poſt hora in iter Reginæ juſſu dediſſe, eaque nocte Bervicum contendiſſe, ut Elizabetham Anglam ea de re certiorem faceret. Alter vero *Not. Hiſt. ejus vitæ a Tho. Smitho adjunctis*, Jacobum VI. diſerte natum teſtatur *paullo ante horam decimam antemeridianam.* His fere conſentit Pat. Anderſonus Hiſt. Scot. MS. Tom. III. fol. 48. Spotiſvodio autem error, librarii (ut credibile eſt) culpa irrepſiſſe videtur, qui pro *matutinis*, *veſpertinas* horas memorat. Hæc fuſius, quam neceſſe erat, ſum proſecutus, ne quorundam, qui fluctus movere ſolent in ſimpulo, importunæ diligentiæ defuiſſe videar. Quod ſi ii neque ſic ſatis ſibi factum exiſtimabunt, adeant *Alex. ab Alex. lib.* 4. *cap.* 10. *Cœl. Rhodig. lib.* 12. *cap.* 9. *Lil. Gyrald. de ann. & menſ. Salmaſ. Plin. Exerc. pag.* 452, &c. *Scalig. in Manilii Iſag. lib.* 3. *pag.* 255. *Achil. Stat. Obſerv. cap.* 9. *Selden. de jur. nat. cap.* 21. *lib.* 3. *pag.* 432. *Bevereg. Inſtit. Chronol. lib.* 1. *cap.* 4. *&c.* qui de horis hiſce tam inæqualibus quam æquinoctialibus fuſe & accurate diſſeruere.

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

I. [1] REGINA partu levata, etſi alios omnes ſatis comiter, ut in publica gratulatione, acciperet, tamen quoties Regem viſendi cauſſa adeſſe nunciabatur, & ipſa & comites vultum ſermonemque ita componebant, ut nihil magis timere viderentur, quam, ne Rex non intelligeret, ſe faſtidio, adventum conſpectumque ſuum omnibus ingratum eſſe. Contra vero Bothuelius omnia unus poterat, unus negotiis omnibus præerat: adeoque Regina ſui erga eum animi propenſionem intelligi volebat, ut, ſi quid ab ea petendum foret, nemo quicquam, niſi per illum, impetraret: ac, velut vereretur, ne favor is obſcurus eſſet, quo-

1 *Regina partu levata*] Hoc fere libro Buchananus ea complectitur, quæ acerbiſſima illa adverſus Reginam Mariam Invectiva, cui DETECTIONI nomen dedit, antea perſcripſerat.

1 *Quo*

quodam die cum uno & altero comite ſummo mane ad Portum, quem Novum vocant, deſcendit, cunctiſque inſciis quo properaret, naviculam ibi præparatam conſcendit. Ornaverant autem eam Gulielmus & Edmondus Blacateri, Eduardus Robertſonus, & Thomas Dicſonus, omnes Bothuelii clientes, & notæ rapacitatis piratæ. Hoc igitur comitatu latronum, cum ſumma omnium bonorum admiratione, ſe mari commiſit, nemine ne ex honeſtioribus miniſtris aſſumto. In Alloa vero, Comitis Marriæ arce, [1] quo navis appulit, per aliquot dies ita ſe geſſit, ut non modo Regiæ majeſtatis, ſed matronalis etiam modeſtiæ, oblita videretur.

II. Rex, audito Reginæ necopinato diſceſſu, terra, quantum potuit, eſt conſecutus, ea ſpe & conſilio, ut una eſſet, & mutua conjugalium officiorum communicatione frueretur. Sed, is, tanquam moleſtus voluptatum interpellator, vix paucis horis, dum miniſtri cibo & quiete reficerentur, datis, redire unde venerat jubetur. Regina, poſt paucos dies, ubi Edimburgum rediit, turbam, ut videbatur, vitans, non in ſuum palatium, ſed in propinquam privati hominis domum, in ea vicinia, divertit. Illinc in aliam tranſiit, ubi conventus annuus, quem Scaccarium vocant, tum habebatur, non tam (ut creditur) ædium laxitate, & hortorum, qui juxta erant, amœnitate, invitata, quam quod in propinquo diverſabatur David Camerius, Bothuelii cliens, cujus poſticum erat hortis Reginæ vicinum, qua Bothuelius, quoties lubitum eſſet, commearet. Interea Rex, cum nullum gratiæ locum apud uxorem obtineret, injuriis & jurgiis ablegatur: ac ſæpius tentato Reginæ animo, cum nulla obſervantia, nullis officiis aſſequi poſſet, ut ad priſtinam conſuetudinem admitteretur, Sterlinum, velut in ſolitudinem, ſeceſſit. Regina, paucos poſt dies, ſtatuit Jedburgum proficiſci, ad conventus habendos.

III. [2] Circiter initium Octobris, Bothuelius expeditionem in Lidaliam adornat. In ea cum neque pro loco quem tenebat, neque familiæ ſuæ dignitate, neque hominum exſpectatione, ſe gereret, a latrunculo ignobili, quem, captum & nihil metuentem, ſphærula plumbea pene confecerat, vulneratus, in Eremitagium arcem, incerta vitæ ſpe, delatus eſt. Id ubi Reginæ ad Borthuicum eſt nunciatum, aſpera jam tum hieme, primum Mulroſſiam, deinde Jedburgum pervolat. Eo, etſi certi de Bothuelii vita rumores perferrentur, impatiens tamen moræ animus ſibi temperare non potuit, quin alieno anni tempore, ſpretis viarum difficultatibus, & latronum inſidiis, ſe in iter conjiceret, cum eo comitatu, cui nemo paullo honeſtior, vel mediocris conditionis homo, ſuam vitam & fortunas committere auderet. Inde Jedburgum iterum reverſa, ſummo ſtudio & diligentia omnia ad Bothuelium eo transferendum comparat. Quo cum veniſſet, eorum convictus & conſuetudo parum ex utriuſ-

1 *Quo navis appulit*] Ita accurate emendat Crafordius: libris tamen omnibus [*qua*] ſcribitur.

2 *Circiter initium Octobris*] Melvillius tamen pag. 77. hanc Bothuelii expeditionem poſteriorem facit Principis baptiſmo, qui celebratus eſt menſe Decembri: at recte ſe habere Buchanani computationem oſtendit mox memoranda Huntilæi & Argathelii declaratio, qua adverſam illam Reginæ ad Jedburgum valetudinem Principis baptiſmum præceſſiſſe obiter teſtantur.

utriuſque dignitate fuit. Ibi, ſive ob diurnos nocturnoſque labores, ſive occulta quadam numinis providentia, in morbum adeo ſævum & exitiabilem incidit, ut prope nulla ſpes de vita ejus cuiquam ſupereſſet.

IV. Rex, ubi id reſcivit, maximis itineribus Jedburgum contendit: ſimul ut Reginam inviſeret, &, quibus poſſet officiis, ſuum animum & ſtudium gratificandi teſtaretur: ſimul ut (quod in periculis graviſſimis fieri ſolet) præteritorum pœnitentia mentem ſubeunte, ad ſanctioris vitæ propoſitum inflecteret. Illa contra, non modo nullum placati animi indicium præ ſe tulit: ſed curavit, ne quis venienti aſſurgeret, ſalutaret, hoſpitio ei cederet, vel ad ſe venientem in unam ſaltem noctem ſuſciperet. Verum, cum ei ſuſpectum eſſet Moravii ingenium come & humanum, egit cum uxore ejus, ut propere domum iret, morbumque ſimularet, ac ſtatim decumberet, ut ſaltem hoc prætextu, per excuſationem adverſæ valetudinis, Rex illinc excluderetur: ac in eo erat, ut hoſpitii penuria diſcedere cogeretur, niſi quidam ex Humiorum familia, pudore impulſus, repentinam diſcedendi cauſſam finxiſſet, ac ſuum hoſpitium Regi vacuum reliquiſſet. Poſtridie mane juſſus inde Sterlinum rediit: qui reditus eo viſus eſt omnibus indignior, quod, eodem prope tempore, Bothuelius ex ædibus, ubi ante diverſabatur, per ora vulgi in diverſorium Reginæ delatus eſt: & cum neuter adhuc ſatis firmus, illa e morbo, ille e vulnere, foret, primum Calſonem inde Coldingamiam, mox ad Cragmillarium (ea arx ad duo millia ab Edimburgo abeſt) tranſeunt, rumorum, qui toto illo itinere ſpargebantur, ſecuri: cum interea Regina, in omni ſermone, palam profiteretur; „[1] Sibi nullam in poſterum vitam fore, niſi a Rege ſolve„retur: ac, ſi alia ratione non poſſet, ſe ſibi manum illaturam. Inter hæc, ſæpe mentionem de divortio injiciebat, neque difficile affirmabat id futurum, ſublato e medio diplomate Pontificis Romani, quo venia eis matrimonii, adverſus leges Papanas contracti, facta fuerat. Sed, cum hanc rem non perinde atque exſpectaverat proceſſuram videret, (multis enim e Nobilitate præſentibus hæc agebantur) cæteris omiſſis, [2] ad cædem Regis animum convertit.

V. [3] Paullo ante brumam, cum Legati e Gallia & Anglia adveniſſent, ut in Principe baptizando teſtes adeſſent, Regina, non modo pecunia, ſed opera etiam & induſtria, contendit, ut Bothuelius inter cives & hoſpites, ſingulari

1 *Sibi nullum in poſterum vitam fore*] Contrario plane modo rem narrant Huntilæus & Argathelius, procerum Scotorum facile principes, celebri illa Proteſtatione ad Elizabetham Anglam anno 1568 miſſa, quam videſis apud Camdenum pag. 117. & Bibl. Cotton. Calig. C. 1.

2 *Ad cædem Regis*] Imo vero prædicti proceres ſanctiſſime teſtantur, cum Ledintonius ſe alioſque ſecum proceres rationem ſponderet inituros, qua Reginæ cum Darlæo divortium confieret, *Reginam omnes obteſtatam, ne quid facerent quod honori ſuo vel conſcientiæ aliquam maculam inurere poſſet.*

3 *Paullo ante brumam*] *Bruma* hic non pro *hieme* accipitur, quod utrumque Buchanani interpretem Anglicum feſellit, ſed pro eo quod *ſolſtitium hibernum* appellamus (Vide ſupra ad XV. 31.) Legati enim ineunte Decembri (ut ipſe Buchan. Detect. pag. 4. teſtatur,) *i. e.* cœpta jam hieme, advenerunt: Princeps vero baptizatus eſt 15 ejuſdem menſis. *Spotiſwod.*

1 *Pro-*

lari cultus magnificentia conſpiceretur: cum interea legitimus ejus maritus, in filii ſacro luſtrico, non modo ſubſidio ad ſumtus neceſſarios deſtitueretur, ſed in conſpectum Legatorum [1] prodire vetaretur: miniſtris, qui ad uſus quotidianos ei attributi erant, detractis, Nobilitate autem obſervare prohibita. Sed Nobilitas, & hoc & ſuperioribus temporibus, quanto Reginæ animum implacabiliorem erga maritum videbant, tanto magis ad miſericordiam flectebantur, cum hominem, adoleſcentem & innoxium, tot contumeliis petitum, omnia ferre non modo patienter, ſed etiam omnia injuſtæ iræ piacula experiri, viderent, ut, pene ſervilem in modum, humiliter aliquem gratiæ locum apud eam teneret. De cultu vero corporis, color impudens & plane falſus eſt quæſitus, rejecta in aurifices, phrygiones, cæteroſque id genus opifices, culpa, quam penes ipſam omnes eſſe ſciebant: cum contra, Bothuelio exornando, pleraque ſua manu elaboraret. Legati etiam exteri moniti, ne cum eo colloquerentur: cum interea majorem diei partem omnes in eadem arce tranſigerent.

VI. Homo adoleſcens, ita inhumaniter habitus, cum ſe univerſorum contemtui expoſitum, æmulum, ſibi ante oculos adductum, ab omnibus coli, videret, ad patrem, qui Glaſcuæ erat, (ut quidam putant, arceſſitus) ſecedere decrevit. Diſcedentem Regina ſolito proſequitur odio. Vaſa argentea, quibus a nuptiis ad eum diem uſus erat, univerſa ſimul aufert, ac ſtannea ſupponit: veneno etiam ante diſceſſum dato, tanquam ſcelere magis occulto, ſi abſens ab aula moreretur. Sed malum opinione eorum, qui dederant fuit præſentius. Nam, antequam mille paſſus a Sterlino abeſſet, adeo vehemens dolor ſimul omnes corporis partes invaſit, ut eum facile appareret, non caſu, ſed fraude humana, morbum adveniſſe. Ut vero Glaſcuam venit, manifeſtius vis mali ſe prodidit: [2] liventes etiam puſtulæ, tanto cum dolore & totius corporis vexatione, eruperunt, ut exigua ſpe vitæ ſpiritum duceret. Jacobus Abrenethius, homo ſumma fide & induſtria, & magno uſu medendi præditus, de genere morbi rogatus, ſtatim venenum datum ei reſpondit. Arceſſitus fuerat & Reginæ medicus domeſticus, ſed eum ipſa ire vetuit: ſimul verita, ne ejus opera ægrotus mortem evaderet; ſimul, ne a pluribus veneni indicia deprehenderentur.

VII. Cærimoniis baptiſmi peractis, & paullatim turba dilabente, Regina, ſolitudinem quærens, cum Bothuelio prope uno, apud Drumondum & Tilibardinum, nobilium domos, aliquot diebus tranſactis, circa Januarii initium Sterlinum rediit. Et cum quotidie ſe Glaſcuam ituram oſtenderet, ac nuncium de morte Regis exſpectaret, in ejus rei incertum eventum, filium in ſua poteſtate habere decrevit. Id conſilium quo minus ſuſpectum haberetur, cauſſari cœpit ædes, in quibus puer educabatur, incommodas, quod in locis humidis & præfrigidis periculum ei a pituita eſſet. Sed facile apparebat, alia

1 *Prodire vetaretur*] Alii vero ſcribunt ipſum filii ſacro luſtrico intereſſe noluiſſe, quod Legato Anglo a ſua Regina interdictum intelligeret, ne ſe Regio nomine aut honore impertiretur.

2 *Liventes etiam puſtulæ*] An forte, *liventes enim puſtulæ*?

alia de cauſſa alioque animo hæc fieri, cum & vitia, quæ vitabantur mutatione loci, longe majora in illis, quo ducebatur, ædibus eſſent, ut in ſolo humido & paluſtri ſitis, & a Sole montis objectu averſis. Puer igitur, vix ſeptimum ætatis ingreſſus menſem, aſperrima hieme Edimburgum ducitur. Ibi cum reſcitum eſſet, Regem convaleſcere, ac vim veneni ætatis vigore & corporis firmitate naturali ſuperatam, novum de eo tollendo conſilium initur: aliquot etiam e Nobilitate in conſcientiam ſceleris aſciti.

VIII. Cum interea ad Reginam delatum eſſet, Regem de fuga in Galliam aut Hiſpaniam cogitare, eaque de re cum Anglis, qui navem in æſtuario Glottæ ſtantem habebant, collocutum: alii occaſionem commode oblatam cenſent, ut Regina eum arceſſeret, ac, ſi venire abnuat, palam ferro trucidaretur. Nec deerant, qui operam ſuam pollicerentur. Alii, occulte facinus exſequi conſulunt: omnes, feſtinandum, antequam plane convaleſceret. Regina, ſecura de filio, ut maritum quoque haberet in poteſtate, quanquam incerto adhuc de genere cædis conſilio, ipſa Glaſcuam proficiſci decrevit: ſuperiorum menſium ſuſpicionibus, per frequentes & amiciſſime ſcriptas literas (ut ipſa rebatur) ſatis perpurgatis. Sed facta literis fidem detrahebant: nam ejus itineris prope ſolos comites Hamiltonios, alioſque Regis paternos inimicos, habebat. Quæ in rem interea eſſent, Bothuelio curanda Edimburgi committit: is enim locus, & ad patrandum, & occultandum ſcelus, maxime viſus eſt idoneus: quippe ubi, in magno conventu Nobilitatis, in alium transferri, aut in multos ſpargi, ſuſpicio cædis poſſet. Cum Regina omnia, quæ odio diſſimulando eſſent, tentaſſet, objurgationibus, querimoniis, lamentationibus multis ultro citroque peractis, ægre tamen animi placati fidem fecit.

IX. Rex, nondum e morbo ſatis validus, lectica Edimburgum, ad locum per Bothuelium (qui abſente Regina id munus ſuſceperat) ſceleri deſtinatum, deducitur. Erat autem is locus ædes per aliquot annos deſertæ, muriſque urbis conjunctæ, in vaſta ſolitudine, inter duorum templorum ruinas, unde neque clamor aut ſtrepitus exaudiri poſſet. Eo cum paucis miniſtris intruſus eſt. Major pars, quos Regina non miniſtros, ſed omnium dictorum ac factorum obſervatores, addiderat, diſceſſerant, gnari videlicet periculi imminentis: neque, qui remanſerant, ab hoſpitii paratoribus claves oſtiorum extorquere poterant. Regina autem unum id maxime omnium agebat, ut omnes a ſe ſuſpiciones ſegregaret, adeoque ea ſimulatio ei proceſſit, ut Rex, de animo ejus erga ſe jam plane benevolo ſecurus, literas ad patrem, qui Glaſcuæ æger ſubſtiterat, bonæ ſpei ac fiduciæ plenas, ſcriberet, commemoratis Reginæ erga ſe officiis, ac ſimplicis & ſinceri amoris indiciis: ac ſane aſſeveranter rerum in melius mutationem ſibi ſpondebat. Hæc ſcribenti derepente Regina intervenit, ac, literis perlectis, crebro eum amplexa ac deoſculata, ſibi ſupra modum gratum eſſe oſtendit, „Quod jam perſpicue intelligeret, nul„lam in ejus animo nubeculam ſuſpicionis ſubſediſſe.

X. Hic cum omnia tranquilla viderentur, ſubiit illa altera cura, ut totum, ſi qua poſſet, crimen in alios derivaretur. Itaque fratrem ſuum Moravium ar-

arceſſit, qui, accepta nuper venia, ad Fanum Andreæ profecturus erat, ut uxorem viſeret, quæ in ſummo vitæ diſcrimine verſari nunciabatur: nam & parturiebat, & exanthemata (quæ vocant) per totum corpus cum vehementi febre eruperant. Cauſſam fratris retinendi videri volebat, ut Legatum Ducis Sabaudiæ, qui ad baptiſmum Principis juſto ſerius venerat, ſe honorifice velle dimittere ſimularet: quæ cum parum juſta videretur, cur ab officio pio & neceſſario avocaretur, tamen paruit. Regina interea quotidie Regem viſebat: eum cum Bothuelio, quem extra ſuſpicionem eſſe volebat, reconciliat: liberaliter in poſterum de ſua in eum voluntate promittit. Quæ officiorum ſimulatio cum omnibus vehementer eſſet ſuſpecta, nemo tamen Regem de ſuo periculo admonere audebat: quippe qui omnia, quæ aliunde accipiebat, quo magis in gratiam Reginæ ſe inſinuaret, ei revelare ſoleret. Unus inventus eſt Robertus, Reginæ frater, qui, ſive facinoris atrocitate, ſive adoleſcentis miſericordia, motus, uxoris inſidias ad eum deferre eſt auſus: ſed ea lege, ut rem apud ſe tacitam contineret, ac ſuæ incolumitati, quam poſſet commodiſſime, conſuleret. Id Rex cum, pro ſua conſuetudine, Reginæ indicaſſet, Robertuſque advocatus rem conſtanter negaret, alterque alterum mendacii argueret, & uterque ad arma manum admoviſſet, Regina, hoc ſpectaculo læta, quod, ſine ſuo labore & moleſtia, ſuorum conſiliorum exitum in propinquo videret, alterum fratrem Jacobum advocat, velut ad litem dirimendam: re vera, ut ipſe quoque per occaſionem tolli poſſet: nemo enim earum rerum aderat arbiter, præter unum Bothuelium, qui inferiorem potius in eo certamine conficeret, quam diſſentientes diſtineret: quod adeo verbis teſtatus eſt, cum diceret; „Nihil eſſe, cur Jacobus tantopere „properaret, ut homines non ita pugnandi cupidos dirimeret.

XI. Hoc motu utrinque ſedato, Regina & Bothuelius, toti in cædis conſilium intenti, dant operam, ut res quam occultiſſime tranſigatur. Regina, ut mariti amorem, & veterum offenſionum oblivionem, ſimularet, lectum ſuum, in cubiculum quod infra Regem erat, e palatio portari jubet: ibi ipſa aliquot noctes, extracto in longum colloquio, conquievit. Interea non ceſſat omnia comminiſci, ut, facinore peracto, infamia in Jacobum fratrem ſuum & Mortonii Comitem derivaretur. His enim, quos ob virtutem & auctoritatem plurimum timebat & oderat, de medio ſublatis, cætera omnia prona fore pollicebantur. Eodem etiam incitabant literæ Pontificis Romani & Caroli Cardinalis Lotharingi. Nam, ſuperiore æſtate, cum a Pontifice per avunculum pecuniam petiiſſet, ad ſtatum religionis in Britannia turbandum: [1] & Pontifex quidem occultius, Cardinalis aperte, ad cædem hortabatur eorum, per quos maxime ſtabat, ne Papiſmus revocaretur, eoſque nominatim edebat, & præcipue, quos dixi, Comites; quibus extinctis, magnam pecuniæ vim ad bellum gerendum promittebat. Harum rerum rumuſculos Regina ad proceres permanaſſe credebat: itaque ipſa literas eis oſtendit, ita ſe apud eos purgatam ab omni alieni animi ſuſpicione rata. Sed hæc conſilia, tam ſubtiliter, ut

1 *Et Pontifex*] *Et* hic redundare videtur.

ut videbatur, inita, nonnihil perturbabant nuncii frequentes a Moravii uxore, eam afferentes abortum feciſſe, ac in exigua ſpe vitæ animam agere. Hæc cum ei, die Dominico, ad ſacram concionem eunti, nunciata fuiſſent, iſque ad Reginam reverſus, ab ea veniam abeundi petiiſſet, illa magnopere contendebat; „Unum certe diem, certiorem nuncium exſpectaret: cum neque, „ſi properaret, ejus adventus, quicquam profuturus eſſet: ſin remitteret „morbus, etiam poſtridie ſatis in tempore ſit venturus. [1] Ille tamen obſtinato „animo iter capeſſit.

XII. Regina, quæ in eam noctem cædem deſtinaſſet, adeo ſoluto animo videri voluit, ut nuptias Sebaſtiani cujuſdam e cantoribus ſuis eo die in palatio celebraret: eoque velut per ludum & lætitiam tranſacto veſpere, cum ſatis magno comitatu ad maritum viſendum ierit. Ibi, cum hilarius ſolito per aliquot horas collocuta eſſet, ſæpe eum deoſculata, annulum etiam tradidit. Poſt diſceſſum Reginæ, cum Rex, inter paucos qui aderant miniſtros, illius diei dicta factaque retractaret, inter alios ſermones, ad bene ſperandum ejus animum erigentes, paucorum verborum recordatio lætitiam nonnihil turbavit: ſive enim, ſpe admota ſceleris perpetrandi, impotens animus gaudium continere non potuit, ſive vox temere excidit, injecta eſt ab ea mentio, Davidem Rizium, ſuperiore anno, circa idipſum tempus interfectum fuiſſe. Hæc importuna cædis recordatio cum nulli ſatis placeret, tamen, quia multum noctis proceſſerat, & proximum mane ludis & lætitiæ deſtinarant, celeriter cubitum conceſſerunt.

XIII. Interea, in cubiculo inferiore pulvis ſulfureus ad evertendas ædes collocatur. Cætera quidem circumſpecte & callide proviſa videbantur: in re tamen levi, non levia veſtigia, ad ſcelus deprehendendum, relinquebantur. Lecto enim, in quo Regina noctes aliquot cubitaverat, inde ablato, viliorem in ejus locum ſubſtituerunt, in tanta famæ prodigalitate, exiguæ pecuniæ parci. Inter hæc Paris Gallus, unus e ſceleris adminiſtris, Regis ingreſſus cubiculum, ita conſtitit tacitus, ut ipſe a Regina conſpici poſſet: id enim ſignum convenerat, omnia jam parata eſſe. Illa, tanquam, viſo Paride, nuptiarum Sebaſtiani recordatio animum ſubiſſet, ſe negligentiæ coarguit, „Quod „ea nocte (ut convenerat) perſonata non ſaltaſſet, ac nuptam de more in lecto „non collocaſſet; „ cum dicto conſurgit, ac domum abit. Reverſa in palatium, ſatis diu cum Bothuelio colloquitur. Is tandem dimiſſus, cum in cubiculum veniſſet, mutavit veſtem, & militari chlamyde amictus, per cuſtodias, paucis comitatus, in oppidum rediit. Duæ aliæ conſciorum turmæ diverſis itineribus cum ad locum deſtinatum veniſſent, pauci cubiculum Regium, cujus claves penes ipſos erant, (ut ante dictum eſt) ingrediuntur, ipſum, alto ſomno ſolutum, invadunt, ac faucibus compreſſis, famulum item unum, qui juxta lectulum accubabat, ſtrangulant: ſtrangulatos per portulam, quam in

1 *Ille tamen obſtinato animo*] Id alii ſcriptores ab eo factum interpretantur, ut facinoris, cujus conſcientia ipſe tenebatur, omnem a ſe ſuſpicionem longius removeret.

1 *Con-*

in hunc uſum in muris urbis ædificaverant, efferunt in hortulum propinquum: deinde, ignem ſulfureum admoventes, domum a fundamentis convellunt, tanto cum fragore, ut ædes aliquot vicinæ quaterentur, & in longinquioribus urbis partibus, qui ſomno graviſſimo erant oppreſſi, velut attoniti expergiſcerentur. Quo facinore peracto, Bothuelius alia quam venerat, per muri urbis ruinas dimiſſus, in palatium per cuſtodias rediit.

XIV. Hic, per aliquot dies, rumor ſatis conſtans de cæde Regis fuit. Regina, quæ vigilans ad id noctis eventum rei præſtolabatur, convocatis qui ex Nobilitate in palatio erant, & in iis Bothuelio, ex eorum ſententia, velut ignara omnium quæ acta eſſent, miſit, qui cauſſam tumultus cognoſcerent. Eunt qui facinus inſpicerent. Rex linteo tantum induſio amictus ſuperiorem corporis partem, cætera nudus jacebat: juxta eum reliqua veſtis, atque etiam ſoleæ. Ad eum cum vulgi factus eſſet concurſus, aliudque alius conjiceret, nemo tamen omnium (quod Bothuelius maxime cupiebat) in animum inducere potuit, eum violentia pulveris, tecto effracto, fuiſſe ejectum: præſertim, cum e toto corpore nihil (quod in tanta ruina erat neceſſe) fractum, contuſum, aut lividum appareret, veſtiſque juxta, non modo flammis non afflata, aut pulvere conſperſa, jaceret, ut non vi aut caſu illuc illata, ſed manu compoſita, videretur. Bothuelius, domum reverſus, cum, velut admirabundus, eum nuncium ad Reginam attuliſſet, ea cubitum conceſſit, atque in multum uſque diem altiſſimo ſomno in ſumma ſecuritate conquievit.

XV. Rumores interea ſparguntur a parricidis, Regem [1] conſilio Comitum Moraviæ & Mortonii eſſe interfectum, ac in proxima Angliæ ante lucem perferuntur: tacitis tamen omnium cogitationibus Regina facinoris auctor deſignatur. Nec Epiſcopus Fani Andreæ a rumoribus fuit intactus. Multæ ad eam cogitationem conjecturæ impellebant: nobiles & crudeliter exercitæ inimicitiæ inter familias: nec Epiſcopus, unquam Reginæ ſatis reconciliatus, antequam id ſcelus animo concepiſſet, &, nuper eam Glaſcuam comitatus, omnium ultimorum conſiliorum particeps fuerat. Auxit hominum ſuſpicionem, quod tum in ædes fratris Comitis Aranii divertiſſet, ei domui propinquas, in qua Rex occiſus erat, cum ſemper antea in celebri urbis loco habitaret, ubi commode, & ſalutationibus celebrari, & epulis popularem gratiam colligere, poſſet: item, quod, e ſuperioribus urbis locis, lumen & pervigiliæ in ejus ædibus tota nocte conſpiciebantur, ac tum demum, ubi ruinæ propinquæ fragor inſonuit, lumina ſunt exſtincta: & clientes, qui frequentes armati vigilaverant, vetiti egredi. Vera autem rei geſtæ hiſtoria, quæ poſt complures menſes erupit, effecit, ut horum pleraque, quæ tum pluribus ſuſpicioſa videbantur, poſtea, re patefacta, pro certiſſimis haberentur indiciis.

XVI. Scelere perpetrato, nuncii ſtatim in Angliam dimiſſi, qui divulgarent,

1 *Conſilio Comitum Moraviæ & Mortonii*] Mortonius certe diu poſtea cædis Darlæanæ conſcientia convictus, capite luit: Ad Moraviam vero quod attinet, Huntilæus & Argathelius, prædicta ſua declaratione, Elizabethæ Anglæ tanquam rem ſibi perſuaſiſſimam detulerunt, *Moravium & Ledintonium fuiſſe auctores, machinatores & ſuaſores hujus regicidii, quicunque fuerint regicidæ.*

rent, Regem Scotorum a ſuis crudeliter fuiſſe trucidatum, opera maxime & conſilio Comitum Moraviæ & Mortonii. Is rumor ſtatim in aulam delatus, adeo animos omnium in odium totius gentis inflammavit, ut, per aliquot dies, nemo Scotici generis, ſine ſummo vitæ periculo, in publicum prodire auderet: ac vix multorum literis ultro citroque miſſis demum mitigari potuerit, clandeſtinis conſiliis jam in lucem prodeuntibus. Regis cadaver, cum diu ſpectaculo fuiſſet, continuuſque vulgi concurſus eo fieret, Regina curat, ut ſuper ſcamnum inverſum extentum, per bajulos in palatium deferretur. Ibi & ipſa corpus, omnium illius ætatis formoſiſſimum, avide ſpectavit, nullo in alterutram partem indicio animi ſecreta prodente. Proceres quidem, qui aderant, funus ei amplum & honorificum decernunt. Sed illa, per bajulos de nocte, ſine ullo funeris honore, ſepeliendum curat, & (quod indignitatem vehementius auxit) prope Davidis Rizii ſepulchrum, ac ſi hominis fœdiſſimi manibus mariti morte parentaret.

XVII. [1] Duo, quæ tum acciderunt, oſtenta, operæ pretium duxi hîc exponere: quorum alterum cædem paullo anteceſſit. Jacobus Londinus, homo Fifanus, honeſto loco natus, cum febri diu laboraſſet, pridie quam Rex occideretur, circa meridiem, in lecto ſe paullum erexit, ac, velut attonitus, magna voce obteſtatus eſt præſentes; „Ut Regi opem ferrent: jam enim „parricidas eum invadere. „ Deinde, paullo poſt, cum flebili queſtu exclamavit; „Fruſtra opem feretis; jam trucidatus eſt. „ Nec ipſe diu poſt eam vocem ſupervixit. Alterum cum cæde ipſa conjunctum fuit. Tres e familiaribus Comitis Atholiæ, Regis propinqui, homines & virtute & genere minime obſcuri, non procul a Regis hoſpitio divertebant: iis circiter mediam noctem dormientibus, ad Dugallum Stuartum, qui proxime parietem accubabat, quidam viſus eſt accedere, ac manu leviter per barbam malamque ducta, eum excitare, dicens, „Surgite, vim vobis afferunt. Is experrectus repente, cum viſum ſecum revolveret, alius confeſtim ex alio lecto exclamat; „Quis „me calcat? Et, cum Dugallus reſpondiſſet; „Felem eſſe fortaſſe, qui (ut fit) noctu oberraret: tum tertius, qui nondum experrectus fuerat, ſtatim e lecto ſe conjecit in pedes, rogitans; „Quis colaphum ſibi incuſſiſſet: „ & cum dicto, per oſtium viſus eſt quiſpiam egredi, nec, ſine ſtrepitu. Interea, dum illa viſa & audita inter ſe conferunt, domus Regiæ cadentis fragor auditus omnes conſternavit.

XVIII. Facinore perpetrato, varie, prout quiſque Regem oderat, aut amabat, afficiebantur. Omnes boni uno conſenſu ſcelus nefarium abominabantur. Verum longe [2] moleſtiſſime rem ferebat (cum ob alia, tum quia princeps nuptiarum concilia-

1 *Duo, quæ tum acciderunt, oſtenta*] Reverendiſſimus Carleolenſium Epiſcopus Bibl. Hiſtor. Scot. Buchananum, nec prorſus injuria, reprehendit, quod qui oſtenta a veteribus recenſita pro deridiculo fere habeat, hiſce tam leviter fidem adjungat. Buchanano etiam nimiam hac in parte credulitatem objicit Cl. Clericus.

2 *Moleſtiſſime ferebat (cum ob alia, tum quia princeps nuptiarum conciliator fuerat) Joannes Stuartus Atholiæ Comes*] Ita diſtinguendam ſententiam & res ipſa & Crafordius monent, contra quam libris omnibus exhibetur.

1 *Admo-*

ciliator fuerat) Joannes Stuartus Atholiæ Comes. Proxima quæ cædem ſecuta eſt nocte, armati, ut in re trepida, cum circa palatium excubias agerent, ad exteriorem parietem cubiculi, in quo Atholius agebat, ſonitus, veluti leviter fundamenta demolientium, eſt auditus. Excitata ſtrepitu familia, eam noctem inſomnem egit. Poſtridie Comes in oppidum emigravit, ac paullo poſt, vitæ metuens, domum diſceſſit. Comes Moraviæ, cum e Fano Andreæ in aulam rediſſet, nec ipſe extra periculum fuit: nam & armati noctu circa ædes ejus obverſabantur: ſed cum, ob adverſam ejus valetudinem, totas noctes domeſtici ejus vigilarent, ſicarii nihil attentare clam poterant, nec palam audebant. Tandem Bothuelius (qui illa ſe moleſtia liberatum vellet) ipſe ſua manu facinus fœdum peragere decrevit. Igitur, nocte concubia, ſuos de valetudine Moravii interrogat. Cum reſponſum eſſet, „Eum vehementer articulari dolore cruciari; Quid ſi eum inviſamus, „inquit: & cum dicto ſurgens, ad ejus ædes properabat. Inter eundum, [1] admonitus a ſuis, eum ad Robertum fratrem, ut extra ſtrepitum palatii & liberius & commodius ageret, migraſſe; ſtetit paullum tacitus, ac dolens tantam occaſionem amiſſam, domum rediit.

XIX. Regina, inter hæc, domi vultum componebat, & ſimulatione luctus populum ſibi placatiorem reddere meditabatur. Sed ea res ei, æque ac reliqua conſpiratio, improſpere ceſſit. [2] Nam, cum in more eſſet, a priſcis uſque temporibus, ut Reginæ, poſt maritorum obitum, complures dies, non modo cœtu hominum, ſed lucis etiam abſtinerent aſpectu, ſimulatum quidem luctum aggreſſa eſt, ſed, animi ſuperante lætitia, foribus occluſis, feneſtras aperit, &, abjecta lugubri veſte, intra quatriduum cœlum ſolemque aſpicere ſuſtinuit: & ante diem duodecimum, confirmato adverſus vulgi rumores animo, in agrum Setonium, ad ſeptem ab oppido millia paſſuum, excurrit: cum interim Bothuelius a latere ejus nuſquam diſcederet. Ibique ita egit, ut paullulum in corporis veſtitu, nihil in animi habitu, mutaſſe videretur. Celebrabatur autem locus magna Nobilitatis frequentia: & ipſa quotidie in campum propinquum ad luſus conſuetos, nec eos plane muliebres, prodibat.

XX. Sed Croci Galli (qui ſæpe antea legationem in Scotia obierat) adventus rationes eorum nonnihil turbavit. Is cum oſtendiſſet, in quanta res eſſet apud exteros infamia, Edimburgum eſt reditum. Sed [3] Setonium tot habebat commoditates, ut, cum famæ diſpendio, eo revertendum eſſet. Ibi conſulta-

tio-

1 *Admonitus a ſuis*] Alii libri omnes [*admonitus eſt a ſuis*] orationis gratiam & venuſtatem, me judice, corrumpentes.

2 *Nam cum in more eſſet*] Quæ ſequuntur egregie refellit Morganus Philippus Defenſ. Mar. Reg. Scot. qui plane negat, in more Scotis a priſcis temporibus fuiſſe, ut Reginæ poſt maritorum obitum per quadraginta dies (Vide *Deteƈt.* Cap. 16.) lucis adſpectu abſtinerent. Quod ſi hæc conſuetudo apud Scotos valuiſſet, ea duntaxat tenebantur Reginæ, quæ id nomen Regibus nubendo indeptæ eſſent, non vero Maria, quæ ſorte naſcendi Regina, cujuſque maritus privatus, ipſique in ſupremo magiſtratu hæreditario jure conſtitutæ ſubditus fuerat; etſi illa, ex mera benevolentia, majoriſque dignitatis gratia, Regii nominis honorem ei indulſiſſet. Addit denique Morganus, Reginam multis & importunis Conſiliariorum & Medicorum flagitationibus tandem coactam in locum ſalubriorem ſe contuliſſe.

3 *Setonium*] In Detectione Mariæ cap. 17.

tionis omnis ſumma fuit, quo pacto Bothuelius Regiæ cædis abſolveretur. Tentata quidem erat antea & accuſatio & purgatio. Nam ſtatim a cæde Regis, Bothuelius, cum aliquot conſciis, ad Argatheliæ Comitem, quod is rerum capitalium perpetuus eſſet Quæſtor, convenerunt. Primum, tanquam omnium, quæ geſta eſſent, ignari, rem novam, inauditam, incredibilem mirantur. Deinde quæſtioni paullulum vacant: pauperculas aliquot e vicinia mulierculas citant. Illæ inter ſpem metumque hærent, loquine an tacere magis expediat, incertæ. Verum, etſi ſermonem temperarent, tamen, cum plus effutiviſſent, quam exſpectabatur, tanquam temere locutæ dimittuntur. Sed earum teſtimonia facile erat contemnere. Arceſſuntur domeſtici Regis miniſtri, quos calamitas nondum abſumſerat. Interrogati, de ſicariorum ingreſſu, negant claves in ſua poteſtate fuiſſe. Quis igitur eas habebat? ajunt, Reginam. Differtur in ſpeciem quæſtio, re vera ſupprimitur: metuebant enim, ne, ſi longius progrederentur, aulæ ſecreta in vulgus exirent. Ne tamen res penitus abjecta videretur, proponitur edictum: pecunia indicibus decernitur. Sed quis auderet Bothuelium attingere; cum idem reus, judex, quæſitor, pœnæ exactor, eſſet futurus? Hic tamen metus, qui ſingulorum ora comprimebat, multitudinem continere non potuit. Nam & libellis propoſitis, & pictura, & nocturnis per tenebras clamoribus, effectum eſt, ut parricidæ facile intelligerent, arcana ſua nocturna in vulgus prodiiſſe, ut jam nemo dubitaret, qui ſcelus deſignaſſent, qui operas contuliſſent; quantoque magis ſupprimebatur, tanto magis vulgi dolor inhibitus erumpebat.

XXI. Hæc etſi ſceleris conſcii videri volebant contemnere, tamen interim id unum eos ſtimulabat, ut ſuum diſſimulare nequirent dolorem. Ita omiſſa de Regis morte quæſtione, ſubit altera, multo acrior, adverſus libellorum auctores, & (ut ipſi loquebantur) Bothuelii calumniatores. [1] Adeo ſevere exercebatur, ut neque ſumtui, neque labori ulli parceretur. Pictores omnes, & qui ſcripturam factitabant, convocantur, ſi forte ex picturis & libellis auctores indicare poſſent. Additur quæſtioni conveniens edictum, quo non proponere modo, ſed propoſitum legiſſe, capitale erat. Sed qui, capitalis pœnæ comminatione, populi ſermones compeſcere ſtudebant, nondum morte ſatiati, odium adhuc erga mortuum Regem retinebant. Bona defuncti, arma, equos, veſtem, reliquamque ſupellectilem, ac ſi fuiſſent redacta in fiſcum, Regina, aut interfectoribus, aut paternis inimicis, diviſit. Hæc ut palam gerebantur, ita multorum dictis palam inceſſebantur: adeo ut quidam opificum, [2] qui veſtem Regiam Bothuelio ad corporis modum adaptabat, auſus ſit dicere, „Hic ſe jus & „morem patrium libenter agnoſcere, cum ſpolia defuncti cedant carnifici.

XXII. Inter hæc, ſubit altera cura, quomodo arcem Edimburgenſem Regina

17. legitur, *ſed apud Setonium t. b. c. ut vel cum &c.*]

1 *Adeo ſevere exercebatur*] Legendum videtur [*quæ adeo ſevere,*] quemadmodum in *Detectione* Cap. 15. unde hæc omnia, iſdemque fere verbis, ſunt depromta.

2 *Qui veſtem Regiam*] Haud inepte a David. Crafordio obſervatum eſt Præf. ad Comment. de reb. Scot pag. 17. & ſeqq. hæc parum convenire cum iis quæ ſupra Buchananus tradiderat, XVIII. 5.

gina in ſuam poteſtatem redigeret. Eam tenebat Joannes Marriæ Comes, ea lege, [1] ut nemini, niſi conventu publico, repoſcenti redderet. Etſi proximo menſe id concilium erat futurum, tamen Reginæ cupiditati omnis mora longa videbatur futura. Igitur cum amicis Comitis (nam ipſe, gravi morbo tum implicitus, Sterlini decumbebat) & propinquis agit, ut arcem ſibi redderent: cauſſata maxime; „Vulgus Edimburgenſe (quod tum tumultuabatur) in officio „contineri non poſſe, niſi ipſa in ſua poteſtate arcem haberet. Se autem, maxi„mum ſui in Joannem amoris pignus, filium unicum, regni hæredem, ei ſer„vandum & alendum daturam: quo officio, in multis aliis Principibus, ac, „recenti memoria, [2] in matre ſua ac avo, majores ejus uſi, cum ſumma laude, „fuiſſent. Ille, etſi ſatis intelligeret, quo illa promiſſa & blanditiæ tenderent, tamen non ægre conſenſit. Regina, cum eum faciliorem, quam ſperaverat, inveniſſet, tentat efficere, ut, retento apud ſe filio, arcem, cum primum eſſet opportunum, reciperet. Id cum obtinere non poſſet, alia fraude eum aggreditur. Agit cum eo, ut puerum Limnuchi (quod medium eſt inter Edimburgum & Sterlinum) certo die reciperet, & arcem traderet. Sed cum hîc ſuſpicio fraudis graviſſima ſubeſſet, tandem conventum eſt, ut puer Areskino Sterlini traderetur; ipſe interim e propinquis & amicis principes obſides daret, de arce reddenda.

XXIII. Et hæc quidem tum parricidas habebant ſollicitos. Sed multo magis eos urebant Comitis Levinii aſſiduæ querimoniæ. Is, cum, propter Bothuelii potentiam, cum ſumma licentia conjunctam, in aulam venire non auderet, per literas Reginam continenter compellabat. Ab ea enim petebat, „Ut Bothuelium, procul dubio cædis auctorem, tantiſper in cuſtodia teneret, „dum cauſſæ dicendæ dies adeſſet. Illa, etſi, multa comminiſcendo, poſtulationem eluderet, tamen, cum rei tam atrocis quæſtio evitari non poſſet, hanc ejus habendæ rationem inivit. Inſtabat conventus Ordinum ad Idus Apriles: ante eum diem judicium peragi Regina volebat, ut reus, judicum ſententiis abſolutus, etiam totius conventus ſuffragiis purgatus diſcederet. [3] Ea feſtinatio in cauſſa fuit, ut nihil ordine, nihil more majorum, in eo judicio fieret. Accuſatores, de more, citari debebant proximi, uxor, pater, mater, filius, ut vel adeſſent, vel procuratores mitterent, qui intra quadrageſimum diem (nam hoc tempus legitimum erat) ſe ſiſterent. Pater adeſſe juſſus ad

1 *Ut nemini, niſi conventu publico repoſcenti redderet*] [*Conventu*] hic dandi caſu poſitum videtur.

2 *In matre ſua ac avo*] Potius ſcribendum [*in ſe ac patre*] videtur: ipſam enim Reginam Mariam ejuſque patrem Jacobum Quintum intelligit. Tolerari tamen poteſt [*matre ſua*,] vel (quod magis uſitatum eſt) [*matre ejus*;] ſed ita tamen ut Jacobi VI. mater, id eſt, ipſa Maria, non vero Mariæ mater, (quod inepte exiſtimat Anglicus interpres) hic intelligatur. Ea enim, poſtquam in Scotiam conceſſit, majore erat ætate quam ut cuſtodis operâ, cujus non egeret, uteretur.

3 *Ea feſtinatio*] Iniquiſſime feſtinationis culpa in Reginam conjicitur. Ex Levinii enim hac de re ad Reginam literis [in Bibl. Cotton. Calig. B. 10.] liquido apparet, penes ipſum, ſi qua erat, feſtinationem fuiſſe, qui ſummo ſtudio ab ea ut res maturaretur contenderat.

ad Idus Apriles, idque ſine amicorum advocatione, cum ſua tantum familia, quæ, in ſumma ejus inopia, ad paucos erat redacta. Cum interea Bothuelius, cum magnis agminibus, tota urbe volitaret, Comes Levinius, in urbe hoſtium plena, cum, ſine amicorum & clientium præſidio, neque ſe tutum fore, neque, ſi vitæ periculum nullum eſſet, quicquam libere ſe agere poſſe videret, abeſſe ſatius duxit.

XXIV. Ad diem dictum, Bothuelius, idem reus & accuſator, in prætorium aſcendit. Citantur e Nobilitate judices, magna pars ipſius amici, nemine ex adverſo qui quenquam rejiceret. Parvam judicio moram fecit Robertus Cunigamius, unus e Levinii familia Is, venia dicendi petita, palam teſtificatus eſt; „Neque more, neque legibus, id judicium exerceri, ubi reus „potentior eſſet, quam ut pœnas legibus dare poſſet: accuſator, mortis me„tu, abeſſet. Ita, quicquid ibi ſtatueretur, cum nihil jure, nihil ordine gereretur, „pro non judicato fore. Illi nihilominus in incepto perſiſtunt. Gilbertus quoque Caſſiliſſæ Comes, magis uſurpandi juris cauſſa, quam quod quicquam ſe profecturum ſperaret, cum judex legeretur, ſe excuſavit: multamque etiam, quæ a recuſantibus exigi ſolet, obtulit. Statim nuncius a Regina, annulum ferens, eum judicare jubet: ni pareat, cuſtodiam minatur. Cum ne cuſtodiæ quidem metu abſterritus eſſet, rurſus a Regina nuncius perduellionis pœnam recuſanti intentat. Hoc metu ſedere coacti, pronunciant; „Se non vi„dere, cur Bothuelium condemnent: ſi quis tamen, jure & ordine, poſtea „accuſet, cavent, ne hoc judicium ipſis fraudi ſit. Nec immerito ita pronunciaſſe quibuſdam ſunt viſi, quod quæſtio eis verbis decreta erat, ut, ne a ſeveriſſimis quidem judicibus, Bothuelius condemnari poſſet: jubebantur enim quærere de cæde, quæ facta fuerat nono Feb. cum Rex decimo die fuerit occiſus. Ita Bothuelius abſolutus quidem, ſed non infamia liberatus eſt: ſuſpicione enim aucta, pœna tantum dilata videbatur. At Reginæ, ad nuptias properanti, quivis color, quamvis impudens, ſatis erat. Ad cumulum hujus abſolutionis, propoſitus eſt libellus celeberrimo fori loco. [1] Bothuelius, etſi, legitimo judicio, a cædis reatu liberatus eſſet, tamen, quo ſua innocentia cunctis foret perſpectior, „Se ferro paratum decernere, ſi quis, integra fama, & ho„neſto loco natus, eum Regiæ cædis inſimularet. Nec defuit qui poſtridie, æque ferociter, per libellum publice propoſitum, conditionem acciperet, modo locus certaminis deſignetur, in quo citra periculum nomen ſuum profiteri poſſit.

XXV. His utcunque ſuccedentibus, tamen Regina in conventu viſa eſt ferocior: &, quæ antea civilis animi ſpeciem prætulerat, palam tyrannidis cupiditatem ibi renudavit. Nam, quod Sterlini, in cauſſa religionis, promiſerat, palam ibi promiſſum negavit. Id autem erat, ut primo quoque conven-

tu,

1 *Bothuelius, etſi, legitimo judicio ——— ſe ferro paratum decernere*] Crafordius, nec inepte quidem, legendum exiſtimat, *ſe ferro paratum decernere denunciat.* Verum tamen lectionem ſuppeditat *Detectio* Cap. 18. in qua [*Bothuelium*,] non [*Bothuelius*] ſcribitur: quod & hic factum oportebat.

1 *Fu-*

tu, quæ per tyrannidem Pontificis Romani latæ erant leges abrogarentur, noviſque legibus Eccleſiæ inſtauratæ auctoritas ſtabiliretur. Præter autem id promiſſum, cum bina edicta chirographo ejus ſignata proferrentur, hîc deprehenſa eluſit. Juſſit enim, qui ab Eccleſia miſſi erant, alio die redire: neque, poſt id tempus, unquam ſui conveniendi copiam fecit: actaque conventus, quæ ante ſuum in Scotiam reditum, conſentiente Franciſco marito, edita erant, ſub amneſtiæ legem cadere pronunciavit. Ea vox omnibus manifeſta tyrannidis profeſſio videri. Itaque cum Scoti nullas habeant leges, præter conventuum decreta, ſubibat illa tacita cogitatio, quæ vita [1] futura foret, ſub Principe, cujus arbitrium pro legibus habendum eſſet, promiſſis vero fides abeſſet. Hæc ſub finem conventus acta.

XXVI. Eodem tempore, Reginæ, ad nuptias feſtinanti, libido inceſſit, conſenſus publici quavis arte exprimendi, ut nihil niſi procerum voluntate geſſiſſe videretur. Bothuelius igitur, ut publicæ auctoritatis ſpecie nuptias honeſtaret, hanc rationem commentus eſt. Nobiles omnes ſupremi ordinis, qui aderant, (aderant autem permulti) ad cœnam invitat. Ibi, ſolutis ad hilaritatem animis omnium, rogavit; „Ut ſtudium ſuum, quod ſuperioribus temporibus declaraſſent, in poſterum quoque præſtarent. In præſentia autem „petebat, ut, cum Reginæ ambiret nuptias, [2] libello, quem ea de re confeceerat, illi ſubſcriberent. Id ſibi, & ad Principis voluntatem conciliandam „utile, & apud cæteros homines honorificum futurum. Re tam ſubita & inopinata omnes attoniti, cum neque mœſtitiam diſſimulare poſſent, nec abnuere quod petitum eſſet auderent, paucis, qui Reginæ animum exploratum habebant, præeuntibus, reliqui ignari quantus aſſentatorum foret numerus, alii aliis ſuſpecti, omnes ſubſcribunt. Poſtridie, cum inter ſe quid egiſſent retractarent, quidam ingenue profeſſi ſunt; „Niſi Reginæ exiſtimaſſent rem „gratam fore, ſe nunquam aſſenſuros. Nam, præterquam quod res parum „honeſta, & publice damnoſa eſſet, periculum quoque fore, ut ſi (quod in „ſu-

1 *Futura foret*] Vide ſupra ad XV. 34.

2 *Libello, quem ea de re confecerat, illi ſubſcriberent*] Hujus libelli, ſive inſtrumenti, exemplar exſtat in Bibl. Cotton. Calig. C. 1. Qui ei ſubſcripſerunt hi recenſentur, Comites, *Huntilæus*, *Argathelius*, *Moravius*, *Caſſiliſſius*, *Mortonius*, *Sutherlandius*, *Rothuſius*, *Glencarnius*. *Cathaneſius*: & hi Reguli, *Boilius*, *Setonius*, *Sinclarus*, *Semplius*, *Oliphantus*, *Ogilvius*, *Roſbackctius*, *Carleolus*, *Hereſius*, *Humius* & *Innermethius*. In eo autem, *per honoris, fidei ac veritatis ſacra ſanctiſſime pollicentur, ſe cum gentilibus, cognatis, amicis, clientibus ac ſervis, Jacobum Comitem Bothueliæ, Regulum Crichtoniæ ac Liddaliæ, magnum Scotiæ Thalaſſiarcham, ac omnium Limitum Præfectum, adverſus omnes mortales defenſuros, ejuſque porro famam & exiſtimationem contra univerſos & ſingulos, qui ipſum cædis Regiæ, (a qua legitimo judicio erat abſolutus) reum calumniabuntur, vindicaturos.* Item, *Eadem fide promittunt, ſe ſumma ope & conſilio, nuptiarum ei Reginæ pararios ac conciliatores futuros, omneſque adeo qui eas nuptias impedire aut interturbare adnitentur, hoſtium loco habituros. His non modo Deum teſtem & vindicem adhibent, ſed ſe etiam, ſi fidem fefellerint, hominum ſceleratiſſimos, omnique honore & fide exutos, in perpetuum cenſeri non recuſant.* Dat. Edinburgi 19 Aprilis 1567.

„ſuperiore marito meminerant) orta diſcordia, Bothuelius rejiceretur, ne i-
„pſis aliquando daretur crimini, quod Reginam prodidiſſent, atque ad nuptias
„parum honorificas ipſam compuliſſent. Igitur, dum res integra eſſet, ejus
„voluntatem explorandam, ſcriptumque, manu ipſius ſignatum, impetrandum:
„quo ſcripto, ſibi, quod de nuptiis actum ab illis eſſet, gratum eſſe oſtende-
„ret. [1] Id facile impetratum, Comiti Argatheliæ cuſtodiendum, conſenſu omnium, traditur.

XXVII. Poſtridie, quod in urbe fuit Epiſcoporum, convocatur in aulam, ut & ipſi quidem ſubſcriberent. Hac expeditis cura, inceſſit alia, ut filium Regina in ſua poteſtate haberet. Nam neque Bothuelius tutum ſibi exiſtimabat alere puerum, paternæ aliquando cædis ultorem futurum: neque alium eſſe volebat, qui ſuos in regno gerendo liberos [2] præcideret. Igitur Regina, ut quæ nihil ei denegare ſuſtineret, ipſa partes in ſe ſuſcepit pueri Edimburgum deportandi. Suberat & alia Sterlinum petendi cauſſa, de qua poſterius dicam. Cum eo ventum eſt, Marriæ Comes, quid ageretur ſuſpicatus, puerum quidem Reginæ oſtendit, ſed ita ut omnia in ſua poteſtate haberet: & Regina, fraude detecta, cum ad vim par non eſſet, diſſimulato, cur veniſſet, ad iter ſe accinxit. Quo in itinere, ſive ob continuos labores, ſive ob indignationem, quod conſilia (ut auctoribus videbantur, callida) parum proſpere ſuccederent, repentino dolore cruciata, in domunculam pauperculam conceſſit, ad quatuor ferme millia paſſuum a Sterlino. Remittente ſe deinde dolore, ad iter reverſa, Limnuchum ea nocte venit. Inde ad Bothuelium ſcripſit, per Paridem, quid de raptu fieri vellet: nam, antequam Edimburgo diſceſſiſſet, cum eo tranſegerat, ut ipſe revertentem ad Almonis pontem eam raperet, ac ſecum, quo vellet, velut per vim, abduceret. Id ita vulgus interpretabatur: quod cum conſuetudinem cum Bothuelio nec omnino celare, nec carere, nec, ſine famæ diſpendio, tam palam quam volebat, frui poterat: & longum erat, divortium cum uxore priore exſpectare: & honeſto, cujus adhuc curam ſimulabat, & libidini, cujus erat impatiens, pariter conſuli volebat. [3] Itaque belle ratio videbatur excogitata, ut Bothuelius, graviſſimo quidem ſuo crimine, ſed cujus pœnam non metuebat, Reginæ redimeret infamiam. Sed altius (ut eſt intellectum poſtea) ſuberat huic commento conſilium. Nam, cum populus Re-

1 *Id facile impetratum*] At 13 demum Maji, altero die ante ipſius cum Bothuelio nuptias. Eo autem ſcripto nihil aliud Regina ſignificat, quam *ſuperius inſtrumentum Proceribus qui ei ſubſcripſerant fraudi non futurum.*

2 *Præcideret*] [Ita etiam repperi in aliis editionibus, ſed nulla plane, aut abſurda ſententia, quare *præcederet* legendum eſſe puto. Quod firmatur ſimili loco infra Cap. XLI. *ne eſſet, qui liberos ſuos in hæreditate regno adeunda præiret.* ubi non ex caſtæ Latinitatis uſu voce *præire* utitur, quæ non de dignitatis, aut juris prærogativa, aut præſtantia præ ceteris poni ſolet, ſed cum aliquis aut in itinere ante aliquem incedit, ut apud Terent. And. I. I. *i præ, ſequar*, aut cum verba aliquis præit. Vide Fr. Vavaſſ. de vi & uſu quorundam verbor. pag. 16. Lib. XIX. Cap. 55. in hac eadem re utitur verbo *anteire.* unde ſatis apparet hîc *præcederet* legendum.]

3 *Itaque belle ratio videbatur excogitata*] Vide omnino Dav. Crafordium Præfat. pag. 21.

Regiæ cædis auctores frequens nominaret & exſecraretur, illi, ut ſuæ ſecuritati proſpicerent, ſuadente (ut creditur) Joanne Leſlio, Roſſienſi Epiſcopo, Reginæ raptum excogitarunt. Nam, cum in Scotia mos eſſet, [1] ut diplomata, quibus ſcelerum gratia fit, qui veniam petit, graviſſimum facinus nominatim exprimat, ac cætera generalibus verbis adjiciat, decreverunt parricidii publici conſcii, nominatim de manus injectione in Principem veniam petere, deinde velut in cumulum ſubjicere, CAETERIS NEFARIIS FACTIS. Qua clauſula cædem Regiam poſſe contineri, ſibi perſuaſerant, quam nec tutum videbatur, in diplomate, auctoribus nominari, aut condonanti honeſtum: nec leviori crimini, inſtar appendicis, adjici poterat. [2] Aliud crimen, minus invidioſum, ſed pari pœna plectendum, erat excogitandum, ſub cujus umbra cædes Regia & tegeretur & condonaretur. Nihil autem occurrebat, niſi ſimulatus ille raptus, quo & Reginæ voluptati, & Bothuelii ſecuritati, proſpici poſſet.

XXVIII. Igitur ille, ſexcentis comitatus equitibus, ad Almonis (ut convenerat) pontem, Reginam opperitur, ac eam non invitam ſecum Dumbarum ducit. Ibi, dum libere animo indulgent, divortium, priore uxore in jus vocata, fit, idque duplice in foro, nempe, apud judices publice conſtitutos, qui de hoc genere quæſtionum cognoſcerent; & apud Officiales, quos vocant, judices Epiſcopales, etſi decreto publico vetitos quicquam pro magiſtratu agere, aut ullam negotii publici partem attingere. Gordonia, Bothuelii uxor, cogitur, in duplici foro, litem de divortio intendere. Apud judices Regios accuſat uxor maritum adulterii, quæ una juſta apud eos erat divortii cauſſa: apud judices Papanos, lege vetitos, tamen ab Archiepiſcopo Fani Andreæ ad hanc litem cognoſcendam datos, accuſatur idem, ante matrimonium, cum propinqua uxoris ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Nulla in divortio faciendo, nec in teſtibus, nec in judicibus, fit mora: intra enim decimum diem, lis ſuſcepta, diſceptata, & dijudicata eſt.

XXIX. Interea Sterlini collecta ſincerior pars Nobilitatis ad Reginam mittunt, qui rogarent; „Spontene, an invita, teneretur: nam, ſi invita illic „eſſet, ſe, coacto exercitu, eam liberaturos. Illa, nuncio non ſine riſu accepto, reſpondit; „Se invitam eo adductam, ſed ita humaniter tractari, ut „de priore injuria non habeat quod multum queratur. Ita irriſo nuncio, properantibus raptus injuriam per legitimas nuptias levare, duo adhuc reſtare videbantur impedimenta: alterum, ſi captiva nuberet, pro vitioſis haberi poſſint nuptiæ, atque ideo facile ſolvi: alterum, ut conſuetæ ſervarentur cærimoniæ, ut videlicet, publice, in conventu civium, tribus diebus Dominicis, nuptiæ fu-

1 *Ut diplomata*] Anacoluthon hic admiſſum videtur: forte legendum, *in diplomatibus.*

2 *Aliud crimen*] [*Aliud igitur crimen*] legendum vult Tho. Crafordius: ejus autem conjecturam firmant poſtrema verba *Actionis contra Mariam* in Cataſtrophe eodem fere tenore deſcripta: *Aliud igitur crimen gravius, aut certe non minus atrox, aut inveniendum aut perpetrandum erat, ſub cujus umbra cædes Regia lateret. Neque aliud ſuccurrebat, niſi ſimulatus, ille raptus, quo ſimul & Regina ſuæ voluntati, & Bothuelius ſecuritati proſpiceret.*

futuræ, inter Jacobum Heburnum & Mariam Stuartam, denunciarentur, ut, ſi quis quid vitii aut impedimenti ſciret, quo minus legitime coirent, rem ad Eccleſiam deferrent. Hæc ut confierent, Bothuelius, convocatis amicis & clientibus, Reginam Edimburgum reducere ſtatuit: ut ibi, obtentu vano libertatis, ipſe libere de nuptiis arbitratu ſuo ſtatueret. Comites ejus cum plerique armati eſſent, inter reducendum timor animos multorum inceſſit, ne aliquando fraudi ſibi foret, quod Reginam captivam adhuc tenerent: nam, ut cætera abſint, hoc unum ſatis argumento eſſe, quod armati circa eam, temporibus & rebus alioqui pacatis, conſpicerentur. Hoc ſcrupulo injecto, abjiciunt omnes haſtas, & pacatiore, ſaltem in ſpeciem, agmine, in arcem Edimburgenſem, quæ tum in poteſtate Bothuelii erat, eam ducunt: poſtridie in urbem atque in conſeſſum judicum eam comitantur: apud quos & ipſa ſe liberam & ſui juris affirmat.

XXX. Cum de nuptiis in Eccleſia denunciandis ageretur, & Lector, cujus id munus erat, conſtanter recuſaret, collecti Diaconi & Seniores, cum reluctari non auderent, jubent Eccleſiaſten nuptias futuras de more edicere: & is quidem hactenus paruit, ut ſe vitium quidem ſcire profiteretur, ac paratum, ſeu Reginæ, ſeu Bothuelio, cum vellent, indicare. Is cum in arcem arceſſitus veniſſet, Regina eum ad Bothuelium remiſit: qui quanquam, nec blanditiis nec minis, Eccleſiaſten de propoſito deduceret, nec rem diſceptationi committere auderet, tamen nuptias apparat. [1] Unus, Orcadum Epiſcopus, eſt inventus, qui gratiam aulicam veritati præferret, cæteris reclamantibus, cauſſaſque proferentibus, cur legitimæ non eſſent nuptiæ cum eo, qui duas uxores, adhuc vivas, haberet, tertiam ipſe nuper, ſuum faſſus adulterium, dimiſiſſet. Ita indignantibus omnibus bonis, vulgo etiam exſecrante, [2] propinquis per literas improbantibus inchoatas, & publicis cærimoniis ſimulatis etiam factas deteſtantibus, tamen matrimonium celebratur. Qui aderant e Nobilitate (nam omnes fere domos diſceſſerant, præter paucos Bothuelii amicos & propinquos) ad cœnam invitati, & una cum iis Crocus Gallus Legatus. Is, quanquam Guſianæ factionis eſſet, & in propinquo diverſaretur, conſtanter tamen venire recuſavit: neque enim exiſtimabat e dignitate legationis, qua fungebatur, eſſe, ut eas præſentia ſua nuptias probaret, quas audiebat diris exſecrationibus vulgo devoveri. Propinqui quoque Reginæ & inchoatas & factas improbarunt: & Reges Galliarum & Angliæ, per Legatos, rei fœditatem averſabantur.

XXXI.

1 *Unus Orcadum Epiſcopus*] Is tamen ipſe eſt qui Jacobum VI. regnum ineuntem inunxit (Dav. Craford. pag. 46.) ac a Moravio comes adſcitus, qui cum aliis ob has ipſas nuptias Reginæ accuſationem primum Eboraci, ac deinde Veſtmonaſterii, intentaret.

2 *Propinquis per literas improbantibus inchoatas, & publicis cærimoniis ſimulatis etiam factas deteſtantibus, tamen matrimonium celebratur*] Haud ſatis commode dici videtur, *propinquis nuptias factas deteſtantibus, tamen matrimonium celebratur*: neque enim quod nuptias factas ſecutum eſt nuptias impedire poterat. Cæterum hæc ſententiæ pars, qua propinquorum Reginæ, *i.e.* Guiſiorum ab hoc matrimonio averſa voluntas ſignificatur, rectius hoc loco omittenda videtur, quippe quæ mox init. Cap ſeq. aptius referatur.

1 *Al-*

XXXI. Hæc etſi moleſta erant, vulgi tamen mœſtitia tacita tanto magis angebat ferox Reginæ ingenium, quanto viſa, quam audita, [1] altius in animos penetrant. Euntes enim per urbem nemo ſolitis acclamationibus [2] Reges proſequebatur: ſemel una tantum muliercula cum bene Reginæ precata eſſet, altera aſtans ſemel atque iterum proclamavit, ut a circumſtantibus facile exaudiri poſſet; „Ita cuique ſit, uti promeretur. „Ea quidem res non leviter jam Edimburgenſibus ante infenſum ejus animum inflammavit. Hunc animorum cum domi foriſque videret motum, cum paucis conſultabat, quomodo ſuam potentiam ſtabiliret, & in poſterum ſibi a tumultibus proſpiceret. Primum omnium, decernitur in Gallias legatio, ut animos Regum & Guſiorum, præcipitatis nuptiis offenſos, reconciliaret. Legatus delectus Gulielmus Epiſcopus Dumblanenſis. [3] Mandata ei data hæc fere ad verbum.

XXXII. „Primum, nos excuſabis Regibus avunculiſque noſtris, quod matrimonii noſtri peracti rumor prius ad eos permanavit, quam per ullos noſtros „nuncios conſilium ea de re noſtrum aperuiſſemus. Hæc excuſatio, velut „fundamento, innitetur veræ expoſitioni totius vitæ, ac præcipue officiorum „Ducis Orcadum, adverſum nos, ad eum uſque diem, quo nobis eſt viſum „eum conjugem adſciſcere. Ejus autem hiſtoriæ, uti res habet, explanatio„nem aggredieris, initio ſumto ab ultimis uſque ſpatiis adoleſcentiæ. Cum „primum ſuarum rerum fuit compos, ſtatim a morte patris, hominis inter „regni primates primarii, quibus poſſet officiis, ſe Regibus colendis totum „dicavit, & erat alioqui familia in primis illuſtri, cum ob veterem nobilita„tem, tum ob maxima regni munia, quæ jure hæreditario poſſidebat. Eo „autem potiſſimum tempore, matri noſtræ, quæ tum imperii ſummam mode„rabatur, ſe penitus dedidit, in eaque colenda ita perſeveravit, ut, quan„quam brevi major pars Nobilitatis, ac pene univerſa oppida, prætextu re„ligionis ab ea deſciviſſent, nunquam tamen ille ab ejus auctoritate declinarit, „aut ullis promiſſis beneficiiſve adduci poſſet, aut minis rerumque domeſtica„rum damno perterreri, ut in ulla erga eam officii parte ceſſaret: potiuſque „ſit paſſus, domum, quæ patrimonii caput erat, cum ſupellectili pretioſa „& ampla, diripi, bonaque reliqua inimicis prædæ eſſe. Denique noſtro, „atque adeo civium omnium, auxilio deſtitutus, (Anglorum exercitu in ipſa „regni viſcera ab hoſtibus domeſticis inducto, qui nullum alium in ſcopum te„la

1 *Altius in animos penetrant*] Sic reſtituo, cum in omnibus libris [*animo*] legeretur.

2 *Reges*] *i.e.* Mariam & Bothuelium. Vide ſupra ad VII. 61. Regis autem titulo ideo Bothuelius hic donatur, quod Reginæ eſſet maritus: aliter enim nunquam ille (ut Henricus Darlæus) Rex erat renunciatus. Non me latet ſolere interdum antiquos ſcriptores principes viros, licet aliorum imperio ſubditos, Regum nomine ſalutare.

3 *Mandata ei data hæc fere ad verbum*] Hæc data Epiſcopo Dumblanenſi mandata ſummo artificio conſcripta animadvertit Thuanus Epiſt. ad Camdenum edit. a Tho. Smitho pag. 74. & Jo. Clericus Biblioth. Select. Tom. VIII. pag. 196. Fallitur tamen vir clariſſimus, qui ea primum Gallico ſermone ſcripta arbitratur: eorum enim exemplar (quod in Actis publicis ſervatum ipſe conſpexi) vernaculo noſtratium idiomate exhibetur.

„la ſua dirigerent, quam ut noſter maritus (tum Bothueliæ Comes) vi coa-„ctus, patria patrimonioque relicto, [[1] *exularet*,]) ſe in Franciam recepit: ibi-„que, uſque ad meum in Scotiam reditum, quibus potuit officiis me coluit „& obſervavit. Nec omittendæ erunt res ab eo bello geſtæ adverſus Anglos, „paullo ante meum reditum, ubi tale ſpecimen & militaris fortitudinis, & „ſenilis prudentiæ dedit, ut digniſſimus ſit exiſtimatus, qui, admodum ju-„venis, natu majoribus imperaret, & ſupremus totius patrii exercitus dux, „noſterque vicarius eligeretur: quo in magiſtratu, adeo ſpem hominum non „fefellit, ut, rebus fortiter geſtis, præclaram ſuæ virtutis memoriam [2] apud „cives & hoſtes reliquerit.

„XXXIII. Poſt reditum vero noſtrum, omne ſuum ſtudium contulit ad au-„ctoritatis noſtræ amplificationem: nec ſuis unquam pepercit periculis, in „perdomandis rebellibus, qui proxime limites Anglorum accolunt: ac brevi „rebus ibi ad ſummam tranquillitatem redactis, idem in cæteris regni partibus „præſtare deſtinavit. Verum, ut invidia ſemper virtutis eſt comes, Scoti, „rerum novarum avidi, nonnulli, noſtrum erga eum ſtudium & favorem im-„minuere cupientes, benefacta ejus male interpretando, tandem perfecerunt, „ut eum cuſtodiæ committeremus: partim, ut quorundam æmulorum placa-„remus animos, qui futuræ magnitudinis incrementa ferre non pote-„rant; partim, ut jamjam erupturas, in regni totius perniciem, ſeditiones „compeſceremus. E cuſtodia elapſus, ut æmulorum impotentiæ cederet, in „Galliam ſe recepit: ibique manſit ferme uſque ad biennium proximum: quo „tempore, priorum ſeditionum omnium auctores, obliti & noſtræ erga ſe le-„nitatis, & ſui erga nos officii, bello ſuſcepto, ad arma adverſus nos ierunt. „Ibi ille, noſtro juſſu revocatus, ac bonis cum priſtinis honoribus ei reſtitutis, „iterum omnibus copiis legatus eſt præfectus. Ejus autem ductu, ita ſtatim „noſtra refloruit auctoritas, ut univerſi rebelles, ſubito patria relicta, coacti „ſint in Angliam ſe recipere: donec pars eorum ſupplices, poſt humillimas „preces, fuerunt a nobis in gratiam recepti. Ob reliquos vero reductos, quam „perfidioſe fuerim tractata, per eos, quos majoribus, quam promerebantur, „beneficiis affecimus, non ignorat noſter avunculus: ideoque paucioribus ea „attingo. Nec tamen ſilentio prætereundum eſt, quanta cum ſolertia e mani-„bus eorum, qui me tum captivam detinebant, liberarit: quamque celeriter, „ejus ſingulari providentia, & ego e cuſtodia evaſerim, &, tota factione con-„juratorum diſſipata, priſtinam auctoritatem recuperaverim. Hic equidem fateri „cogor officia ejus, tum mihi præſtita, adeo grata fuiſſe, ut nunquam nobis e „memoria potuerint excidere.

„XXXIV. Hæc autem cum ſint per ſe maxima, tanta ſedulitate & diligen-„tia ea hactenus cumulavit, ut nec majorem obſervantiam, nec fidem in quo-

„quam

1 *Exularet*] Vocem hic neceſſariam al eſſe, imperfecta alioquin ſententia oſtendit: Crafordius ſupplendum exiſtimat [*expelleretur*], at, cum hanc emendationem devenuſtet præcedens clauſula [*vi coactus*,] nobis vox [*exularet*] magis appoſita videbatur.

2 *Apud cives & hoſtes*] An [*hoſtes*] hic, vetuſtiſſimo vocabuli ſignificatu, pro *peregrinis* accipitur?

2 Sed

„quam optare poſſimus, quam in eo deprehenderimus, uſque ad hæc poſtre-„ma tempora, quæ Regis mariti noſtri deceſſum ſunt conſecuta. Ab eo enim „tempore, ut cogitationes ejus ad ſublimiora niti videbantur, ita & actiones „inſolentiores quodammodo ſunt viſæ. Et quanquam eo res proceſſit, ut omnia „nobis in meliorem partem ſint accipienda, graviſſime tamen tum nos offen-„derant hæc: primum arrogantia, quod nullam referendæ gratiæ reliquam „nobis putaret ſupereſſe facultatem, ni meipſam ei, velut officiorum præmium, „traderem; occultæ rationes & conſilia; ac tandem apertus mei contemtus, „& vis adhibita, in me (ne conatu fruſtraretur) in ſuam poteſtatem redigenda. „Interea tota vitæ ratio, ei in hac parte inſtituta, exemplo eſſe poteſt, quam „callide ſua conſilia tegant, qui magnum facinus ſuſceperunt, donec voti com-„potes fiant. Ego enim hanc perpetuam ejus obſervantiam & ſedulitatem, im-„periis meis cum ſumma celeritate parendi, non ex alio fonte manare, quam „ex vehementi ſtudio declarandæ erga me voluntatis, exiſtimavi: neque al-„tius ullum aut votum aut conſilium illic occultari putabam. Nec unquam „fore ſperavi, ut paullo familiarior vultus, quo uti ſolemus erga homines illu-„ſtres, ut voluntates eorum ad lubentius nobis parendum devinciamus, animum „ejus erigeret, ut inſolentioris benevolentiæ ſpem ſibi de nobis promitteret. „Ille tamen fortuita etiam in ſuam rem trahens, conſiliaque ſua clam me fo-„vens, tum quidem, ſolita obſervantia, & priſtinum nutriebat favorem, &, „prenſando Nobilitatem, novum occulte ambiebat: tantumque aſſidua dili-„gentia perfecit, ut, me rerum illarum inſcia, cum Ordinum conventus hîc „eſſet, ab univerſa Nobilitate ſcriptum impetraverit, omnium chirographis, „ad fidem faciendam, appoſitis: quo ſcripto, non modo nuptiis inter me & „illum aſſentiebantur, [1] ſed & bona vitamque, in conſiliis exſequendis, ſe „omnibus periculis objecturos promittebant, ſeque omnibus, qui rem impedi-„re conarentur, futuros hoſtes.

„XXXV. Nobilitati autem, ut facilius obtineret ſuffragia ſingulo-„lorum, perſuaſerat, me non invita hæc a ſe geri. Hoc demum ſcripto ab „illis impetrato, cœpit pedetentim accuratiſſimis precibus noſtrum quoque con-„ſenſum eblandiri. Sed cum reſponſa noſtra ejus libidini non conſentirent, cœ-„pit ante oculos revocare ea fere, quæ in hujuſmodi conſiliis ſuſcipiendis „occurrere conſueverunt: exteriora noſtræ voluntatis indicia; rationes, qui-„bus aut noſtri amici, aut ipſius inimici ejus conſilium impedire poſſent; & „ne, qui jam ſubſcripſerant, animos mutarent; multa item alia, quæ aut „objecta, aut ſponte occurrentia, ejus exſpectationem fruſtrari poſſent. Tan-„dem ſecum ſtatuit, fortunæ faventi inſtare, atque in unius momenti aleam, „rem, vitam ſpemque conjicere. Itaque, cum apud ſe decreviſſet, gnavi-„ter conſilii ſui eventum tentare, quarta fere poſt die, cum ab inviſendo ca-„riſſimo filio redirem, & locum & tempus opportunum in via nactus, valida „manu me aggreſſus, cum ſumma celeritate Dumbarum duxit. Id facinus „quam

1 *Sed & bona vitamque*] Ita legendum jubet Crafordius: libri autem omnes, *aſſentiebantur, ac bona vitamque.*]

1 *Cr-*

„quam in partem acciperemus, ab eo præſertim, a quo ex omnibus noſtris „civibus tale quicquam minime exſpectabamus, facile ſecum quivis exiſtima„bit. Ibi ei exprobravi, quanto ſemper eum favore fuerim proſecuta, quamque ei apud alios fuerit honorifica mea de ejus moribus opinio: ejuſque contra adverſus me ingratitudinem: quæque alia facere poſſent ad me ex ejus manibus liberandam. Tractatio quidem aſperior, ſed ſermo atque reſponſa molliora erant. Se enim omni honore & obſervantia adverſum nos uſurum, operamque daturum, ne ulla in re animum noſtrum offenderet. Quod autem me invitam in unam ex arcibus noſtris deduxiſſet, tam audacis facinoris veniam ſupplex petiit: ſed ad quod, vi amoris (reverentiæ & obſequii, quod, ut civis, mihi debebat, oblitus) impulſus fuiſſet. Acceſſit eodem, quod ſalutis tuendæ cauſſa eo cogebatur.

XXXVI. „Ibi totum vitæ curſum mihi recenſere cœpit: ſuamque fortunam lamentabatur, quod, quos nunquam læſiſſet, ſibi inimicos graviſſimos offenderat; quorum malitia nullas injuſte nocendi occaſiones prætermitteret: quanta Regiæ cædis invidia eum onerarent: quam impar occultis inimicorum conſpirationibus eſſet; quos nec noſſe poſſet, quod omnes vultu & oratione benevolentiam ſimularent, nec eorum, quos non noſſet, præcavere poſſet inſidias. Tantam autem eorum eſſe malitiam, ut nullo in loco, nullo in tempore, ſecurus vitam queat degere, niſi de noſtro immutabili erga ſe favore certus. Hanc autem [1] certitudinem una ratione parari poſſe, ſi ego in animum inducerem, ut meo dignarer eum matrimonio. Sanctiſſime autem dejerabat, ſe nullam inde præcellentiam, aut ſupremi gradus faſtigium, ſpectare, ſed illud unum, ut mihi, perinde atque adhuc fecerat, pareret atque inſerviret, quoad viveret. Ad hæc, quantam ea cauſſa poſcebat, venuſtatem orationis adjiciebat. Verum, cum nec precibus, nec promiſſis, videret nos inflecti, tandem nobis indicavit, quid cum Nobilitate univerſa atque Ordinum principibus egerit; quid illi rurſus appoſitis chirographis promiſerint. Hæc, ſubito ac præter opinionem objecta, juſtam necne ſtuporis nobis cauſſam dederint, Regi, Reginæ avunculo, cæteriſque amicis, judicandum relinquimus. Itaque, cum me perſpicerem in aliena poteſtate poſitam, ſeorſum ab omnibus, quorum uti conſilio ſolebam: imo, cum eos viderem, in quorum ante fide & prudentia conquieſcebam, quorum vires noſtram auctoritatem tueri debebant, ſine quibus noſtræ vires perexiguæ, ac potius nullæ ſunt; hos cum viderem, ad ſubſerviendum cupiditati ejus ſeſe devoviſſe, meque ſolam ei in prædam relictam, multa quidem cum animo ſola verſabam, ſed exitum plane nullum reperiebam. Verum ille nobis non admodum longum ad conſilium capiendum tempus dabat: ſed continenter & importune propoſitum urgebat.

XXXVII. „Poſtremo, cum neque ſpem evadendi ullam viderem, neque „quen-

1 *Certitudinem*] Sui ſeculi, & eorum etiam qui Ciceroniani dici volebant, conſuetudine abreptus vocem [*certitudo*] hic adhibuit, ſcriptoribus Romanis prorſus incognitam. Vide Voſſ. de vit. ſerm.

1 *De*

„quenquam in toto regno, cui noſtra libertas curæ eſſet, (facile enim per-„ſpexeram, e chirographis datis, & ſummo illius temporis ſilentio, cunctos „in ejus partes fuiſſe tractos) coacta demum fui, ira paullulum & indignatio-„ne mitigata, animum ad ejus petitiones excutiendas referre; atque ante ocu-„los proponere ſuperiorum temporum officia, & ſpem, in eadem eum noſtri „obſervantia conſtanter in poſterum perſeveraturum. Item, quam gravate „noſtri cives Regem peregrinum, legibus & inſtitutis eorum inaſſuetum, eſ-„ſent recepturi: quod non diu me cœlibem eſſe paterentur: quod populus, „natura factioſus, in officio contineri non poſſet, niſi noſtra auctoritas & „fulciatur & exerceatur, per virum, qui labori ferundo par ſit, in admini-„ſtranda Repub. ac rebellantium inſolentia coërcenda: quarum rerum pon-„dus, vires noſtræ, ab eo tempore, quo in Scotiam redivimus, debilitatæ, „ac propemodum fractæ aſſiduis tumultibus ac rebellionibus, amplius ſuſtine-„re nequeunt. Item, quod, ob has ſeditiones, quatuor, aut etiam plures „legatos, in diverſis regni partibus, creare ſumus coactæ, quorum pars ma-„jor, eo colore imperii, a nobis permiſſi, freta, noſtros cives arma ſumere „adverſus nos coëgit. Ob has ego cauſſas cum futurum viderem, ut, ſi Re-„gii nominis dignitatem ſalvam vellem, animum ad nuptias inflectere coge-„rer: nec cives noſtri Regem externum paſſuri forent: nec inter cives quiſ-„quam eſſet, qui vel ſplendore familiæ, vel prudentia & fortitudine, aliiſ-„que corporis & animi virtutibus, præferri, aut conferri etiam poſſet, cum „eo, quem nos maritum accepimus: mihimet ipſi imperavi, ut univerſali „omnium Ordinum conſenſui, [1] de quo ante dictum eſt, me adjunge-„rem.

XXXVIII. „Poſtquam his multiſque aliis rationibus, animi mei labefacta-„ta eſt conſtantia, partim a me vi expreſſit, partim obtinuit obſequiis, ut ei „me nupturam promitterem. Nec tamen adhuc ab eo, ut qui ſemper volun-„tatis mutationem pertimeſcebat, obtinere ullis argumentis potuimus, ut ma-„trimonii perficiendi tempus prorogaremus, ut videlicet tantum moræ inter-„poneretur, donec rem communicaremus cum Rege Reginaque Galliarum, „cæteriſque noſtris amicis. Verum, ut ab audaci facinore exorſus ad primum „ſuæ cupidinis gradum pervenerat, nunquam ceſſavit ad argumenta preces im-„portunas adjungere, donec tandem, nec ſine vi, nos impulit, ut operi in-„choato finem imponeremus, idque eo tempore & modo, quæ illi ad id con-„ſilium exſequendum viſa ſunt commodiſſima. Qua in parte diſſimulare non „poſſum, me ab eo aliter tractatam, quam aut voluiſſem, aut promerita „fuerim. Magis enim ſollicitus fuit, ut ſatisfaceret illis, per quorum con-„ſenſum, initio expreſſum, voti compotem ſe putat, (quanquam & illos & „me pariter decepit) quam ut mihi gratificaretur, aut expenderet quod mi-„hi decorum foret, quæ in religionis noſtræ inſtitutis & ritibus fuerim edu-„cata: a qua me nec ille, nec quiſquam alius vivus, vivam abducet. In hac „certe

1 *De quo ante dictum eſt*] Sic accuratiſſimo Crafordio legendum videtur, pro quo omnes libri [*de quo ut a me dictum eſt.*]

„ certe re, etſi errorem noſtrum agnoſcimus, tamen libenter cuperemus, ne „ Rex, & Regina mater ejus, & noſter avunculus, aut alius amicorum, ea „de re expoſtulet, aut eam vitio ei vertat. Nunc enim, rebus ita tranſactis, „ut infectæ fieri non poſſint, in meliorem partem omnia accepimus: &, ut „eſt re vera, ita maritus noſter eſt exiſtimandus, quem dehinc & amare & „colere decrevi. Quicunque autem ſe profitentur noſtros amicos, [1] ſimiles „erga eum ſe profiteri neceſſe eſt, qui inſolubili vinculo nobiſcum conjunctus „eſt. Quanquam, nonnullis in rebus, paullo negligentius, ac pene temera- „rie, ſe geſſerit, quod immoderatæ erga nos affectioni libenter imputamus, „cupimus tamen, ut Rex, Regina, noſter avunculus, ac cæteri amici, eum „non minore proſequantur benevolentia, quam ſi omnia, ad hunc uſque diem, „ex eorum præſcripto tranſacta fuiſſent: eumque contra promittimus, in „omnibus quæ ab eo poſtulabuntur, ſemper gratificari paratum.

XXXIX. Hæc quidem foris, adverſus famam late fuſam, quæſita remedia. Adverſus domeſticos motus proviſum, ut, cum donis in præſentia, & in poſterum pollicitationibus, eos confirmaſſent, qui vel auctores vel conſcii Regiæ cædis erant, conjurationem majoris partis procerum facerent: quibus freti, reliquos facile contemnerent; aut, ſi pertinaciores forent, tollerent. Igitur, convocatis compluribus, ſcriptum eis proponunt, in quo capita inerant fœderis, in quod jurarent: cujus fere ſumma erat; Ut Reginam & Bothue- „lium, actaque eorum omnia, tuerentur: illique invicem, fœderatorum ſa- „luti & commodis, quoad poſſent, faverent & conſulerent. Qui præſentes erant, magna pars jam antea perſuaſi, ſubſcribunt; reliqui, cum flagitioſum viderent conjurare, periculoſum abnuere, & ipſi ſubſcripſere. Arceſſitur Moravius, ut ejus auctoritas (quæ ob virtutem ſumma erat) accederet. Is, in itinere, monitus ab amicis, ut ſibi conſuleret, neve in Setonii ædibus, in quibus Regina & conjuratorum principes erant, pernoctaret, ſed ad propinquam alicujus amici villam diverteret, reſpondit; „Id in ſua poteſtate non fo- „re: verum, utcunque res caderet, ſe nulli unquam flagitio aſſenſurum: cæ- „tera Deo permiſſurum. De fœdere rogatus ab aulicis, quibus id Regina dederat negotium, reſpondit; „Se nec juſte, nec honeſte, cum Regina (cui „in rebus omnibus obtemperare debeat) fœdus poſſe facere: cum Bothuelio „ſe, Regina auctore, conciliatum: quicquid tum promiſiſſet, ad unguem „ſervaturum: nec cum eo, nec cum alio quoquam, fœdus aut conjuratio- „nem facere ſe, æquum, aut e Republica, exiſtimare. Cum, per aliquot dies, Regina ſolito blandius eum alloqueretur, ac ſe polliceretur, de omnibus rebus ſuam ſententiam explicaturam, nec pudor tamen eloqui ſineret, per familiares animum ejus oppugnare tentavit. Hi quoque ejus in recto conſtantiam reveriti, quid peterent, palam fateri [[2] *non auſi*,] cum nihil tectius agendo

1 *Similes erga eum*] Ita recentiores libri; principi tamen editioni Edimbur. [*ſimilem*] legitur; unde nobis orta eſt ſuſpicio aliquod ſententiæ vocabulum excidiſſe, veluti *amorem*, *gratiam*, *favorem*, *obſervantiam*, aut ſimile quid.

2 *Non auſi*] Has voces manca alioquin ſententia interſerendas poſtulare videtur.

1 *Li-*

do proficerent, tandem Bothuelius eum aggreſſus, vario ſermone eo eſt progreſſus, ut diceret; „Se facinus illud, nec ſponte, nec ſibi ſoli, feciſſe. Eam vocem cum vultu alter aſpernaretur, Bothuelius, ſermone gravi, & interdum conviciis propior, omnia verſando, cum diſcordiarum cauſſas interſereret, remque ad altercationem protrahere conaretur, ille contra, moderate reſpondendo, nullam litis occaſionem dare, ac ſe tectum tenere, nec a propoſito tamen diſcedere.

XL. Cum in his anguſtiis aliquot dies verſatus fuiſſet Moravius, tandem a Regina veniam petiit, ut, quando ſui non magnum videret uſum in aula, ad Fanum Andreæ, vel in Moraviam uſque, ſecederet. A ſuſpicione enim motuum, quos orituros prævidebat, procul abeſſe cupiebat. Id cum non impetraret, nec in aula ſine ſummo & certo periculo eſſe poſſet, tandem [1] liberam legationem expugnavit: ſed ea lege, ne in Anglia ſubſiſteret, ſed per Flandriam in Germaniam, aut ſi quo alio vellet, aſcenderet. Verum, cum Flandriam petere, nihil aliud eſſet, quam in apertum diſcrimen ſe præcipitare, tandem ægre tenuit, ut per Angliam in Gallias, deinde illinc quo commodum videretur, ſe conferret.

XLI. Homine libero & populari liberata Regina, cætera tyrannidis impedimenta conatur amoliri, hi autem erant, qui aut non libenter ſceleri ejus ſubſcripſerant, aut non facile conſiliis ejus acquieturi viderentur. In primis autem eos oderat, qui, cum animum ejus nihilo mitiorem erga filium, quam fuiſſet erga maritum, viderent, Sterlini conjuraverant, in nullum quidem ſcelus, ſed tantum de pueri incolumitate tuenda. Eum enim cupiebat mater in vitrici poteſtatem tradere. Is autem, nemo dubitabat, quin puerum, primo quoque tempore, per occaſionem de medio tolleret: ne vel cædis Regiæ ultor ſupereſſet, vel ne eſſet, qui liberos ſuos, in hæreditate regni adeunda, [2] præiret. Principes ejus conjurationis hi erant, Comites Argathelius, Mortonius, Marrius, Atholius, Glencarnius: item ejuſdem ordinis, ſed proximi gradus, Patricius Lindeſius, & Robertus Bodius: item amici & clientes, qui ſe eis adjunxerant. Sed Argathelius, eadem qua conſenſerat levitate, conſilia cæterorum perendie illius diei Reginæ prodidit; & Bodius magnis pollicitationibus in partes adverſas traductus eſt.

XLII. Proxime poſt hos erant ſuſpecti, qui ad Angliæ limitem habitabant, Humiorum, Carorum & Scotorum familiæ: quorum potentiam omni ratione imminuendam exiſtimabant. Ad id autem occaſio viſa eſt peropportuna. Nam cum Bothuelius expeditionem pararet in Lidaliam, ut & ignominiam, ibi ſuperiore autumno acceptam, aboleret, &, militiæ laude parta, invidiam Regiæ cædis imminueret, omnes familiarum Teviotiæ principes juſſi a Regina ſunt in arcem Edimburgenſem ingredi, ut ibi, ad breve tempus, in libera cuſtodia eſſent, prætextu quidem, ne in expeditionem, quæ, eis invitis, non vide-

1 *Liberam legationem expugnavit*] Libera legatio eſt quam quis privati negotii cauſſa ad aliquod tempus impetrat. Unde Ulpianus l. 14. ff. de Legat. *Qui libera legatione abeſt, non videtur reipublicæ cauſſa abeſſe: hic enim non publici cauſſa ſed ſui abeſt.* Vide Hottomannum fuſe hac de re differentem, Comment. verb. juris.

2 [*Præiret*] [Vide ſupra ad Cap. 27.]

debatur magno cum ſucceſſu poſſe confieri, ducerentur, remque per invidiam turbarent: &, eis abſentibus, clientes eorum aſſueſcerent alienis imperiis, & paulatim patronorum caritatem exuerent. Sed illi, altius aliquid ſub eo imperio latere rati, nocte domos diſceſſerunt, præter Andream Carum, qui parricidii non ignarus vulgo credebatur, & Valterum Carum Sesfordium, hominem, ob ſummam vitæ integritatem, nihil ſuſpicantem. Humius, aliquoties a Bothuelio vocatus in aulam, certus de ejus erga ſe voluntate, abnuit venire. Conſilium nihilominus de expeditione procedit: Regina ad Borthuicum arcem, circiter octo ab Edimburgo millia, ſubſtitit.

XLIII. Interea, qui de Regis incolumitate tuenda conſpiraverant, cum animum Bothuelii erga ſe non ignorarent, aliquid tentandum rati, ſimul ſuæ ſecuritatis cauſſa, ſimul ut, de auctore cædis Regiæ expetita pœna, publicam Scotici nominis apud exteras gentes levarent infamiam. Itaque, vulgi favorem ſuos motus ſecuturum arbitrati, ad duo millia equitum ita occulte contraxerunt, ut Regina id agitari omnino non ſenſerit, donec Humius, parte exercitus Borthuicum admota, eam una cum Bothuelio obſideret. Sed cum reliqua conjuratorum pars ad dictum tempus non conveniſſet, nec ipſe tantam haberet multitudinem, ut omnes exitus clauderet, & ſegnius, quam par erat, omnia gererentur, quod rem a reliquis omiſſam crederent, primus Bothuelius, deinde Regina, veſte virili ſumta, evaſit: ac recta Dumbarum abierunt. Conjurati autem quo minus in tempore convenirent, per Atholium ſtetit. Is enim, vel ſuſceptæ rei magnitudine perculſus, vel ingenii cunctatione retentus, reliquos Sterlini detinuit, donec occaſio rei gerendæ foret e manibus elapſa. Verum, ne nihil tanto conatu patratum videretur, major pars ad Edimburgum capiendum eſt miſſa. Arcem ejus oppidi tenebat Jacobus Balfurius, a Bothuelio ſibi creditam, ut qui parricidii particeps, & omnium conſiliorum vel conſcius vel auctor ei fuerat. Sed cum nec operæ navatæ præmium accepiſſet, & minore, quam ſperaverat, gratia ſe apud tyrannos eſſe cerneret, (quippe qui arcis præfecturam adimere ei tentaſſent) expulſis diverſæ factionis hominibus, locum ſuæ poteſtatis fecit: ac tum promiſerat publici parricidii vindicibus, eam innoxiam fore, tractabatque cum illis de conditionibus ejus liberandæ.

XLIV. Erant in oppido tum, e factione Reginæ pene principes, Joannes Hamiltonius Fani Andreæ Archiepiſcopus, Georgius Gordonius Huntilææ Comes, & Joannes Leſlius Roſſienſis Epiſcopus. Hi, cum ſenſiſſent hoſtes ſuos in urbem acceptos, in forum provolantes, duces multitudini ſeſe offerunt. Sed cum rari admodum ad eos ſeſe aggregarent, retro cedendo ad arcem uſque compulſi fuerunt. Ibi a Balfurio intromiſſi, [1] per adverſam partem poſt paucos dies emiſſi incolumes. Balfurius enim, re nondum cum alteris tranſacta, nolebat omnem ſpem veniæ apud alteros ſibi præcidere. Oppidum facile conjurationi Nobilitatis acceſſit: utpote, paullo ante, novis a Regina tributis ſæpe exſpolia-

1 *Per adverſam partem*] Ita conſtanter omnes libri: mihi vero fere perſuaſum eſt [*averſam partem*] legendum; quod & Thuanus, Buchanani veſtigiis inſiſtens, confirmat, qui eos *per poſticum incolumes emiſſos* tradit.

1 Oſ-

liatum, &, quod tum in egeſtate publica nihil moderatum exſpectabat, [1] offenſa, velut communi conſenſu, tyrannide: [2] quodque, quoties voluntatis declarandæ locus dabatur, ſcelus eorum diris exſecrationibus proſequebantur. Cum, hoc pacto, ſegniter ad Borthuicum procerum factio rem geſſiſſet, Regina & Bothueliûs, qui per neglectas vigilias de nocte evaſerant, cum paucis ad Dumbarum profecti, ſe in arcem ibi munitiſſimam condiderunt. Unde tanta rerum commutatio conſecuta eſt, ut, qui modo in ſumma deſperatione verſabantur, confluentibus undique, qui vel eorum ſceleri connexi erant, vel Regii nominis umbram ſectabantur, [3] ſatis firmi ad debellandos adverſarios [4] ſibi viderentur. Contra, libertatis vindices in magnis verſabantur anguſtiis: paucis enim, contra quam ſperaverant, ad famam tam præclari facinoris accurrentibus, vulgi ardore, ut fit, cito reſtincto, & magna parte Nobilitatis aut adverſa, aut in alieni periculi eventum ſuſpenſa. Deinde, etiamſi multitudine vindices eſſent ſuperiores, omni tamen oppugnandarum arcium apparatu deficiebantur.

XLV. Itaque, cum conſiliorum nullum in præſentia exitum invenirent, ac, prope neceſſitate coacti, de reditu, re infecta, cogitarent, Regina hanc eis dubitationem ſuſtulit. Ea enim, cum vires jam animum facerent, ſtatuit, cum ea multitudine, quam ſecum habebat, Letham proficiſci, ut ex propinquo fortunam tentaret: ſimul ad ſuum adventum rata majorem concurſum futurum, ſimul audaciam terrorem hoſtibus allaturam. Præteriti enim temporis ſucceſſus ita animos ei auxerat, ut neminem exiſtimaret, ne primum quidem ſuum conſpectum toleraturum: & aluerant ejus confidentiam adulatores, & inprimis Edmondus Hajus cauſſidicus. Is affirmabat; „ Omnia virtuti ejus prona „ eſſe: hoſteſque, & rerum & conſiliorum inopes, ad famam ejus adventus, „ abituros: „ cum res tamen longe ſecus haberet, nihilque, in rebus præſentibus, ei mora fuiſſet utilius. Nam ſi illa, triduum modo, in arce Dumbari ſe continuiſſet, vindices juris publici, omni belli apparatu deſtituti, [5] libertate fruſtra attentata, domos quiſque ſuas diſcedere coacti fuiſſent. Illa nihilominus a Dumbaro, incertum pejore conſilio an ſpe vaniore impulſa, movet, ſed itinere lento, dum agricolis, e rure vicino collectis, arma dividuntur. Tandem ad Setonium vicum ſub noctem veniunt: &, quia locus tantam multitudinem non capiebat, in propinquos pagos (utrique Præſtono nomen eſt) ſparguntur.

XLVI.

1 *Offenſa velut communi conſenſu tyrannide*] *Offenſa* hic pro *inviſa* vel *deteſtata* ſumi videtur, quemadmodum apud Cic. ad Attic. lib. 2. Ep. 19 *Scito nihil unquam fuiſſe tam infame, tam turpe, tam peraque omnibus generibus, ordinibus, ætatibus offenſum, quam hunc ſtatum.* Idem pro Cluentio, *Etiamſi is invidioſus multiſque offenſus ſit.* Et Fam. lib. 10. Ep 18. *Si hominem offenſum mihi, conjunctum cum repub. non ſublevaſſem.* Sueton. Galb. cap. 16. *Per hæc prope univerſis ordinibus offenſus.*

2 *Quodque* ——— *ſcelus eorum diris exſecrationibus proſequebantur.*] Malim [*proſequebatur.*]

3 *Satis firmi*] Alii libri male [*& ſatis firmi*] *Crafordius.*

4 *Sibi viderentur*] Ita legendum & res ipſa & Crafordius monet, non, quod libros omnes occupavit, [*videbantur.*] Fruſtra tamen addit vir accuratiſſimus ſuperiore verſu [*verſarentur*] pro [*verſabantur*] legi debere.

5 *Libertate fruſtra attentata*] Alii libri omnes [*attenta*] *Idem & Melvinus.*

XLVI. Trepidus inde nuncius, paullo ante mediam noctem, venit Edimburgum, ac ſtatim, ſigno dato, conclamatur, ad arma. Experrecti e ſomno tumultuoſe, quam quiſque poteſt feſtinanter in campos proximos ſeſe ejiciunt, ac ibi, circa Solis ortum, multitudine ſatis frequenti collecta, aciem inſtruunt. Inde ad Muſſelburgum profecti, ut flumen Eſcam tranſirent, antequam pons & vada ab hoſtibus occuparentur, (is vicus duo tantum millia a Præſtono abeſt.) Verum, cum neminem inde obviam haberent, neque quicquam moveri proſpicerent, ibi diſpoſitis vigiliis cibum capiunt. Interea, qui miſſi fuerant, ut explorarent, paucos equites conſpicati, eos intra pagum compulerunt, ipſi, metu inſidiarum, non auſi ulterius progredi, nil certi ad ſuos retulerunt, niſi hoſtes caſtra movere. Igitur vindices, Muſſelburgo egreſſi, vident hoſtes in ſupercilio clivi adverſi acie inſtructa ſtare, ac ſuis ſe locis tenere. Cum clivus ita rectus eſſet, ut non ſine pernicie ad eos perveniri poſſet, paullum [1] in dexterum deflectunt, ſimul ut Solem haberent a tergo, ſimul ut molliore clivo aſcenderent, & locis minus iniquis confligerent. Id eorum conſilium Reginam primum fefellit, quæ eos fugere, & Dalkethum, Comitis Mortonii propinquum oppidulum, eos petere credebat. Perſuaſerat enim ſibi, Regii nominis eam fore reverentiam, ut nemo ex adverſo apparere auderet. Sed ibi facile apparuit, auctoritatem, ut bonis artibus comparatur, ita malis amitti: majeſtatemque, virtute deſtitutam, levi momento evaneſcere. In itinere, [2] populariter Dalkethenſes effuſi omne genus commeatus abunde attulerunt: unde, refectis viribus, ac ſiti, qua maxime laborabant, ſedata, ubi primum æquum locum occuparunt, duas in hoſtem dirigunt acies. Primæ præerant Mortonius, adjuncto Alexandro Humio, cum ſuis clientibus: ſecundam ducebant Comites Glencarnius, Marrius & Atholius.

XLVII. Ibi, cum in procinctu ſtarent, venit ad eos Crocus, orator Gallus. Is per interpretem præfatus; „Quantum ſemper commodis & tranquil„litati publicæ Scotorum ſtuduerit, nunc quoque eodem eſſe animo, & ve„hementer cupere, ut ſi fieri poſſet, ſine vi, ſine cæde, res ex utriuſque „partis utilitate componatur. Ad id ſe ſuam operam offerre. Reginam quo„que non abhorrere a pacatis conſiliis. Id quo facilius intelligant, eam in „præſentia veniam, & omnium præteritorum oblivionem, polliceri, ac ſan„cte ſpondere, nemini fraudi fore, quod [3] adverſus ſupremum magiſtratum ar„ma ſumſiſſent. „Hæc cum interpres retuliſſet, Mortonius reſpondit; „Non „ſe adverſus Reginam, ſed Regis interfectorem, arma induiſſe: quem ſi Re-

„gina

1 *In dexterum deflectunt*] An potius *dexteram*?

2 *Populariter*] Vide ſupra ad Lib. XI. Cap. 4.

3 *Adverſus ſupremum magiſtratum*] Quidam forte arbitrentur [*ſupremam*] hic fuiſſe dicendum, cum fœmina tum rerum ſummæ præeſſet. Verum attendendum vocem [*magiſtratum*] in eorum claſſe nominum poſſe cenſeri, quæ Grammatici *ἐπίκοινα* appellant, in quibus nulla fere ſexus ratio habetur. Fortean etiam non tam hominem poteſtatem gerentem, quam poteſtatem ipſam Buchananus hic ſignificari voluerit.

4 *Præ-*

„gina vel ad ſupplicium traderet, vel ſegregaret a ſe, tum intellecturam, nihil ſibi reliquiſque civibus fore optatius, quam ut in officio erga eam perſtarent. Aliter nullam concordiam coire poſſe. Nec ſe eo veniſſe armatos, „ut veniam ullius admiſſi peterent; adjecit Glencarnius, ſed ut potius darent. Hanc eorum conſtantiam Crocus conſpicatus, cum & vera dici, & juſta peti, intelligeret, accepta abeundi venia, Edimburgum diſceſſit.

XLVIII. Interea, Reginæ exercitus veteribus Anglorum caſtris ſe continebat. Locus erat & natura cæteris editior, & aggere & foſſa cinctus. Ibi Bothuelius, equo inſigni ante aciem provectus, per præconem poſtulat, quo cum ipſe ſingulari certamine decernat. Cum ex acie adverſa ſe obtuliſſet Jacobus Moravius, adoleſcens nobilis, qui ante per libellum, ſed nomine ſuppreſſo, ſe obtulerat, uti dictum eſt, cum eo Bothuelius congredi recuſat, cauſſatus; „Hominem nec opibus nec dignitate ſecum comparandum. Tum ex adverſo prodiit Gulielmus Moravius, Jacobi frater natu maximus, qui affirmabat; „Se Bothuelio (ſi in hoc negotio pecuniæ ratio ſubducenda eſſet) „non minus eſſe locupletem: familiæ autem antiquitate, & famæ integritate, ſuperiorem. Hic quoque recuſatur, ut qui modo Eques, ac ſecundi ordinis, eſſet. Cum multi homines primi ordinis, & in primis Patricius Lindeſius, ſe offeret: atque, pro omnibus, quos, in Scotici nominis incolumitate & gloria tuenda, ſuſtinuiſſet, laboribus, id modo [1] præmium depoſcebat, ut ſe permitterent cum Bothuelio decernere: ibi quoque cum Bothuelius tergiverſaretur, nec ſe honeſte expedire poſſet, Regina ſuam interpoſuit auctoritatem; atque, eo depugnare vetito, contentionem diremit. Deinde ∮ aciem equo circumvecta, ſingulorum animos explorabat. Bothuelii propinqui & clientes confligere cupiebant: cæteri aditi, cum dicerent; „In acie „adverſa, eſſe homines bellicoſos, & pleroſque longo militiæ uſu duratos: „aleam prælii periculoſam eſſe Reginæ. Se quidem paratos eſſe depugnare: „ſed plebis, quorum magnum habebant numerum, animos a cauſſa abhorrere. „Multo æquius videri, ut Bothuelius ſuam ipſe armis cauſſam tueatur, quam „ut tot homines nobiles, in primis autem Reginam ipſam, in ultimum diſcrimen demitterent: ſin ita vehementer ad pugnam animata eſſet, poſſe rem in „proximum diem differri. Dici, Hamiltonios cum quingentis equitibus adven-„tare, nec procul abeſſe: iis adjunctis, de ſumma rerum ex tuto conſuli poſſe. Nam tum maxime, Comes Huntilæus, & Joannes Hamiltonius Fani Andreæ Archiepiſcopus, propinquos & clientes ad Hamiltonium convocaverant, ac poſtridie ad Reginam erant venturi.

XLIX. Ad hæc, illa fremens, ac plena lacrymarum, multa in primores jacit convicia, &, per nuncium, ab acie adverſa petit; „Ut Gulielmum „Kircadium Grangianum ad ſe mittant: cum eo ſe de conditionibus colloqui „velle: interea exercitus ſubſiſteret. Et acies quidem vindicum libertatis ſubſtiterunt; ſed in loco quidem humiliore, ac propiore, quam ut majores machinæ

1 *Præmium depoſcebat*] Rectius (quod Craſordio viſum eſt) [*depoſceret*] legendum.

næ eis nocere poſſent. Dum Regina cum Kircadio ſermones confert, [1] Bothuelius, (quod colloquii ſimulatione petitum erat) ſibi conſulere juſſus, Dumbarum verſus ita trepide abiit, ut duos, qui ſequebantur, equites redire juſſerit: adeo male conſcius ſibi animus, ne amicis quidem ſatis fidebat. Illa, cum eum jam extra periculum eſſe putaret, [2] pacta cum Kircadio, ut reliquus exercitus ſine noxa abiret, ad proceres cum eo venit, tunicula tantum veſtita, eaque vili & detrita, ac paullum infra genua demiſſa. Et a prima quidem acie, non ſine priſtinæ reverentiæ indiciis recepta, cum peteret, ut ſe dimitterent, dum Hamiltonios, qui adventare dicebantur, conveniret; ac ſe reverſuram promitteret, Mortoniumque pro ſe ſpondere juberet, (ſperabat enim, ſe blandis pollicitationibus, quæ vellet, effecturam:) ubi non impetravit, ad orationis acerbitatem converſa, ducibus ſua in eos merita exprobravit. Ibi tamen cum ſilentio eſt audita. Cum ad ſecundam aciem perveniſſet, concors ab omnibus clamor ſublatus eſt, ut meretricem, ut parricidam, cremarent. Erat in militari quodam vexillo depictus Henricus Rex, mortuus, & juxta filius infans, vindictam parricidii a Deo expoſcens. Id ſignum duo milites inter duas haſtas diſtentum, quoquo ſe verteret, ob oculos ei objiciebant. Ad hunc conſpectum animo linquente, ægre, ne ex equo caderet, ſuſtentata fuit. Sed refecta, nihil de priſtina animi ferocia remiſit; minas, maledicta, lacrymas, & cætera, quæ muliebris amat dolor, profundebat. Cum, toto itinere, quas poterat moras innecteret, exſpectans, ſi quid alicunde auxilii appareret, e turba quidam exclamavit; „Nil eſſe, quod Hamiltonios „exſpectaret: neminem enim armatum intra multa milliaria eſſe. Tandem, ſub noctem, populo univerſo ſpectaculum effuſo, Edimburgum intrat, facie ita pulvere & lacrymis oppleta, ut luto conſperſa videretur. Cum ſummo ſilentio magnam urbis partem tranſiit, tam anguſta per multitudinem via relicta, ut vix ſinguli progrederentur. Cum in diverſorium aſcenderet, mulier una e turba ei bene precata eſt. Illa, ad populum converſa, ſubjecit, præter alias minas; „Se urbem incenſuram, ac ſanguine perfidorum civium „incendium reſtincturam. Cum vero, lacrymabunda, per feneſtram in publicum proſpiceret, & concurſus populi eo fieret, nec deeſſent, qui hanc ſubitam

1 *Bothuelius ſibi conſulere juſſus*) A Regina *ſcil.* At Reginæ Legati, in reſponſo quod ad Moravii ejuſque aſſeclarum criminationes, in congreſſu Eboracenſi 16 Octob. 1568, exhibuerunt, Grangianum teſtantur Bothuelium manu prehenſa ſibi conſulere juſſiſſe, pollicitumque neminem e ſuis eum ſecuturum; unde nec injuria colligunt, eos, qui ſe libertatis publicæ aſſertores venditabant, non tam Bothuelii plectendi, quam Reginæ exauctorandæ gratia arma ſumſiſſe. Cujus rei hoc inſuper documentum adferunt, quod quamvis in ea vicinia aliquot dies moram traxerit Bothuelius, a nullo tamen nec tum nec diu poſtea eſſet quæſitus, donec eum extra periculum poſitum probe intellexiſſent: ne forte deprehenſus, atque ad ſupplicium ductus, veros Regiæ cædis auctores ac machinatores proderet.

2 *Pacta cum Kircadio*] Vide Melvillium & prædictum legatorum reſponſum, qui Kircadium affirmant ſuo ſuorumque nomine promiſiſſe, ſi Regina Bothuelium repudiare vellet, ſe eam omni honore ac obſequio proſecuturos: id vero qua fide præſtiterint, ea quæ mox ſecuta ſunt, oſtendunt.

1 *Im-*

bitam fortunæ mutationem commiſerarentur, vexillo, quod diximus, ob oculos expoſito, ſtatim occluſa feneſtra, ſe intro proripuit. Ibi cum biduum fuiſſet, ex procerum decreto, in arcem, quæ eſt in lacu Levino, in cuſtodiam mittitur: nam Edimburgenſem adhuc tenebat Balfurius, qui, etſi vindicibus libertatis favebat, tamen de arce tradenda nondum tranſegerat.

L. Inter hæc, Epiſcopus Dumblanenſis, qui in Galliam Legatus, ad matrimonium Reginæ excuſandum, erat miſſus, omnium, quæ, poſt ſuum e Scotia diſceſſum, ibi acta erant, ignarus, per eos ipſos dies, quibus hæc poſtrema contigerunt, in aulam appulit, ac diem ad exponenda mandata impetravit. Eodem forte die, mane, binæ allatæ erant ad Regem & matrem ejus literæ: alteræ a Croco Legato ejus, Gallo; alteræ a Niniano Cocburno, Scoto, qui, præfectus equitum, aliquot annos in Gallia meruerat. Utræque rerum in Scotia nuper geſtarum expoſitionem continebant. Igitur Legatus Scotus, intromiſſus ad Reges, longam & accuratam orationem erat exorſus, qua partim Reginæ factum, in contrahendo inconſultis amicis matrimonio, excuſabat, partim Bothuelium [1] immodicis laudibus, ſupra veri fidem, onerabat. Regina Galla, vanitate hominis interpellata, cum literas e Scotia allatas protuliſſet, ac, ex eis, Reginam Scotorum captam, Bothuelium fugatum, oſtendiſſet; ille, [2] inexſpectato ſubito ictus malo, conticuit. Qui aderant, partim inopinato eventu ringi, partim ridere: nec quiſquam omnium, ea immerenti accidiſſe, credere.

LI. [3] Eiſdem forte diebus, Bothuelius ex intimis miniſtris unum in arcem Edimburgenſem miſit, qui arculam argenteam, literis undique inſcriptam, quæ indicarent, eam aliquando Franciſci Regis Francorum fuiſſe, ad ſe deferret. [4] In ea inerant literæ, Reginæ ipſius manu pene omnes ſcriptæ, in quibus & cædes Regis, & cætera fere omnia, quæ conſecuta ſunt, dilucide continebantur, ac pene in ſingulis ſcriptum erat, ut lectæ ſtatim cremarentur.

1 *Immodicis laudibus ſupra veri fidem onerabat*] Quidam pro *onerabat*, *ornabat* ſcriptum velint. At alterum illud hic argutius, & Livii exemplo lib. 4. ſubnixum, *Deinde quum undique plus in illo ſenili animo non conſilii modo ſed etiam virtutis eſſe, quam in omnibus aliis dicerent: laudibuſque haud immeritis onerarent.*

2 *Inexſpectato ſubito ictus malo*] Aut vox [*inexſpectato*] aut [*ſubito*] ſuperfluum videtur.

3 *Eiſdem forte diebus*] Exſtat in Actis publicis Moravii ſyngrapha 16 Septemb. 1568, qua ſe eam arculam a Mortonio accepiſſe teſtatur, quam & eidem aliiſque cædis Regiæ vindicibus ſe reſtituturum promittit.

4 *In ea inerant literæ*] Eas literas fictas arguit Morganus Philippus Defenſ. Mariæ, pag. 12. tum ob alias multas rationes, tum has potiſſimum, quod neque a quo ſcriptæ, neque ad quem, aut quo tabellario miſſæ, indicent, nec denique ullam præferant temporis locive ſignificationem. Porro (inquit) Dalgleſius, Bothuelii miniſter, qui eas a Balfurio accepiſſe ferebatur, cum cædis Regiæ convictus ſuſpendio pœnas lueret, ipſa in morte Deum ſanctiſſime teſtatus eſt, ſe nullas ejuſmodi literas ad Bothuelium deportaſſe. Poſtremo putidiſſimas haſce literas & cantilenas ab aliis ejuſdem generis Reginæ ſcriptis prorſus abhorrere, inter alios Brantomius & Ronſardus teſtantur, qui haud pauca ejus carmina vivido & eleganti ingenio fuſa, ſibi narrant conſpecta.

tur. Verum Bothuelius, qui Reginæ inconſtantiam noſſet, ut cujus, intra paucos annos, plurima viderat exempla, literas conſervarat, ut, ſi quid diſſidii cum ea incidiſſet, illo teſtimonio uteretur, nec ſe Regiæ cædis auctorem, ſed comitem fuiſſe, oſtenderet. Hanc arculam Bothuelii miniſtro Balfurius ferendam dedit: ſed prius principibus adverſæ partis admonitis, quid, per quem, & quo mitteretur. Ea deprehenſa, multas magnaſque res, etſi magnis ſuſpicionibus jactatas, tamen nondum ſatis detectas, in lucem protulit, univerſumque crimen pene oculis ſubjecit.

LII. Bothuelius, rebus ubique male cedentibus, omni auxilio ac ſpe recuperandi regni deſtitutus, primum ad Orcadas, deinde ad Hethlandicas inſulas profugit, ibique, rerum omnium inopia circumventus, piraticam facere cœpit. Regina vero, multis orantibus, ut cauſſam ſuam a Bothuelio ſepararet, (ſupplicio enim de eo ſumto, fore, ut omnium civium ſumma voluntate, ipſa facile reſtitueretur) mulier ferox, & priſtinæ fortunæ ſpiritus gerens, & malis præſentibus efferata, reſpondit; „Se libentius cum illo, in extremis fortunæ adverſantis anguſtiis, quam, ſine eo, in Regiis deliciis vitam acturam.

LIII. Inter proceres autem varii animorum motus fuerunt. Nam parricidii ultores ſperabant, ad tam præclari facinoris rumorem, ſi non omnium, certe melioris partis aſſenſum ſecuturum. Longe autem ſecus evenit. Popularis enim invidia partim ſpatio temporis erat lenita, partim, reputatione inconſtantiæ rerum humanarum, in miſericordiam verterat. Neque deerant e Nobilitate, qui non minus Reginæ calamitatem tum deplorabant, quam ſuperioribus diebus ejus crudelitatem exſecrabantur: utrumque magis animi inconſtantia, quam ullo in alterutram partem affectu: ut ſatis appareret, eos non tranquillitatem publicam, ſed in rebus perturbatis ſpem privati emolumenti, ſequi. Plures, otii cupidi, partium vires expendebant, & ad potentiorum opes inclinaturi videbantur. Validiſſima credebatur eorum factio, qui vel in cædem conſenſerant, vel, re perpetrata, in Reginæ gratiam, aliorum ſceleri ſubſcripſerant. Eorum principes, [1] cum ad Hamiltonium conveniſſent, freti conjurationis opibus, neque literas, neque nuncios, de communi concordia ſtabilienda, ab adverſa factione recipere volebant: nec ullis verborum contumeliis adverſus eos abſtinebant: eoque erant ferociores, quod magna pars procerum, quæ fortunæ momenta magis, quam æquitatem cauſſæ, ſpectabant, ad liberatores ſe non aggregabant: quicunque enim ſe non ad illos adjungebant, pro ſuis ducebant. Arrogantiæ etiam illud tribuebant, quod parricidii ultores in urbem regni principem priores acceſſerant: quod ſe, qui & plures & potentiores erant, illuc arceſſerent. Id autem diverſa factio quanquam non imperioſe juſſiſſent, ſed demiſſe rogaſſent, tamen, ne quid uſquam

1 *Cum ad Hamiltonium conveniſſent*] Longe diverſo more rem narrat Melvillius pag. 86. qui quamvis ad Hamiltonios a factione Reginæ adverſa legatus miſſus, atque ab iis benigne auditus fuerit, eos tamen a proceribus hac in re male habitos teſtatur.

1 *Illo*

quam eſſet, quod ullam arrogantiæ ſpeciem præferret, impetrant a Miniſtris Eccleſiarum, ut communiter ad omnes, ſinguli etiam ad ſingulos ſcriberent, ne, in tempore tam periculoſo concordiæ communi deeſſent, & privatis ſimultatibus poſthabitis, proſpicerent, quid ad omnium ſalutem potiſſimum expediret. Neque hæ magis, quam procerum antea, literæ apud adverſam factionem profecerunt, omnibus eadem excuſantibus, ut res ex compoſito acta inter eos videretur. Variis deinde locis cum Reginæ factio coiſſet, neque ullum conſiliorum ſuorum exitum invenirent, alii alio dilabuntur.

LIV. Inter hæc, vindices parricidii publici cum Regina (quam a cædis auctoribus ſeparare non poterant) agere, ut regnum ejeraret, & vel infirmæ valetudinis excuſatione, vel alio quovis honeſto prætextu, curam & filii & rerum adminiſtrandarum, cui vellet ipſa, procerum committeret. [1] Illa gravate [2] tandem rectores puero nominat, Jacobum Moraviæ Comitem, ſiquidem is, domum reverſus, onus non recuſaret, Jacobum Caſtellerotii ducem, Matthæum Leviniæ, Gileſpicum Argatheliæ, Joannem Atholiæ, Jacobum Mortonii, Alexandrum Glencarniæ, Joannem Marriæ, Comites. Miſſi item procuratores, qui curarent, ut Sterlini, aut alibi, ſiquidem eis commodius videretur, Rex, in ſella Regia collocatus, regnum iniret. Hæc ad octavum Calendas Auguſti, anno a Chriſto nato, M. D. LXVII. acta. M. D. LXVII.

LV. Paullo ante eum diem, Jacobus Moraviæ Comes, dum, cognito rerum domeſticarum ſtatu, per Galliam revertitur, in aula ſatis liberaliter accipitur: ſed ita tamen, ut ab Hamiltonio (cujus factionem Galli & firmiorem & ſibi conjunctiorem perſuaſerant) gratia longe vinceretur; idque maxime Guſiorum opera, qui omnibus Moravii conatibus adverſabantur. Eo itaque dimiſſo, Archiepiſcopus Glaſcuenſis, qui Legatum ſe Reginæ Scotorum vocabat, aulæ perſuaſerat, Jacobum, etiam abſentem, tamen adverſæ factionis eſſe principem, &, ſuperioribus temporibus, omnia ex ejus ſententia fuiſſe geſta, & nunc velut ducem a ſociis arceſſiri. Ad hæc perſuaſis, mittuntur, qui eum retraherent: ſed ille, ab amicis præmonitus, ſolverat, antequam Diepam (nam in eo portu erat) Regum literæ perlatæ eſſent: ac, in Anglia per omnium ordinum homines honorifice habitus, domum dimittitur. Ibi, magno populi, ſed maximo vindicum gaudio, receptus, omnibus vehementer inſtantibus; „Ut Rege, ſororis filio, adhuc infante, rerum gu„bernacula ſuſciperet. Eum enim unum eſſe, qui, vel ob propinquitatem, „vel ob multis in periclis virtutem cognitam, vel gratiam multis meritis col„lectam,

1 *Illa gravate tandem*] Imo gravatiſſime: Lindeſiæ enim Regulus aliique, metu mortis injecto, ceſſionem regni ab ipſa extorſerunt. Vide Leſlæum, Camdenum, Melvillium & Spotiſvodium.

2 *Tandem rectores puero nominat*] Paullo obſcurius hæc traduntur; quaſi cæteris proceribus hic una cum Moravio nominatis æqualis poteſtas fuiſſet demandata, cum tamen ex iis quæ infra ſequuntur, & ex ipſis Actis publicis appareat, Jacobum Moraviæ Comitem Regentem conſtitutum; ac ſi is onus recuſaret, tum proceres hic recenſitos una cum Moravio Regi puero Rectores nominatos.

„lectam, Regina etiam poſcente, minima cum invidia, eum honorem gere„re poſſet. „Ille, etſi quæ dicerentur vera eſſe intelligeret, paucos tamen ad conſultandum dies impetravit. Interea, ad alterius factionis principes diligenter ſcribit, & præcipue ad Argathelium, genere propinquum, & quem, ob priſtinam conſuetudinem, minime vellet offendere. Ei oſtendit; „Quo in„loco res eſſet, quid pupilli factio ab ſe contendat: orat, per ſanguinis com„munionem, per amicitiam, & communis patriæ ſalutem, ut ſibi convenien„di ejus fiat copia, ut ex his anguſtiis, ejus ope, & ipſe & communis patria „expediatur. Ad cæteros etiam, pro cujuſque loco & neceſſitudine. Ab omnibus autem communiter petit; „Ut, quoniam rebus ita turbatis, ut diu „ſtare, ſine ſummo magiſtratu, nequeant, quamprimum in locum, qui com„modiſſimus eis videretur, convenirent; ac rerum ſummæ, ex univerſorum „ſententia, proſpiciant. Tandem, cum nec ab una factione colloquium, nec ab altera diuturniorem comitiorum moram, impetraret, ſumma omnium qui aderant voluntate Prorex eligitur.

CVIII. REX.

LVI. Quarto Calendas Auguſti, poſt luculentam concionem habitam ab Joanne Knoxio, regnum iniit JACOBUS, ejus nominis Sextus. Jurarunt, pro eo, in leges, Jacobus Mortonii Comes, & Alexander Humius, [1] eum doctrinam & ritus religionis, qui tum publice docebantur, quoad poſſet, ſervaturum, & contrarios oppugnaturum polliciti. Paucis poſt diebus, qui ad Hamiltonium convenerant, fremere, paucos, nec eos potentiſſimos, ſine ſuo (quod nunquam exſpectaverant) aſſenſu, omnium rerum arbitrium ad ſe revocare. Cum circuiſſent Nobilitatem reliquam, raros, præter eos, qui primi convenerant, in ſuam ſententiam pertraxerunt: plerique enim ſpectatores potius, quam actores rerum, quæ gerebantur, haberi volebant: tandem ad Regios ſcribunt, Argathelium, in colloquium cum Comite Moraviæ venire paratum. Hæ literæ, quia ad Moravium Comitem, ſine ulla majoris honoris præfatione, ſcriptæ erant, de concilii ſententia, ſunt rejectæ: nuncius prope ſine reſponſo eſt dimiſſus. Verum Argathelius, gnarus, quid in literis offendiſſet, ac Proregis fidei ſatis confiſus, cum aliquot ſuæ factionis principibus, Edimburgum venit: ac, tum ſatisfactione accepta, nullo eorum, qui aberant, contemto, ſed, neceſſitate ita poſcente, feſtinatum, in ſummo magiſtratu creando, paucos poſt dies, ad publicum Ordinum conventum venit.

1 *Eum doctrinam & ritus religionis*] Ita editio Pet. Elzev. anni 1668, & Moſmanni 1700: reliqui fere omnes [*eam.*]

LIBER

LIBER DECIMUS NONUS.

I. REGE creato, ac Proregis poteſtate prope conſtabilita, a vi quidem & armis quies erat: ſed pax infida, &, animis adhuc tumeſcentibus, non occulta indignatio, malum aliquod inopinatum parturire videbatur. In hoc tam incerto rerum ſtatu, omnes oculos pariter & animos in conventum publicum intendebant. Ejus habendi dies erat viceſimus quintus Auguſti menſis. Is tanta frequentia eſt celebratus, quanta nullum ad eum diem homines meminerant. Ibi Proregis auctoritas decreto publico eſt confirmata. De Regina ſententiis eſt variatum. Nam cum multis indiciis ac teſtibus, potiſſimum vero ipſius ad Bothuelium literis, tota crudeliſſimi facinoris ratio manifeſte teneretur, quidam atrocitate rei permoti, alii in conſcientiam ſceleris a Regina aſſumti, ut communis criminis teſtem tollerent, pœnas ſecundum leges expetendas cenſebant: major pars in cuſtodia habendam decrevit.

II. Secundum conventum tranſacta hiems judiciis conſtituendis, & ſontium pœnis exigendis: Legati Gallorum & Anglorum auditi: neutris permiſſum, ut Reginam, cuſtodiæ publicæ commiſſam, convenirent. Unus tum in armis erat Bothuelius. Miſſa claſſis, quæ eum, apud Orcadas & ulteriores inſulas piraticam exercentem, comprehenderet. In tanta egeſtate publica, ut ad eam ornandam pecunia deeſſet, accepta mutuo eſt, ab Jacobo Duglaſſio Mortonio, qui tum impendio privato publicæ neceſſitatis onus ſuſtinuit. Bothuelius, & ſævitia maris, tum maxime tempeſtatibus hibernis excitata, & ærarii publici (quod ipſe exhauſerat) inopia fretus, prope ſecurus agebat. Verum repentino adventu Gulielmi Kircadii Grangiani, qui claſſi præfectus erat, prope circumventus fuit: pars ſociorum capta: ipſe, per averſam inſulæ partem, qua majuſculæ naves ſequi non poterant, inter brevia & vadoſa, cum paucis evaſit, ac brevi poſt ad Cimbros delatus eſt. Ibi, cum non ſatis expediret, aut unde veniret, aut quam regionem peteret, in cuſtodiam, ac paullo poſt, a mercatoribus agnitus, in arctiſſima vincula eſt conjectus: ac, fere poſt decennium, ad ſordes aliaſque miſerias accedente amentia, vita turpiter acta dignum habuit exitum.

III. Primo ſtatim vere, ut res, ſuperiorum annorum tumultibus conquaſſatas, reficeret & ſtabiliret, Prorex ſtatuit conventibus juridicis habendis univerſum regnum obire. Ea res, pro cujuſque ingenio & conditione, varie animos affecit. Nam adverſæ factionis homines [1] vulgo paſſim Proregis ſeveritatem, vel

1 *Vulgo paſſim*] Quidam forte vocem [*vulgo*] hic ſuperfluam exiſtimabunt: mihi vero contra tertio caſu poſita, atque ab adjectivo [*formidoloſam*] pendere videtur: quaſi, mutato paullum verborum ordine, ſententia ſic conſtitueretur, *Nam adverſæ factionis homines paſſim Proregis ſeveritatem* ——— *non eis modo, quip.*

vel (ut ipſi dicebant) crudelitatem, non eis modo, qui, propter ſcelerum magnitudinem, leges & æquum jus ferre non poſſent, poſt tantam proxime ſuperioris temporis licentiam, formidoloſam prædicabant. Regina autem liberata, aliis præmiorum, aliis impunitatis ſpes ante oculos erat. Quibus rebus adducti plerique, ex eis etiam, qui præcipue ejus capiendi auctores fuerant, in diverſam factionem ſunt protracti. Mætellanus, quantum Reginæ rebus favebat, tantum Bothuelium, hominem ſceleratum & perfidioſum, & in cædem ſuam imminentem, oderat: & quia, Regina incolumi, illum ſubverti poſſe deſperabat, in comitiis publicis [1] facile paſſurus videbatur, ut, ſecundum leges & inſtituta majorum, pœnæ de ea expeterentur. In eadem cauſſa erat Jacobus Balfurius, Bothuelium ſibi implacabilem ratus: & [2] uterque non alienus a conſilio Regis trucidandi putabatur. Sed Bothuelio capto, & apud Cimbros in vincula conjecto, ad Reginam liberandam animum adjecerunt, non modo, quod facilius apud eam criminis communis impunitatem ſperabant, ſed quod, quæ maritum ſuſtuliſſet, non mitiorem in filium, cujus adhuc ipſa infantia, & Regii nominis umbra, eam regno exuiſſet, fore putabant: & ad ſuam etiam ſecuritatem facere arbitrabantur, ne filius, vindex paternæ cædis, ad regnum perveniret. [3] Conjecturæ etiam non obſcuræ accedebant, quæ animum Reginæ a tali facinore non abhorrere indicabant. Sæpe ex ea auditum eſt; „Eum „puerum non eſſe vitalem: ſe enim accepiſſe Lutetiæ ex perito Mathematico, affirmabat, primum ſuum fœtum non ultra annum victurum: „& ipſa, in eandem (ut creditur) ſpem, venerat aliquando Sterlinum, ut infantem Edimburgum ſecum deduceret. Quibus ſuſpicionibus factum eſt, ut Joannes Areskinus, arcis præfectus, puerum ſibi eripi non ſit paſſus; & Nobilitatis bona pars, Sterlini coacta, conjuraret de pueri ſalute tuenda. Hamiltonii quoque ad

ſ. m. l. e. æ. j. ſ. n. p. ſed vulgo etiam, poſt tantam p. ſ. t. l. formidoloſam prædicabant. [Crederem hoc & aliis locis Buchananum incertum, qua voce uteretur, duas ſæpe poſuiſſe, ut eligeret alteram, ſed neglexiſſe unam delere, ita ut utraque fuerit typis expreſſa. quare ego *vulgo* delerem]

1 *Facile paſſurus videbatur*] De Ledintonio plane contrarium teſtantur Melvillius pag. 87. & Nic. Throgmortonius legatus Anglus ſuis ad Elizabetham R. literis.

2 *Uterque non alienus*] De Ledintonio quidem res ambigua videtur: at Melvillius pag. 81. Balfurium teſtatur alieno a cæde Regia animo, atque propterea Bothuelio ſuſpectum primum, ac deinde inviſum fuiſſe.

3 *Conjecturæ etiam non obſcuræ*] Credulitatem ſuam dicam, an malignitatem hic prodit Buchananus, qui ex atrociſſimorum inimicorum conviciis crimen tam immane, tamque a natura abhorrens Reginæ affingere conatur. At quibus quæſo indiciis horrendi flagitii fidem adſtruit. Quia ſcil. Regina ex perito Mathematico ſe accepiſſe affirmabat, primum ſuum fœtum non ultra annum victurum; ideo, ne Mathematici verba irrita caderent, mater lactentem filium unicum, tantæ ſpei hæredem, aut ipſa trucidaret, aut alii trucidandum tradere debebat. Quod vero Regina filium Sterlino deducere, atque ſecum Edimburgi habere voluerit, omnes, præter Buchananum, alioſque eodem livore percitos, materno amori imputabunt.

1 Quod

ad Reginam liberandam totis viribus incumbebant, [1] quod puero per eam ſublato, uno gradu propius ad regni ſpem ipſi admoverentur: nec magni deinde laboris ac periculi fore, [2] eam quoque tollere; quippe cunctis tot criminibus inviſam, & poſt interpellatam tyrannidem, crudelitati naturæ magis obſecuturam. Argathelius & Huntilæus, quod alter matrem, alter uxorem e gente Hamiltonia haberet, eorum ſpem fovebant, & ſucceſſibus favebant. Sed & illos ſuæ & propiores cauſſæ impellebant, quod neuter ſcelerum Reginæ inſcius putabatur. Gulielmus Moravius Tilibardinus, ob diverſam in religionis controverſiis ſententiam, alienus, & privata etiam de cauſſa Proregi iratus, etſi antea, in Regina capienda, egregiam operam navaſſet, tum non ipſe modo a Regis partibus diſceſſit, ſed magnam amicorum manum, ſpe non exigua emolumentorum objecta, ſecum traxit. Hi quidem fuerunt principes Reginæ liberandæ. Sed & alii permulti, quos vel domeſticæ neceſſitates, vel inimicitiæ privatæ, vel doloris ulciſcendi, vel honoratioris loci, ſpes, eodem [3] impulerat, vel propinquitatibus, aliiſque neceſſitudinibus, iis, quos nominavi, illigati, in eadem cauſſa fuerunt.

IV. In hoc rerum tam turbido ſtatu, Prorex, adverſus amicorum preces & inimicorum minas juxta firmus, cum etiam, libellis propoſitis, nec odiorum cauſſas, nec vindictæ cupiditatem, diſſimularent, &, qui divinandi ſcientiam ſibi arrogarent, ut qui non ignari conjurationum adverſus eum initarum eſſent, diem præfinirent, intra quem moriturus eſſet: tamen in propoſito perſtabat: ac ſæpe dictitabat; „Se ſatis ſcire, vitam ſibi aliquando finien„dam: honeſtius autem ſe non poſſe eam deponere, quam in tranquillitate „publica procuranda.„ Igitur conventu primum Glaſcuam indicto, eo venire juſſis Levinianis, Renfroanis & Glottianis, dum ibi juri dicundo & flagitiis puniendis vacat, conſilia, de Regina liberanda, jam diu agitata, tandem ad exitum pervenere. Ejus facinoris ratio hæc fuit.

V. Erat in arce, quæ eſt in lacu Levino, ubi Regina cuſtodiebatur, Proregis mater, treſque ex alio patre fratres, aliaque mulierum turba: neque quiſquam ad eam viſendam admittebatur, præter notos, aut a Prorege miſſos. Ex hac turba domeſtica, Reginæ viſus eſt maxime idoneus Proregis frater natu minimus, Georgius Duglaſſius, adoleſcens non inamœno ingenio, & qui, per ætatem, blanditiis muliebribus facile capi poſſet. Is ſæpenumero, per ſpeciem luſuum, quibus otium ſe aulicum oblectare ſolet, cum familiariter cum ea aſſueſceret, e vulgato arcis miniſterio, alios muneribus, alios pollicitando, devinciendos ſuſcepit. Neque illa, cui ſe ſemel permiſerat, & a quo libertatem ſperabat, ei quicquam negare in animum induxerat. Georgius igi-

1 *Quod puero per eam ſublato*] Regina igitur cum Hamiltoniis de filio ſuo tollendo conſilia communicabat? Credant illi quibus demum perſuaſum eſt,

Nil intra eſſe oleam, nil extra eſſe in nuce duri.

2 *Eam quoque tollere*] Odio ſuo, non veritati hic litat Buchananus: tam barbari enim conſilii ullum unquam e gente Hamiltonia affinem fuiſſe ſolus Buchananus pronunciaverit.

3 *Impulerat*] Ita princeps Editio Edimb. quod recentiores libri in [*impulerant*,] nulla neceſſitate cogente, mutarunt.

1 *Quoad*

igitur, incolumitatem ſuorum pactus, & ſpe divitiarum & potentiæ in poſterum captus, nec matre (ut creditur) inſcia, nihil omittit, quod ad cœpta peragenda facere videretur. Id etſi nonnulli ſenſerant geri, & ad Proregem detulerant, ille adeo ſuorum fidei credebat, ut nihil e priſtina cuſtodia mutaret, niſi quod Georgium ex inſula emigrare juſſerit. Is cum in pagum proximum, ad oram lacus, ſe contuliſſet, per miniſtros arcis, pecunia corruptos, prope liberius quam antea, conſilia cum Regina de rebus omnibus communicabat. Itaque non ſolum Scoti, quibus præſens rerum ſtatus non ſatis placebat, in conſcientiam adſciti, ſed Galli quoque, per Jacobum Hamiltonium, qui, ante annos non adeo multos, Prorex fuerat, & Jacobum Betonium Glaſcuæ Archiepiſcopum, ſollicitati fuerunt, Scotis operam, Gallis pecuniam pollicentibus.

VI. Circa finem Aprilis, Legatus e Gallia venit, ac nomine ſui Regis poſtulavit; „Ut ſibi Reginam convenire liceret: ac, ſi id negaretur, præ ſe „ferebat, ſe confeſtim diſceſſurum. Prorex, id ſuæ poteſtatis negare; „Neque Reginam a ſe in cuſtodiam traditam, neque quicquam, inconſultis, „qui primi eam cuſtodiendam commiſiſſent, & qui poſterius factum illorum „ſuo decreto confirmaſſent, ſe ſtatuere poſſe. [1] Quoad autem poſſet, ſe & „ſorori & amico Regi gratificaturum, & viceſimo die proximi menſis conventum ei Nobilitatis daturum. Cum Legatus eo reſponſo videretur placatior, & Prorex juri dicundo intentus eſſet, Regina, corrupto naviculatore, reliquiſque comitibus confictа cauſſa ablegatis, e lacu educitur. Id cum prandentibus in arce renunciatum eſſet, fruſtra tumultuatum eſt: ſcaphis enim omnibus in ſiccum extractis, ita foramina, in quæ ſcalmi immittuntur, omnibus fuerunt obturata, ut ſequendi repente facultas tolleretur. Regina ab equitibus, ad ripam exſpectantibus, excipitur, & per domos conſciorum deducta, magno comitatu poſtridie, qui erat ad V. Non. Maji, ad Hamiltonium venit, qui pagus octo millia paſſuum diſtat a Glaſcua.

VII. Re paſſim divulgata, multi, qui vel partibus Regiis, jam antea non admodum firmis, diffidebant, vel quibus apud Reginam novæ gratiæ ſpes erat, vel quibus in veterum officiorum memoria fiducia erat collocata, in hoc tumultu, partim animos palam renudarunt, partim, anteactorum venia clam impetrata, aleam fortunæ exſpectantes, apud Proregem hæſerunt. Et cum aliorum defectio minus admirationis habuiſſet, Roberti Bodii diſceſſus, qui ad eum diem ſummam conſtantiæ opinionem comparaſſet, magnam tum ſermonibus variis occaſionem præbuit. Is, in claræ familiæ (de qua dictum eſt a nobis in vita Jacobi Tertii) ruinis, ſub patre, viro forti & antiquæ parſimoniæ æmulo, parce & tenuiter educatus, eundem, quem cæteri propinqui, vitæ curſum eſt ſecutus, ut videlicet, ad firmiores opes ſe applicans, ſibi viam ſterneret ad antiquas familiæ, nuper florentiſſimæ, vires inſtaurandas. Igitur & pater, & ipſe, ad Hamiltonios, rerum potentes, ſe primum applicuerunt.

1 *Quoad autem poſſet*] Omnibus libris, præter primum Edimb. & Moſmannianum, perperam [*Quod*] ſcribitur.

runt. Summo autem ab illis magiſtratu ad Reginam viduam tranſlato, cum de religionis controverſiis tumultus eſſet exortus, ſe cum doctrinæ purioris aſſertoribus, a qua pater ejus fuerat alieniſſimus, conjunxit; quæ tum factio putabatur validiſſima: atque in ea permanſit, uſque ad Reginæ reditum e Gallia: opinionemque magnam, de ſua conſtantia, fortitudine, & prudentia, excitavit: qua impulſus Gileſpicus Argatheliæ Comes, ab ejus prope unius conſilio pendebat. Verum cum forte Sterlini aliquot e principibus procerum conjuraſſent, in nullum quidem facinus, ſed de incolumitate Regis tuenda, ipſe quidem fœderi ſubſcripſit: ſed, eadem levitate, & ille, &, qui ejus conſiliis tum regebatur, Argathelius, quid in eo conventu actum fuiſſet, ad Reginam reſcripſerunt: atque, ab eo tempore, Reginæ Bodius, adverſus veteres amicos, [1] omnium conſiliorum fuit particeps: nec majorem illic conſtantiæ, quam apud cæteros levitatis & inconſtantiæ, opinionem peperit. Regina autem in cuſtodiam incluſa, ad Moravium, Proregem electum, ſe Bodius contulit: eique ingenium & induſtriam ita probavit, ut ad intima conſilia adhiberetur. Aliis autem aliter de eo ſentientibus, tamen, in quæſtione rerum capitalium Glaſcuæ, apud Proregem in ferventiſſima erat gratia. Verum, cum rem ad certamen ſpectare videret, clam ad Reginam eſt profectus: inde autem cum literis filium ad Comitem Mortonium miſit, excuſans diſceſſum, atque affirmans; „Se fortaſſe non minus partibus Regiis profuturum, quam „ſi apud eos manſiſſet. Ejus igitur defectio, propter multorum conceptam de moribus ejus opinionem, tum præcipue ſermonibus hominum dabat materiam.

VIII. Interea, in concilio apud Proregem acriter diſputatum, illicne manerent, an, ubi Rex erat, Sterlinum tranſirent. Multi vehementer illinc diſcedere ſuadebant. Commemorabatur, „Hamiltonium, pagus frequens in „propinquo, & totius ampliſſimæ familiæ clientelæ undique circumfuſæ: & „advenerant cum Regina circiter quingenti equites, & e remotioribus etiam „locis multi adventare dicebantur; cum Prorege ſoli prope familiares, cæte„ris partim ad Reginam transfugis, partim ad ſua cujuſque negotia, ut in re„bus maxime tranquillis, ſenſim dilapſis. Et, quanquam Glaſcuenſes ſatis „fidi videbantur, ut ab Hamiltoniis, rerum potientibus, multis & magnis „incommodis affecti, tamen oppidum ipſum vaſtum, nec pro magnitudine „frequens, & undique pervium erat. Contra, alii diſſerebant; „Omnia fe„re e primis initiis pendere: diſceſſum fore infamem, & fugæ proximum: „ſuſpicionem omnem metus tum maxime vitandam, ne & hoſtium animos „augerent, & ſuorum imminuerent. Eſſe in propinquo potentes familias Cu„nigamiorum & Sempliorum: eſſe ab altera parte Leviniam, Regis peculia„re patrimonium: inde proximos intra paucas horas, reliquos poſtridie, aut „certe tertio die, affuturos: interea, dum longinquiora auxilia convenirent, „in

1 *Omnium conſiliorum fuit particeps*] Omnes libri præter Moſin. [*conſiliorum ejus fuit particeps*] exhibent: quod quanquam utcunque tolerari poſſit, ſententia tamen venuſtior ac Buchanano dignior, extrita voce [*ejus*,] incedere videtur.

„, in his ſatis præſidii, adjunctis præſertim oppidanis, fore.

IX. Hæc ſententia in concilio vicit. Legatus Gallus ultro citroque commeabat magis ſpeculator, quam, id quod ſimulabat, pacificator. Nam, cum initio copias Glaſcuæ exiguas, circa Hamiltonium multitudinis magnæ ſpeciem vidiſſet, Reginam ſtrenue ad fortunam certaminis ſubeundam animabat. Jam Prorex, collectis e locis propioribus amicis, longinquiores e Marcia & Lothiana exſpectabat. Hi cum adveniſſent, circiter ſexcenti lectiſſimorum virorum, uno eis ad quietem die dato, ſtatuerat ad Hamiltonium proficiſci, ac prælio, ſi poſſet, ſtatim decernere: moram enim ſuis noxiam, hoſtibus utilem arbitrabatur, ut quibus remotiſſimæ regni partes favebant. Interea, perendie illius diei, de tertia vigilia fit certior, hoſtes, e pluribus, ubi diverſabantur, locis, cogi. Numero enim confiſi, quod ſupra ſex millia & quingentos in armis habebant, ſciebantque apud Proregem vix plena quatuor millia eſſe; [1] decreverunt præter Glaſcuam ducere; ac, Regina in arce Britannoduni relicta, bellum ſuo arbitratu vel gerere vel ducere: aut, ſi Prorex (quod non ſperabant) ſe in itinere objeciſſet, ſtatim confligere: neque de certaminis eventu dubitabant.

X. Ille vero, ut qui ultro hoſtes provocare ad certamen ſtatuerat, cum primum ſuos educere potuit, ante oppidum, in campis patentibus, qua hoſtes venturos exiſtimabat, acie inſtructa, aliquot horas ſtetit. Sed cum agmen eorum ulteriore fluminis ripa agi videret, eorum conſilio ſtatim intellecto, & ipſe ſuos pedites per pontem, equites per vada, æſtu maris tum libera, tranſmiſſos, Langoſidum petere juſſit. Vicus is eſt, ad Cartham flumen, qua iter hoſtibus erat, ſitus, in radicibus collis ad occidentem hibernum ſpectantibus, ab oriente & ſeptentrionibus declivi aditu, cæteris partibus [2] leviter in planitiem decreſcentibus. Eo tanta feſtinatione properatum eſt, ut Regiæ copiæ prope collem occuparent, priuſquam ab hoſtibus, qui eundem locum petebant, eorum conſilium intelligi poſſet, quanquam breviore via eo properarent. Sed duæ res illis adverſæ, Regiis percommode acciderunt: altera quod Gileſpicus Cambellus Argatheliæ Comes, penes quem ſumma imperii erat, repentino dolore correptus, conciderat, ac ſuo caſu nonnihil agmen remoratus eſt: altera, quod eorum agmen, in modicas valles ſubinde demiſſum, nunquam totas Regias copias uno aſpectu viderant: quarum credita paucitas (ut etiam erat) fecit, ut juxta eas atque locorum iniquitatem contemnerent. Tandem Reginæ copiæ cum propius acceſſiſſent, & locum, quem petebant, ab

1 *Decreverunt præter Glaſcuam ducere*] Omnibus libris legitur [*decreverunt autem præter Glaſcuam ducere.*] Cum vero particula [*autem*] ſententiæ nexum turbaret, eam Crafordii monitu expungere viſum eſt: id quod concinnius exiſtimavimus, quam (quod Melvinus voluit) priorem ſententiæ partem uſque ad [*decreverunt*] Parentheſi includere.

2 *Leviter in planitiem decreſcentibus*] Hic & mox lin. 1. pag ſeq. [*leniter*] potius quam [*leviter*] legendum putem, quod hæ voces facile altera in alteram converti poſſint. Vide ſupra ad XVII. 59. Si quis tamen [*leviter*] hic pro *paullum* dictum, exemplo Cic. Nat. lib. 2. cap. 57. *Genæ ab inferiore parte* [oculos] *tutantur ſubjectæ, leviterque eminentes*, contendat, ſerram non reciprocabo.

1 *Illi*,

ab hoſte teneri viderent, ipſi, altero colle, ex adverſo ſe leviter attollente, occupato, ſuos in duas acies dividunt. In prima, quicquid erat roboris, locant: ea ſi adverſam hoſtium aciem impuliſſent, cæteros, eorum fuga conſternatos, ſine certamine abituros, putabant. Regii quoque duces ſuos in duas acies diviſerant. In dextera erant, Jacobus Duglaſſius Mortonius, Robertus Semplius, Alexander Humius, Patricius Lindeſius, cum ſuis quiſque clientibus: in ſiniſtra, Joannes Marriæ, Alexander Glencarniæ, Gulielmus Taichiæ, Comites, ac cives Glaſcuenſes: ſclopetarii vicum ſubjectum & hortulos, juxta viam publicam, tenebant.

XI. Cum utrinque acies in procinctu ſtarent, tormentarii Reginæ, a Regiis loco pulſi, ceſſerunt: contra equitatus Regius, dimidio inferior, loco ceſſit. [1]Illi, ſuo prælio defuncti, ut peditum quoque ordines turbarent, cum in collem aciem erigere tentarent, a ſagittariis Regiis, & parte equitum, qui ſe ad ſuos ex fuga collegerant, rejecti, retro abierunt. Interea, ſiniſtrum hoſtium cornu, per viam publicam, qua clivus erat in vallem demiſſior, progrediens, quanquam & ipſi a ſclopetariis vexarentur, tamen ex anguſtiis egreſſi, aciem explicuerunt. Ibi duæ phalanges, ſariſſarum denſo utrinque vallo præ ſe objecto, ad horæ inſtar dimidiæ ſpatium, neutra inclinante, obnixæ, tanta pertinacia certabant, ut, quibus haſtæ prælongæ fractæ erant, pugiunculos, lapides, lancearum fragmenta, denique quicquid erat ad manum, in ora hoſtium adverſa jacerent. Sed cum, ex ordinibus extremis Regiarum partium, quidam (incertum metu, an parum fido erga ſuos animo) fugerent, eorum fuga procul dubio pugnantes perturbaſſet, niſi denſitas ordinum ſenſum eorum, quæ apud poſtremos gerebantur, ad primos pervenire non permitteret: &, qui in ſecunda erant acie, animadverſo periculo, cum neminem contra ſe venire viderent, aliquot cohortes, integris ordinibus, paullatim in dextrum deflectentes, ſe cum prima conjunxerunt. Eorum impetum, qui ex adverſo erant, cum non ferrent, retro, velut ruina impulſi, fugam capeſſivere: nec, multorum animis ira & odio privatim incitatis, victi ſine inſigni clade diſceſſiſſent, ni Prorex, miſſis in omnes partes equitibus, cædere fugientes vetuiſſet. Secunda Regiorum acies, cum eo uſque ſtetiſſet, donec hoſtes profligatos paſſim ſine ordine fugere videret, tum demum & ipſa, ad perſequendum abeuntes converſa, ordines ſolvit.

XII. Regina, quæ ad mille ferme paſſus ſpectatrix pugnæ [[2]*ſubſtiterat*,] cum equitibus ſuæ partis, qui integri ex acie redierant, Angliam verſus iter intendit: cæteri, qua cuique ad ſuos reditus commodiſſimus erat. Ceciderunt in acie pauci, plures per agros, laſſitudine & vulneribus confecti, paſſim jacentes inventi: Numerus omnium cæſorum circiter trecenti, captivorum major. E Regiis copiis non adeo multi vulnerati: in iis, primi ordinis, Alexan-

1 *Illi, ſuo prælio defuncti*] Haud procline eſt dignoſcere quos pronomen [*illi*] hic reſpiciat: mihi quidem ad equitatum Reginæ, quamvis non diſerte expreſſum, referendum videtur.

2 *Subſtiterat*] Hanc vocem, abſque qua manca futura ſit ſententia, invitis licet omnibus libris, interjicere non dubitavimus.

xander Humius, & Andreas Stuartus: unus modo cæſus. Reliquus exercitus, præter equitum paucos, qui fugientes longius inſecuti erant, læti in oppidum ſe receperunt: ac, ubi gratias Deo egiſſent, qui, ſecundum fas & æquum, adverſus tanto majores fortium virorum copias, victoriam pene incruentam dediſſet, alii aliis gratulantes, ad prandendum diſceſſerunt. Pugnatum eſt decimo tertio die Maji, undecimo quam e cuſtodia Regina erat elapſa. Legatus Gallus, qui eventum pugnæ exſpectaverat, atque animo certam Reginæ ſpondebat victoriam, ea ſpe fraudatus, perſonam exuit: ac non convento Prorege, ad quem ſe miſſum ſimulaverat, acceptis equis ac ducibus, qua poterat proxime, ad Angliam contendit. In itinere ſpoliato a latronibus, Jacobus Duglaſſius, Drumlanrici comarchus, etſi eum cum inimicis ſtare ſciret, tamen nomini legationis hunc habuit honorem, ut ſua ei reddenda curaret. Prorex reliquum diei, quo pugnatum eſt, in recenſendis captivis conſumſit: alios liberos, alios datis vadibus dimiſit: principes retenti, & præcipue qui e familia erant Hamiltonia, & in cuſtodias diſtributi. Poſtridie, gnarus, quanto ea gens apud vicinos odio laboraret, reliqua turba ſequi vetita, quingentis tantum equitibus comitatus, in vallem Glottianam profectus, omnia plena fugæ veſtigiis & vaſtitatis invenit, magis reputantibus incolis, quid meruiſſent, quam in Proregis clementia, etſi ſatis ipſis perſpecta, ſpem collocantibus. Hamiltonium & Drefanum arces receptæ, omnium rerum vacuæ, niſi quod in Hamiltonio e Regia Jacobi Quinti ſupellectili nonnihil inventum. Idem terror Reginam, ſive quod nullum locum in illa Scotiæ regione ſatis tutum ſibi putaret, ſive quod Joannis Maxuallii Hereſiani fidei parum crederet, tranſire in Angliam coëgit.

XIII. Cæteris a Prorege domi, pro tempore, rebus compoſitis, [1] in menſem conventus omnium Ordinum Edimburgum eſt indictus. Ad eum impediendum, multa ab adverſa factione ſunt excogitata. Rumores paſſim ſparſi de auxiliorum Gallicorum adventu: nec tamen in totum vani. Nam cohortes aliquot ad mare deſcenderant, duce Martigio, homine impigro, e familia Lucemburgica, quamprimum in Scotiam trajecturæ: &, niſi bellum in Gallia civile repente fuiſſet exortum, tranſiſſent. Sed ea res non tam Proregi erat futura formidoloſa, quam inimici rebantur: quippe quæ [2] ab illis alienatura, & ipſi conjunctura arctiſſime vires Anglorum eſſet. Argathelius quoque, cum ſexcentis fere propinquis & clientibus, Glaſcuam venit. Ibi cum Hamiltoniis & aliis quibuſdam factionis principibus collocutus, de comitiis impediendis, cum nulla ratio certa ejus conſilii iniri poſſet, diverſi domum quiſque ſuam abierunt: & Huntilæus coactis circiter mille peditibus, ut diem comitiorum obſervaret, Perthum uſque proceſſit. Illic vadis Tai fluminis a Gulielmo Ruveno, & Nobilitate vicina, quæ in fide permanſerat, obſeſſis, nulla re ex ſen-

1 *In menſem ——— conventus*] Dav. Crafordius pag. 76. hunc conventum celebratum affirmat menſe *Julio*, Spotiſvodius vero *Junio* 1568.

2 *Ab illis alienatura, & ipſi conjunctura*] Libri omnes [*alienatura eſſet*] male, cum [*eſſet*] mox ſententiam claudat.

1 Vel

ſententia confecta, retro ceſſit. Et, eodem tempore, literæ Reginæ Anglorum ad Proregem, ab hoſtibus publicis impetratæ, de conventu differendo. Petebat enim: „Ne judicium de rebellibus præcipitaretur, donec ipſa certior „de tota cauſſa fieret. Se enim non poſſe honeſte, periculum Reginæ, & vi„cinæ, & ſanguine ſibi conjunctiſſimæ, negligere, quæ graviſſimam ſibi „quereretur injuriam a civibus factam. Id quanquam leve videbatur, tamen ſi rebelles impetraſſent, omnia ſibi integra fore ſperabant: [1] vel, quod ea mora & ludificatio aliquid virium & animorum ſuis additura, hoſtibus detractura, videretur; præſertim cum dilatio Regiorum adſcribi timori poſſet: præter hæc, quod ipſi ſua interim comitia, Reginæ nomine, decreverant indicere. Sed Prorex, cum videret, quantum intereſſet publice conventum peragi, etiamſi omnes hoſtium vires in unum coirent, ad diem dictum convenire ſtatuit.

XIV. In eo conventu magna contentione certatum eſt, an ſine diſcrimine omnes, qui arma adverſus Regem tuliſſent, neque poſtea facti veniam petiiſſent, damnari deberent perduellionis, ac bona eorum fiſco addici. Obtinuit tamen Gulielmus Mætellanus, qui rebellibus adhuc (occulte tantum) favebat: „Ut „pauci, ad cæterorum terrorem, in præſentia damnarentur: ſpes clementiæ tamen cæteris, ſi reſipiſcerent, oſtentaretur. Ea res mirum in modum conjurationem rebellium auxit, & pertinaciam fovit: cum & pœnam ſui ſceleris dilatam viderent, & pro certo ſibi perſuaſiſſent, neque Reginam vicinam, & ſanguine junctam, [[2] *æquo animo laturam*;] neque Guſios, quorum tum in aula Gallica tantæ vires erant, paſſuros, ut Rex Gallus hanc imperii imminutionem patienter ferret: nec, ſi ab iis etiam desererentur, ſe tam eſſe infirmos, ut, ſine externis auxiliis, ſuam cauſſam tueri non poſſent, cum & numero & opibus præſtarent, neque quicquam ad victoriam deeſſet, præter inanem nominis Regii, per vim occupati, umbram. Prorex interea, nihil aliud quam tranquillitatem publicam ſpectans, e vicinioribus leviter multatos in gratiam recepit: Rothuſiæ Comitem, deprecantibus amicis, ad triennium relegavit: alios ad reſipiſcendum per familiares aſſidue ſollicitabat. Sed, cum plurimorum animos obſtinatos, & ad vindictam pronos, videret, collecto exercitu, in Annan-

1 *Vel, quod ea mora & ludificatio aliquid virium & animorum ſuis additura, hoſtibus detractura, videretur*] Ita ſententiam reſtituimus. cum in omnibus libris [*additurum*] & [*detracturum*] legeretur. Non me latet ab A. Gellio Noct. Att. lib. 1. cap. 7. obſervatum, ejuſmodi voces apud vetuſtiſſimos ſcriptores, & in his ipſum Ciceronem, non pro participiis poſitas, ſed verba eſſe indefinita, quæ Græci appellant ἀπαρέμφατα, neque numeris neque generibus præſervientia, ut Cic. 5. Verr. *Hanc ſibi rem præſidio ſperant futurum.* Gracchus Orat. de Quinto Popilio, *Credo inimicos meos hoc dicturum, &c.* Cum autem vix credibile videretur, ut Buchananus caſcum illud & obſoletum ſcribendi genus imitari voluerit, neque porro hoc Buchanani illis Gellianis prorſus geminum appareret, non ſum veritus receptam loquendi conſuetudinem hic ſequi.

2 *Æquo animo laturam*] Has voces neceſſario ſupplendas poſtulat ſententia; quippe quæ aliter diſſonum ac ineptum ſenſum ingerat; quaſi vero non tam Reginæ Anglorum, quam Galli intereſſet, ne imperium Regium a conjurata civium factione imminueretur.

nandiam & Nithiam, & inferiorem Gallovidiam, eſt profectus. Ibi alias arces cepit, & præſidiis occupavit; alias, quarum domini pertinaciores erant, diruit: brevique regionem omnem domiturus videbatur, ni literæ Reginæ Anglorum curſum victoriæ interrupiſſent. Ea enim, ab exulibus perſuaſa; „Magnam „quidem injuriam Reginæ Scotorum fieri, quam cives mali falſa invidia one-„rabant: ſed maxime nomen Regium contumelia affici, ac vileſcere ſacroſan-„ctæ majeſtatis auctoritatem, ſi hominum ſeditioſorum libidini [1] exponerentur: „ad unam quidem atrociſſimi facinoris injuriam, ſed ad omnes pertinere exem-„plum: itaque mature obviam eundum, ne latius contagio Reges pellendi „proſerperet.

XV. Cum hujus generis multa, adverſus Regiæ cædis vindices, dicerentur, Angla, per literas, a Prorege poſtulavit; „Ut idoneos homines ad ſe mitte-„ret, qui totius rei, ut geſta erat, ordinem exponerent; & ad ea, quæ in „ipſum abſentem jacerentur, ſive crimina, ſeu convicia, reſponderent. Id cum per ſe grave & moleſtum apparebat, res judicatas in dubium, ac prope novam judicii aleam, revocari iterum; apud exteros Reges, ac ſæpe hoſtes & æmulos, & quorum animi ab inimicis jam pæoccupati eſſent, quodammodo cauſſam dicere capitalem, plenum dedecoris & periculi videbatur: multa tamen erant, quæ illam conditionem, quamvis iniquam, accipere cogebant. Foris enim Cardinale Lotharæno, Reginæ avunculo, aulam Gallicam ad nutum verſante, & domi multo maxima Nobilitatis factione in Reginæ partes conjurata, ſi etiam Angla offenderetur, nullas ſibi vires eſſe, quibus tot difficultatibus reſiſterent.

XVI. Igitur, cum decretum eſſet Legatos mittere; nec ſatis conveniret, qui mitterentur, primoribus idonus recuſantibus, tandem ipſe Prorex, ſe iturum profeſſus, comites elegit: unum quidem renitentem, ac prope invitum, Gulielmum Mætellanum. Hominem enim factioſum, & quem jam in Reginæ partes inclinatum videbat, parum tutum arbitrabatur, in tam dubio regni ſtatu, domi relinquere. Itaque, magnis & pollicitationibus & præmiis, ut una ſecum proficiſceretur, pellexit: nec dubitabat, quin animum avarum donis aut vinceret aut inflecteret. Reliquos autem volentes duxit, Jacobum Duglaſſium, & Patricium Lindeſium, ſupremi; Epiſcopum Orcadum, & Abbatem Fermelinoduni, Eccleſiaſtici ordinis: Jureconſultos, e collegio judicum, Jacobum Macgilium, & Henricum Balnavium: [2] his nonum adjecit Georgium Buchananum. His difficultatibus animum ejus circumventum duæ res ſublevabant,

1 *Exponerentur*] Forte [*exponeretur.*]

2 *His nonum adjecit Georgium Buchananum*] Qui ſtrenuam operam patrono ſuo Moravio navavit: hoc enim tempore ab eo ſcriptus eſt Libellus ille famoſus, cui *DETECTIONI* vulgo nomen inditur, & *Actio contra Mariam*, Demoſthenis & Ciceronis Philippicas ſcribendi genere & nitore proxime æquans, verborum vero atrocitate longe exſuperans. Interim obſervandum eſt Georgium Buchananum, Gul. Mætellanum, Jacobum Macgillium & Hen. Balnavium itineris comites & adjutores Moravio daros, reliquos tantum quatuor Collegas fuiſſe Iis enim quinque, aut tribus quibuſlibet ex eo numero, res gerenda diplomate Regio committitur 18 Sept. 1568, *Spotiſvod.* pag 218.

1 *Quod*

bant, æquitas cauſſæ, & poſtremæ Reginæ Anglorum literæ, quibus affirmabat; „Si vera eſſent ea crimina, quæ Reginæ Scotorum objicerentur, ſe eam „exiſtimaturam, quæ regnum gereret, indignam. His literis Prorex paullum in meliorem ſpem erectus, ſupra centum equitum comitatu iter ingreſſus eſt: etſi certis indiciis comperiſſet, Veſtmariæ Comitem, juſſu Ducis Norfolciæ, in inſidiis fore, ut eum exciperet, priuſquam Eboracum veniret. Quarto Nonas Octobres, urbem Eboracum, conventui deſtinatum, introiit: eodem die, ac prope eadem hora, Thomas Havartus Norfolciæ Dux eo venit. Cauſſa inſidiandi Proregi erat, [1] quod Dux per ſecretos nuncios de matrimonio cum Regina tum agebat. Igitur, quo facilius Regiæ cædis ſuſpicio tolli poſſet, & ipſa ad ſuos redire, ſtatuerat, occiſo Prorege, literas ad Bothuelium a ſe ſcriptas, in quibus ſceleris manifeſta continebantur indicia, captas ſupprimere: ſed quia, Duce tam propinquo, res ita confici non poterat, ut ille cædis tam inſignis infamia non aſpergeretur, inſidiæ in aliud tempus rejectæ ſunt. Adjuncti erant, una cum Norfolcio, ad Scotorum controverſias audiendas, Suſſexiæ Comes, & Radolfus Sadlerius Eques. Hic, ab omnis diſſidii veneno purus, ille (ut vulgo creditum eſt) in partes Havarti proclivis.

XVII. Poſt paucos dies, affuerunt a Regina Scotorum miſſi, [2] & qui de civibus ingratis quererentur, auxiliumque ad redeundum, ab Angla, ſine ulla diſceptationis mora, poſtularent. Hi ſeorſum a Prorege & Comitibus auditi, primum proteſtati ſunt; „Se non ad eos tanquam judices, qui „jus ullum ſtatuendi haberent, venire: „multis verbis injurias, Reginæ a civibus factas, expoſuere: poſtularuntque a Regina Anglorum; „Ut „vel civibus ingratis perſuaderet, ut ſuam Principem reciperent; vel, ſi id „recuſarent, ipſa ei daret exercitum, qui, invitis hoſtibus, ſe reduce- „rent. Prorex, poſt aliquot horas auditus, contra rem ad diſceptationem juris apud æquos arbitros vocabat: „Nihil a Regiis, niſi jure & le- „gibus, & e vetuſtis gentis inſtitutis, idque in conventu publico, actum, con- „tendebat; neque quicquam, quod publice in conventu frequentiſſimo ab

„o-

1 *Quod Dux per ſecretos nuncios de matrimonio cum Regina tum agebat*] Joan. Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis, qui legationis a Regina Scotorum miſſæ princeps fuit, atque rerum a ſe collegiſque ſuis in Anglia a menſe Septembri 1568 ad 26 Martii 1572 ſeriem juſto volumine comprehenſam perſcripſit (MS. in Bibl. Jurid. Edimb.) a Buchanani narratione, cum multis aliis in rebus, tum præcipue in hoc Reginæ cum Norfolciæ Duce matrimonio diverſus abit. Ille enim hujus matrimonii ſpem Norfolcio primum factam tradit a Moravio, qui virum malarum artium inſolentem, ſub amicitiæ larva callide his conſiliis implicuit, quæ poſtea ab ipſo Anglæ prodita, Norfolcio exitium, Scotæ rerum omnium ſubverſionem attulerunt. Et ne ſolo *Leſlæo* hac in re nitamur, idem fere narrat, (qui ſe Moravium hoc itinere ſecutum teſtatur) Melvillius pag. 94. & ſeqq. Cæterum ut omnis amoveatur ſcrupulus, exſtant in Bibliotheca Cottoniana Norfolcii ad Moravium literæ ab ipſo Moravio fidei firmandæ gratia ſubſcriptæ, & ad Elizabetham Anglam remiſſæ. Vide etiam Camdenum Hiſt. Eliz. pag. 154. & Joſephum Brunum, (qui *Cauſſæ Norfolcianæ proceſſum* nuper edidit) in Præfat. eadem confirmantes.

2 *Et qui de civibus*] Crafordius [*&*] illud delendum cenſet.

1 *Qui*

„omnibus Ordinibus eſſet decretum (nonnullis eorum, qui nunc hîc accuſa-„rent, ſubſcribentibus) ſe privatum cum paucis poſſe abrogare. Sed, cum Angli cognitores dati, ſibi illis Scotorum decretis, domi factis, & nunc prolatis, ſatisfactum negaſſent, niſi cauſſæ proferrentur, quæ proceres, ad tam ſevere adverſus Reginam ſuam pronunciandum, impuliſſent: Prorex, [1] qui, id maxime defugeret; ne & Reginam & ſororem accuſaret, & fœdiſſima ejus flagitia apud exteros, non gravate audituros, evulgaret, negabat; „Se ali-„ter id facturum, niſi Regina Anglorum repromitteret, ſe, ſi ſatis diluci-„de, Regem Scotorum ab uxore cæſum fuiſſe, probaretur, cauſſam novi „Regis defenſuram, atque eum velut in fidem ſuſcepturam. Cum autem „Legati Angli, „Eam ſe modo poteſtatem habere, dicerent, ut „utriuſque partis poſtulata audirent, & ad Reginam ſuam deferrent rem inte-„gram, „Prorex iterum rogat; „Ut a Regina ſua promiſſum aliquod ſuper „ea re exprimerent, aut ipſi cognitores libere de cauſſa pronunciandi poteſta-„tem impetrarent. Id ſi facerent, ipſe contra ſpondebat, ſe, niſi perſpicue „oſtenderet, Regem uxoris conſilio interemtum, nullam, quæ graviſſimis „ſceleribus irrogari ſolet, pœnam deprecaturum.

XVIII. Iis de rebus cognitores ad Reginam ſcripſerunt. Illa reſcripſit; „Ut Scoti Regiæ partis unum aut plures e ſuis in aulam mitterent, a quibus „de cauſſa eorum dilucide poſſet edoceri: id ubi factum eſſet, ſe, quod ſuum „munus eſſet, viſuram. A Prorege miſſi Gulielmus Mætellanus, de quo multæ ſiniſtræ ſuſpiciones indies ſuboriebantur, & Jacobus Macgillius, non tam adjutor in tranſigendo negotio publico, quam obſervator earum rerum, quæ ab eo gererentur. Suſpiciones in Mætellanum cum aliis multis de cauſſis ortæ erant, [[2] *tum*] his potiſſimum; ante ſuum in Angliam adventum, cum ſedulo conſilium ſuum celare conaretur, tamen, ex dictis factiſque, multoque uſu cum hominibus adverſarum partium, tum vero multo clarius, ex literis ejus deprehenſis, apparuere; quibus Reginæ perſuadere nitebatur; „Suam „operam poſſe adhuc ei utilem fore, exemplo leonis, qui (ut eſt in apolo-„go) aliquando retibus implicitus, opera ſoricum, animalium infirmiſſimo-„rum, vinculis fuit liberatus. Poſtea autem quam Eboracum eſt ventum, nullam prope noctem intermittebat, quin principes Legatorum adverſæ partis conveniret, conſiliaque cum eis communicaret, &, quid Prorex pararet, eos præmoneret. Nec Prorex tamen eos congreſſus prohibere voluit, gnarus, ſe nihil amplius profecturum, quam ut inhibiti ſecretius aliquanto coirent.

1 *Qui id maxime defugeret*] Vide Melvillium loc. cit.

2 *Tum his potiſſimum*] Voculam [*tum*] admonente Crafordio repoſuimus: cum tamen, ne ſic quidem, poſteriores ſententiæ partes cum prioribus rite connexæ videantur, nec aptus verbo [*apparuere*] Nominativus reperiatur, ego [*conſilium ſuum*] numero multitudinis efferendum, totumque adeo hunc locum (ſi liceret) ſic refingendum exiſtimaverim; *Suſpiciones in Mætellanum cum aliis multis de cauſſis ortæ erant, tum his potiſſimum. Ante ſuum in Angliam adventum, cum ſedulo conſilia ſua celare conaretur, tamen ex dictis factiſque* —— *apparuere.*

1 *Pr-*

rent. Hæc cum [1] proditæ cauſſæ publicæ ſatis manifeſta eſſent indicia, fortuna tamen certius ex inopinato attulit argumentum.

XIX. Cum forte, venandi ſpecie, Mætellanus cum Norfolcio in agros propinquos exiſſet, ibi, multis ultro citroque de tota re diſputatis, convenit inter eos, rem lente tractandam, & velut ex intervallo (ſi fieri poſſet) ſæpe repetendam: ita ut nihil in ſummam conficeretur, nec cauſſa omnino deſerta relinqueretur: ita Proregem, aut infecto, cur venerat, negotio, abiturum, aut, rebus interea domi turbatis, diſcedere coactum iri: ſimul etiam, cum tempore, alia remedia emerſura: nam jam tum civile bellum Norfolcius meditabatur, quo Reginarum alteram tolleret, alteram uxorem duceret. Hæc Mætellanus cum retuliſſet Joanni Leſlio, Roſſienſi Epiſcopo, ſecretorum omnium Reginæ conſcio, ille ad eam ſcripſit; „Qualiter Duci placuiſſet, eam ad aulam reſcribere, quem in poſterum curſum tenere, nec, ob exitum tardiorem, ſpem de cauſſæ ſucceſſu deponere. Hæ literæ, a Regina lectæ, ac deinde multorum manibus, tanquam chartæ neglectæ jactatæ, ad Proregem tandem delatæ ſunt; atque hoc profecerunt, quod ſummam conſilii inimicorum ex eis cognovit: nam jam ante Mætellani perfidiam multis experimentis compererat. Legati, quos dixi, cum Londini Reginam conveniſſent, ei & concilio ejus commodiſſimum eſt viſum, ut Prorex ipſe adeſſet, & præſens de rebus omnibus controverſis diſceptaret. Igitur, parte comitatus domum dimiſſa, cum reliquis ipſe Londinum eſt profectus. Sed ibi eadem, quæ Eboraci, difficultas ei eſt objecta, dum accuſationem, adverſus Reginam ſuam, & eandem ſororem, [2] recuſat ordiri, niſi, ſcelere detecto, Regina Angla Regis Scotorum factionem in ſuam fidem reciperet: id vero ſi ſpondeat, nullam ſe moram accuſationi facturos, eadem lege, quam apud cognitores Eboraci ſibi dixerant.

XX. Dum hæc Londini geruntur, Regina Scotorum, auctore Jacobo Balfurio, res domi turbare conabatur. Id quo facilius aſſequeretur, non modo ad exules, & Bothuelii propinquos, ſcribit, ut, quibuſcunque poſſent rationibus, adverſæ factionis homines hoſtiliter infeſtent: ſed & per totum regnum vicarios creat, quibus Regiam poteſtatem attribuit: rumores paſſim ſpargi curat, Proregem & comitum ejus primos in arcem Londinenſem incluſos. Sed id mendacium cum non adeo diuturnam fidem habiturum videretur, fingit, Proregem, ut Scotorum regnum Anglorum ditioni ſubjiceret, arces munitiores, & Regem ipſum obſidem promiſiſſe. Id propterea fictum ab ea creditur, ut, quia per procuratores Anglis eadem promiſiſſet, eaque pollicitatio, ut vana, ab eis contemneretur, quando nihil earum rerum in ſua poteſtate habebat, vulgi animis mendacio ſemel occupatis, Proregi invidiam creari

1 *Proditæ cauſſæ publicæ*] Si hæc cauſſæ publicæ proditio erat, eodem utique crimine tenebatur ipſe Moravius, qui his Norfolcii conſiliis, ſi non auctor, certe conſcius fuit, referente Melvillio, qui ſe ea de re cum Moravio ſermones contuliſſe teſtatur, pag. 96.

2 *Recuſat ordiri*] Rem omnem clarius exponit Melvillius pag. 96.

creari volebat: vel, ſi ignominiam a ſe avertere non poſſet, eam ſaltem cum adverſa factione cupiebat communicari.

XXI. Cum his anguſtiis Prorex undique ſe videret obſeſſum, quamprimum domum, rebus utcunque expeditis, redire ſtatuit. Itaque, Anglis ſæpe ac vehementer flagitantibus, ut rerum in Scotia geſtarum (quibus ignotis ipſi nihil ſtatuere poſſent) cauſſas explicaret; cum & magnopere cuperet Reginæ Anglorum tum ſatisfacere, quam, ſine maximo cauſſæ, quam ſuſtinebat, damno, non poſſet offendere, & domum redire, ut bellum civile imminens in ortu ipſo exſtingueret; nec alterutrum facere poſſet, niſi ad cauſſam adjuncta, aut certe non adverſante, Regina Anglorum; apud ejus concilium proteſtatus; „Se, non ſua ſponte, ſed importunitate inimicorum coactum, „ut ſuam Reginam, & eandem ſororem, apud exteros immaniſſimi ſceleris „accuſaret. Id autem, non eam criminandi libidine, ſed ſui expurgandi ne„ceſſitate, impulſum ut faceret: invitumque facturum, ut ea detegeret, quæ „ſempiterna oblivione, ſi fieri poſſet, ſepulta cuperet. Ejus facti ſi qua eſſet „invidia, merito in eos verti debere, per quos non fuerit integrum antiquum „obtinere ingenium, ut bonis Principibus libenter pareret, & malis invitus „malediceret. Unum orabat, ut, qui ipſum in id certamen invitum traxiſ„ſent, adeſſent, objecta crimina audirent, & ſi quid falſi afferretur, coram „concilio diluerent: ſe etiam, in rebus multo graviſſimis, ipſorum teſtimo„niis uſurum. [1] Eam conditionem Reginæ procuratores, qui parum ſuæ fidebant cauſſæ, cum recuſarent, ac unum id petere perſeverarent; „Ut Regi„na, vi & armis expulſa, reſtitueretur, „dies præfinitus Proregi, quo die cauſſas oſtenderet; „Cur cædis Regiæ ultores (nam ipſe tum aberat in Gal„lia) arma ſumſiſſent, & Reginam ſuam regni adminiſtratione dejeciſſent, ac „cætera, quæ ad id tempus conſtituta ſunt, geſſerint.

XXII. Ibi cum & rerum, uti geſtæ fuerant, explicatus fuiſſet ordo, & prolata eorum, qui ſceleris in Regem commiſſi erant conſcii, [2] teſtimonia, ante

1 *Eam conditionem Reginæ procuratores ——— cum recuſarent*] Non utique Reginæ procuratores eam conditionem recuſabant, verum, ut ea recte ac ordine fierent, rem inſuper æquiſſimam, & jure civili ac omnium fere gentium uſu comprobatam, petebant, ut ſcilicet Maria coram accuſatoribus ſuis ipſa adeſſet, quæ non modo crimina ſibi objecta dilueret, ſed eorum ignominiam a ſe in rebelles cives converteret. Id vero cum Elizabetha contra fas & æquum denegaret, tum demum illius, non Mariæ culpa, colloquium eſt ſolutum. Vide Leſlæum alioſque ſcriptores ſupra citt.

2 *Teſtimonia ante mortem expreſſa*] Ex hiſce teſtimoniis, quæ adhuc in Actis publicis & Biblioth. Cottoniana aſſervantur, nihil quidquam vel ab inimicis Reginæ infenſiſſimis elici poſſit, unde ipſa Darlæanæ cædis vel rea vel ſuſpecta haberi meruerit. Quin ipſe Mortonius (qui ob ejus cædis, cujus ſe principem vindicem profitebatur, conſcientiam, capite plexus eſt anno 1581) ipſa in morte Reginam ea abſolvit. Cum enim (inquit) Bothuelius conſilium ſuum de Darlæo interficiendo ſibi patefeciſſet, atque, ut ejus opem in facinore patrando impetraret, Reginam ita velle finxiſſet, Mortonius ſe ajebat, tum demum cædis participem futurum, ſi Reginæ conſenſum ſua manu reſtatum ſibi Bothuelius oſtenderet: quod cum ſæpius promiſſum ille nunquam tamen præſtitiſſet, ſe ea re prorſus abſtinuiſſe.

1 *In*

ante mortem expreſſa, Ordinum item decreta, quibus multi ex Proregis accuſatoribus ſubſcripſerant; arcula demum argentea in medium eſt allata, quam, a Franciſco priore marito acceptam, Regina Bothuelio dederat. [1] In ea inerant literæ, Reginæ manu Gallico ſermone conſcriptæ, ad Bothuelium: [2] carmen item Gallicum ab eadem non ineleganter factum: in quibus omnibus amoris ejus erga Bothuelium impotentia, conſilium, ratio cædis Regiæ, [3] & poſt cædem raptus; item cum eodem matrimonii contractus tres; [4] primus, ante parricidium, ipſius Reginæ manu ſcriptus, quo, velut ſyngrapha, ſpondet, ei, ubi primum ſui juris foret, ſe nupturam: alter, ante divortium cum priore uxore, Huntilæi manu conſcriptus: tertius ſub ipſas nuptias palam factus. Hæc omnia, oculis expoſita, & in concilio perlecta, totum facinus ita ſubjecerunt oculis, ut nulla dubitatio de auctore amplius eſſe poſſet.

XXIII. His indiciis etſi Angla ſatis credebat, tamen animo adhuc fluctuabat. Erat, ab altera parte, æmulatio, & [5] odium Reginarum mutuum: erat ea criminum magnitudo, & probationum perſpicuitas, ut Scotam nullo dignam auxilio Angla exiſtimaret: animum tamen ad æquitatis reſpectum proniorem labefactabat, interdum fortunæ prioris, non ſine commiſeratione, recordatio, & Regii nominis amplitudo, & formido, ne pellendorum Regum exemplum in proxima regna tranſiret. Inſtabat etiam metus a Gallia, nunquam ſatis inter eas gentes fida amicitia: ac tum maxime Legatus Gallorum aſſidue cauſſam exulis Reginæ agebat. (Nam [6] Regis Hiſpaniarum Orator,

1 *In ea inerant literæ*] De his literis vide ſupra ad XVIII. 51.

2 *Carmen item Gallicum ab eadem, non ineleganter factum*], Alia Brantomii mens eſt, qui pag. 110. de eo carmine ſic infit; *Elle* (Reyne de' Eſcoſſe) *ſe meſloit d' eſtre Poete, & compoſoit des vers, dont j' en ay veu aucuns de beaux & tres-bien faits, & nullement reſſemblant a ceux qu' on luy a mis a ſus avoir faits, ſur l' amour du Comte de Boutheville; ils ſont trop groſſiers & mal polis, pour eſtre ſortis d' elle. Monſieur de Ronſard eſtoit bien de mon opinion en cela*, &c.

3 *Et poſt cædem raptus*] Ut ſententia abſoluta ac perfecta evadat, deeſſe videtur verbum unum aut alterum, veluti *apparuere*, ſeu *ſe prodidere*, &c.

4 *Primus ante parricidium*] Mira, nec in Hiſtorico ferenda, fiducia auſus eſt Buchananus eum contractum ante parricidium ſcriptum affirmare, quem poſt Darlæi mortem hæc ipſamet ejus verba liquido teſtantur, *Et puis que Dieu a pris mon feu mari Henry Stuart dit Darnlay, & que par ce moien je ſois libre, &c.* Huc adde, quod ſi ante cædem Darlæanam ſcriptus fuiſſet, facile Bothuelio fuiſſe, dubium Mortonii de Reginæ voluntate animum hoc pignore confirmare, quem aliter in criminis ſocietatem, ut modo indicavimus, pellicere non poterat. Idem porro de aliis quæ ad Bothuelium a Regina ſcriptæ literæ perhibentur, credere par eſt. Quem autem hic contractum a Reginæ manu ſcriptum aſſeverat Buchananus, alia manu ex diverſa literarum forma & modulo exaratum contendit David Crafordius, qui eum cum aliis genuinis Reginæ ſcriptis compoſuit. Vide Acta publica ac literas ab ipſo collectas in Biblioth. Jurid. Confer etiam Appendicem ad Anglicam Detectionis & Actionis in Mariam interpretationem, in initio.

5 *Odium Reginarum mutuum*] Certe Elizabetham Anglam ſuum in Scotam odium cum antea, tum præcipue hoc toto negotio, declaraviſſe, & res ipſæ & Annalium Anglicorum ſcriptores aperte teſtantur.

6 *Regis Hiſpaniarum Orator*] Longe ſecus

tor, etſi rogatus fuerat, ut preces, ſui Regis nomine, interponeret, fœditate criminum abſterritus, omnino ſe ab ea cauſſa abſtinuit.) Igitur Regina Angla, ut regreſſum haberet ad pœnitentiam, ſi res in Gallia ſecus procederent, nec omnem eis gratificandi materiam ſibi ipſa eriperet, medio reſponſo ſententiam temperavit, teſtata; „Se nihil in præſentia videre, quo „minus omnia, quæ in Scotia geſta erant, recte atque ordine fa„cta viderentur. Atque ita, velut dilata pronunciatione in aliud tempus, petebat; „Ut, quoniam res domi turbatæ Proregem re„vocarent, aliquem e ſuis relinqueret, qui ad crimina, ſi qua eo abſen„te jacerentur, reſponderet. Prorex autem, qui videbat ita rem prorogari, ut Angla, ex ſua commoditate, & rerum externarum eventu, libere pronunciare poſſet, quo minus cauſſæ nondum dijudicatæ ſpeciem relinqueret, omnia ſatagebat; „Si quid enim inimici adverſus ipſum haberent, æquius eſſe, [1] ho„mines, jam diu ad accuſandum præmeditatos, tum proferre, neque tempus „abſentem calumniandi captare, cum diſceptationem cum præſente defugiſſent. „Se non ignorare, quos rumores inimici non modo vulgo ſpargendos curarent, „ſed quid quibuſdam e concilio, quid Legato Gallo, aperte affirmarent: „igitur a concilio vehementer petit, ut jubeant eos, iſta, quæ clam demur„murent, palam edere: neque ſe domum redeundi tam cupidum eſſe, ut non, „cum magno ſuo privato & publico damno, ſe coram libens purgaret.

XXIV. Tandem arceſſiti Reginæ exulis procuratores, ac rogati; „Si quid „haberent, quod adverſus Proregem, aut ejus comites, cur cædis Regiæ „conſcii videri poſſent, tum proferrent: „illi, „Nihil in præſentia ſe ha„bere, reſpondent: ſed tum accuſaturos, cum a Regina ſua juberentur. Ad „ea Prorex; „Se paratum ſemper fore, rationem rerum a ſe geſtarum red„dere; neque ullum aut tempus aut locum defugiturum. Sed interea, dum „Regina ordiretur iſtam accuſationem, ſe ab accuſatoribus ſuis, jam præſen„tibus, petere, ut, ſi quis eorum quicquam haberet, quod ei objicere poſ„ſet, id nunc proferret: hoc multo æquius eſſe, ac honeſtius, in illuſtri „cœtu palam promere, quam abſentis famam, in conciliabulis, convellere. Id quoque cum diu recuſaſſent, tandem, totius concilii ſucclamatione, ac pene conviciis, excepti, [2] confeſſi ſunt ſinguli; „Se nihil privatim ſcire, „cur Moravius, aut quiſquam ejus comitum, cædis conſcius videri poſſet. Ita, poſt longam inter partes altercationem, concilium eſt dimiſſum: neque ex eo, ulla, de Prorege aut ejus comitibus accuſandis, mentio eſt facta. Inter has, ob cauſſam publicam, in Anglia moras, quædam a Reginæ factione,

cus rem narrat Leſlæus, qui Oratorem Hiſpanum Mariæ cauſſam ſtrenue apud Anglam egiſſe teſtatur, ipſamque porro pecunia mutuo data juviſſe, cum penſionem ſibi conjugii jure debitam a Gallo impetrare non poſſet.

1 *Homines, jam diu ad accuſandum præmeditatos*] Ita emendavimus, pro quo libris omnibus ſcriptum eſt [*Homines & jam diu;*] niſi forte vox aliqua ſtatim poſt [*homines*] exciderit, quam ægre nobis liceat divinare.

2 *Confeſſi ſunt*] Ita princeps Editio Edimb. & Genev. reliquis autem [*ſint*] male irrepſit.

ne, domi & foris, magno conatu, ſed ſine ullo effectu, ſunt tentata. Jacobus Hamiltonius, qui Prorex ante aliquot annos fuerat, tædio rerum domeſticarum, parum ex animo ſuccedentium, in Galliam conceſſerat. Ibi cum pauciſſimis comitibus, ab omni negotiorum publicorum tumultu ſemotus, cum uno & altero miniſtro latebat. Sed Regina Scotorum e cuſtodia emiſſa, deinde prælio ſuperata, ac tandem, intra paucos dies, in Angliam compulſa, Galli, qui Moraviæ Comitem, revocatum a ſuis, ac per Galliam redeuntem in ſuas partes traducere non poterant, commodiſſimum ſuis rationibus judicarunt, [1] cum ipſi, rebus domi turbatis, nec militem, nec pecuniam in Scotiam mittere poſſent, Hamiltonium ei æmulum [2] excitari, ac eo maxime tempore, dum Prorex cum parte Nobilitatis abeſſet.

XXV. Ille igitur e ſuis latebris extractus, ac pauculis aliquot ſcutatis aureis donatus, multiſque promiſſis oneratus, dum per Angliam domum properat, ab amicis & propinquis impulſus, ut, favente cum ſua factione Regina Scota, nec Angla aliena, cum ea ageret, ut Moravium ſua auctoritate induceret; „Ut „ſibi rei Scoticæ gubernaculum cederet, qui locus, omnium prope gentium „moribus & legibus, ac potiſſimum inſtituto patrio [3] ſibi, & genere proxi- „mo, & hæredi, debebatur. Neque neceſſe eſſe, in eo, ab ultimis uſque „temporibus memoriam annalium repetere, cum omnibus, adhuc regno im- „maturis, e genere proximis Rectores ſunt dati. Ita, [4] mortuo Roberto Ter- „tio, rebus, per abſentiam Jacobi Primi, præfuit ejus patruus Robertus: & „Roberto filius Mordacus ſucceſſerat: &, recenti memoria, Joannes, Al- „binus Dux, Jacobi Quinti [5] adoleſcentiam rexerat; & ipſe Hamiltonius, „Maria, quæ nunc eſt Regina, nondum aut regni aut viri potente, rei ſum- „mæ, ante paucos annos, præfuerat. Nunc vero, ſe, non legitimis ſuffra- „giis, ſed a rebellibus per vim ac ſummam injuriam, excluſum: & (quod in- „dignius eſt) per legitimi ſanguinis contemtum, nothum in ſupremum lo- „cum aſſumtum: qui honor ſi ſibi reſtituatur, brevi omnes motus domeſticos „conquieturos, & Reginam, ſine vi, ſine armorum tumultu, in priſtinam „dignationem reſtitutum iri.

XXVI. Ad ea reſpondent Legati Regis; „Hamiltonium rem, non mo- „do legibus & veterum inſtitutis ex adverſo pugnantem, ſed etiam, ſi, omiſ- „ſa legum auctoritate, per ſe ſpectetur, longe iniquiſſimam, poſtulare. Ma- „jores enim noſtri, ob conſanguineas in Regia familia cædes, [6] poſt annos pro-

1 *Cum ipſi*] Ita ſcribendum recte vidit Crafordius: libris autem omnibus [*cui ipſi*] legitur.

2 *Excitari*] Alii forte [*excitare*] mallint; mihi nihil mutandum videtur.

3 *Sibi & genere proximo*] Forte legendum, [*Sibi, ut genere proximo*]

4 *Mortuo Roberto Tertio*]. Ita omnino legendum, non [*Jacobo Tertio*, [quod libris fere omnibus abſurdiſſimo errore eſt editum. Quibuſdam Editionis Edimburg. 1582 exemplaribus, & Moſm. 1700, [*Roberto Tertio*] recte legitur.

5 *Adoleſcentiam rexerat*] Ita legendum fere monſtrat in eadem ſententia [*ſucceſſerat*] & [*præfuerat*:] nec multum abludit princeps Editio Edimburg. & Moſman. quibus [*rexerit*] ſcriptum eſt, quod alii codices perperam in [*rexit*] mutarunt.

6 *Poſt annos prope mille trecentos*] Vide ſupra quæ nos ad IV. 3. annotavimus.

,,pe mille trecentos, comitiorum, in Rege creando, rationem totam immutarunt. Cum enim antea, qui e familia Ferguſii, primi Regis, [1] non Regi defuncto genere proximus, ſed regno gerendo maxime idoneus, ſuffragiis Rex crearetur; [2] Kennethus vero Tertius, ut Regum adverſus propinquorum inſidias, & conſanguineorum inter ſe cruentas æmulationes, ex aula tolleret, eum, qui nunc eſt, in regno ineundo ſanxit ordinem, ut, qui genere proximus eſſet, Regi demortuo ſufficeretur. Sed cum homines, uſu rerum edocti, perſpicerent, vix fieri poſſe, ut, in tanta fortunæ inconſtantia, non aliquando in pueros, aut alioqui regno gerendo impares hæredes, jus ſummi magiſtratus incideret; inſtituerunt, ut rebus interea adminiſtrandis eligeretur, qui & opibus & conſilio cæteros anteiret. Atque hanc rationem, ſexcentis prope annis, majores noſtri ſecuti, regnum incolume poſteris tradiderunt. Sic, Roberto Bruſſio vita functo, Proreges deinceps ſuffragiis electi ſucceſſerunt, [3] Thomas Randolfus Moraviæ, Donaldus Marriæ, Comites, Andreas Moravius, Joannes Randolfus, Robertus Stuartus; interim ſinguli, interdum a conventu publico plures, in eum locum ſunt aſſumti. [4] Sic Jacobo Secundo puero datus eſt Gubernator Alexander Leviſtonius, nulla cum Rege propinquitate ſanguinis junctus, ac ne ſupremi quidem ordinis, ſed adhuc Eques, ac prudentia quam genere illuſtrior. Nec illa ſupereſt excuſatio, ut penuria Regiæ ſtirpis hominum, id quiſquam factum cauſſetur.

,,XXVII. Erat eo tempore, & conſilio & vitæ integritate florentiſſimus, Joannes Kennedus, familiæ ſuæ princeps, [5] ex Jacobi Primi ſorore nepos:

,, erant

1 *Non Regi defuncto genere proximus*] Imo vero hi Reges (quos Vicarios quidam appellant) Regi defuncto, ejuſve filiis nondum regni potentibus, genere ſemper proximi erant, nec unquam ſuffragiorum jure regnum ad quenquam deferebatur. Male autem, me judice, libris omnibus [*Rege defuncto*] hic legitur.

2 *Kennethus vero tertius*] *Vero* hic ſuperfluum videtur.

3 *Thomas Randolphus*] Hæc parum ad Buchanani ſeu Moravii cauſſam firmandam facere videntur; Thomas enim Randolphus, Davidis II. Tutor tum teſtamentarius tum legitimus fuit, utpote a Roberto Bruſſio ante mortem nominatus VIII. 42. & IX. 57. &, cum Roberti Bruſſii ſorore genitus eſſet, omnium in legitima tum ætate conſtitutorum ei genere proximus. Idem de Andrea Moravio, qui alia Roberti Bruſſii ſorore erat natus, de Joanne Randolpho Thomæ filio, & de Roberto Stuarto, Rob. Bruſſii nepote, ac poſtea Rege, dicendum; qui omnes ad juris civilis, quod tum fere apud Scotos obtinebat, formulam, regni Tutores ſeu Curatores creati videntur, aliis, qui Davidi Bruſſio genere proximiores fuerant, vel quod infra legitimam ætatem poſiti, vel apud hoſtem captivi detenti eſſent, ex ejuſdem juris præſcripto præteritis. Idem quoque de Donaldo Marriæ Comite credere fas eſt, quamvis qua ſanguinis cognatione Bruſſios contigerit tanto nobis intervallo diſſitis in promtu non ſit demonſtrare.

4 *Sic Jacobo ſecundo*] Videntur quidem Scotorum proceres Jacobi ſecundi temporibus, ob affectatam à Roberto Stuarto ejuſque filio Murdaco Albiniæ Ducibus tyrannidem, in regni cuſtodibus ſeu Tutoribus prodendis a jure communi primum deſciviſſe. Exiſtimat vero Pat. Abercrombius Scotorum proceres, Alexandrum Leviſtonium Jacobi II. pueritiæ regendæ duntaxat præfeciſſe. Vide ſupra ad XI 57.

5 *Ex Jacobi primi ſorore nepos*] *i. e.* Mariæ Stuartæ Jacobi primi ſororis ex filio nepos, proprio ac nativo apud puriſſimæ Lati-

Lati-

„erant ejus patrui „ Jacobus Kennedus, Fani Andreæ [1] Archiepiſcopus, to„tius regni, in omni virtutis genere, facile primus: ejus item frater, [2] e Regis „amita natus, [*Gulielmus*] Duglaſſius Comes Anguſiæ: erat, a ſanguine Re„gio non alienus, Archibaldus Duglaſſiæ Comes, potentia prope Regi par, „cæteris omnibus longe ſuperior: nemo tamen idcirco de comitiorum iniqui„tate eſt queſtus. Nec multo poſt, Jacobo quoque Tertio dati ſunt Tutores „quatuor, & hi quidem omnes, non ob cognationem aſſumti, ſed ſuffragiis „electi. Nuper Joannes Albinus Dux, ad rem Scoticam moderandam, Jacobo „Quinto puero, per Legatos eſt e Gallia accitus a Nobilitate: ab eadem, pu„blico decreto, in conventu confirmatus. Neque proximitati generis id tribu„tum. [3] Alexandrum enim fratrem, natu majorem, habebat, ut ipſo fortaſſe „in-

Latinitatis ſcriptores vocis [*nepos*] ſignificatu; non vero (quod Anglicus Buchanani interpres exiſtimavit) Mariæ Stuartæ filius, quo quidem ſenſu a ſequioris ævi auctoribus crebro id vocabulum uſurpatur. Joannes enim Kennedus filius erat Gilberti, ex Gilberto Kennedo & Maria Stuarta Roberti III. filia prognati. Vide Geo. Crafordium de Nobil. Scot. pag. 74. Id vero Buchananum voce [*nepos*] hic intellexiſſe,) facile (ſi animum ad ſequentia verba attendiſſet) deprehendere poterat Anglicus interpres: mox enim ſubdit, *ejus i.e.* (Joannis Kennedi) *patruos*, Jacobum Kennedum & G. Duglaſſium, e Regis [Jacobi II.] amita natos: quod nullo alio quam quo diximus pacto fieri poterat. Non tamen diſſimulandum eſt, ipſum in lata culpa Buchananum hic verſari, qui Joannem Kennedum memoret, ſub Jacobi I. mortem, conſilio & vitæ integritate florentiſſimum, proindeque qui rerum ſummæ præficeretur idoneum. Ex indubitatis enim monumentis novimus ipſius patrem Gilbertum, poſt annos fere 23, inter ſex Jacobi III. regnique Rectores allectum fuiſſe. Ipſum vero Joannem Geo. Crafordius loc. cit. mortuum demum teſtatur anno 1508; quem propterea anno 1437 (quo mortuus eſt Jacobus I.) nondum forte natum, certe ætate immaturum qui res ſuas, nedum ſumma regni negotia procuraret, credere par eſt. Vide ſupra ad XII. 17. 21.

1 *Archiepiſcopus*] Lege *Epiſcopus*. Vide ſupra ad VIII. 1.

2 *E Regis amita natus*, *Gulielmus Duglaſſius*] Principi Editioni Edimb. & Moſm. lacuna relinquitur, quam nos inſerto nomine [*Gulielmus*] ſupplevimus: quem Jacobo I. ſupervixiſſe fere oſtendit inſtrumentum Humio viſum, quo ipſius filius Jacobus paternam adiiſſe hæreditatem perhibetur 27 Feb. 1437. *i.e.* juxta ſupputationem Romanam 1438, ſive poſt annum dieſque fere ſeptem a morte Jacobi primi. Si qui tamen Georgium Duglaſſium Gulielmi fratrem Anguſiæ Comitem hic a Buchanano ex verbis XI. 20. ſignificari arbitrabuntur, eorum ſententiam convellit Humius, qui cum Jacobo fratris filio ſucceſſiſſe tradit anno 1452, cum jam Jacobus II. Cuſtodis opera non egeret.

3 *Alexandrum enim fratrem*] Nihili eſt hoc argumentum, Alexander enim Stuartus, Joannis frater natu major, tum Inſulæ Chaffraiæ prope Perthum Abbas, poſtea Epiſcopus Moravienſis, a tribus regni Ordinibus in Parliamento Edimburgi 13 Novemb. 1516 habito, nothus eſt pronunciatus; quippe cujus mater Catharina Sinclara Comitis Cathaneſiæ filia ab ipſius patre Alexandro Albino ob ſanguinis cognationem legitimo divortio diremta fuerat 9 Martii 1477. Ad rem vero ulterius confirmandam, iiſdem Comitiis idem Alexander, Joannis Albini frater, ſe nothum palam & publice eſt profeſſus; quo facto dictus Joannes *ſecunda regni perſona*, ac, deficiente Jacobo V. ejuſque ſtirpe, primus hæres eſt declaratus. Hujus rei exſtat in Actis publicis documentum magno ſigillo appenſo comprobatum.

1 *Cum*

„inferiorem, ita, omni virtutis genere, Jacobo Hamiltonio, qui eum locum „aliquoties affectaverat, facile ſuperiorem. At, Jacobo Primo abſente, Ro„bertus, ejus patruus, regno præfuit: quo tandem jure? Num, ob cogna„tionis propinquitatem, aſſumtus? Minime. Num a populo electus? Ne id „quidem. Quomodo ergo creatus; Cum Rex Robertus Tertius, nec animo, „nec corpore, ad Regii muneris functionem ſatis eſſet validus, Robertum fra„trem ſibi Vicarium ſuffecit, ac liberos ei commendavit. Ille Davidem natu „maximum inedia ſuſtulit; Jacobi, qui minor erat, exitio imminebat, niſi „fuga vitam ſervaſſet. Is autem in tyrannidis poſſeſſione jam collocatus, fratre „mœrore exſtincto, ſine comitiis & populari aſſenſione, eam retinuit, ac per „manus Mordaco filio reliquit. Quæ autem fuerit Roberti Regis, proxime „defuncti, erga fratrem voluntas, dubitari non poteſt. Nam, quem, velut „filiorum carnificem, decedens diris eſt proſecutus, nunquam, vivus & valens, „liberorum Rectorem deſignaſſet. Commemorat nobis etiam id tempus, quo, „poſt Jacobi Quinti mortem, rebus ipſe præfuit, (tanquam quicquam legiti„me ſit ab illo toto eo tempore factum) cum Cardinalis Betonius, magiſtratum „ſummum per fraudem invadere conaretur, is magis odio bonorum erga Be„tonium, quam ſtudio erga ſe populi confiſus, in locum vacuum irrepſit; „[1] cum multa crudelitate & avaritia regnavit; poſt annos non adeo multos, „[2] magiſtratum vi partum, & [3] Reginam, cujus tutelam gerebat, vendidit. Ibi „ſtudium populi erga eum apparuit, cum fœminæ peregrinæ imperium, ſer„vituti, quæ ſub eo fuit acerbiſſima, prætulerit.

„XXVIII. Vides, opinor, Hamiltonii petitionem, & patriis legibus, „& majorum inſtitutis adverſam, & ita adverſam, ut ipſe, deſtitutus argumen„tis, [4] ſolis eam mendaciis confirmaverit. Quod ſi qua fuiſſet hujus generis „conſuetudo, neminem, reor, præterit, quam injuſta foret. Quid enim mi„nus

1 *Cum multa crudelitate & avaritia regnavit*] Quæ ſequuntur odio Hamiltoniorum conficta videntur: Leſlæus certe, aliique eorum temporum ſcriptores, Moravium longe majore crudelitate ac avaritia quam Hamiltonium, vel quemquam alium, per centum retro annos, Scotos diverſarum partium vexaſſe teſtantur.

2 *Magiſtratum vi partum*] Id vero falſiſſimum, frequentiſſimo enim conventu liberrimiſque ſuffragiis Hamiltonium Proregem electum, tum Acta publica, tum alii noſtri ſcriptores teſtantur: nec aliter fere rem narrat ipſe Buchananus initio libri xv.

3 *Et Reginam, cujus tutelam gerebat, vendidit*] Id eſt, in Galliam ex Decreto Ordinum eam miſit, quæ aliter, civibus ſub jugum miſſis, regnoque armis occupato, vi & ingratiis Anglo in prædam potius, quam ſponſam deportanda fuerat. Quod vero Gallus tanti beneficii memor Proregi gratiam retulerit, id neutiquam ei vitio vertendum, aut, invidioſo venditionis nomine traducendum, a Moravio præſertim, qui ab Elizabetha Angla mercede corruptus, ex ejus nutu fere totus pendebat.

4 *Solis eam mendaciis*] Bona verba quæſo, ne tres regni Ordines, qui Hamiltonium Proregem confirmarunt, eodem crimine involvas: ii enim Hamiltonium *legitimum* Mariæ Reginæ *Tutorem* renunciando, ſe juris Romani hac in re ſecutos conſuetudinem aperte teſtantur. Vide Actum ipſum in Archivis publicis aſſervatum.

„nus eſſe juſtum poterat, quam ætatem innoxiam atque infirmam ejus fidei
„committere, qui pupilli ſibi crediti mortem ſemper aut exſpectet, aut optet?
„cujus gens univerſa diuturnas & atroces inimicitias cum Regis, qui nunc eſt,
„familia gerit, ac geſſerit? Quod erit hîc in ſanguinis propinquitate præſidium,
„adverſus vetus odium, immanem avaritiam, & jam deguſtatæ tyrannidis præ-
„cipitem impetum? Laodice Cappadocum Regina, liberos ſuos, ut quiſque
„ad pubertatem venerat, occidiſſe creditur, & exiguam imperii retinendi mo-
„ram filiorum ſanguine redemiſſe. Cum liberos mater in brevem temporis uſuram
„impenderit, quid auſuros, aut potius quid non auſuros, putabimus veteres ini-
„micos, avaritiæ facibus ad crudelitatem inflammatos, adverſus puerum,
„perpetui regni ſpem remorantem? Hoc exemplum ſi cui vetus & obſcu-
„rum videatur, aut e longinquo petitum, propiora, & eadem illuſtria, ſub-
„jiciam. Quis enim rerum, non adeo pridem geſtarum, tam ignarus, ut
„neſciat, [1] Galeacium Sfortiam, jam adultum, jam maritum, jam Regis po-
„tentiſſimi generum, a Ludovico patruo interemtum? Aut cui calamitates
„ignotæ ſunt, quæ tam crudele parricidium ſunt conſecutæ? Pulcherrima
„Italiæ regio prope ad vaſtitatem redacta: Sfortiana, fortiſſimorum virorum
„genitrix, familia deleta: barbari in amœniſſimos circa Padum agros introdu-
„cti, quorum nihil avaritiæ eſſet clauſum, nihil a crudelitate tutum? Quis
„[2] in ſolo Britanno genitus non audiit Richardi Tertii, Regis Anglorum, ad-
„verſus fratris filios ſævitiam? aut quanto cum ſanguine ſit parricidium illud
„expiatum? Hæc cum illi in conjunctiſſimos, ſola regnandi cupiditate impulſi,
„perpetrare non reformidarent, homines alioqui ſolertiſſimi: quid ab eo exſpe-
„ctabimus, cujus animi inconſtantiam omnes cives norunt, imperandi imperi-
„tiam magnis cladibus experti ſumus? Cujus familia, [3] hujus Regis proavi cæ-
„de non contenta, avum maternum, quoad vixit, inſidiis [4] petierit; pater-
„num

1 *Galeacium Sfortiam*] Fuſam harum rerum expoſitionem vide apud Guicciardinum lib. 1. Paulum Jovium lib. 1. & Mezeraium Tom. 2. pag. 778. & ſeqq. Obiter tamen advertendum eſt, hunc Joannem Galeacium Sfortiam fuiſſe appellandum, cum patri ipſius Galeacio Sfortiæ nomen fuerit.

2 *In ſolo Britanno*] *Solo Britanno* dixit, non *Britannico* (quod Loidius Epiſcopus Aſaphenſis, & Stillingfletius unice dicendum contendunt) præ oculis, ut videtur, habens vexatiſſimum illum Panegyrici locum, de quo ipſe II. 39. Præiverat autem, præter Eumenium, ſummus Poëta Lucretius lib. 6. ver. 1105.

Nam quid Britannum cœlum differre putamus,
Et quod in Ægypto eſt. ———

3 *Hujus Regis proavi cæde*] Vide ſupra *Tom. I.* XIV. 29. ubi Comitem Araniæ Joannem Leviniæ Comitem occiſum multis lacrymis proſecutum fuiſſe ipſe teſtatur. Immerito igitur Dux Caſtellerotii ejus rei invidia onerari debuerat, niſi quis exiſtimet omnium a tribulibus male patratorum culpam in familiæ principis infamiam verti debere. Eodem pertinent cæteræ hic in Hamiltonios conjectæ criminationes, quibus in immenſum præter æquum & bonum exaggerandis, dum alienam labefactare conantur, haud parum ſuæ famæ, ſive Moravius ſive Buchananus, detriviſſe videntur.

4 *Petierit*] Ita legendum, & verſu ſequenti *extruſerit* & ver. 4. pag. ſeq. *conjecerit*, poſtulant orationis ſeries, verbaque eodem ritu exeuntia [*produxerit*] & [*vendiderit;*] non vero quod omnibus fere libris eſt editum, *petiit*, *extruſit* & *conjecerunt*.

„num vero, cum occidere non poſſet, inopem regno extruſerit; patrem, vel-„ut victimam, produxerit mactandum; matrem, regnumque ejus, cum „ipſi potiri non poſſent, peregrinis vendiderit: e qua ſervitute, numinis pro-„videntia, elapſam, in has, in quibus nunc eſt, anguſtias, conjecerit? De „qua re, publicum civium judicium vel hinc intelligi facile poteſt, quod ho-„mines ſibi viſi ſunt, ex ergaſtulo miſerrimæ ſervitutis erepti, jucundiſſi-„mum libertatis lumen intueri, cum ipſi, quod tractare non ſciebant, impe-„rium fœminæ peregrinæ vendiderint.

XXIX. His auditis, Regina per concilium Hamiltonio denunciat; „Eum „rem injuſtam petere, neque ullum a ſe ſperandum auxilium. Se autem a „Regis Legatis rogatam, ne ipſum Hamiltonium, qui nihil aliud quam ſe-„ditionem meditabatur, prius dimitteret, quam illi veniam abeundi accepiſ-„ſent, quod rem æquam poſtularent, promiſiſſe. Itaque ſe prohibere, ne „ante id tempus diſcedere feſtinaret. Regina quoque exul ſpe propinqui reditus ſuorum animos implebat. Deprehenſæ ſunt ejus literæ, quibus ſuos hortabatur; „Ut quamplurimas arces & loca munita occuparent, & quam latiſſi-„me bellum ſpargerent; neque nomen induciarum vereantur: nam ſi conditio-„nibus res transfigeretur, omnia ſuperiorum temporum delicta, ſub umbra pa-„cis, tectum iri: ſin in apertum bellum diſſenſio erumperet, quanto plura „tenerent præſidia, tanto ad hoſti nocendum paratiores fore.

XXX. Cum jam Prorex, rebus in Anglia utcunque expeditis, redeundi veniam impetraſſet, allatæ ſunt e Scotia literæ Reginæ exulis, nuper interceptæ, quibus querebatur apud ſuos; „Se ab Angla ſecus, atque uſque ab ini-„tio ipſa exſpectaverat, atque illa promiſerat, tractatam: id autem factum „quorundam aulicorum opera, per quos ſtetiſſet, quo minus cum exercitu re-„mitteretur, uti Anglam ſibi pollicitam aſſeverabat. Se tamen propediem „aliunde rei exitum ſperare, (nam jam crebris internunciis, de matrimonio „cum Havarto, tractabatur:) itaque, ne remitterent animos, ſed factionis „vires augerent; omnia turbarent, ac reditum Proregis in Scotiam, quibuſcunque „poſſent artibus, impedirent. Hæ literæ vulgatæ aliter alios afficiebant. Regina Angliæ moleſte ferebat, ſe violatæ fidei argui; induciarum quoque, ſe auctore factarum pacta non ſervari: ac, iræ ſtimulis incitata, a favore priſtino erga Reginam exulem, magis ac magis ad æquitatem inclinabat. Angli, qui Proregi bene volebant, timere, ne quid fraudis inimici ejus in itinere molirentur. Erant in regionibus, per quas iter ei erat, aut Papani magna ex parte, aut latrones, qui utriuſque regni fines accolebant, & prope omnes in ſpem novarum rerum excitati: & ſollicitatos, ut Proregem interciperent, palam erat. Igitur aulici Angli certatim ei ſuas opes, ad itineris præſidium, offerebant. Ille, ſuis comitibus contentus, circa Id. Jan. ſe in viam dedit. Regina autem Angliæ, e ſua fide & dignitate exiſtimans, ut ſalvus domum rediret, ultro ad præfectos limitum ſcripſerat, ut cum ad loca ſuſpecta, & latrociniis infeſta, ventum eſſet, proſpicerent, ne ex inſidiis circumveniretur. Id ſedulo ab eis curatum: magno enim præſidio equitum peditumque circa vias diſpoſito, Bervicum venit: & proxima luce, qui dies erat poſtridie Cal. Feb.

Feb. cum magno amicorum gaudio, qui frequentes eo convenerant, Edimburgum, velut celebri pompa, deducitur. Ejus adventum inimici, propter falſos rumores temere ſparſos, eum Londini in arce detineri, primo vix credere. Verum ubi certis auctoribus, jam Edimburgi eſſe, eſt intellectum, qui vias, eo abſente, obſederant, ut viatores exciperent, captivis relictis, trepide dilapſi ſunt: ac ſtatim, velut e turbulentiſſima tempeſtate, ſubita ſerenitas illuxit.

XXXI. Paucos poſt dies, Regiarum partium proceres frequentes Sterlinum conveniunt. Ibi quæ cum Anglis acta erant, recitata, & ingenti omnium qui aderant aſſenſu comprobata. Eiſdem diebus, ex Anglia Jacobus Hamiltonius, familiæ ſuæ princeps, advenit, a Regina Scotorum, nova & ante inaudita arrogatione, [1] in patrem adoptatus, & regni Vicarius factus. Is, propoſitis edictis, cum vetuiſſet, ne cives aliis, quam ab ipſo ſubſtitutis, parerent, Regii, certatim pecunia in equitum ſtipendia collata, ut ſe ad ultimam (ſi opus eſſet) dimicationem compararent, ad diem dictum Glaſcuam convenerunt. Sed cum ad Hamiltonium, non pro ſpe, populares adeſſent, ab amicis, ultro citroque commeantibus, concordiæ ratio tentata eſt. Hamiltonius ea lege Glaſcuam venire juſſus eſt; „Ut Regem pro ſummo magiſtratu agno„ſceret. Id ſi faceret, cætera facile conventura: ſin id renueret, fruſtra ven„turum. Ille, ex conſilio, qui aderant, amicorum, cum a factionis popularibus deſtitutus eſſet, & exercitus inimici terror in propinquo foret admotus, decrevit neceſſitati ſuccumbere, & in præſentia omnia polliceri: dimiſſis autem a Regia factione copiis, ſe per otium rebus ſuis conſulturum.

XXXII. Ubi Glaſcuam ventum eſt, prædicta dies, qua ipſi amicique eorum, ſe Regi ſubditos profeſſi, bona & honores priſtinos recuperarent: interea, ut ipſi in cuſtodia remanerent, aut e propinquis obſides darent. Adſcriptum conditionibus, ſi qui earundem partium vellent, eiſdem legibus reciperentur. Argathelius & Huntilæus ei fœderi adſcribi recuſarunt: ſive Hamiltonio ſuccenſentes, quod, ipſis inconſultis, ſe in hoſtium poteſtatem dediſſent: ſive, ſe, metu ſuæ potentiæ, laxiores leges pacis expreſſuros rati: ſive, quo ſponte inclinabant animi, eo facilius ſunt impulſi, crebris ex Anglia literis. Nam, dum hæc in Scotia geruntur, ab Regina exule literæ afferuntur, cum magnis pollicitationibus, quibus literis hortabatur ſuos; „Ne ſe vano terrore „circumagi ſinerent: ſe propediem cum magnis copiis affuturam. Et id quidem, pronis ad credendum animis, eo facilius eſt acceptum, quod Regina laxiore, quam antea, tenebatur cuſtodia: & increbreſcebant quotidie rumores, de nuptiis Havarti cum ea.

XXXIII. [2] Hamiltonius, cum Edimburgum ad diem dictam veniſſet, paullatim promiſſa variis poſtulationibus eludebat, & alias atque alias moras nectebat,

1 *In patrem adoptatus*] Libris omnibus parum venuſte, nec Buchanani more, [*in patrem eſt adoptatus*] legitur.

2 *Hamiltonius cum Edimburgum*] Longe aliter rem narrant Camdenus, pag. 164. Melvillius pag. 101. David Crafordius pag. 124. qui Hamiltonium adverſus pactorum fidem in cuſtodiam incluſum tradunt.

bat, dum reliqua factionis capita advenirent, atque uno fœdere, omnium conſenſu, tranſigeretur; item dum Reginæ abſentis animum explorarent. Petere ob hæc, ut res in decimum menſis Maji diem proferretur. Ad hanc manifeſtam ludificationem reſponſum; „Argathelium & Huntilæum fruſtra ex„ſpectari: quippe qui affirmarant, ſeorſum ſuis rebus ſe velle conſulere. Quod „autem ad Reginam attineret, ſi ipſa quoque tranſactionem non approbaret, „rogati, quid tum acturi eſſent, „Hamiltonius ingenue, ſed parum utiliter pro tempore, reſpondit; „Se, vi ac terrore præſentis exercitus, in eas con„ditiones conſenſiſſe, neque, ſi liberum ſibi foret, quicquam eorum proba„turum. Ita, detecta palam ludificatione, Prorex Hamiltonium & Maxuallium in arcem Edimburgenſem cuſtodiendos dedit.

XXXIV. Reliqua erat conſultatio, de Argathelio & Huntilæo: nam Argathelius, dum Prorex in Anglia erat, ad conſultandum de rebus communibus Glaſcuam venerat, mille circiter & quingentis comitatus: e vicinis quoque regionibus, qui eandem ſectam ſequebantur, eodem acceſſerant. Ibi ſententiis variatum, nec ulla alia de re conſenſum, niſi ut pacem turbarent. Ab Argathelio Hamiltonii petebant; „Ut Levinianos, ſibi vicinos, qui in cau„ſa Regia erant firmiſſimi, prædis agendis vexaret, & invitos in ſuas partes „traheret, aut certe eo inopiæ redigeret, ut ſuæ factioni haud multum pro„deſſe poſſent. Id ille cum ad amicorum conſilium retuliſſet, neminem ſuæ ſententiæ fautorem invenit. Meminerant enim, a multis jam retro annis, Levinianos Argathelio fuiſſe addictiſſimos, & multis neceſſitudinibus conjunctos. „Deinde qui magis Argathelii, quam Hamiltonii, Levinianis, utriſ„que interjectis, eſſent vicini? aut cur in ipſum rem invidiæ plenam rejice„rent? ipſos jubebant, quorum res maxime ageretur, principes eſſe. Id ſi „facerent, Argathelium eis non defuturum: ſed ita non defore, ut comes, „non dux, in prædando eſſe vellet. Paucos cum dies tenuiſſet conventus ille, nullo operæ pretio confecto, ſolutus eſt. Argathelius, qua proximum erat, per Leviniam ſine noxa domum eſt reverſus. Ea modeſtia, vulgo, & principibus etiam adverſæ factionis, multo eum cariorem, & veniam ei impetrabiliorem, fecit.

XXXV. At Huntilæus, [1] conatus irrumpendi per Merniam, Anguſiam & Jerniam fruſtra, Prorege abſente, expertus, cum multa hominum vexatione, prædaque omnis generis, vicina ſibi loca pervagatus, cum vicarios ſibi, citra Deam, Crafordium & Ogilvium conſtituiſſet, omniaque Regum munia tentaſſet uſurpare, difficiliorem ſibi concordiæ rationem effecerat. Hi ergo cum ſeorſum quiſque ſuum negotium ageret, concilium apud Fanum Andræ utrique eſt datum. Prior Argathelius venit. Cum eo minime difficilis erat ratio: nam, & eo anno, ut ſuperiore, a prædando abſtinuerat, & Proregi cognatione propinquus, & cum eo, a primis uſque pueritiæ ſpatiis, familiari conſuetudine, & arcta junctus erat amicitia. Ei jusjurandum tantum propoſitum; „Se in

„po-

1 *Conatus irrumpendi*] Haud ſcio an recte & genio Latini ſermonis dicatur, [*expertus conatus irrumpendi fruſtra*,] niſi porro verbum addas [*ceſſiſſe*.]

„poſterum Regi, abſque fraude, pariturum. Si fallat, præter vulgatas legum „pœnas, ſe non deprecari, quo minus, apud omnes homines, ignominioſus „& inteſtabilis habeatur. Ad eandem ſacramenti formulam cæteri, etſi longe diverſis legibus, in gratiam ſunt recepti. At Huntilæi cauſſa, ante adventum ejus, diu in concilio fuit agitata. Cum enim in Anglia nuptiæ Havarti cum Regina exule, & eorum adventus in Scotiam, occulte pararentur, eorum factio in Scotia paullatim ſeſe erigebat, & rebelles ad non parendum animabat. Rebus enim perturbatis, faciliorem novo Regi aditum, ad regnum occupandum, ſperabant. Igitur, cum Proregi ſatis ſcirent perſuaderi non poſſe, ut Regem, cui Tutor & avunculus erat, proderet, ejus potentiam arte conantur imminuere. Nam, præter eos, qui aperte arma adverſus Regem geſſerant, magna pars conſiliariorum non clam, ut ſæpe antea, ſed palam, Huntilæo ſtudebant. Ii ſumma vi contendebant; „Ut ei præteritorum eſſet im„punitas. Id enim & tutius, & ad concordiam pronius, & ad famam hone„ſtius, eſſe, ut ſine vi civilia vulnera ſanentur: neque, uſque ad bonorum „direptionem, cædem & ſanguinem, ſæviatur. Ita enim, & domi tranquil„litatem, & foris laudem, parari poſſe. Sin ad arma ſpectet res, certamen „fore, adverſus hominem, vetere potentia, & multis propinquitatibus & clien„telis prævalentem: qui, etiamſi vincatur, (quod adhuc incertum eſt) tamen „ad montes & ſolitudines poſſe confugere, aut ad Reges exteros ſe conferre, „ac deinde, in tempore, ex hac odiorum parva ſcintilla, magnum belli incen„dium ſuſcitare.

XXXVI. Contra diſputabatur; „Bellum iſtud non tam formidabile, quam „quidam credi volunt, fore. Patrem ejus inveteratæ prudentiæ opinione, in„tegris adhuc opibus, minimo conatu fuiſſe ſubverſum, nedum hic juvenis, „auctoritate nondum confirmata, & recenti calamitate familiæ ambuſtus, ad„verſus regni opes, & Regii nominis amplitudinem, par eſſe poſſit: qui ſi aut „prælio victus, aut virium infirmitatis conſcientia ſibi metuens, ad montana „fugiat, poſſe, quos ille nuper conciliavit, paribus, aut certe majoribus do„nis, adduci, ut eum vel occidant, vel Proregi prodant: fidem enim mer„cenariam cum fortuna mutari, florentem ſequi, afflictam deſerere. Apud ex„teros vero Reges, quantas quiſque opes habeat, tanti fieri: neque alienam „calamitatem, ſed ſuum quemque ſequi emolumentum. Quod ſi in Regibus „ea humanitatis & clementiæ vis eſſet, ut ſordibus & exulum egeſtate move„rentur, tamen ea nunc eſſe tempora, quæ metum ab exteris nobis demant. „Angliam enim, quæ cauſſæ noſtri Regis non ſit inimica, ſolam in Europa „bonis pacis florere: cætera regna vicina ita domeſticis malis diſtineri, ut ad „res externas reſpicere non ſit otium. Quod ſi etiam otium abunde ſuppetat, „tamen ſperandum eſſe, æquitatem pluris apud eos fore, quam erga exules (Regibus ſuis rebelles, alienis infidos,) miſericordiam. Ex impunitate vero, „non, quam illi prædicant, clementiæ famam, ſed ſocordiæ potius, ſecutu„ram: quod aut timide juſti certaminis aleam defugerint, aut, ſub umbra „pacis, bellum imprudenter aluerint: pacis, inquam, umbra, quæ labefa„ctatos jamdudum animos rebellium recreet, & fidelium Regis amicorum ala-

,,critatem infringat. Quid enim animi utrique parti fore ſperabimus? cum ,,alteri, impune ſibi licuiſſe omnia, videant, & in poſterum licitum iri ſpe-,,rent; alteri penes perfidos hoſtes ſcelerum præmia ſpectent, ſeſe ſpoliatos ,,ſuis bonis, omnibus belli calamitatibus vexari? &, cum præmia ſuæ fidei ,,& conſtantiæ ſperaſſent, amoris, erga Regem & patriam, ſe luere pœnas ,,ſentiant? Quis igitur dubitet, quin, ſi res ad arma poſthac ſpectet, (quod ,,fore neceſſe eſt, niſi nunc in ortu flamma ſopiatur) quis, inquam, dubitet, ,,quin ea pars firmior ſit futura, in tanto præſertim malorum proventu, cui ,,omnia impune liceant, quam cui omnia, per vim & injuriam, ſint patienda. ,,Quod ſi hæc incommoda inanem iſtam clementiæ ſpeciem non ſequerentur, ,,tamen neque Proregem, neque Regem ipſum, poſſe, ullo jure, ſpoliatorum ,,bona latronibus condonare. Id enim ſi faciant, ſuam ipſis perſonam depo-,,nendam, latronum eſſe aſſumendam: multo enim crudelius, ſi hæc recipia-,,tur conditio, populum a Regibus, impunitatis auctoribus, quam ab [1] hoſti-,,bus populatoribus ſpoliari. Hoc genus multa cum pro utraque parte dicta fuiſſent, victique fuiſſent, paucis ſententiis, impunitatis auctores, Prorex pronunciavit; ,,Se, concordiæ cauſſa, damna, ſibi privatim ac Regi illata, con-,,donaturum: rem alienam condonare nec poſſe, nec velle. Quod ſi Huntilæus, ,,aut ejus amici, qui ſectam ejus ſecuti fuiſſent, tranſigere cum ſpoliatis poſſent, ,,id ſe lubente facturum, curaturumque, ut arbitri, ex voluntate partium, ,,darentur, qui damni æſtimationem temperarent.

XXXVII. In has conditiones concordia, ut videbatur, ſtabilita, ſecuta eſt alia, parva in ſpeciem, contentio, ſed quæ majore, quam prior, certamine diſceptata ſit. Controverſia in eo erat, omnibuſne promiſcue, qui Huntilæum ſecuti erant, venia danda eſſet, an ſeorſum cauſſæ meritaque ſingulorum expenderentur. Alii, quia cum Huntilæo durius actum videri volebant, quod damna læſis ſolvere cogeretur, hic aliud ei indulgeri æquum cenſebant, neque omnem apud ſuos gratiam tolli. Contra diſputabatur; ,,Nihil magis, ,,in hoc genere bellorum, ſpectandum, quam ut factiones ſolvantur: ne-,,que alia ratione id facilius obtineri, quam ſi gratiæ & pœnæ judicium pe-,,nes unum ſit Principem. Æquam omnibus ſtatui multam, quorum impa-,,ria ſint delicta, id quam iniquum ſit, omnes intelligere: pœnæ autem æ-,,ſtimationem Huntilæo minime omnium debere relinqui: qui (ut credibile ,,eſt) maximorum delictorum ſit leviſſimas pœnas exacturus, & in minime ,,noxios totum onus inclinaturus: quippe qui non cujuſque merita, ſed ope-,,ram ſibi navatam, ſit in pœnis irrogandis expenſurus. Ut enim quiſque ,,maxime crudeliter & impie fuerit in bello verſatus, ita primum gratiæ & ,,amicitiæ locum obtinebit: contra, leviſſimi ſceleris graviſſimam pœnam de-,,pendent, qui ad flagitia ſegniores fuerant; & ſuæ modeſtiæ, & favoris ,,erga Regem, multam ſolvent.

XXXVIII.

1 *Hoſtibus populatoribus*] Ita quidem jubente Crafordio emendavimus, invitis licet omnibus libris, quibus [*hoſtium*] legitur. Forte tamen & hoc, quamvis longe rariſſimum videatur, defendi utcunque poſſit, ſi [*hoſtium*] hic per [*ex hoſtibus*] reſolvamus.

1 *Eſt*

XXXVIII. Hæ rationes ita concilium in hanc partem inclinarunt, ut decerneretur, ut ſeorſum de ſingulis judicaretur. Ne tamen nihil ei datum videretur, conceſſum, ut domeſticos, judicio exemtos, ipſe ſuo arbitrio multaret: illud vero, quod magnopere laborabat, ne Prorex cum copiis ad ſeptentrionalem regni plagam proficiſceretur, obſtinate negatum. Cum, hoc maxime pacto, ad Fanum Andreæ cum Huntilæo tranſactum eſſet, cum duabus mercenariorum cohortibus, & ſatis magna amicorum manu, Prorex primum Abredoniam, deinde Elginam, demum Ennerneſſum [[1] eſt] delatus. Accolæ, ad ea oppida convenire juſſi, omnes paruerunt. A quibuſdam pecunia, quæ multæ nomine imperata erat, repræſentata, & ab aliis prædes dati: ab Huntilæo, & tribuum ac magnarum clientelarum principibus, obſides adducti. Ita nationibus, quæ ad ſeptentriones vergunt, pacatis, cum ſumma bonorum omnium per totum iter gratulatione, Perthum eſt reditum. Eo conventus Nobilitatis erat indictus, ob literas, quas Robertus Bodius Elginam ex Anglia ad Proregem attulerat. Erant autem literæ perlatæ, alteræ privatæ, alteræ publicæ: privatæ quidem, ab aulicis quibuſdam Anglis, de Havarti conjuratione: „Eam tanta potentia ſubnixam, tanta prudentia diſpoſi„tam atque inſtructam, ut nullius viribus, nullius ingenio, ei reſiſti poſſet, „ne ſi reliquæ totius Britanniæ vires adverſus eam coëant. Hortabantur autem amici, „Ne fortunam ſuam florentem, cum rebus aliorum perditis miſceret: „ſibique pariter, ac rebus ſuis, adhuc integris, conſuleret.

XXXIX. Status rerum Anglicarum [2] hic nos paullum divertere cogit, quod, eo tempore, adeo, utriuſque regni proſpera & adverſa conjuncta erant, ut altera ſine alteris explicari nequirent. Scoti, ante aliquot annos, Anglorum auxiliis e ſervitute Gallica liberati, [3] religionis cultui & ritibus, cum Anglis communibus, ſubſcripſerunt. Ea ſubita rerum mutatio ſpondere videbatur, Britanniam univerſam ab omni domeſtico tumultu conquieturam. E continenti vero, Pontifex Romanus, Gallorum & Hiſpanorum Reges, bellum mina-

1 *Eſt delatus*] Hanc voculam [*eſt*,] omnibus libris deſideratam, ſupplevimus.

2 *Hic nos*] Princeps Editio Edimb. [*his nos.*]

3 *Religionis cultui & ritibus cum Anglis communibus ſubſcripſerunt*] Acriter inter noſtrates de horum Buchanani verborum ſenſu diſputatum eſt. Qui enim Presbyteranorum partibus nomina dederunt, nihil hic aliud ſignificari volunt, quam, ex Lethenſis ſive Edimburgenſis colloquii anno 1560 legibus, Scotos in genere pepigiſſe, ſe eundem Dei cultum, eademque a Pontificiorum erroribus repurgata religionis dogmata, quæ tum apud Anglos vigebant, in poſterum ſervaturos, ac legibus latis confirmaturos. Contra vero, qui Epiſcoporum jura ac Liturgiarum uſum tuentur, Buchananum contendunt, voce [*ritibus*] adjecta, aliquid porro amplius ſignificaſſe; neque eadem ſolum religionis capita, ſed & eoſdem ritus & cærimonias, conceptaſque adeo Eccleſiæ Anglicanæ precum formulas, quas tantopere nunc averſantur, apud Scotos tum introductas, ac aliquot poſt annos uſitatas arbitrantur. Quod ad me attinet, quamvis poſteriori huic ſententiæ magis accedam, ne tamen extra oleas vagari videar, rem omnem Theologis diſceptandam relinquo. Cæterum videſis Sagii *Fundament. Chart. Presbyt.* pag. 87 & 88. ejuſdemque *Vindicias adverſus Dialogum inter Ruſticum & Curionem* pag. 173. & ſeqq.

1 *Quam-*

nabantur, & conſilia novarum rerum inter ſe clam tractabant. Et Pontifex quidem, hortando & pollicendo, ſtrenue faces animis ira tumentibus admovebat. Regibus autem, inter ſe non ſatis domi concordibus, ita opes erant exhauſtæ, ut magis cupere quam ſuſcipere bella viderentur. Suberat & illa æmulatio, quod neuter videretur æquo animo laturus, tantum alteri virium accreſcere, quantum Anglia devicta adjectura videretur. Inter eos interea & ſuos cives hæ contentiones inciderunt, quæ animos a rerum externarum cogitationibus averterent: quanquam & novitas regni, quod adoleſcens fœmina, abſque viro, ſummæ rerum apud Anglos præeſſet, (quam, qui ei iniquiores erant, ex illegitimis nuptiis Henrico Octavo genitam aſſeverabant) & ſuperioribus, tam de regno, quam de religione, diſſidiis magis repreſſis quam exſtinctis, odiorum tamen ſcintillæ adhuc in animis vivebant, quæ mox in magnum incendium erupturæ crederentur. Multis interim conatibus a Papanis Anglis temere ſumtis, & cito pacatis, cum ſemper fere res infeliciter ſuccederet, exteris aſſidue ſpem, quantumvis variam, oſtentantibus, nec auxilia ulla ferentibus, pervicaciter tamen in conſilio ſuſcepto perſiſtebant: magiſque dux multitudini, quam opes & animi deeſſe videbantur.

XL. Circumſpiciebat vulgus ora procerum, nec ſatis occurrebat quiſquam idoneus, cujus fidei ſe ſuaſque omnes fortunas committerent. Turbulentiorum enim arma multos abſumſerant: multi in diverſam ſectam tranſierant: nonnullos aut vivendi maturitas gravioribus negotiis obeundis ſubduxerat, aut ſimul cum corporis viribus fractis ita animos molliverat, ut pacem, modo non iniquiſſimam, pati poſſent. Unus eminebat inter cæteros Thomas Havartus, cui & animus & opes eſſent, ut tantam procellam ſuſtinere poſſet: & cauſſæ ſuberant, quæ animum, alioqui quietum, ad rerum novandarum ſpem impellerent. Avus enim ejus & proavus, rebus præclare bello & pace geſtis, tamen inter inſtabilis aulæ procellas ita jactati fuerant, ut ſummam gloriam prope ſemper ſumma compenſaret ignominia. Pater, majeſtatis poſtulatus, publice pœnam luerat: duæ etiam propinquæ ejus, Reginæ, ſupplicio fuerant affectæ. Ipſe, in tanta rerum anguſtia liberaliter educatus, familiam ab interitu vindicavit: &, in ipſo juventæ introitu, ſingularis prudentiæ ſpem præbuerat. Paucis autem annis, mortibus uxorum, & novis matrimoniis ditatus, Anglorum longe potentiſſimus poſt Reges evaſit: ac opibus & prudentia reliqua quidem nobilitas ei cedebat. Sed in re militari nullum adhuc ſui ſpecimen dederat. In religionis vero controverſiis ita ſe ambiguum gerebat, ut [1] quamvis ex animo Papiſmo faveret, diverſarum tamen partium hominibus interim ita ſe dabat, ut eorum plerique pro ſuo eum numerarent.

XLI. Inter hæc, Regina Scotorum, prælio victa, in Angliam ſe contulit, & literas, de cauſſa ſui adventus, ad Reginam Anglorum dedit. Ab ea juſſa eſt, apud Scrupum, hominem nobilem, & limitis propinqui præfectum, in-

1 *Quamvis ex animo Papiſmo faveret*] At ipſe Norfolcius, extremis ſuis verbis, cum jam cervices ſecuri ſubmitteret, plane contrarium eſt teſtatus. Vide Melvillium pag. 100. & Hiſtoricos Anglos.

1 *Per*

interea divertere, dum de poſtulatis ejus agi in concilio poſſet. Porro Scrupi uxor Havarti erat ſoror. [1] Per eam primum ſecreto tractatum eſt, de matrimonio eam cum Havarto copulando: &, velut divinitus oblata ad id occaſione, Havartus, tertia uxore vita functa, tum cœlebs erat. Ea conſilia, etſi paucorum conſcientiæ commiſſa, ſupprimebantur, crebis tamen vulgi rumuſculis paullatim emanabant. Spei enim magnitudo anguſtis pectorum clauſtris contineri non poterat: ac, immodica lætitia producente, ſtatim per ora populi ſe diffudit. Jamque eo progreſſa res erat, ut omnia belli civilis incendiis mox conflagratura viderentur. Nec deerant, qui, expenſis partium viribus, Havartum, quæ vellet, non magno molimine, ſine vi confecturum, affirmarent.

XLII. In hoc ſtatu rerum, proceres Scotorum frequentes Perthum convenerant, ut duarum Reginarum poſtulata audirent: ſcripſerat enim utraque ad publicum gentis concilium. Reginæ Anglorum literæ trium conditionum unam proponebant. Prima ſimplex erat; „Ut Regina Scotiæ in priſtinum „locum & auctoritatem reſtitueretur. Sin id impetrari non poſſet, ut com„muniter cum filio regnaret, & Regii nominis honore, in literis & actis „publicis, frueretur: interea ſumma rerum penes Proregem eſſet, donec „Rex annum decimum ſeptimum expleret. Tertia erat conditio, ſi neutrum „horum poſſet obtineri; ut (ſiquidem Regina id ſibi perſuaderi permitteret) „privata domi viveret, eis contenta honoribus, qui, ſalva Regis auctoritate, „ei concedi poſſent. Huic ultimo capiti facile eſt aſſenſum, ſiquidem Regina ad eam accipiendam perduceretur: cætera obſtinate negata. Melior enim & incorruptior Nobilitatis pars in eo perſtabat; „Se nec debere, nec poſſe, „quicquam ſtatuere, quod Regis auctoritatem imminuere videretur, præſer„tim cum legitime Rex creatus eſſet: priora vero capita non modo honorem „& auctoritatem, ſed etiam vitam innocenti pupillo auferre, niſi forte ma„trem, in maritum expertæ crudelitatis, filio inimicam, exilio exaſperatam, „nunc exiſtiment mitiorem fore.

XLIII. Deinde, recitatæ ſunt literæ Reginæ exulis, quibus petebat; „Ut „judices darentur, qui de ſuis cum Bothuelio nuptiis cognoſcerent: ac, ſi „comperirentur contra leges factæ, peterent, ut a viri poteſtate libera decer„neretur. Hæ literæ factionem Regis vehementer offendebant, quod & ſe Reginam [2] ſcribebat, & velut ſubditis imperaret. Nec deerant, qui eas, quod Regem in ordinem cogerent, ac penes Reginam exulem omnium rerum poteſtatem ſtatuerent, ſine reſponſo prætereundas eſſe decernerent. Ea pars concilii, quam ex Reginæ arbitrio pendere diximus; „Multum ſe mirari, ſimu„labant, cur, qui ab ea tantopere ſuperiore anno contendiſſent, ut ſuam cauſ„ſam

1 *Per eam primum*] Leſlæus vero in ſua *legatione*, & Camdenus pag. 154. harum nuptiarum ſpem a Moravio primum Norfolcio injectam tradidere. Vide ſupra ad XIX. 19.

2 *Scribebat, & velut ſubditis imperaret*] Vel hic *imperabat*, vel illic *ſcriberet*, quibuſdam dicendum videbitur: at optimi quandoque ſcriptores eam ἀκρίβειαν neglexerunt.

„ſam a Bothuelio ſepararet, nunc, cum id offerretur ultro, majore id ſtudio „impediant, quam antea poſtulaverant. Quod ſi verbum unum & alterum „in literis eos offenderet, id vitium facile corrigi poſſe. „Nec deerant, qui „ſponderent, („Sinerent modo interea divortii cauſſam agi,) ſe curaturos, „ut Regina procurationem, quibus vellent verbis conceptam, mitteret. Con„tra ab adverſa parte contendebatur; „Nullam ſe derepente ortam videre tan„tæ feſtinationis cauſſam. LX. dies eſſe legitimos, ad Bothuelium, ut qui „extra regnum eſſet, in jus vocandum. Intra id tempus, novam poſſe mitti „procurationem, nec debere eam moram longam videri, ei præſertim, quæ „biennio, rem tantam ſilentio tranſiſſet, ac nunc demum eas mitteret lite„ras, quæ gratificari in hac cauſſa volentibus impedimento eſſe poſſent, quo „minus obſequerentur. Si vere divortium expeteret, nihil factu facilius: ſcri„beret ad Regem Danorum, atque oraret, ut in Bothuelium, prioris mariti „interfectorem, jure animadverteret: eo exſtincto, invitis omnibus adverſariis, „quocum vellet, ei poteſtatem nubendi fore. Id ſi abnueret, eam non ex „animo, ſed ſimulate, de divortio agere, ut cum proximo etiam viro, ſi cui „nuberet, in incerto matrimonio eſſet. Ejus rei vel hinc magnam eſſe ſuſpi„cionem, quod de divortio ab eis judicibus vellet pronunciari, qui nullum „ſtatuendi jus haberent. Quod enim Proregi jus in exules eſſe, quibuſcum ni„hil divini aut humani commune haberet: qui, niſi ex ipſorum voluntate „pronunciaretur, ſtaturi judicato non eſſent? Aut quomodo, qui ſui juris non „eſſent, alieno juri ſe ſubjicerent? Atque cum fraus aliqua occulta ſubeſſe vi„deatur, non properandum ea de re judicium: ſed Reginam Angliæ, quæ „rem vel promovere vel impedire poſſet, præmonendam. Miſſus eſt in Angliam [1] juvenis nobilis, ex Proregis familiaribus, qui acta conventus ad Reginam perferret.

XLIV. Mirum fortaſſe cuiquam videri poteſt, quod rebus maximis minore diſceptatione tranſactis, de divortio tanta contentione ſit actum. Ejus rei cauſſa hæc erat. Havartus cum Regina Scotorum de matrimonio clam per amicos tranſegerat: deinde huic conjurationi domi foriſque tantæ vires acceſſerant, ut vulgi ſermonibus libere jactaretur, conſilia, [2] de Regibus legitimis trucidandis, & duobus regnis occupandis, inita eſſe: loca, tempora, ac totum rei gerendæ ordinem ita diſpoſitum, ut adverſus vim omnia proviſa eſſe viderentur. Id autem conjurationis conſcii unum agebant, ac vehementer urgebant, quod matrimonio moram allaturum videbatur: quod ſi obtinuiſſent, de cæteris, ut ſponte ſecuturis, erant ſecuri. Contra vero, qui a Rege ſtabant, unum id ſtudebant maxime, ut moram nuptiis afferrent; „Interea multa con„ſilia occulta, ſpatio interpoſito, eruptura, & conjurationem, conſenſu Re„gum amborum, opprimi poſſe.

XLV.

1 *Juvenis nobilis*] Is erat Joannes Vodius, Moravio ab Epiſtolis, vafritie magis quam ulla re alia nobilis. Melvill. pag. 99. Dav. Craf. pag. 129.

2 *De Regibus legitimis trucidandis*] Nihil ejuſmodi, vel a Regina Scotorum, vel a Norfolcio agitatum, plane oſtendunt Articuli de hiſce nuptiis initi menſe Majo 1569. Vide Camdenum pag. 169. Brun. Proceſſ. Norfol. in Præf. Dav. Craford. Comment. de reb. Scot. pag. 117.

XLV. In hoc rerum ſtatu, decreto concilii Scotici ad Anglam perlato, ea, quod nec ſatiſfactum ſibi eo reſponſo, diceret, &, qui miſſus erat, non ſatis idoneum videri, cum quo, de tantis rebus, tam periculoſo tempore, conſilia conferret, amplius de iis rebus edoceri poſtulat. Itaque, iterum conventu procerum Sterlini habito, reſponſum; „De ultimo ſuperiorum petitionum capite, „poſſe conditionibus tranſigi. Secundum vero tale eſſe, ut, ſine ſummo ſce- „lere, de eo conſultari nequeat: quippe quod non imminueret modo, ſed „omnino tolleret Regis auctoritatem. Nam, præterquam quod omnis regni „ſocietas eſt periculoſa, quam tandem æquam imperandi conditionem fore pue- „ro, vixdum infantiam egreſſo, cum muliere florentis ætatis, natura callida, „& varietatem fortunæ experta? quæ, ubi ſemel in partem adminiſtrationis „publicæ irrepſerit, vel factionis ejus viribus, quæ, decreto publico, a rerum „gubernaculo remotam, non precibus, ſed minis eam ſtudet reſtituere, vel „corruptis Regis inimicis, vel peregrino milite, quem nunc ſedulo arceſſit, „totam imperii vim in ſe facile trahere poſſit? Aut, quomodo patietur infan- „tem ſibi æquari, quæ maritum non tulerit; Ad hæc, ſi homini alicui potenti „(quod nunc maxime tractaretur) nuberet, duplicatis Reginæ viribus, & „marito ejus (quod neceſſe foret) in partem imperii accepto, & eo marito, qui „non libenter pateretur, liberos ſuos a privigno, in poſſeſſione regni, anteiri, „quam pueri conditionem fore? Quid ſi ejus amici (ut eſt hominum inconſtan- „tia) præſentem largitionem futuræ ſpei anteferentes, ad potentiorum cultum „ſe conferant? ibi, quid puero, in ſecundum ac mox in tertium locum detru- „ſo, præter præcipitium, ſupereſt? Cætera ſe tacitis cogitationibus relinque- „re, quam ominari, malle, quid mulier irata, viribus imperii freta, impo- „tentibus avunculorum conſiliis inſtructa, crudelitatem in viro experta, & „exilio exacerbata, in puero, omnibus naturæ & fortunæ præſidiis nudato, „& velut ad iræ piaculum expoſito, foret auſura; quæ vita pueri amicos ma- „neret, a quibus graviſſime ſe læſam exiſtimaret. Quis, cum iram, ſuperiori- „bus temporibus metu occultam, expromeret, religionis ſtatus eſſet futurus? præ- „ſertim ejus crudelitatem innatam incitante notæ ſuperbiæ marito: quam facile „vel puero exſtincto amici, vel puer amicorum interitu ad ſolitudinem redactus „ſubverti poſſet? His de cauſſis, Reginam in partem imperii, ſine certa Regis „pernicie, aſſumi non poſſe. Hæc cum ita ſe habeant, nihil opus eſſe de pri- „mo capite pluribus agi.

XLVI. Hæc qui deferret in Angliam, eſt miſſus Robertus Pitcarnius, homo non minoris conſilii quam fidei. Is, in ipſo adeo tempore, in aulam advenit; conjuratione, de utroque regno, cæſis Regibus, occupando, palam explorata & divulgata. Ejus conjurationis tantæ opes erant, ut Angla, de ſuo ſtatu ſollicita, Havarto in arcem Londinenſem incluſo, in Reginam exulem non auſa animadvertere, deliberaret, de ea mari ad Proregem Scotiæ mittenda. Sed id conſilium, tempeſtate paullum ſedata, fuit diſcuſſum.

XLVII. Interea Prorex, creſcentibus ſupra modum factionis adverſæ viri-

 bus,

bus, [1] Gulielmum Mætellanum, omnis conjurationis fomitem, Pertho Sterlinum arceſſit. Is, multa ſibi male conſcius, etſi Proregis perpetuam, erga omnes amicos, in graviſſimis etiam delictis, perſpectam haberet lenitatem, cunctabunde tamen venit: ac, prius explorato, ſi quid adverſus ſe novi conſilii captum eſſet, egit cum Comite Atholio, ut una veniret, ut eo, ſi quid opus eſſet, deprecatore uteretur. Sterlini eum, in concilio ſedentem, Thomas Crafordius, Comitis Leviniæ cliens, reum cædis Regiæ poſtulavit. Is in cubiculo ſeorſum in arce ſervari juſſus eſt. Miſſi, qui Jacobum Balfurium, abſentem, comprehenderent. In utrumque legibus animadvertendum cenſentibus circumſpectioribus, ut qui omnium, per aliquot annos, turbarum auctores fuiſſent; & velut in proximo Rege tollendo ſceleris conſcii, ita factionis adverſus filium ejus principes eſſent. Sed vicit utilitatis publicæ rationem [2] Proregis lenitas, calamitoſa patriæ, ipſi vero fatalis.

XLVIII. Nam Balfurio novæ conjurationis, nuper initæ, gratiam, per amicos exoratus, fecit: Mætellanum, Edimburgum ductum, in hoſpitium, non procul ab arce, dimiſit. Adhibiti erant ei cuſtodiendo equites aliquot, præfecto eis Alexandro Humio, adoleſcente impigro & nobili. Sed Gulielmus Kircadius, arcis præfectus, circa horam decimam nocturnam, literas confictas, Comitis Moravii chirographum imitantes, ad Alexandrum attulit, quæ Mætellanum Kircadio tradi juberent. Ille, ut qui non ignoraret, quem in amicitia gradum apud Moravium Kircadius obtineret, nihil cunctatus literis paruit. Ita Mætellanus, ab arcis præfecto, qui occultius, ad eum diem, cum inimicis publicis ſenſerat, in arcem abducitur, multum fremente Nobilitate, ac prope incerta, Kircadione tantum facinus imputarent, an Proregi, tanquam audaciæ ejus non ignaro: ac res ad ſeditionem ſpectare videbatur, niſi totius vitæ ejus ſanctitas omnem calumniam ſuperaret. Fuerat quidem & Kircadius, ad eum uſque diem, & manu fortis, & in amicitia colenda conſtans habitus, & cum aliis multis Proregis beneficiis ornatus, tum in arce cuſtodienda omnibus amicis & propinquis prælatus; verum prudentioribus etiam tum ſuſpectus. Sed ea erat Proregis in amicos indulgentia, ut, quos aliquando amaſſet, in ſcelere deprehenſos, durior eſſe non poſſet. Kircadius, ad Proregem arceſſitus poſtridie, venire renuit: atque alieniſſimo tempore, cum jam Havartus & Regina indies exſpectarentur, animos adverſæ factionis erexit: peſſimis vulgo ſparſis rumoribus; „Proregem ab intimis amicorum, in rebus dubiis, „deſertum, & inimicorum libidini, arce alienata, relictum, cæteris tam il-„lu-

1 *Gulielmum Mætellanum*] Belle a Buchanano inſtituta eſt ea, quæ ſequitur de Mætellano Balfurio & Grangio narratio, qua eos inſignis perfidiæ conſcios, Moravium omni criminis labe immunem vult videri. At Melvillius, cui par hac in parte fides deberi videtur, inverſo prorſus ordine rem narrat pag. 100. & ſeqq.

2 *Proregis lenitas*] Non *Proregis lenitati* quæ nulla hac in re fuerat, ſed Grangii amicitiæ, ſalutem ſuam acceptam debuere Ledintonius & Balfurius: eodem enim tempore, quo hi cædis Darleanæ poſtulabantur, Grangius litem de eodem crimine Mortonio & Arch. Duglaſſio intentari petebat, qui ſibi male conſcii metuentes, Moravio diem prolatandi auctores fuerunt. *Idem ibid.*

1 *Pro-*

„ luſtre exemplum ſecuturis: ac fore brevi, ut, [1] Prorege ſublato, Rex innoxius, ejuſque fautores, in omnia, quæ ſæviſſimis tyrannis luberet, ſupplicia traderentur.

XLIX. Nihil tamen Prorex his ſermonibus commotus, ſequenti luce in arcem aſcendit. Cuſtodem allocutus, velut placatus, vultu nihil immutato, rediit, & ad expeditionem, quam in latrones ſuſceperat, per Marciam profectus, ad Alexandrum Humium gentis principem, familiariter, ut ſolebat, divertit. Illic quoque (nam Humius, ad rem avidior, magnis pollicitationibus in diverſam factionem ſeductus erat) nullum animi amici indicium reperit. Nam ab Humii uxore, fœmina arrogante, propemodum conviciis exagitatus, in Teviotiam abiit. Eo cum veniſſet, cum exiguo & prope quotidiano comitatu, latrones, in illa amicorum ſolitudine, virtutem & conſtantiam ejus ſuſpicientes, fide publica accepta, adeo frequentes ad eum convenerunt, ut plerumque multitudo eorum ejus familiares & comites æquaret, interim autem anteiret. Nec ille tamen quicquam de priſtina animi altitudine remiſit, quo minus eis e dignitate & ſua & publica reſponderet: eoſque procul dubio ſine vi pacaſſet, niſi e Nobilitate vicina quidam in Havartum proni, & jam arma ſpectantes, obſtitiſſent. Amicis ad diem præſtitutum confluentibus, in fines latronum duxit: quanquam vicinorum quibuſdam, objecta difficultate & periculis, eum deterrere conatis. Lidaliam, Eviam, Eſciam cum exercitu pervagatus, non modo ab illis, ſed ab ulterioribus etiam ultro miſſos obſides accepit: paucis, qui ob maleficiorum magnitudinem, veniam deſperabant, aqua & igni interdixit. Hæc ejus expeditio non modo gratiam vulgi, ob ſecuritatem publice partam, confirmavit, ſed ſummam etiam admirationem expreſſit, quod homo, ab intimis amicorum deſertus, in extrema prope omnium rerum penuria, paucis diebus perfeciſſet, quod Reges potentiſſimi, in pace tranquilla, magnis copiis, ac longo tempore, efficere ægre potuerunt.

L. Inter has res certior factus eſt, conjurationem Anglicam detectam; Havartum in carcerem, Reginam Scotorum in arctiorem cuſtodiam datam. Et Robertus Pitcarnius, confectis ex animi ſententia rebus, e legatione rediit: oſtenditque res a Prorege geſtas Reginæ Anglorum eſſe gratiſſimas, quod limites pacaſſet, quod unum e conjuratis, Northumbriæ Comitem, in Scotiam fugatum, comprehendiſſet, & in cuſtodia haberet; quod reliquos velut hoſtes perſequeretur; quod præfecto Bervici ultro in omnes caſus auxilia obtuliſſet. Horum officiorum ſe memorem fore pollicebatur, nec ejus periculis defuturam: omnibus regni Anglorum copiis eum pro ſuis uti poſſe. Toto hujus expeditionis tempore, cum aſſidue per fidos homines, de maxima conjuratione domi inita, multa ad Proregem deferrentur, omniumque pene literis arcis præfectus per-

1 *Prorege ſublato*] Ita Tho. Crafordii juſſu reſcripſimus, pro quo libris omnibus [*præſide*] irrepſit. Quamvis enim Ovid. Met. 15.

——— *Quo præſide rerum*
Humano generi ſuperi caviſtis abunde;

de Auguſto loquens dixerit, nunquam tamen hoc ſenſu vocabulum Buchananus adhibuit: minime autem hoc loco *præſidem* eum appellatum oportebat, quem alibi toties ſolenni & peculiari quaſi nomine *Proregem* nuncapaverat.

1 *Fœ-*

perſtringeretur, Prorex, veterum officiorum adhuc recente memoria, & conſuetudine priſtina non penitus ex animo abolita, ſimpliciter ad eum omnium delationum exemplar miſit. Ille ad ea crimina adeo frigide reſpondit, ut multo quam antea ſe ſuſpectiorem redderet. Negavit enim; „Quenquam eſſe, qui ſuam „ſubſcriptionem ad ullam pactionem, quæ ad illam conjurationem pertineret, „oſtendere poſſet.

LI. Interea appropinquabat dies rei capitalis Mætellano dictus. Nam, ut eſt in arcem receptus, velut periculum audacia diſcuſſurus, maximopere petiit, „Ut ſecum judicio experirentur. Perſuaſum enim habebat, tantas eſſe conjurationis, in Anglia factæ, & Scotia (cujus ipſe inter principes erat) vires, ut nihil ordine & judicio ſtatui poſſet: ad judicia enim rei capitalis, magnæ advocationes amicorum & clientium convenire ſolent, pro reorum vel factione, vel gratia, vel nobilitate, ut tum quoque evenit. Omnia enim in eum diem comparaverant ſubſidia principes factionis Regi adverſæ, cujus Hamiltonii, Gordonii, & Argatheliæ Comes, capita numerabantur, ea ſpe, ut, ſi armis (quod facillimum erat) judicium turbaretur, ſe, qui & numero hominum & loci opportunitate, & omni belli apparatu, ſuperiores erant, rem uno conflictu finire poſſe ſperarent. Prorex, qui juris, non virium contentionem exſpectaverat, ac propterea nihil ex adverſo præparati habebat, ſimul quod tempore non neceſſario, ſe ſupremæ fortunæ aleæ committere nollet, ſimul ne ſupremi honoris majeſtas, in contentionem cum inferioribus demiſſa, vileſceret, diem diffidit: ipſe poſtridie, ad Cal. Januarias, miſſo in cuſtodiam ad lacum Levinum Comite Northumbriæ, Sterlinum eſt profectus.

LII. Adverſa factio, cum denuo, præter ſpem auctoritatem Proregis & potentiam creſcere, & ad popularem bonorum gratiam Anglorum favorem accedere videret, ad id, quod diu contenderant, partim æmulatione, partim magnificis Reginæ Scotorum pollicitationibus, quæ Gallorum & Hiſpanorum auxilia jamjam affore, per literas affirmabant, incitati, ut Proregem tollerent: quo vivo, nullum ſuis conſiliis exitum reperiebant. Miſſis per omnes regiones nunciis ad ſuæ factionis principes, [1] fœdus in eam rem ineunt. Huic fœderi ſubſcripſerunt Hamiltonii, quippe ipſi, eorumve liberi, in arce Edimburgenſi cuſtodiebantur. Nec arcis præfectus, hujus conſilii ignarus fuiſſe creditur. Quam ſuſpicionem, quæ mox ſecuta ſunt, magnopere auxerunt. Operam ſuam ad id facinus promiſit Jacobus Hamiltonius, ex Archiepiſcopi Fani Andreæ ſorore natus: ac locum tempuſque inſidiis idoneum aucupabatur. Forte eodem tempore, ſpes facta erat Proregi, Britannodunum poſſe per conditiones recipi. Eo cum profectus, re infecta rediret, Hamiltonius, in omnem occaſionem intentus, primum Glaſcuæ, deinde Sterlini, cum inſidiæ parum pro-

cede-

1 *Fœdus in eam rem ineunt.*] Nullo idoneo indicio hæc dici videntur: alii certe ſcriptores nemine auctore pauciſſimiſque conſciis hoc ſcelus ab Jacobo Hamiltonio Bothuelachio perpetratum teſtantur, quippe qui non publicas, ſed privatas, quas graviſſimas ſibi a Prorege illatas querebatur, hoc facinore ultum iverat. Leſl. Camd. pag. 185. Dav. Craford. pag. 141.

2 *Eam*

cederent, Limnuchium ſtatuit locum ad conſilium exſequendum eſſe commodiſſimum: quod oppidum eſſet in clientela Hamiltoniorum, & Archiepiſcopus, ejus avunculus, non procul ab ea domo, in qua Prorex diverſari ſoleret, ædes haberet. In ædes, ſceleri deſtinatas, intentius ſe abdidit. Prorex, cum ſæpe antea, tum eo ipſo die, ante lucem, de inſidiis certior factus, (cum index ad majorem fidem adderet, percuſſorem intra tertias aut quartas ædes a diverſorio occultari, ſeque, ſi pauci comites ſibi darentur, eum e ſuis latebris extracturum, ac totum occultæ conjurationis conſilium & ordinem explicaturum,) nihil tamen de priore conſilio mutavit, niſi quod per eandem, qua ingreſſus erat, portam regredi, & commutato itinere progredi, decreverat. Nec hoc quidem propoſitum tenuit, ſive quod talium periculorum erat contemtor, ac ſuam vitam in manu Dei eſſe prædicabat, cui repoſcenti libens [1] eam redditurus eſſet, ſive quod equitum multitudo, eum opperiens, viam oppleverat. Cum jam in equum conſcendiſſet, & celeriter loca ſuſpecta prætereundo periculum ſe putaret evitaturum, ei conſilio cum turba referta iter morando reſtitiſſet, percuſſor e podio ligneo, quod linteis, velut in alium uſum, operuerat, ex inſidiis, globulo plumbeo paullo infra umbilicum adacto, ac prope renes tranſmiſſo, equum quoque Georgii Duglaſſii, qui ultra eum erat, eodem ictu exanimavit. Ipſe per poſticum horti, quod in eum uſum diruerat, celeri equo, quem ab Joanne Hamiltonio, Abbate Aberbrothii, ad ſalutem, peracto ſcelere, tuendam, acceperat, magna ſuorum gratulatione, qui cœpti audacis eventum opperiebantur, ad Hamiltonium deductus eſt: ac jam, velut regno in ſuam familiam tranſlato, propinqui, omni honore verborum proſecuti, præmiis cumularunt.

LIII. Limnuchi, inter hæc, cæteris ad ſonum repentinum erectis, Prorex ſe percuſſum affirmans, ex equo, velut ſine ſenſu vulneris, deſiliit, & pedibus in hoſpitium rediit. Initio, cum, qui curandæ plagæ adhibiti erant, ſigna omnia ad ſalutem eſſe dicerent, paullatim dolore oborto, nihil omnino animo turbatus, de morte cogitare cœpit. Qui aderant autem, cum frequentes dicerent; „Sua eum nimia lenitate ſibi exitium peperiſſe, ut qui tot maleficentiſſimis hominibus, & in iis percuſſori ſuo, perduellionis damnato, pepercíſſet: „ad ea leniter, ut ſolebat, reſpondit; „Nunquam, veſtra importunitate efficietis, ut meæ clementiæ me pœniteat. Deinde, cum de re familiari ſtatuiſſet, Rege proceribus, qui aderant, commendato, nullum in quenquam verbum aſperius locutus, ante mediam noctem deceſſit, ad X. Cal. Februarias, [2] anno ſalutis partæ M. D. LXXI.

LIV. Mors ejus omnibus bonis, ſed præcipue plebi fuit luctuoſa, quæ, velut parentem publicum, & vivum amabat, & mortuum deflebat: [3] quippe quæ,

1 *Eam redditurus eſſet*] Ita omnino Syntaxeos ratio poſtulat; omnibus tamen libris, præter unum Moſmanni [*eum*] legitur.

2 *Anno ſalutis partæ M. D. LXXI.*] Ita omnes libri, at ſcriptum oportebat [*M. D. LXX*] Nam, ut alios auctores omittam, ex ipſis Actis publicis palam eſt, cum anno 1569, juxta ſupputationem vero Romanam, 1570, occiſum fuiſſe.

3 *Quippe quæ*] Ita princeps Editio Edimb. aliis vero omnibus [*quæ*] præter rationem omittitur.

1 *Li-*

quæ, præter plurima ab eo præclare geſta, meminerant, res ubique turbatas, nondum expleto anno, ita per omnes regni partes fuiſſe compoſitas, ut nemo domi ſuæ, quam per itinera & diverſoria, tutior eſſet. Et, jam decedente invidia, qui vivo iniquiores erant, mortuum veris laudibus proſequebantur. Admirabantur fortitudinem in bello, cum ſummo ſtudio pacis conjunctam: celeritatem in rebus gerendis; ſed ſemper tam felicem, ut divina quædam providentia in omni negotio affuiſſe videatur: tantam lenitatem in ſuppliciis ſumendis, tantum æquitatis in rebus judicandis ſtudium, ut, quoties a bello vacaret, totum diem judicum collegio aſſideret. Ea præſentis verecundia fiebat, ut neque tenuiores per calumniam opprimerentur, neque, in potentiorum gratiam, litibus in longum dilatis, exhaurirentur. Domus ejus, velut ſanctiſſimum ſacrarium, non ſolum a flagitiis, ſed verbis etiam petulantioribus, pura erat. Legebatur, a prandio & cœna, ſemper caput aliquod e ſacris Bibliis: & quanquam, ad eum uſum, eruditum hominem ſecum ſemper habebat, tamen ſi qui aderant doctrinæ nomine illuſtres, (aderant autem fere ſemper, ac ſummo in honore apud eum erant) eorum ſententias exquirebat. Neque id ambitione vana faciebat, ſed ſtudio vitam ad eam normam componendi. Liberalitatis prope nimius erat. Dabat enim & multis & frequenter, & munus etiam in dando animi alacritate commendabat, & pleriſque, ne accipientium verecundiam oneraret, ipſe clam ſua manu donabat. Cum amicis & domeſticis ſimpliciter & aperte vivebat. Si quis autem eorum deliquiſſet, acrius multo quam externos increpabat. His moribus & vitæ innocentia, non modo civibus, ſed exteris etiam nationibus, & carus erat & venerabilis, ſed præcipue Anglis, quibus in omni fortuna virtutes ejus erant magis cognitæ.

LIBER VIGESIMUS.

I. TOTUM id tempus, quod Proregis poſtremi mortem proxime eſt ſecutum, etſi a cædibus eſt temperatum, tamen variis factionum conatibus plerumque fuit ſollicitum. Hamiltonii frequentes Edimburgum ante cædem convenerant, prætextu exorandi Proregem, ut Jacobum Hamiltonium, gentis principem, qui in arce adhuc cuſtodiebatur, [1] liberaret: cæde vero perpetrata, ad reliquos Hamiltonios miſerunt e ſuis, qui cæteris gentibus perſuaderent, (ita enim credi volebant) ne parricidis publicis ſe cojungerent, aut eos in ſuam fidem reciperent: ut plurimi ſuſpicabantur, ut eos juberent, ad omnes occaſiones eſſe paratos & intentos. Nam proxima poſt cædem nocte, Valterus Scotus & Thomas Carus Farniheſtius, Angliam ingreſſi, ferro flammaque omnia fœdarunt, idque

1 *Liberaret*] Ita legendum monſtrat contextus; libris autem omnibus *Liberarent* legitur.

1 *Is*

que aliquanto crudelius, quam ſuperioribus temporibus fieri conſuetum erat. Nec eos tam prædæ cupiditas, aut vindictæ, ad hanc inſolitam ſævitiam impulerat, quam quod, jam diu ante, ab Epiſcopo Fani Andreæ, reliquiſque factionis principibus, decretum erat, ut Anglos cum Scotis committerent; &, ſi alia ratione eos ad arma ſumenda nequeant adducere, injuriis inferendis ad bellum invitos pertraherent.

II. Præfectus arcis, etſi multis tenebatur indiciis, omniumque oculis & ſermonibus deſignaretur, tamen adhuc in priſtina officii ſimulatione erga Regem perſeverabat. Ei datum eſt, ut Gulielmus Mætellanus e cuſtodia educeretur. [1] Is cum in concilio ſuam pluribus verbis commemoraſſet innocentiam, Nobilitate, quæ aderat, teſtante, ſibi nullis certis indiciis conſtare, ſcelerum, quorum arguebatur, affinem eſſe, (arguebatur enim cædis Regis ac Proregis conſcius, & belli civilis, in Anglia nuper excitati, prope auctor fuiſſe;) ita dimiſſus eſt, ut res in aliud tempus dilata videretur. Ipſe quoque, jurejurando ſuam innocentiam teſtatus, quandocunque Regis propinqui diem ei dicerent, ſe venturum in jus promittebat. Deinde, cum de ſtatu regni conſultantibus propemodum conveniſſet, ut ex iis, quos mater, antequam ſe regno abdicarat, filio Tutores nominaverat, qui id munus ſuſcipere vellet, modo in adverſam factionem poſtea non abiiſſet, adminiſtrationi rerum admoveretur: Mætellanus, jam tum rerum perturbationem meditatus, auctor erat, uti iterum proceres abſentes admonerentur, ut, ſi vellent, [2] adeſſent ad comitia Proregis, in certum diem indicta, ne quando cauſſari poſſent, ſe abſentibus tantam rem præcipitatam. Atholius cum paucis aſſenſus, nec cæteri abnuerunt, magis ut adverſariis omnem calumniandi occaſionem tollerent, quam quod quicquam, ea dilatione comitiorum, profici in publicum ſperarent.

III. Poſt hæc, Thomas Randolfus Legatus Anglus eſt auditus. Regina enim, vivo adhuc Prorege, Legatos miſerat, qui exules Anglos depoſcerent, qui, detecta & punita Havarti conjuratione, ſupplicii metu profugerant. Hos Legatos, Sterlini auditos, Prorex Edimburgum rejecerat. Eo mortuo, rebus turbatis, ſine reſponſo diſceſſerant. Cum vero de Prorege deligendo conventus haberetur, Randolfus, qui ante aliquot annos in Scotia fuerat, quod res hominesque ejus nationis optime noſſe videbatur, & quod ex utriuſque gentis commodo ſuperiores legationes obiiſſet, omnibus bonis, ut erat, carus eſſe exiſtimabatur. Is in concilium introductus, cum declaraſſet; „Reginæ ſuæ „animus qualis erga Scotos ſemper fuiſſet: eam, ut antea rebus eorum turba„tis non defuerit, ita nunc non defuturam. Deinde commemorat incurſiones „in Angliam, cædes, rapinas, incendia, ſuperioribus diebus facta. Eam ſatis „ſcire, nihil horum conſilio publico geſtum. Itaque eandem in præſentia „vo-

1 *Is cum in concilio*] Exſtat ea de re diploma, quo Gul. Mætellanus frequentiſſimo Ordinum conventu, non tantum cædis Darlæanæ inſons declaratur, ſed inſigni inſuper elogio ob res præclare pro patria geſtas commendatur, 14 Feb. $15\frac{69}{70}$.

2 *Adeſſent ad comitia Proregis, in certum diem indicta*] *i. e. Comitia Proregi eligendo in certum diem indicta.*

„voluntatem, idem ſuum in eos ſtudium manere: atque adeo, quanquam „graviter, ac nullo ſuo merito, laceſſita eſt, ſe, quod jure ſuo poſſet, nec „publice res repetere, nec, ob delicta paucorum, ab omnibus pœnas poſcere. „Se quidem non eſſe ignaram, quanta nuper oborta ſit omnium rerum per„turbatio: neque tamen dē bonorum erga ſe voluntate dubitare. In eorum „gratiam, non modo culpam a conſcientia publica ſeparaturam: ſed ſi ipſi, „propter motus domeſticos, pacis perturbatores ad res reddendas cogere non „poſſent, ſe ſuas cum illis conjuncturam copias, ut communi conſilio pœnas „violatorum fœderum expeterent. Sin ne id quidem poſſent, ſe ſuo milite „ſuas injurias perſecuturam: ſine maleficio exercitum per pacatum agrum iter „facturum: neque quenquam, qui a culpa remotus eſſet, ultioni affinem „fore.

IV. Reliqua legationis capita continebant admonitiones, ſemper quidem in omni legitimo conventu utiles, ſed ad præſentem rerum ſtatum neceſſarias. „Primum omnium, religionem tuendam ſumma cura & vigilantia, quæ una, „& erga Deum & homines, officiorum rationem nos docet. Quia nulla reſ„publica, ſecum ipſa diſcors, diu conſtare poteſt, in id præcipuo incumben„dum ſtudio, & omnibus adnitendum viribus, ut domi civibus inter ſe pax „& concordia ſancte colatur. Cum Deus, univerſi opifex, Regium huic „populo indulſerit imperium, Regibus parere, honore eos & omni obſequio „obſervare & proſequi, eſt æquum. Pax, concordia, & amicitia cum omni„bus, quoad fieri poteſt, hominibus, Deo eſt gratiſſima, fundendique ſan„guinis humani ſitim (quod vitium Deus unice exſecratur) exſtinguit, aut „certe inhibet: eadem ſingulorum opes auget, civeſque ſuis inimicis formida„biliores facit. Juſtitia, omnis publicæ incolumitatis cuſtos, amplectenda, „cujus præcipua pars eſt in ſontes animadverſio. Cum proditio ſit omni le„gitimæ dominationi maxime deteſtabilis, hoc hominum genus, quocunque „terrarum ſe receperint, nulla clementia, favore & indulgentia eſt proſequen„dum.

V. Hæc Randolfus: qui & ſancte & ſalubriter admonere, & æqua poſtulare, eſt viſus. Sed quia, nemine in ſummum magiſtratum adhuc electo, certum reſponſum dari non poterat, in Cal. Majas eſt rejectus. Poſtremo, Proregis proxime cæſi fratres, ex eadem matre, Gulielmus & Robertus Duglaſſii, ſunt auditi. Hi petebant, ut ſui fratris indigna mors, nullas ob inimicitias privatas, ſed ob remp. illata, vindicaretur. Ibi ſententiis eſt variatum, omnibus quidem conſentientibus, pœnas de parricidis expetendas: ſed aliis cenſentibus; „De ea cæde ſuſpectis diem dicendum, „(nomina autem multorum deferebantur:) aliis placebat; „Dies juridicos non exſpectandos, adverſus eos, „qui arma jam ſuſceperant, ut facinus, quod ſcelerate patrarant, vi defende„rent: nec in eos modo ſtatim arma ſumenda, ſed etiam adverſus omnes, qui „ſuperiorum Ordinum comitiis capite minuti erant. In eam ſententiam, qui aderant ex Equeſtri ordine, proni erant, nec tamen propoſitum tenere potuerunt, maxime diſſuadentibus, Atholio, quod diceret; „Frequentiorem pro„cerum conventum exſpectandum: „Mortonio, quod exiſtimaret; „Fore,

„ut,

„ut, ſi plura conjungerent crimina, vindicta Proregis periret, & res ad civile „bellum prorumperet, omnibus, qui pacem timerent, ſe ad cædis reos aggre„gantibus. Igitur ſeparanda crimina, ac jure (ſi fieri poſſit) agendum: nihilque „ante Cal. Maji (qui dies ad conveniendum dictus erat) innovandum. Ita conventus ille ſolutus eſt, maxima populi parte cunctationem Nobilitatis damnante, quod ad nutum inimicorum Regis omnia acta dicerent, qui has moras innecterent, ut, ſpatio interpoſito, cædis invidia relangueſceret, & factio adverſa interim vires aſſumeret.

VI. Hanc vulgi opinionem, & quædam, quæ jam præceſſerant, & plurima, quæ ſecuta ſunt, confirmarunt. Nam ſtatim, cæde Proregis vixdum divulgata, Jacobus Hamiltonius, oppoſitis pignori agris Joanni Somervallio Camnethamio, pecuniam accepit, quam cum alia ſumma, ab amicis corrogata, ad militem mercenarium conducendum, miſit ad amicos, jam ante præmonitos, ut, propter ſubitam mutationem, quæ, inimico ipſorum capitali ſublato, acciderat, in omnia parati eſſent. Nec poſt id, a coitionibus in multis ac diſtantibus locis, a Reginæ factione eſt ceſſatum. Ad decimum quintum Cal. Mart. capita fere factionis rebellis convenerunt Glaſcuæ. Inde Argathelius & Bodius ad Mortonium ſcripſerunt; „Se, quia Proregis percuſ„ſores, & cædis conſcios, quinam eſſent, adhuc ignorarent, libenter, ea de „re & eruenda & punienda, cum reliqua Nobilitate conſilia communicatu„ros: verum ſe Edimburgum non venturos. Sin Regia factio ſibi perſuaderi „ſineret, ut Limnuchum, ad Varium ſacellum, vel Sterlinum venirent, „nullam ſe moram facturos. Res a Mortonio cum Mætellano communicata, (ita enim in literis erat ſcriptum) nullum exitum habuit. Eodem tempore, ſcripſit Limnucho Thomas Carus ad ſocerum ſuum, arcis præfectum; „Si a „Regina Anglorum impetrari poſſet, ut incurſiones nuper factas diſſimularet, „ſe in poſterum operam daturum, ut limites pacarentur, & in officio eſſent. „Sin hanc illa conditionem recuſaret, ſe in incepto perſeveraturum: neque „enim ſe dubitare, quin boni cives, qui in officio erga ſuam Reginam perſta„rent, ſe conjungerent; & auxilia Gallica mox affutura.

VII. Quinto Non. Mart. Hamiltonii, Argathelius, Bodius, [1] Limnuchi convenerant. Sed cædes unius mercenarii militis omnes eorum rationes, ſubito tumultu exorto, conturbavit. Quam ob cauſſam poſtridie Hamiltonios Fani Andreæ Archiepiſcopus domum reduxit. Reliqua rebellium factio, in primis Huntilæus, Atholius, Crafordius, Ogilvius, item, ex Ciſforthanis, Humius, Setonius, Mætellanus, convenerunt Edimburgum. Mortonius quidem in urbe erat, cum paucis admodum comitibus, donec Glencarniæ & Marriæ Comites cum ſuis clientibus adveniſſent. Ad quartum Non. Martii, capita factionum coierunt, ad conſultandum de ſumma rerum: ſed ea conſultatio lente procedebat, propter abſentiam Argathelii, cujus tum magna erat potentia & auctoritas. Huic Huntilæus ſe perſuaſurum recipit, [2] ut cum reliqua factione ſe conjungeret. Verum is re infecta rediit, fraude (ut maxima pars hominum

1 *Limnuchi convenerant*] Forte [*convenerunt*] legendum, ut mox ſeq. lin. 5.

num credidit) Mætellani, qui omnia in longum duci volebat, ut rebus novandis, in ſtatu regni turbulento, locus eſſet opportunior. Erat & Argathelio, in omnibus actionibus, aliud impedimentum objectum, quo minus ejus vires temporum ſuperiorum famæ reſponderent, quod quamvis ipſe impenſiſſime cauſſæ Reginæ faveret, tamen amici clienteſque, ac ne frater quidem, eum adverſus Regem ſequi volebant. Ea nocte quæ ſecuta eſt, repentinus, nullis apparentibus cauſſis, terror totam factionem ita perculit, ut armati ad lucem uſque pervigilarent, ac mane Edimburgo trepide diſcederent.

VIII. Toto hujus conventus tempore, id prope unum eſt diſceptatum, quo jure tum Scoti creare Proregem poſſent. Alii, ex diplomate Reginæ, in quo, ante triennium, octo e principibus procerum deſignaverat, e quibus unum aut plures (ſi videretur) filio Tutores nominaverat, [1] unum aliquem nunc rerum ſummæ præficerent. Alii, huic diplomati, Prorege jam ex eo creato, nullum amplius locum eſſe, nullamque omnino rationem ejus eſſe habendam, contendebant, ut quod non in perpetuum, ſed in id modo tempus, confectum eſſet. Erant, qui ad conventum procerum [2] univerſalem rem integram differendam cenſerent: ſed ii fere ex Mætellani factione, qui tantam rerum perturbationem exſpectabant, quæ, multitudine ſine rectore, & facile exoriri & ægerrime ſedari poſſet. Tertia ſententia utramque harum damnabat: priorem, quod diplomatis Reginæ, cujus ab initio (ſi juris diſceptatio fuiſſet) nullum erat momentum, nunc minus ratio ducenda eſſet: alteram, quod prorogatio plurimum ſecum afferret periculi, longioremque moram, quam præſentium rerum ſtatus ferre poſſet. Igitur coire jubebat, qui Regi a primordio regni ineundi fuerant auctores, eique conſtanter ab eo tempore obtemperarunt; quibuſcunque poſſent rationibus proſpicere, ne quod publice detrimentum capiatur; ac mature talem Proregem edant, qui & Regis ſaluti, & omnium incolumitati conſulere, & poſſit, & velit. Nec hæc recepta eſt ſententia: itaque re infecta ſolutus eſt conventus.

IX. Tot coitionibus fruſtra tentatis, ut populum in ſuam factionem pertraherent, rebelles, rurſus ad belli Anglici ſeminaria reverſi, eoſdem, quos antea, duces latronum immittunt, qui nihil ſibi reliquum ad extremam crudelitatem fecerunt. Ipſa interea factionis capita Reginam Angliæ conviciis proſcindunt: proceres Scotorum calumniantur, tanquam Anglorum clientes: vulgo

1 *Unum aliquem nunc rerum ſummæ præficerent*] Parum accurate hæc dici videntur. Clarius, mea ſententia, ſic oratio procederet ——— *rerum ſummæ præfici*, aut [*præficiendum*] *volebant*, vel *præficiendum cenſebant*, vel [*præficiendum*] ſimpliciter, repetendo ex proxima periodo verbum [*contendebant.*]

2 *Univerſalem rem*] Vocem [*univerſalis*] damnat Nizolius lib. 1. quadripartiti adverſus Philoſophos operis, quo & dogmata eorum & dictionem expendit. Defendit tamen Joan. Verneretus Pontarlianus auctoritate Quinctiliani, qui nunc *vocem* dicit *univerſalem*, nunc *quæſtionem*; Item Varronis & Cornificii, ſive auctoris librorum ad Herennium: illius enim eſt *cauſſa univerſalis*, l. 8. LL. hujus *univerſali ratione*, l. 2. cap. 24. Ubi tamen *univerſa* legit Gruterus. Vide Voſſium de vitiis ſerm. lib. 7.

go minantur, ſi Anglica arceſſant auxilia, ſe Gallorum & Hiſpanorum præſidiis uſuros.

X. Eiſdem forte diebus, applicuit Britannodunum, e Gallia, Veracus quidam, e cubicularibus Regis Francorum miniſtris unus, qui magnificis promiſſis eorum animos nonnihil erexit. Secundum hæc, Hamiltonii ſuorum popularium conventum in quintum Idus Apriles Limnuchum indicendum curarunt. Ad eum diem cum Reginæ factio frequens veniſſet, ibi, quod jam diu ante ſecretis coitionibus erant meditati, palam tractari cœptum, ut, ſuſcitato adverſus Anglos bello, in publica rerum perturbatione, privatæ injuriæ, actioneſque de cæde Regis & Proregis, aut omnino antiquarentur, aut ſaltem refrigeſcerent. Rebus Limnuchi inter populares conjurationis modo agitatis, nec adhuc plane explicatis, quo majorem res haberet auctoritatem, ſtatuunt Edimburgum tranſire, ad tertium Id. Aprilis, ac, præter alias commoditates, quas locus habebat, oppidanos, in quibus magnum in omnes partes momentum ponebant, adjungere. Id perfacile factu videbatur, cum Gulielmum Kircadium, eundem & arcis & urbis præfectum, in ſuas partes jam pertraxiſſent. Sed, quia excubias ibi fieri intellexerant, ac vulgus in alteram partem proclivius; ad oppidanos prius mittunt, ut ſibi eorum voluntate ibi convenire liceat. Oppidani reſponderunt; „Se neminem, tranquil-„litatis publicæ ſtudioſum, qui Regis imperio pareat, excluſuros: Anglos „vero exules & Hamiltonios in urbem non accepturos, ne vel Reginam An-„glorum, in cujus regno negotiarentur, aſſidue offenderent, vel cum cæ-„dis nefariæ reis conſilia communicaſſe viderentur: nec etiam paſſuros, ut „nova edicta, quæ ad Regii imperii imminutionem ſpectarent, proponeren-„tur, aut juventus (uti in more eſt) ad arma capienda tympano convocare-„tur.

XI. His legibus, etſi duræ viderentur, tamen eo venerunt, rati, ſe paullatim poſſe ſimplici multitudini obrepere, &, oratione commoda demulcendo, univerſos ſuæ poteſtatis facere. Nec tamen perſuadere civibus potuerunt, Kircadio, urbis & arcis præfecto, adnitente, ut claves portarum [1] cives eis traderent, vel de ſolita cuſtodia cederent. Toto eo tempore, ad Mætellanum, qui aut podagra laborabat, aut egregie ſimulabat, quotidie adeo frequentes conveniebant, ut domus ejus ludus, & ipſe ludimagiſter, vulgo nominaretur. Nec ceſſabat interea ultro citroque commeare Atholius, ut diverſæ factionis homines ad eum cœtum, qui erat Edimburgi, attraheret. Illi concordes recuſabant, „Ante diem Cal. Maji (qui communiter ab omnibus „conſentientibus erat dictus) convenire, niſi ſcirent, quæ neceſſitas tempus „conſtitutum antevertere cogeret. Si qua res magni momenti incidiſſet, quæ „nullam pateretur dilationem, cum Comite Mortonii, qui domi ſuæ ad qua-„tuor millia paſſuum aberat, communicarent: is reliquos faceret certiores. Tandem per Atholium dicta eſt dies, qua die utriuſque factionis pauci ad villam Mortonii, quæ eſt Dalkethi, convenirent. Locus factioni Reginæ non pla-

1 *Cives eis traderent*] Princeps Editio Edimb. *cives ejus traderent.*

placebat: non quod quicquam inſidiarum timerent, ſed ne ſua vileſceret auctoritas, ſi ipſi ad Mortonium potius, quam ille ad eos accederet. Igitur, multis conatibus ſumtis, neque ulla re ſatis ex ſententia procedente, ſubita intervenit ſolvendi conventus neceſſitas. Nam cum adverſarios excludere urbe cuperent, neque cives in ſuas partes trahere valerent, ſtatuunt e vicinis locis majorem arceſſere multitudinem, ut, invitis etiam incolis, omnia in ſua poteſtate haberent. Juvabat hoc conſilium magnopere arcis præfectus, qui, quos in cuſtodia habebat, (erant autem factionis Reginæ prope principes) liberos dimiſit. Sed rumor ſubitus, de adventu Anglici exercitus Bervicum, omnes eorum rationes turbavit.

XII. Alexander Humius & Joannes Maxuallius, nuper e cuſtodia, ſine auctoritate publica, emiſſi, domos ad ſua tuenda profecti ſunt. Humio etiam pecuniæ, quam ad militem conducendum contribuerant, ad arcem ſuam Humiam muniendam, portio eſt data. [1] Thomas Carus [&] Valterus Scotus, qui, auctore maxime Archiepiſcopo Fani Andreæ, excurſiones in Angliam fecerant, arbitrati, ex hoc initio, bellum inter duo regna exarſurum, derelicti a vicinis, ac trepidi rerum ſuarum, mittunt ad ſuæ factionis principes, rogatum auxilium, aut, ſi id gravarentur, Lauderam ſaltem (propinquum oppidum) venirent, ac inde bellum oſtentarent. Cum ne id quidem impetrarent, ac ne pecuniæ ſaltem publicæ particulam aliquam ad publicum uſum exprimerent, irati, quod, a quibus erant in bellum conjecti, deſerti ac proditi eſſent, ad ſua quiſque tuenda, peſſima cum ſpe in poſterum, abierunt. Ita tot rebus uno tempore præter exſpectationem cadentibus, omnia eorum conſilia turbata fuere. Sed maxime præter opinionem accidit repentinus Anglici exercitus adventus, ad quem remorandum duplicem miſerant in Angliam legationem: alteram ad Thomam Suſſexiæ Comitem, quæ precaretur inducias, donec per literas rerum ſuarum ſtatum Reginæ Anglorum indicarent: alter enim Legatus literas ad Reginam ferebat, quæ multa pro ipſorum cauſſa, multa adverſus Regiam factionem, continebant: in primis, ſuas vires ſupra verum augendo, contra hoſtiles elevando, prope bellum Anglis minabantur. Mætellanus enim cæteris perſuaſerat; „Reginam, fœminam, na„tura timidam, omnia prius facturam, quam ad arma veniretur: quippe „Gallis & Hiſpanis multis de cauſſis ei infenſis, rebuſque domi nondum quie„tis. Petebant enim rebelles; „Ut, Regina Angla velut arbitra, ſuperio„ris biennii ſcita (etſi multi ipſorum eis ſubſcripſerant) retractarentur: ac, „velut novo initio ſumto, novum decretum communi omnium conſilio fie„ret. Et, ut ſuæ factionis firmitatem magis oſtentarent, procerum ſuæ partis nomina literis ad eam miſſis indiderunt. In iis, ut multitudinis ſpeciem augerent, multos adverſæ, plures neutrius factionis, adſcripſerant: rati (propter itinerum longitudinem, & eorum, quæ procul geruntur, ignorationem & quod literæ, ad Reginam ſcriptæ, ad paucorum conſcientiam erant perventuræ) eam fraudem difficilius detegi poſſe.

XIII.

1 *Thomas Carus & Valterus Scotus*] Omnibus libris abeſt [&.]

XIII. Accidit, eodem tempore, res, ut ipſi exiſtimabant, peropportuna, quæ & Anglos faceret ſegniores, & Scotorum vulgo formidinem injiceret: nempe adventus hominis Galli, humilis quidem ſortis, ut qui Lanſaci miniſter domeſticus, patroni gratia in aulam irrepſerat. Is multas eodem exemplo epiſtolas a Rege Gallorum attulerat, non ad principes modo factionis Reginæ, ſed ad multos quoque, qui neutri factioni ſe addixerant. Gratiæ ingentes ſingulis aguntur, quod hactenus a Regina ſtetiſſent. Orabat Rex; „Ut in eadem conſtantia perſeverarent. Se auxilia, etiam majora quam rogabatur, cum primum commode poſſet, miſſurum. Addebat etiam de ſuo „tabellarius; Omnia in Galliis jam eſſe pacata. Gaſparem Collinium, alioſque rebelles, eo coactos, ut ſe Gallia diſceſſuros pollicerentur, ne quietem „publicam eorum præſentia interpellaret: nec ſe dubitare, quin, ante „ſuum reditum, miles, qui ſubſidio mitteretur, conſcriptus foret.

XIV. Prudentiores, etſi hæc magna ex parte vana eſſe ſciebant, tamen iis rumoribus facile plebem falli patiebantur. Igitur, cum animi multorum per hæc eſſent erecti, eam lætitiam minuit Legatorum ex Anglia, rebus infectis, reditus. Neque enim Suſſexio e re Anglica videbatur, exercitum per inducias otioſum alere, nec integrum bellum omittere, nullis conditionibus ab hoſte oblatis: & literis ad Reginam ſcriptis (nam id ipſa juſſerat, ne exſpectatio reſponſorum in mora rebus gerendis eſſet) reſignatis, fraus facile detecta eſt: quippe cum & literæ eſſent vaniſſimæ jactationis plenæ, & nihil earum rerum, quæ in Scotia agerentur, Angli ignorarent. Legati prope conviciis abacti. Exempla literarum in Scotiam ad Regiam factionem remiſſa. Ea igitur ſpe dejecti, & adventu ſubito exercitus Anglorum ad finitima loca deterriti, & auxiliis ſuorum, qui domum ad ſua tuenda abierant, deſtituti, & oppidanorum animis parum confiſi, cum ad Cal. Majas hoſtes Edimburgum venturos ſcirent, Limnuchum diſcedunt, eum locum rati commodum, ad ſuos e longinquis regni partibus arceſſendos, & iter aliorum, ad conventum euntium, impediendum, & reliqua, quæ ſuperioribus diebus in concilio jactata erant, perficienda. Ibi, Hamiltoniorum amicis & clientibus collectis, totum iter, quod Edimburgum ferebat, infeſtum reddebant. Cum Joannem Areskinum, Marriæ Comitem, illa ducturum ſcirent, ſe in collibus propinquis, ad tranſitum impediendum, objecerunt. Ille, cum loci iniquitatem cognoſceret, paullo ſupra ad duo millia paſſuum flumen ſuperavit, atque Edimburgum ſub veſperum intravit, ad tertium Cal. Maji.

XV. Poſt eum diem, cum Regis factio Edimburgi, Reginæ Limnuchi ſe continerent, atque alteri alteris ſeditionum cauſſas & initia imputarent; qui Edimburgi convenerant, „Ad alias quaſvis conditiones ſe faciles fore, affir„mabant: ac, ſi quis de ſe quereretur, bonorum virorum arbitrio ſatisfactu„ros, ſpondebant, modo, incolumi hujus Regis auctoritate, ſuperioris Re„gis ac Proregis cædem una ſecum ulciſci vellent. Cum ad hæc nihil æqui reſponderetur, qui Limnuchi erant, edixerunt, „Uti cives univerſi Reginæ „Legatis parerent. Comites tres, Araniæ, Argatheliæ, & Huntilææ, comitia, in tertium Nonas Auguſti Limnuchi habenda, indixerunt. Altera factio

ctio Legatum ad Reginam Angliæ Robertum Pitcarnium miſerat, qui ageret cum ea, „De communi hoſte reprimendo: quoque facilius Scotorum in ſe „animos intelligeret, ex ejus arbitrio Proregem electuros.

XVI. Interea, dum utraque pars diverſi diverſa agitant, Angli, Teviotiam ingreſſi, villas & vicos Carorum & Scotorum (qui in Angliam, violata pace, fecerant excurſiones, & Anglos profugos ad ſe receptaverant) diruunt, agros populationibus vaſtant, & incendiis deformant. Humiam arcem, in quam dominus multos commeatus intulerat, ac tota vicinia pretioſiſſima quæque rerum ſuarum, ut in munimentum firmiſſimum, ſepoſuerat, Suſſexius circumſedit. Ea cum a præſidio valido fortiter defenderetur, Anglique poſtridie re infecta diſceſſuri eſſent, literæ, quas Alexander, arcis dominus, ad ſuos non multo ante ſcripſerat, omnes eorum rationes irritas reddiderunt. Juſſerat enim (per literas) præſidiarios, Gulielmi Drurii, Equitis Angli, conſilio uti, &, quicquid is imperaſſet, ſine exceptione parere. Id cum Drurius Suſſexio indicaſſet, ille arcem deditam diripuit, &, cuſtodibus Anglis impoſitis, cum magna præda Bervicum rediit. Ita Humius, qui nihil ab Anglis metuebat, imo quos amiciſſimos exiſtimabat, ut qui ſciret Drurium & Suſſexium occulte Havarti rebus ſtudere, graviſſimam illam ſua credulitate injuriam arceſſivit. Tandem, ab omnibus amicis & propinquis, qui prope omnes Regiis in partibus erant, relictus [1] cum uno & altero comite Edimburgum venit, ac ſe in arcem abdidit.

XVII. Nec minus ab alio limite, Scrupus Anglus, Annandiam ingreſſus, agros Jonſtoni (qui etiam in Angliam fecerat incurſiones) omni belli injuria fœdat. Ipſe Jonſtonus, locorum notitia fretus, equitum ſequentium impetum, paucis fugæ comitibus, eluſit. Joannes Maxuallius, cum tria millia hominum e propinquis agris haberet coacta, ei opitulari non auſus, ſuis ſe locis tenuit. Paucis poſt diebus, Angli, qui Bervici erant, acceptis obſidibus, bona fide ſecum agi perſuaſi, equites trecentos, pedites mille, duce Drurio, adverſus hoſtes communes mittunt. Ad eorum adventus famam, Hamiltonii, Glaſcuam profecti, arcem Archiepiſcopi diruere decreverunt, ne Comiti Levinio, tum ex Anglia reverſo, receptaculum ac belli ſedes eſſet. Eam cum a paucis adoleſcentibus abſente præfecto, teneri, nec a rebus neceſſariis ſatis paratam eſſe, ſcirent, rati ſubito ſuo adventu poſſe opprimi, tam repente oppidum ingreſſi ſunt, ut bonam præſidii partem excluſerint. Hac ſpe dejecti, oppugnationem acriter, ſed æque fruſtra, ſunt aggreſſi. Nam, per aliquot dies, præſidiarii (erant autem viginti quatuor) tam acriter eos exceperunt, ut plures ex oppugnatoribus, quam ipſi erant, occiderint, reliquos cum multis vulneribus repulerint. Ex ſuis unum amiſerunt, nemine præterea vel ſaucio. Sed Hamiltonii, audito, Anglos Edimburgi jam eſſe, & Joannem Areskinum Sterlinum veniſſe, ac mox ſubſidio venturum, quanquam & e longinquis regionibus auxilia accepiſſent, ſub veſperum, obſidione ſoluta, trepide diſceſſerunt. Hamiltonius & Argathelius in Argatheliam, Hun-

1 *Cum uno & altero comite*] Vide ſupra ad XVII. 35.

1 *At-*

Huntilæus, per montes prope invios domum, cæteri, qua cuique commodum erat, ſe contulerunt. At qui Edimburgi erant Angli, poſt biduum Glaſcuam profecti, toto tractu Glottiano, agros Hamiltoniorum, & ſi qui alii in cædem Proregis conſenſerant, aut exules Anglos receptaverant, magna omnis generis præda abacta, ruinis & incendiis fœdarunt. Dum machinæ, ad converberandam arcem, non procul a pago, cui Hamiltonio nomen eſt, poſitam, Sterlino apportantur, Drurius, qui rebellibus Anglis clam favebat, hanc expeditionem prope fecit irritam. Anglos enim, non ſoluto ad diem ſtipendio, tumultuantes, ac ſtatim ſe diſceſſuros comminantes, adeo non compeſcuit, ut ipſe pleriſque auctor ejus motus fuiſſe crederetur. Sed, pecunia mutua repræſentata, miles eſt retentus, &, machinis admotis, arx intra paucas horas deditionem fecit. In præda, quidam agnoverunt veſtem, aliamque Jacobi Quinti Regis ſupellectilem, quam dominus arcis, cum ejeraret regnum, ſancte juraverat penes ſe non eſſe. Arx ſemidiruta relicta eſt. Vicum, & in ea villam Hamiltoniorum magnificam, vulgus furens invitis ducibus incendit. Exercitu reducto, Angli Bervicum, Scoti ad ſua quiſque ſe receperunt. Datum Drurii precibus, ut arcis præſidium incolume dimitteretur. Illi dimiſſi, Robertum Semplium, gentis principem, dum, velut expeditione peracta, domum ſecurus redit, e generi ſui domo captivum abſtrahunt. Quæ res ſuſpicionem de Drurio acrius inflammavit.

XVIII. His rebus vixdum peractis, Pitcarnius, e legatione Anglica reverſus, hæc fere retulit: Reginam mirari, quod, quarto demum menſe a Proregis interitu, de ſtatu rerum ſuarum eam certiorem facerent. Se enim, ob „hanc cunctationem, incertam fuiſſe, quid de eis ſperaret. Interea ſollicitatam, crebris Galli & Hiſpani Legati precibus, nomine Regum ſuorum, „& Reginæ Scotæ prope quotidianis querelis fatigatam, promiſiſſe audientiam: ſed iis legibus, ut Scota ſcriberet ad ſuæ factionis homines, ut interea, „dum colloquium illud finiretur, vi & armis abſtinerent. Quæ publicis edictis de rebus novandis [1] attentarunt, ea contrariis edictis revocarent: ac res in „eodem ſtatu eſſe ſinerent, quo vivo Prorege fuerant. Exules Anglos bona „fide redderent: & ſi, finito colloquio, de cæteris rebus inter eos conveniret, „ut obſidibus & aliis fidei pignoribus caveretur, ut pacta inter eos firma & „rata manerent. His legibus colloquium promiſſum. Hac autem pactione „illigata, negabat, ſe poſſe conſilii eorum, in creando Prorege, participem „fieri, ne, cauſſa Reginæ Scotorum nondum audita, præjudicaſſe videretur. „Cæterum, curæ ſibi rem Scoticam fore. Rogabat, ut interim ab armis, & „a Prorege creando, abſtinerent: ſeſe daturam operam, ne hoc tantillum moræ ſit eis damno.

XIX. Hæc renunciata Scotos varie affecerunt, cum & ratio temporis cogeret, ad Anglorum voluntatem conſilia ſua accommodare, nec tamen ignorarent, quantum publice intereſſet, unum eſſe in ſummo magiſtratu, ad quem omnia deferrentur. In hoc ſuperioribus menſibus creando cunctationem, ſpatium

[1] *Attentarunt*] An melius forte [*attentarant.*]

tium inimicis dediſſe, ut ſe colligerent, & novos judicum conſeſſus facerent, nova edicta quotidie proponerent, omnia Regum munera uſurparent: contra Regiorum animos langueſcere, multitudinem, imperio ſolutam, non diu dicto audientem fore, cui certum non eſſet, cui pareret. Poſt reditum Legati, certiores facti ſunt, novo tumultu in Anglia excitato, Londini templorum foribus diplomata Romani Pontificis fuiſſe affixa, partim quæ Anglos hortarentur, ut ab injuſto Reginæ imperio ſe liberarent, partim, propoſitis præmiis, ut ad cultum Romani Pontificis redirent. Nec ab iis conſiliis Regina Scotorum [1] aliena credebatur. [2] Hæc quanquam ſopita & ex literis Suſſexii Comitis reſciſſent, & idem Thomas Randolfus præſens affirmaret, ægre contineri poterant, quo minus Proregem crearent. Tandem, medio conſilio, ut aliquam ſummi magiſtratus ſpeciem haberent, Interregem nominare decreverunt, cui imperium uſque ad IV. Id. Julias eſſet, quo ſpatio interpoſito, certiores ex aula Anglica de Reginæ voluntate fieri poſſent. Ejus enim animum a ſe non eſſe alienum, vel hinc maxime augurabantur, quod inter conditiones induciarum poſuiſſet; Ut exules Anglos rebelles redderent. Id enim ſi fieret, intelligebant rebelles, omnium Papanorum animos, per totam Angliam, a Regina Scota alienatum iri: ſin negaretur, colloquium eſſe ſublatum, & ſuſpiciones, quæ vulgus averterent, indies incrementum accepturas. Videbant etiam, cætera non facile conventura, cum, ex liberatione captivæ, majus Anglis quam Scotis immineret periculum: nec, ſi cætera convenirent, Anglam commiſſuram, ut, niſi obſidibus acceptis, eam dimitteret: nec eam obſides dare poſſe, per quos ſatis cautum videri poſſet. Iis rebus paullo erectiores, Interregem creant Matthæum Stuartum, Leviniæ Comitem, Regis Scotorum avum.

XX. Dum novus Interrex, adhibito conſilio, quæ ſuperioribus tumultibus erant labefactata, confirmare nititur, commodum literæ Reginæ Anglorum, ad VI. Idus Julii afferuntur, in quibus cum multa de ſuo erga Regem regnumque Scotorum animo diſputaret, & benigne ſuam opem polliceretur, [3] nominationem Proregis, quæ ſibi foret invidioſa, nec ipſis exempli ſatis probandi, deprecatur: „Conſilium tamen ſuum ſi exquirant, neminem ſibi videri avo „præferendum, in eo præſertim munere, quod maxime fidem erga pupillum, „nondum ſui potentem, expoſceret, & qui jam, eaſdem cauſſas, prærogativam tuliſſet. His literis confirmati, Matthæum ex Interrege Proregem creant, concordibus omnium Ordinum ſuffragiis.

XXI. Is, ſtatim ut creatus eſt, ſacramento de more dicto, de ſtatu religionis,

1 *Aliena credebatur*] Ita præeunte Crafordio emendavimus, pro quo libris omnibus editum eſt [*crederetur.*]

2 *Hæc quanquam ſopita*] i. e. *Quanquam hos tumultus ſedatos, & ex l. S. C. r.* Egregie hic, ut innumeris aliis locis, ſuam inſcitiam prodit Anglicus interpres, qui adverſus Buchanani mentem vociſque nativum ſenſum [*ſopita*] reddit *kept ſecret*, i. e. *ipſos celata*, vel *ab ipſorum notitia occultata.*

3 *Nominationem Proregis* —— *deprecatur*] i. e. *rogat ne Proregem* (quem ejus arbitrio ſe electuros Regii ſpoponderant Cap. 15. huj. lib. *a ſe nominari velint.* Hunc genuinum horum verborum ſenſum non aſſequutus eſt Anglicus interpres, qui Anglam id deprecatam exiſtimat, ne quenquam Scoti Proregem ſibi crearent.

nis, deque patriis legibus & inſtitutis obſervandis, primum omnium edixit; „Ut omnes, qui per ætatem arma ferre poſſent, quarto Nonas Auguſti Limnuchi præſto eſſent, ad impedienda ſeditioſorum comitia, Reginæ nomine „indicta. Deinde Ordinum conventum Regis nomine indixit, in decimum Octobris diem. Miſit quoque ad arcis Edimburgenſis præfectum, qui adhuc partium Regiarum ſtudium ſtrenue ſimulabat, quanquam omnes ejus actiones animum ab oratione oſtenderent alienum. Ab eo petebat machinas aliquot æneas, apparatumque ad eas tractandas neceſſarium, magis ut animum ejus nudaret, quam ſpe quod petebatur impetrandi. Ille, cum initio ſatis liberaliter promiſiſſet, appetente comitiorum die, promiſſa flagitantibus impudenter recuſavit. „Suam enim operam, ad concordiam jungendam, non ad fundendum Scotorum ſanguinem ſemper fore paratam. Nihilominus Prorex ad diem Limnuchum venit, quinque millibus armatorum comitatus. Sed, cum nihil ab hoſtibus moveri audiret, niſi quod Brechini ab Huntilæo centum ſexaginta mercenarii collocati erant, ac edictum propoſitum, ut Brechinenſes providerent, ut, ad quartum Idus Auguſti, commeatus illic aliquot millibus hominum eſſet paratus: præſidiarii, ab eo relicti, non modo cives, ſed omnes etiam prætereuntes, itineribus inſeſſis, ſpoliabant. Prorex, de concilii ſententia, eo proficiſci ſtatuit, ut, ante Huntilæi adventum, locum occuparet, ad multa commodum, & ibi, ſi neceſſe eſſet, antequam reliquæ adverſarum partium copiæ convenirent, cum eo prælio decerneret, illamque ſclopetariorum, quam unam habebant, manum deleret, & factionis duces quoſdam (nam audierat ibi eſſe Crafordiæ Comitem, & Jacobum Ogilvium, & Jacobum Balfurium) de improviſo opprimeret.

XXII. Igitur, Patricio Lindeſio, & Gulielmo Ruveno, ſupremi ordinis, & Jacobo Haliburtono, præfecto Taoduni, præmiſſis, ut, quanta poſſent celeritate, aſſumta juventute Taoduni & Perthi, rumores prævenirent. Hi, quanquam ad celeritatem nihil ſibi reliqui feciſſent, ac proxima nocte, ſublatis in equos peditibus, feſtinaſſent, cum jam in propinquo eſſent, ac lentiore gradu incederent, ne fatigati ex itinere ad hoſtem recentem pervenirent, trepidus Brechinum nuncius affertur, hoſtes adeſſe. Ogilvius & Balfurius, qui forte aderant, militem breviter ac pro tempore allocuti, bono animo eſſe jubent, intra triduum ſe cum Huntilæo redituros: ſtatimque, equis conſcenſis, per proximos montes ad ſuos contendunt. Milites relicti, quod cuique ad manum erat, diripiunt: eorum circiter viginti turrim templi propinquam occupant: cæteri in ædes Comitis Marriæ, quæ, arcis inſtar in proximo tumulo ſitæ, oppido imminent, confugiunt. Jacobus Duglaſſius, Mortonii Comes, cum octingentis equitibus, longiore via ducens, poſtridie affuit. Prorex, dimiſſis domum Levinianis & Renfroanis, ut ſuis agris præſidio eſſent, ſi quid [1] ab Argathelia moveretur, ipſe tertio die Brechinum præmiſſos aſſequitur. Cum, ad rumorem adventus ejus, Nobilitas e vicinis agris conflueret, ac jam ad ſeptem millia armatorum in caſtris cenſerentur, qui in turri

1 *Ab Argathelia moveretur*]. Legendum videtur [*Argathelio.*]

turri ſacræ ædis erant, ſtatim deditionem fecerunt: reliqui, cum ad paucos dies ſe ſatis acriter defendiſſent, ac nonnullos, qui incautius ſubibant, partim occidiſſent, partim vulneraſſent, tandem audito æneas machinas admoveri, & ſe ab Huntilæo deſtitutos eſſe, & ipſi Proregi ſe permiſerunt. Is, triginta, qui plerique capti antea ac dimiſſi fuerant, aut in cauſſa pertinacius perſeverarant, laqueo exſtinctis, reliquos pene exanimes dimiſit. Huntilæus interea, qui ad viginti millia paſſuum aberat, fruſtra majorem manum colligere conatus, (quod maxima pars hominum, quoties libere voluntatem declarare audebant, a turpitudine cauſſæ abhorrebant) trepidus, ut ſibi conſuleret, in ulteriores regiones cum paucis retro ceſſit.

XXIII. Prorex reverſus Edimburgum, ut ex Ordinum ſententia res ubique turbatas componeret, ad conventum ibi indictum venit. Rebelles, nulla ſpe ſalutis ſibi relicta in Ordinum concordia, præſertim ii, qui primum Regiæ cædis, deinde qui cæſi Proregis rei deſtinabantur, egerunt per Reginam Angliæ, ut, quoniam ipſa promiſerat Legatis Francorum & Hiſpanorum, ſe, partibus auditis, res, ſi fieri poſſit, compoſituram, interea nihil novi publice ſtatueretur. Hac mora impetrata, (nihil enim in eo conventu eſt actum, niſi quod Proregis electio eſt confirmata) nunquam ceſſarunt rebelles, Gallos & Hiſpanos ſollicitare, ut auxilia in Britanniam, ad Reginam reſtituendam, mitterent. Et; quoniam ex ejus reſtitutione veterum cærimoniarum reſtitutionem pendere affirmabant, tentatus eſt Pontifex Romanus, ut, quia longius aberat, ſaltem pecunia partes juvaret. Is, miſſo in Scotiam, qui rerum ſtatum præſens cognoſceret, cum Romanenſium factionem infirmiorem ibi comperiſſet, nec omnes rebelles in Papiſmo reſtituendo conſentire, a cauſſa abſtinuit: motum tamen aliquem interim in Anglia, (quoniam ibi ſuam factionem adhuc præpotentem eſſe intellexerat) diris noctu templorum valvis affixis, ac indulgentiis & præteritorum impunitate promiſſis, excitare conatus eſt.

XXIV. Prorex, in VIII. Cal. Feb. indicto conventu, (quoniam, intra id tempus, Legatis exterarum nationum ſatisfactum iri ſperabat) ad res, quoad fieri poterat, legibus & judiciis componendas, Edimburgum rediit. Rebelles, renovatis ſubinde induciis per Angliæ Reginam, donec utriuſque partis Legati apud eam diſceptarent, non tamen adverſus pacem a ſe petitam res novas moliri deſinebant, freti, (ut credebatur) maxime Comitis Suſſexii favore, qui tum exercitui Anglorum in Northumbria præfuit. Is enim, ſive Ducis Norfolciæ cauſſa nondum deplorata, ſive Reginæ exulis, de cujus reditu non omnino deſperabat, pollicitationibus inductus, in rebellium factionem pronior erat. Ea re animadverſa, Scoti ſua conſilia cum eo parcius communicabant.

XXV. Hieme per inducias, ſubinde renovatas, tranſacta, conventus, qui fuerat in VIII. Cal. Feb. indictus, in Majum eſt dilatus. Interea Hamiltonii, cum in cædem Proregis fruſtra multos ſubornaſſent, tandem Paſleti turrim, cuſtodibus ejectis, occupant; rati, inter majorum rerum curas, impune id ſibi fore. Prorex principes legationis in Angliam ad diſceptandum cum Legatis exterorum Regum, Mortonium, Robertum Pitcarnium &

Jacobum

Jacobum Macgillium, ad Non. Feb. miſit: ipſe, Paſletum profectus, convocata tantum vicina Nobilitate, quæ ſuæ factionis erat, turrim oppugnare eſt aggreſſus. Obſeſſi autem, cum ab eo aqua arcerentur, coacti deditionem facere. Deinde, Gilberto Kennedo in Caricta Regiarum partium homines injuriis & damnis aſſiduis infeſtante, Aeram petiit. Kennedus, propinquo metu paucarum cohortium oſtentato, gentiles etiam ſuos, qui in fide permanſerant, Regiaſque partes conſtanter tuebantur, formidans, fratrem unicum obſidem dedit: diemque conſtituit, quem ad diem ipſe Sterlinum veniret, & pacta confirmaret. Hanc deditionem ſecuti Hugo Mongomerius Eglentonii Comes, & Robertus Bodius, ad Proregem venerunt, atque ab eo in fidem ſunt recepti.

XXVI. Per omne hoc tempus, cum Prorex in recipiendis rebellibus, & Mortonius in legatione Anglica, abeſſet, qui arcem Edimburgenſem tenebant, metu propinquo liberi, non ceſſant militem conſcribere, loca urbis idonea præſidiis occupare, commeatus, a mercatoribus Letham invectos, diripere, &, quibuſcunque rebus poſſunt, ſe ad obſidionem tolerandam comparare, donec ſperata ab exteris auxilia adventarent. Proregi, equi lapſu graviter afflicto, ac propterea Glaſcuam reverſo, per militem gregarium ſpes Britannoduni recuperandi eſt oblata. Is cum inter præſidiarios in arce mereret, uxor, ad eum ſæpe illuc commeare ſolita, furti fuit accuſata, ac jubente Flaminio virgis cæſa. Eam rem maritus, homo uxorius, & qui injuriam inſignem conjugi factam exiſtimaret, adeo ægre tulit, ut ſponte ex arce diſceſſerit, & ex illo [1] nihil magis cogitarit, quam qua ratione poſſet nocere Flaminio. Igitur ad Robertum Duglaſſium, Proregis propinquum, rem defert. Ei pollicetur; „Si det, qui ſe ducem ſequantur, facturum, ut arx „brevi in eorum poteſtatem perveniat. Roberto adjunctus eſt Joannes Cunigamius, qui diligentius de rei tantæ conficiendæ ratione percunctetur. Sed homo rudis & militaris, cum promiſſis minus fidei eſſe videret, quod dilucide expedire non poſſet, quæ erat pollicitus; „Ego, inquit, quando verbis parum creditis, periculis me principem offero: ſi me ſequi voletis, vos in ar- „ce ſiſtam: ſin aliud ſentitis, rem omittite.

XXVII. Oratione ejus ad Proregem delata, cum & res magnitudine ſua animos, in ſpem tantam pronos, accendiſſet, auctor autem (etſi fidum exiſtimarent) tamen parum idoneus videretur, adhibito in conſcientiam ſuſcepti facinoris Thoma Crafordio, viro forti & rei militaris perito, tandem convenit, ut vel temere potius, ſpem tantam ſecuti, fortunam experirentur, quam per ignaviam occaſioni defuiſſe viderentur. Igitur paucis diebus, in ſcalis aliiſque rebus neceſſariis parandis, ei negotio conſumtis, Cal. Apr. [2] rei conficiundæ deſtinatæ, ut rumores prævenirent, quod tum induciæ, rebellibus per Angliæ Reginam impetratæ, exituræ erant. XXVIII.

1 *Nihil magis cogitarit*] Ita, jubente Crafordio, levi unius literæ mutatione, reſcripſimus, pro [*cogitarat*] quod aliis libris conſpicitur.

2 *Rei conficiundæ*] Et tamen Cap. præced. [*rei conficiendæ*] dixerat, & infra XX. 30.

XXVIII. Sed antequam hujus expeditionis eventum explicem, viſum eſt pauca de ſitu & natura arcis dicere. A confluente Glottæ & Levini fluminum, planities, circiter mille paſſuum, ad proximorum montium radices extenditur. In ipſo autem angulo, ubi amnes commiſcentur, rupes biceps attollitur. Alterum ejus cornu, quod altius ſe exerit, occidentem reſpicit. In ſummo ejus vertice ſpecula eſt, longiſſimo in omnes partes proſpectu. Alterum, paullo humilius, ad orientem vergit. Inter duo cornua, quod in ſeptentriones & agros verſum eſt latus, gradus habet, per obliquam rupem hominum induſtria & magno labore exciſos, per quos vix ſingulis eſt aditus. Eſt enim ſaxum illud prædurum, & vix ullis ferramentis ſuperabile, e quo ſi quid vel vi effringitur, vel ruinis collabitur, ſulfureum late odorem exſpirat. In ſuperiore arcis parte ingens eſt ſaxum, [1] Magneſii quidem lapidis, ſed ita cæteræ rupi coagmentatum & adhærens, ut commiſſura omnino non appareat. Qua Glotta ad meridiem præterfluit, rupes, reliquis partibus natura præceps, ſeſe paullulum inclinat, &, exporrectis utrinque brachiis, nonnihil ſoli amplectitur, quod partim naturæ ingenio, partim opera humana, ita includitur, ut & frequentibus ædificiis per tranſverſa latera locum præbeat, & ſtationem navium, in flumine machinis æneis [2] deverberando, ſuis tutam, hoſtibus infeſtam, reddat; & minoribus lembis aditum prope ad ipſam arcis portam faciat; ac media, qua aſcenditur, rupe ædificiis occupata, velut alteram arcem, a ſuperiore ſecluſam, efficiat. Præter naturale rupis munimentum, duo flumina, Levinus ad occaſum, ad meridiem Glotta, foſſarum vicem ſupplent. Ad latus orientale, quoties æſtu intumuit mare, rupis radices alluit. Cum receſſit æſtus, planities non quidem illa (ut fere ſunt littora) arenoſa, ſed cœnoſa, pinguiore ſolo in lutum ſoluto, diffunditur: eaque etiam torrentibus, e propinquo monte præcipitantibus, interſcinditur. Reliquum latus in campum herbidum ac planum eſt converſum. Arx fontes perennes tres habet, multis præterea locis aquæ vivæ ſcaturigines. Veteres Britanni (auctore Beda) locum vocabant Alclutham: Scoti, qui olim a Brittonibus Levino amne diremti erant, quod in finibus Brittonum id munimentum poſitum erat, Britannodunum dixere. Adjacet eodem nomine oppidulum, in Levini amnis ripa, plus minus quingentis a confluente paſſibus.

XXIX. Hæc arx, ut quæ inſuperabilis videretur, in bellis externis & civilibus,

1 *Magneſii quidem lapidis*] i.e. *Lapidis qui ferrum attrahit*, ſive *Magnetis*, quem & *lapidem Heraclium* & *Lydium* appellant. De nominis origine ſic canit Lucretius lib. 6.

Quod supereſt, agere incipiam, quo fœdere fiat
Naturæ, lapis hic ut ferrum ducere poſſit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graji,
Magnetum quia ſit patriis in finibus ortus.

Ambigi tamen poteſt an huic ſaxo vim ferrum trahendi ineſſe, an id tantum ſignificare Buchananus voluerit, eum lapidem Magnetis colorem & externam duntaxat faciem referre. Heſychius certe lapidem qui ferrum attrahit a Magnetide diverſum tradit: Μαγνῆτιν enim lapidem eſſe affirmat argento tantopere ſimilem, ut hac ſimilitudine oculos decipiat.

2 *Deverberando*] i.e. *E ſuperiore loco verberando.*

2 Et

libus, ſæpe magnas tenentibus commoditates, hoſtibus moleſtias exhibuit. Tum ei Joannes Flaminius, nomine Reginæ exulantis, præerat: [1] & , quia per ſe Regis factioni par viribus non erat, etſi in cædem prioris Regis non conſenſerat, tamen ad parricidarum partes ſe adjunxerat: ac ſuperiori toto quadriennio, Regis Gallorum (cui perſuaſerat Scotos fere omnes in Reginæ Anglorum poteſtatem clandeſtinis fœderibus abiiſſe) facultatibus præſidium arcis ſuſtentaverat: ac magnifica in ſpeciem jactatione ei aſſeveraverat; „Se Scotiæ „velut compedes tenere, & quandocunque Gallis otium ſuppeteret ab aliis bel„lis, ſi modica ſibi dentur auxilia, omnia facile ſe in eorum poteſtatem reda„cturum." Nec diſſimili vanitate promiſſorum Gallus ejus inſaniam alebat, miſſo etiam exiguo bellico apparatu, per Veracum quendam, quem ibi ſubſiſtere, & Scoticas res ſpeculari, juſſerat. Augebat etiam præfecti inſolentiam arx Edimburgenſis, quæ nuper cuſtodum perfidia defecerat a Rege: item Proregis valetudo, qui nuper lapſu equi prope afflictus, in podagram quoque inciderat: præterea induciæ quoque per Angliæ Reginam, ad finem uſque Martii menſis, impetratæ. His omnibus rebus ſecuritas & negligentia adeo creverat inter præſidiarios, ut frequentes, per luxum & laſciviam, in oppido vicino, velut in ſinu pacis, pernoctarent.

XXX. In hoc ſtatu rerum, paratis, quantum per feſtinationem fieri poterat, quæ præſens expeditio poſcere videbatur, Joannes Cunigamius, cum equitatu præmiſſus, ut obvios interciperet, ne qua de militum adventu rumor ad hoſtem permanare poſſet. Thomas Crafordius cum pedite conſequitur. Juſſi convenire ad Dumbucum, circiter medium noctis. (Is collis ab arce abeſt prope mille paſſus.) Crafordius (uti juſſus erat) ibi militibus demum exponit, quo ducerentur, quæque rei conficiendæ ratio eſſet, edocet. Ducem itineris oſtendit, qui primum ſe pollicebatur aſcenſurum, ſeque & alios, qui honore militari eminerent, ſecuturos affirmat. Ita militibus facile perſuaſis, ut ſuos duces ſequerentur, ſcalas cæterumque rupis ſuperandæ apparatum expediunt, ac paullo ante lucem pedites ad arcem ducunt. Equites in eo, ubi conſtiterant, loco, in utriuſque fortunæ eventum reſtiterunt.

XXXI. Interea, dum propius ad arcem accedunt, duo impedimenta eis objecta ſunt: nam & pons torrentis, qui campum interſecat, fractus, & ignis, in proximo repente apparens, ſuſpicionem injecerunt, ne & pons dedita opera ad iter remorandum eſſet ſolutus, & ignis ad indicandum hoſtium adventum a præſidio eſſet accenſus. Sed pons celeriter, pro præſenti copia, eſt ita refectus, ut pediti pervius eſſet, & miſſi ad locum, ubi flamma viſa fuerat, ſpeculatores retulerunt, nullum ibi ignis veſtigium repertum. Unde intellectum eſt, ardorem illum ex eo genere eſſe flammarum, quæ, in aere genitæ, interim ſubſidunt in terras, & [2] ſubito conſpectæ vaneſcunt. Ille propior timor, ne cum cœlum plurium ſtellarum lumine fulgeret, & dies jam appeteret, conatus

1 *Et, quia*] Princeps Editio Edimb. [*qui.*]

2 *Subito conſpectæ vaneſcunt*] Ita prima Edimb. Genev. & Francof. recentiores autem omnes *evaneſcunt*.

natus eorum, e ſuperiore loco, a vigilibus deprehenderetur, cum ſubito caligo denſa ita cœlum texit, ut non infra mediam arcis rupem deſcenderet, ſuperiorem vero partem ita tenebris involvit, ut arcis cuſtodibus omnem rerum, quæ infra gererentur, proſpectum adimeret. Sed, ut caligo cecidit opportune, ita alius incommodiſſimo tempore caſus intervenit, qui pene reliquos conatus fecit irritos. Nam, cum pluribus ſcalis altitudo rupis eſſet ſuperanda, ac primæ, propter longitudinem, eſſent ad tractandum inhabiles, hæ pondere properantium conſcendere gravatæ, cum nec in lubrico ſaxo facile ſtabiliri poſſent, una cum aſcenſoribus repente corruerunt. Ea res, uti intio pavorem ac trepidationem injecit, ita brevi, comperto neminem eo caſu afflictum eſſe, ſic militum animos, prope conterritos, confirmavit, ut, velut favente conſiliis eorum numine, alacriores ad pericula repetenda efficerentur. Igitur ſcalis circumſpectius admotis, cum ad mediam rupem perveniſſent, nacti locum minus iniquum, ubi conſiſtere poſſent, ibi reperiunt inter ſaxa forte enatam fraxinum, quæ magnas eis commoditates attulit: funes enim ad eam nexos demiſerunt, quibus ſocios, infra relictos, attollerent. Ita, eodem pene momento, alii, funibus nixum juvantibus, in mediam rupem evadebant, alii, ſcalis aliis admotis, in ſummam rupem nitebantur.

XXXII. Hic quoque novum & inopinatum evenit malum, quod univerſas prope rationes conturbavit. Nam, in mediis fere ſcalis, unus aſcendentium, ſubito ſtupore (quem medici ἀποπληξίαν vocant) correptus, ita gradibus adhæſit, ut nec ipſe ulla ratione divelli poſſet, & ſequentibus viam præcluderet. Hoc quoque periculum militum alacritas & induſtria diſcuſſit, eo ita ad gradus alligato, ut ne, remittente morbo, caderet, &, ſcalis ſummo ſilentio inverſis, reliqui facile aſcenderent. Cum jam ſummam rupem tenerent, tertiis ſcalis murus manu factus erat ſuperandus. Eum cum Alexander Ramiſæus cum duobus manipularibus aſcendiſſet, vigiles, eos conſpicati, excitato ſtatim tumultu, ſaxa conjiciunt. Ramiſæus, impari genere pugnæ deprehenſus, cum nec ſaxa, quibus, hoſtem peteret, nec ſcutum, quo ſe protegeret, haberet, e muro deſiliit, &, circumventus a tribus vigilibus, tamen pugnam ſuſtinuit, donec comites, magis illius quam ſuo periculo ſolliciti, ſe præcipitarunt, & tres vigiles ſtatim confecerunt. Interea, cum reliqui, quantum poſſent, ſubſequerentur, murus vetuſtate prope ſolutus, pondere & conatu ſcandentium procubuit: ac non tantum ruina ſua aditum patefecit, ſed per rupem etiam intra arcem præaltam & inæqualem, faciliorem deſcenſum fecit. Catervatim igitur ingreſſi magno tumultu, cum Deum ac Regem expeditionis duces, ac nomen Proregis identidem proclamarent, cuſtodes, velut attoniti, pugnæ obliti, qua quiſque poterat, ſuæ ſaluti conſulit. Multi, dum primus impetus deſæviret, ſe intra domos concluſerunt. Flaminius, cum per obliquam rupem ſe ſubduceret periculis, comite, qui unus eum ſequebatur, icto, ac ſtatim ruente, attonitus, pene per invia deſcendit, ac per portulam emiſſus, flumine ob maris æſtum ad muros uſque effuſo, naviculam nactus, in Argatheliam profugit. Cuſtodes infimæ arcis, ac præterea XXV. ex præſidiariis, qui inter popinas & ſcorta in oppido pernoctaverant, tumultu exciti, ne tentata pugna,

qua

qua proxime poterant, fugerunt. Capti fuerunt in arce, Joannes Hamiltonius, Fani Andreæ Archiepiſcopus; Joannes Flaminius Bogallius; juvenis quidem Anglus, ex proxima Anglorum ſeditione profugus; Veracus Gallus, qui nomine ſui Regis, multo ante cum bellico apparatu & commeatibus eo miſſus, illic ſubſtiterat, ut Regem Gallum de ſtatu rerum Scoticarum faceret certiorem. Alexander, Gulielmi Leviſtonii filius, qui cultu mutato evadere tentarat, a fuga retractus.

XXXIII. Prorex, de arce capta certior factus, ante meridiem advenit. Milites primum collaudavit: deinde Flaminii uxorem conſolatus, non modo mundum muliebrem, ſed vaſa argentea, atque omne domeſticum inſtrumentum ei conceſſit, agroſque e bonis mariti, quæ multo ante in publicum redacta fuerant, unde ipſa liberique alerentur, aſſignavit. Reliqua præda militi conceſſa. His ita conſtitutis rebus, per otium ad arcem viſendam circumiens, cum ad rupem, qua milites aſcenderant, ventum eſt, res tam ardua cunctis eſt viſa, ut milites etiam faterentur, „Se, ſi periculum prævidiſſent, nullis conduci „præmiis potuiſſe, ut illac ire tentarent. Veracus, cum argueretur a mercatoribus, quos fretum Glottæ ingreſſus hoſtiliter ſpoliarat, multis in concilio cenſentibus cum eo furti agendum, tamen apud Proregem valuit Legati nomen inane, quod ipſe ſuis flagitiis violaverat. Igitur, ut ſpoliatis ab eo ſua recuperandi ſaltem ſpes injiceretur, ad judicium ſervari juſſus eſt, & ad Fanum Andreæ, apud hoſpitem, non alienum a cauſſa rebellium, diverſari, unde velut vi ereptus, paucos poſt dies (quod quærebatur) diſceſſit. Anglus, quamvis multis ſuſpicionibus premeretur, ex literiſque etiam commendatitiis Joannis Leſlii Epiſcopi Roſſienſis ad Flaminium, arce capta inventis, argueretur, in Anglam ad ſuos eſt remiſſus. Poſt ejus diſceſſum, intellectum eſt eum a Norfolcianis ſubmiſſum fuiſſe, ut Regem Scotorum veneno tolleret. Bogallius in cuſtodia retentus.

XXXIV. Reſtabat adhuc inter captivos unus, quem Prorex maxime exſtinctum volebat, Fani Andreæ Archiepiſcopus. Hic & ſuperioribus temporibus, ſub fratre ſuo Prorege, ut multa crudeliter & avare fierent, auctor erat, & totam fere, ſub Regina, invidiam rerum flagitioſe geſtarum ſuſtinebat. Timebat etiam Prorex, [1] ne, ſi longior mora interponeretur, ſupplicibus Reginæ Anglorum literis eximeretur. Et Archiepiſcopi amici ne hanc quidem ſpem negligebant. Et, ne temporis anguſtia hunc conatum impediret, Archiepiſcopus vehementer poſtulabat, ut judicium patrio more perageretur: id aliquid ſpatii etiam, quantulumcunque erat, allaturum. [2] At hæc fruſtratio ita diſcuſſa eſt, quod

1 *Ne, ſi longior mora interponeretur, ſupplicibus Reginæ Anglorum literis eximeretur*] Omnibus libris editum eſt [*aut ſupplicibus, &c.*] Cum autem alterum membrum deſit cui [*aut*] illud reſpondeat, nos Crafordii admonitu otioſam particulam delevimus. Ne quid tamen diſſimulem, magis inclinat animus ut credam vocem aliquam Librarii incuria excidiſſe, ſententiamque adeo hoc pacto conſtitui debere, *ne ſi longior mora interponeretur, evaderet, aut ſupplicibus Reginæ Anglorum literis eximeretur.*

2 *At hæc fruſtratio*] Prima Edimb. *Et hæc fruſtratio.*

quod nullo novo judicio ad hanc Archiepiſcopi cauſſam audiendam opus eſſet, quippe quæ in publicis regni comitiis jam eſſet dijudicata. Itaque, cum cædis Regiæ & Proregis ſuperioris manifeſto teneretur, ſuſpendio Sterlini vitam finivit.

XXXV. Hæc fere tum magna ex parte nova ſunt prolata: nam, ad eum fere diem, major pars latuerat. Archiepiſcopus Fani Andreæ, qui proxime diverſabatur, libenter trucidandi Regis partes, ſibi oblatas, & ob veteres inimicitias, & ſpem propinquam regni in ſuam familiam transferendi, ſuſcepit. Sex igitur, aut octo, e facinoroſiſſimis ſuorum electis, ac datis eis Regii hoſpitii clavibus, rem commendat. Illi, cum ſummo ingreſſi ſilentio, eum ſopitum opprimunt, corpuſque ſuffocati in proximum [1] extra muros hortum, per portulam (cujus ante memini) efferunt: ac tum demum, dato ſigno, flamma ædibus ſuppoſita eſt. Indicium autem ejus ſceleris, per Joannem Hamiltonium, principem in facinore patrando, ita emanavit. Is enim non ſolum, facti nefarii dies noctesque obverſante conſcientia, animi inquietudine vexabatur; ſed corpus etiam, velut contagio animi infectum, cruciabatur, ac lenta paullatim tabe liqueſcebat. Circumſpicienti igitur omnia remedia, venit in mentem, ut ludimagiſtro Paſletenſi, viro minime malo, & adhuc in partibus Papiſticis hærenti, totum rei ordinem, ſocioſque ſceleris nominatim indicaret. Sacerdos etſi ſedulo eum ſolaretur, divinæque miſericordiæ admoneret, [2] tamen quia vis mali altius penetraverat, quam ut talibus piaculis ægritudo, quæ altius radices egerat, exſtirpari poſſet, intra paucos dies, mœroris mole obrutus, deceſſit. Sacerdos rem non ita occulte texit, ut ad Regis amicos fama non permanaret. Illi, multis menſibus demum poſt cædem, Matthæo Comite Leviniæ rerum potiente, capto Britannoduno, & Epiſcopo Sterlinum ducto, ſacerdotem eo pertrahendum curant. Is cum, quæ de cæde Regis antea dixerat, tum affirmaret, ab Hamiltonio rogatus; „Unde hæc reſciſſet? num ex confeſſione auriculari? id quoque cum ille affirmaſſet, tum Hamiltonius? „Non ignoras, opinor, quæ pœna revelantibus confeſſionum arcana ſit conſti„tuta. Nec quicquam amplius ab eo ad id crimen eſt reſponſum. Poſt autem quindecim aut amplius menſes, cum idem ſacerdos, jam tertio inter miſſificandum deprehenſus, atque ad ſupplicium, ex legis præſcripto, duceretur, eadem omnia, quæ ante dixerat, & apertius & copioſius, publice recitavit: eaque adeo brevi fuerunt divulgata, ut Hamiltoniorum clientes, inter ſe jurgantes, cædem Regis alii aliis objectarent.

XXXVI. Interea rebelles per fratrem præfecti arcis Edimburgenſis aliquid pecuniarum a Gallo corraſerant: & Mortonius, e legatione Anglica reverſus, conventu Nobiliorum Sterlini exhibito, ſummam legationis ſuæ retulit, in hanc maxime ſententiam. „Cum ad decimum Calend. Mart. Londinum ve„niſ-

1 *Extra muros*] Dicta Edimb. editio [*erga muros*] aliæ [*extra.*]
2 *Tamen quia vis mali*] Principi editioni Edimb. abeſt [*quia,*] quam ob cauſſam Crafordio viſum eſt lin. ſeq. legere *itaque intra paucos dies*. Sed noſtra lectio ut facilior, ita venuſtior videtur.

1 *Dag*

„ niſſemus, a Regina ad ſeptem e concilio electos ſumus remiſſi. Ab eis, poſt „ variam diſputationem, [1]duo capita nobis propoſita fuerunt: primum, ut „ rerum a nobis geſtarum, proxime ſuperioribus temporibus, cauſſas, a nobis „ allatas, tam evidentibus argumentis confirmaremus, ut eas plane fuiſſe juſtas „ ipſa perſuaſum habeat, & aliis, rationem repoſcentibus, honeſte [2]reſpondere „ poſſet. Id ſi minus poſſemus, tamen Reginam nihil prorſus omiſſuram, quod „ ad incolumitatem noſtram facere queat. His de rebus, commentarius a no„ bis, fere in hanc ſententiam, eſt exhibitus. CRIMINA, quibus initio Re„ gis noſtri mater ſe falſo gravari querebatur, adeo dilucide fuerunt a Comite „ Moraviæ, ejuſdemque legationis ſociis, explicata, ut nec Reginam Angliæ, „ cæteroſque ab ea ad earum rerum cognitionem adhibitos, Regiæ cædis au„ ctor (quo ex fonte cætera mala promanarunt) latere poſſet. Ea autem repe„ tere apud Reginam, cui non dubitamus abunde in hac parte jampridem eſſe „ ſatisfactum, non eſt neceſſe: nec nos, qui inviti in eam arenam fuimus pro„ tracti, nunc etiam libenter memoriam tantorum ſcelerum uſurpabimus. At, „ qui illa negare non poſſunt crudeliter & flagitioſe perpetrata, [3]regni ejeratio„ nem, & jus omne imperandi a matre in filium tranſlatum, ut rem novam, „ acerbam, & vi expreſſam, calumniantur. Primum, factum ipſum nec ani„ madvertendi in Reges vetus majorum conſuetudo novum videri ſinit, nec „ moderatio pœnæ invidioſum. Nam, tot Reges, a noſtris majoribus morte, „ vinculis, exilio, punitos, enumerare nihil eſt opus: externis autem exemplis „ noſtrorum factum confirmare, multo minus: cum tot, ex antiquis hiſtoria„ rum monumentis, ultro ſeſe offerant.

„ XXXVII. Gens enim Scotorum, cum ab initio libera eſſet, Reges eo „ jure ſibi creavit, ut imperium populi ſuffragiis eis mandatum, ſi res poſce„ ret, eiſdem ſuffragiis adimere poſſent. Ejus legis multa, ad noſtram uſque „ ætatem, remanſerunt veſtigia. Nam & in circumjectis inſulis, & in pleriſ„ que continentis locis, in quibus ſermo priſcus & inſtituta hæſerunt, is mos in „ Phylarchis creandis adhuc ſervatur. Hujus quoque juris expreſſam habent „ imaginem, quæ in regno ineundo uſurpantur cærimoniæ: ex quibus facile „ apparet, regnum nihil aliud eſſe, quam mutuam inter populos & Reges ſti„ pulationem. Idem vero apertiſſime poteſt intelligi, ex inoffenſo veteris juris „ tenore, ex quo apud Scotos regnari cœptum eſt, ad noſtram uſque memo„ riam ſervato, cum nemo, interea, hoc jus non modo abrogare, ſed nec con„ vellere, aut ulla in parte imminuere, tentarit: cum tot Reges, quos enu„ merare longum eſſet, majores noſtri regno exuerint, exilio damnarint, car„ ceri-

1 *Duo capita nobis propoſita fuerunt: primum*] Haud ſatis accurate a Buchanano factum videtur, quod, ex duobus hiſce capitibus a Regina Angliæ propoſitis, primi duntaxat hoc in loco mentione facta, alterum, longo poſt intervallo, XX. 46. dubio interim ac ſuſpenſo hærente lectoris animo, memorandum relinquat.

2 *Reſpondere poſſet*] Forte legendum *poſſit*, ut cum [*habeat*] eodem verſu tempore congruat.

3 *Regni ejerationem*] *Ejuro* & *ejuratio* uſitatiora videntur quam *ejero* & *ejeratio*: ipſe etiam Buchananus quam hic *ejerationem*, XX. 39, *ejurationem* appellat.

„ceribus coercuerint, ſupplicio denique affecerint: [1] nec unquam tamen de le„gis acerbitate minuenda mentio facta eſt. Nec immerito fortaſſe, cum ea „non ſit de illarum ſanctionum genere, quæ mutationibus temporum ſunt ob„noxiæ, ſed, in primo generis humani exortu, in mentes hominum inciſæ, „& mutuo prope gentium omnium conſenſu comprobatæ, &, una cum rerum „natura, infragiles & ſempiternæ perennent; ipſæque, nullius imperiis obno„xiæ, omnibus dominentur & imperent. Hanc, quæ, in omni actione, ocu„lis & animis noſtris ſeſe offert, velimus, nolimus, in pectoribus noſtris habi„tat, majores noſtri ſecuti, ſemper adverſus violentiam armati, impotentiam „tyrannorum compreſſerunt. Sed nec Scotis hæc ſolis lex eſt propria, ſed omni„bus nationibus & populis bene inſtitutis eſt communis.

XXXVIII. Ut autem civitates clariſſimas, Athenas, Lacedæmona, Ro„mam, [2] Venetos, ſilentio prætercam, quæ non, niſi cum libertate pariter, „hanc legem ſibi eripi ſunt paſſæ: etiam illis temporibus, quibus res Romana „ſæviſſima tyrannide fuit oppreſſa, ſi quando forte vir bonus imperii nomine „fuit honeſtatus, in magna ſibi gloria ducendum ponebat, ſicubi ſe populo „inferiorem, & legum juſſis obnoxium, fateretur. Nam, & præfecto urbis „enſem Trajanus cum (de more) traderet, dixiſſe fertur, *Pro me, vel in me, „prout merebor, utitor:* & Theodoſius, peſſimis temporibus optimus Impera„tor, teſtatum inter legum ſanctiones relinquere voluit, *Vocem regnantis ma„jeſtate dignam, imo majus imperio eſſe, Confiteri, ſe eſſe legibus inferiorem.* „Sed nec gentibus barbaris, & a cultu & humanitate longiſſime remotis, hoc „jus ignotum fuit. Plena eſt omnis vita, plenæ omnium nationum hiſtoriæ. Sed, ne „obſoleta conquirere videar exempla, duo modo proferam, cum noſtra memoria „conjuncta. Nuper Chriſtiernus Danus, ob intolerabilem ſævitiam, cum tota „ſtirpe regno eſt exactus, graviore certe pœna, quam ab ullo Regum noſtro„rum populus unquam exegit: nunquam enim parentum peccata in liberos „propagavit. Sed ille, ut omni ſcelerum genere inquinatiſſimus, ſingulare „merito ſupplicium luerit, quid Caroli Quinti Imperatoris mater? quid illa „perpetua cuſtodia dignum commiſit? Mulier, ætate adhuc integra, mortuo „marito juvene florentiſſimo, de ſecundis nuptiis cogitaſſe dicitur: neque ſce„leris ullius, ſed legitimæ cujuſdam (ut ſeveriores loquuntur) intemperantiæ, „ut publici mores habent, honeſtiſſimæ neceſſitudinis, jure divino & humano „comprobatæ, inſimulata. Si conferenda jam ſit Reginæ noſtræ cum Chri„ſtierno Dano calamitas, (ut nihil amplius dicam) non levius illa peccavit, ſed „in eam moderatius eſt animadverſum. Si cum [3] Joanna Auſtria, Caroli ma„tre,

1 *Nec unquam tamen*] Crafordius legendum exiſtimat; *nunquam tamen*, quod quidem & rectius videtur.

2 *Venetos*] An forte *Venetias*. [Scio quomodo hoc excuſari poſſit, & exempla ad Ovid. III. Amor. X. 20. & IV. Metam. 668 prolata oſtendunt. mallem tamen hic *Venetias*, quia *Roma* &c. præceſſit.]

3 *Joanna Auſtria*] *Auſtriaca* potius erat dicendum, aut rectius (quod vult Crafordius) *Arragonia*; Joanna enim filia erat & hæres Ferdinandi Catholici cognominati, Regis Arragonum. Buchananus autem *Auſtriam* eam aut *Auſtriacam* appellavit quod Philippo Auſtriaco Maximiliani Du-

„tre, quid miſella illa commiſit, niſi quod voluptatem, legibus permiſſam, „& remedium ætati neceſſarium, quoad licebat, expetivit? Et tamen eam „pœnam innocens tulit, de qua graviſſimorum ſcelerum convicta nunc con- „queritur: & legitimi conjugis cædes, & illegitimum cum parricida publico „matrimonium, [1] eoſdem nunc habet deprecatores, qui in Rege trucidando „ſceleris pœnam innocentiæ irrogabant.

XXXIX. „Sed hic, neque, quid majorum exemplis debeant, cogitant, „neque legis illius æternæ ſunt memores, quam [2] clariſſimi proceres, a primis „uſque regni incunabulis, ſecuti, violentiam tyrannorum compeſcuerunt. Et „nos, in præſentia, quid egimus aliud, quam quod, tot regnorum & libe- „rarum nationum veſtigiis inſiſtentes, licentiam, ſupra omne legum imperium „ſeſe efferentem, compreſſimus? Non ea quidem ſeveritate, qua majores in „hoc genere ſunt uſi: neminem enim, qui in tali ſcelere fuiſſet deprehenſus, „pœnas legum illi effugere voluerunt. Eos ſi nos imitati fuiſſemus, non ſo- „lum a periculi metu abeſſemus, ſed etiam calumniarum fugiſſemus moleſtias. „Idque ex adverſariorum poſtulatione poteſt intelligi. Quoties nos apud vi- „cinos Reges criminati ſunt? quas gentes adverſus nos non concitant? „quid tandem iſta importunitate flagitant? Ut videlicet, æquitate juris o- „mnis controverſia tollatur. Nos iſtam conditionem nunquam recuſavimus: „nunquam illi toties oblatam recipere voluerunt. Quid igitur poſtulant? ut „tyrannos, graviſſimi ſceleris manifeſtos, ſpoliis civium paſtos, Regum „ſanguine oblitos, in bonorum ſupplicia inhiantes, auctoritate publica ar- „memus? & parricidii perpetrati compertos, cogitati graviſſimis ſuſpicio- „nibus infames, indicta cauſſa, noſtris capitibus imponamus? Et tamen „hic eorum petitioni improbæ largius indulſimus, quam aut mos patrius, „aut legum ſeveritas, aut juris æqui moderatio pateretur. Nulla pene „res ab hiſtoriæ noſtræ ſcriptoribus aut frequentius eſt celebrata, aut dili- „gentius pertractata, quam in malos Reges animadverſio. Inter tot „tamen male geſti imperii reos, quis unquam tantam iratorum civium in pœ- „na irroganda ſenſit lenitatem, quanta in Regis noſtri matre, in atrociſſimo „facinore deprehenſa, punienda ſumus uſi? Cui unquam, ſceleris convicto, „poteſtas eſt data, filium, aut propinquum, ſuum in locum ſubſtituendi? „[3] Cui aliquando libertas illa permiſſa eſt, ut, quos vellet, proxime regna- „turo Curatores apponeret?

XL.

Ducis Auſtriæ ac Germanorum Imperatoris filio nupſiſſet.

1 *Eoſdem nunc habet deprecatores*] Hiſpanos *ſcil.* qui Joannam cuſtodiæ incluſerant, Mariam vero reſtituendam maximopere contendebant. Sed (quod Buchanano vel Mortonio tacere viſum eſt) longe diſpar hic rerum facies, ac utriuſque Reginæ animorum habitus & conditio. Mariam enim Scotam non ſolum rationis uſu pollentem, ſed exquiſitiſſimo judicio indoleque vere Regia præditam fere omnes fatentur; Joanna vero Hiſpana conſentiente omnium ejus gentis ſcriptorum teſtimonio, inſana ac mente alienata fuiſſe perhibetur, ac proinde inepta prorſus quæ regnum adminiſtraret.

2 *Clariſſimi proceres, a primis uſque regni incunabulis*] Ita, Crafordio admonente, exhibuimus, expuncto [*qui*] quod inepte omnibus libris poſt [*proceres*] irrepſit.

3 *Cui aliquando libertas illa permiſſa eſt, ut quos vellet, proxime regnaturo Curatores*

XL. „In ipſa vero ejuratione regni, quid eſt, quod quiſpiam vel „paullo durius factum queratur? Mulier adoleſcens, oneri impoſito impar, „rerum perturbatarum procellis agitata, per literas petit: ut proceres non mi„nus moleſta quam honorifica regni adminiſtratione eam liberent; impetra„tum eſt: ut ab ea in filium jus transferant; ita, ut voluit, eſt factum: ut „Curatores nominaret, qui rerum ſummæ præeſſent, dum filius adoleſceret; „id quoque ei datum eſt. Et quo plus auctoritatis res haberet, ad Ordines in „conventu publico de ea relatum eſt: [1] a quibus recte & ordine cuncta fuiſſe „acta judicatum eſt, & decreto publico id confirmatum eſt, quo nullum ne„que ſanctius nec firmius nobis eſt vinculum. At quicquid in cuſtodia eſt a„ctum, non ut ſponte geſtum, ſed timore mortis expreſſum, velut alia mul„ta, ad quæ metus cauſſa homines coguntur, pro infectis haberi ſolent ac de„bent. Iſta quidem timoris excuſatio, ut non ſine cauſſa interdum a judici„bus ſolet accipi, ita non ſemper juſtam ad res judicatas reſcindendas cauſ„ſam affert. Nam cum ſui emolumenti cauſſa, injecto timore, plus actor a „reo extorquet, quam per æquitatem legum aſſequi poſſet; merito aut vi „coactis, aut formidine impulſis, hæc remedia optimo jure ſunt proviſa. Con„tra vero, ſi animus, male ſibi conſcius, ex juſtæ pœnæ exſpectatione me„tum confinxit, aut ſi vitandi juſti ſupplicii cauſſa in conditiones aliquas con„ſenſit, nullam ſatis juſtam cauſſam ad reſcindendas res tranſactas is timor af„fert: alioqui, quo quis eſſet ſceleratior, eo facilior ei in aliquem legum „portum foret receptus; & quæ remedia ſublevandis innoxiis ſunt excogitata, „ad impios pœnis eximendos transferrentur: illæque ipſæ vindices injuriarum „leges, bonis, improbitate malorum vexatis, non præbebunt aſylum, ſed „malis, juſtum ſupplicium timentibus, injuſtum perfugium. Iſte autem me„tus, qualiſcunque fuerit, qua tandem in re conditionem Reginæ fecit dete„riorem? Regii enim faſtigii titulus, & regni adminiſtrandi poteſtas, jam„pridem ei univerſi populi judicio erat ademta, & jam in ordinem redactæ „vita reſtabat precaria, eaque ipſa non criminum innocentia, ſed populi mi„ſericordia, fruebatur.

XLI. „Quid igitur, cum regno ceſſit, per timorem amiſit? Imperio jam„dudum exuta, inane nomen imperii abjecit: & quod ab invita jure extorque„ri poterat, ſponte remiſit: & reliqui temporis vitam, & infamiæ turpitu„dinem, &, ipſa morte miſeriorem, perpetuum imminentis fati timorem, „vani nominis umbra redemit. Itaque miror hic neminem, ſeu Reginæ pa„tronorum, ſeu Legatorum, prævaricationem videre. Nam qui petunt, ut, „quæ

res apponeret?] Ita legendum ſententia per ſe ipſa oſtendit; non, quod libros fere omnes occupavit, *promiſſa, velient & apponerent.*

1 *A quibus recte & ordine cuncta fuiſſe acta*] Sic omnino legendum trita ac ſolenni Romanis formula Liv. lib. 30. *Scipionem recte atque ordine videri feciſſe.* Id. lib. 45. *Reſponſum ab Senatu eſt, Antiochum recte atque ordine feciſſe, quod legatus paruiſſet.* Cicer. Philip. V. de Bruto agens, *Id cum recte & ordine exque repub. feciſſe.* Omnibus tamen libris, præter unum Francof. [*recta*] hic exhibetur.

1 Ut

„quæ a Regina in cuſtodia ſunt geſta, rurſus infecta fiant, hoc videlicet po„ſtulant, ut in locum, unde ſe metu dejectam queritur, reſtituatur. Quis „vero locus erat is, in quem tantopere flagitat reſtitui? (nam ante jampridem „erat a regno gubernando remota, &, omni publica adminiſtratione jam adem„ta, legum pœnis relicta.) Nempe boni iſti patroni, eam reſtitui volunt, „ut de crimine, non minus manifeſto, quam fœdo & deteſtabili, cauſſam „dicat; aut verius, cauſſa jam cognita, juſtas pœnas luat: & quæ nunc in „miſericordia propinquorum aliquo laxamento fruitur, &, in re atrociſſima, „non peſſima conditione utitur, in medias judiciorum procellas iterum conji„ciatur, nulla meliore ſpe incolumitatis, quam quæ ex tot priorum Regum, „qui ſe judicum ſententiis permiſerunt, condemnatione redundet. Quod au„tem, ad ſollicitandos ſimpliciorum animos, ſeditioſe jactatur ab adverſariis, „tyrannis puniendis bonorum Regum majeſtatem imminui, & auctoritatem „propemodum vileſcere, id quale ſit videamus. Nam contra reputando, ni„hil honorificentius ſocietatibus & cœtibus bonorum eſſe poteſt, quam ſi „malorum contagio liberentur. Quis ſenatum Romanum, ſupplicio Lentuli, „Cethegi, aut Catilinæ, pollutum exiſtimavit? Valerius Aſiaticus, tumul„tuantibus ob cædem Caligulæ militibus, & ſubinde flagitantibus, quis tam „audacis facinoris eſſet auctor, e loco ſublimiore & conſpicuo proclamavit, „*Utinam iſtud vere aſſumere poſſem.* Tanta fuit in unius hominis privati libera „voce majeſtas, ut tota vecors illa multitudo, ſtatim diſſipata, conquieve„rit.

XLII. „L. Junius Brutus, cum conjurationem de recipiendis in urbem ty„rannis reſtinxit, non exiſtimavit familiam cæde nefaria pollutam, ſed ſan„guine ſuorum liberorum e Nobilitate Romana maculam elutam. Chriſtier„ni Dani carcer ecquid detraxit de laudibus Chriſtiani proximi Regis? Ecquid „obſtitit, ne optimus omnium ſuæ memoriæ Regum haberetur? Præſtans „enim & virtuti ſuæ innixus animus, neque aliena gloria creſcit, neque de„creſcit infamia. Sed his omiſſis, ut ad criminis defenſionem revertamur, „Reginæ petitioni abunde ſatisfactum arbitramur, quæ a nobis popoſcit, ut „cauſſam noſtram tam evidentibus argumentis confirmaremus, ut ipſa ſibi „perſuadere poſſet, eam eſſe juſtiſſimam, & aliis, rationem repoſcentibus, „honeſte reſpondere. Quod enim ad cædem attinet, adeo dilucide ejus au„ctor, & ratio, & cauſſæ, fuerunt a Comite Moravio ſociiſque ejuſdem le„gationis explicatæ, [1] ut Reginam Angliæ, cæteroſque ab ea ad illarum re„rum cognitionem adhibitos, nihil eorum exactiſſima judicia latere potuerit.

„Quæ

[1] *Ut Reginam Angliæ, cæteroſque ab ea ad illarum rerum cognitionem adhibitos, nihil eorum exactiſſima judicia latere potuerit*] Anacoluthon hic a Buchanano ejuſve librario admiſſum videtur; neque enim facile inducar ut credam, Buchananum, per duriſſimam, ac nullo quod ſciam exemplo ſuffultam, appoſitionem, Reginam Angliæ, proceresque ad illarum rerum cognitionem adhibitos *exactiſſima judicia* appellare voluiſſe. Aut igitur legendum videtur *Reginæ Angliæ, cæterorumque ab ea a. i. r. c, adhibitorum exactiſſima judicia nihil eorum latere potuerit*, aut hæ voces [*exactiſſima judicia*] omnino delendæ.

„Quæ vero, poſt id facinus, in crimen vocantur, oſtendimus, cum lege „divina, cum lege naturæ, quæ & ipſa quodammodo divina eſt; cum legibus patriis & inſtitutis, conſentire, neque ab aliarum gentium, apud quas „jus faſque & magiſtratuum imperia valuere, moribus eſſe aliena: noſtramque cauſſam cum probent omnes divinarum humanarumque interpretes le„gum, tot ſeculorum exempla, tot populorum judicia, & tyrannorum ſup„plicia; non videmus, quid in noſtra cauſſa tam ſit novum, (ne dicam ini„quum) quod Reginam remoretur, quo minus & ipſa noſtræ cauſſæ ſubſcribat, „& aliis perſuadere poſſit, nihil hic eſſe, cur nos a bonorum, aut civium, „aut Chriſtianorum, officio diſceſſiſſe debeant exiſtimare.

„XLIII. Hæc eorum, quæ pro cauſſa tum dicenda viderentur, ſumma, „literis comprehenſa, pridie Cal. Mart. perlecta, coram viris ſumma virtute „& doctrina, quos Regina eis de rebus conferre ſermonem juſſerat; deſcri„ptamque, ad eam deferendam, dedimus: ac poſtridie, qui fuit dies Cal. „Martii, mane iterum in aulam convenimus, ut, ſi fieri poſſet, certiores fie„remus, non modo quid de noſtro reſponſo, ſed de ſumma totius cauſſæ, ſen„tiret. Sed, quia Regina eo die profectura erat ad villam ſuam, ad tria mil„lia infra Londinum, cui villæ Vico Viridi nomen eſt, non fuit nobis ejus „tum conveniendi poteſtas. Igitur, quod proximum fuit, cum concilii pri„moribus, qui nobis audiendis ab initio dati erant, collocuti, ex eis intelle„ximus, eam (etſi illa ipſa ex urbe migratio, aliæque curæ, non multum va„cui temporis ei conceſſiſſent) tamen noſtrum legiſſe commentarium: verum „nondum ſibi plane eſſe perſuaſum, noſtram cauſſam tam fuiſſe juſtam, ut ſi„ne ullo animi ſcrupulo eam probare poſſet. Quapropter hortabatur, ut ad „ſecundum, ab initio nobis propoſitum, rediremus, aliquamque rationem „diſpiceremus, qua hæc diſcordia conditionibus honeſtis conſopiretur. Nos „ex adverſo reſpondimus; Nos quidem domo non eſſe miſſos cum liberis man„datis, ſed certis finibus circumſcriptam habere poteſtatem: neque liberum „nobis eſſe, conſultare de ulla omnino re, quæ ad imminuendum Regis noſtri „imperium pertineret: nec, ſi etiam oblata fuiſſet a noſtris ea poteſtas, eam fuiſ„ſe accepturos, aut permiſſa uſuros.

„XLIV. Rebus in hoc ſtatu tum relictis, cum Regina in ſua villa, nos „Londini diverſaremur, miſimus e noſtris, qui ex ea ſcirent, nunquid eſſet „præterea, de quo nobiſcum agendum exiſtimaret: aut, ſi nihil eſſet, ut cu„rarent veniam diſcedendi nobis impetrandam, ut domi reip. pro virili conſu„lere, & privatam non negligere, ac, ſi qua in re liceret, majeſtati ejus gra„tificari poſſimus; ſtudium certe noſtrum ei probare conemur, cujus declaran„di major erit domi nobis poteſtas, quam in alieno ſolo degentibus. Hac no„ſtra flagitatione id ſaltem perfecimus, ut juberemur quinto die menſis „Martii nos in aula ſiſtere. Ibi, cum ad Reginam eſſemus perducti, ea no„ſtram in tuenda opinione ſuſcepta obſtinationem graviter increpuit, quod „diſceptationem, aut potius conſultationem, de re ad noſtram ſecuritatem „ſpectante, tam pertinaciter defugeremus. Adjecit præterea prolixam ſuæ „voluntatis declarationem, adverſus Regem, cæteroſque, qui ejus cauſ„ſam

„ſam ſuſceperant tuendam. Nos, cum æquitatem noſtræ cauſſæ ſatis luculenter a nobis explicatam contenderemus, illa ex adverſo reſpondit, Suo „nondum animo ſatisfactum exemplis & argumentis a nobis prolatis. Nec ſe „diſputationum earum plane rudem eſſe, ut quæ ſuperioris temporis partem „ſtudio legum impertiſſet. Quod ſi eſt ita vobis prorſus decretum, inquit, „nihil præterea comminiſci ad Regis ac veſtram ſalutem conſervandam, velim tamen adhuc ſermonem conferatis cum concilii mei primoribus, qui vo„biſcum ſuperioribus diebus iiſdem de rebus diſſeruerunt. Reſpondemus, Nos „nequaquam noſtris opinionibus eſſe ita pertinaciter addictos, ut non libenter „ex ipſa conſiliariiſque ejus quamlibet rei expediendæ rationem audiremus, „modo id caveatur, ne præſens regni ſtatus mutaretur, aut aliqua de Regis „imperio fiat imminutio. Ea de re nullam nos conſultationem aut velle aut „poſſe attingere.

XLV. „Poſtridie, ad villam Regiam (uti cum Regina convenerat) deſcen„dimus, initoque cum conſiliariis colloquio, cum multa ab eis in medium „eſſent propoſita, quæ ad dirimendam controverſiam, quæ erat de titulo „regni, inter matrem & filium facerent, nos, quia & non paucæ erant, „nec de rebus parvi momenti rationes utrinque jactabantur, rogavimus, ut „eas ſcripto nobis exhiberent, ut ſpatium de tantis rebus cogitandi nobis dare„tur. Nec illi, conſulta prius Regina, moram fecerunt. Cunctis igitur „per ordinem excuſſis, res viſæ ſunt tam arduæ, tamque ad Regiam maje„ſtatem imminuendam pertinentes, extraque fines legationi ſuæ præſcriptos „poſitæ, ut eas nec vellent, nec auderent, nec poſſent, attingere. Poſtri„die, Robertus Pitcarnius in aulam cum reſponſo remiſſus eſt. Id erat; rem „ad univerſorum civium cognitionem pertinere, nec tam paucorum hominum „diſceptationi committendam. [1] Idem quoque ad eos noſtrum reſponſum, „ſcriptum petentibus, poſtridie illius dici, hoc eſt, menſis Martii nono die, „ad aulam retulit: ac magnopere petiit a Regina, ut, peractis quorum cauſ„ſa venerant, Legatis domum abeundi veniam daret. Poſt decimum demum „diem, Reginæ conveniendæ nobis copia facta eſt. Delecti a concilio, qui„buſcum, a noſtro adventu uſque, nobis inſtitutus fuerat ſermo, vehemen„ter inſtabant, ut adhuc, una ſecum, conditiones non incommodas rei com„ponendæ comminiſceremur: multiſque verbis oſtenderunt, ſi ad domeſti„cam ſeditionem externum etiam accederet bellum, duplicatum laborem, du-

„pli-

1 *Idem quoque ad eos noſtrum reſponſum, ſcriptum petentibus, p. i. d. h. e. m. M. n. d. ad aulam retulit:*] Ita conſtanter omnes libri, quamvis recepta optimis auctoribus loquendi conſuetudo [*petentes*] requirat. At forte hic noſter imitari voluerit Juſtinum, quem caſu ſexto participii ita uſum, & caſum ſextum pronominis ſubaudiendum reliquiſſe animadvertit doctiſſimus Joan. Voritius, veluti lib. 2. cap. 3. *Uxorum flagitatione revocantur, per legatos denuntiantibus, ni redeant, ſobolem ſe ex finitimis quæſituras.* Et lib. 30. cap. 3. *Nullius magis arma metuebant, reputantibus quantum motum Pyrrhus parva manu Macedonum in Italia feciſſet.* Et lib. 18. cap. 1. *Additis Samnitium & Lucanorum precibus, & ipſis auxilio adverſus Romanos indigentibus.*

1 *Ne-*

„ plicata pericula, rerumque omnium difficultatem, fore: præſertim cum no-„ ſtris viribus nos explicare non poſſemus. Nobis vero in ratione inſtituta „ perſeverantibus, nec ullam pacificandi formulam accepturis, qua Regis po-„ teſtas arctaretur, ille finitus eſt dies.

XLVI. „ Proximo die, qui fuit viceſimus Martii, in aulam fuimus revo-„ cati. Ibi Regina ad ſe juſſos accedere, in hanc fere ſententiam alloquitur: Se, „ cum ſuis, noſtra reſponſa expendiſſe, ſatiſque perſpicue intelligere, nemi-„ nem, præter ſummum Scotorum concilium, qui ex conventu Ordinum con-„ ſtat, poſſe ad ea, quæ poſtulabantur, certi quicquam reſpondere. Itaque, „ ſe rationem iniſſe, qua rem integram, honeſto colore prætento, relinque-„ ret. Sibi renunciatum eſſe, comitia omnium Ordinum brevi in Scotia fu-„ tura. Eo (quod bene vertat) proficiſceremur. Ibi operam daremus, ut ex „ utraque factione, pari utrinque numero, certi homines deligerentur, qui „ cauſſas controverſiarum diligenter expenderent. Se quoque eo Legatos miſ-„ ſuram, qui una cum eis paci reconciliandæ operam darent. Se autem pete-„ re, ut interea induciæ renoventur, dum res ad finem aliquem deduceretur. „ Hæc etiam ſe velle cum Legatis Reginæ Scotorum conferre, eoſque, ſi „ poſſet, in ſuam ſententiam adducere. Illi autem, re audita, ſi excuſant: „ nihil enim ſe, Principe ſua inconſulta, in ullam partem ſtatuere poſſe. Se „ quidem, ut reſciſcant quid ad eam rem ſententiæ habeat, ad eam ſcripturos. „ Nos vero redeundi ad noſtros promiſſum commeatum flagitabamus. Verum „ interea jubemur brevem admodum temporis moram æquo animo ferre, dum „ a Regis noſtri matre, ad Epiſcopum Roſſienſem, cæteroſque ejuſdem Re-„ ginæ Legatos, reſponſum rediret. Poſt id, de reditu ſtatim impetratu-„ ros.

XLVII. Interea nihil ad feſtinationem noſtram profuit, quod identidem „ objiceremus, nihil nobis cum Roſſienſi Epiſcopo rei eſſe: [1] neque is lega-„ tioni noſtræ propoſitus eſſet finis. Nos quidem, cur veneramus, perfeciſ-„ ſe: mirari vero, cur Epiſcopus Roſſienſis noſtrum reditum, peracta lega-„ tione, remorari debeat: præſertim, per noſtram abſentiam, tot novarum „ rerum obortis tumultibus, idque non modico partium Regis incommodo. „ Sed nec hac prope importuna noſtra flagitatione quicquam promovimus: res „ enim de die in diem prolata eſt, ad pridie Cal. April. quo die Regina Lon-„ dinum rediit. Sed quæ, in conventu publico inchoata, tractabantur, per „ triduum fere proximum ita Reginam tenuerunt, ut ad externa diſceptanda nul-„ lum ei otium relinqueretur. Quarto demum Aprilis die, nobis arceſſitis, „ moram injectam excuſat. Oſtendit, matrem Regis noſtri præſidentem ſuo-„ rum audaciam graviter per literas increpuiſſe, quod ſuam ad cauſſam hac ra-„ tione tractandam deſcendiſſent. Itaque, inquit Angla, cum a via concor-„ diæ a me propoſita [2] tam vehementer abhorreat, non ero diutius vobis in „ mo-

1 *Neque is legationi noſtræ*] Potius dicendum videtur, *neque eum legationi noſtræ propoſitum eſſe finem.*

2 *Tam vehementer abhorreat*] Ita legendum monſtrat contextus, in primis proximo ſtatim verſu [*velit:*] omnibus autem libris [*abhorrerent*] eſt ſcriptum, quod Crafordius in [*abhorreant*] mutandum jubet,

„mora. Quod ſi forte pœnitentia (quod ſpes eſt) poſterius ducta, in hanc „viam redire velit, vos non dubito in officio futuros. Ita tandem benigne & „humaniter dimiſſi, octavo die Aprilis iter in patriam ſumus ingreſſi.

XLVIII. Hæc cum Sterlini in conventu procerum recitata fuiſſent, magnoque omnium conſenſu diligentia fideſque Legatorum approbata, reliquas cogitationes in Cal. Majas intendunt, in quem diem comitia erant indicta. Interim, utrique ſe diligenter parant; alteri ad ea habenda, alteri ad impedienda. Hæc fere palam prudentiores exiſtimabant, Anglam nulla ratione velle Scotam dimittere: quippe quæ videret, quantum ex ea re periculum univerſæ rei Britannicæ immineret. Injecta interim mentio erat, de Rege Scoto pro matre petendo obſide, magis ſpe concordiæ impediendæ, quam reſtituendæ. Scotos enim nequaquam conſenſuros certo ſciebat. Verum aderant in concilio ejus plerique homines potentes, qui occulte Norfolcianæ factioni ſtudebant. Hi & Scotam reſtitui volebant, & factionem ei adverſam temporis diuturnitate frangi & debilitari, [1] ut neceſſitate ab ea exprimeretur, quod a volentibus impetraturi non videbantur. Nec dubitabant eo rem venturam, cum rebelles pecunia bellicoque apparatu a Gallo juvarentur; Regii contra in unam Angliæ Reginam eſſent intenti, quæ benigne, ab initio, eis intellecto Reginæ Scotæ ſcelere, pollicita erat, regnum Regemque eorum ſibi curæ fore. Sed nec Gallus ſua conſilia ſatis expedire poterat: Reginam enim reſtitui volebat, Regem Anglis dedi nolebat. Cum autem non ignoraret, quam valida eſſet Norfolciana factio, quæ res novas moliebatur, non deſperabat fore, ut Regina Scota e cuſtodia vel clam elaberetur, [2] vel per vim educeretur. Hic fere tum rerum ſtatus in Britannia erat.

XLIX. Mortonius, cum in conventu Sterlini ſuæ legationis acta proceribus probaſſet, domum reverſus, quæ quatuor millia ab Edimburgo aberat, cohortem peditum centenariam cum paucis equitibus habebat, ut & ſe, ſi quid oppidani attentarent, ea manu tueretur, & eorum excurſiones prohiberet, dum majores copiæ cogerentur. Interim Reginæ factio, quæ oppidum tenebat, milites conſcribit, loca idonea præſidiis occupat, atque in id unum omnia conſilia confert, ut, excluſo Prorege, comitia, quæ Edimburgum erant indicta, impediret. Ad hæc Mortonius, uti a Prorege fuerat mandatum, viginti equites, & e centuria peditum, quam commeatibus infrequentem ſecum habebat, circiter ſeptuaginta Letham miſit, qui edicto publice denunciarent, (nam Edimburgum jam præſidio tenebatur;) „Ne quis, terra „marive, rebelles commeatibus, armis, aliove quovis bellico apparatu, ſub„levaret: qui contra feciſſent, eiſdem quibus rebelles pœnis eſſent obnoxii.

Hi

bet, niſi forte typographi vitium eſt, pro [*abborreat.*]

1 *Ut neceſſitate ab ea exprimeretur, quod a volentibus impetraturi non videbantur*] Aut priore loco [*eis*,] aut poſteriore [*volente*] legendum potius videtur. Utrumque enim ad *factionem Scotæ adverſam* refertur, non vero *Angliæ Reginam*, quod Anglicus interpres exiſtimavit.

2 *Vel per vim educeretur*] Ita recte reſtituit Crafordius, pro quo libris omnibus [*per unum*] inepte eſt ſcriptum.

 1 *Tu-*

Hi, quia urbanis ſe copiis impares ſciebant, pedites longiore via, quæ monte (quem Arcturi Sedem vulgus appellat) ab urbis conſpectu tegitur, equites, prope muros, urbis portas (nemine hoſtium ſe commovente) tranſierunt. Peractis autem cur Letham venerant, non eadem revertentibus fortuna fuit. Pedites enim cum recuſarent qua venerant redire, & ut ſui & hoſtium periculum facerent, prope urbis portas, invitis equitibus, una tamen cum eis ſubjecti mœnibus, tranſibant, cum repente duabus portis in eos facta eſt eruptio. Initio concurſum eſt ſatis acriter. Oppidani tandem [1] tumultuoſi in urbem rejecti, levi quidem cum jactura, ſed tamen, ut facile appareret, inferiores virtute eos eſſe, etſi numero ſuperarent.

L. Contra Prorex, cum nihil haberet ad oppidum oppugnandum parati, nec, inſtantibus comitiis, ob temporis anguſtiam, machinæ eo conduci poſſent, a vi abſtinendum ratus, comitia tum extra portam habere ſtatuit: nam oppidum cum in longitudinem exporrectum eſſet, qui muris id primi circumdederunt, magnam ejus partem extra pomœria excluſerant, ita tamen ut ejus partis habitatoribus civitatis jus integrum ſervaretur. Illic igitur habita ſunt comitia, juriſperitis interpretantibus, „ Nihil referre, in qua urbis „ parte haberentur. In hoc conventu, cum perduelles eſſent denunciati principes fere eorum, qui arcem tenebant, ac hi potiſſimum, qui ob conſcientiam cædis Regis ac Proregis judicia fugiebant; rebelles, Ordinum decreto (cujus judicii ſumma eſt auctoritas) damnati, ne vulgus, quod fere a Nobilitatis nutu pendet, ab eis alienaretur, & ipſi, ex ea copia quæ apud eos erat, comitia coëgerunt. Pauci ab eis ſtabant, quibus jus ſuffragii erat, e quibus alii in comitium non venerunt, alii affuerunt quidem, ſed ut ſpectatores, omnibuſque officiis forenſibus abſtinuerunt. Ita, cum nec juſtus eis ſuffragatorum eſſet numerus, nec hi tempore legitimo aut more majorum convocati, ut tamen ſpeciem aliquam legitimæ multitudinis haberent, duo Epiſcopi, aliique nonnulli abſentes, (quod nunquam antea fando auditum erat) ſuffragia ſua in ancipitem comitiorum eventum ſcripta miſerunt.

LI. Toto hoc tempore, cum arx aſſidue in procerum conventum majoribus machinis jacularetur, ac ſæpe globi ferrei in mediam turbam caderent, neminem tamen aut occiderunt aut vulnerarunt. Damnati in utroque conventu pauci: & utrique comitia in menſem Auguſtum indixerunt, alteri Sterlinum, alteri Edimburgum. Soluto conventu, ac neutris alteros laceſſentibus, velut in inducias conſenſum eſſet, major pars mercenariorum, qui cum Mortonio erant, domos ſunt dilapſi. Qui oppidum tenebant, non ignari, quanta eſſet circa Mortonium infrequentia, ſimul ignominiæ ſuperioris delendæ cupidi, ducentos viginti pedites ſclopetarios, equites centum emiſere. Hi duas machinas æneas campeſtres ſecum avexerunt, eo conſilio, ut vel oppidulum Dalkethum, ubi tum Mortonius erat, incenderent; vel, ſi id non ſuccederet, metu hoſtem intra oppidum continerent, atque, ea velut timoris confeſſione expreſſa, vulgo ſe oſtentarent. Hi cum in colle adverſo ſeſe inſtructos oſten-

dif-

[1] *Tumultuoſi in urbem rejecti*] An potius *tumultuoſe* ?

Qui

diſſent, ſubito Dalkethi, ad arma, conclamatum eſt. Mortoniani ſtatim, ducenti pedites, & circiter ſexaginta equites, per adverſum collem ſubeuntes, in planitiem demum invecti, contra ad pugnam parati ſteterunt. Procurrentibus deinde utrinque jaculatoribus, levi certamine conſerto, rebelles, qui omnia apud hoſtem ſe imparata deprehenſuros crediderant, ſpe ſua decepti, retro, quantum integris ordinibus poterant, abeuntes, urbem repetebant. Interea, aliis urgentibus, aliis ſe recipere cupientibus, ad Cragmillarium, arcem medio fere itinere ſitam, perventum eſt. Ibi pauci pedites Mortoniani, qui ab adverſa parte arcem occulte tranſierant, ex inſidiis conſurgentes, in anguſtiis viæ ſubjectæ aciem hoſtium aggreſſi, ordinibus ſolutis, eam in fugam averterunt. Qui præſidium in arce Edimburgenſi agitabant, e ſuperiore loco cernentes fugam ſe verſus tendere, ſubſidio miſerunt octodecim equites, & triginta pedites, quibus freti hoſtes, equites Regios (qui dimidio pauciores erant) rebellium impetum non ſuſtinentes, non minus trepide, quam paullo ante ſecuti erant, fuga retro impulerunt. Peditum utrinque operam prope inutilem imber repente cœlo effuſus fecit. In fuga ex Mortonianis cæſi pauci, plures vulnerati, capti circiter viginti ſex. Cæſorum numerus e rebellibus major, captorum minor fuit. Sed fortuita res utriuſque partis detrimenta prope æquavit. Nam qui Edimburgo venerant, doliolum ſulfurei pulveris ſecum advexerant: inde milites feſtinantes dum inconſultius depromunt, igne temere injecto, tanta vis flammæ repente erupit, ut equus, qui vaſculum vehebat, & peditum præfectus Jacobus Malvillius, compluresque militum, ejus afflatu fuerint ambuſti, ac major pars eorum intra paucos dies perierit.

LII. Dum hæc, re in neutram partem inclinata, circa Edimburgum geruntur, cohors una Scotorum, [1] qui ſuperioribus annis in Dania mercede militaverant, cuique præerat Michael Vemius adoleſcens nobilis, ſumma virtute & doctrina, domum reverſa, operam ſuam Regi, oppidanis fruſtra contendentibus ut eam ad ſe pertraherent, obtulit. Hi brevi ad ſuos inviſendos ſpatio impetrato, dum ad diem dictum conveniunt, certiores fiunt, a rebellibus naves ad ſe intercipiendos inſtrui. Harum inſidiarum gnarus Mortonius, ipſe, pro præſente copia manu armata, nemine conſcio quo duceret, adeo feſtinanter Letham venit, ut eos conſcendentes pene oppreſſerit: ſedecim e moratoribus in ripa, dum ſcaphas tardius ſolvunt, capti. In poſterum diem, quoniam citius per æſtum Oceani non poterant, naves paratæ, quæ reliquas perſequerentur, aut redeuntes interciperent. Prorex quoque ea nocte certior factus, & ipſe, poſtridie ſummo mane, cum tumultuariis copiis, a ſiniſtro Forthæ littore feſtinavit, ut rebelles, egreſſos in terram, invaderet. Sed militum Cimbricorum properatio hos omnes conatus fecit irritos. Major enim pars, majorem nacta navem, incolumis tranſmiſit: cæteri, qui minuſculam conſcenderant, procul a Letha deprehenſi, circiter viginti ſex, ad arcem ſunt deducti.

LIII.

1 *Qui ſuperioribus annis i. D. militaverant, cuique præerat*] Rarum Syntheſeos genus, quo a plurali ad ſingularem numerum revertitur. [Sed *militaverant* refertur ad *Scotorum*, cui ad *cohortem*.]

LIII. His ita confectis, Prorex Sterlinum revertitur. Mortonius, labore & vigiliis, præterea coli dolore afflictus, Lethæ lecto affixus tenebatur. Drurius Anglus, qui per tot dies de induciis inter factiones egerat, nihil tranſigere poterat, quod Prorex nulla alia ratione conſenſurus eſſet, niſi, quæ per priores inducias loca erant occupata, reſtituerentur. Cum diſceſſurus eſſet Anglus, rebelles, velut per oſtentationem officii, quicquid habebant virium, cum eo produxerunt, rati decumbente Mortonio, vel timoris confeſſionem ſe ab hoſtibus, numero inferioribus, expreſſuros: vel, ſi cum copiis ejus ſine duce congrederentur, aliquid in ſummam rei profecturos. Mortonius, per ſtationem equitum certior factus, e lecto ſtatim conſurgit, & arma capit, ſuoſque omnes in propinquum colliculum producit, atque inſtructos tenet, quadringentos fere ab hoſte paſſus. Drurius Anglus inter acies curſitabat, ac utroſque invicem rogabat; „Ut domos redirent, neu ſpem rerum componendarum nimis „calidis conſiliis infringerent. Cum de receptu conſentirent, & id modo controverſum inter eos eſſet, utri prius ſigna converterent, hanc quoque litem Drurius tollere conatus, ab utriſque petiit, „Ut, cum ipſe ſtans in medio inter duas „acies ſignum dediſſet, utrique eodem momento ſe reciperent. Mortonius non repugnabat: rebelles contra minabantur; „Se, niſi ſponte diſcederet, eum „cum ignominia pulſuros. [1] Ac jam vix contineri poterant, quo minus aciem promoverent.

LIV. Hoc reſponſo recepto, Mortonius, ſe Drurio ac Anglis, quos eo tempore nolebat offendere, ac ſuæ moderationis teſtes libenter habere vellet, ſatisfeciſſe ratus, repente in hoſtem duxit. Equites primi, impetu facto, ſtatim cornua nudant: pedites, attentato tantum certamine, & ipſi terga dederunt. Ibi, cum porta vici proximi effuſe fugientes capere non poſſet, complures in anguſtiis occiſi, multi proculcati, multi etiam capti, nemine reſiſtente, præter peditum partem, qui, in cœmeterio proximo, confiſi loco, ſe in ordines receperunt, ac iterum ad primum hoſtium impetum fugerunt. Fuga adeo effuſa in urbem fuit, ut relicta porta omnes in arcem contenderent: ac niſi hoſtis ſequens in prædam intentus fuiſſet, oppidum neglectum capi potuiſſet.[*] Ex rebellibus ſupra quinquaginta occiſi, circiter centum quinquaginta capti. In his Alexander Humius, leviter ſaucius, equo labente oppreſſus: Galvinus Hamiltonius cæſus. Jacobus Culenus, Huntilæi propinquus, peditum ductor, ex armario pauperculæ mulieris, ubi latebram quæſierat, extractus, Letham perducitur. Eo conſpecto, tantus vulgi clamor exortus eſt, ut, niſi ejus morte, homines ſibi ſatisfieri non paſſuri viderentur. Is enim, ſuperioribus bellis civilibus, avare & crudeliter latrocinium exercuerat; in Galliis infamem militiam egerat, Regibus Danorum & Suecorum armis contendentibus, cum ab utroque pecuniam ad militem conducendum accepiſſet, utrique operam pollicitus, neutri præſtitit, multa facinora fœda patraverat,

1 *Ac jam vix contineri poterant*] Contrario prorſus modo rem narrat Dav. Crafordius pag. 215. qui Mortonium Reginenſes, jam converſos, ut ſe domum reciperent, necopinantes a tergo invaſiſſe tradit.

1 [*Ex-*

rat, tandem (ut dixi) captus, maximo cum plauſu ad ſupplicium eſt ductus.

LV. Poſt paucorum dierum quietem, oppidani, refectis viribus, ſeſe in armis oſtentarunt: quotidie fere ex eo levia certamina conſerebantur, varia plerumque fortuna. Pro Regiis erat virtus militum, pro rebellibus locus ad inſidias commodus, & arx imminens ad ſpeculandum, unde omnes exitus hoſtium conſpici poterant. Nec fere ſe committebant certamini, [1] extra quam ex arce tormentis globi ferrei adigi poſſent. Lethæ Prorex ſe continebat, in omnes eorum egreſſus intentus, & commeatus maritimos intercipiebat, terreſtres omnino excludere non poterat, propter urbis vaſtitatem, & vicinorum locorum aſperitatem, quorum circuitione plerumque momenta rerum gerendarum amittebantur.

LVI. Dum hæc circa urbem geruntur, navis Gallica, quæ nitrum, globos ferreos, tormenta ænea minuſcula, & nonnihil pecuniæ ad obſeſſos ferebat, capta eſt: pecunia in ſtipendium militum erogata eſt: globi, nitrum, ac pars tormentorum, dum nullo prope comitatu Sterlinum adverſo flumine comportantur, rebelles, re cognita, naviculis in eum uſum alio in portu comparatis, ad prædam convolant: capta, cum exportare in arcem nequirent, in flumen demergunt. Alia, eiſdem fere diebus, capta eſt navicula, aliarum quidem rerum inanis, præter literas, & magnifica Regis Galliarum promiſſa, ſpemque propinqui auxilii. Toto enim ſuperiore biennio, quo bellum per occaſiones in Scotia gerebatur, Angliæ Regina Regiæ partis, Galliarum Rex & Angli Papani rebellium animos exigua pecunia, ſed magnis pollicitationibus, ſuſtentabant: nec tam ſtudere videbantur Reges, ut ſui vincerent, quam ne vincerentur. In id enim neceſſitatis uterque ſuos adigi volebant; Angla, ut Scoti, tædio rerum ſuarum, in Angliam Regem non inviti mitterent, atque ita toti ab ipſa pendere viderentur; Gallus, ut rebelles Britannodunum & Edimburgum ipſi dederent, iiſque præſidiis, capiti ſemper ab utroque mari imminentibus, Scotos, vel invitos, haberet obnoxios. Sed Reginæ libertate deſperata, & amiſſo Britannoduno, lentius in cauſſam rebellium incumbebat: id tantum ſpectabat, ne, regno ſeditionibus domeſticis exhauſto, novum & non neceſſarium, unius arcis cauſſa, bellum ſuſciperet: ſed ad præſentem rerum ſtatum ſatis abunde rebatur, ſi non caperetur. Et Scoti certi erant Regem non dedere Anglis, cum ob antiquas controverſias, tum ob Papanorum Anglorum potentiam, qui in ejus morte ſuarum rerum incolumitatem ſtatuebant. Eo enim ſublato, Regina Angla non modo videbatur infirmior, cum Regis unius vita ſpei eorum moram faceret; ſed Regina Scotorum totius inſulæ indubitata hæres foret, & quæ, ſuo matrimonio, regnum, cui vellet, gratificari poſſet, & ad ſtatum religionis per totam Europam commutan-

1 [*Extra quam*] [pro *præterquam* poſuit. negavit Cælius Caliagn. lib. III. Epiſt. pag. 42. *extra* pro *præter* apud Ciceronem reperiri, ſed exempla attulerunt ex illo, Terentio & aliis Lexicographi, & qui de particulis L. L. ſcripſerunt Turſelinus, Pareus & Stewechius. Ex Livio *extra quam*, ut exceptionis particulam, profert Giſan. Obſerv. L. L. pag. 91.]

2 In

tandum maximum momentum afferre. [1] In aula autem Anglica verſabantur non obſcuri homines, & eorum plerique a ſecretis Reginæ conſiliis, qui ſpem rerum novarum veteribus beneficiis præferrent: ſed ſi, vivo Rege Scotorum, Anglam tollerent, verebantur, ne Scotæ nota omnibus maleficia ejus auctoritatem elevarent, & opes filii augerent, &, metu tyrannidis, eum Anglis cariorem facerent. Angli rebelles utrumque, hoc eſt, Regem Scotorum, & Reginam Anglorum, una opera tollere volebant; & cum res parum ex ſententia aperte procederet, veneno graſſari ſtatuerunt.

LVII. Cum in hoc ſtatu res Scotorum eſſent, utraque eorum factio ad propinquam comitiorum diem ſe comparabant. Rebelles, cum tres modo ſupremi ordinis [2] ſuffragatores ſecum haberent: e quibus duo procuratores comitiis Reginæ nomine habendis præerant; tertius, Alexander Humius, unus eſſet, qui ſuffragii jus haberet: & Eccleſiaſtici ordinis duo Epiſcopi: alter [3] illo, ante aliquot menſes, relegatus per Proregem, deinde ſtatu urbis permutato, cum ſine commeatu diſcedere non auderet, ibi invitus permanſit: alter decoctor, acciſis bonis, neceſſiate eo coactus. Iis cenſentibus, ſupra ducentos damnati, horum nonnulli adhuc impuberes. Procaciſſimi enim militum, velut victoria jam parta, patrimonia ſibi aliena deſtinantes, multos innoxios & quietos, ideoque maxime injuriæ opportunos homines, in numerum proſcriptorum referebant.

LVIII. Prorex, Sterlinum profectus, magno procerum concurſu, & ipſe comitia habuit. Circiter triginta ex pertinacioribus in cauſſa Reginæ damnati, cæteri in ſpem veniæ dilati. Per procerum abſentiam, rebelles, aliquid tentandum rati, omnes ex urbe copias eduxerunt, &, ad ſpeciem multitudinis augendam, omnes oppidanos, cum majore parte militum, in acie ſtatuerunt: eo conſilio, ut, velut ſuperioribus temporibus conſueverant, leviter laceſſendo, Regias copias Letha elicerent: interea, dum intentos in ſe hoſtes diſtinerent, reliquis longiore itinere occulte circummiſſis, oppidum præſidio deſtitutum, per averſam ingreſſi portam incenderent. Patricius Lindeſius Lethæ præerat, homo manu & conſilio promtus. Is, productis copiis, cum a deprehenſis inſidiis ſibi

1 *In aula autem Anglica verſabantur non obſcuri homines, & eorum plerique*] Ita Crafordio monente ſententiæ partes collocavimus, quæ omnibus libris miſere luxatæ ac trajectæ ad hunc modum fuerant: *In aula autem Anglica verſabantur non obſcuri homines, qui ſpem rerum novarum veteribus beneficiis præferrent: ſed ſi vivo Rege Scotorum Anglam tollerent, & eorum plerique a ſecretis Reginæ conſiliis, verebantur*, &c.

2 [*Suffragatores*] [Obſcurum mihi quid intelligat per *Suffragatores.* nec videtur hac voce hîc uti Buchananus ex antiquo uſu, quo *ſuffragatores* dicebantur qui, candidatis in comitiis aderant, & ſuffragia populi eis ſtudebant conciliare. cum noſter ponere videatur pro eo, qui jus ſuffragii habet in comitiis. In aulis ita poſtea dictos, qui gratia valent apud Principes, & clientibus ſuis adſunt, docet Valeſius ad Amm. Marc. XXIX. 3. rectius vero hîc ſenſum Buchanani capient, qui vernaculam, quam hîc exprimere voluit auctor, vocem norint.

3 [*Illo*] [Pro *illuc* ex antiquitatis more; ut & *Iſlo* ſumi vidimus ad Ovid. Epiſt. Heroid. XVIII. 205.]

ſibi ſatis caviſſet, ſuos recta in hoſtem duxit. Et, cum initio ſatis acriter dimicatum fuiſſet, tandem, impreſſione majore facta, rebelles fuſi, fugati, & uſque ad oppidi portas non ſine cæde compulſi: magnus captivorum numerus abductus, ſed major pars fuit oppidanorum. Alexander Humius captus, ſuorum interventu eſt liberatus. Veſpere, cum Regii victoria læti ſe reciperent, Jacobus Haliburtonus, vir bonus, ac rei militaris peritus, qui omnibus peditum copiis præerat, cum ab agmine ſuorum, quod cogebat, longiuſcule abeſſet, a turma equitum, cum, dubia luce, cujus partis eſſet dignoſci non poſſet, in compito quodam exceptus, in urbem ductus eſt.

LIX. Hoc incommodo accepto, rebelles animum adjecerunt ad aliud facinus, ut majoris periculi & audaciæ, ita in ſpem, ſi ſucceſſiſſet, belli univerſi patrandi. Nam, cum per exploratores comperiſſent, omnes fere proceres adverſæ factionis Sterlini adeo negligenter & ſolute agere, ut, tanquam in ſumma pace, in oppido aperto, ne excubias quidem nocturnas haberent, aſſumtis trecentis peditibus, equitibuſque ducentis, eo iter intenderunt: idque quo minus eſſet moleſtum peditibus, qui raptim ducebantur, pridie ejus diei omnes ruſticorum equos, qui ad mercatum venerant, retinuerunt, &, ſi quos obiter invenerant, dominis abſtulerunt. Duces expeditionis ejus erant, Georgius Gordonius, Claudius Hamiltonius, & Valterus Scotus. Eos magnopere confirmabat Georgius Bellus, cohortis peditum ſignifer, Sterlini natus. Is, cum omnes aditus & opportuna oppidi loca noſſet, ac procerum hoſpitia haberet deſcripta, certam ſpem faciebat, omnia in eorum poteſtate futura. Illi quoque tanta confidentia proficiſcebantur, ut jam deſignarent, quos ſervarent, quos perderent. Igitur mane, diluculo, cum ad oppidum adveniſſent, omnia adeo neglecta compererunt, ut ne canis quidem eos allatraverit. Ita ſummo ſilentio ingreſſi, nemine obvio, in forum penetrant: aditus omnes, qui eo ferebant, armatis obſident, deinde procerum hoſpitia aggrediuntur. Ac cæteri quidem parvo negotio ſunt oppreſſi: Jacobi Duglaſſii Mortonii Comitis diverſorium unum eis moram præbuit. Id cum vi expugnare non poſſent, ignem ſubjiciunt. Ille, uno aut altero e miniſtris, qui ſtrenue aditus tuebantur, cæſis, cum jam omnia fumo & flamma opplerentur, ægre ex incendio ſeſe expediens, Valtero Scoto, affini ſuo, qui ibi occurrit, ſe dedidit. Prorex quoque, eodem momento, familiaribus ſegniter eum tuentibus, cum ſe armis, ſed prope ſolus defendere tentaſſet, captus abducebatur. Et jam Alexander Glencarniæ & Hugo Eglentoniæ Comites, adhibitis cuſtodibus, ad exitium ſervabantur. Claudius enim Hamiltonius ſuos admonuerat, ut omnes ſine diſcrimine proceres adverſæ partis, ſimul ac portas urbis forent egreſſi, conficerent.

LX. Omnibus rebus ita ſupra ſpem ſuccedentibus, cum vulgus militum ad prædam diſcurreret, Joannes Areskinus, arcis præfectus, qui, viis obſeſſis, in forum aliquoties fruſtra prorumpere tentaverat, tandem globum ſuorum, majuſculis ſclopetis armatum, ſuas novas ædes, (quæ tum maxime ædificabantur) e quibus in totum forum proſpectus erat, occupare jubet: hæ enim, ut vacuæ & nondum abſolutæ, ab inimicis negligebantur, & Regiis tutum

præſidium, unde jaculis hoſtes peterent, præbebant. Rebelles, ubi imparibus armis, e loco ſuperiore jam occupato, ſe peti animadverterunt, ſtatim ſeſe in fugam conjecerunt, adeo trepide, ut cum ad arctiorem, quæ ad portam ducit, viam eſt ventum, alii alios proculcarent. Saluti eis fuit, quod rari ſequebantur: iis, qui foro eos expulerant, ſingulis modo per novarum ædium portulam, quæ ſola & ſemiclauſa in oppidum patebat, exeuntibus, ac e reliquis domibus paucis, qui intra ædes armati ad omnes caſus parati ſtabant, egreſſis. Ita tota fere multitudo, quæ, pridie illius diei, tam audax facinus ſuſceperat, & tum adeo feliciter prope confecerat, a ſedecim hominibus, tanta cum trepidatione & tumultu, ex oppido ejicitur, ut, captivorum omiſſa cura, ſuæ quiſque ſaluti conſuleret. In hoc tumultu toto, unus modo (quem nominare ſit operæ pretium) ex Regiis, Georgius Ruvenus, ſummæ ſpei juvenis dum ferocius, quam tempus poſcebat, confertos hoſtes aggreditur, fuit peremtus. Alexander autem Stuartus Garlianus, cum captus abduceretur, incertum a ſuis an ab hoſtibus ictus, cecidit. In hac tanta & tam late fuſa trepidatione, cum qui antea intra ſua limina metu continebantur, paſſim in publicum prorumperent, qui Jacobum Duglaſſium, & Alexandrum Cunigamium ceperant, cum evadere non poſſent, ſe ſuis captivis dediderunt.

LXI. Proregem ducebat David Spenſius, equitum inter rebelles præfectus: cum ſciret, inſidias vitæ ejus fieri, tam ſollicite eum tueri ſatagebat, ut ipſe quoque a percuſſoribus, avide Proregem petentibus, ictus, eodem illo die interierit, magno utriuſque factionis mœrore: erat enim, omnibus corporis & animi virtutibus, juventutis Scoticæ[1] nulli inferior: nec, poſt ejus deceſſum equitatus hoſtium quicquam memoria dignum geſſit. E percuſſoribus Proregis duo, cum ad ſuos evadere non poſſent, ſupplicio, quod in deditum ſæviiſſent, affecti: cæteri adeo trepide fugerunt, ut captivi, quos retinuerant, paſſim ab eis dilaberentur. Poterant quidem omnes hoſtes deleri, ſi equitatus affuiſſet, qui tum fugientes ſequeretur: ſed latrones Teviotici, in primo ingreſſu oppidi, equos omnes diripuerant. Id eis ſaluti fuit. Ex utraque parte fere par cæſorum numerus: e Regiis nemo captivus eſt abductus: ex altera factione multi, quorum plerique, prædæ intenti, intra domos, quas diripiebant, deprehenſi fuerunt.

LXII. Prorex eo die ex vulnere deceſſit. Exſequiis, ut in tempore tam turbulento, raptim factis, procerum qui aderant, ad ſucceſſorem creandum convenerunt. Illi e ſuo numero ſelegerunt tres, qui, jurejurando prius adacti ſe Nobilitatis ſuffragiis parituros, velut candidati, comitiorum eventui permitterentur. Hi erant Gileſpicus Cambellus Argatheliæ, Jacobus Duglaſſius Mortonii, Joannes Areskinus Marriæ, Comites. Omnium ſuffragia in Areskinum inclinarunt. Is nihil prius quam de oppugnando Edimburgo egit, ad quam rem exercitus a ſuperiore Prorege fuerat indictus in Calendas Octobris: ſed repentina rerum perturbatio effecit, ut is dies prorogaretur in Idus ejuſdem menſis.

1. *Nulli inferior*]. Vide ſupra ad XII. 34.

1. Omni-

ſis. Ea res magnum attulit rebus gerendis impedimentum: quod oppidanis, qui dies noctesque in opere erant, ſpatium ad muniendum eſt datum, & hiems præmatura, noctesque longiores, & cæli, ut in locis frigidis, intemperantia, & difficilior commeatuum apportatio, & apparatus bellici anguſtia, effecerunt, ut re infecta diſcederetur.

LXIII. Proximis aliquot menſibus certatum eſt excurſionibus, in neutram fere partem rem inclinantibus: proſpectus enim ex arce liber in omnes partes efficiebat, ne rebelles vel ad manus venirent, vel præcipitarent in inſidias: ſigno enim e ſuperioribus locis edito, facile admonebantur, ut ſe reciperent in tempore. Semel tamen, cum omnes equites ac pedites ex oppido ſe ejeciſſent, ut paucos e Regiis interciperent, ac acriter ſimulantibus fugam inſtarent, ad vexilla cohortium e valle propinqua emergentium ab arcis præſidio conſpecta, ſtatim ſignum receptui eſt datum. Itaque rebelles, antequam ad inſidiarum locum eſſent perducti, ſe trepide recipere cœperunt, eoque fuga perturbatior fuit, quod, quanquam inſtantis periculi erant admoniti, tamen nec unde, nec quantum id eſſet, ſuſpicari poterant. Equites pauci, qui ante fugam ſimulaverant, eorum tergo adeo inſtiterunt, ut pedites, ſolutis ordinibus, qua quiſque proxime poterat, urbem peterent. Multi vulnerati & capti. In iis, ex præfectis cohortium & ſigniferis aliquot.

LXIV. Dum poſt hæc res ad urbem lentius geritur, in regionibus ad ſeptentrionem verſis, clades, hac maxime occaſione, accepta eſt. Duæ erant in illo tractu familiæ, ſumma potentia & auctoritate, Gordoniorum & Forboſiorum. Sed cum Gordonii ſumma inter ſe concordia viverent, & vicinis aliquot gentibus, Regio permiſſu, multos annos præfuiſſent, veteres opes & auctoritatem auxerant: contra Forboſii, inter ſe diſcordes, ſuis ſe viribus aſſidue conficiebant. Sed neutra in alteram (ut qui cognationibus & affinitatibus conjuncti eſſent) quicquam multis annis attentaverant: magiſque occulta æmulatione, quam aperta invidia, laborabant. Erat in familia Forboſiorum Arcturus, homo & ingenio & manu promtus, & qui, a primis uſque diſcordiarum temporibus, Regem ſemper ſecutus erat. Is tum aliquid agitandum ratus, quo & ſuum & gentis nomen illuſtraret, & partis, quam ſequebatur, opes augeret, primum familiam ſuam in concordiam redigere conatus eſt: id ſi obtinuiſſet, nullas in illis regionibus opes metuebat. Cum ad eam rem dies dictus fuiſſet, Adamus Gordonius, Comitis Huntilæi frater, [1] omnibus rationibus id impediendum ratus, propinquis & clientibus occulte admonitis, cum magno eorum numero ad locum venit; & cum Forboſiorum duo agmina in conſpectu haberet, antequam conjungi poſſent, alterum adortus, Arcturum in procinctu cecidit. Eo labente, reliqui fuſi & fugati ſunt. Aliquot viri illuſtres cæſi: plures capti: reliqui proximis diebus, metu, ne gravius in captivos ſæviretur, ni-

1 *Omnibus rationibus id impediendum ratus*] Principi editioni Edimburg. ſcriptum eſt [*ad impediendum ratus :*] quibus vocibus cum nullus fere ſenſus ſubeſſet, recentioribus [*ad impediendum paratus*, [Moſman. [*paratis*] reſcribere viſum eſt. Sed facilior venuſtiorque accuratiſſimi Crafordii [*ad*] in [*id*] mutantis emendatio videbatur.

nihil auſi. Eum metum auxit domus Alexandri Forboſii, cum uxore prægnante, liberis & miniſtris, cremata.

LXV. Frater Arcturi Forboſii major natu, qui gentis princeps erat, capta & ſpolitata ſua domo, ægre elapſus, in aulam venit. Ibi, quanquam res erat in ſumma anguſtia, tamen ei, & Nobilibus ejus ſectam ſecutis, ducenti pedites dati, literis vicina Nobilitate admonita, ut ſe eis conjungeret. Ea cum ad reliquias Forboſiorum aliquotque familias propinquas ſeſe conjunxiſſet, a viribus ſe ſatis putabat firmam. Sed deerat, quem ſequeretur, dux, cum juvenes fere eſſent familiarum principes, ac vix quiſquam inter alios admodum emineret. Ita in diverſa conſilia diſtracti, Joannes Kethus, cum quingentis equitibus, domum ſuam, non longe diſtantem, diſceſſit: Alexander Forboſius, cum ſuis clientibus, & peditum centuriis duabus, Abredoniam contendit, ut Adamum Gordonium inde expelleret, & ſuos ex itinere reficeret. Adamus, certior factus inimicum cum non adeo multis adventare, ſuos ex oppido educit, coactis etiam ſequi oppidanis, ut ſpeciem majoris multidinis præberet. Ibi ſtatim in agris oppido proximis acre prælium committitur. Pedites Regii pugnandi ſtudio longius Gordonianos ſecuti, deficiente pulvere ſulfureo, nec ſuorum acie ſubſidiis firmata, trepida fuga ſe recipiunt, prementibus maxime ſagittariis. Non adeo multi e victis cæſi, quod in noctem pugna erat protracta: capti nonnulli: in iis Alexander Forboſius, cum ſe diu pertinaciter adverſus inſtantes defendiſſet.

LXVI. Hic rerum ad ſeptentriones ſucceſſus mirum quam animos rebellium ad majora aggredienda erexit. Igitur, in diverſa regni parte; ad Jedburgum opprimendum animum adjiciunt, oppidulum quidem, more patrio, immunitum, ſed fortiſſimorum civium, & quod ſuperioribus annis rebellium conatibus ſemper fortiſſime reſtiterat. Huic oppido vicini erant Thomas Carus Farniheſtius, & Valterus Scotus. Hi, præter veteres clientelas, ſatis numeroſas, ſibi adjunxerant tres vicinas regiones, Lidaliam, & Eviam, & Eſciam, ſemper latrociniis infeſtas, ac tum, per bellorum civilium licentiam, in longinqua etiam loca libere graſſantes. Erant & in ipſa Teviotia, cum harum regionum contagio, tum ob conſuetudinem prædas agendi ex hoſtico, aliquot magnæ familiæ, furtis & latrociniis infames: nec hi modo, ſed quidam e proximis Anglis, ſpe prædæ illecti, ſe conjunxerunt. Arceſſiti præterea Edimburgo CXX. ſclopetarii, ex omnibus cohortibus ſelecti. Jedburgenſes quoque, non ignari ſe peti, trepidis nunciis Proregi periculum ſignificant: & levis armaturæ tantum auxilium petunt: nec interea ſibi deſunt. Nam Valtero Caro Ceſfordio arceſſito, & militum ſatis magno numero e vicinis agris collecto, pro tempore oppidum muniunt. Et Gulielmus Ruvenus, centum viginti ſclopetariis & equitibus, partim ſecum adductis, partim e Marcia vicina collectis, ad Driburgum adeſſe nunciatur utrique parti, eodem fere tempore. Sed rebelles, ſatis copiis ſuis confiſi, (erant enim ad tria millia hominum) iter ſummo mane ad oppidum intenderant, ut auxiliorum adventum prævenirent. Et Ruvenus, id ipſum ſuſpicatus facturos, magno gradu eos conſequitur: & poſtremos levibus excurſionibus laceſſit. Valterus quoque Carus, adjunctis ad

ſuos

ſuos oppidanis, recta ad hoſtes pergit. Id illi conſpicati, ne ancipiti prælio dimicarent, ſe confeſtim in loca tutiora recipiunt. Latrones, qui ſpe prædæ accurrerant, cum oppidum a vi tutum, & Regios ad dimicandum paratos, cernerent, qua cuique proximum erat, domos abeunt. Rebelles, nihil minus rati, quam hoſtes aliquid tentaturos, cum clientibus & peditum cohorte ſe Havicum, recipiunt. Hanc ſpem augebat hiems, ſolito aſperior, [[1] &] nivis recens caſus, quæ omnia late obtinebat. At Ruvenus, occaſione ratus utendum, de tertia vigilia adeo celeriter agmen Havicum ducit, ut, antequam hoſtes de adventu ejus fierent certiores, intra mille paſſus eſſet. Havici tanta erat trepidatio, ut nullus conſilio relinqueretur locus. Propere equites peditesſque educti, flumen proximum ſecuti, in loca tuta ſe recipere tentarunt, ſed celeritate ſequentium præventi, equites, ut in regione nota, ſe periculo fuga ſubtraxere: pedites, prædæ relicti, ſilvam exiguam in rupe flumini propinqua occupant: ibi ab equitibus undique incluſi, nec peditum adventum exſpectare auſi, ad unum ſe dedunt. Hi, cum alia prævertenda eſſent, nec tam vehementi hieme circumduci poſſent, fide accepta ſe ad diem redituros, ſine armis incolumes dimiſſi; pauci, obſidum nomine, pro cæteris retenti. Reverſos, Kircadius levibus commentis promiſſa eludens, ad diem ſtatutum adeſſe vetuit.

LXVII. Reliquum hiemis, & proximum ver totum, levibus præliis extractum, in quibus pauci cadebant, ſed rebellium, quam Regiorum plures. Rebelles enim, in collibus urbi propinquis, cum rei bene gerendæ occaſionem captarent, vix inito plerumque certamine, in urbem refugiebant. Frequentes interim, de concordia inter factiones facienda, legationes ex Anglia venerunt: ſed fruſtra. Nam Angla, etſi Regiæ parti magis favebat, tamen pacem ita facere cupiebat, ut utramque factionem ſibi obnoxiam redderet: Franci, in exulis Reginæ cauſſam proni, pacem impediebant, & magnis pollicitationibus eos retinebant, ne bellum omitterent. Tantum autem pecuniæ mittebant, quantum ſatis videbatur in præſentia, non ad rem gerendam, ſed ad ſpem fovendam, ſemperque aliqua ejus portio a portantibus prærodebatur.

LXVIII. Inter hæc, aliquot menſes levibus incurſionibus, nec ad ſummam rei quicquam facientibus, tranſacti. Nec in aliis regni partibus a direptionibus & incendiis ceſſabatur. Adamus Gordonius, coacta manu, [2] in Anguſiam ingreſſus, domum [[3] *Gulielmi*] Duglaſſii Glembervii obſedit: at ubi eum abeſſe ſenſit, in ea, quæ relicta erant, ferro & igne crudeliter ſævit: tantamque formidinem Taodunanis incuſſit, ut illi e vicinis Fifæ locis præſidia advocarent: eis enim Gordonius infenſiſſimus erat, quod egregia in Regias partes fide

3 *Et nivis recens caſus*] Copulam [&] hic inſertam hiulca alioquin ſententia poſcebat.

2 *In Anguſiam ingreſſus*] *Merniam* potius legendum videtur; in ea enim ſita eſt arx Glenbervia, ab Adamo Gordonio hoc anno 1572 expugnata. Vid. Spotiſ. pag.

3 *Gulielmi Duglaſſii*] Ita lacunam in omnibus libris relictam ſupplevimus, ſuffragantibus, præter Spotiſvodium, Thoma & Georgio Crafordiis, qui porro hunc Gulielmum Duglaſſium poſtea ad Comitis Anguſiæ honores evectum teſtantur anno 1588.

de & conſtantia perſeveraſſent. Blacneſſum a cuſtode Hamiltoniis proditum. Ea arx navigationem inter Letham & Sterlinum ſuſtulit. Prorex molas omnes circa Edimburgum confregit, Nobilium ædes vicinas præſidiis occupavit, omneſque ad urbem aditus occluſit. Multi utrinque intercepti. Archibaldus Duglaſſius, e familiaribus Mortonii unus, ad ſupicionem captus, quem, præter reliquam vitæ fœditatem, literæ apud eum deprehenſæ, &, poſtquam captus fuerat, ultro citroque ad rebelles miſſæ & remiſſæ, coarguebant, & re & conſilio, & pecuniæ armorum tranſmiſſione, eos juviſſe.

Cum illuſtriſſimus Hiſtoriarum conditor *Jac. Aug. Thuanus*, in rebus Scoticis memorandis unum *Buchananum* auctorem ſequatur, non ab re facturi videmur, ſi, Mantiſſæ loco, *Gul. Camdeni* ad *Thuanum* olim miſſas, ac nuper a Cl. *Tho. Smitho* (Append. I. ad ipſius Epiſtolas) editas, ſuper Hiſtoria Scotica Animadverſiones hic in calce ſubjiceremus.

NOTÆ ad Jac. Aug. Thuani *narrationem rerum geſtarum*, 1564. *Exemplaris Germanici*, *pag.* 726. *e* Buchanani *pag.* 609. *&* *ſeqq.* *deſumtam.*

CUM *Henricus ex Anglia Eliſabethæ permiſſu in Scotiam veniſſet.*] Sereniſſimam Eliſabetham his nuptiis conſenſiſſe non ſemel in hac narratione legitur, id vero longe falſiſſimum eſt. Nam rei veritas ſic habet. Conſilio & prudentia aviæ Regis Jacobi, hoc negotium clam Regina Eliſabetha & inchoatum & promotum eſt, ac tandem ad exitum perductum. Erat tunc temporis is ſtatus rerum in Anglia, is animorum habitus, ut & Regina & regni Proceres rebus Angliæ putarent iri conſultum, ſi Regina Scotiæ ſine prole diem obiret: ad hunc igitur ſcopum omnia ſua conſilia referebant. Quod autem Eliſabetha non probante hoc matrimonium junctum fuerit, multa ſunt certiſſima argumenta; nam & Regis aviam ad primum nuncium in Arcem Londinenſem conjecit, & nullum non poſtea lapidem movit, quo eas nuptias impediret. Falſa igitur omnia ſunt, quæ de ejus conſenſu toties hic dicuntur.

Sed præcipitem Reginæ voluntatem.] Neſcit R. S. cur hic Reginæ voluntas præceps appelletur: nam ſi quid feſtinatum in illis nuptiis, juſtiſſima id de cauſſa factum; metus nempe erat, ne Angla impediret. Totam autem illam narrationem de citharædo citharædi filio adeo præſertim accurate deſcriptam, nulla cogente neceſſitate hic eſſe poſitam R. M. putat, cui conſtat liquido & certe, pleraque falſa & mera mendacia eſſe, quæ de hoc Italo narrantur. Falſum eſt, quod de ejus potentia dicitur; falſum, quod de ejus calumniis in bonos ſtructis. At *laboravit publico odio.* Sane, ſed illorum qui infeſti erant Reginæ, & dicta factaque illius omnia in occaſionem calumniæ rapiebant.

Per-

Perſuaſeratque credulo adoleſcenti.] Hoc qui ſtare poteſt? Venerat nobiliſſimus Princeps certo propoſito perficiendi, quod & peractum eſt. Regina ſimul illum vidit, amore ejus exarſit; neque ita poſt negotium eſt conſummatum.

Moravius ab omni aſſent.] Affirmat S. Regis Majeſtas, in magno errore verſari eos, qui hunc virum tot tantiſque laudibus efferunt: ſibi ad unguem vero rerum geſtarum veritatem eſſe notam, cui non aliter poſſit conſuli, quam ſi plane contraria omnia de Moravio ſcribantur, atque hactenus ſunt ſcripta. Scio & probè memini, Præſes ampliſſime, dixiſſe te mihi ſæpius, cum in familiari colloquio ſermo de hoc Moravio incidiſſet, omnia te expertum, ut harum rerum veritatem ſedula inquiſitione invenires; neque aliud comperiſſe multis interrogatis quam quod ſcripſiſti. Tu vero ignoſce mihi, ſi uni Regi, quem novi certo καὶ φιλαληθέστατον εἶναι καὶ εὐσεβέστατον pluris apud me ſit auctoritas, quam plurium privatorum, ac præſertim factioſorum zelotarum, & odio partium quidvis etiam in Reges audentium.

Deſtinatis ad id Henrico & Rizio] Totam hiſtoriam falſam eſſe affirmat Rex Sereniſſimus, at Buchananus ut rem veram narrat. Num dubitas, utri potius credamus?

Venit ab Anglia Legatus] Duæ hic legationes ex Anglia commemorantur, quarum priorem eſſe commentitiam Regis Majeſtas affirmat.

Moravius quamvis nuptias non improbaret.] Ille vero etiam acerrime improbavit, & nullum non movit lapidem, quo illæ ne fierent.

Tum agitata illa horridæ libertatis plena quæſtio.] Fortaſſe ita eſt; & reperti ſunt inter perfidos ſubditos, qui hanc quæſtionem agitarent; at inter Proceres Regni & legitime convocatos Ordines nihil tale diſceptatum.

His acceſſit ad rem accelerandam potentiſſimum telum ſuperſtitio]

Mox, ut prædictionibus fidem datam appareret] Hic vero Sereniſſimus Rex de iis graviſſime queritur, qui hanc anilem fabulam primi in literas retulerunt. Eſt autem, opinor, Buchananus, ille atrox hoſtis Reginæ; qui hoc videtur molitus, ut ad contrahendum matrimonium, ex quo natus ipſe eſt, malis artibus ejus parentes videantur eſſe pellecti. Scilicet egregium aliquid ex illo conjugio poterat exſpectari, quod tam malis avibus eſſet contractum. Sed vitio ingenii Buchananus utitur. Nos ita potius dicimus: quando ex illa conjunctione tantus Princeps tantæ probitatis & pietatis eſt editus; omnino fatendum eſſe, arcana quadam providentia Dei, ſine qua nihil alti mens inchoat feliciter, illas nuptias auſpicatiſſime convenisſe.

Præterea rumores de Eliſabethæ morte ſparſi.] Nihil tale referunt, qui præſentes fuerunt, & negotium ex parte geſſerunt.

Sed fœminam per ſe præcipitem poſtremo impulit Rizius.] Ecce iterum *præceps fœmina*, iterum *Rizius*, de quo ante dictum.

Nam Hamiltonii nullam pacis firmam rationem eſſe contendebant, niſi Regibus ſublatis.] Tam barbaræ ſententiæ auctorem unquam fuiſſe quemquam e gente Hamiltonia, periti rerum conſtantiſſime negant.

Id actum abſentibus nobilitatis fere principibus.] Hic valde pervertitur hiſtoria. Nam qui dicuntur fuiſſe abſentes, illi vero perduelles erant, & arma jam ſumſerant ad impediendum illud matrimonium: ſed non auſi fortunam belli experiri contra Regium exercitum, in Angliam ſe non ſine turpi fuga ſubduxerant.

Inde cum ab arce infeſtarentur, nec amici e longinquis reg.]

Hic Maxuallius homo impiger.]

Deinde, *re diligentius apud ſe perpenſa.*] Negatur, aut tanta unquam Rizium fuiſſe gratia apud Reginam, ut hoc poſſet: aut ullum unquam præſidium Italorum a Regina in Scotiam fuiſſe accitum. Falſum etiam eſſe conſtantiſſime affirmatur, quod paullo poſt ſubjicitur, de ſubſecuta ſtatim poſt nuptias Reginæ pœnitentia. Eſt in ore omnium, qui illis temporibus vixerunt, Regem & Reginam poſt nuptias peractas aliquamdiu conjunctiſſimos vixiſſe in ſumma concordia,

Nam

Nam cum in nuptialibus acclam.] Rei veritas ita habet, principio conjugi hoc indulſit merito Regina, ut in ſubſcriptionibus nomen ipſius ſuo præponeretur: duravitque is mos, ex mera Reginæ, cujus erat regnum, indulgentia, diutius: tandem orta contentione, Regina quod dederat repetiit, & ex eo tempore commune jus eſt ſervatum. Cur hoc factioſi calumniati ſunt? Nonne Maria Angliæ Regina Regis mariti nomini ſuum ſemper præpoſuit? Habet Rex Sereniſſimus literas ab illuſtriſſimis Archiducibus non alio ordine ſubſcriptas. Quod dicitur de ſubſcriptione unius pro ambobus, commentitium eſt; illud vero quod de ferreo typo ſubjicitur, etſi cum moribus regni Scotiæ convenit, non convenit tamen cum legibus; per quas morem hunc non licet uſurpare abſque decreto Parlamenti; quod decretum fuiſſe editum ſcimus, quando divina providentia Sereniſſimum Regem e Scotia in Angliam traduxit.

Ita Regem omni dignitate ſpoliatum.] Negatur a peritis illorum temporum iſtud factum eſſe unquam.

Menſæ convictorem cottidianum adhibuit.] Si hoc verum eſſet, poterat videri nobiliſſima Regina hanc facilitatem a Gallicis moribus in Scotiam invexiſſe. Nam etiam Reges maximi, cum diſcedere de faſtigio Majeſtatis ſuæ juvat amicos honore menſæ ſuæ dignantur: at negant illorum temporum Scoti, qui hodieque vivunt, hoc factum eſſe unquam a Regina. Occaſionem vero calumniæ datam hoc pacto. Mos eſt Regum Angliæ & Scotiæ, quoties cibum in privatis cubiculis ſumunt, ſelectos ex interioris admiſſionis miniſtris jubere ſibi miniſtrare: hi interdum de ſublatis e Regia menſa cibis, & in repoſitorio ſive altera ejuſdem cœnaculi menſa collocatis, ſtantes aliquid delibant, & brevi cibo pro tempore ſe reficiunt. Hoc aliquando factitaſſe dicitur Rizius, & communi more uſus: hinc illæ lacrymæ. Cætera vera non ſunt, neque item illud, quod *de Regina ad illum itante* ſequitur.

Etiam ei jus ſuffragii in conſilio attribuere.] Negatur vel in mentem veniſſe hoc Reginæ. Jam illud, *cum nec precibus, multo minus minis adhibitis, ab antiquis poſſeſs.* Non ſolum falſo, ſed etiam inconſulto, dictum a Buchanano contendunt, qui rerum ſunt periti. Neque enim moris eſſe Regibus, quoties aliquem miniſtrum ſuum beare opibus voluerint, precibus cum ſubditis ſuis agere, ut bonis ſuis illi cedant. Nam & iniqua ſit poſtulatio, & haberent Reges alias rationes bene de hominibus merendi.

Cujus clavem penes ſe ſemper habebat.] Non eſt mos Regum. Non fuit mos hujus Regis.

Et pulſanti nemo reſponderet.] Narrant longe aliter, qui ex veritate narrant.

Igitur re cum Matthæo parente Leviniæ Com.] Conſtat hunc toto illo tempore ab Aula abfuiſſe ad X. aut XV. lapidem: conſtat etiam Regem nulla conſilia cum eo communicaſſe.

F I N I S.

INDEX

INDEX

Eorum quæ XX. Libris Rerum SCOTICARUM continentur locupletiſſimus.

Numeri Romani I V X *librum; numeri vulgati*, 1 2 3 4 *&c. caput ſignant.*

A.

ABERCORNUM *arx*, I.31. V.6
Aberbrothium *oppidum*, I.25
Abernethii *Macduffum Fifæ Comitem occidunt*, VIII. 13
Abernethium, *Vid.* Abrenethium.
Abredonia *oppidum*, *ſalmonum piſcatu nobile.* I.26
Abredea, *vetus Abredoniæ nomen*, ibid.
Abrenethium, *Pictorum regia*, I.22.24.V.58
—— *& ſedes Epiſcopalis.* VI.3
Abria *regio*, I.26.V.8
Abridica *inſula*, I.35
Abrinca, *idem quod Aberbrothium*, I.25
Abthanus *magiſtratus nomen*, VII.19
Achajus *Scotorum Rex*, V.52
—— *primus Scotorum Regum cum Francis amicitiam init*, 53
—— *Pictis auxilia mittit*, 54
—— *moritur*, ibid.
Achleccus *(Joan.) pugna occiſus*, IX.32
Achnarra *inſula*, I.36
Acho *Rex Norvegiæ prælio victus*, VII.62
Acmodæ *inſulæ*, I.32
Adami *inſula*, I.42
Adamannus *Epiſcopus Scotus*, V.44
Ado *Viennenſis corrigitur*, III.5
Adrianus, *Vid.* Hadrianus.
Adulatio *adoleſcentium peſtis*, XI.9
Æbercurnig *monaſterium*, I.31.V.6
Æbudæ *inſulæ*, I.32
Ægidius *Edimburgenſium tutelaris Deus*, XVI.20
—— *ejus ſtatua furto ablata*, ibid.
—— *tumultus ob ejus pompam Edimburgenſium* ibid.
Ægidius *Cardinalis in Britanniam venit*, VII.55
Æliotus (*Thomas.*) *Ejus ſententia de antiquo Britanniæ nomine refutata*, I.5
Ælius Pertinax *in Britannia*, IV.36
Æmodæ *inſulæ*, *quæ & Æbudæ*, I.32
Æmona *inſula. Cœnobium in ea fundatum*, VII.26
Æneia, *ſive Anguſia*, I.25
—— *unde nomen habeat*, VI.2
Æneas *Gallovidianus tumultuatur*, VII.42
Aëra *oppidum*, I.20
— *captum*, VIII.35
Aëra *amnis*, I.20
Æſtii *Britannice loquebantur*, II.14
Aëtius *Conſul Rom.* III.11
—— *ab eo Britanni auxilium implorant*, V.14
Afulla *inſula*, I.42
Agatha *Margaritæ Scotorum Reginæ mater*, VII.16

Agathyrſi *corpora pingebant*, II. 19
Agnes *Comitis Marciani uxor arcem Dumbari adverſus Anglos viriliter defendit*, IX. 25
Agnorum *inſula*, I. 42
Agricola (*Julius*) I. 22
—— *res ejus in Britannia geſtæ*, IV. 26. 27
Aidanus *Scotorum Rex*, V. 33
—— *Cumbriam ac Northumbriam populatur*, 35
—— *prælio cum Ethelfrido Saxone victor*, V. 36
—— *ab eodem victus*, ibid.
—— *moritur*, ibid.
Ainia *regiuncula*, I. 28
Alanus *Lornenſis fratrem captivum tenet*, XII. 18
Alanus *Gallovidianus moritur*, VII. 57
—— *ejus ſtirps*, ibid. & VIII. 7
Albanactus *Bruti filius*, II. 4
—— *ab hoc Albani, qui poſtea Scoti, dicti finguntur*, ibid.
Albinich *Scoti ſe vocant*, I. 14
Albinus (*Joannes Dux*) *Vid.* Stuartus,
Albion *Neptuni filius*, I. 14
Albium *ſive Albion antiquiſſimum Britanniæ nomen*, I. 14
—— *ejus etymon*, ibid.
Album *non modo coloris, ſed altitudinis nomen fuiſſe*, I. 14
—— *id monſtrare nomina inde derivata*, ibid.
Alexander I. *Scotorum Rex*, VII. 26
—— *Acer dictus, & quare*, ibid.
—— *quædam cœnobia condit*, ibid.
Alexander II. *Scotorum Rex naſcitur*, VII. 49
—— *regnum init*, 52
—— *Angliam invadit*, ibid.
—— *iterum*, ibid.
—— *atque iterum*, 53
—— *uxorem ducit, primum Joannam Anglam*, 55
Alexander II. *Scotorum Rex deinde Mariam Cuciani Comitis filiam uxorem ducit*, VII. 57
—— *moritur*, ibid
Alexander III. *Scotorum Rex naſcitur*, VII. 57
—— *coronatur*, 58
—— *uxorem ducit Margaritam Henrici Angli filiam*, ibid.
—— *Cuminiis captus*, 60
—— *Norvegum devincit*, 62
—— *equi lapſu exſtinctus*, 65
Alexander *Inſulanus prædonum dux Ennerneſſam populatur*, X. 31
—— *Regi ſe dedit*, 32
Alfridus *Northumbriæ Rex*, V. 44
Aliſa *inſula*, I. 34
Almon *fluvius*, I. 18
Alpa *pro Alba a Sabinis dicta*, I. 15
Alpes *unde dictæ*, I. 15
Alpinus *Scotorum Rex*, V. 56
—— *regnum Pictorum petit*, ibid.
—— *poſt ſecunda aliquot prælia*, 57
—— *a Pictis tandem in prælio captus & occiſus, caputque conto affixum*, V. 58.
Altiſſiodorus *urbs Galliæ*, II. 34
Amberkelethus *Scotorum Rex*, V. 45
Ambianenſis *Epiſcopus in Scotia*, XVI. 63
—— *ejus crudelitas*, ibid.
Amicus *amicum prodit*, X. 17
—— *ab amicis illatæ injuriæ graves*, IX. 52
—— *amici paterni non negligendi*, IV. 16
Amicitia *Principum longinquorum quam propinquorum tutior*, XIV. 20
Andreas *Apoſtolus Hungo Pictorum Regi per quietem viſus victoriam pollicetur*, V. 54
—— *velut Deus tutelaris a Scotis cultus*, VIII. 20
Angliæ *diviſio*, I. 17
—— *Anglia in ſeptem regna diviſa*, V. 34
—— *Pontificis Rom. beneficiaria facta*, VII. 53
Angli *quomodo dicantur toti Britanniæ imperaſſe*, VI. 17

Angli, *exercitus 60000 hominum ab Eduardo III. in Scotos ducitur*, VIII. 52
—— *Angli milites Gallis minus rapaces*, IX. 52
—— *a Scoto auxilium adverſus ſuum Regem petunt*, VII. 52. XI. 47
—— *Scotorum liberatores*, XVII. 6
—— *Scotis Regiæ cædis vindicibus ſubſidio veniunt*, XX. 12
—— *Regis & Proregis cædis conſcios aggrediuntur*, 17.
—— *Angli rebelles Reginam Elizabetham ac Scotorum Regem una opera tollere cupiunt*, XX. 56
Anglica *Nobilitas ad Normanos genus referunt*, II. 38
Anglorum *vulgus in miſera ſervitute fuit ab uſque Gulielmo I. ad Henricum VII.* II. 37
—— *Anglorum ingens clades*, VIII. 40
Anguſia *regio*, I. 25
—— *unde dicta*, VI. 2
Anguſianus *Scotorum Rex*, IV. 48
Annabella Regina, *Vid.* Dromunda.
Annandia *regio*, I. 17. V. 8
Annandus *fluvius*, I. 17
Annevici *arx a Scotis obſeſſa*, VII. 22
Annius (*Joan.*) *fabuloſe de gentium originibus ſcripſit*, II. 5
Anſelmus *Normanus Cantuariæ Archiepiſcopus*, VII. 22
Antonius *Pius Lollium Urbicum in Britanniam mittit*, IV. 31
Apolecti, IX. 38. XVII. 2
Apoſtaſia *a Deo punita*, V. 40
Aqua *in lapides converſa*, I. 27
Arania *inſula*, I. 34
Arboraria *inſula*, I. 35
Arcturus *Uterii filius ex adulterio*, V. 22
—— *Brittonum Rex*, V. 24
—— *Saxones vincit*, ibid.
—— *lethaliter vulneratus*, 28
—— *ejus elogium*, ibid.
Arcturo *Henrici VIII. Angli filio Catharina Hiſpani filia collocata*, XIII. 17. 20
Ard-an-ridir *inſula*, I. 38
Ardieſcara *inſula*, I. 35
Ardua *inſula*, I. 35
Aremorici, *ſeu Armorici*, I. 9. 13
Areskinus (*Joan.*) *Areskiniæ Dominus*, & *arcis Sterlini præfectus*, *Jacobi V. educationi præpoſitus*, XIV. 4. 30
Areskinus (*Joan.*) *Joan. F. Areskiniæ Dominus*, *in Galliam legatus miſſus* XIV. 49
—— *in Angliam legatus miſſus*, 59
—— *Reginæ cuſtos datus*, XV. 52
—— *eam in Galliam comitatur*, 55
—— *arcis Edimburgenſis cuſtodia ei credita*, XVI. 4
—— *veteri jure Marriæ Comes*, XVII. 26, 34
—— *arcem Edimb. Regina ab eo petit*, XVIII. 22
—— *Jacobo VI. puero cavere cupit*, XVIII. 41
—— *adverſus Reginam & Bothuelium conjurat*, ibid. 46.
—— *hoſtibus invitis Edimburgum intrat*, XX. 14
—— *cum paucis Reginenſes Sterlino expellit*, 60
—— *Prorex creatus*, 62
Areskinus (*Joan.*) *Dunenſis Comarchus Anglos profligat*, XV. 58
—— *in Galliam miſſus*, XVI. 14
—— *puriori religioni addictus*, 23
—— *a Regente arceſſitus*, 27
—— *electus qui de concordia ageret*, 30
Areskinus (*Nic.* & *Tho.*) *Rob. filii Anglos pellunt*, IX. 47
Areskinus (*Rob.*) *arcium Britannoduni*, *Sterlini & Edimburgi præfectus*, IX. 49
—— *Duglaſſio regnum petenti obſtat*, ibid.
Argadus *Scotiæ Prorex*, IV. 33
—— *accuſatus pœnam deprecatur*, 33
Argathelia *regio*, I. 23
Arii *corpora pingebant*, II. 19

Armiſtrangius (*Joan.*) *latronum Dux laqueo ſtrangulatus*, XIV. 39
Arnotus (*Michael*) IX. 18
Arrogantia *potentiæ comes*, XII. 26
Aſclepiodotus *Allectum interemit*, IV. 45
Askerma *inſula*, I. 39
Aſſentatio *opulentiæ comes*, XI. 32
Aſſentatorum *aulicorum ſupplicium*, XII. 45
Aſtrologicarum *prædictionum ſtudiis aulici addicti*, XII. 34. 37
Aſyla, *inſulæ ita dictæ*, I. 42
Athelſtanus *Danicæ gentis imperator, a Pictis acie cæſus*, V. 54
Athelſtani *vadum*, ibid. V. 54
Athelſtanus *Eduardi Angli nothus Scotos & Danos bello ſuperat*, VI. 16
— *non totius Britanniæ Rex*, I. 11. VI. 17
Athirco *Scotorum Rex*, IV. 40
Atholia *regio fertilis*, I. 25
— *maleficarum mulierum copia infamis*, XI. 58
Attacotti, II. 22
— *a Scotis diverſi*, ibid.
Auctoritas *ut bonis artibus comparatur, ita malis amittitur*, XVIII. 46
Aven & *Avon, i. e. fluvius*, I. 20. II. 36
Avennus *fluv.* I. 20
Auguſtinus *Monachus in Britanniam a Gregorio Pont. Rom. miſſus*, V. 36
— *ſe totius Britanniæ Archiepiſcopum edit*, ibid.
Aula *utile honeſto plerumque præponit*, X. 14
— *Aulæ peſtis adulatores*, XIII. 23
— *Aula Gallica corruptiſſima*, XVII. 23
Avon, *Vid.* Aven.
Avona *inſula*, I. 35
Aurelius *Ambroſius*, V. 18
— *ejus origo*, ibid.
Avus *lacus & fluvius*, I. 23

B.

BACA *inſula*, I. 38
Badenacha *regio*, I. 26
Balænarum *copia in Leogo*, I. 43
Balfurius (*Hen.*) *falſum Regi teſtamentum ſubjicit*, XV. 1
Balfurius (*Jac.*) XVI. 45
— *arcis Edimburgenæ cuſtos*, XVIII. 43. 49
— *ad Reginæ partes ſe adjungit*, XIX. 3
— *eo auctore Regina res domi turbare conatur*, 20
— *comprehendi juſſus*, 47
— *venia donatus*, 48
Balliolus, *Vid.* Joannes & Eduardus.
Balnavius (*Hen.*) *Moravium cum aliis in Angliam comitatur*, XIX. 16
Balochus (*Donaldus*) *Abriam vaſtat*, X. 34
— *ejus occiſi caput ad Regem mittitur*, X. 37
Balta *inſula*, I. 50
Bancho *Abriæ Thanus*, VII. 3
— *cum Macbetho adverſus rebelles miſſus*, 4
— *eos concidit*, ibid.
— *Danos ſuperat*, 7
— *Macbetho interemtus*, 10
Bannatinus (*Jo.*) *Duglaſſiorum cliens*, XIV. 35
Banocus *amnis*, VIII. 37
— *Anglorum clade nobilis*, 40
Barclajus (*David*) *Gul. Bullocum interficit*, IX. 31
Bardi *qui*, II. 2
— *in ſummo honore apud Gallos & Britannos*, II. 23
Barneraia *inſula*, I. 42
Barodunum *oppidum unde dictum*, VI. 2
Baronia, *ſive Renfroa, regio*, I. 20
Barra *inſula*, I. 40
Bas Alpin, *locus ubi Alpinus cæſus*, V. 58
Baſſianus *legatus Rom. in Britannia*, IV. 45
Baſſineti, *alias monachi marini, piſces inter oſtenta numerati*, VI. 9

Bata-

Batavorum *claſſis Dantiſco rediens, ab Alexandro Comite Marriæ ſpoliata*, X. 44
Beathia *inſula*, I. 36
Beatrix *Milcolumbi II. filia Duncani mater*, VII. 2
Beckethus (*Thomas*) *Cantuariæ Archiepiſcopus*, VII 64
Beda *notatur*, IV. 30
— *ejus locus explicatur*, II. 41
Bei *quid ſignificet*, I. 31
Belgæ *equites ab Anglo exciti*, VIII. 51
Bellach *inſula*, I. 35
Belli *Sacri prætextu Romanenſes argento ſimpliciores emungunt*, VII. 64
Bellomontius (*Henricus*) *unus ex Eduardi Ballioli ducibus*, IX. 5. 16
— *captus*, IX. 24
Belnahua *inſula*, I. 35
Belus *Orcadenſium Rex ſibi manum infert*, IV. 19
Berg, *Germanis altum ſignificare*, I. 15
Bergion *gigas*, *Neptuni filius*, I. 14
Bernera *inſula*, I. 35
— *alia*, 39
— *aliæ duæ*, 42
Berthæ *pars magna inundatione Tai amnis diruta*, VII. 50
Berton *pro Breton*, I. 6
Bervicum *oppidum*, I. 17
— *a Joanne Anglo captum & incenſum*. VII. 52
— *Scotis reſtitutum*, 54
— *ab Anglis captum*, VIII 15
— *a Scotis receptum*, 42
— *ab Anglo obſidetur*, 45
— *arx a Scotis capta*, IX. 43
— *iterum ab Anglis capta*, ibid
— *oppidum ab Henrico VI. Scotis reſtitutum*, XII. 3
— *Anglis rurſus deditum*, 49
Berubium *promontorium*, I. 31
Betonius (*Archibaldus*) XV. 48
Betonius (*David*) *Cardinalis, & Fani Andreæ Archiepiſcopus, in Galliam miſſus*, XIV. 45. 53
Betonius (*David*) *falſum teſtamentum Regi ſubjicit*, XV. 1
— *ſe Proregem eligendum curat*, 3.
— *ac fraude detecta, honore dejicitur*, ibid.
— *in cuſtodiam datus, ac brevi poſt dimiſſus*, 4
— *ruinam Eccleſiæ Papanæ imminentem avertere conatur*, 6
— *pecunia a Gallo miſſa ſe fraudatum indignatur*, 13
— *Levinium inani ſpe lactat*, 12
— *a Mongomerio graviſſime arguitur*, 28
— *in purioris religionis cultores ſævitia*, 29. 32
— *filiam ſuam filio Comitis Crafordiæ deſpondet*, 39
— *in ſua arce trucidatus*, 40
Betonius (*Jac.*) *Glaſcuæ Archiepiſcopus, Duglaſſio inimicus*, XIV. 12
— *ab eo ad latebras compulſus*, 30
— *in Galliam miſſus*, XVI. 14
Bigga, *inſula*, I. 5
Biſetus (*Gul.*) *in Hibernia exulat*, VII. 57
Blacaterus (*Patricius*) *ab Joanne Humio interemtus*, XIV. 26
Blacaterus (*Robertus*) *Coldingamiæ Abbas cæſus*, XIV. 26
Blandium, *potionis genus*, I. 33
Blara *regio*, I. 25
Bodia (*Græcina*) *Alexandro Forboſio uxor data*, XIII. 9
Bodiorum *contra Kennedos factio*, XII. 21. 22
— *regni adminiſtrationem ad ſe traducunt*, 26
— *ejus familiæ calamitas*, 29. 31
Bodius (*Alex.*) *Regem blanditiis capit*, XII. 21
— *Jo. Kennedum vulnerat*, 22
— *capite luit*, 29
Bodius (*Robertus*), *Jacobum Stuartum interficit*, XI. 23

 Bo-

Bodius (*Robertus*) *Cancellarius, inter alios Regis cuſtodiæ adhibitus*, XII. 17
— *Prorex creatur*, 25
— *exul in Anglia moritur*, 29
Bodius (*Robertus*) *ab Hamiltoniis obſeſſus*, XIV. 12
— *adverſus Reginam & Bothuelium cum aliis conjurat*, XVIII. 41
— *a Prorege deficit*, XIX. 7
— *literas ad Proregem ex Anglia adfert*, 38
— *ad Mortonium ſcribit*, XX. 6
— *cum Hamiltoniis & Argathelio conſilia confert*, 7
— *a Levinio Prorege in fidem receptus*, 25
Bodius (*Tho.*) *carceri incluſus*, X. 26
— *Alanum Stuartum interficit*, XI. 8
— *ab ejus fratre occiſus*, Ibid.
Bodius (*Tho.*) *Cancellarii filius, Regis ſororem uxorem ducit*, XII. 26
— *Araniæ Comes creatus, ac in Daniam legatus miſſus*, 27
— *hoſtis publicus judicatus.* 29
— *Carolo Burgundo operam navat*, 30
— *ejus liberi*, Ibid.
— *Antverpiæ diem obit*, 31
Bodotria *fluv. qui nunc Fortha*, IV. 11
Boethius (*Hector*) *reprehenditur*, I. 17. 22. 25. 31. VII. 49
— *laudatur, & adverſus Luddum defenditur*, III. 47
— *vindicatur*, VIII. 16
Bogia *regio*; V. 8
Boina *regiuncula*, I. 28
Bombardarum *uſus in Scotia*, XI. 49
Bota *inſula*, I. 34
Bota *oppidum Scotis deditum*, VIII. 35
Bothuelius (*Adamus*) *Orcadum Epiſcopus Mariam Reginam Jac. Heburno Bothueliæ Comiti connubio jungit*, XVIII. 30
— *legatus cum aliis in Angliam proficiſcitur*, XIX. 15
Bracara *urbs Hiſpaniæ*, II. 12
Bradus (*Rob.*) *cæſus*, IX. 23
Braid *Albin regio*, I. 24
Braſa *inſula*, I. 50
Brecantia *oppidum*, II. 32
Brechinius (*David*) *ſupplicio affectus*, VIII. 46
Bredius *Inſulanus ab Edero profligatus*, IV. 20
Brendinus *in acie cæſus*, V. 34
Brennos *duos fuiſſe, neutrumque Britannum, adverſus Luddum probatur*, III. 47
Brettæ, *fœminæ Brittanicæ*, I. 6
Brettanicæ *inſulæ, apud Stephanum, pro Britannicæ*, I. 5
In BRIA, BRIGA & BRICA *deſinentia urbium nomina*, II. 31
Briennus *lacus*, I. 42
Brigantes & *Brigiani*, II. 32
D. Brigidæ *ædes incenſa*, XII. 19
Brigidana *inſula*, I. 36
Britanni *Gallorum coloni*, I. 13. II. 13
— *Britannorum origo fabuloſa*, II. 4
— *corpora pingebant*, 19
— *olim ſexum in imperiis non diſcernebant*, III. 3. *Vid.* Brittones.
Britanniæ *deſcriptio*, I. 1. & deinceps.
— *ejus nomen controverſum*, 2
— *non primum a Julio Cæſare Latinis literis commendatum*, 4
— *quomodo a Græcis Latiniſque ſcriptoribus prolatum*, 5
— *quibuſdam Hiſtoricis eo nomine ſola provincia Romana appellata*, I. 11. II. 41
— *magni inde errores nati*, VI. 17. I. 11
— *quo tempore a peregrinis gentibus occupata*, II. 40. 41
— *ejus ex Cæſare aliiſque veteribus deſcriptio*, III. 2. & deinceps.
Britannicarum *gentium origo*, II. 1. & ſeq.
Britannodunum *arx & oppidum*, I. 23
— *arcis ſitus & natura*, XX. 28
— *a Prorege capta*, 32
Britannus *Herculis & Celtus filius*, I. 13 II. 15

Bri-

Britannus (*And.*) *Mercator Scotus a Luſitanis cæſus*, XIII. 27
— *Andreas ejus filius Luſitanos multis damnis afficit*, ibid.
— *a Thoma Havarto cæſus*, 28
Britannus (*Joan.*) *Richemondiæ Comes prælio captus*, VIII. 47
Britannus (*Rob.*) *aulica gratia florens*, XIV. 38
Britto *gemino TT*, I. 6
Brittones *a Martiale primum nominati*, I. 12
Brittones [*ſive Britanni*] *eorum origo*, II. 15
— *quo armorum genere uſi ſint*, ibid.
— 500 *annis ſub imperio populi Rom.* 37
— *a Saxonibus ſubjugati*, ibid.
— *Scotos laceſſunt*, IV. 31
— *a Romanis opem petunt*, V. 2
— *legionem unam impetrant*, *cujus auxilio Scotos Pictoſque prælio ſuperant*, ibid.
— *a Scotis Pictiſque trucidantur*, 3
— *aliam a Romanis legionem accipiunt*, ibid.
— *a Scotis & Pictis miſerabiliter trucidati*, 7. 12. 13
— *eorum ad Aetium Conſulem literæ*, 14
— *Saxones arceſſunt*, 15
— *in peninſulam Walliam compulſi*, 34
— *ex Joannis Evangeliſtæ diſcipulis Chriſtianiſmum edocti*, 36
Brix *Scotis* ruptura, *inde diminutivum Brixac*, II. 26
Brudeus *Pictorum Rex*, V. 35
Brudus *Pictorum Rex*, V. 57
Brudus *alter Pictorum Rex*, ibid.
Brunus (*Richardus*) *majeſtatis convictus*, VIII. 46
Bruſſia (*Maria*, *vel potius Marjoria*) *Roberti I. filia, regni hæres deſignata*, VIII. 42
Bruſſius (*Alexander*) *Eduardi Regis Hiberniæ nothus*, *Carictæ Comes*, *ſe Balliolo dedit*, IX. 9
— *a Scotis captus*, ibid.
— *ad Halidonem cæſus*, 14
Bruſſius (*David*) *Roberti I. frater*, VIII. 28
Bruſſius (*Eduardus*) *Roberti I. frater proſpere pugnat*, VIII. 34
— *Sterlini arcem obſidet*, 35
— *proximus poſt Regis ſtirpem maſculam regni hæres declaratus*, 42
— *ab Hibernis Rex appellatus*, 43
— *prælio cæſus*, ibid.
Bruſſius (*Nigellus*) *item Thomas & Alexander, fratres Roberti I. capite multati*, VIII. 30
Bruſſius (*Robertus I.*) *Annandiæ Dominus Iſabellam Dav. Hundintonii filiam ducit uxorem*, VIII. 4. 7
Bruſſius (*Robertus II.*) *Annandiæ Dominus regni Scotici competitor*, VIII. 3
— *ejus genealogia*, 7
— *magnanimum ad Regem Angliæ reſponſum*, 12
Bruſſius (*Robertus III.*) *Rob. F. Rob. N. Carictæ Comes* (*Martha hærede uxore ducta*) *appellatus*, VIII. 7
— *regnum Scotorum ab Anglo ei promiſſum*, 15. 16
Bruſſius (*Robertus IV.*) *Rob. F. Rob. N. Rob. P. Scotorum Rex. Vid.* Robertus I.
Bruſſius (*Robertus*) *Carictæ Comes*, *Eduardi Regis Hiberniæ nothus*, IX. 6
— *in prælio ad Duplinum cæſus*, 7
Bruſſius (*Robertus*) *Arthianus capite luit*, XI. 24
Bruſſius (*Thomas*) *Carictæ Comes*, *alter Eduardi R. Hiberniæ nothus*, *Rob. Stuarto ſe adjungit*, IX. 20
Bruti *hiſtoria*, II. 4
— *refutatur*, 5
Buchananus (*Georgius*) *Hiſtoriæ Scoticæ ſcriptor*, *Lutheraniſmi ſuſpectus*, *ſopitis cuſtodibus per cubiculi feneſtram evadit*, XIV. 55
— *Moravium Proregem cum aliis in Angliam comitatur*, XIX. 16
Buchania *regio*, I. 27
— *unde dicta*, V. 8

Buia,

Buia, *ſeu Buya, major, & minor, inſula*, I. 39
— *item*, 40
— *item aliæ duæ*, 42
Bullocus (*Gul.*) *Anglus ad Scotos deficit*, IX. 27
interficitur, 31
Bullus (*Stephanus*) *Anglus navali prælio victus*, XIII. 6
Burgundus *a Burgo*, II. 32
Burra *inſula*, I. 49
— *aliæ duæ*, 50
Buya, *Vid.* Buia.

C

CADALLANUS *Scotorum Prorex*, IV. 21
Caduallus *Scotorum Prorex*, IV. 18
Cæcilia *Eduardi IV. Angli filia Jacobo Scoti filio promiſſa*, XII. 40.
Cæſar *non primus Britanniæ meminit*, I. 4
— *ex ingenio emendatus*, II. 36
— *Britanniæ ex ejus Comment. deſumta deſcriptio*, III. 2
Calden *Scotis corylus*, I. 25. II. 22
Caledonia *oppidum*, I. 25. II. 22
— *Caledonia ſilva*, ibid.
Caledones & *Caledonii*, I. 25
— *eos fuiſſe Pictos*, II. 22. 40
— *nominis etymon*, 22
Calfa *inſula*, I. 38
Cambellus (*Alexander*) *Dominicanus*, *ejus interitus memorabilis*, XIV. 32
Cambellus (*Calenus*) *familiæ ſuæ Princeps Roberto Stuarto Proregi ſe adjungit*, IX. 19
Cambellus (*Calenus*, *vel potius Duncanus*) *Caleni F. Dominus Argatheliæ Regis Jacobi I. ad ſuos reducendi auctor*, X. 25
Cambellus (*Calenus*) *I. Argatheliæ Comes* XII. 18
— *Alanum Lornenſem*, *fratre liberato*, *in carcerem conjicit*, ibid.
Cambellus (*Gileſpicus*, *ſeu Archibaldus*) *II. Argatheliæ Comes*, *unus e Scotis ad Fluidonem ducibus*, XIII. 38
Cambellus (*Calenus*) *III. Argatheliæ Comes*, *unus e Scotiæ Rectoribus ab Albino Prorege conſtitutus*, XIV. 9. 26
— *a Duglaſſio alienatus*, ibid.
— *adverſus Duglaſſios miſſus*, 37
Cambellus (*Gileſp. ſeu Archib.*) *IV. Argatheliæ Comes*, *delectus qui cum Jacobo* (*poſtea Moraviæ Comite*) *coronam matrimonialem Delphino ferret*, XVI. 24
— *a Regente ad purioris religionis vindices miſſus*, 30
— *ad eos ſe adjungit*, 33
— *exilio multatus*, XVII. 49
— *unus e conjuratoribus adverſus Reginam & Bothuelium*, XVIII. 41
— *conſilia cæterorum Reginæ prodit*, ibid.
— *eum ſuis partibus adjungere Moravius conatur*, 55
— *ad conventum publicum venit*, 56
— *Reginæ cauſſam tuetur*, XIX. 3. 7
— *copiarum Reginæ dux*, *repentino dolore correptus*, 10
— *ſe Regi ſubditum profiteri recuſat*, 31
— *Glaſcuam venit*, 34
— *ejus modeſtia*, ibid.
— *a Prorege in gratiam recipitur*, 35
— *de Mætellano judicium turbare nititur*, 51
— *Edimburgum venire renuit*, XX. 6
— *ejus auctoritas magna*, 7
— *frater tamen ejus & clientes eum adverſus Regem ſequi nolunt*, ibid.
— *in Argatheliam cum Hamiltonio diſcedit*, 17
— *ſe Proregi eligendo pariturum jurejurando promittit*, 62
Cambellus (*Gileſp.*) *perduellionis accuſatus*, XIV. 54
— *dum evadere conatur*, *caſu exſtinctus*, ibid.
Cambellus (*Hugo*) *præfectus juridicus Aerenſis*, *Caſſiliſſæ Comitem tollendum curat*, XIV. 30

I N D E X.

Cambellus (*Hugo*) *in jus vocatus ſolum vertit*, XIV. 30
— *pro purioris religionis cultu cum aliis Regentem deprecatur*, XVI. 25
Cambellus (*Jacobus*) *capite plectitur*, X. 30
Camber, *Bruti filius*, II. 4
— *ab hoc Cambri dicti*, ibid.
Camerius (*David*) *Bothuelii cliens*, XVIII. 2
Camelodunum, I. 22. IV. 37
Cames *arx*, I. 34
Campus *Lapideus*, I. 14
Camus *Danorum dux a Scotis occiſus*, VI. 50
Cana *inſula*, I. 36
Canemora *arx*, IX. 23
Canna *inſula*, I. 38
Cantiera *regio*, I. 23. 35
Cantium *Angliæ regio*, III. 2
Cap-bretton, *promontorium Aquitaniæ*, I. 6
Capraria *inſula*, I. 35
Caraia *inſula*, ibid.
Caralia *oppidum*, I. 24
Carantius *Athirconis filius*, IV. 40
— *Findocum Regem fratrem ſuum interimendum curat*, 42
Caratacus *Scotorum Rex*, IV. 23
Carauſius *Romanus Britannias occupat*, & *purpuram ſumit*, IV. 45
— *ab Allecto occiſus* ibid.
Caricta *regio*, I. 20
Carleolum *a Scotis captum*, VII. 52
— *Anglis reſtitutum*, 54.
Carnagius (*Rob.*) *Kinnardius*, *a Gallo in Scotiam remiſſus*, XVI. 1
Carnicrucius (*Rob.*) *Quæſtor Regius*, XIV. 34
— *Abbas Sanctæ Crucis novo Simoniæ genere factus*, 35
— *ab aula remotus*, ibid.
Carolus *V. Francorum Rex*, *vetus cum Scotis fœdus renovat*, IX. 43
Carolus *VI. Francorum Rex filium ſuum exhæredat*, X. 20
— *moritur.* 23
Carolus *VII. Francorum Rex*, *tum Delfinus*, *a Scotis auxilium petit*, X. 20
Carolus *V. Imperator ad Scotum de affinitate jungenda legatos mittit*, XIV. 47
— *mater ejus cur perpetuæ cuſtodiæ tradita*, XX. 38
Carolus *Burgundus ab Helvetiis prælio interfectus*, XII. 37
— *mors ejus ab Aſtrologo prænunciata*, ibid.
— *hic tyrannidis fundamenta jecit*, XII. 62
Carolus *Guſius Cardinalis Lotharingus*, *unus e Reginæ Mariæ Curatoribus*, XVI. 3
— *ejus avaritia eluſa*, 7
Carron *fluvius*, I. 21. IV. 37. 38
Carruderus (*Gul.*) *Stuarto ſe adjungit*, IX. 20
Carthus *fluvius*, I. 20
Carus (*And.*) *Ceſfordius*, XII. 22
Carus (*And.*) *And. N. Ceſfordius*, *patris mortem ulciſcitur*, XIII. 26
— *occiſus*, XIV. 27
Carus (*And.*) *a Duce Norfolciæ captus*, XVI. 13
— *cædis Darleanæ conſcius*, XVIII. 42
Carus (*And.*) *Farnibeſtius in cuſtodiam datus*, XIV. 7
— *effugit*, 8
— *inter eum & Anguſiæ Comitem diſſidium*, 11
Carus (*Marcus*) *in cuſtodiam datus*, XIV. 39
Carus (*Robertus*) *Ceſfordius*, *ab Anglis interfectus*, XIII. 26
Carus (*Thomas*) *Farnibeſtius*, *Angliam ferro flammaque fœdat*, XX. 1
— *ad ſocerum ſuum epiſtolam ſcribit*, 6
— *Jedburgum oppugnare parans*, *in fugam vertitur*, XX. 66
Carus (*Valterus*) *Ceſfordius*, XVIII. 42 XX. 66
Caſſivellaunus *Britannorum dux*, III. 2
Caſtrum *puellarum*, *i.e. Edinburgum*, VI. 2
Catalaunum *Galliæ oppidum*, X. 53
Cathaneſia *regio*, I. 30
— *ejus etymon*, V. 8

Cathaneſienſes *Epiſcopum ſuum occidunt*, *VII.* 56
Cathedra *marmorea (Scotorum Palladium) ex Argathelia Sconam a Kennetho II. tranſlata*, *VI.* 3
— *ab Eduardo I. Anglo Londinum miſſa*, *VIII.* 26
Cellæ *priſcis Scotis templa dicuntur*, *IV.* 46
Cella *Patricii (Rogerius a)* *VIII* 28
Cella *Patricii (Rogerius a) Nithiam Scotis reſtituit*, *IX.* 36
Celeſtinus *Pont. Rom. Palladium in Scotiam mittit*, *V.* 16
Celtiberi *a Celtis*, *II.* 13
— Cerialis. *Vid.* Petilius.
Ceulinus *Occidentalium Saxonum Rex*, *V.* 34
Chriſti *natalis profanatio*, *V.* 24
— *Julia vulgo vocata*, ibid.
Chriſtiana *religio in Scotia promovetur*, *IV.* 46. *V.* 8. 16
Chriſtiani *fœdere juncti adverſus Danos*, *VI.* 12
Chriſtiernus *Danus cum tota ſtirpe regno exactus*, *XX.* 38
Chualſa *inſula*, *I.* 50
Cialinus *Saxonum dux a Scotis cæſus*, *V.* 35
Cimbri *Gallis & Germanis latrones dicti*, *II.* 45
Clacmanana *præfectura*, *I.* 24
Clanchatan & *Clanchameron duæ priſcorum Scotorum tribus ſe mutuo trucidant*, *X.* 31
Clarentiæ *Dux a Scotis occiſus*, *X.* 21
Claudii *Cæſaris templum*, *I.* 22. *IV.* 38
Clemens *Scotus*, *vir doctus*, *V.* 53
Cludanus *amnis*, *I.* 19
Cnapdalia *regio*, *I.* 23
Cobeſa *inſula*, *I.* 49
Cocburni *Saltus*, *I.* 18
Cocburnus *(Gul.) Darſium Gallum occidit*, *XIV.* 10
Cocburnus *(Gul.) Hunderlandius capitali ſupplicio affectus*, *XIV.* 39
Cocburnus *(Joan.) Ormiſtonius a Bothuelio captus*, *XVI.* 46
Cocburnus *(Ninianus) præfectus equitum in Gallia*, *XVIII.* 50
Cocburnus *(Patricius) Dalkethi arcis præfectus eam adverſus Duglaſſios ſtrenue defendit*, *XI.* 38
Cocheranus *(Rob.) ex architecto aulicus factus*, *XII.* 37
— *& Marriæ Comes*, 46
— *ſuſpendio vitam finit*, 45
Coila *regio*, *I.* 19. *IV.* 5
Coilus *Brittonum Rex*, *IV.* 5
— *prælio cæſus*, ibid.
Colca, *genus avis*, *I.* 44
Colchonius *(Joan.) ab Æbudanis interemtus*, *XI.* 10
Coldingamiæ *cœnobium conditum*, *VII.* 25
— *crematum*, 52
Coleſſus *(Joan.) Crafordium deſerit*, *XI.* 39
Colla *inſula*, *I.* 38
Collegium *Judicum Edimburgi primo inſtitutum*, *XIV.* 43
Collinius *(Gaſpar)* *XX.* 13
Colmannus *Epiſcopus*, *V.* 41
Coluanſa *inſula, alia*, *I.* 36. 38
Colvillius *(Jac.) ab aula remotus*. *XIV.* 38
Colvillius *(Rich.) Joannem Achleccum interimit*, *XI.* 32
Columba *Scotus*, *vir ſanctiſſimus*, *V.* 33
— *ejus ſumma auctoritas*, ibid.
— *Scotorum de Saxonibus victoriam eadem hora ſodalibus ſuis renunciat*, 35
— *moritur*, 36
Columbæ *inſula, alia*, *I.* 37. 42
Columbaria *inſula*, *I.* 36
Colurna *inſula*, *I.* 36
Comes *ſtabuli, ſeu Magiſter Equitum*, *X.* 22
Commodus *Imperator*, *V.* 36
Conanus *Britto pacem ſuadens a multitudine ſeditioſe confoditur*, *V.* 11

Conanus *Scotorum Prorex*, *IV.* 13
Conarus *Scotorum Rex, particeps conjurationis in patrem*, *IV.* 31
— *cum Romanis confligit*, ibid.
— *voluptatibus ſe immergit*, ibid.
— *in cellam incluſus* 32
— *in cuſtodia vitam finit*, 33
Confraius (*Radulphus*) *Anglorum dux devictus*, *VIII.* 24
Congallus *I. Scotorum Rex*, *V.* 19
Congallus *II. Scotorum Rex*, *V.* 55
Congregationis *nomen a religionis reformatæ vindicibus aſſumtum*, *XVI.* 21
Conſcientia *ſceleris animum quietum eſſe non ſinit*, *VI.* 40
Conſtantienſis *concilii decretum perjuris opportunum*, *XV.* 7
Conſtantinus *Magnus Imperator*, *IV.* 45
Conſtantinus *I. Scotorum Rex*, *V.* 17
Conſtantinus *II. Scotorum Rex*, *VI.* 7
— *diſciplinam publicam inſtaurat*, ibid.
— *Danos cædit*, 8
— *ab iis occiditur.* ibid.
Conſtantinus *III. Scotorum Rex*, *VI.* 15
— *cum Danis fœdus init*, ibid.
— *regno ejerato fit Monachus*, 17
Conſtantinus *IV. cognomento Calvus*, *Scotorum Rex*, *VI.* 42
— *adverſus legem a Kennetho III. ſancitam declamat*, ibid.
— *a Kennetho confectus*, 44
Conſtantinus *a Brittonibus dux electus*, *IV.* 54
Conſtantinus *alius Brittonum Rex creatus*, *V.* 14
Conſtantinus *Cadoris filius ab Arcturo regni Britannici hæres conſtitutus*, *V.* 27
Conſtantius Chlorus *Conſtantini Magni pater*, *IV.* 45
Convallus *Scotorum Rex*, *V.* 21
— *vitæ ſanctitate inſignis*, ibid.
— *ſacerdotes proventibus ditat*, ibid.
Corbredus *I. Scotorum Rex*, *IV.* 24
Corbredus *II. cognomento Galdus Scotorum Rex*, *IV.* 26 *VI.* 45
Corbredus II. *primus Scotorum cum Romanis ſigna contulit*, *IV.* 26
Cornavii, *I.* 31. *II.* 36
Cornovallia & *Cornovalli*, *I.* 31. *II.* 26
Corskera *inſula*, *I.* 36
Corylus *arbor apud Caledonios frequens, indeque genti nomen*, *I.* 25
Covalia *regio*, *I.* 23
Cracoviaca *oppidum*, *I.* 48
— *crematum*, *XVI.* 18
Crafordius (*Tho.*) *Jordanhillius*, *Gul. Matellanum cædis Regiæ poſtulat*, *XIX.* 47
— *arcis Britannoduni capiendæ ſocius*, *XX.* 27
Carthilinthus *Scotorum Rex*, *IV.* 45
Carthilinthus *Merniæ princeps Cruthinetum avum ſuum trucidat*, *VI.* 24
— *morte multatus*, 25
Crea *fluvius*, *I.* 19
Crepitaculis *equi Anglorum territi*, *IX.* 41
— *eorum forma*, ibid.
Creſſingamius (*Hugo*) *Scotiæ Quæſtor ab Anglo conſtitutus*, *VIII.* 17
— *a Valla prælio victus & cæſus*, 20
Crichtonia (*Margarita*) *ex Gul. Crichtonio & ſorore Regis genita*, *XII.* 51
Crichtonius (*Geo.*) *Epiſcopus Caledoniæ*, *XIV.* 26
Crichtonius (*Gul.*) *Scotiæ Cancellarius*, *XI.* 1
— *a Regina erepto filio Rege deceptus*, 4
— *Regem a Leviſtonio abducit*, 11
— *in jus vocatus, venire recuſat*, 20
— *obſeſſus Regi ſe dedit, ac in priſtinam dignitatem reſtituitur*, 22. 34
— *in Galliam miſſus*, 25
— *inſidias Duglaſſii evadit*, 35
— *ejus mors*, 45
Crichtonius (*Gul.*) *Gul. Cancellarii nepos, III. Crichtoniæ Regulus omnium conſiliorum Alexandro Albino adverſus fratrem ſuum Jacobum III. auctor*, *XII.* 50

— *venia donatus*, XII. 50
— *iterum accuſatus, atque aqua & igni ipſi interdictum*, ibid.
— *ſororis Regiæ pudicitiam violat*, 51
— *Regi reconciliatus*, ibid.
Crichtonius (*Gul.*) *Sancharius cæſus*, XV. 65
Crocus *Gallus legatus, Reginæ nuptias cum Bothuelio improbat*, XVIII. 20. 30
— *ad Gallum literas mittit*, 50
— *pacem inter Reginam & conjuratos conciliare nititur*, 47
Crudeles *crudelis manet exitus*, V. 61
Crudelitatis *inſigne exemplum*, X. 10
Crulinga *inſula*, I. 39
Culbrenina *inſula*, I. 35
Culdei, *antiquum apud Scotos Monachorum genus*, IV. 46
— *hoc eſt, Dei cultores*, VI. 17
Culenus *Scotorum Rex*, VI. 23
Culenus (*Jac.*) *captus ſupplicioque affectus*, XX. 54
Culroſſia *oppidum unde dictum*, VI. 2
Culroſſiana *præfectura*, I. 24
Cumbra *inſula major & minor*, I. 34. VII. 62
Cumbri & *Cumri*, II. 45
Cumbria *Angliæ provincia Scotis reddita*, VI. 12
— *titulus hæredum Scotiæ ac regni augurium*, VI. 15. 36. 38
— *Scotis ademta*, VI. 16
— *reſtituitur*, 18
— *ea conditione, ut qui proxime ſucceſſurus pro ea ſacramentum Anglorum Regi diceret*, ibid.
Cuminiorum *potentia magna*, VII. 58. 60
Cuminius (*Alex.*) *Buchaniæ Comes*, VII. 60
— *captus*, 64.
Cuminius (*David*) *Atholiæ Comes, unus ex Eduardi Ballioli ducibus*, IX. 5. 16
Cuminius (David) *ab Anglo rei Scoticæ præfectus*, IX. 19
— *in Bruſſii verba jurare coactus*, 20
— *Anglo tamen ſe rurſus adjungit*, 22
— *pro Rege ab Anglo in Scotia relictus*, 23
— *cæſus*, ibid.
[verum ejus nomen erat David Strabolgius.]
Cuminius (*Joan.*) *Buchaniæ Comes adverſus rebelles miſſus*, VII. 56
Cuminius (*Joan.*) *Alex. J. Buchaniæ Comes, unus e ſex Scotiæ Rectoribus*, VIII. 1
— *Cumbriam & Northumbriam populatur*, 17
— *Scotorum Prorex electus*, 24
— *Anglos ad Roſlinum devincit*, 23
— *Roberto I. adverſatur*, 31
— *de induciis fraudulenter agit*, ibid.
Cuminius (*Joan.*) *Badenachæ Regulus, unus e ſex Scotiæ Rectoribus*, VIII. 1
Cuminius (*Joan.*) *Badenachæ Regulus, Ruber dictus*, VIII. 27
— *ejus in Robertum I. perfidia*, 28
— *cæſus*, ibid.
Cuminius (*Tho.*) *capite multatus*, IX. 23
Cuminius (*Valterus*) *Taichiæ Comes*, VII. 60
Cuminius (*Valterus*) *cæſus*, IX. 9
Cuminius (*Valterus alter*) *cæſus*, IX. 23
Cunicularia *inſula*, I. 35
— *alia*, 39
— *alia item Sigrama magna dicta*, 42
Cunigamia *regio*, I. 20
— *vocis etymon*, VI. 2
Cunigamii *ab Hamiltoniis ſuperati*, XV. 19
Cunigamius (*Alexander*) *I. Glencarniæ Comes occiſus*, XII. 61
Cunigamius (*Alex.*) *V. Glencarniæ Comes Proregi obſes pro patre datus*, XV. 14

Cuni-

Cunigamius (*Alexander*) *ad Regentem orator miſſus*, XVI. 25
— *electus qui de concordia ageret*, 30
— *exilio multatus*, XVII. 49
— *a Regina arceſſitus ne de Bothuelio judicium haberet*, 45
— *unus e conjuratis adverſus Reginam & Bothuelium*, XVIII. 41. 46
— *dux in exercitu Regio*, XIX. 10.
— *captus*, XX. 59
— *a ſuis receptus*, 61
Cunigamius (*Gul.*) *Kilmaurius*, *cum aliis Scotorum ducibus Anglos in fugam vertit*, IX. 47
Cunigamius (*Gul.*) *IV. Glencarniæ Comes*, *in pugna ſaucius*, XIV. 29
— *ab Hamiltoniis ſuperatus*, XV. 19
Cunigamius (*Joan.*) *Drumvaſillæ Comarchus*, *in arce Britannodunenſi capienda ſocius aſſumtus*, XX. 26
Cunigamius (*Robertus*) *judicium de Bothuelio lite non exerceri proteſtatur*, XVIII 24
Cunigamius (*Umfridus*) *arcem in Marini inſula expugnat*, X 29
Cupiditas *in atiabilis*, X 9
Cuprum *oppidum Fifæ*, I. 24
Cuprum *oppidum Anguſiæ*, I. 25
Currius (*Valterus*) X. 25

D.

DAAL *i. e. pars*, IV. 11
Dalkethum *oppidum*, I. 18
— *arx obſeſſa*, XI. 38
Dalreudini *unde appellati Scoti*, IV. 11
Dani *Angliam ingrediuntur*, II. 37
— *in Scotiam claſſe transmittunt*, VI. 8
— *cæſi*, ibid. 9. 18. 19. 49. 50
— *ad Loncartem vicum ſuſi*, VI. 32
— *aſtu victi*, VII. 6, 7
Daniæ *Rex cum legato Scotiæ tranſigit de inſulis circa Scotiam*, XII. 27
Dardannus *Scotorum Rex*, IV. 25
Darſius (*Antonius*) *Gallus*, *Marciæ ac Lothianæ præfectus*, XIV. 9
— *a Gul. Cocburno occiſus*, ibid. 10
David *I. Scotorum Rex*, VII. 27
— *monaſteria ædificat*, ibid.
— *Epiſcopatuum numerum auget*, ibid.
— *adverſus Anglum varia fortuna bellatur*, 32. 33
— *ſumma ejus animi magnitudo*, 35
— *ejus elogium*, 36
David *II. Scotorum Rex inungitur*, IX. 1
— *Angli ſororem uxorem ducit*, VIII. 56
— *ad Philippum Galliarum Regem puer adhuc mittitur*, IX. 8
— *in Scotiam revertitur*, 30
— *Angliam ter invadit*, 32
— *ad Dunelmum captus*, 33
— *Bervicum miſſus*, 37
— *domum reverſus*, ibid.
— *Rob. Stuartum a ſpe ſuccedendi removet*, *Alexandro Sutherlando in ejus locum ſubſtituto*, ibid.
— *moritur.* 38
David *Hundintoniæ Comes*, VII. 36
— *in Scotiam redit*, 47
— *Ricardum Anglum in Syriam comitatur*, 49
— *in Scotiam revertitur*, ibid.
— *ejus ſoboles*, VIII. 4
David Rotheſaiæ Dux, *Vid.* Stuartus (David.)
Deidonum, I. 25. VII. 49
Delatores *ab Eveno inſtituti*, IV. 17
Dera *inſula*, I. 35
Deſſius *Gallus copiarum Gallicarum in Scotia dux*, XV. 54
— *ejus res geſtæ*, 59. & ſeqq.
— *in Galliam revocatur*, 62
Deva *Angliæ fluvius*, I. 17
Deva *Gallovidiæ fluvius*, I. 19
Deva *ſeu Dea Marriæ fluvius*, I. 26
Deucaledonum *mare*, I. 32
— *forte ſcribendum Duncaledonium*, II. 22

Dianæ *oraculum Bruto datum, a Monacho confictum,* II. 8
Dicaledones, *apud Marcellinum, Duncaledones legendum videri.* II. 22
Dicſonus *(Tho.) ſacrificulus, Crichtonii accuſator,* XII. 50
Diocletianus *fabuloſus Syriæ Rex,* II. 4. 6
Diocletianus *Imp.* IV. 45
Dionethus *ſe Brittonum Regem edit,* V. 4
Diploma *Regium cum ignominia per vicos tractum,* XI. 38
Doaca *Macbethi mater,* VII. 1
Dochamus & *Dorgallus Durſti filii fraude Gilli interemti,* IV. 18
Domus *magiſter,* XII. 55
Dona *fluvius,* I. 26
Donachi *ſinus,* I. 31. 49
Donaldus *I. Scotorum Rex,* IV. 36
—— *primus Regum Scotorum Chriſtianos ritus recipit,* ibid.
Donaldus *II. Scotorum Rex,* IV. 43
Donaldus *III. Inſulanus Scotorum Regem ſe conſtituit,* IV. 44
Donaldus *IV. Scotorum Rex,* V. 40
Donaldus *V. Scotorum Rex,* VI. 4
—— *Anglos vincit.* ibid.
—— *ab iis victus captuſque,* 5
—— *duras pacis conditiones accipit,* ibid.
—— *ob ignaviam in carcerem conjectus,* 6
—— *ſibi manum infert,* ibid
Donaldus *VI. Scotorum Rex,* VI. 14
—— *auxilia Aluredo Anglo adverſus Danos mittit,* ibid.
Donaldus *VII. cognom. Banus, Scotorum Rex,* VII. 23
Donaldus *Banus Regem ſe Æbudarum vocat,* V. 51
Donaldus *Inſulanus in Albium trajicit, ac prælio vincitur,* IV. 42
Donaldus *Inſulanus Roſſiam occupat,* X 18
—— *Moraviam in ſuam poteſtatem redigit,* ibid.
—— *ad Harlaum victus,* ibid.
Donaldus *Inſulanus Roſſiæ Comes, fœdus cum Duglaſſio init,* XI. 35
—— *agros Regios vaſtat,* 44
—— *venia ſupplici data,* 46
—— *ſe Regem inſularum pronunciat,* XII. 19
—— *ejus immanitas & animi alienatio,* ibid.
Donaldus *Marriæ Comes Prorex electus,* IX. 3
—— *ad Duplinum cæſus,* 7
Donaldus *Milcolumbi Macbethi filius captus,* VII. 37
Donaldus *arcis Foreſſæ præfectus Duffum Regem jugulat,* VI. 22
—— *parricidii pœnas luit,* 23
Donati *fanum,* I. 49
Dongallus *Scotorum Rex,* V. 56
Dongardus *Scotorum Rex,* V. 16
—— *ad cultus divini curam ſe convertit,* ibid.
Dornadilla *Scotorum Rex,* IV. 8
Dornagilla *Joannis Ballioli mater,* VIII. 7
Dorydrepana, V. 7
Dovalus *Gallovidianus Nothatum obtruncat,* IV. 9
—— *ipſe in prœlio cæſus,* 10
Driburgum *monaſterium ab Anglis crematur,* VIII. 47
Drinacha *inſula,* I. 35
Dromunda *(Annabella) Roberti III. uxor moritur,* X. 10
Dromundus *(Alex.) Carnocenſis in exilium pulſus,* XIV. 35
—— *redeundi venia ei data,* 38
Dromundus *(Joan.) Dromundiæ Regulus, Matthæum Stuartum Leviniæ Comitem fundit fugatque,* XIII. 5
—— *in cuſtodiam relegatus.* XIV. 5
Druides *ſacerdotum genus, Gallorum & Britannorum proprium,* II. 23
Drum Albin *regio,* I. 24
Drumfriſium *oppidum captum,* VIII. 35. XI. 26

Dru-

Drumilaus, VII. 7
Drurius (*Gul.*) *Eques Anglus, occulte Havarti rebus ſtudet,* XX. 16. 17
Druskenus *Pictorum Rex,* V. 59
Duchtius (*Tho.*) *falſa miracula venditat,* XIV. 41
Ducum *nomina quando in Scotiam invecta,* X. 4
Duffa *inſula,* I. 35
Duffus *Scotorum Rex,* VI. 20
—— *maleficiorum veneficiis petitus,* 21
—— *a percuſſoribus jugulatur,* 22
Dugallus *Gallovidianus,* V. 17
Duglaſſia *regio,* V. 8
Duglaſſia (*Beatrix*) *patrueli ſuo nupta,* XI. 18
—— *deinde ejus fratri,* 40
—— *Atholiæ Comiti collocata,* 45
Duglaſſia (*Joanna*) *Anguſii ſoror cremata,* XIV. 54
Duglaſſia (*Margarita*) *Anguſii ex Regina filia,* XIV. 4
Duglaſſius (*Archibaldus*) *Gallovidiæ Regulus.* IX. 9
—— *Scotorum Prorex & dux electus,* 13
—— *prælio ad Halidonem cæſus,* 14
Duglaſſius (*Arch.*) *Arch. F. Gallovidiæ Regulus,* IX. 43. *& poſtea*
Duglaſſius (*Arch.*) *III. Duglaſſiæ Comes, Auſterus cognominatus,* IX. 63
—— *Ducis titulum recuſat,* X. 4
—— *ejus cum Geo. Dumbario Marciæ Comite inimicitiæ,* X. 5
—— *moritur,* 6
Duglaſſius (*Arch.*) *IV. Duglaſſiæ Comes,* X. 6
—— *prælio captus,* 8
—— *liberatus,* 11
—— *iterum captus,* ibid.
—— *ac dimiſſus,* ibid.
—— *a Delphino in Gallia dux Turonenſis appellatus,* 23
—— *prælio cæſus,* 24
Duglaſſius (*Arch.*) *V. Duglaſſiæ Comes, in arcem lacus Levini relegatus,* X. 37
— *Regi reconciliatus,* ibid.
— *omnia miſcet,* XI. 2
— *ne quis ſuorum Regiis miniſtris pareret edicit.* XI. 2
— *ad Cancellarium ſuperba reſponſio,* XI. 7
— *ejus mors,* 9
Duglaſſius (*Arch.*) *Victoniæ Comes, Arch. V. Duglaſſiæ Com. F. Delphino in Gallia operam navat,* X. 20
— *revocatus,* 23
Duglaſſius *Arch.* (*al. Jac.*) *Jacobi Craſſi Com. Duglaſſiæ F. Annevicum incendit.* XI. 26
— *fit Comes Moraviæ,* ibid.
— *prælio cæſus,* 43
Duglaſſius (*Arch.*) *V. Anguſiæ Comes,* XII. 41
— *ejus ad Proceres oratio,* ibid. 42
— *Cocheranum gula prehenſum dat cuſtodiendum,* 45
— *Rex cum eo conſilia communicat,* 56
— *Regis conſilium callida oratione eludit,* 57
— *ejus ad Jacobum IV. oratio,* XIII. 35
— *domum diſcedit,* 36
Duglaſſius (*Arch.*) *Geo. F. Arch. N. VI. Anguſiæ Comes,* XIII. 44
— *Jacobi IV. viduam, uxorem ducit,* ibid.
— *ab Heburno accuſatur,* XIV. 2
— *in Angliam cum Regina abit,* 4
— *unus e Scotiæ Rectoribus,* 9
— *inter eum & And. Carum diſcordia,* 11
— *Hamiltonios in tumultu Edimburgenſi devincit,* 12
— *in Galliam relegatus,* 13
— *ab Anglo benevole receptus,* 25
— *in Scotiam redit,* ibid
— *ab uxore oppugnatur,* ibid.

—— *unus e Regis & regni cuſtodibus a ſua factione electus*, XIV. 25
— *ſumma ejus in aula potentia*, 26
—— *Valterum Scotum cum ſuis pugna ſuperat*, 27
—— *Hamiltonios ſibi adjungit*, 28
—— *Levinium pugna vincit*, 29
—— *ei aqua & igni interdictum*, 35
—— *in Angliam exulatum abit*, 37
—— *de eo revocando Rex cogitat*, 61
—— *poſt 15 exilii annum in Scotiam revertitur*, XV. 2
—— *ad ſedandas controverſias veniens, ab Hamiltonio retinetur, atque in cuſtodiam mittitur*, 14
—— *liberatus*, 15
—— *ejus memorabile facinus*, 22
—— *Proregi ſuadet, ut Cardinale relicto cum proceribus Scotorum ſua conſilia communicet*, 24
—— *Anglos ſuperat*, 25
—— *primam aciem in prælio ad Muſſelburgum ducit*, 49
Duglaſſius (*Arch.*) *Kilſpindius* (*Arch. V. Com. Anguſiæ F.*) *Quæſtor Regius*, XIV. 30
—— *ei aqua & igni interdictum*, 35
Duglaſſius (*Arch.*) *Vittengamii frater captus*, XX. 68
Duglaſſius (*David*) *cum fratre Gulielmo capite pœnas luit*, XI. 17
Duglaſſius (*Galvinus*) *Comitis Anguſiæ patruus* [*poſtea Caledoniæ Epiſcopus*] *a Regina Fani Andreæ Archiepiſcopus nominatus, arcem occupat*, XIII. 44
—— *ab Joan. Heburno expulſus*, ibid.
—— *in cuſtodiam relegatus*, XIV. 5
—— *ad Betonium pacis interpres miſſus*, 12
—— *ejus mors & elogium*, 13
Duglaſſius (*Georgius*) *IV. Anguſiæ Comes, ad Gul. Crichtonium adverſus Com. Duglaſſiæ auxilia ſubmittit*; XI. 21
—— *Anglos prælio vincit*, 46
—— *ejus memorabile facinus*, XII. 5
—— *Reginæ adverſatur*, 6
Duglaſſius (*Geo.*) *Ormundiæ Comes*, XI. 26
—— *Scotorum dux Anglos fundit*, 29
—— *capite luit*, 43
Duglaſſius (*Geo.*) *frater Arch. VI. Com. Anguſiæ, cædis Darſianæ ſuſpectus, ac in Garviam inſulam incluſus*, XIV. 10
—— *indigna ejus ad Regem vox*, 28. 35
Duglaſſius (*Geo.*) *Arch. V. Com. Anguſiæ F. pro patre obſes datus*, XV. 14
Duglaſſius (*Geo.*) *Anguſii nothus, primum Davidi Rizio vulnus infligit*, XVII. 62
Duglaſſius (*Geo.*) *Proregis ex alio patre frater natu minimus, Reginam e cuſtodia liberat*, XIX. 5
Duglaſſius (*Gulielmus*) *Duglaſſiæ Regulus, in Eduardi I. Angli, verba jurare recuſat*, VIII. 17
—— *in carcerem conjectus*, ibid.
—— *moritur*, ibid.
Duglaſſius (*Gul.*) *I. Duglaſſiæ Comes, Gul. Duglaſſium Lidalianum interficit*, IX. 34
—— *patrimonium ſuum recuperat*, 35
—— *Anglos devincit*, ibid.
—— *regnum Scotorum petit*, 39
—— *ingentem ex Anglia prædam agit*, 44
—— *Mabanum capit*, 46
—— *moritur*; 47
Duglaſſius (*Gul.*) *VI. Duglaſſiæ Comes patri Archibaldo ſuccedit*, XI. 9
—— *ab adulatoribus corruptus*, ibid.
—— *Dux Turonum appellatus*, ibid.
—— *a Cancellario ad arcem Edimburgenſem pellectus*, 17
—— *pœnas capite luit*, ibid.
Duglaſſius (*Gul.*) *VIII. Duglaſſiæ Comes, Jacobi Craſſi F.* XI. 18
—— *patrui filiam ducit*, ibid.

— *Re-*

— Regem obſequio ſuum facit, XI. 19
— ac eo modo patruelium mortem ulciſcitur, 20
— Romam proficiſcitur, 32
— abſens accuſatur, 33
— procurator ejus cauſſa cadit, ibid.
— reverſo Rex placatur, 34
— Prorex per totam Scotiam declaratur, ibid.
— in Angliam clam proficiſcitur, ibid.
— Rex, quamvis graviter offenſus, noxa eum liberat, magiſtratu tantum ademto, ibid.
— inſidias Crichtonio ſtruit, 35
— Crafordiæ & Roſſiæ Comites fœdere ſibi conjungit, 35
— Joan. Hereſium & —— Maclelanum ſupplicio afficit, 36
— a Rege arceſſitus, 37
— Sterlinum venit, ibid.
— a Rege tandem confoſſus, ibid.
Duglaſſius (Gul.) Lidaliæ Regulus [Jacobi Duglaſſiæ Reguli nothus] IX. 9
— captus, 10
— liberatus, 21
— fortia ejus facta, 22. 26
— in Galliam abit, ibid.
— arcem Cuprenſem recuperat, 27
— Edimburgenſem arte capit, 28
— Alexandrum Ramiſæum inhumaniter fame mori cogit, 31
— venia donatus, ibid.
— a Gul. I. Duglaſſiæ Com. interficitur, 34
Duglaſſius (Gul.) Archibaldi Gallovidiani F. in Hiberniam navigat, IX. 53
— ejus laus, ibid.
— ei quamvis notho Rex Ægidiam filiam collocat, ibid.
— Hibernos fundit, ibid.
— cum ingenti præda domum revertitur, ibid.
— Dantiſci per ſicarios occiditur, 67
Duglaſſius (Gul.) II. Anguſiæ Comes, ad arcem Dumbari recipiendam miſſus, X. 45
— Scotorum dux Anglos ad Piperdeniam devincit, 54
Duglaſſius (Gul.) Arch. VI. Comitis Anguſiæ frater Abbas Sanctæ Crucis, XIV. 26
— moritur, 35
Duglaſſius (Gul.) Proregis Moravii ex alio patre frater, ejus mortem vindicari petit, XX. 5
Duglaſſius (Gul.) Glembervius. Ejus domus ab Adamo Gordonio obſeſſa, XX. 68
Duglaſſius (Jacobus) Gul. F. Duglaſſiæ Regulus, ad partes Bruſſianas ſe adjungit, VIII. 32
— Rosburgum capit, 35
— proxime poſt Tho. Randulphum regni Gubernator deſignatus, 42
— limitum præfectus Anglos Scotiam invadentes cædit, 44
— ad Joan. Balliolum miſſus, 50
— ejus & Tho. Randulphi in Angliam expeditio, 51
— Roberti I. cor Hieroſolymam ferendum ei traditur, 58
— a Saracenis acie interemtus, ibid.
Duglaſſius (Jac.) Gul. F. II. Duglaſſiæ Comes, patri ſuccedit, IX. 47
— Euphemiam Roberti II. filiam uxorem ducit, 39. 42
— Northumbriam vaſtat, 48
— Cumbriam populatur, 49
— Percium ſingulari certamine vincit, 57
— prælio ad Otterburnum victor, 58. 59
— fortiter pugnans occumbit, 59
Duglaſſius (Jac.) VII. Duglaſſiæ Comes cognomento Craſſus Gul. patruo ſuccedit, XI. 18
— moritur, ibid.
Duglaſſius (Jac.) IX. Duglaſſiæ Comes fratri Gul. ſuccedit, XI. 38

—— *Regem perfidiæ accuſat*, XI.38
—— *cum ſuis Dalkethi arcem obſidet*, ibid.
—— *fratris viduam uxorem ducit*, 40
—— *à ſuis deſertus*, 43
—— *Anglum adverſus Scotum incitat*, XII. 40
—— *ad Lacum Mabanum captus, & in Cœnobium Limdorim incluſus*, 52
Duglaſſius (*Jac.*) *Mortonii Comes* [*Georgii Duglaſſii fratris Arch. VI. Com. Anguſiæ F.*] XVII.39
—— *cum aliis in necem Dav. Rizii conjurat*, 59.61
—— *Princeps conjurationis in Reginam & Bothuelium*, XVIII.41
—— *primæ aciei adverſus Reginam dux*, 46
—— *pro Jacobo VI. in leges jurat*, 56
—— *impendio privato publicæ neceſſitatis onus ſuſtinet*, XIX.2
—— *unus e Regiis ducibus adverſus Reginam*, 10
—— *Moravium in Angliam comitatur*, 16
—— *Legatus in Angliam miſſus*, XX. 25
—— *ejus legationis ſumma*, 36. & ſeqq.
—— *varia fortuna cum Reginenſibus pugnat*, 49.51
—— *quamvis coli dolore lecto affigeretur*, 53
—— *ab hoſtibus tamen excitatus eos fundit fugatque*, 54
—— *ad Sterlinum captus*, 59
—— *capientes capit*, 61
Duglaſſius (*Jac.*) *Drumlanrici Regulus, cum Levinianis pugnat*, XV.52
Duglaſſius (*Joannes*) *Mortonii Comes Regi fidelis*, XI.21
Duglaſſius (*Joan.*) *Dalkethius cæſus*, IX. 34
Duglaſſius (*Joan.*) *Balvaniæ Regulus*, XI. 26
Duglaſſius (*Rob.*) *Proregis Moravii ex alio patre frater, ejus mortem vindicari petit*, XX.5
Duglaſſius (*Rob.*) *Britannodunum arcem capit*, XX.26
Duglaſſius *fluvius*, I.20
Dumbarius (*Arch.*) *Halim arcem capit*, XI. 23
Dumbarius (*Galvinus*) *Regis Jacobi V. præceptor, Cancellarius factus*, XIV. 34
Dumbarius (*Galvinus*) *Geo. Comitis Marciani F. Rosburgum incendit*, X.17
Dumbarius (*Geo.*) *Pat. VI. Com. F. VIII. Comes Marciæ Eduardum II. Angliæ Regem fugientem tutatur*, VIII.40
Dumbarius (*Georgius*) *X. Marciæ Comes*, IX.40
—— *Rosburgum incendit*, ibid.
—— *Mabanum capit*, 46
—— *filiam Elizabetham Davidi Roberti Regis filio deſpondet*, X.5
—— *hoſtis publicus denunciatus*, ibid.
—— *Duglaſſiorum agros vaſtat*, 6
—— *Duglaſſium prælio vincit*, 8
—— *placato Gubernatore in Scotiam redit*, X.16.45
Dumbarius (*Geo.*) *Geo. F. XI. Marciæ Comes patri ſuccedit*, X.45
—— *patrimonio antiquo exutus*, ibid.
—— *Buchania donatus*, ibid.
Dumbarius (*Jacobus*) *Joan. ex filio Alexandro nepos, IV. ex ea familia Moraviæ Comes, moritur*, XI.26
Dumbarius (*Joannes*) *Moraviæ Comes Randulphum Percium in prælio Otterburnenſi capit*, IX.59
—— *Duglaſſio occiſo Scotorum dux electus*, 61
Dumbarius (*Patricius*) *I. Marciæ Comes latrones domat*, VII,15
Dumbarius (*Pat.*) *Pat. F. Valdevi N. Patr. P. IV. Marciæ Comes Sumerledum tumultuantem devincit*, VII.57

—— *Valterum Cuminium arcis Edimburgenſis præfectum ad deditionem compellit*, VII. 60
Dumbarius (*Pat.*) *Geo. F. IX. Marciæ Comes, Scotorum dux*, IX. 5. 7
—— *arcis Bervici præfectus*, 10
—— *eam Anglo dedit*, 15
—— *Geldros devincit*, 22
—— *& Davidem Cuminium*, 23
Dumbarius (*Pat.*) *Geo. F. Faſcaſtellum de Anglis capit*, X. 17
Dumbarius (*Tho.*) *Joan. F. Moraviæ Comes, ad rebelles pacandos miſſus*, X. 2
—— *pugna ad Homeldonum captus*, 8
Dumbarum *oppidum*, I. 18
—— *unde dictum*, VI. 2
—— *ab Anglis captum*, VIII. 16. XI. 26
—— *ab Anglis obſeſſum*, IX. 25
—— *ab Agnete Com. Marciani uxore viriliter propugnatum*, ibid.
Dumbarus *dux Scotus*, *Danis metum incutit*, VI. 19
Dumchonel *inſula*, I. 35
Duncanus I. *Scotorum Rex*, VII. 2
—— *a Macbetho obtruncatus*, 8
Duncanus II. *Scotorum Rex*, VII. 24
Duncaledonium *pro Deucaledonium legendum videri apud Ptolemæum*, II. 22
Duncaledones *apud Marcellinum forte pro Dicaledones*, II. 22
Duncalden *oppidum*, *quod & Caledonia*, I. 25
Dundaſſus (*Jacobus & Rob.*) *in cuſtodiam dati*, XI. 24
Dunedinum *priſcis Scotis*, *Edimburgum recentioribus*, VI. 2
Duni pacis, I. 21. IV. 38
Dunotrum *arx*, I. 25
Dunis Bei, *alias* Duncans Bei, *promontorium*, I. 31
Dunus *amnis*, I. 20
DUNUM. A DUNO *inchoantia*, *& in eam vocem exeuntia locorum nomina*, II. 33
DUR *Britannis aquam ſignificat.* ADUR *declinata locorum quorundam nomina*, II. 34
Dureta, II. 34
Durius (*Geo.*) *Abbas Fermelinoduni*, XV. 48. XVII. 7
Durovartus (*Alanus*) VII. 59
Durſtus *Scotorum Rex*, IV. 16
—— *voluptatibus deditus*, IV. 16
—— *Nobilitatem ad cœnam invitatam necopinantem occidit*, ibid.
—— *ipſe prælio cadit*, ibid.
Durſtus *a Pictis Rex creatur*, IV. 54
—— *in pugna cæſus*, V. 5

E.

EANFRIDUS *Berniciorum Rex*, *Chriſtianorum diſciplinam repudiat*, V. 40
Ebrioſi *capitali ſupplicio multati*, VI. 7
Eccleſiæ *inſula*, I. 35
—— *ſtatus miſer*; XII. 32
De Eccleſiæ *Scoticæ libertate controverſia*, XII. 24
Eccleſiaſticorum *in Reges imperium*, VII. 53
—— *avaritia*, 54
—— *potentiam ſuam minui nolunt*, 60
—— *potentia Regibus formidabilis*, 64
—— *regna adminiſtrant*, VIII. I
—— *eorum vitia*, X. 38
—— *& corrupta diſciplina*, XII. 23. 32
—— *remedium iis ab Jacobo I. adhibitum*, X. 40
—— *Jacobum V. a colloquio cum Anglo avertunt*, XIV. 51
—— *fructuum portio illis ademta*, XVII. 25
Ederus *Scotorum Rex*, IV. 20
—— *a nutrice ſervatus*, 18
Edgarus *Scotorum Rex*, VII. 25
—— *ab Edgaro avunculo in Angliam tranſportatus*, 23
Edgarus [Athelingus *vulgo dictus*] *Margaritæ Scotorum Reginæ frater in Scotiam venit*, VII 16

— *a Gulielmo Normano in gratiam receptus*, VII. 18
— *ſororis liberos in Angliam tranſportandos curat*, 23
— *apud Gulielmum accuſatus*, ibid.
— *accuſator monomachia victus*, ibid.
Edimburgenſes *Anglos exules & Hamiltonios in urbem recipere nolunt.* XVII. 10
Edimburgum *oppidum*, I. 18.
— *unde dictum*, VI. 2
— *Vallis doloroſa & Caſtrum puellarum a quibuſdam appellatum*, ibid.
— *Anglis deditur*, VIII. 17
— *a Thoma Randulpho captum*, 36
— *a Gul. Duglaſſio arte captum*, IX. 28
Edinum *potius quam Dunedinum vel Edimburgum appellandum*, VI. 2
Edmundus *Anglorum Rex*, *Milcolumbum Cumbria & Veſtmaria donat*, VI. 18
Edredus *Anglorum Rex Scotorum auxilio Danos compeſcit*, VI. 18
Eduardus *Martyr Anglorum Rex*, VI. 16
Eduardus [*vulgo* Confeſſor *dictus*] *Anglorum Rex.* VII. 16
Eduardus I. [ſtirpis Normanicæ] *Anglorum Rex coronatur*, VII. 65
— *Legatos in Scotiam mittit*, VIII. 2
— *arbiter controverſiæ de regno electus*, 9
— *Scotiam ſuæ ditionis facere conatur*, 10
— *pro Jo. Balliolo ſententiam fert*, 12
— *Bervicum fraude captum* 7000 *Scotorum cæde funeſtat*, 15
— *bello ſuperatos Scotos in ejus verba jurare cogit*, 26
— *monumenta omnia aufert*, ibid.
— *moritur*, 33
Eduardus II. *Anglorum Rex patri ſuccedit.* VIII. 33
— *Scotiam cum ingenti exercitu invadit*, 36
— *inſigni clade ad Banocum amnem fuſus & fugatus*, 40
— *Bervicum obſidet*, 45
— *cum numeroſo exercitu Scotiam ingreditur.* 47
— *ad Bilandum fuſus*, VIII. 47
— *a filio & uxore in carcerem conjectus, ac fœdo mortis genere interemtus*, 49
Eduardus III. *Anglorum Rex*, *adverſus Scotos infelici exitu proficiſcitur*, VIII. 52
— *pacem cum Scotis facit*, 56
— *Balliolum in fidem recipit*, *ac Scotis bellum indicit*, IX. 11
— *Scotos ad Halidonem vincit*, 14
— *in Alexandri Setonii filios ſævitia*, 13
— *Bervicum capit*, 15
— *Scotiam invadit*, 19. 21. 36
— *moritur*, 43
Eduardus IV. *Anglorum Rex*, XII. 2
— *cum Scoto pacem init*, 40
— *decedit*, 52
— *hic tyrannidis in Anglia fundamenta jecit*, 62
— *Pet. Varbecus ſe ejus filium comminiſcitur*, XIII. 10. & ſeqq.
Eduardus V. *Anglorum Rex*, *a Richardo patruo & Tutore in cuſtodiam incluſus*, XII. 52
Eduardus VI. *Angliæ Rex moritur*, XVI. 4
Eduardus Balliolus *Scotiam cum numeroſa claſſe invadit*, IX. 3
— *Scotos ad Duplinum devincit*, 6
— *regnum init*, 8
— *ad Mauſetum victus*, 9
— *in Angli verba ſacramento adactus*, 11
— *Rotheſaiam munit*, *ac Noviodunum arcem capit*, 17
— *in Angliam abit*, 19
— *cum Eduardo Anglo Scotiam invadit*, 21
— *in Angliam abductus*, 23
— *res Scoticæ ei commendatæ*, 24
— *Scotiæ regno cedit*, 36
Educatio *aulica qualis*, XVII. 9. 23
Eduinus *Northumbriæ Rex*, *cæſus*, V. 38. 40
Egfridus *Northumbriæ Rex ab Eugenio Scoto ſuperatus*, V. 43
— *a Pictis cæſus*, ibid.
Egga *inſula*, I. 38
Egliſa *inſula*, I. 49

Eisdalfa *inſula*, I. 35
Elbevii *Marchio Reginæ Mariæ avunculus, in Scotiam veniens, metu Anglorum unde ſolverat eſt revectus*, XVI. 54
— *eam in Scotiam comitatur*, XVII. 11
Elfinſtonius (*Alex.*) *ad Fluidonem cæſus*, XIII. 40. 41
Elfinſtonius (*Gul.*) *Epiſcopus Aberdonenſis.* XIII. 22
Elgina *oppidum*; I. 29
Elizabetha *Angliæ Regina Scotis, religionis veræ vindicibus, auxilia mittit*, XVI. 52
— *ad Mariæ Scotæ legatos graviſſima reſponſio*, XVII. 12. & poſtea.
— *ejus ad Proregem de conventu differendo literæ.* XIX. 13
— *item alteræ quæ Proregis victoriæ curſum interrumpunt*, 14
— *ex Prorege cauſſas expulſæ Reginæ ob cædem mariti cognoſcit*, 22
— *literas ad Scotiæ proceres mittit de Regina recipienda*, 42
— *Havarti in eam conjuratio detecta.* 46
— *exules Anglos ſibi tradi petit*, XX. 3
Elizabetha *Roberti I. uxor moritur.* IX. 56
Elizabetha *Roberti II. uxor*, IX. 42
Emergarda *Gulielmi Scotorum Regis uxor*, VII. 52
Eniſaia *inſula*, I. 42
Enner *quid ſignificet*, IV. 19
Ennerlothea *ſeu*
Ennerlutea *oppidum*, I. 28
— *ab Eveno II. conditum*, IV. 19
Ennerneſſa *oppidum & emporium* (*al. Neſſus*, I. 29
— *ab Eveno II. conditum*, IV. 19
— *ejus arx refecta*, X. 30
Eorſa *inſula*, I. 38
Epiſcopatus *ſex in Scotia*, VII. 21
— *ad ſex priores quatuor alii adjecti, ac proventibus annuis ditati*, 27
Epiſcopi *veteres Scotorum quales*, VI. 3
Epiſcopi *Angli pollicitationibus corrupti jusjurandum violant*, VII. 31
Epiſcopus *Cathaneſiæ oculis & lingua privatus*, VII. 49
— *alter crematus*, 56
Epiſcopus Caledoniorum, *Vid.* Gul. Sinclarus, & Galv. Duglaſſius.
Epiſcopus Dunelmenſis *cum ſuis Scotorum alacritate territi ſigna convertunt*, IX. 61
Epiſcopus Liſmorenſis (*Finelaus*) *profugus in Hibernia moritur*, X. 28
Epiſcopus Menevenſis *ab Anglo ad Scotum miſſus*, XIV. 50
Epiſcopus Orcadum *gratiam aulicam veritati præfert*, *Vid.* Bothuelius.
Equorum *inſula*, I. 38
Era *inſula*, I. 36
— *alia*, 42
Ergahelia *potius quam Argathelia*, I. 23
Erica *lectis conficiendis commoda*, I. 33
Ericæa *inſula*, I. 35
Eriſcaia *inſula*, I. 40
Eſca *auſtralis fluvius*, I. 25
Eſca *ſeptentrionalis fluvius*, I. 25
Eſca *Eſciæ fluvius*, I. 17
Eſca *duplex Lothianæ flumina.* I. 18
Eſcia *regio*, I. 17
Etfinus *Scotorum Rex*, V. 48
Ethelfridus *Northumbriæ Rex Scotos & Brittones devincit.* V. 34
— *vita & regno exutus*, 38
— *ejus filii in Scotiam profugi doctrina Chriſtiana inſtituti.* ibid.
Ethodius I. *Scotorum Rex*, IV. 34
— *a fidicine noctu in cubiculo occiſus*, ibid.
Ethodius II. *Scotorum Rex*, IV. 34.
Ethodius Ferguſii II. *avus in Scandiam appellit*, V. 1
Ethredus Gallovidianus *a fratre cæſus*, VIII. 5
Ethus *Alipes Scotorum Rex*, VI. 9
Eu *inſula*, I. 42
Eubonia, *eadem quæ Mana inſula*, I. 34
Evenus I. *Scotorum Rex*, IV. 17
— *primus cives in ſuum nomen ſacramento adigit*, ibid.

—— *judices ordinarios juri dicundo præficit*, ibid.
—— *Delatores inſtituit*, ibid.
Evenus II. *Scotorum Rex*, IV. 19
Evenus III. *Scotorum Rex ſpurciſſimus ipſe ſpurciſſimas leges condit*, IV. 21
Eufemia *Roberti II. uxor moritur*, IX. 42
Eugenius I. *ſeu Evenus*, *Scotorum Rex*, IV. 50
—— *a Romanis prælio cæſus*, ibid.
Eugenius II. *Scotorum Rex*, V. 6
—— *Brittones ſuperat*, 12
—— *ejus laus*, 15
Eugenius III. *Scotorum Rex*, V. 30
Eugenius IV. *Scotorum Rex*, V. 38
Eugenius V. *Scotorum Rex*, V. 43
Eugenius VI. *Scotorum Rex*, V. 44
Eugenius VII. *Scotorum Rex*, V. 46
—— *Regum res geſtas memoriæ mandari curat*, ibid.
Eugenius VIII. *Scotorum Rex*, V. 49
—— *in cœtu procerum confoſſus*, ibid.
Evia *regio*, I. 17. V. 8
Evonia *arx*, I. 28
Evus *fluvius*, I. 17
Excommunicatio *injuſta excommunicatum non lædit*, VIII. 47
Exilium *ſervitute tolerabilius*, IV. 54

F.

FABILLA *inſula*, I. 43
Falangama *inſula*, I. 36
Falconarius (*David*) *occiſus*, XIV. 37
Fames *feroces ſpiritus frangit*, V. 9
Fanum Andreæ *quod & Fanum Reguli*, I. 24. VI. 3
Fanum Donati, I. 49
Fara *inſula*, I. 49
—— *alia*, ibid.
Fenella *filium ad avum parricidiali auſu tollendum armat*, VI. 34
—— *Regi exitium mira arte machinatur*, 41
Ferana *inſula*, I. 40
Ferchardus I. *Scotorum Rex*, V. 39
—— *malitioſe factiones inter nobiles alit*, ibid.
—— *ipſe ſibi mortem conſciſcit*, ibid.
Ferchardus II. *Scotorum Rex*, V. 41
—— *nefarie uxorem jugulat, filiasque ſtuprat*, ibid.
—— *morbo pediculari exeſus*, ibid.
Feredethus *Pictorum Rex*, V. 57
Ferelaia *inſula*, I. 42
Ferguſius I. *Scotorum Rex primus*, IV. 3
—— *Brittones vincit*, 5
—— *Scoti ei poſterisque ejus regnum jurejurando confirmant*, ibid.
—— *naufragio perit*, ibid.
Ferguſius *II. Scotorum Rex, puer adhuc cum patre & avo in Scandiam navigat*, V. 1
—— *in Scotiam vocatus Rex creatur*, ibid.
—— *non primus Scotorum Rex*, 2
—— *prælio cæſus*, 5
—— *ſecundus regni Scotorum conditor jure appellandus*, ibid.
—— *ejus elogium*, ibid.
Ferguſius *III. Scotorum Rex*, V. 50
—— *veneno ab uxore dato moritur*, ibid.
Ferguſius *Gallovidiæ Regulus moritur*, VIII. 5
Feritharis *Scotorum Rex*, IV. 6
Ferlegus *Ferguſii filius adverſus patruum conſpirat*, IV. 6
—— *ad Brittones confugit*, ibid.
Fermelini Duni *cœnobium fundatur*, VII. 22
—— *perficitur*, 26
Fethelmachus *Scotorum Rex*, IV. 49
Fides *hominum erga ſceleratos fluxa*, IV. 18
—— *inter milites ſanctiſſime culta*, IX. 60
—— *hæretico (juxta commune Papanorum effatum) non ſervanda*, XVI. 3
Fidicen *Ethodium Regem interficit*, IV. 34
—— *item alterius fidicinis opera Fethelmachus occiditur*, IV. 49

Fidla *inſula*, I. 35
Fiſa *regio*, I. 24
—— *unde dicta*, VI. 2
Figuræ *humanæ inſula*, I. 36
Fincormachus *Scotorum Rex*, IV. 46
Findocus *Scotorum Rex*, IV. 42
Finelaus *Epiſcopus Liſmorenſis malorum conſiliorum auctor*, X. 28
Finis *lacus*, I. 23
Finnanus *Scotorum Rex*, IV. 15
Finus *fluvius*, I. 23
Fiſci *procuratores legem iniquiſſimam defendunt*, IV. 30
Fiſci *commoda incommoda*, V. 29. X. 45. XIII. 22
Flada *inſula*, I. 34
—— *alia*, ibid.
—— *tertia*, 39
—— *quarta*, ibid.
—— *quinta*, 40
—— *ſexta*, 42
—— *ſeptima*, ibid.
Flandri *omnis generis opifices in Scotiam vocati*, X. 41
Flaminius (*Jac.*) *Comernaldiæ Regulus, in Galliam miſſus*, XVI. 14
—— *moritur*, 17
Flaminius (*Jo.*) *Flaminiæ Regulus, arcis Britannoduni præfectus*, XX. 26
—— *arce capta aufugit*, 32
Flaminius (*Jo.*) *Bogallius captus*, XX. 32
Flaminius (*Milcolumbus*) *arcis Britannoduni præfectus*, IX. 17
Flaminius (*Milcolumbus*) *in cuſtodiam incluſus*, X. 26
—— *in Galliam a Duglaſſio miſſus*, XI. 9.
—— *capite plectitur*, 17
Flaminius (*Robertus*) VIII. 28
Flananæ *inſulæ*, I. 42
Flata *inſula*, I. 49
Fleanchus *Banchonis filius ægre Macbethi inſidias evadit*, VII. 10
Fœciales *contra jus gentium interfecti*, VII. 42
Fœdus *antiquum inter Scotos & Gallos primum initur*, V. 53
—— *renovatur*, VIII. 14. X. 29. XI. 25
—— *nova conditio ei adjecta*, VIII. 48
Forboſius (*Alexander*) *III. Forboſiæ Regulus, Regiam interulam ſanguine fœdatam ex haſtili pendentem circumfert*, XII. 4
—— *Græcinam Bodiam uxorem ducit*, 9
Forboſius (*Alex.*) *Tovianus ſeu Tollianus. Ejus domus cum uxore & liberis cremata*, XX. 64
—— *ipſe a Gordonianis captus*, 65
Forboſius (*Arcturus*) *Joan. Forboſiæ Reguli filius natu minor, contra Gordonianos pugnans occiditur*, XX. 64
Forboſius (*Joan.*) *filius Joannis fratris Alexandri, capite luit*, XIV. 53
Forboſius (*Joan.*) VII. *Forboſiæ Regulus adverſus Gordonios miſſus*, XX. 65
Fordoni (*Joan.*) *Scotichronicon*, V. 17
Fordunum *Merniæ oppidulum*, I. 25
Foreſtia *quæ & Anguſia*, I. 25
Formanus (*And.*) *Moravienſis Epiſcopus in Angliam miſſus*, XIII. 24
—— *Bituricenſis Archiepiſcopus creatus*, 44
—— *Fani Andreæ Archiepiſcopatu a Julio Pont. Rom. donatus, aliiſque beneficiis Eccleſiaſticis cumulatus*, ibid.
—— *ab Heburno apud Proregem accuſatus*, XIV. 2. 3
—— *cum Heburno paciſcitur*, XIII. 48
Formanus (*Rob.*) *Rex armorum, ad religionis vindices cum mandatis a Regente miſſus*, XVI. 43
Fortha *fluvius*, I. 17
—— *Forthæ æſtuarium*, ibid.
Fortunæ *inconſtantis exemplum*, XI. 22. XII. 31
Fotlara *inſula*, I. 50
Foxius (*Richardus*) *Dunelmi Epiſcopus, ſumma prudentia vir*, XIII. 20
Franciſcanorum *mendicantium opulentia*, XVI. 28

Fran-

Franciſcus *I. Gallorum Rex Angli opera ex Hiſpanorum manibus in libertatem reſtitutus*, XIV. 46
—— *Levinium in Scotiam mittit*, XV. 8
—— *a Levinio alienatus*, 16
—— *Mongomerium cum Gallicis auxiliis in Scotiam mittit*, XV. 28
Franciſcus *II. Gallorum Rex Mariam Scotiæ Reginam uxorem ducit*, XVI. 15
—— *Labroſſium in Scotiam mittit*, 41
—— *in Guſiorum manu*, XVII. 2
—— *ejus mors*, 4
Franciſcus *Guſiæ Dux*, *Reginæ Scotiæ Curator*, XVI. 3
—— *Papanæ factionis dux decretus*, XVII. 7. 48
Fraſeriorum *familia a Reginaldinis fere exſtincta*, XV. 26
Fraſerius *(Alex.)* IX. 6
Fraſerius (*Gul.*) *Fani Andreæ Epiſcopus*, *unus e ſex Scotiæ Gubernatoribus*, VIII. 1
Fraſerius (*Jac. & Simon*) *cum Rob. Ketho Perthum capiunt*, IX. 8
—— *ad Halidonem cæſi*, 14
Fraſerius (*Joan. vel potius Simon*) *Tuediæ Regulus Anglos ſuperat*, VIII. 24
—— *captus & ſupplicio affectus*, 31
Fratres *Mendicantes curionum mercenarii*, X. 39
—— *eorum dogmata*, ibid.
—— *manducantes haud inſcite appellati*, XVI. 28
Frontinus *(Julius) Silures vincit*, IV. 26
Froſtarius (*Joan.*) *Criſtorfinianus*, *Gul. Crichtonii agros populatur*, XI. 20
Fudaia *inſula*, I. 40

G.

G litera *Gallis familiaris loco V.*, II. 26
Gael, *Gald & Galle*, II. 28
Galbrethus (*David*) *cum aliis quinque Jacobum IV. interfeciſſe fertur*, XIII. 40
Galbrethus (*Patricius*) *arce Britannoduni expulſus, poſtea expulſorem expellit*, XI. 19
Galdus *Corbredi II. cognomentum*, IV. 26
Galfridus *Monumetenſis rerum Brittanicarum ſcriptor*, I. 11
—— *notatur*, V. 26
Galgacus *apud Tacitum idem qui Galdus*, IV. 26
Galli *ſe Dite oriundos prædicabant*, II. 10
—— *a Maſſilienſibus Græcis literarum characteres accepere*, II. 1
—— *longe lateque fines ſuos propagarunt*, 13
—— *eorum inſtituta quædam*, ibid.
—— *lingua veteribus Gallis & Britannis communis fuiſſe oſtenditur*, 29
—— *Gallis cum Scotis amicitia quando primum inita*, V. 53
—— *Scotis ſuppetias ferunt*, IX. 49
—— *eorum petitio iniqua*, 51
—— *milites ſubſidiarii in Scotia a ſolita rapacitate temperare non poſſunt*, 52
—— *ex eorum amicitia quid fructus Scotis redeat*, 65
—— *a Scotis auxilium petunt*, X. 20
—— *fœdus renovant*, 29
—— *quantum poſſunt largitionibus Scotorum cum Anglis fœdus impediunt*, XIV. 20
—— *Vercam arcem oppugnant*, 22
—— *Galli milites Edimburgi præfectum ingreſſu prohibentem cum filio & civibus aliquot, interficiunt*, XV. 60
—— *vetus ſecum fœdus renovari, novum cum Anglis ſolvi petunt*, XVII. 6
—— *eorum ſuperbia & rapacitas Scotorum animos a ſtudio Gallicæ factionis avertunt*, XVI. 53
—— *conſilia de tyrannide ſtabilienda*, 63
Galliæ *facies miſera*, XVII. 2
Gallica *lingua a Britannica olim non multum diverſa*, II. 24. 29
Gallica *navis cum munitionibus ad rebelles miſſa*, *a Regiis capitur*, XX. 56
Gallogræci *in Aſia*, II. 13

Gal-

Gallovid *priſcis Scotis Gallum ſignificat*, I. 19
Gallovidia *regio*, I. 19
— *quando ita appellata*, V. 8
Galo *Cardinalis*, *Rom. Pont. in Anglia legatus*, VII. 53
— *Scotis ſacris interdicit*, 54
— *ejus avaritia*, ibid.
Garenterius (*Eugenius*) *Gallus*, *in Scotiam miſſus*, IX. 35
Garnardus *Pictorum Rex*, V. 45
Garvæ *inſulæ tres*, I. 35
Garvellan *inſula*, I. 42
Garulanga *inſula*, I. 40
Gathelus *princeps Scoticæ gentis conditor a quibuſdam fingitur*, II. 11
Geldri *Anglis ſubſidio veniunt*, IX. 22
— *a Scotis ad Edimburgum devicti*, ibid.
Geloni *corpora pingebant*, II. 19
Geniſtaria *inſula*, I. 35
Gerlochus, *ſeu Gerloch*, *ſinus*, I. 23
— *inſula*, 39
Germanorum *fabuloſa origo*, II. 10
— *in ſuæ gentis origine ſcribenda ingenui*, II. 1
Germanica *claſſis ad Hiberniæ littus appellit*, IV. 2
Gernico *arx*, I. 31
Gerſa *inſula*, I. 49
Geſſoriaci, I. 13
Getini & *Getæ*, II. 14
Getæ *corpora pingebant*, II. 19
Gethus *Pictorum Rex*, *prælio cæſus*, IV. 10
Geuraſtilla *inſula*, I. 35
Gigaia *inſula*, I. 35
— *alia*, 40
Gigarmena *inſula*, I. 39
Gilbertus *Gallovidianus fratrem ſuum crudeliſſime necat*, VIII. 5
Gilchriſtius *Anguſiæ Comes*, *rebelles profligat*, VII. 37. & 42
— *uxorem*, *ſororem Regis*, *adulterii compertam occidit*, 48
— *in gratiam receptus*, ibid.
Gildas *Britto*, 400 *annos poſt Tacitum*, II. 1
— *ejus de excidio Britanniæ liber querulus*, V. 14
— *vaticinia*, 20
Gildo, II. 47
Gileſpicus *Roſſiam vaſtat*, VII. 56
— *capite multatur*, ibid.
Gillinſa *inſula*, I. 42
Gillus *nothus*, *Scotorum Rex*, IV. 18
— *Dochamum & Dorgallum fraude tollit*, ibid.
— *Liſmorum & Gormacum Dochami filios interficit*, ibid.
— *in Hiberniam profugit*, ibid.
— *trucidatur*, 19
Gilpatricius *rebellis cæſus*, VIII. 6
Glaſcua *oppidum*, I. 19
Glaſſæ *inſulæ duæ*, I. 38
Glotta *fluvius*, I. 19
Glottia *regio*, V. 8
— *quæ &*
Glottiana *regio*, I. 18. 19. 20
Gogmagog, II. 8
Gomatra *inſula*, I. 38
Goranus *Scotorum Rex*, V. 21
— *a ſuis interemtus*, 29
Gordonia (*Catharina*) *Geo. II. Comitis Huntilææ filia Petro Varbeco uxor data*, XIII. 14
— *maritum in Hiberniam comitatur*, 18
Gordonia (*Joanna*) *Geo. IV. Huntilææ Com. filia*, *Jac. Bothueliæ Com. uxor*, *ab eo repudiata*, XVIII. 28
Gordonius (*Adamus*) *Achindunius*, *Geo. IV. Comitis Huntilææ F. natu minor*, *a Moravio captus*, XVII. 40
— *venia ob adoleſcentiam donatus*, 41
— *Forboſios prælio vincit*, XX. 64
— *Gul. Glembervii domum obſidet*, 67
Gordonius (*Alex.*) *I. Huntilææ Comes*, *cum Ogilviis adverſus Lindeſios pugnans ægre evadit*, XI 22

—— *Crafordium prælio ad Brechinum vincit*, XI. 39
Gordonius (*Alex.*) *Geo. F. III. Huntilææ Comes, dextero Scotorum cornu ad Fluidonem imperat*, XIII. 38
—— *regionum ultra Fortham imperium ei datum*, 43
—— *unus e ſex regni Rectoribus*, XIV. 9
—— *Angliam ingredi renuit*, 14
Gordonius (*Georgius*) *Alex. F. II. Huntilææ Comes, Jacobum IV. adverſus patrem ſequitur*, XIII. 8
Gordonius (*Geo.*) *Joan. F. Alex. N. IV. Huntilææ Comes, ad incurſiones Anglorum inhibendas miſſus*, XIV. 59
—— *Regis in eum odium*, 60
—— *ejus fraude (ut creditur) Fraſeriorum familia pene exſtincta*, XV. 26
—— *unus e Scotorum ad Muſſelburgum ducibus*, 49
—— *Comes Moraviæ factus*, XVI. 1
—— *adverſus Jo. Muderacum miſſus*, 5
—— *Gulielmum Catanæ familiæ principem crudeliſſime interficiendum curat.* XVI. 5. XVII. 28
—— *ob id in cuſtodiam datus*, XVI. 6
—— *dimiſſus*, ibid.
—— *Regenti auctor creditus cenſus exigendi*, 10
—— *inania ejus promiſſa*, XVII. 10
—— *Moravium tollere ſæpius tentat*, XVII. 34
—— *ejus pervicacia*, 36
—— *Moravium pugna aggreditur*, 40
—— *fuſus & inter capientium manus exanimatus*, ibid.
Gordonius (*Geo*) *Geo. F. V. Huntilææ Comes, perduellionis damnatus, ac in carcerem incluſus*, XVII. 42
—— *priori dignitati reſtitutus*, 45
—— *ſe ducem pro Regina offert*, XVIII. 44
—— *propinquos & clientes ad Hamiltonium convocat*, 48
—— *Hamiltoniorum ſpem fovet*, XIX. 3
—— *cum 1000 equitibus Perthum progrediens a Gul. Ruveno retro cedere cogitur*, 14
—— *pacem petere coactus*, 35
—— *variæ de ea diſceptationes*, ibid. & ſeq.
—— *judicium capitale de Mætellano turbare nititur*, 51
—— *cum ſuæ factionis principibus Edimburgum convenit*, XX. 7
—— *præſidium Brechini collocat*, 21
—— *Prorege adveniente retro cedit*, 22
—— *Levinium Proregem comitia Sterlini agentem necopinum opprimit*, 59
Gordonius (*Geo.*) *Sutherlandiæ Comes, operam ſuam in Moravio tollendo Huntilæo offert*, XVII. 38
—— *ejus literæ deprehenſæ*, ibid.
—— *ab exilio revocatus*, 45
Gordonius (*Joan.*) *Eques, Anglos devincit*, IX. 40
—— *Muſgravum capit*, 41
Gordonius (*Joan.*) *Geo. IV. Comitis Huntilææ F. Reginæ nuptias ſperat*, XVII. 33
—— *in cuſtodiam traditus effugit*, 34
—— *in prælio ad Corichiam captus*, 39
—— *capite plexus*, ibid.
Gorea *regio*, I. 25
Gorlois *nefarie ab Uterio interimitur*, V. 22
Goropius *notatur*, I. 13
Gothini *qui & Gothunni*, II. 14
Græmus *Ferguſii II. ſocer*, V. 3
—— *Eugenii II. tutor*, 6
—— *doctores inſtitutorum Chriſtianorum in Scotiam revocat*, 8
Græmus *Scotorum dux*, VI. 19
Graftonus (*Rich.*) *falſi arguitur*, VIII. 16. X. 52
Grajus (*Gul.*) *Anglus, Anglorum in Scotia adverſus Gallos militantium dux*, XVI. 59
Grajus (*Patricius*) *Andreæ I. Grajæ Reguli filius natu maximus, ad Duglaſſium a Rege miſſus*, XI. 36

— *ci*

—— *ei amicitiam renunciat*, *IX*. 36
—— *eum ſecuri exanimat*, 37
Grajus (*Pat.*) *Pat. F. And. N. II. Grajæ Regulus*, *inter Jacobi III. percuſſores*, *XII*. 61
—— [aliis *Andreas* appellatur.]
Grajus (*Pat.*) *Gilberti F. And.* [ſeu *Pat.*] *N. IV. Grajæ Regulus*, *in cuſtodiam datus*, *XV*. 29
—— *liberatur*, ibid.
—— *puriori religioni favet*, 30
—— *a Ruveno devictus*, ibid.
—— *ab Anglis captus*, *XVI*. 18
Grampius *mons*, *I*. 23
Gramus (*Gul.*) *unus e Jacobi III. cuſtodibus*, *XII*. 17
Gramus (*Joan.*) *Abercorni Regulus*, *Scotorum ſecundum Vallam longe fortiſſimus*, *in prælio ad Varium ſacellum cæſus*, *VIII*. 23
Gramus (*Meliſſus*) *Pat. F. Iерniæ Comes*, *X*. 46
—— *adoleſcens in Angliam obſes miſſus*, ibid.
—— *Iernia a Rege ſpoliatus*, 48
Gramus (*Patricius*) *Davidis Stuarti Iерniæ Comitis filiam unicam uxorem ducit*, *XII*. 46
Gramus (*Pat.*) *Fani Andreæ Epiſcopus electus*, *XII*. 26
—— *a Pont. Rom. Archiepiſcopus Fani Andreæ & Scotiæ Primas creatus*, 33
—— *abſens accuſatus*, ibid.
—— *ſacris ei interdicitur*, 34
—— *multis modis ab inimicis male habitus*, 35
—— *& miſeriis confectus moritur*, ibid.
Gramus (*Rob.*) *Patricii tutor & patruus in cuſtodiam datus*, *X*. 28
—— *Jacobum I. palam injuſtitiæ accuſat*, 48
—— *aqua & igni ei interdictum*, ibid.
—— *in Regem conjurat*, 55
—— *eumque multis vulneribus trucidat*, 56
—— *horrendo quidem ſed meritiſſimo ſupplicio affectus*, 58
Granisa *inſula*, *I*. 49
Gratianus *Britanniæ imperium invadit*, *IV*. 54
Gregorius *Scotorum Rex*, *VI*. 10
—— *res ejus præclare geſtæ*, 10. 11
Greſſa *inſula*, *I*. 35
Grevanus *fluvius*, *I*. 20
Gria *inſula*, *I*. 42
Grifinus *Scotorum dux cæſus*, *V*. 34
Grimus *Scotorum Rex*, *VI*. 45
Gruinorta *inſula*, *I*. 42
Guidi *oppidum*, *I*. 21. *IV*. 34
Gulielmus *Scotorum Rex*, *VII*. 44
—— *Northumbriam ab Anglo repetit*, ibid.
—— *in Galliam tractus*, ibid.
—— *ab Anglis capitur*, 46
—— *in Angli verba jurare coactus*, 47
—— *ad ſuos redit*, ibid.
—— *a Richardo Anglo omnibus pactis abſolutus*, 49
—— *ei reduci gratulatur*, ibid.
—— *moritur*, 50
Gulielmus I. *Normanus Anglorum Rex*, *II*. 37
—— *adverſus Milcolumbum III. Scotum bellatur*, *VII*. 18
—— *pax inter eos facta*, ibid.
—— *moritur*, 22
Gulielmus II. *Rufus Anglorum Rex*, *patri ſuccedit*, *VII*. 22
—— *cauſſam belli adverſus Scotos ſerit*, ibid.
—— *auxilia Edgaro Scoto mittit*, 25
Gulielmus Dumblanenſis *Epiſcopus*, *in Galliam miſſus*, *ut Reginam excuſet de præcipitatis nuptiis*, *XVIII*. 31
Gulielmus Malmesburienſis *Britannicarum rerum ſcriptor*, *Angliam frequentiſſime Britanniam appellat*, *I*. 11
Gunna *inſula*, *I*. 38

Guſiorum *in nuptiis Mariæ cum Delphino accelerandis ſtudium*, XVI. 15
— *potentia nimia ſuſpecta*, ibid.
— *Scotos peculiare ſuæ familiæ regnum deſtinant*, 61
— *Jacobum Moravium e medio tollere conantur*, XVII. 33

H.

HABRERA *magna & parva, inſulæ*, I. 42
Hadina, *ſeu Hadintona, oppidum*, I. 18
Hadrianus *Imp. e Galliis in Britanniam trajicit*, IV. 29
— *ejus vallum*, I. 22. IV. 29. 30
Hæretico *fides non ſervanda*, XVI. 31
Haja *inſula*, I. 40
Hajus *cum duobus filiis ſingulari virtute Danos profligat*, VI. 32.
— *eorum laus*, 33
— *arma gentilitia*, ibid.
Hajus (*Edmondus*) *Reginæ confidentiam alit*, XVIII. 45
Hajus (*Gilbertus*) *Erroliæ ſeu Arelliæ Comarchus*, *Eques*, *Roberto I. amicus fidiſſimus*, VIII. 30
Hajus (*Guliel.*) *Gilb. F. cum omni fere ſua gente ad Duplinum cæſus*, IX. 7
Hajus (*Gul.*) *III. Erroliæ ſeu Arelliæ Comes*, *a Jacobo III. alienatus*, XIII. 8
Hakerſæta *inſula*, I. 40
Haliburtonus (*Alex.*) *cæſus*, XVI. 47
Haliburtonus (*Jac.*) *cum centum equitibus ad turbandos Anglos relictus*, XV. 52
— *Taoduni præfectus Paulum Meſanium Regentis juſſu comprehendere tergiverſatur*, XVI. 26
Haliburtonus (*Jac.*) *Pitcurrii tutor*, *a Reginenſibus captus*, XX. 58
Haliburtonus (*Thomas*) *Dirlitonius ex Anglia prædas agit*, X. 8
Hallus (*Eduardus*) *ſcriptor Anglus*, *notatus*. X. 52
Hamiltonia (*Margarita*) [*al. Elizabetha*] *Jacobi II. Hamiltoniæ Reguli filia*, *Matthæo Stuarto poſtea Leviniæ Comiti nupta*, XIII. 9
Hamiltonii *cum Levinianis pugnant*, XIV. 29
— *ad Reginam liberandam totis viribus incumbunt*, XIX. 3
— *ad Langoſidum prælio victi*, 10
— *conjurationi in Moravium ſubſcribunt*, 52
— *conventum indicendum curant*, XX. 10
— *arcem Paſleti occupant*, 25
— *ejecti*, ibid.
Hamiltoniorum *familiæ origo*, VIII. 49
Hamiltonius (*Claudius*) *Paſleti Abbas*, *unus e ducibus Reginenſibus Proregem Sterlini opprimit*, XX. 59
— *ejus crudele mandatum*, ibid.
Hamiltonius (*David*) *Præſtonianus*, XV. 33
— *ejus ad Proregem pro Georgio Sophocardio oratio*, ibid.
Hamiltonius (*Galvinus*) *Abbas Kilvinini*, XVI. 1
— *Moravii occidendi partes ſuſcipit*, XVII. 30
— *in cuſtodiam datus*. ibid.
— *cæſus*, XX. 54
Hamiltonius (*Jacobus*) *II. Hamiltoniæ Regulus partes Duglaſſiorum relinquit*, XI. 43
— *Maria Jacobi III. ſoror uxor ei data*, XII. 31
Hamiltonius (*Jac.*) *Jac. F. I. ex ea familia Araniæ Comes*, *in Galliam cum claſſe miſſus*, XIII. 25
— *in Hiberniam appellit*, *ac Rupem Ferguſii oppidum incendit*, ibid.
— *Rex ei iratus præfecturam claſſis abrogat*, ibid.
— *in Britanniam minorem appellit*, ibid.
— *ab Albino Prorege deficit*, XIV. 5
— *in aulam redit*, 6

— *unus*

— *unus e ſex Scotiæ Rectoribus abſente Prorege deligitur*, XIV. 9
— *ab Arch. Anguſiæ Comite pugna ſuperatur*, 12
— *Anguſium e Gallia reverſum oppugnat*, 25
— *Anguſio reconciliatur*, 28
— *cum quo adverſus Levinianos depugnat*, 29
Hamiltonius (*Jac.*) *Jac. F. II. Araniæ Comes, Scotiæ prorex electus*, XV. 3
— *ejus ad Angli legatum reſponſio*, 6
— *Reginam e matris poteſtate ad ſe traducere nititur*, 9
— *viribus inferior, ſententiam ſuam de controverſis religionis capitibus mutare cogitur*, 11
— *Cardinalis & Reginæ viduæ partibus ſe adjungit*, 13
— *exercitu conſcripto Glaſcuam ducit, arcemque deditione capit*, 18
— *Cunigamios prælio ſuperat*, 19
— *ignominioſa adverſus Anglos expeditio*, 22
— *iterum in Anglos ducit, eoſque ad Ancramum devincit*, 25
— *a Cardinale ad Fanum Andreæ ductus*, 31
— *a Dav. Hamiltonio permotus*, 33
— *ſe in Sophocardii necem conſenſurum negat*, 34
— *Cardinalis percuſſores in jus vocat*, 42
— *arcem Andreanam obſidet*, 43
— *exercitum adverſus Anglos ducit*, 44
— *arcem Andreanam expugnat*, 45
— *ab Anglis ad Muſſelburgum magno prælio victus*, 49. 50
— *Brochteam arcem obſidet*, 52
— *de Regina in Galliam tranſportanda conſultat*, 54
— *ejus auctoritas vileſcit*, 65
— *avaritia corruptus*, 66
— *Caſtellerotii Dux creatur*, XVI. 3
— *proximus regni hæres decernitur*, ibid.
— *magiſtratu ſe abdicat*, XVI. 4
— *in caſtris Regentis mille Scotos ducit*, 34
— *ad pietatis vindices ſe adjungit*. 39
— *ejus imbecillitas multorum animos labefactat*, 45
— *a conſilio tollendi Moravium non abhorret*, XVII. 29
— *filium ſuum in cuſtodiam dat*, 30
— *exilio multatus*, 49
— *Reginæ ejuſque marito adverſatur*, 50 51
— *unus e filii ſui Rectoribus a Regina nominatus*, XVIII. 54
— *ejus in aula Gallica gratia*, 55
— *Reginam liberari cupit*, XIX. 3
— *Gallos ad opem Reginæ ferendam ſollicitat*, 5
— *comitia a Prorege indicta impedire conatur*, 13
— *ejus arx capta, & e ſupellectili Jacobi V. aliquid repertum*, XIX. 12 XVI. 2
— *in Galliam concedit*, XIX. 24
— *gubernaculum rei Scoticæ ſibi cedi poſtulat*, 25
— *a Regina in patrem adoptatus, & regni Vicarius factus*, 31
— *in cuſtodiam datus*, 32
— *in Argatheliam abit*, XX. 17
— *ſupellex Regia apud eum reperta*, ibid.
Hamiltonius (*Jac.*) *Proregis F. Cardinali obſes datus*, XV. 31
— *ab ejus percuſſoribus in arce Andream detentus*, 42
— *arce capta liberatus*, 45
— *Scotis in Gallia militantibus præfectus*, XVI. 1
— *a Guſiis morti deſtinatus evadit, ac ſe ad pietatis vindices adjungit*, 40
— *cum Jacobo Stuarto Ormiſtonium eripere conatur*, 47
— *a Gallis ſuperatus*, 48
— *Sterlinum proficiſcitur*, 49
— *Reginam deperit*, XVII. 23. 30

—— *doctrinæ Evangelicæ unicus aſſertor*, *XVII.* 29
—— *conſilium occidendi Moravii exſecratur*, 30
—— *literis ad eum miſſis omnem rei ordinem exponit*, ibid.
—— *a patre in cuſtodiam incluſus elabitur*, ibid.
—— *mente emotus*, ibid.
—— *in arce Fani Andreæ aſſervari juſſus*, ibid.
Hamiltonius (*Jac.*) *Bothuelachius*, *ex Archiep. Fani Andreæ ſorore natus*, *ex inſidiis Moravium Proregem globulo plumbeo exanimat*, *XIX.* 52
Hamiltonius (*Jac.*) *præfectus juridicus Limnuchenſis*, *Jacobum Hamiltonium nothum læſæ majeſtatis accuſat*, *XIV.* 57
Hamiltonius (*Jac.*) *nothus Jac. I. Comitis Araniæ frater*, *crudeliter victoriam exercet*, *XIV.* 39
—— *Comitis Caſſiliſſæ occidendi auctor*, 30
—— *eum Levinii ſervus in patroni ultionem interimere conatur*, 31
—— *Regi inviſus*, 52
—— *judex adverſus Lutheranos electus*, 57
—— *a patruele ſuo perduellionis accuſatus*, ibid.
—— *damnatus capite multatur*, ibid.
Hamiltonius (*Joan.*) *Jac I. Araniæ Com nothus*, *Abbas Paſletenſis*, *e Gallia revertitur*, *XV.* 5
—— *occiſo Cardinale Archiepiſcopus Fani Andreæ a fratre Prorege nominatus* 48
—— *Anglorum de pace literas ſupprimi jubet*, ibid.
—— *ejus crudelitas*, *avaritia & libido*, 64 65. 66
—— *in arcem Edimburgi incluſus*, *XVII* 42
—— *cædis Darlæanæ conſcius*, *XVIII.* 15
—— *e principibus factionis Reginæ unus*, *XVIII.* 44
—— *a Jac. Balfurio in arcem Edimb. intromiſſus*, *& per averſam partem incolumis emiſſus*, ibid.
—— *in arce Britannoduni captus*, *XX.* 32
—— *ſuſpendio vitam finit*, 35
—— *cædis Regiæ compertus*, ibid.
Hamiltonius (*Joan.*) *Aberbrothii Abbas*, *XIX.* 52
Hamiltonius (*Patricius*) *conjuratione ſacerdotum oppreſſus*, *ac vivus crematus*, *XIV.* 32
Hangonanus *Norvegiæ Rex*, *Margaritam Alexandri III. Scoti filiam ducit uxorem*, *VII.* 63. 65
Haraia *inſula*, *I.* 42. 43
Haraldus *Angliæ Rex*, *VII.* 17
Haraldus *Orcadum & Cathaneſiæ Comes oculis orbatus & ſtrangulatus*, *ejuſque ſtirps maſcula emaſculata*, *VII.* 49
Hardicanutus *Angliæ Rex*, *VII.* 16
Haſtingus (*Henr.*) *Anglus*, *tertiam Dav. Hundintonii filiam matrimonio accipit*, *VIII.* 4
Hartus (*Rob.*) *prælio cæſus*, *IX.* 59
Haverera *inſula*, *I.* 42
Haveskera *inſula*, *I.* 41
Haura *major & minor*, *inſulæ*, *I.* 50
Hea *inſula*, *I.* 42
Hebrides *inſulæ*, *I.* 32
Heburnus (*Adamus*) *Halenſis*, *arcem Dumbari recipit*, *X.* 45
Heburnus (*Ad.*) *Halenſis II. Bothueliæ Comes*, *Bodiis ſe adjungit*, *XII.* 22
—— *unus e Scotis ad Fluidonem ducibus*, *XIII.* 38
Heburnus (*Jac.*) *Pat. F. Adami N. IV. Bothueliæ Comes*, *Davidem Hamium interficit*, *XIV.* 8
—— *extra Scotiam Angliam & Galliam relegatus*, 53
—— *Leviniæ Comitis rivalis*, *XV.* 12

— Or-

—— *Ormiſtonio capto pecuniam eripit*, *XV*. 46
—— *Moravium cum Hamiltoniis committere ſtudet*, *XVII*. 29
—— *in arcem Edimb. incluſus*, 30
—— *per funem e feneſtra demiſſus evadit*, 36
—— *hoſtis publicus denunciatur*, 42
—— *ab exilio revocatus*, 45
—— *a Moravio accuſatus*, ibid.
—— *diem cauſſæ dicendæ obire non audet*, ibid.
—— *apud Reginam omnia poteſt*, *XVIII*. 1
—— *a latrunculo ignobili vulneratus*, 3
—— *parum boneſta cum Regina conſuetudo*, 2. 3. 4
—— *ejus opera Rex ſtrangulatur*, 13
—— *Moravium tollere deſtinat*, 18
—— *elegans in eum ſcomma*, 21
—— *idem reus & judex*, 20. 24
—— *abſolvitur*, ibid.
—— *ſe ferro purgaturum venditat*, ibid.
—— *Reginam rapit*, 28
—— *cum uxore divortium facit*, ibid.
—— *Reginam uxorem ducit*, 29. 30
—— *per præconem poſtulat quocum ſingulari certamine decernat*, 48
—— *glorioſa ejus vitæ ad Gallum a legato Scoto expoſitio*, 29. & ſeqq.
—— *cum Moraviis ſe offerentibus congredi recuſat*, 48
—— *fuga ſibi conſulit*, 49
—— *ad Orcadas profugus piraticam exercet*, 52
—— *a Gal. Kircadio prope circumventus ad Cimbros delatus eſt*, *XIX*. 2
—— *captus & in vincula conjectus moritur*; 2. 3
Heburnus (*Joan.*) *Patricii I. Halenſis Reguli F. Cœnobiarcha Andreanus*, *XIII*. 44
—— *a Monachis Archiepiſcopus electus*, ibid.
—— *Humiis exitium machinatur*, *XIII*. 44
—— *ejus avaritia*, 48
—— *inter eum & Formanum convenit*, ibid.
—— *animum Proregis ſibi conciliat*, *XIV*. 2
—— *ejus calumniis Alex. Humius concidiſſe creditur*, 8
—— *inde magna ei invidia*, ibid.
Heburnus (*Pat.*) *Halenſis fortiſſime ad Otterburnum pugnat*, *IX*. 58
—— *ab Anglis cæſus*, *X*. 8
Heburnus (*Pat.*) *Pat. F. Halenſis ſtrenuus bellator*, *IX*. 58
Heburnus (*Pat.*) *Halenſis Regulus, arcem Dumbari tenet, ſecumque Reginam viduam habet*, *XI*. 23
—— *ejus arx Halis ab Arch. Dumbario capta*, ibid.
Heburnus (*Pat.*) *Adami F. II. Bothueliæ Comes, imperium ei a Rege delatum detrectat*, *XIV*. 37
—— *in arcem Edimb. incluſus*, 39
—— *libertati reſtitutus*, ibid.
—— *iterum incluſus*, 42
Helena *Conſtantini Magni mater*, *IV*. 45
Helliſaia *inſula*, *I*. 40
Helſcer *Vetularum*, *inſula*, *I*. 41
Hemodæ, *Vid.* Æbudæ.
Hengiſtus *Saxonum dux*, *II*. 37
—— *agri ei in Britannia a Vortigerno attributi*, *V*. 15
Henricus *I. Anglorum Rex moritur*, *VII*. 29
Henricus *II. Anglorum Rex, a Davide I. Scoto in militarem ordinem adſcitus*, *VII*. 34
—— *in Scotos injuriæ ac perfidia*, 38
—— *ejus ſe beneficiarium pro ſeptentrionalibus provinciis Milcolumbus Scotus ipſe jurat*, 39
—— *Northumbriam Scoto adimit*, 40
—— *Gulielmum Scotum Londinum venire jubet*, 44
—— *Northumbriæ parte ei cedit*, 45

— *Gul.*

— *Gul. & nobilitatis Scoticæ principes in ejus verba jurare coacti*, *VII.* 47
Henricus *III. Anglorum Rex a legato Rom. in regno confirmatus*, *VII.* 54
— *cum Alexandro II. Scoto paciſcitur*, 55
— *cum Alex. III. Scoto convenit, eique filiam ſuam matrimonio collocat*, 58
— *cum Scotis inviolatam pacem colit*, ibid.
— *civili bello illigatus à Scoto auxilium impetrat*, 63
— *moritur.* 65
Henricus *IV*, *Anglorum Rex*, X. 5
— *Scotiam ingreditur*, 7
— *Percium & Duglaſſium prælio vincit*, 11
— *Jacobum I. captivum contra jus faſque detinet*, 13. 14
— *moritur.* 19
Henricus *V. Anglorum Rex excurſiones in agros Scotorum facit*, *X.* 16
— *in Gallicum bellum intentus*, 19
— *Jacobum Scotorum Regem ſecum in Galliam ducit*, 23
— *viginti Scotos dat ſtrangulandos*, 24
Henricus *VI. Anglorum Rex*, *ſpreta nobilitate novos homines extollit*, *XI.* 47
— *in eum conjuratio*, ibid.
— *ab Eboracenſi Regulo captus & Londinum abductus*, *XII.* 2
— *in Scotiam profugus humaniſſime accipitur*, ibid.
— *Bervicum Scotis reſtituit*, 3
— *prælio ad Examum victus*, 4
— *Bervicum fugit*, ibid.
— *occulte in Angliam rediens capitur*, 5
Henricus *VII. Anglorum Rex*, *Richardo a ſuis interemto ſuccedit*, *XII.* 53
— *fœdus perpetuum cum Scotis facere cupit*, 54
— *regni æmulus ei excitatus*, *XIII.* 10
— *expeditionem in Scotiam decernit*, 15
— *Rich. Foxium in Scotiam mittit*, 17
— *Petrum Varbecum ſibi dedi poſtulat*, ibid.
— *benevola ad Scotum de violatis induciis querentem reſponſio*, *XIII.* 19
— *filiam Margaritam Jacobo IV. collocat*, 20
— *Anglos percuſſores ad ſupplicium dedit*, 26
Henricus *VIII. Anglorum Rex*, *bellum Gallis indicit*, *XIII.* 23
— *benevola ejus ad Jacobum IV. reſponſio*, 24
— *a fœciale admonitus de cæde Roberti Britanni ſatisfacere non vult*, 27
— *Tornacum obſidenti bellum a Scoto denunciatur*, 30
— *reſponſum Rege dignum*, 45
— *Surriæ Comitem in Scotiam immittit, qui proxima omni belli clade devaſtat*, *XIV.* 17 19
— *literis ad Scotorum proceres ſcriptis fœdus cum Anglis fieri, antiquum cum Gallis ſolvi petit*, 19
— *Duglaſſium benevole accipit*, 25
— *ad Jacobum V. legatos de pace mittit*, 38
— *cauſſas belli quærens, oppidula quædam cremat, Duglaſſioſque exules reſtitui petit*, 44
— *per legatum Gallum pacem petit*, 45
— *Gallus ejus opera in libertatem reſtitutus*, 46
— *libellos religionis dogmata continentes ad Jac. mittit*, 50
— *cum eo colloquium petit*, ibid.
— *id ſibi negatum indigne fert*, 51
— *iterum colloquium petit*, 56
— *fruſtratus graviter indignatur*, 59
— *Mariam Scotam filio ſuo deſponderi cupit*, *XV.* 2
— *captivos Scotos dimittit*, ibid.
— *Rad. Sadlerium legatum, qui nuptias & pacem procuraret mittit*, 4
— *de jure gentium a Scotis violato conqueſtus, ad bellum ſe parat*, 8
— *literas minarum plenas ad Edimbur-*

genſes mittit, XV. 15
—— *copias in Scotiam mittit qui omnia ferro flammaque vaſtant*, ibid. 22. 23. 44
Henricus *II. Gallorum Rex ſex millia hominum in Scotiam mittit*, *XV.* 54
—— *Deſſium revocat, Paulo Termio in ejus locum ſubſtituto*, 62
—— *arte Proregem de gradu dejicit*, *XVI.* 1
—— *a Regente bellum Anglis indici petit*, 11
—— *nuptias Reginæ cum Delphino maturat*, 13
—— *in Guſiorum poteſtate*, 15
—— *moritur*, 38
Henricus Stuartus, Darlæus. *Vid.* Stuartus.
Henricus *Davidis I. filius moritur*, *VII.* 34
ejus laus, ibid.
Herguſtus *Pictorum Rex*, *IV.* 49
—— *moritur*, 54
Heriotus (*Guliel.*) *Rob. Stuartum neci eripit*, *IX.* 17
Herkelaius (*And.*) *Carleoli Comes, alienæ ignaviæ pœnas capite luit*, *VIII.* 47
Hermodraia *inſula*, *I.* 42
Hethlandia *inſula, quæ & Continens dicta*, *I.* 49
Hethlandicæ *inſulæ, quæ & Zelandicæ, deſcriptæ*, *I.* 50
Hiberni *ex Hiſpanis, adeoque & Gallis oriundi*, *II.* 16
—— *Gregorio Rege ſuperantur*, *VI.* 13
—— *ad Robertum I. legatos mittunt*, *VIII.* 43
—— *Eduardum Bruſſium Regem ſibi præficiunt*, ibid.
—— *a Gul. Duglaſſio profligati*, *IX.* 53
Hiberni *Scoti in Scotiam exſcenſionem facientes vincuntur*, *IV.* 52
—— *a Romano legato pacem petunt*, 53
Hiberniæ *ex Solino deſcriptio*, *III.* 6
Hibernicum *cœlum Britannico & Gallico mitius*, *I.* 1. *II.* 16
Hirta *inſula*, *I.* 41
Hiſpani *in Hiberniam colonos miſerunt*, *II.* 17. *IV.* 1
—— *occidentale Britanniæ latus ab eorum poſteris coli affirmat Tacitus*, *IV.* 2
Hiſpania *exterorum injuriis obnoxia*, *IV.* 1
—— *frequentes in eam Gallorum migrationes*, *II.* 13
Hiſtoriographorum *adulantium ingenium*, *II.* 10
Hoia *inſula*, *I.* 42
—— *alia*, 49
Hoia *promontorium*, *I.* 31
Holmæ, *planities herbidæ*, *I.* 49
Hominum *efferatorum inter ſe certamen*, *X.* 3
Honnega *inſula*, *I.* 50
Horatius *carmen Saliare Numa Pompilio regnante compoſitum ſe non intelligere fatetur*, *II.* 8
Horeſtia *regio*, *I.* 25. *VI.* 2
Hoſtes *non contemnendi*, *VI.* 15. *VIII.* 36. *IX.* 9
—— *eorum ſubita liberalitas metuenda*, *XIV.* 20
Hulmena *inſula*, *I.* 42
Humber *Angliæ fluvius*, *I.* 17
Humilis *inſula*, *I.* 35
Humius (*Alexander*) *I. Humiæ Regulus, Angliam invadens funditur*, *XIII.* 29
—— *ſuos ex pugna ad Fluidonem integros reducit*, 39
—— *cædis Regiæ ſuſpectus*, 40. *XIV.* 7
—— *nimia ejus potentia*, *XIII.* 43
—— *imperium ei datum in regiones cis Fortham*, ibid.
—— *Pontificis diploma promulgandum curat*, 44
—— *Joan. Albinum Proregem creari adnititur*, 46
—— *ab Heburno apud Proregem accuſatur*, *XIV.* 2
—— *in Angliam ſecedit*, 4
—— *bona ejus fiſco adjudicata*, 5

—— *in Proregis fidem ſe dat*, XIV.5
—— *Comiti Araniæ cuſtodiendus datus*, ibid.
—— *Dumbari oppidum vaſtat*, ibid.
—— *veniam impetrat*, 6
—— *magnis ſuſpicionibus adverſus eum coortis*, 7
—— *capite luit*, ibid.
Humius (*Alex.*) *Geo. F. III. Humiæ Regulus a Bothuelio in aulam vocatus venire abnuit*, XVIII.42
—— *adverſus Reginam dux*, 46
—— *pro Jacobo VI. puero jurat*, 56
—— *cum aliis dexteræ Regii exercitus aciei ad Langoſidum præfectus*, XIX. 10
—— *vulneratus*, 12
—— *magnis pollicitationibus ad Reginæ partes deficit*, 49
—— *cum Reginæ factione Edimburgum convenit*, XX.7
—— *e cuſtodia emiſſus Humiam ſuam arcem munit*, 12
—— *nimia ſua credulitate ejus arx ab Anglis capta & ſpoliata*, 16
—— *in rebellium comitiis princeps*, 57
—— *captus ac ſuorum interventu liberatus*, 58
Humius (*Alex.*) *Nor-bervici Comarchus*, *Poluartii frater*, *Gul. Mætellano cuſtodiendo appoſitus*, XIX.48
—— *fictis literis deceptus eum Gul. Kircadio tradit*, ibid.
Humius (*David*) *Vederburnius*, *Darſium Gallum occidit*, XIV 10
Humius (*David*) *Alex. I. Humiæ Reguli frater*, *Coldingamiæ Prior*, *a Jacobo Heburno interfectus*, XIV. 8
Humius (*Geo.*) *Alex. frater II. Humiæ Regulus*, *ab Anglis captus*, XIII.29
—— *ob cædem in Anglia exul*, XIV.8
—— *Duglaſſio ſe adjungit*, XIV.27
—— *ab eo deficit*, 37
—— *Anglos in fugam vertit*, 59
—— *ut in eorum agros incurſiones facere liceret*, *a Prorege poſtulat*, XV. 28
Humius (*Gul.*) *Alexandri frater capite luit*, XIV. 7
Humius (*Joan.*) *alius Alex. frater*, *Jedburgi Abbas*, *ultra Taum relegatus*, XIV. 8
Humius (*Joan.*) *Vederburnii frater*, *Pat. Blacaterum interimit*, XIV. 26
Hungus *Pictorum Rex*, V. 54
—— *Andreæ Apoſtolo ſibi per quietem viſo victoriam de Athelſtano acceptam refert*, ibid.
Huntilæus. *Vid.* Gordonius.
Huſtonius (*Robertus*) X. 22

J.

JACOBUS *I. Scotorum Rex*, *dum in Galliam cogitat*, *ab Anglis captus*, X. 13
ab Henrico V. in expeditionem Gallicam ductus, 23
—— *in Scotiam redux*, 26
—— *coronatus*, 27
—— *Scotiam pacat*, 30
—— *prædones compeſcit*, 30
—— *fœdus cum Gallo renovat*, 29
—— *pravas conſuetudines tollit*, 36
—— *leges ſaluberrimas condit*, ibid.
—— *diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurat*, 38
—— *gemini ei nati*, 37
—— *viros literatos favore proſequitur*, 38
—— *cœnobium Carthuſianorum ædificat*, 40
—— *opifices e Flandria præmiis propoſitis arceſſit*, 41
—— *in ſuorum indignationem incurrit*, 42
—— *prima ejus rei cauſſa*, ibid.
—— *ſecunda*, 43
—— *Rosburgum obſidet*, 55
—— *a perduellibus confoſſus*, 56
—— *ejus elogium*, 57

—— *adverſus Anglorum calumnias defenditur*, X. 52
Jacobus *II. Scotorum Rex*, *naſcitur*, X. 37. 59
—— *regnum init*, XI. 1
—— *in arcula a matre ex arce Edimburgenſi exportatus*, 4
—— *a Cancellario prehenſus & Edimburgum ductus*, 11
—— *Duglaſſii cædi illacrymat*, 17
—— *cum Gallo fœdus renovat*, 25
—— *Angliam vaſtat*, 28
—— *uxorem ducit Mariam ducis Gelriæ filiam*, 31
—— *Duglaſſiæ factionis fautores in jus vocat*, 33
—— *exercitum in eos ducit*, ibid.
—— *Duglaſſio placatur*, 34
—— *ob multa ejus crimina ei infenſus*, 36
—— *eum ad ſe vocat*, 37
—— *atque ob contumaciam pugione in pectus adacto occidit*, ibid.
—— *Duglaſſios hoſtes publicos in conventu denunciandos curat*, 40
—— *Crafordiæ Comitem venia donat*, 42
—— *Hamiltonium in gratiam recipit*, 43
—— *& Donaldum Inſulanum*, 46
—— *Nobilitas Anglica ab eo auxilium adverſus ſuum Regem petunt*, 47
—— *ab Anglis legato ſuppoſititio deceptus*, 48
—— *Rosburgum arcem obſidet*, ibid.
—— *cuneo ligneo a bombarda emiſſo exanimatus*, 49
—— *ejus elogium*, 50
Jacobus *III. Scotorum Rex*, XI. 49. XII. 1
—— *proceres ejus cuſtodiæ adhibiti*, XII. 17
—— *ejus adoleſcentia a Bodiis corrupta*, 21
—— *Margaritam Dani Regis filiam uxorem petit*, 27
—— *conventum publicum indicit, in quo Bodii damnantur*, XII. 29
—— *ejus & Margaritæ Danæ nuptiæ*, 30
—— *ſororem ſuam Thomæ Bodii uxorem Jac. Hamiltonio nubere cogit*, 31
—— *ejus animus a pravis miniſtris labefactatus*, 31. 32
—— *adverſus Jo. Inſularum Regulum proficiſcitur*, 36
—— *Aſtrologicis prædictionibus ac veneficis mulieribus deditus*, 37
—— *in tyrannum degenerat*, ibid. 55
—— *fratres ejus in eum conſpirant*, 38. 39
—— *ad Anglum legatos mittit*, 40
—— *adverſus Anglos exercitum indicit*, 41
—— *ejus miniſtri a conjuratis proceribus occiſi*, 45
—— *ab Alexandro fratre in liberam regni poſſeſſionem reſtitutus*, 50
—— *cum Richardo III. Anglo pacem facit*, 52
—— *item cum Henrico VII.* 54
—— *Nobilitatem a publicis miniſteriis excludit*, 55
—— *Nobiles ulciſci cupiens, eos inter ſe committere conatur*, 56
—— *ab Anguſio deluſus*, 57
—— *proceres, ejus filio ſibi duce præfecto, in eum conſurgunt*, 58
—— *prælio victus*, 61
—— *occiditur*, ibid.
—— *ejus elogium*, 62
Jacobus *IV. Scotorum Rex*, *natus*, XII. 30
—— *dux exercitus adverſus patrem*, 58
—— *ejus in adoleſcentia moderatio, aliæque animi & corporis dotes*, XIII. 9
—— *catena ferrea quod arma contra patrem induiſſet, ſe cingit*, ibid.
—— *Pet. Varbecum impoſtorem honorifice tractat*, 14

— *exercitum in Angliam ducit*, XIII. 14
— *iterum*, 16
— *Pet. Varbecum Anglo dedere negat*, 17
— *Margaritam Henrici VII. filiam uxorem ducit*, 20
— *profuſio*, 21
— *novas conficiendæ pecuniæ rationes comminiſcitur*, 22
— *in Syriam proficiſci ſtatuit*, 23
— *claſſem Annæ Franciæ Reginæ dono mittit*, 24
— *Anglo bellum denuntiat*, 30
— *a ſpectro admonitus ne in incepto progrederetur*, 31
— *Angliam ingreditur*, 32
— *captivæ amore irretitus*, ibid.
— *in ſententia pertinacia*, 36
— *cum Anglis congreſſus*, 38
— *magno prælio victus occumbit*, ibid.
— *de morte ejus fama dubia*, 40
— *a perjurii nota, quam Angli ſcriptores ei inurere conantur, vindicatus*, 41
— *ejus laus*, 52
Jacobus *V. Scotorum Rex, regni adminiſtrationem ſuſcipit*, XIV. 24
—— *in Duglaſſiorum poteſtatem cum matre venit*, 25
—— *eorum imperii pertæſus*, 27
—— *ſe in libertatem vindicare conatur*, ibid.
—— *tandem ſe eorum manibus eripit*, 33
—— *Duglaſſiorum factioni infenſus*, 34
—— *& Hamiltoniis*, ibid.
—— *latrones tollit*, 39
—— *collegium judicum Edimburgi conſtituit*, 43
—— *de matrimonio cogitat*, 45
—— *inſulas Scoticas circumnavigat*, 48
—— *Anglus legatum ad eum mittit*, 50
—— *colloquiumque cum eo petit*, ibid.
—— *ſacerdotibus ab eo colloquio alienatus*, 51
—— *in Gallicam quam Anglicam amicitiam pronior*, XIV. 52
—— *in Galliam navigat*, ibid.
—— *Magdalenam Franciſci filiam uxorem ducit*, ibid.
—— *qua mortua ad Mariam Guſiam Longovillani Ducis viduam uxorem depoſcendam legatos mittit*, 53
—— *multos perduellionis damnat*, 53. 54
—— *Mariam Guſiam uxorem ducit*, 55
—— *Nobilitatem ut ignavam accuſat*, 56
—— *ad ſubſtructiones ædium animum adjicit*, ibid.
—— *Anglus cum eo iterum colloquium petit*, ibid.
—— *a quo ſacerdotum factio pecunia promiſſa eum avertunt*, ibid.
—— *inſomniis nocturnis turbatus*, 58
—— *duo ejus filii eodem prope temporis momento decedunt*, ibid.
—— *legatum ad Anglos mittit*, 59
—— *prælio cum Anglis decernere cupit*, 60
—— *Nobilitati ſibi adverſanti graviter infenſus*, ibid.
— *Oliv. Sinclarum exercitus ducem conſtituit*, ibid.
— *mœrore exſtinctus*, 61
— *ejus elogium*: 62
Jacobus *VI. Scotorum Rex, naſcitur*, XVII. 65
— *baptizatur*, XVIII. 5
— *a Sterlino Edimburgum ductus*, 7
— *mater eum in ſua poteſtate habere conatur*, 22
— *in Bothuelii poteſtatem eum tradere conatur*, 41
— *pars Nobilitatis de ejus incolumitate tuenda conſpirant*, 41. 43
— *mater ejus regnum ejerat, ac Rectores puero nominat*, 54
— *regnum init*, 56
— *ab Jo. Comite Marriæ diligenter ſervatus*, 27. XIX. 3

Idola

Idola *Perthi dejecta*, XVI. 28
Ierna, *quæ Hibernia*, II. 36
Ierna *fluvius*, I. 24. II. 36
Ierna, *vel Iernia, regio, quæ & Strathierna*, I. 24. II. 36. V. 8
Iernus *lacus*, I. 24
— *item fluvius*, II. 36
Iſſurta *inſula*, I. 42
Igerne *Gerloidis uxor ab Uterio conſtupratur*, V. 22
Ila *inſula*, I. 36
Imerſga inſula, I. 36
Impoſtores *egregii*, XI. 48. XIII. 10
Induciæ *violatæ*, X. 5. 13. XI. 28. 47
Induciarum *inter Regentem & religionis vindices conditiones*, XVI. 38
Indulfus *Rex Scotorum*, VI. 19
— *Danos profligat*, ibid.
— *occiditur*, ibid.
Indulgentia *nimia nocet*, XI. 36
Inſula *Figuræ humanæ*, I. 36
Inſula Joannis, I. 36
Inſulæ *quæ Scotiam cingunt enumeratæ & deſcriptæ*, I. 32
— *earum claſſes tres*, ibid.
— *a Donaldo Bano Norvegorum Regi conceſſæ*, VII. 23. 24. 62
— *Scotis reſtitutæ*, 63
— *Danorum Rex omne jus in eas Jacobo III. dotis nomine remittit*, XII. 27
Inſulani *tumultuantur*, IV. 23. 34
— *ad omnes motus parati*, VII. 3
— *de iis Rob. I. conſilium*, IX. 57
Inſulanorum *occidentalium domi bellique vivendi ratio*, I. 32 & ſeq.
Inundatio *Tai fluminis*, VII. 50
Joanna *Angli ſoror Alexandro II. nupta*, VII. 55
— *moritur*, ibid.
Joanna *Comitis Somerſeti filia*, *Jacobi I. uxor*, X. 25
— *filium ſuum Regem Cancellario fraude eripit*, XI. 4
— *Jacobo Stuarto Lornenſi nupta*, 10
— *in cuſtodiam incluſa*, XI. 10
— *liberata*, ibid.
— *moritur*, 23
Joannes *Balliolus Scotorum Rex*, *ejus genealogia*, VIII. 3. 7
— *regni quam famæ honeſtæ avidior*, 12
— *Rex declaratur*, ibid.
— *e loco inferiori cauſſam dicere coactus*, ibid.
— *fœdus cum Gallo renovat*, 14
— *Anglo amicitiam renuntiat*, 14
— *in jus ab Anglo ſemel atque iterum vocatus*, 15
— *ſe regnumque Anglo dedit*, 17
— *in Angliam miſſus*, ibid.
— *Roberto Bruſſio regno cedit*, 50
Joannes *Anglorum Rex*, *cum Gulielmo Scoto fœdera ſæpius renovat*, VII. 51
— *Scotiam invadit*, 52
— *jus regni in Pont. Rom. transfert*, 53
— *veneno a Monacho accepto exſtinctus*, ibid.
Joannes *Francorum Rex ab Anglis captus*, IX. 37
Joannes *cognomento Scotus*, *vir doctus*, *Caroli Magni præceptor*, V. 53
Joannes *II. Luſitaniæ Rex tyrannidis fundamenta jacit*, XII. 62
Joannes *Viennenſis claſſis Gallicæ in Scotia præfectus*, IX. 49
Joannis inſula, *Vid.* Inſula.
Iona *inſula*, *cœnobio Scotorum nobilitata*, IV. 52
— *D. Columbæ inſula dicta*, I. 37
— *multorum Regum ſepulchretum*, ibid.
Jonſtonus *vel Jonſtonius* (*Alex.*) *cæſus*, X. 54
Jonſtonus (*Joan.*) *Anglos crebris incurſionibus vexat*, IX. 41
Jonſtonus (*Joan.*) *ejus agri a Scrupo Anglo vaſtantur*, XX. 17
Jonſtonus (*Rob.*) *a Valtero Scoto interfectus*, XIV. 39
Joſina *Scotorum Rex*, IV. 14
Irvinus *fluvius*, I. 20

Iſa *inſula*, I. 39
— *alia*, I. 42
Iſſidorus *urbs Galliæ*, II. 34
Iter *ſubterraneum naviculis pervium*, I. 42
Judæos *imitantur Romanenſes*, XI. 32
Judicium *in cauſſa Nobilium quomodo apud Scotos conſtituatur*, X. 29
Julia, *i. e. Chriſti natalis*, V. 24
— *vocis etymon*, ibid.
Julius *Agricola*, I. 22
— *ejus in Britannia res geſtæ*, IV. 26. & deinceps.
Julius Cæſar *primus Romanorum cum exercitu Britanniam ingreſſus*, III. 3
Jura *inſula*. I. 35
Juſtitia *plus poteſt quam armorum terror*, VI. 13
— *juſtitia nihil popularius*, X. 58
Juverna, *quæ Hibernia*, II. 36

K.

Καμψὸς, *i. e. curvus*, *inde Comes Botæ arx*, I. 34
Katharina *Medicæa filio mortuo regni adminiſtrationem ſuſcipit*, XVII. 4
Kedualla *Brittonum Rex*, V. 40
Keligira *inſula*, I. 42
Kellaſa *inſula*, I. 42
Kelvinus *amnis*, I. 23
Kennedus (*Gilbertus*) *Davidis F. II. Caſſiliſſæ Comes*, *Jacobi Hamiltonii nothi fraude interemtus*, XIV. 30
— *vir magni animi*, ibid.
Kennedus (*Gilb.*) *Gilb. F. III. Caſſiliſſæ Comes*, *adhuc impubes ad Arch. Duglaſſium confugit*, XIV. 30
— *ejus in fide ſervanda conſtantia*. XV. 7
— *Huntilæi dimittendi auctor*, XVI. 6
— *in Galliam miſſus*, 14
— *non ſine ſuſpicione veneni decedit*, 17
Kennedus (*Gilb.*) *Gilb. F. Gilb. N. IV. Caſſiliſſæ Comes*, *cum judex in Bothuelii cauſſa eligeretur ſeſe excuſat*, XVIII. 24
— *Proregi ſe dedit*, XX. 25
Kennedus (*Henricus*) *cæſus*, VIII. 6
Kennedus (*Hugo*) *Ardſtinſiarius*, *Joan. Kennedi Dunuriæ Comarchi frater*, *in Gallia rem ſtrenue gerit*, XV. 8
Kennedus *Jacobus*) *Gilb. I. Kennediæ Reguli frater*, *Fani Andreæ Epiſcopus Duglaſſiis adverſatur*, XI. 21
— *omnia ſua conſilia ad ſalutem publicam refert*, 25
— *Comitis Crafordiæ quamvis ſibi antea inimiciſſimi ſalutem Regi accurate commendat*, 42
— *Reginæ matris factionem improbat*, XII. 6
— *oratio adverſus muliebre imperium*, 10 & deinceps,
— *ejus mors*, 23
— *& præclarum elogium*, ibid.
Kennedus (*Joan.*) [rectius *Gilbertus*) Jac. *F. Gilb. N. I. Kennediæ Regulus*, *Jacobo I. avunculo ſuo reconcilatus*, X. 37
— *ad Regis Jacobi III. cuſtodiam adhibitus*, XII. 17
— *ab Alex. Bodio vulneratus*, 22
— *ab aula diſcedit*, ibid.
Kennethus *I. Scotorum Rex*, V. 37
Kennethus *II. Scotorum Rex*, V. 59
— *reſides Scotos ſimulato ſpectro ad bellum Picticum accendit*, 60
— *Pictos debellat*, 61. 62
— *eorum regnum ſuo adjungit*, VI. 1
— *tertius regni Scotici conditor*, ibid.
Kennethus *III. Scotorum Rex*, VI. 27
— *Danos ad Loncartem vicum devincit*, VI. 32
— *Milcolumbum Duffi Regis filium veneno tollendum curat*, 37
— *leges novas de regni ſucceſſione ſancit*, 39
— *Fenellæ inſidiis exſtinctus*, 41
Kennethus *Kennethi III. nothus & Conſtantinus IV. alter alterum mutuis vulneribus conficiunt*, VI 44

Kennethus *Feredethi filius Pictorum Rex*, V. 57
Kennus *fluvius*, I. 19
Kentigernus *Scotus*, *vitæ ſanctitate clarus*, V. 16
Kerniburga *major & minor*, *inſulæ*, I. 38
Kernici, I. 31
Kernicovalli, I. 31
Kervera *inſula*, I. 35
Ketha (*Agnes*) *Gul. Comitis Martialis filia, Moravio nubit*, XVII. 26
Kethus (*Gul.*) *Gul. Comitis Martialis F. ab Anglis captus*, XVI. 18
Kethus (*Gul.*) *Kethiæ Regulus*, *Talbotum Anglum deleto exercitu capit*, IX. 25
Kethus (*Joan.*) XX. 65
Kethus (*Rob.*) *Scotiæ Martialis cum magno clientium numero ad Duplinum cæſus*, IX. 7
Kethus (*Robertus*) *Rob. F. Perthum ab Anglis capit*, IX. 8
Kethus (   ) *Comes Martialis*, *Jacobi IV. partes ſequitur*, XIII. 8
Kinfanius *Comarchus*, *Perthi prætor urbanus a Prorege conſtitutus*, XV. 30
—— *cives Perthanos vexat*, XVI. 36
—— *oppido expulſus*, ibid.
Kinnatellus *Scotorum Rex*, V. 32
Kinroſſia *oppidum*, *unde dictum*, VI. 2
Kinroſſiana *præfectura*, I. 24
Kintera. *Vid.* Cantiera.
Kircadius (*Gul.*) *Grangianus*, *Gallos devincit*, XVI. 50
—— *Regina cum eo colloqui petit*, XVIII. 49
—— *claſſi adverſus Bothuelium præfectus*, XIX. 2
—— *dolo Mætellanum captivum e manibus Alex. Humii in arcem ducit*, 48
—— *a Prorege arceſſitus venire renuit*, ibid.
—— *in Reginæ partes pertractus*, XX. 10
—— *cum Edimburgenſibus agit*, *ut portarum claves Reginenſibus tradant*, XX. 11
—— *captivos Reginæ factionis principes dimittit*, ibid.
—— *machinas æneas Proregi dare recuſat*, 21
Kircadius (*Jac.*) *Grangianus*, *Quæſtor Regius*, XIV. 57
Kircua *oppidum*, I. 48
Kirta *inſula*, I. 42
Knoxius (*Joan.*) *ad Cardinalis interfectores*, *venit*, *eoſque admonet*, XV. 43
—— *multitudinem concione inflammat*, XVI. 28
—— *luculenta concione animos eorum erigit*, 49
—— *in Jacobi VI. inauguratione concionem habet*, XVIII. 56

L.

LABROSSIUS *Gallus in Scotiam miſſus*, XVI. 41
—— *Nobilitatem Scoticam exſtinguendam cenſet*, 63
Laia *amnis*, I. 36
Lamba *inſula*, I. 42
Lambertus (*Gul.*) *Epiſcopus Fani Andreæ*, VIII. 32
Lambinus (*Jac.*) *arcem Lacus Levini ſtrenue defendit*, IX. 18
Lamota *legatus Regis Galliæ*, *Scotos ad bellum adverſus Anglos incitat*, XIII. 30
—— *Anguſii ad ejus poſtulata reſponſio*, 35
Lamyrii *montes*, I. 18. IX. 41
Lanarcum, *ſeu Lanericum oppidum*, I. 19 VI. 28. VIII. 35
Lancaſtriæ *Dux* (*Joan.*) *in Scotiam miſſus*, IX. 45
—— *in Scotia dum ſeditio popularis conquieſceret*, *ſe continet*, ibid.
—— *Sciam invadit*, 47

— ejus

—— *ejus clementia*, IX. 47
Laodices *Reginæ crudelitas*, XII. 15
Largitionum *immodicarum comes inopia*, XVI. 52
Latrocinia *nobilium punita*, VI. 22. 29. X. 30. 34. XIV. 27
Latronum *efferatorum inter ſe certamen*, X. 3. 34
Lauderia *regio*, I. 18
Lauderum *oppidum*, I. 18
Lauderus (*Joan.*) *a Duglaſſio in Galliam miſſus*, XI. 9
Lauderus (*Joan.*) *ſacrificulus*, *Geo. Sophocardii accuſator*, XV. 34
Laurentius *quidam Hethlandus uxorem duxit anno ætatis* 100, *piſcatum prodibat anno* 140. I. 51
Laxa *inſula*, I. 42
Lecti *ex erica concinnati*, I. 33
Legatus *Romanus ſuppoſititius*, XI. 48
Lelandus *Britannus ſcriptor laudatur*, II. 27
Lenitas *nimia contemtum parit*, XI. 33. 36. 46
Leogus *inſula*, I. 43
—— *in eo multæ balænæ capiuntur*, ibid.
Leon (*Gul.*) *Joannam Duglaſſiam perduellionis accuſat*, XIV. 54
Leon (*Joan.*) *Glammiſiæ Regulus*, *a Comite Crafordiæ capitali ſupplicio affectus*, XI. 23
Leon (*Joan.*) *Glammiſiæ Regulus*, *capita pacificationis inter Jacobum III. & proceres profert*, XIII. 8
Leon (*Joan.*) *Glammiſiæ Regulus*, *Joannæ Duglaſſiæ maritus*, XIV. 54
Leon (*Joan.*) *Glammiſii propinquus*, *accuſatus*, XIV. 54
Lermonthius (*Jac.*) XIV. 55
— *familiæ Regiæ præfectus*, 57
— *ad Anglum legatus miſſus*, 59
Lermonthius (*Pat.*) *præfectus Fani Andreæ*, XVI. 34
Leſlius (*And.*) *Rothuſii F. natu minimus*, *Comes vocatus*, XVI. 1
— *exilio multatus*, XVII. 49
— *ad triennium relegatus*, XIX. 14
Leſlius (*Geo.*) *Rothuſiæ Comes*, *in jus vocatus*, *& abſolutus*, XV. 44
— *in Galliam miſſus*, XVI. 14
— *non ſine ſuſpicione veneni decedit*, 17
Leſlius (*Joan.*) *Moravium ad cædem prodere renuit*, XVII. 36
— *veniam impetrat*, 38
Leſlius (*Joan.*) *Roſſienſis Epiſcopus*, XVIII. 46
— *Reginæ Scotæ legatus ſecretorum omnium conſcius*, XIX. 19
— *ejus ad Flaminium literæ*, XX. 33
Leſlius (*Normanus*) *Geo. Comitis Rothuſiæ F.* XV. 25
— *Cardinalem interficit*, 40
Leſlius (*Valterus*) *Roſſiæ Comes*, X. 31
Letha *fluvius*, I. 18
Letha *urbs*, I. 18
— *ab Anglis & pietatis vindicibus obſeſſa*, *ſtrenueque a Gallis defenſa*, XVI. 54. 57
Levinia *regio*, I. 23. V. 8
Levinius (*Milcolumbus*) *Leviniæ Comes*, *Roberto Pruſſio amicus certiſſimus ac prope unicus*, VIII. 30
— *caritate in Regem*, *Leviniæ comitatu cedit*, VIII. 41
Levinus *amnis Leviniæ*, I. 23
Levinus *amnis Fifæ*, I. 24
Levinus *lacus*, I. 24
— *ejus arx obſidetur*, IX. 18
Leviſtonius (*Alex.*) *regni adminiſtrationi præfectus*, XI. 1
— *Cancellarium in arce Edimburgenſi obſidet*, 6
— *de pace inter eos conventum*, 8
— *Reginam cum marito in cuſtodiam tradit*, 10
— *Rex illi veluti e manibus ereptus*, 11
— *Cancellarium ſibi reconciliat*, 14
— *in jus vocatus*, 20
— *in cuſtodiam relegatus*, 24

Levi-

Leviſtonius (*Alex.*) *Gul. F. captus*, XX. 32
Leviſtonius (*Gul.*) *unus e Reginæ cuſtodibus*, XV. 52
— *eam in Galliam comitatur*, 55
Leviſtonius (*Jac.*) *Alexandri Scotiæ Proregis F. capite plexus*, XI. 14
Lex *antiqua de regni ſucceſſione apud Scotos*, IV. 6
— *a Kennetho III. abrogata*, VI. 37
— *aliæ novæ*, 38. 39
— *confirmatæ*, 47
— *an utiles*, VII. 1
— *lex perniacioſa qua damnatorum bona fiſco addicuntur, nullam in partem liberis & uxoribus admiſſis*, IV. 30
— *lex ad furta compeſcenda a Tho. Randalpho lata*, IX. 1
— *de menſuris & ponderibus*, X. 36
— *de agrorum jure non ſatis æqua*, XIII. 22
— *quæ ſacerdotia venire vetat, eluſa*, XIV. 35
— *leges Macalpinanæ*, VI. 1
— *leges in Scotia præter conventuum decreta paucæ*, XIV. 53
— *leges venaticæ a Dornadillo latæ*, IV. 8
— *item ab Ethodio I.* 23
Lichtonius (*Valt.*) *cæſus*, X 1
Lidalia *regio*, I. 17. 18. V. 8
Lidalus *fluvius*, I. 17
Lilius (*Alanus*) *Rotheſaiæ præfectus*, IX. 17
— *Botæ Vicecomes factus*, IX. 19
— *cæſus*, ibid.
Lilius (*Alex.*) *Jac. Stuartum interficit*, XI. 23
Limnuchum *oppidum*; I. 18
Lindeſius (*Alex.*) *Davidis F. III. Crafordiæ Comes Ogilvios pugna ſuperat*, XI. 22
— *Joannem Leontem capitali ſupplicio afficit*, 23
— *cum Duglaſſio fœdus init*, 35
— *a Gordonio ſuperatus*, 39
--- *Regi ſe ſuppliciter dedit*, 42
--- *venia ei data*, XI. 42
Lindeſius (*Alex.*) *cum* 80 *e ſua familia ad Duplinum cæſus*, IX. 7
Lindeſius (*Alex.*) *Jac. F. Anglos devincit*, IX. 47
Lindeſius (*Alex.*) *Davidis I. Comitis Crafordiæ frater, prælio ad Vernolium cæſus*, X. 24
Lindeſius (*David*) *Jacobi F. I. Crafordiæ Comes creatus*, X. 4
--- *ad rebelles pacandos miſſus*, X. I. 2
Lindeſius (*David*) *Dav. F. II. Crafordiæ Comes, occiſus*, XI. 22
Lindeſius (*David*) *Alex. F. IV. Crafordiæ Comes. Dux montis Roſarum appellatus*, XII. 56
Lindeſius (*David*) *Alex. F. Dav. VIII. N. X. Crafordiæ Comes, Cardinalis filiam uxorem ducit*, XV. 39
--- *cum aliis Reginenſibus Edimburgum convenit*, XX. 7
Lindeſius (*Jacobus*) *Joan. Cuminium ejuſque propinquum Robertum conficit*, VIII. 28
Lindeſius (*Jacobus*) *Gleneſcæ, Regulus Matthæum Redmannum ſingulari certamine victor capit*, IX, 60
--- *ipſe ab Epiſcopo Dunelmenſi captus*, 61
--- *ac liber dimiſſus*, ibid.
Lindeſius (*Joan.*) *in prælio Otterburnenſi fortiter pugnat*, IX. 59
Lindeſius (*Pat.*) *Byriæ Regulus, in pugna ad Corrichiam adverſus Huntilæanos dimicat*, XVII. 39
--- *cædis Dav. Rizii conſcius*, 60
--- *adverſus Reginam & Bothuelium conſpirat*, XVIII. 41
--- *cum Bothuelio ferro decernere offert*, 48
--- *Moravium proregem in Angliam comitatur*, XIX. 16
--- *Lethæ præfectus rebelles fundit fugatque*, XX. 58.
Lindilla *inſula*, I. 39

Lindisfarne *inſula*. *XII.* 4
Linga *inſula*, *I.* 39
--- *alia*, 42
--- *aliæ duæ*, 50
Lingaia *inſula*, *I.* 40
Liſmora *inſula*, *I.* 35
Literæ *Roberti III. ad Anglum*, *X.* 14
--- *Petri Hialæ ad Hen. VII.* *XIII.* 17
--- *Rich. Foxii ad Jac. IV.* 20
--- *Reginæ Margaritæ ad fratrem*, 45
--- *Angli ad Scotorum proceres*, *XIV.* 19
--- *ad Gallum de Levinio*, *XV.* 16
--- *Anglorum ad Scotos ante pugnam Muſſulburgenſem*, 47
--- *Moravii ad Mariam Reginam*, *XVI.* 39
--- *Regentis ad religionis vindices*, 43
--- *eorum ad Regentem*, 44
--- *aliæ ad eandem*, 56
--- *Mariæ ad Regem Gallorum*, *XVIII.* 32
--- *ad Elizabetham Anglam*, *XIX.* 30
--- *utriuſque Reginæ ad Scotorum conventum*, 42
--- *eorum reſponſum*, ibid.
Lochabria regio, *Vid.* Abria.
Locrinus *Bruti filius*, *II.* 4
Loegria, *quæ Anglia*, *II.* 4
Loganus (*Alanus*) *VIII.* 20
--- *ſupplicio affectus*, 31
Loganus (*Rob.*) *a Saracenis acie interemtus*, *XI.* 58
Loganus (*Rob.*) *Reſtalrici Comarchus*, *Edimburgi præfectus*, *XIV.* 12
Logius (*Joan.*) *majeſtatis convictus plectitur*, *VIII.* 46
Lollius *Urbicus Ant. Pii legatus Scotos Pictoſque magno prælio vincit, ac vallum Romanum inſtaurat*, *IV.* 31
Lominius *lacus*, *I.* 23
Londinus (*Jac.*) *Darlæi mortem prænunciat*, *XVIII.* 17
Logaia *inſula*, *I.* 35
Longus *ſinus*, *I.* 23
Longus *fluvius*, *I.* 23
Lorna *regio*, *I.* 23
Lothiana *regio*, *I.* 18
——— *unde dicta*, *VI.* 2
Lothus *Pictorum Rex*, *I.* 18. *V.* 21
——— *ſuos liberos regno Britannico fraudari conqueritur*, *V.* 23
Loxia *amnis*, *I.* 29
Lubrum *lacus*, *I.* 30
Luctacus *Scotorum Rex*, *IV.* 28
Luddus *Britanniam prius Prudaniam appellatam fuiſſe aſſeverat*, *I.* 3
——— *confutatur*, ibid. 5. *II.* 22
——— *ejus de Scotorum & Pictorum in Albium primo adventu errores refelluntur*, *II.* 39
Ludovicus *VIII. Gallorum Rex, a Nobilitate Anglica vocatus ut exauctorato Joanne regnum acciperet*, *VII.* 53
——— *fulmine Romano ictus*, 54
Ludovicus *IX. Gallorum Rex, milites ab Alexandro III. ad bellum ſacrum impetrat*, *VII* 65
Ludovicus *XI. Gallorum Rex*, *Margaritam Jacobi I. filiam uxorem petit*, *X.* 29
——— *accipit*, 51
——— *tyrannidis in Gallia fundamenta jacit*, 62
Ludovicus *XII. Gallorum Rex legatum in Scotiam mittit*, *XIII.* 30
Lugubris *veſtis quo primum tempore uſus apud Scotos occœperit*, *XIV.* 52
Luinga *inſula*, I. 35
Lundinium, *poſtea Auguſta*, III. 8
Lunga *inſula*, *I.* 38
Luparia, *ſive Luporum inſula*, *I.* 35
——— *alia*, 38
Luſitania *unde a quibuſdam nominata*, *II.* 11
Luſſus *fluvius*, *I.* 19
Lutea *fluvius*, *I.* 28
In Lutheranos *quæſtio exercita*, *XIV* 43. 49. 55. *XV.* 29
Luthlacus *Macbethi filius occiſus*, *VII.* 15

M.

MABANUM *arx capta*, IX. 46
Macaintotius (*Gul.*) *Catanæ familiæ princeps ab Huntilæo trucidatur*, XVI. 5. XVII. 28
Macalpinanæ *leges*, VI. 1
Macalſelanus (*Alex.*) X. 22
Macarcturius (*Joan.*) *laqueo ſtrangulatus*, X. 30
Macbethus *adverſus rebelles miſſus*, VII. 4
—— *Danos concidit*, 5. 7
—— *ad regem occidendum ſomnio incitatur*, 8
—— *Regem ſe dicit*, ibid.
—— *ejus crudelitas*, ibid.
—— *Banchonem interficit*, 10
—— *a Milcolumbo III. regno, a Macduffo vita exutus*, 13
Macclodius *Haraienſis*, I. 43
Macdonaldus *latro Roſſienſis. Ejus immanitas*, X. 34
—— *memorabile de eo ſumtum ſupplicium*, 35
Macdualdus *novas res moliens debellatur, ſibique mortem infert*, VII. 4
Macduffus *Fifæ Thanus, Macbethi tyrannidem fugiens Milcolumbum adit*, VII. 12
—— *eumque ad regnum recuperandum hortatur*, ibid. & deinceps,
—— *tria ei privilegia conceſſa*, 14
—— *Macbethum occidit*, 13
—— *adverſus rebelles miſſus*, 19
—— *rem ſimulatione tranſactionis ſuſpendit*, 20
Macduffus (*Duncanus*) V. *Fifæ Comes. David I. filium ſuum ei peculiariter commendat*, VII. 36
Macduffus (*Duncanus*) X. *Fifæ Comes, unus e ſex Scotiæ Rectoribus*, VIII. 1
—— *ab Abernethiis cæſus*, 13
Macduffus (*Duncanus*) *Dunc. F. XI. Fifæ Comes, prælio ad Varium ſacellum cæſus*, VIII. 23
Macduffus (*Duncanus*) *Dunc. F. XII. Fifæ Comes, prælio ad Duplinum captus, & in Ballioli verba jurare coactus*, IX. 7
—— *Pertho præfectus, captus, & in cuſtodiam miſſus*, 8
Macgillius (*Jacobus*) *ſe a Gallis ſubducit*, XVI. 63
—— *Moravium cum aliis in Angliam comitatur*, XIX. 16
—— *cum Mortonio in Angliam miſſus*, XX. 25
Maclelanus (*Pat.*) *Bombiæ Comarchus, a Duglaſſio occiſus*, XI. 36
Macrobertus (   ) *Struanus, occiſus*; XIII. 47
Macrorius (*Alex.*) *laqueo ſtrangulatus*, X. 30
Mæatæ, II. 22
Mætellanus (*Gul.*) *Lethintonius, ad Angliæ Reginam miſſus*, XVI. 49
—— *iterum legatus ad eandem miſſus*, XVII. 11
—— *ejus elogium*, 24
—— *Reginæ rebus favet*, XIX. 3. 14
—— *Proregem invitus in Angliam comitatur*, 16
—— *ad Elizabetham Anglam a Prorege miſſus*, 18
—— *ſiniſtræ de eo ſuſpiciones quibus de cauſſis ortæ*, 19
—— *a Prorege arceſſitus*, 47
—— *cædis Regiæ poſtulatus*, ibid.
—— *dimiſſus*, 48
—— *dies rei capitalis ei dictus*, 50
—— *quæſtio in aliud tempus dilata*, 51
—— *dimiſſus*, XX. 2
—— *rerum novarum ſtudioſus*, 7
—— *domus ejus ludus, & ipſe ludimagiſter vulgo appellatus*, 11
—— *Elizabetham ad arma non venturam ſuis perſuadet*, 12

Magiſter *equitum, qui & Stabuli Comes dictus,* X. 22
Magna *inſula,* I. 35
— *alia,* 36
— *tertia,* 38
D. Magnus, *primus Orcadenſibus Chriſti doctrinam attulit,* I. 46
— *ejus ſcyphus,* ibid.
Magnus *Norvegiæ Rex, a Scotis pacem petit,* VII. 63
In MAGUS *urbium nomina deſinentia,* II. 35
Mainus *Scotorum Rex,* IV. 7
Makulliam (*Gothredus*) *dux rebellium captus,* VII. 50
Malarus (*Gilb.*) *ſupplicio affectus,* VIII. 46
Malavillanus (*Rich.*) *arcem Lacus Levini oppugnat,* IX. 18
Malavillius (*Jacobus*) *peditum præfectus, afflatu pulveris ſulfurei ambuſtus perit,* XX. 51
Malavillius (*Joannes*) *Rethius, capite plexus,* XV. 65
Malduinus *Scotorum Rex,* V. 52
— *ab uxore ſtrangulatus,* ibid.
Mamertini *Panegyrici locus explicatur,* II. 40
Mana *vel Manna inſula,* I. 34
— *Manim dicta,* ibid.
— *ab Alexandro III. recuperata,* VII. 63
Marcellinus *citatus,* II. 22
— *corrigitur,* ibid.
Marchetæ *mulierum unde dictæ,* VII. 21
Marcia *Scotiæ regio,* I. 17
— *cur ſic dicta,* VI. 2
Margarita *Milcolumbi III. uxor,* VII. 17
— *ejus proſapia,* 16
— *ſingularis ejus pietas,* 21
— *mors,* 22
Margarita *Alexandri III. filia, Hangonano Norvego deſponſa,* VII. 63
— *moritur,* 65
Margarita *Alexandri III. ex filia neptis,* VII. 65
— *Angli filio deſponſa,* VIII. 1
— *moritur,* 3
Margarita *Jacobi I. filia, Ludovico Delphino deſponſa,* X. 29
— *ad ſponſum miſſa,* 50
— *adverſus Anglorum calumnias defenſa,* 53
Margarita *Regina Angliæ, Henricum VI. maritum armorum vi liberat,* XII. 2
— *in Scotiam profugit,* ibid.
— *inde in Galliam,* 4
— *rurſus in Scotiam appellit,* ibid.
— *iterum in Galliam navigat,* 5
Margarita *Eduardi IV. Angli ſoror, Caroli Burgundi uxor, Pet. Varbecum impoſtorem Henrico VII. æmulum excitat,* XIII. 10
Margarita *Henrici VII. filia, Jacobo IV. nupta,* XIII. 20
— *poſt ejus mortem regni Rectrix ex Regis teſtamento quamdiu cœlebs maneret conſtituta,* 43
— *Comiti Anguſiæ nubit,* ibid. 44
— *ad Henricum VIII. fratrem ſcribit,* 45
— *a magiſtratu per nuptias excidit,* ibid.
— *in Albini Proregis poteſtatem venit,* XIV. 4
— *a Regis educatione ſubmota,* ibid.
— *cum marito in Angliam abit,* ibid.
— *filiam Margaritam parit,* ibid.
— *Londinum proficiſcitur,* ibid.
— *fœdus inter Scotos & Anglos promovere ſtudet,* 19
— *alieno a marito animo,* ibid. 9. 25
— *ejus & Com. Araniæ arbitrio negotia publica geruntur,* 25
— *maritum oppugnat,* ibid.
— *ne in mariti manum veniret, cavet,* 30
Margarita *Dani filia, Jacobo III. deſponſa,* XII. 27

— *ejus*

— *ejus mors*, XII. 55
Maria *Milcolumbi III. filia, Euſtathio Bononienſi nupta*, VII. 22. 31
Maria *Ingelrami Cuciani filia, Alexandri II. uxor ſecunda*, VII. 57
Maria *Roberti I. filia, regni hæres deſignata*, VIII. 42. 49
Maria *Jacobi III. ſoror, Tho. Bodio nupta*, XII. 26
— *deinde Jacobo Hamiltonio*, 31
Maria *Arnoldi Ducis Gelriæ filia, Jacobi II. uxor*, XI. 31
— *a ſua factione Regis Tutrix declaratur*, XII. 6
— *ejus oratio*, 8
— *mors*, 18
Maria *Guſia Longovillani Ducis vidua*, XIV. 53
— *Jacobo V. nubit*, 55
— *pro Cardinale deprecatur*, XV. 4
— *ad Gallos omnia trahit*, 8
— *Levinium nuptiarum ſpe lactat*, 8. 12
— *Bothuelius ejus nuptias ambit*, 12
— *Hamiltonios ſuæ factioni adjungit*, 19
— *Levinius ei infenſus*, 17
— *factionem Hamiltonio adverſam in ſuam fidem recipit*, 21
— *Proregem ad Cardinalis cædem vindicandam incitat*, 43
— *Hamiltoniorum arrogantiam repreſſam non ægre fert*, 51
— *ad Proregem loco dejiciendum intenta*, ibid.
— *in Galliam proficiſcitur*, XVI. 1
— *in Scotiam reverſa*, ibid.
— *Proregem de gradu paullatim depellit*, 2
— *imperii inſignia ſuſcipit*, 4
— *Regens nominata*, 5
— *Gordonium reconciliatum in intima conſilia adhibet*, 6
— *conventus juridicos habet, & quietis publicæ perturbatores cum multa ſeveritate compeſcit*, XVI. 7
— *tributa nova excogitat*, ibid.
— *cenſum remittit*, 10
— *bellum Anglis indici poſtulat*, 11
— *purioris religionis vindicum ad eam poſtulata miſſa*, 21
— *mens ejus ab iis alienata*, 23
— *priſtinam comitatem in arrogantiam convertit*, 24
— *pietatis vindices perſequitur*, 26
— *in eos exercitum ducit*, 29
— *in pacis leges convenit*, 30
— *quas tamen violat*, 31
— *iterum copias in eos comparat*, 34
— *inducias cum eis init*, 38
— *procerum religionis vindicum ad eam legatoſque Gallos reſponſio*, 42
— *ejus reſponſio*, 43
— *proceres reſpondent*, 44
— *magiſtratum ei abrogant*, 45
— *ad eam literas mittunt*, 56
— *in arce Edimburgenſi decedit*, 61
— *ejus ingenium & mores*, ibid.
Maria *Scotiæ Regina, Jacobi V. filia unica ac hæres, naſcitur*, XIV. 61
—— *eam Henricus VIII. Anglus filio uxorem petit*, XV. 2. 3. 4
—— *Sterlinum traducta*, 10
—— *electi qui ejus educationi præeſſent*, ibid.
—— *Angli literis ad Scotorum proceres miſſis ejus nuptias ambiunt*, 47
—— *Britannodunum ſepoſita*, 52
—— *in Galliam mittitur*, 55
—— *Curatores ſibi eligit*, XVI. 3
—— *Franciſco Delphino nubit*, 15
—— *Maria Angla mortua ſe pro hærede gerit*, 24
—— *ut pacis legibus Lethæ initis ſubſcriberet, Scoti petunt*, XVII. 2
—— *mortuo marito reditum in Scotiam parat*, 4
—— *aſtuta ejus ad aſtutum Cardinalem reſponſio*, 7

—— *in Scotiam applicat*, XVII. 8
—— *a ſuis ſumma cum gratulatione recepta*, 9
—— *in ſtatu religionis nihil immutare promittit*, 10
—— *apparatu miſſæ privatæ multorum animos offendit*, ibid.
—— *per Legatum ad Elizabetham Anglam miſſum*, 11
—— *ſe proximam regni Anglici hæredem declarari petit*, ibid.
—— *Elizabethæ ad eam reſponſio*, 12
—— *Comes Araniæ & Edimburgenſes eam offendunt*, 20
—— *ſibi ſatellitum cuſtodiam adhibet*, 23
—— *quod tyrannidis initium multis viſum*, ibid.
—— *Aranius eam deperit*, 30
—— *de colloquio inter eam & Anglam agitur*, 32
—— *ad proceres veræ religionis vindices tollendos a Pont. Rom. Cardinale Lotharingo, aliiſque Papanis incitatur*, 33
—— *Huntilæi filius ejus nuptias ſperat*, 33. 34. 38
—— *ſeptentrionales Scotiæ partes inviſit*, 34
—— *Gordonii eam rapere nituntur*, 36
—— *eorum manibus liberata Abredoniam redit*, ibid.
—— *Huntilæus eam in ſuam poteſtatem redigere quovis modo deſtinat*, XVII. 38
—— *Matthæum Leviniæ Comitem reſtituit*, 43
—— *Henricum ejus filium comiter accipit*, ibid.
—— *de eo in virum aſciſcendo ſermones feruntur.* ibid.
—— *ſumma apud eam Dav. Rizii gratia*, 44
—— *& parum decora familiaritas*, 45. 55. 56
—— *Bothuelium alioſque exules revocat*, 45
—— *Moravio exitium machinatur*, 46
—— *proceres convocat, ut ſuas cum Darlæo nuptias comprobarent*, XVII. 47
—— *adverſante licet Elizabetha Angla*, 48
—— *nuptiæ celebrantur*, ibid.
—— *Nobilitatis principes exilio multat*, 49
—— *a marito alienata*, 54
—— *Davidem Rizium honoribus & divitiis cumulat*, 55
—— *quem occiſum*, 61
—— *honorifice ſepeliendum*, 65
—— *ejuſque cædem acerbiſſime vindicandam curat*, ibid.
—— *Jacobum filium parit*, ibid.
—— *maritum ſibi faſtidio eſſe oſtendit*, XVIII. 1. & deinceps.
—— *Bothuelii apud eam gratia*, ibid.
—— *impotenti eum amore flagrat*, 3. 4
—— *a marito ſolvi cupit*, ibid.
—— *in ejus cædem cum Bothuelio conſpirat*, ibid. 11. 12
—— *jocularis quæſtio de parricidis habetur*, 20
—— *Bothuelio nubit*, 30
—— *legato ad Gallum miſſo matrimonium cum Bothuelio excuſat*, 32
—— *proceres in illam & Bothuelium conjurant*, 41
—— *atque Bortbuici obſident*, 43
—— *copias adverſus eam ducunt*, 46
—— *ſe dedit*, 49
—— *in arcem lacus Levini incluſa*, ibid.
—— *cædis Regiæ literis manifeſto comperta*, 51
—— *regnum ejerare cogitur*, 54
—— *variæ de ea in comitiis publicis ſententiæ*, XIX. 1
—— *ejus liberandæ principes*, 3
—— *cuſtodia elapſa*, 6
—— *exercitu ejus fuſo*, 10. 11
—— *in Angliam profugit*, 12
—— *Anglæ juſſu conventus Eboraci legatis utrinque miſſis habetur*, 16. 17

—— *de matrimonio cum ea Norfolcius agit*, XIX. 19
—— *ejus a Regina Angla poſtulata*, 17
—— *per Balfurium res domi turbare conatur*, 20
—— *cædis Regiæ convicta*, 22
—— *variæ de ea diſceptationes*, 24. 25. 26 & poſtea
—— *Reginam Angliæ accuſat*, 30
—— *Hamiltonium regni Vicarium conſtituit*, 31
—— *ejus ad ſuos literæ*, 29
—— *ſecreto de matrimonio cum Norfolcio tractat*, 41. 44
—— *ad conventum procerum literas mittit, quibus cum Bothuelio divortium facere cupit*, 43
—— *Norfolcii conjuratione detecta, in arctiorem cuſtodiam datur*, 50
—— *machinationum Pontificis Rom. adverſus Elizabetham Anglam conſcia*, XX. 19
—— *Mortonii in eam ad Elizabetham oratio*, 36
Maria *Angliæ Regina marito adverſus Gallum auxilia mittit*, XVI. 11
—— *ejus crudelitas notatur*, XVII. 7
Maria *Henrici VII. filia Ludovico Franco nupta*, XIV. 4
Marianus *Scotus*, VI. 17
Marria *regio*, I. 26
Marrius (*Donaldus*) *Marriæ Comes, Prorex*, IX. 3
—— *prælio ad Duplinum occiſus*, 7
Martha *Carictæ Comes & Robertus Bruſſius matrimonio copulantur*, VIII. 7
Martialis Comitis jactantia. *Vid.* Maubraius (Tho.)
Martigius *Comes in Scotiam venit*, XVI. 54
—— *ejus crudele conſilium*, 63
Martina, *navigium nobile, a Duglaſſianis direptum*, XIV. 36
Mathildis *Milcolumbi III. filia, Henrico I. Anglo nupta*, VII. 22. 25
Mathildis *Imperatrix & Angliæ Regina*, VII. 30
—— *Angliæ proceres & Epiſcopi in ejus verba jurant*, 31
—— *David I. ejus cauſſam fortiſſime tuetur*, 32
—— *Henricum filium ad Davidem mittit*, 34
Matris *in liberos regnandi cauſſa crudelitas*, XIX. 28
Maubraius (*Alex.*) *Joan. frater, a Balliolo deficit*, IX. 16
Maubraius (*Joan.*) *unus ex Ed. Ballioli ducibus*, IX. 5
—— *cæſus*, 9
—— *de ejus hæreditate lis*, 16
Maubraius (*Philippus*) *arcem Sterlinenſem munit*, VIII. 35
Maubraius (*Rogerius*) *majeſtatis conſcius*, VIII. 46
Maubraius (*Tho.*) *Bucingamiæ Comes, Angliæ Martialis. Ejus jactantia a Roberto Prorege refutata*, X. 64
Maufactus (*Pet.*) *ſupplicio affectus*, XIV. 1
Maufetum *oppidulum*, IX. 9
Maximianus *legionis præfectus Scotos Pictoſque prælio vincit*, V. 4
Maximus *legatus in Britannia*, IV. 50
—— *Scotos vincit*, ibid.
—— *purpuram ſumit*, 53
—— *occiditur*, 54
Maxuallius (*Joan.*) *Hereſianus, a Levinio retentus*, XV. 51
—— *de ejus obſidibus pœna ſumta*, 53
—— *a religionis vindicum partibus deficit*, XVII. 51
—— *ei Regina parum fidit*, XIX. 12
—— *a Prorege in cuſtodiam incluſus*, 33
—— *ſine auctoritate publica emiſſus*, XX. 12
—— *tria hominum millia coactos habet adverſus Anglos*, 17
Maxuallius (*Rob.*) *Maxualliæ Regulus, Duglaſ-*

glaſſios Edimburgo excludit, *XIV*. 34
—— *in cuſtodiam datus*, 39
—— *in Galliam legatus miſſus*, 53
—— *Olivarium Sinclarum ducem Scotorum factum indignatur*, 60
—— *pacis interpres veniens Prorege in cuſtodiam datur*, *XV*. 14
—— *liberatur*, ibid.
Maxuallius (*Rob.*) *Rob. F. ab Anglis captus* *XV*. 29
Mecla *inſula*, *I*. 50
Medici *a Joſina Rege Scotorum ſummo bonore babiti*, *IV*. 14
Meſanius (*Paulus*) *nobilis Verbi divini concionator*, *XVI*. 20
—— *dies ei a Papanis dicta*, ibid.
—— *exilium ei indictum*, ibid.
Megala *inſula*, *I*. 39
Menſurarum & *ponderum correctio*, *X*. 36
Mercatores *quæſtus cauſſa navigare vetantur*, *VII*. 66
Mercatoris *inſula*, *I*. 36
Menavia, *ſeu Mevania inſula*, *I*. 34
Mentethus (*Joan.*) *Gul. Vallæ proditor*, *VIII*. 41
—— *Roberto I. inſidias ſtruit*, ibid.
—— *venia impetrata in prælio fortiter ſe gerit*, ibid.
Mercenaria *fides cum fortuna mutatur*, *XIX*. 36
Merlinus *vates*, *ſeu impoſtor*, *quo tempore vixerit*, *V*. 20
Mercurius *Teutates*, *II*. 23
Mernia *regio*, *I*. 25
—— *unde nomen babeat*, *VI*. 2
Mernoca *inſula*, *I*. 34
Mertaica *inſula*, *I*. 42
Metellanus *Scotorum Rex*, *IV*. 22
Mevania *inſula*, *quæ Mana*, *I*. 34
Milcolumbus *I. Scotorum Rex*, *VI*. 18
—— *Anglos adverſus Danos juvat*, ibid.
Milcolumbus *II. Scotorum Rex*, *VI*. 48
—— *a Danis victus*, 49
—— *Danos vincit*, ibid. 50
—— *agros Regios ſuis dividit*, *VI*. 51
—— *novas leges condit*, *novaque magiſtratuum nomina inſtituit*, 52
—— *trucidatus*, ibid.
Milcolumbus *III. Cammorus dictus*, *Scotorum Rex*, *VII* 8
—— *Macbethum tyrannum devincit*, *regnumque paternum recuperat*, 14
—— *primus novos honorum gradus introducit*, ibid.
—— *rebelles compeſcit*, 20
—— *Epiſcopatuum numerum auget*, 21
—— *leges ſumtuarias fert*, ibid.
—— *lancea in oculum adacta exſtinctus*, 22
—— *ejus elogium*, ibid.
—— *liberi*, ibid.
Milcolumbus *IV. Scotorum Rex*, *VII*. 37
—— *ab Henrico Anglo in Galliam tractus*, 39
—— *a ſuis contemnitur*, 41
—— *cœlibem vitam amplectitur*, 43
—— *moritur*, ibid.
Milites *mercenarii ad ſtabiliendam tyrannidem idonei*, *XVI*. 7. *XVII*. 53
—— *militum mercenariam fidem cum fortuna mutari*, *XIX*. 36
Millus (*Valterus*) *crematus*, *XVI*. 19
Modredus *Lotbi Regis filius*, *Pictorum copiis præfectus*, *V*. 26
—— *a Saxonibus in fugam vertitur*, ibid.
—— *abſente Arcturo Brittonibus præeſt*, ibid.
—— *prælio cæſus*, 28
Mogaldus *Scotorum Rex*, *IV*. 29
—— *damnatorum bona*, *lege lata*, *fiſco addicit*, 30
—— *a ſuis interficitur*, ibid.
Molas *inſula*, *I*. 34
Molochaſgir *inſula*, *I*. 35
Momorancius (*Annas*) *Guſiorum potentiam ſuſpectam habet*, *XVI*. 15
—— *ab iis cædi deſtinatus*, *XVII*. 2
Mona *inſula non eadem quæ Mana*, *I*. 34. *III*. 2

Mo-

Monachi *piſces marini ſine mali præſagio non viſi*, *VI.* 9
Monachus *Joannem Anglum veneno necat*, *VII.* 53
— *item alter Tho. Randulphum*, *IX.* 2
— *in fabula fingenda impudentia*, *II.* 8
— *luxus*, *V.* 14. *VII.* 28. *X.* 38
— *eorum cœnobia decreto procerum diruuntur*, *XVII.* 6
— *Monachus Carmelita prælio captus lugubre canit* ἐπινίκιον, *VIII.* 40
Monadum *inſula*, *I.* 38
Moneta *ænea vulgo Nigra appellata*, *XII.* 46
— *inde querelæ ortæ*, ibid.
Mongomerius (*Hugo*) *III. Eglentonii Comes in fidem receptus*, *XX.* 25
— *captus*, 59
— *liberatus*, 60
Mongomerius (*Jac.*) *Lorgianus, auxiliorum Gallicorum præfectus*, *XV.* 28
— *in Scotiam venit*, ibid.
— *in Galliam revertitur*, 29
Mongomerius (*Joan.*) *arcem in inſula Marini expugnat*, *X.* 29
Mongomerius (*Joan.*) *Hugonis I. Eglentonii Comitis F. natu maximus, in tumultu Edimburgenſi cæſus*, *XIV.* 12
Monlucius (*Joan.*) *Valentiæ Epiſcopus in Scotia*, *XVI.* 58
Monrous (*Donaldus*) *Inſularum decanus, laudatur*, *I.* 32. 43
Monſtrum *in Scotia natum*, *XIII.* 7
Moravia *regio*, *I.* 29
Moravienſes *rebellantes cæduntur*, *VII.* 42
Moravius (*Andreas*) *Gul. F. Bothueliæ Regulus, in prælio ad pontem Sterlini cæſus*, *VIII.* 20
Moravius (*Andreas*) *And. F. Bothueliæ Regulus*, *VIII.* 20
— *ex Roberti I. ſorore genitus, Scotiæ Prorex creatur*, *IX.* 8
— *ab Anglis captus*, *IX.* 10
— *ſe magna pecunia redimit*, *IX.* 16
— *ejus in fide erga Davidem II. conſtantia*, 23
— *iterum Prorex creatus*, 24
— *multas arces capit*, ibid.
— *Angliam cum exercitu ingreditur*, ibid.
— *ejus mors & elogium*, 25
Moravius (*And.*) *Tilibardinus, Balliolanis favet*, *IX.* 6
— *ſupplicio affectus*, 8
Moravius (*Gul.*) *Tilibardinus, cum Bothuelio decernere offert*, *XVIII.* 48
— *ad Reginæ partes ſe adjungit*, *XIX.* 3
Moravius (*Jac.*) *Tilibardini frater, ſe ad ſingulare certamen Bothuelio provocanti offert*, *XVIII.* 24. 48
Moravius (*Mauritius*) *And. Proregis F. arci Sterlinenſi præfectus*, *IX.* 27
Moravius (*Pat.*) *civis Perthanus. Ejus filius globulo plumbeo exſtinctus*, *XVI.* 31
Mordacus, *ſeu Murdacus, Scotorum Rex*, *V.* 47
Mordacus. *Vid.* Stuartus.
Mordacus *Taichiæ Comes, ad Duplinum cæſus*, *IX.* 7
Moremaruſa, *I.* 13. *II.* 45
Morini, *I.* 9
— *a more, quod vetere Gallorum lingua mare ſignificat*, 13
Mors *vita miſera potior*, *IV.* 51
Morvillius (*Gul.*) *Scotiæ Conſtabularius*, *VIII.* 7
Moſſa, Angl. *terræ genus*, *I.* 38
Muderacus (*Joannes*) *latronum dux*, *XVI.* 5
— *captus*, 7
Mula *Gallovidiæ*, *I.* 19
Mulieres *animi virilis*, *IX.* 13. 25. *XI.* 47. *XII.* 4
— *adverſus mulierum imperium oratio*, *XII.* 10
Mulierum *inſula*, *I.* 37
Mulla *inſula*, *I.* 36

Mulmoris *inſula*, I. 36
Mulroſſia *monaſterium ab Anglis crematum* VIII. 47
Murdacus. *Vid. Mordacus.*
Murices *ferrei*, VIII. 37
Murus *memorabilis ad Vallum Severi a Romanis exſtructus*, V. 6
Muſa *inſula*, I. 50
Muſadilla *inſula*, I. 35

N.

NAGUISOGA *inſula*, I. 35
Naoſiga *inſula*, I. 36
Narnia *regio*, V. 8
Nathalocus *Scotorum Rex*, *IV.* 41
— *primus regnum ambitioſe petiſſe dicitur*, ibid.
Navale *prælium memorabile*, XIII. 6
Navernia *regio*, I. 30. V. 8
Navernus *fluvius*, I. 30
Navis *eximiæ magnitudinis ab Jacobo IV. ædificata*, XIII. 21
— *cujus æmulatione ſtimulati Franciſcus I. Gallus & Henricus VIII. Anglus paullo capaciores quidem, ſed ad omnem uſum incommodas naves exſtruxere*, ibid.
Nautas *offendere navigantibus periculoſum*, IX. 24
Nectamus *Pictorum Rex*, IV. 48
Neſa *inſula*, I. 36
Neſſus *fluvius & lacus, cujus aqua nunquam congelat.* I. 29
Neſſus *oppidum, quod & Enerneſſa*, I. 29
Neurgum *oppidum*, VII. 53
Ninianus *Scotus vitæ ſanctitate clarus*, V. 16
Nithia *regio*, I. 18. V. 8
Nithus *amnis*, I. 18
Noalius *legatus Gallus ad conventum Scotorum miſſus*, XVII. 6
— *ejus legationis capita*, ibid.
Nobiles *Rex Nathalocus ſtrangulandos curat*, IV. 41
— *eorum cædes a Nothato facta*, IV. 9
Nobiliores *quando ab agris cognomina ſumere cœperint*, VII. 14
Nobilium (*quos vocant*) *in plebem tyrannis coercetur*, V. 21. VI. 20. 35. X. 36
Nobilium *in Reges ſuos conſpirationes*, IV. 13. 21. 25. 28. 30. 32. 41. 47. V. 39. 41. 49. VI. 6. 9. 26
— *in Jacobum III. conſpiratio*, XII. 58
Nomina *nova regionibus ambitio imponit*, VI. 2
— *nomina nationum & locorum ſæpe mutata*, II. 3
Normani *Saxones in Britannia ſuperant*, II. 37. VII. 17
Northumbria *in duo regna diviſa*, V. 40
— *Scoto conceſſa*, VII. 33
— *Gulielmus Scotus ejus Comes creatus*, 36
— *Milcolumbo IV. ademta*, 41
— *a Gulielmo repetita*, 44
— *ejus pars ei reddita*, 45
Noſtunda *inſula*, I. 50
Nothatus *Scotorum Rex*, IV. 9
— *a Dovalianis obtruncatur*, ibid.
Novantum *promontorium*, I. 19
Noviodunum, *ſive Dunum novum, arx Covaliæ*, II. 33. IX. 19
Noviomagi *nomine urbes complures*, II. 35

O.

OCCA *Saxonum dux ab Arcturo prælio ſuperatus*, V. 25
Occidentales *Scotiæ inſulæ*, I. 32. & ſeqq.
Ocelli *montes*, I. 24
Odo *Epiſcopus Bajocenſis*, VII. 18
Ogilvius (*Alexander*) *cæſus*, XI. 22
Ogilvius (*Valterus*) *cæſus*, X. 1
Oraculum *Bruto datum, a Monacho confictum*, II. 8
Oranſa *inſula*, I. 39
— *alia*, ibid.

Ora-

Oratio *procerum adverſus Dovalum*, IV. 10
— *adverſus Conarum*, 32
— *Maximi*, 41
— *Pictorum adverſus Victorini Romani tyrannidem*, 54
— *Romanorum ad Brittones*, V. 6
— *Brittonum adverſus Scotos*, 10
— *Conani Brittonis*, 11
— *Gorani R. Scotorum ad Lothum R. Pictorum*, 21
— *Kennethi III. ad ſuos*, VI. 29
— *Culeni adverſus legem a Kennetho de ſucceſſione regni latam*, 42
— *auctoris adverſus hanc legem*, VII. 1
— *Davidis I. in morte filii*, 33
— *Vallæ ad Bruſſium*, VIII. 23
— *Tuinæ ad Eduardum Balliolum*, IX. 4
— *Scotorum ad Eduardi III. legatos*, 11
— *uxoris Alex. Setonii ad maritum*, 13
— *Scotorum adverſus auxiliarios Gallos*, 51
— *Rob. Stuarti Gubernatoris*, X. 9
— *Jacobi I. ad ſuos querentes*, 49
— *Reginæ ad Crichtonium Cancellarium*, XI. 3
— *Leviſtonii adverſus Crichtonium*, 5
— *Leviſtonii ad Crichtonium*, 13
— *Crichtonii ad Duglaſſium*, 16
— *Duglaſſii ad Regem*, 19
— *Jac. Leviſtonii ante mortem*, 24
— *inimicorum adverſus Duglaſſium*, 27
— *Regis ad Ormundiæ Comitem*, 30
— *aulicorum adverſus Duglaſſium*, 36
— *Regis ad Duglaſſium*, 37
— *amicorum ad Duglaſſium*, 41
— *Regis de Donaldo inſulano*, 46
— *factionis Reginæ adverſæ*, XII. 7
— *Reginæ pro ſe defenſio*, 8
— *Jacobi Kennedi adverſus muliebre imperium*, 10
— *Anguſii adverſus aulicos*, 42
— *Jacobi III. ad legatos Anglos*, 54
— *Anguſii ad Jacobum III.* 57
— *Petri Varbeci ad Jacobum IV.* XIII. 12
— *Procerum Scotorum ad Jac. IV. ante pugnam ad Fluidonem*, 34
— *Anguſii ad eundem*, 35
— *Gul. Elfinſtonii*, 46
— *Jac. Heburni ad Albinum Proregem*, XIV. 2
— *Nobilitatis pro fœdere Gallico*, 20
— *Eccleſiaſticorum ad Jacobum V.* 56
— *Anguſii ad Aranium Proregem*, XV. 24
— *Hamiltonii Præſtoniani ad Proregem*, 33
— *Sandelandii ad Regentem*, XVI. 8
— *Gul. Mætellani ad Elizabetham Anglam*, XVII. 1
— *ejuſque reſponſio*, ibid. & ſeqq.
— *Moravii & Glencarnii ad Hamiltonios*, 50
— *Ruveni ad Reginam*, 63
— *Croci legati Galli ad Scotos*, XVIII. 47
— *Moravii in conventu Eboracenſi*, XIX. 17
— *ejuſdem*, 21
— *Ducis Caſtellerotii de rei Scoticæ gubernaculo ſibi cedendo*, 25
— *Regiorum legatorum ad eam reſponſio*, 26
— *pro Huntilæo & contra*, 35. 36. 37
— *Randolphi ad concilium Scoticum*, XX. 3
— *Elizabethæ ad legatum Scotum*, 18
— *Mortonii ad eam, ejuſque reſponſio*, 36. & deinceps.
Orbanſa *inſula*, I. 40
Orcadenſes *in Albium exſcendunt*, IV. 19
— *prælio conciduntur*, ibid.
Orcades *inſulæ*, I. 32
— *earum deſcriptio*, 45. & ſeqq.
— *incolentium mores & victus ratio*, 46
— *eorum ſalubritas & ætatis longinquitas*, 51
Orcas *promontorium*, I. 31
Ordinis *Conchiliati Eques*, XVI. 43

Orna *inſula*, I. 50
Oroſius (*Paulus*) *corrigitur*, III. 5
Oruanſa *inſula*, I. 36
Oſricus *Deirorum Rex*, *Apoſtata*, V. 40
Oſellius *legatus*, *Gallus*, XVI. 2
—— *inſignia imperii Scotici Reginæ nomine accipit*, 4
—— *cenſus exigendi auctor creditus*, 7
—— *ejus gloriæ cupiditas*, 12
—— *vir bonus*, *& pacis bellique artibus eruditus*, 62
Oſrima *inſula*, I. 36
Oſualdus *Northumbriæ Rex*, V. 40
—— *populo conciones Scotico ſermone habitas interpretatur*, ibid.
Otioſi *ſevera animadverſione caſtigati*, VII. 66
Otioſorum *inſula*, I. 35
Otium *omnium ſcelerum fons*, VII. 66
Ottobonus *Pont. Rom. legatus*, VII. 64
Overſa *inſula*, I. 36
Oves *feræ carnis loco arvinam habentes*, I. 42
Ovia *inſula*, I. 39
—— *alia*, 40
Ovicularia *inſula*, I. 36
Ovicularis *inſula*, I. 35
Ovilia *inſula*, I. 35
Oxonia *pro Oxonfordia*, I. 10

P.

PABA *inſula latrociniis infamis*, I. 39
—— *alia*, ibid.
Pabaia *inſula*, I. 42
—— *alia*, ibid.
Pacis duni. *Vid.* Duni pacis.
Palladius *a Cœleſtino Pont. Rom. in Scotiam miſſus*, V. 16
Pandulfus *Pont. Rom. legatus*, VII. 55
Panitarius (*David*) *e Gallia reverſus*, XV. 5
Panitarius (*Pat.*) *in cuſtodiam datus*, XIV. 5
Papa *inſula*, I. 49
—— *aliæ duæ*, 50
Παρωκεανῖται, *i. e. Aremorici*, *Morini*, *ſeu maris accolæ* I. 13
Parricidia *inulta non ſinit Deus*, VI. 23. 40
Parſimonia *ſanitatis mater*, I. 46
Paſcha. *De ejus celebrandi tempore diſputatio introducta*, V. 36
Paſletenſis *liber*, V. 2. VI. 3
Paſletum *ſeu Paſiletum*, X. 15
Patricius *vitæ ſanctitate clarus*, V. 16
Patricius *Gallovidianus una cum hoſpitio crematus*, VII. 57
Paupertas *apud Scotos non gentis ſed agri vitium*, X. 24
Pax *inter Anglos & Scotos affinitate confirmata*, XII. 40. XIII. 20. XIV. 46. XV. 5
—— *inter Gallos & Anglos inita*, 64
—— *pax inter Scotos*, *Anglos & Gallos Lethæ inita*, XVII. 1
Pax *otium parit*, *otium voluptates*, IV. 30. V. 15. X. 42
Peachti, *qui Picti*, II. 18
Pelagiana *hæreſis Eccleſiam Scoticam turbat*, V. 16
Penda *Merciorum Rex*, V. 40
Pennangus (*Simon*) *ab Anguſio ad Regem Angliæ miſſus*, XIV. 25
Penthlandici *montes*, *& fretum Penthlandicum*, II. 18
Percius (*Henricus*) *Northumbriæ Comes*, *Scotiam invadit*, IX. 41
—— *equis crepitaculis perterrefactis diſcedere coactus*, ibid.
—— *filios adverſus Scotos mittit*, 56
—— *in Henricum IV. conjurat*, X. 11
—— *iterum in Henricum IV. conjurat*, 16
—— *in Scotiam fugit*, 17
—— *a Rad. Rokesbio occiditur*, ibid.
Percius (*Hen.*) *Hen. F. Plexippus cognominatus*, IX. 58
—— *adverſus Scotos a patre miſſus*, 56
—— *a Jac. Duglaſſio ſingulari certamine victus*, 57

— cum

—— *cum Scotis ad Otterburnum congreſſus*, IX. 58
—— *capitur*, 59
—— *Scotos prælio Homeldonenſi ſuperat*, X. 8
—— *in Henricum IV. conjurat*, 11
—— *prælio Salopienſi victus ac cæſus*, ibid.
Percius (*Radolphus*) *Plexippi frater, captus*, IX. 49
Percius (*Thomas*) *Northumbriæ Comes, a Moravio Prorege captus*, XIX. 50
—— *in arcem lacus Levini incluſus*, 51
Perthum *oppidum*, I. 25
—— *prius Bertha dictum*, VII. 50
—— *Pertho viro nobili, qui ſolum urbis Regi donaverat, appellatum*, ibid.
Petilius *Cerialis Brigantes devincit*, IV. 26
Picti *non Saxonici generis*, I. 45
—— *a corporibus pingendis dicti*, II. 18
—— *eorum origo*, 19. IV. 2
—— *oram Britanniæ Germanico mari vicinam occupant*, IV. 2
—— *a Scotis conjuges accipiunt*, ibid.
—— *oraculo moti, quod ipſos a Scotis delendos vaticinabatur, Scotos primum injuriis*, IV. 3
—— *mox bello laceſſunt*, ibid.
—— *inter eos pax convenit*, 4
—— *inter Pictos & Scotos jactum eſt crudeliſſimi belli ſeminarium*, 45
—— *a Scotis victi*, 48
—— *Scotos victores vincunt*, ibid.
—— *a Scotis iterum devicti*, 49
—— *cum Romanis & Brittonibus adverſus Scotos ſocietatem ineunt*, 50
—— *eorum in Scotos crudelitas*, 52
—— *in formam provinciæ a Victorino redacti*, 54
—— *ad Scotos revocandos legationem decernunt*, ibid.
—— *fœdus cum Saxonibus faciunt*, V. 17
—— *eorum auxilio Uterius ac Arcturus Brittonum Reges multas de Saxonibus victorias referunt*, V. 22. 24
—— *Arcturum prælio ſuperat & occidunt*, 28
—— *magno prælio vincuntur*, 27
—— *bellum inter eos & Scotos Columbæ opera reſtinctum*, 33
—— *cum Saxonibus bellum adverſus Scotos & Brittones renovant*, 34
—— *inter eos varia fortuna pugnatum*, 40. 43
—— *Alpinus eorum regnum petit*, V. 56
—— *inde internecinum bellum ortum*, 57
—— *Scotos vincunt, & Alpini cæſi caput ad ſpectaculum Abrenethii proponunt*, 58
—— *a Scotis magno prælio ſuperati*, 61
—— *eorum ſuprema clades ac deletio*, 62
—— *eorum agri Scotis diviſi*, VI. 2
—— *reliquiæ eorum ab Anglis auxilium petunt*, 4
—— *ſpe fruſtrati in Daniam & Norvegiam tranſmittunt*, 6
—— *Danos adverſus Scotos ſollicitant*, 8
Picticum *fretum*, I. 48
—— *quod & Penthlandicum*, II. 18
Pictlandici *montes*, I. 18
—— *qui & Penthlandici*, II. 18
Pitcarnius (*Rob.*) *Fermelinoduni Abbas, Moravium Proregem in Angliam comitatur*, XIX. 16
—— *a conventu Scotorum ad Elizabetham Anglam miſſus*, 46
—— *redit*, 50
—— *ad Reginam Angliæ iterum miſſus*, XX. 15
—— *reſponſum ab Angla refert*, 18
—— *ad Reginam Angliæ tertio miſſus*, 25
Platycerotas *damas falſo appellari*, XVII. 29
Plinii *locus corrigitur*, I. 15
Pollacæ, *piſces*, I. 23
Polygamia. *Pro ea lex Eveno III. lata*, IV. 21

Pomona *inſula Orcadum maxima*, I. 48
Ponderum *correctio*, X. 36
Pontificis *Rom. emiſſarii in Britannia*, V. 36
——— *in eum jus regni Anglici tranſlatum*, VII. 53
——— *pecuniam a Scotis exprimere conatur*, 64. 65
——— *ejus legati Scotis ſacris interdicunt*, VIII. 47
——— *ejus permiſſu inungitur David II. Scotorum Rex*, IX. 1
——— *culpæ condonationem, non vero corporis pœnam ad eum pertinere*, ibid.
——— *Scotiæ Regi ſacerdotiorum decimas in tres annos donat*, 37
——— *matrimonia illicita confirmat*, XI. 40
——— *aſſeclarum ejus furor*, XIV. 32
——— *in ejus gratiam Scotos quæſtionem in Lutheranos exercet*, 43
——— *Mariam Scotam ad Jacobi Moravii cædem literis ſollicitat*, XVII. 33
Populi *ardor facile reſtinguitur*, XVIII. 44
Porcaria *inſula*, I. 36
Portugallia *a portu Gatheli falſo quibuſdam deducta*, II. 12
Portus *ſalutifer, ſive Cromartiæ portus*, I. 30
Poſſeſſionum *jura belli viciſſitudines confundunt*, VIII. 46
Potentiam *arrogantia ſequitur*. XVI. 25
Præda, *ab hoſtibus recuperata dominis agnoſcentibus reddita*, IV. 20
——— *magni mali cauſſa*, VI. 16
——— *prædatori noxia*, XX. 60
Prælium *Eboracenſe, a ſtrage ſacerdotum Album dictum*, VIII. 45
Præſtonius (*Laurentius*) *Monfortium prælio interficit*, IX. 25
Præſtonus (*Thomas*) *Jacobo III. intimus amicus*, XII. 37
Princeps *Scotorum, Regis filius natu maximus appellatur*, VI. 39. XIII. 1
A Principibus *fidem promiſſorum anxie non exigendam*, XV. 25. 31
Privilegio *veteri Scoti ad cauſſam dicendam extra regnum non evocantur*, VII. 61
Procerum *Scotiæ ad Elizabetham Anglam apologia*, XX. 36. & ſeq.
Prodigia, VI. 23
Prudaniam *antiquiſſimum Britanniæ nomen non fuiſſe contra Luddum contenditur*, I. 2. 3
Prytaneiam *Britanniam olim appellatam contendit Tho. Æliotus*, I. 2
——— *ejus opinio refatatur*, 5
Ptolemæi *locus ex conjectura emendatus*, II. 22
Pugna *ad Loncartem vicum*, VI. 32
——— *ad Almonem amnem*, 44
——— *ad Murthilacum*, 49
——— *ad Balbridum*, 50
——— *ad Allertonem vicum*, VII. 32
——— *ad Teſam amnem*, quam alii prælium Standardi appellant, ibid.
——— *ad Largas*, 62
——— *ad Dumbarum*, VIII. 16
——— *ad pontem Sterlini*, 20
——— *ad Varium ſacellum*, 22
——— *ad Roſlinum*, 24
——— *ad Methuanum & Dalree*, 30
——— *ad Enneruriam*, 34
——— *ad Deam amnem*, ibid.
——— *ad Banocum flumen*, 37. & ſeqq.
——— *ad Dundalcum Hiberniæ oppidum*, 44
——— *ad Eboracum, ſive prælium Album*, 45
——— *ad Bilandum cœnobium*, 47
——— *ad Duplinum*, IX. 6. 7
——— *ad Mauſetum*, 9
——— *ad Rosburgum*, 10
——— *ad Halidonem*, 14
——— *ad Kiblaniam*, 23
——— *ad Dunelmum*, 33
——— *ad Creſſiacum*, 32
——— *ad Pictavium*, 37
——— *ad Otterburnum*, 57

— *ad*

—— ad Perthum, X. 3
—— ad Homeldonum, 8
—— ad Salopiam, 11
—— ad Harlaum, 18
—— ad Baugium, 21
—— ad Vernolium, 24
—— ad Belſiam, ibid.
—— ad Piperdeniam, 54
—— ad Aberbrothium, XI. 22
—— ad Sarcam, 29. 30
—— ad Brechinum, 39
—— ad Vakfeldiam, XII. 2
—— ad Fanum Albani, ibid.
—— ad Tovitonem, ibid.
—— ad Examum, 4
—— ad lacum Mabanum, 52
—— ad Sterlinum, 61
—— ad Fluidonem, XIII. 37
—— ad Solvæi paludes, XIV. 60
—— ad Ancramum, XV. 25
—— ad Pinkium ſeu Muſſelburgum, 50
—— ad Corrichiam, XVII. 40
—— ad Langoſidum, XIX. 10
—— ad Tilliangum, XX. 64
—— ad Abredoniam, 65
Pygmæorum *inſula*, I. 42

Q.

QUADRAGESIMALE *jejunium*, XVII. 42
Quæſtio *jocularis de Darlæanæ cædis auctoribus*, XVIII. 20. 24
Quindecimviratus *judicum in rebus civilibus apud Scotos inſtitutus*, XIV. 43

R.

RAARSA *inſula*, I. 39
Raclinda *inſula*, I. 35
Ramiſæus (*Alex.*) *rei militaris gloria clarus*, IX. 22
—— *audax ejus facinus*, 25
—— *Anglos ſuperat, ac Rosburgum capit*, 29
—— *a Gul. Duglaſſio Lidaliano fame exſtinctus*, IX. 31
Ramiſæus (*Alex.*) *Gul. F. Alex. N. Berwici arcem capit*, IX. 43
Ramiſæus (*Alex.*) *Ejus in arce Britannoduni occupanda virtus & ſingularis audacia*, XX. 32
Ramiſæus (*Gul.*) *Alex. F. Dalluſiæ Comarchus, Noramam incendit*, IX. 35
Ramiſæus (*Joan.*) *Balmaniæ Regulus, Rege exorante pœna exemtus*, XII. 45
—— *ejus ſuperbia*, 55
Ranalſa *auſtralis inſula*, I. 49
Ranſa *inſula*, I. 35
Randulphus (*Tho.*) *legatus Anglus auditus*, XX. 3
Randulphus (*Joan.*) *Tho. F. natu ſecundus, Moraviæ, fratre exſtincto, Comes*, IX. 9
—— *e Galliis revertitur*, 20
—— *unus e Scotiæ Proregibus creatur*, ibid.
—— *inſidiis exceptus*, 22
—— *cum Comite Sarisburii permutatus*, 29
—— *Lacus Mabani arcem capit*, ibid.
Randulphus (*Tho.*) *Moraviæ Comes, Edimburgi arcem capit*, VIII. 35
—— *Anglos ſuperat*, 38. 39
—— *Regis Tutor deſignatus*, 43
—— *Angliam ferro flammaque vaſtat*, 45
—— *Archiepiſcopum Eboracenſem profligat*, ibid.
—— *Angliam invadit*, 51
—— *Prorex electus*, IX. 1
—— *in cædis auctores inexorabilis*, ibid.
—— *furta ac latrocinia optimis legibus compeſcit*, ibid.
—— *a Monacho veneno dato moritur*, 2. 3
—— *ejus elogium*, ibid.
Randulphus (*Thomas*) *Tho. F. Moraviæ Comes*, IX. 6
— *prælio ad Duplinum cæſus*, 7

Ratra *amnis*, I. 27
— *nulli eum ſalmones ingrediuntur*, ibid.
Rebellium *mortuo Moravio Prorege coitiones variæ*, XX. 1. & deinceps.
— *legatos ad Anglam ſed fruſtra mittunt qui inducias precarentur*, 12
— *Gallos & Hiſpanos ſollicitant, ut ſibi auxilia mittant*, 23
Recognitio *quid ſignificet*, XIII. 22
Redmannus (*Matth.*) *Bervici præfectus*, IX. 60
— *a Jacobo Lindeſio captus*, ibid.
— *dimiſſus*, ibid.
— *Jac. Lindeſium ab aliis captum liberum dimittit*, 61
Regia *inſula*, I. 35
Reginæ *collocandæ jus penes Ordines cur eſſe debeat*, VIII. 42
A Regina *matre regi nolunt Scoti*, XII. 6. 7
— *priſcis Scotis Reginas Regum uxores tantummodo vocari*, 11
Reginaldina *familia Fræſerios ad internecionem fere cædit*, XV. 26
Regnandi *cupiditas multorum parricidiorum cauſſa*, XIX. 26
De Regni *ſucceſſione apud Scotos lex*, IV. 6. VI. 39. XX. 37. & ſeqq.
— *ejus adminiſtratio Rege puero cui potiſſimum committenda*, XIX. 26
Reidus (*Rob.*) *Abbas Kinloſſenſis, in Galliam miſſus*, XIV. 49
— *Orcadum Epiſcopus, in Galliam miſſus*, XVI. 14
— *ejus mors*, 17
Religio *purior quomodo in Scotiam introducta*, XVI. 19. 21
— *ejus cauſſa in Scotia arma ſumuntur*, 28. & deinceps.
— *Religionis ſinceræ vindices cum Regente inducias faciunt*, 38
— *illi regni adminiſtrationem per fœcialem abrogant*, 45
— *auxilium ab Elizabetha Angla petunt*, 49
— *eorum ad Regentem literæ*, XVI. 56
— *cum Gallis & adverſa factione paciſcuntur*, XVII. 1
— *Elizabethæ per legatos gratias agunt*, 2
Religionis *puræ vindices in Gallia a Guſianis pene oppreſſi*, XVII. 2
— *Religionem reformatam ſe ſervaturos proceres pro Rege puero ſpondent*, XVIII. 56
Renfroana *regio*, I. 20
Rerigonius *ſinus, qui & lacus Rianus*, I. 19
Reringa *inſula*, I. 37
Res *ſecundæ hominum animos occæcant, adverſæ erudiunt*, VI. 15
Reſtenotum, *Anguſiæ pagus*, V. 75
Reutha *Scotorum Rex*, IV. 12
Reutherus *Scotorum Rex*, IV. 10. 11
Rex *inconſultis Ordinibus nihil quod totius regni ſtatum attinet, agere poteſt*, VII. 41. VIII. 14
— *præſentia in bello ad quid valeat*, X. 11
— *ne ejus uxor Regina vocaretur apud Saxones cautum*, XII. 11
— *penes eum ſolum in Scotia non eſſe pacem vel inducias facere*, IX. 65
— *Reges Scotorum olim regiones omnes ad jus dicendum obibant*, IV. 17
— *legibus inferiores*, XX. 38
— *eorum patrimonio publico anguſtiori qua arte ſubveniendum*, IV. 32
— *de Regum hæreditaria ſucceſſione lex lata*, VI. 39
— *confirmata*, 47.
— *an utilis*, VII. 1. & ſeqq.
— *Regum adoleſcentium amicitiæ lubricæ*, XII. 31
— *Regum auctoritas ut bonis artibus comparatur, ita malis amittitur*, XVIII. 46
— *in Regios mores pravos ſubditi plerumque degenerant*, IV. 28
Rianus *lacus*, I. 19. VIII. 30
Richardus *I. Anglorum Rex, cum Gulielmo Scoto fœdus renovat*, VII. 47

— *eum*

— *eum pactis omnibus abſolvit*, VII.49
— 10000 *argenti marcas a Scoto accipit*, 49
— *poſt varios caſus domum redit*, ibid.
— *moritur*. ibid.
Richardus *II. Anglorum Rex*, *avo ſuccedit*, IX. 43
— *Lancaſtrium in Scotiam mittit*, 45. 47
- - *in Scotos ob peregrinos arceſſitos ira incenſus*, 49
- - *cum maximis copiis Scotiam ingreditur*, ibid.
- - *coactus ſe regno abdicare*, X. 5
- - *quidam pro eo in Scotia ſe venditat*, 17
Richardus *III. Anglorum Rex*, *duobus Eduardi fratris filiis in cuſtodiam conjectis*, *Regium nomen uſurpat*, XII. 52
- - *tyrannidem immaniſſime exercet*, 62
- - *cum Scoto inducias triennales paciſcitur*, XII. 53
- - *a ſuis interemtus*. ibid.
Richardus *Eboracenſis Dux Henricum Anglum captivum Londinum abducit*, XII. 2
- - *a Regina prælio victus & cæſus*, ibid.
- - *filius ejus ſe Regem edit*, ibid.
Riggius (*Hugo*) *Cauſſidicus*, XV.48
Rinardi *inſula*, I. 36
Ringravius *cum tribus Germanorum peditum millibus in Scotiam miſſus*, XV. 54
Rinus *Gallovidiæ*, I. 19
Rizius (*David*) *cantor Pedemontanus in Scotiam venit*, XVII.44
- - *Reginæ ab epiſtolis*, ibid.
- - *ejus cum Darlæo familiaritas*, ibid.
- - *ſumma apud Reginam gratia*, ibid.
- - *nec pro dignitate ſatis decora cum ea familiaritas*, 45. 61
- - *nuptias cum Darlæo accelerandi auctor*, 48
- - *Italos ad Reginæ cuſtodiam adhibendos, curat*, 53
- - *honoribus cumulatus*, 55
- - *ejus inſolens ſuperbia*, 59
— *Darlæus cum aliis in ejus cædem conjurat*, XVII. 60
— *multis vulneribus confoſſus*, 61
— *ejus cadaver Regum ſepulchro illatum*, 65
— *quæſtio de ejus morte exercita*. ibid.
Roadilla *monaſterium à Macclodio Haraienſi conditum*, I. 43
Robertus *I. Scotorum Rex*, *colloquium cum Valla petit*, VIII. 23
— *inter eum & Joan. Cuminium ſecreta conſilia*, *ac adverſus Anglum conſpiratio*, 27
— *quibus a Cuminio Anglo proditis*, 28
— *in Scotiam venit*, ibid.
— *Cuminium interficit*, ibid.
— *coronatur*, 39
— *ad Methuanum devictus*, ibid.
— *& ad Dalree*, ibid.
— *ab omnibus deſtitutus*, ibid.
— *ejus fratres trucidati*, ibid.
— *in Æbudis latet*, ibid.
— *Ennerneſſum capit*, ibid.
— *in gravem morbum incidit*, 33
— *Cuminium fundit fugatque*, ibid.
— *Angliam bis infeſto exercitu ingreditur*, 35
— *Anglos ingenti prælio ad Banocum flumen fundit*, 40
— *comitia ad Aeram indicit*, 42
— *de jure Regiæ ſucceſſionis leges ſancit*, ibid. 50
— *in Hiberniam tranſmittit*, 43
— *conventum indicit*, 46
— *de conjuratis ſupplicium ſumit*, ibid.
— *Angliam invadit*, 47
— *atque iterum*, ibid.
— *Anglum fundit fugatque*, ibid.
— *ad Pont. Rom. & Gallum legatos mittit*, 48
— *cum Anglo paciſcitur*, 56
— *teſtamentum facit*, 57
— *ejus tria Scotis conſilia data*, ibid.

—— *ejus elogium*, VIII. 59
—— *& mors*, ibid.
Robertus *II. Scotorum Rex, a Roberto I. deficiente ſtirpe maſcula regni ſucceſſor deſtinatus*, *VIII.* 50. 57
—— *ad necem ab Eduardo Balliolo conquiſitus*, *IX.* 17
—— *Noviodunum occupat*, 19
—— *Prorex creatus*, 20
—— *morbo implicitus*, 22
—— *Perthum capit*, 27
—— *a ſpe ſuccedendi remotus*, 37
—— *reſtitutus*, ibid.
—— *regnum init*, 39
—— *Elizabetham Moram uxorem ducit*, 42
—— *vetus cum Francis fœdus renovat*, 43
—— *homo natura quietior*, 44
—— *Robertum Fifæ Comitem regni Vicarium facit*, 64
—— *ejus mors & elogium*, 66
Robertus *III. Scotorum Rex, antea Joannes appellatus*, *X.* 1
—— *Annandiam Scotis reſtituit*, *IX.* 36
—— *ingenio ſegnis*, *IX.* 54. 64
—— *equi percuſſu claudus*, 54
—— *primus Duces creat*, *X.* 4
—— *filium natu maximum Roberto fratri cuſtodiendum tradit*, 10
—— *cum fratre de filio ejus opera exſtincto expoſtulat*, 12
—— *Jacobum filium ad Regem Galliarum mittit*, 13
—— *quo ab Anglis capto, mærore & inedia confectus moritur*, 15
—— *ejus elogium*, ibid,
Robertus *Fermelinoduni Abbas, Scotiæ Cancellarius, accuſatus*, *VII.* 59
Roffa *pro Rauſcheſtria*, *I.* 10
Rokesbius (*Rad.*) *Percium amicum prodit*, *X.* 17
Rollandus *Gallovidianus, bellator egregius*, *VIII.* 5
Romachus *Scotorum Rex*, *IV.* 47
Romanenſes *legati, argenti emunctores*, *VII.* 64
—— *menſarii*, *XII.* 35
—— *Judæorum mimi*, *XI.* 32
—— *legatus ſuppoſititius*, *XI.* 48
Romani. *Brittones quamdiu ſub eorum imperio*, *II.* 37
—— *Scotiam invadunt*; *IV.* 26
—— *Scotorum finibus prohibiti*, 29
—— *cum Scotis Pictiſque vario eventu pugnant*, 31. 45. 46
—— *Scotos ſuperant, ac vallum ad eos arcendos exſtruunt*, 37
—— *bellis civilibus attriti*, 46. *V.* 1
—— *Scotos debellant, atque inſula expellunt*, 50. 51
—— *a Gothis, Vandalis, &c. vexati*, *V.* 1
—— *legionem ad provinciam protegendam mittunt*, 2
—— *Scotos & Pictos ſuperant*, 4
—— *murum per tranſverſam inſulam exſtruunt*, 6
Romerus (*Julianus*) *incautius agens, capitur*, *XV.* 63
Rona *inſula*, *I.* 39
—— *alia*, 44
D. Ronanus, *I.* 44
Roſa *alba Eboracenſis factionis inſigne*, *XIII.* 11
Roſaia *arx, vel potius Rotheſaia, quod* Vide.
Roſburgum *oppidum captum*, *VIII.* 35
Roſſia *regio*, *I.* 30
—— *ejus etymon*, ibid. *V.* 8
Roſſiæ *Comes* (*David*) *Reginaldum Æbudarum Regulum interimit*, *IX.* 35
Roſſiæ *Comes* (*Hugo*) *occiſus*, *IX.* 14
Roſſius (*Gotofridus*) *præfectus juridicus Aerenſis, Anglos Caricta, &c. expellit*, *IX.* 20
Rotheſaia *arx*, *I.* 34
—— *inde Principi Scotiæ titulus*, *X.* 4
Rottia *inſula*, *I.* 50

Ro-

Rotunda *inſula*, I. 36
Rubeus *Cauſſidicus Pariſienſis, omnia ad mores Gallicos conformare ſtudet*, XVI. 62
Rubrum *promontorium*, I. 25. VI. 30
Rudana *inſula*, I. 37
Ruma *inſula*, I. 38
Rupes *Ferguſii*, IV. 5
Ruſa *inſula*, I. 49
Ruſtici *militum licentiæ expoſiti*, IX. 52
Ruvenus (*Geo.*) *cæſus*, XX. 60
Ruvenius *ſeu Ruvenus* (*Gul.*) *I. Ruveniæ Regulus, ac Perthi Vicecomes Gormacum Atholium prælio interficit*, XI. 18
Ruvenus (*Gul.*) *Pat. F. I. Goreæ Comes, Huntilæum cum ſuis retrocedere cogit*, XIX. 13
—— *Reginenſes profligat*, XX. 66
Ruvenus (*Patricius*) *Gul. Pronepos, III. Ruveniæ Regulus, Perthi prætura a Card. Betonio orbatur*, XV. 30
—— *pugna inter eum & Kinfanium*, ibid.
—— *ejus ad Regentem audax reſponſio*, XVI. 26
—— *præfectura Perthi ei reddita*, 36
—— *Moravio inimicorum machinamenta patefacit*, XVII. 46
—— *Dav. Rizium obtruncat*, 61
—— *quod Reginam ſtantem ſedens alloqueretur, ſe excuſat*, 63

S.

SABAUDIÆ *Ducis legatus ad Principis baptiſmum venit*, XVIII. 10
Sabrina *Angliæ fluvius*, I. 17
Sacerdotes *luxu corrupti a Conſtantino II. ad officium reducuntur*, VI. 7
—— *ipſa Nobilitate opibus ſuperiores*, VII. 64
—— *nobilium calamitate fructum percipiunt*, XIII. 39. 44
—— *Regum juriſdictioni paullatim ſe ſubtrahunt*, 38
—— *mores corrupti*, X. 38. 39
—— *impoſtores*, XIV. 41
—— *Jacobum V. a colloquio cum Anglo avertunt*, 51. 56
—— *Sacerdotum Anglorum ingens cædes*, VIII. 44
Sacerdotiorum *nundinationes*, XII. 33. 35. XIV. 35
—— *ſacerdotiorum diviſio inimicitiarum cauſſa*, XIV. 26
Sacerdotum *inſula*, I. 42
Sacræ *inſulæ, quæ & Flananæ*, I. 42
Sacrificulus *ſeditionis auctor*, IX. 45
—— *alterius avaritia & crudelitas*, XI. 25
—— *alius Jacobi Stuarti nobilis Equitis viduam prodit*, XI. 23
—— *alius teſtamentarius*, XV. 1
Sacroſanctum *aſylum inſula, quæ & Bernera*, I. 35
Sadlerius (*Radolph.*) *Henrici VIII. in Scotia legatus*, XV. 4
Saga *magna & parva, inſulæ*, I. 42
Saliare *carmen Horatio non intellectum*, II. 8
Salmones *Ratram amnem non ingrediuntur*, I. 27
—— *ſalmonum piſcatu Abredonia nobilis*, I. 26
Sanctferri *inſula*, I. 50
Sandelandius (*Jac.*) *Calderanus, adverſus latrones miſſus*, XIV. 42
—— *ad Regentem Orator miſſus, qui cenſus exactionem deprecaretur*, XVI. 8
—— *poſtulata eorum qui puriorem religionem amplectebantur Regenti exponit*, 21
—— *in Galliam miſſus*, XVII. 2
—— *a Guſiis objurgatus*, 3
Sandelandius (*Joan.*) *occiſus*, XI. 45
Sandera *inſula*, I. 39
Sanguine *ſeptem dies pluiſſe per totam Britanniam*, V. 44
Satrael *Scotorum Rex*, IV. 35

Saturnalia *vetera renata*, V. 24
Saxi *inſula*, I. 35
Saxones *a Brittonibus conducti*, II. 37. V. 15
—— *eorum nobilitatem omnem trucidant, ac longe fertiliſſimam inſulæ partem ipſi inter ſe in ſeptem regna diſpertiuntur*, ibid.
—— *idem a Danis*, II. 37
—— *ac poſtea a Normanis devicti*, 37
—— *crudeles in bello, & in commerciis parum fidi*, V. 17. 21
—— *cum Pictis fœdus ineunt*, V. 18
—— *ab Uterio ſuperati*, 22
—— *ab Arcturo variis præliis ſuperati*, 24. 25. 26
—— *Scoti & Brittones ab iis Pictiſque devicti*, 34
—— *ipſi poſtea ſuperantur*, 35
—— *Scotos vincunt*, 36
—— *variæ eorum pugnæ & res geſtæ*, 38. 39. 40. 42. 44. 54. VI. 4. 5
Scaliger (*Joſephus*) *laudatur*, II. 44
Scalpa *inſula*, I. 39
—— *alia*, 42
Scandiani *i. e. Norvegi*, VI. 6
Scarba *inſula*, I. 35
Scarpa *inſula*, I. 39
—— *alia*, 42
Scarvaia *inſula*, I. 42
Scholæ *publicæ primum ad Fanum Andreæ apertæ*, X. 18
—— *ab Jacobo I. ordinatæ*, 38
—— *ab Jac. Kennedo Epiſcopo magnis ſumtibus ædificatæ*, XII. 23
—— *ob id Fanum Andreæ maxime memorabile*, I. 24
—— *Scholæ publicæ Abredoniæ*, 26
Sclata *inſula*, I. 35
Scomma *elegans in Bethuelium*, XVIII. 21
Scona *oppidum*, VI. 3
—— *in ea Reges Scotorum imperii inſignia accipere ſoliti*, ibid. VII. 14. 58. VIII. 13. 30. IX. 8
—— *cœnobium Monachorum in ea exſtructum*, VII. 29
Scorpiones, *qui & arcubaliſtæ*, IX. 49
Scota, *commentitia Regis Ægyptii filia*, II. 11
Scoti. *Eorum origo a Gathelo fabuloſa*, II. 11
—— *refutatur*, 12
—— *Scotos ex Hibernia in Britanniam tranſiſſe*, 17
—— *quo tempore advenerint*, 38. 39
—— *primum in Æbudas*, IV. 2
—— *deinde in Britanniam trajiciunt*, ibid.
—— *Regem ſibi creant Ferguſium*, 3
—— *ei poſteriſque ejus regnum jurejurando confirmant*, 5
—— *a Maximo legato Romano ſuperati*, 50
—— *& patria pulſi*, 51
—— *quam infelici auſu recuperare conantur*, 52
—— *in Scotiam redeunt*, V. 1. 2
—— *cum Francis amicitiam ineunt*, 53
—— *Monachi Scoti Monaſteria in Germania condunt*, ibid.
—— *ob victoriam ſecuri ab Anglis & Pictis vincuntur*, VI. 5
—— *cum maxime Anglis conjuncti*, VII. 49. VIII. 2
—— *Eduardum Anglum controverſiæ de regno arbitrum faciunt*, 10
—— *deditionem regni quam Balliolus Anglo fecerat, revocant*, 14
—— *ſæpius victi*, 15. 16
—— *in verba Angli jurare coacti*, 17
—— *diris Pontificiis feriuntur*, 47
—— *occiſi ſupra decem millia*, IX. 14
—— *Scoti milites Gallis minus rapaces*, 52
—— *vires eorum attritæ*, X. 8
—— *multi eorum Nobiles in Gallia occiſi*, 24
—— *Scoti Anglorum, & viciſſim Angli Scotorum rebus adverſis inſidiantur*, XII. 54. XIII. 13
—— *ad Fluidonem cæſi*, 38

— &

—— *& iterum ad Muſſelburgum*, *XV.* 50
—— *ad iram propenſiores*, *XVI.* 39
—— *libertatis vindices, ab Anglis auxilium petunt*, 49
—— *Elizabethæ gratias agunt*, *XVII.* 2
—— *religionis cultui & ritibus cum Anglis communibus ſubſcribunt*, *XIX.* 39
Scoti *Ierni & Scoti Albini*, *II.* 17
Scotia. *Ejus geographica deſcriptio*, *I.* 17
—— *doctos Monachos habuit*, *V.* 53
—— *ejus nobilitas prope exhauſta*, *XIII.* 38. 43
—— *quando primum a fœmina gubernata*, XVI. 4
—— *ejus ſtatus miſer*, *XI.* 2
—— *Nobilitas Chirurgiæ addicta*, *XIII.* 42
—— *regnum legitimum*, *XVII.* 4
—— *proceres Reginæ Mariæ matri per fœcialem regni adminiſtrationem abrogant*, *XVI.* 45
Scoticum *mare*, *I.* 18
Scotobrigantas *apud Senecam legendum pro Scuta Brigantas*, *II.* 44
Scotus (*Adamus*) *Tuſcilaus, capitali ſupplicio affectus*, *XIV.* 39
Scotus (*Joan.*) *mirabilis ejus a cibo abſtinentia*, *XIV.* 40
Scotus (*Michael*) *Balveriæ comarchus, in Norvegiam legatus miſſus*, *VIII.* 3
Scotus (*Valt.*) *Balcluchius, Jacobum V. e manibus Duglaſſiorum vi eripere conatur*, *XIV.* 27
—— *in cuſtodiam datus*, 39
—— *libertati reſtitutus*, ibid.
—— *Robertum Jonſtonum interficit*, ibid.
—— *perduellionis damnatus*, 49
—— *adverſus Anglos feliciter pugnat*, *XV.* 25
Scotus (*Valt.*) *Valt. F. Angliam ferro flammaque vaſtat*, *XX.* 1
—— *cum Gordonio aliiſque Levinium Proregem comitia Sterlini agentem necopinantem opprimit*, 59
—— *Jedburgum oppugnare deſtinans repellitur*, 66
Scrimigerorum *origo*, *VII.* 20
Scyphus *D. Magni*, *I.* 46
Securitas *in duce periculoſa*, *VI.* 5
Seditiones *pernicioſæ*, *V.* 11. *IX.* 45
Seila *inſula*, *I.* 35
Semplius (*Rob.*) *Patricium Galbrethum arce Britannoduni expellit*, *XI.* 19
Semplius (*Rob.*) *Sempliæ Regulus*, *Gul. Crichtonium occidit*, *XV.* 65
—— *unus e ducibus Regiis*, *XIX.* 10
—— *captivus abductus*, *XX.* 17
Senecæ *verſus a Scaligero emendatus*, *II.* 44
Seneciones *qui*, *II.* 2
Servanus *vir ſanctus, a Palladio inſtitutus*, *V.* 16
Servitute *exilium levius*, *IV.* 54
Serum *lactis Inſulanis potio*, *I.* 33
Setonius (*Alex.*) *urbis Bervici præfectus*, *IX.* 10
—— *eam deſperatis ſubſidiis Anglo dedit*, 15
Setonius (*Alex.*) *Alex. F. a Balliolanis cæſus*, *IX.* 5
Setonius (*Geo.*) *Edimburgi præfectus in Galliam miſſus*, *XVI.* 14
Setonius (*Gul.*) *Alex. Bervici præfecti nothus, prælio cæſus*, *IX.* 12
Setonius (*Tho.*) *Alex. F. natu maximus, Anglo obſes datus*, *IX.* 12
—— *contra fidem datam in cruce ſtrangulatur*, 13
Severus *Imp. Ejus vallum*, *I.* 11. 22. 31. *III.* 5. 10. *IV.* 37
—— *adverſus Britannos expeditio*, *IV.* 36
Seveſſius (*Gul.*) *Aſtrologiæ ſtudiis addictus*, *XII.* 34
—— *Archidiaconus Fani Andreæ deſignatus*, ibid.
—— *Patricio Gramo Archiepiſcopo capitalis inimicus*, 35

—— *Archiepiſcopatum obtinet*, XII. 35
Seuna *inſula*, I. 35
—— *aliæ duæ*, 42
Seuta *inſula*, I. 42
Sfortia (*Galeacius*) *a patruo interemtus*, XIX. 28
Siapinſa *inſula*, I. 49
Siaus (*Jac.*) *arcis Sterlinenſis præfectus Regem excludit*, XII. 61
Sibardus *Northumbriæ Regulus*, *Milcolumbi III. avus maternus*, *auxiliis Anglicis præfectus*, VII. 12
—— *copias cum Scotis adverſus Gulielmum Normanum conjungit*, 18
Sibylla *Alexandri I. uxor*, VII. 26
Sigrama *inſula magna & parva*, I. 42
Silvius (*Añd.*) *Largous*, *claſſis Scoticæ præfectus*, XIII. 1
—— *naves Anglicas prælio ſuperatas Letham ducit*, 3
—— *Stephanum Bullum Anglum navali prælio vincit*, 6
Silvius (*Añd.*) *Largous*, *legatus ad Joan. Albinum miſſus*, XIII. 47
—— *a Rege ad deprecandam Com. Leviniæ necem miſſus*, XIV. 29
Silures, *Valliæ incolæ*, II. 27
Simon *Breccus*, VI. 3
Sinclarus (*Gul.*) *Caledoniorum Epiſcopus Anglos ad naves compellit*, VIII. 44
—— *ob id facinus Rob. I. ſuum eum Epiſcopum appellat*, ibid.
—— *in verba Ballioli jurare coactus*, IX. 7
Sinclarus (*Gul*) *a Saracenis prælio cæſus*. IX. 58
Sinclarus (*Gul.*) *Orcadum Comes Cancellarius*, IX. 33
Sinclarus (*Joan. & Valt.*) *in prælio Otterburnenſi fortiſſime dimicant*, IX. 59
Sinclarus (*Joan*) *Epiſcopus Brechinenſis Mariam Reginam ad cædem ſtimulat*, XVII. 7
Sinclarus (*Oliv.*) *dux exercitus Scotici a Rege conſtitutus*, XIV. 60
Sinclarus (*Rob.*) *Orcadum Comes*; *unus ex Jacobi III. cuſtodibus*, XII. 17
Siuna *inſula*, I. 35
Skeniæ *inſulæ duæ*, I. 50
— *aliæ tres*, ibid.
Skennia *inſula*, I. 35
— *alia*, 37
Skia *inſula*, I. 39
Skianacha *inſula*, I. 39
Slegana *inſula*, I. 42
Soa *inſula*, I. 37
— *aliæ tres*, 42
Soabretilla, I. 38
Sodora *oppidum*, I. 34
Solanæ, *marini anſeres*, I. 34. 38
Solanum *ſomniferum*, VII. 6
Solvæus *fluvius*, I. 17
Solvathius *Scotorum Rex*, V. 51
Somervallius (*Alex.*) *Judex in Valt. Millum*, XVI. 19
Somervallius (*Joan.*) *Bodiorum partibus ſe adjungit*, XII. 22
Somervallius (*Joan.*) *Jac. Hamiltonium nothum pugna ſuperat*, XIV. 11
Somervallius (*Joan*) *Camnethamius*, *pecuniam Jacobo Hamiltonio mutuam dat*, XX. 6
Sophocardius (*Geo.*) *Evangelii concionator egregius*, XV. 32
— *captus*, ibid.
— *condemnatus*, 34. 35
— *Cardinali mortem prænuntiat*, 37
— *dein igne crematur*, ibid.
Sorbonici *doctores tres in Scotiam miſſi*, *de religionis capitibus diſceptaturi*, XVI. 41. 63
Spæa *fluvius*, I. 29
— *omnium Scotiæ fluminum rapidiſſimum*, VII. 20. 26
Speia *regio*, V. 8
Spelunca *ex qua aqua diſtillans in lapidum pyramidis vertitur*, I. 27
Spenſius (*David*) *cæſus*, XX. 61
Stabuli *Comes*, *qui Magiſter equitum*, X. 22

Stac-

Stacbadis *inſula*, *I.* 36
Stafa inſula, *I.* 38
Stammoria, *limes inter Scotiam & Angliam, unde dicta*, *VII.* 18
Stephanodunum, *arx in Lorna*, *I.* 28
Stephanus *Boloniæ maritimæ Comes*, *Angliæ regnum occupat*, *VII.* 31
— *injuſtum bellum Scotis infert*, 32
Sterlina *moneta a Sterlino oppido quibuſdam dicta*, *VI.* 6
Sterlinenſis *ager*, *I.* 20. 21
Sterlinum *oppidum*, *I.* 21
— *Anglis deditum*, *VIII.* 17
— *a Scotis receptum*, 40
— *a Scotis oppugnatum & captum*, *IX.* 27
Sterlinus (*Geo.*) *arci Brittannoduni cuſtodiendæ a Levinio appoſitus*, *XV.* 20
Sterlinus (*Joan.*) *arcem lacus Levini oppugnat*, *IX.* 18
— *a Gul. Duglaſſio Lidaliano victus ac fugatus*, 26
Sterlinius (*Gul.*) *Kerius, inter Jacobi III. percuſſores*, *XII.* 61
Stinſiarus *fluvius*, *I.* 20
Stranavernia *regio*, *I.* 30
Strat *quid ſignificet*, *I.* 34
Stratagema, *V.* 28. *VI.* 11. *VII.* 6. *VIII.* 20. 37. *IX.* 28
Strathierna *regio*, *I.* 24
Strato (*David*) *crematus*, XIV. 49
Stroma *inſula*, *I.* 42
— *alia*, 48
Stronza *inſula*, *I.* 49
Strozzius (*Leon*) *Gallicarum triremium præfectus, in Scotiam venit ulturus Cardinalis Betonii mortem*, *XV.* 45
Stuartus *magiſtratus nomen*, *VII.* 19
— *inde Stuartorum familiæ initium*, ibid.
Stuartus *Alanus*) *Jacobi Scotiæ Rectoris F. prælio cæſus*, *IX.* 14
Stuartus (*Alanus*) *Valteri Atholiæ Com. F. Cathaneſiæ Comes, prælio ad Ennerluteam a Don. Balocho cæſus*, *X.* 33
Stuartus (*Alanus*) *Joan. F. Darnilæus, ſeu Darlæus, a Tho. Bodio interemtus*, *XI.* 8. [Hæc familia a Rob. Stuarto Valteri *II.* Scotiæ dapiferi filio ortum ducit, hoc ordine; Robertus, Robertus, Alanus, Joannes, Joannes, Alexander *ejus frater*, Joannes, Alanus, Joannes *primus Darnileæ Regulus, ac deinde Leviniæ Comes*, Matthæus, Joannes, Matthæus, Henricus *Mariæ Reginæ maritus.*].
Stuartus (*Alanus*) *Joannem fratrem Lornæ Regulum captivum tenet*, *XII.* 18
— *a Caleno Cambello in carcerem conjectus moritur*, ibid.
Stuartus (*Alex.*) [*filius Valteri, F. Alani, F. Valteri, F. Fleanchi, F. Banchonis Abriæ Thani*] *Dapifer, ſeu Seneſcallus, Scotiæ, Norvegos prælio ſuperat*, *VII.* 62
Stuartus (*Alex.*) *Buchaniæ Comes, Roberti II. F. natu tertius*, *IX.* 42
— *Elgini ædem incendit*, 67
Stuartus (*Alex.*) *Alex. Buch. Com. F. Marriæ Comes, Scotorum in prælio Harlaenſi dux*, *X.* 18
— *a Donaldo Balocho victus*, *X.* 33
— *ejus adoleſcentiæ vitia*, 44
— *virtutes*, ibid.
Stuartus (*Alex.*) *Valteri F. Mordaci Gubernatoris nepos, in Hiberniam profugit*, *X.* 28
Stuartus (*Alex.*) *Alani Darnilæi frater, Tho. Bodium occidit*, *XI.* 8
Stuartus (*Alex.*) *Dux Albinus, Jacobi III. frater*, *XII.* 17
— *ab Anglis captus & liberatus*, 18
— *in arcem Edimburgenſem raptus*, 39
— *poſt aſtu elapſus in Franciam abit*, ibid.
— *in Angliam tranſvectus*, 40
— *cum Duce Gloceſtriæ Scotiam invadit*, 47

— *ſum-*

— ſumma imperii ad eum defertur, XII. 49
— Jacobum fratrem in liberam regni poſſeſſionem reſtituit, 50
— Dumbarum Anglo tradit, ibid.
— in Gallia moritur, 55
— ejus progenies, ibid.
Stuartus (Alex.) Alex. Albiniæ Ducis F. Moraviæ Epiſcopus, XII. 55. XIX. 27
Stuartus (Alex.) Jacobi IV. nothus, Fani Andreæ Archiepiſcopus in pugna ad Fluidonem cum patre cæſus, XIII. 44
Stuartus (Alex.) Mordaci Gubernatoris F. capite plectitur, X. 28. 29
Stuartus (Alex.) Garlianus cæſus, XX. 60
Stuartus (And.) Jacobi Lornenſis ex Joanna Regina Jacobi I. vidua filius, Moravienſium Epiſcopus, XI. 23
Stuartus (And.) I. Evandaliæ Regulus, Valteri [al. Jacobi] F. Mordaci Gubernatoris N. in Hiberniam profugit, X. 28
— Scotiæ Cancellarius, in Daniam legatus miſſus, XII. 27
— arcem Dumbari capit, 39
Stuartus (And.) Ochiltriæ Regulus, [And. IV. Evandaliæ Reguli F. And. N. Alex. (filii Valteri fratris And. Cancellarii) P.] Reginæ cum Darlæo nuptiis adverſatur, XVII. 47
— in pugna ad Langoſidum vulneratus, XIX. 12
Stuartus (Arcturus) Valteri Gubernatoris filii nothus, in Hiberniam profugit, X. 28
Stuartus (David) Ierniæ Comes, Rob. II. F. IX. 42
— moritur, X. 46
Stuartus (David) Roberti III. filius ac hæres, Rotheſaiæ Dux creatus, X. 4
— Eliz. Dumbaria ei deſponſa, 5
— Mariam Duglaſſiam uxorem ducit, ibid.
— in arce Edimburgenſi ab Henrico IV. Anglo obſeſſus, 7
— ejus effrenis libido, 10
— a Gubernatore patruo ſuo in carcerem incluſus, fame perit, ibid. XIX. 27
Stuartus (Dugallus) viſo nocturno turbatus eo ipſo tempore quo Darlæus trucidatus eſt, XVIII. 17
Stuartus (Duncanus) prædonum dux, X. 1
Stuartus (Gul.) prælio ad Belſiam cæſus, X. 24
Stuartus (Gul.) Lornenſis, in carcerem conjectus, XI. 10
[Hæc familia originem traxit ab Alexandro Stuarto filio minore Roberti Stuarti Darnilæi, regnante Alexandro III.]
Stuartus (Gul.) Epiſcopus Abredoniæ; legatus in Galliam miſſus, XIV. 49
Stuartus (Henricus) Darlæus, Matthæi Leviniæ Comitis F. ex Anglia in Scotiam venit, XVII. 43
— a Maria Regina comiter acceptus, ibid.
— Dav. Rizii cum eo familiaritas, 44
— qui diſcordiarum ſemina inter eum & Moravium ſerit, ibid. 46
— Elizabetha Angla, & Guſii, ejus cum Maria nuptiis adverſantur, 48
— Dux Rotheſaius ac Roſſiæ Comes appellatus, ibid.
— ſectæ Papanæ acerrimus aſſertor, ibid.
— Mariam Reginam uxorem ducit, 49
— Rex præconis voce pronunciatus, ibid.
— Reginæ animus ab eo alienatus, 54
— omni cura publica exutus, ibid.
— Davidem Rizium interimendum curat, 61
— quamvis multitudini Dav. Rizii cædem ſuo juſſu patratam teſtaretur, 64
— edictum tamen ne quis eum cædis conſcium diceret, 65
— a Regina inhumaniter habitus, 54. XVIII. 4

—— *veneno petitus in morbum incidit*, XVIII. 6
—— *convaleſcit*, 7
—— *inſidiæ in ejus caput ſtructæ*, ibid.
—— *Regina cum eo ſimulate reconciliatur*, 9
—— *miſere ſtrangulatur*, 13
—— *oſtenta circa ejus mortem*, 17
Stuartus (*Jacobus*) *Dapifer ſeu Seneſcallus Scotiæ, Alexandri F. unus e ſex Scotiæ Cuſtodibus*, *VIII.* 1 [Hunc Buchananus *Joannem* perperam appellat.]
Stuartus (*Jacobus*) *Duriſderanus*, *Jacobi unius e Scotiæ Rectoribus F. prælio ad Halidonem cæſus*, IX. 14
Stuartus (*Jac.*) *Mordaci Gubernatoris F.* X. 25
—— *Brittannodunum cremat*, 28
—— *in Hibernia profugus moritur*, ibid.
Stuartus (*Jac.*) *Gulielmi Lornenſis frater, Jacobi I. viduam uxorem ducit*, XI. 10
—— *in carcerem conjectus*, ibid.
—— *prædibus datis liberatus*, ibid.
—— *in exilium a Duglaſſio pulſus*, 24
—— *moritur*, ibid.
Stuartus (*Jac.*) *Eques, ab Alexandro Lilio & Rob. Bodio cæſus*, XI. 23
Stuartus (*Jac.*) *Jac. Lornenſis & Joannæ Reginæ F. Buchaniæ Comes*, XI. 23
Stuartus (*Jac.*) *Jacobi IV. nothus*, *Moraviæ Comes*, XIII. 40
—— *ejus elogium*, XIV. 1
—— *Humium de cæde patris accuſat*, 40
XIV. 7
—— *regni Vicarius factus*, 39. 44
—— *in Galliam miſſus*, 49
Stuartus (*Jac.*) *Jacobi V. nothus*, *Reginam in Galliam comitatur*, XV. 55
—— *Anglos magna cum cæde ad mare compellit*, 57
—— *in Galliam miſſus*, XVI. 14
—— *veneno, ut creditur, petitus*, 17
—— *delectus qui cum Argathelio coronam matrimonialem Delphino ferret*, 24
—— *ad Domines Congregationis a Regente miſſus*, 30
—— *ad Fanum Andreæ concedit*, 31
—— *Regens ei pœnam ni redeat interminatur*, 32
—— *ad purioris religionis cultores ſe adjungit*, 33
—— *Reginæ in patriam reditum ſuadet*, XVII. 4. 5
—— *ipſe in Scotiam redit*, 6
—— *ad latrones compeſcendos miſſus*, 22
—— *Marriæ Comes creatus*, 26
—— *Agnes Ketha Comitis Martialis filia uxor data*, ibid.
—— *pro Marria Moravia donatur*, ibid.
—— *ab Huntilæo affectatæ tyrannidis accuſatur*, 28
—— *Bothuelius eum cum Hamiltoniis committere ſtudet*, 29
—— *cum his de eo tollendo conjurat*, ibid.
—— *eorum conſilium ab Aranio ei detectum*, 30
—— *Gordonius eum obtruncare deſtinat*, 31
—— *latrones ſupplicio afficit*, 33
—— *Pont. Rom. & Cardinalis Lotharingus Reginam per literas ad ejus necem incitant*, ibid.
—— *inimicorum conatus eludit*, 35
—— *Joan. Leſlius eum ad cædem prodere renuit*, 36
—— *Huntilæus eum quovis modo tollere ſtatuit*, 38
—— *Huntilæum pugna ad Corrichiam ſuperat*, 40
—— *Bothuelium accuſat*, 45
—— *Regina ab eo alienata exitium ei machinatur*, 46

—— *inſidias evadit*, XVII. 46
—— *a Reginæ cum Darlæo nuptiis averſus, a publico conventu ſe abſtinet*, 47
—— *exilio cum aliis proceribus multatus*, 49
—— *Hamiltoniorum conſilia damnat*, 50
—— *Maxuallius ab eo pecuniam extorquet*, 51
—— *a Regina in gratiam receptus*, 65
—— *Reginæ juſſu morbum ſimulat, ut hoc prætextu Darlæus ipſius ædibus excluderetur*, XVIII. 4
—— *ad uxorem viſendam invita Regina proficiſcitur*, 11
—— *rumores ſparguntur Darlæum ejus ac Mortonii conſilio eſſe interfectum*, 15. 16
—— *in aulam redit*, 18
—— *a Bothuelio petitus*, ibid.
—— *a Regina arceſſitus, fœderi inter ipſam & ſuæ factionis proceres ſubſcribere renuit*, 39
—— *Bothuelii dolos evadit*, ibid.
—— *peregre proficiſcendi veniam impetrat*, 40
—— *domum revertitur*, 55
—— *ac Prorex eligitur*, ibid.
—— *ejus auctoritas decreto publico confirmatur*, XIX. 1
—— *conventibus juridicis operam dat*, 3
—— *ejus conſtantia*, 4
—— *copias contrahit*, 9
—— *Reginæ copias ad Langoſidum profligat*, 10
—— *conventum indicit*, 13
—— *rebelles compeſcit*, 14
—— *in Angliam proficiſcitur*, 16
—— *ad ſuos revertitur*, 30
—— *cum copiis ad ſeptentrionalem regni plagam proficiſcitur*, 38
—— *conventum procerum Perthi habet*, 42
—— *ab amicorum intimis deſertus*, 48
— *adverſus latrones ducit*, XIX. 49
— *ac limites pacat*, 50
— *ab Jacobo Hamiltonio occiſus*, 52
— *ejus elogium*, 54
Stuartus (*Joan.*) *Jacobi Scotiæ Cuſtodis frater, prælio ad Varium ſacellum cæſus*, VIII. 22
Stuartus (*Joan.*) *ejuſdem Jacobi F. prælio ad Halidonem cæſus*, IX. 14
Stuartus (*Joan.*) *Carictæ Comes, poſtea mutato nomine Robertus III. Scotorum Rex*, quem vide.
Stuartus (*Joan.*) *Alexandri F. Darnilæus, diadema Duci Clarentiæ detractum emit*, X. 22
— *equitum Scotorum in Gallia præfectus*, 29
— *ad Jacobum I. a Carolo VII. Franco legatus miſſus*, ibid.
Stuartus (*Joan.*) *Roberti Gubernatoris F. Buchaniæ Comes, Scotorum in Gallia Dux*, X. 20
— *Anglos ad Baugium ſuperat*, 21
— *Magiſter Equitum in Gallia creatus*, 22
— *domum revocatus*, 23
— *rurſus in Galliam navigat*, ibid.
— *pugna ad Vernolium cæſus*, 26
Stuartus (*Joan.*) *Rufus, Roberti III. ut videtur nothus, ab Jacobo Stuarto Mordaci F. cæſus*, X. 28
Stuartus (*Joan.*) *Jacobi Lornenſis ex Regina Joanna F. I. Atholiæ Comes*, XI. 23
— *Beatricem Duglaſſiam uxorem ducit*, 45
— *a Donaldo Inſulano captus*, XII. 19
— *dimiſſus*, ibid.
— *pacis inter Regem & ſuos interpres & pignus*, 60
Stuartus (*Joan.*) *Jacobi III. frater Mariæ Comes*, XII. 17
— *vena reſciſſa mori coactus*, 38
Stuartus (*Joan.*) *Dux Albinus, Alexandri F.*

F. *Jacobi II. N. Prorex electus,* XIII. 47
—— *in Scotiam appellit,* XIV. 1
—— *Heburnus in ejus familiaritatem obrepit,* 2
—— *Reginam matrem in ſuam poteſtatem redigit,* 4
—— *legatos in Angliam mittit,* ibid.
—— *Humium capitali ſupplicio afficit,* 7
—— *in Galliam abit,* 9
—— *in Scotiam redit,* 13
—— *adverſus Anglos exercitum cogit,* 14
—— *cum iis paciſcitur,* 15
—— *in Galliam rurſus proficiſcitur,* 16
—— *in Scotiam revertitur,* 18
—— *exercitus ab ipſo conſcriptus Angliam ingredi renuit,* 22
—— *Vercam arcem oppugnat,* ibid.
—— *tertium in Galliam abit,* 23
Stuartus (*Joan.*) *Matthæi F. III. Leviniæ Comes, Proregi rebellis,* XIV. 6
—— *in gratiam receptus,* ibid.
—— *Duglaſſio ſe adjungit,* 25
—— *unus e regni Cuſtodibus a ſua factione electus,* ibid.
—— *a Duglaſſiis alienatus,* 26
—— *ab aula diſcedit,* 27
—— *ab Hamiltoniis prælio cæſus,* 29
Stuartus (*Joan.*) *Joan. Levinii F. ſatellitum Scoticorum in Gallia præfectus, in cuſtodiam incluſus,* XV. 28
Stuartus (*Joan.*) *Jacobi V. nothus, Calſonis Abbas. Ejus de ſtipatoribus Reginæ corpori aſſumendis commentum,* XVII. 23
Stuartus (*Joan.*) *Joan. F. Joan. N. Joan. P. IV. Atholiæ Comes, Darlæi cædem moleſtiſſime fert,* XVIII. 18
—— *adverſus Reginam & Bothuelium conjurat,* 41. 46
—— *ſua cunctatione occaſionem rei gerendæ amittit,* XVIII. 43
—— *a Reginæ partibus ſtat,* XX. 7
Stuartus (*Matthæus*) *Joan. F. II. Leviniæ Comes, ab Joan. Dromundo victus,* XIII. 5
—— *Margaritam Hamiltoniam uxorem ducit,* 9
—— *unus ex Jacobi IV. ad Fluidonem ducibus,* 38
Stuartus (*Matthæus*) *Joan. F. Matthæi N. IV. Leviniæ Comes, a Regina & Cardinale e Gallia excitus Hamiltonio æmulus,* XV. 8
—— *quatuor millibus hominum comitatus ad Reginam venit,* 10
—— *inani ſpe nuptiarum Reginæ viduæ deluſus,* 8. 12
—— *fraude intellecta vindictam meditatur,* 13
—— *adverſus Hamiltonium Proregem copias contrahit,* 13. 14
—— *cum Prorege paciſcitur,* 14
—— *Franciſcus Gallus ab eo alienatus,* 14. 16
—— *ad Gallum epiſtolam ſcribit,* 16
—— *Angli animum explorat,* 19
—— *in Angliam profectus a Rege honorifice ſuſcipitur,* 20
—— *Margaritam Duglaſſiam uxorem ducit,* ibid.
—— *ad Gallum a Proregis legato accuſatur,* 27
—— *in Scotiam reverſus,* 52
—— *Jacobum Duglaſſium Drumlanricenſem, multis captis, in fugam vertit,* 52
—— *remiſſo exilio patriæ reſtitutus,* XVII. 43
—— *ab Elizabetha Angla revocatus,* 48
—— *redire renuit,* ibid.
—— *ad Reginam de nece filii conqueritur,* XVIII. 23
—— *ex Anglia reverſus,* XX. 17

—— *primo Interrex,* XX. 19
—— *mox Prorex creatur,* 20
—— *conventum indicit,* 21
—— *adverſus Huntilæanos ducit,* ibid.
—— *Britannoduni arcem recipit,* 32
—— *erga Flaminii arcis præfecti uxorem liberalitas,* 33
—— *de Archiepiſcopo Fani Andreæ ſupplicium ſumit,* ibid.
—— *conventum Edimburgi extra pomœria habet,* 50
—— *dum comitia Sterlini agit,* 58
—— *a Reginenſibus necopinatus opprimitur,* 59
—— *atque ex vulnere decedit,* 62
Stuartus (*Mordacus*) *Fifæ Comes, Roberti Ducis Albiniæ F. in prælio ad Homeldonum captus,* X. 8
—— *patriæ redditus,* 19
—— *patri in gubernatione ſuffectus,* 23
—— *filios ſuos regere nequit,* 23. 25
—— *Jacobum I. ab Anglis repetendum curat,* ibid.
—— *quem reverſum in ſede Regia coronandum collocat,* 27
—— *in cuſtodiam incluſus,* 28
—— *capitali ſupplicio affectus,* 29
Stuartus (Robertus) Valteri F. *Vid.* Robertus II.
Stuartus (*Robertus*) *Roberti II. F. Fifæ Comes, regni Gubernator factus,* IX. 64
—— *Angliam populatur,* ibid.
—— *Dux Albiniæ creatus,* X. 4
—— *Davidem Rob. III. filium fame mori cogit,* 10
—— *regni gubernatio ei confirmata,* 15
—— *Rex de morte filii cum eo expoſtulat,* 12
—— *adverſus Donaldum Inſulanum copias parat,* 18
—— *Petro Lunæ, qui ſe Pont. Rom. ediderat, favet,* 19
—— *ad Delphinum auxilia mittit,* X. 20
—— *moritur,* 22
Stuartus (*Rob.*) *Jacobi F. Duriſderanus in Hibernia militat,* IX. 53
Stuartus (*Rob.*) *Roberti Ducis Albiniæ F. prælio ad Vernolium cæſus.* X. 24
Stuartus (*Rob.*) *Jacobi V. nothus, inſidias Darlæo ſtructas ei indicat,* XVIII. 10
Stuartus (*Thomas*) *Joan. F. Alex. N. Joan. ad Varium ſacellum occiſi P. II. ex ea familia Anguſiæ Comes, Bervicum capit,* IX. 34
Stuartus (*Valterus*) *Fleanchi F. Banchonis N. Gallovidianos rebellantes compeſcit,* VII. 19
—— *Stuartus* [*ſeu* Seneſcallus] *Scotiæ conſtitutus,* ibid.
—— *quo initium familiæ Stuartorum,* ibid.
Stuartus (*Valt.*) *Jacobi, unius e ſex Scotiæ Cuſtodibus, F. Mariam* (*ſeu Marjoriam*) *Roberti I. filiam uxorem ducit,* VIII. 42. 50
—— *moritur,* 56
Stuartus (*Valterus*) *Roberti II. F. Atholiæ Comes,* IX. 42
—— *in Jacobum I. conjurat,* X. 46. 55
—— *ejus ſupplicium,* 58
Stuartus (*Valt.*) *Mordaci Gubernatoris F.,* X. 25
—— *ejus in patrem inſolentia,* ibid. 43
—— *Calenum Cambellum injuria afficit,* X. 25
—— *accuſatus,* 26
—— *in cuſtodiam incluſus,* 28
—— *capitali ſupplicio affectus,* 29
Stupra *inulta non manent,* X. 10
Suardi (*Rich.*) *perfidia,* VIII. 16
Sueno *regnum Anglorum adipiſcitur,* II. 37
—— *in Scotiam venit,* VI. 48
—— *adverſus Scotos exercitum mittit,* ibid.
—— *quo deleto,* 50
—— *Canutum filium cum novo delectu mittit,* 51

— *cum Scotis paciſcitur*, VI. 51
Sueno *Suenonis F. Scotiam invadit*, VII. 5
— *majore ſuorum parte cæſa ipſe ægre evadit*, 7
Suffragiorum *vis imminuta*, VI. 15
Suilskeraia *inſula*, I. 44
Suintonius (*Joan.*) *Ducem Clarentiæ vulnerat*, X. 21
Suintonius (*Tho.*) *prælio ad Vernolium cæſus*, X. 24
Suilius (*Gul.*) *Bervici præfectus*, *majeſtatis damnatur*, VIII. 46
Sumerledus, *Argatheliæ Thanus*, *in ſpem regni erectus*, VII. 37
— *Gilchriſtio Comite Anguſiæ profligatur*, ibid.
— *captus*, 42
Sumerledus *Sumerledi F. novum tumultum ciens*, *vincitur*, VII. 57
Suna *inſula*, I. 49
Supplicia *exquiſita ſpectantes efferant*, X. 59
Sutherlandia *regio*, I. 30
Sutherlandiæ Comes, *Vid.* Gordonius,
Sutherlandus (*Alex.*) *Gulielmi F. Kennethi N. regni hæres declaratus*, IX. 37
— *moritur*, ibid.
Sutherlandius (*Kennetbus*) *VI. Sutherlandiæ Comes*, *prælio cæſus*, IX. 14
Symphonici *pœnis compreſſi*, IX. 1

T.

TAICHIA *regio*, I. 23. V. 8
Taichus *fluvius*, I. 24
Talbotus (*Rich.*) *unus ex Eduardi Ballioli ducibus*, IX. 5
— *ab Eduardo Anglo in Scotia relictus*, 15
— *captus*, 16. 25
Taliferreus (*Laurentius*) *ſe Jacobum IV. Tuedam tranſeuntem Buchanano vidiſſe narrat*, XIII. 41
Tameſis *fluvius*, I. 17
Tanaſta *inſula*, I. 36
Taodunum *oppidum*, I. 25
— *ejus etymon*, VII. 49
Taranſa *inſula*, I. 42
Tarſcheraia *inſula*, I. 36
Tarvedum *promontorium*, I. 31
Tatii *duo Starhedum Anglum interficiunt*, XIII. 26
Taurinum *caput olim apud Scotos cædis teſſera*, XI. 17
Taus *flluviorum Scotiæ maximus*, I. 25
— *ejus inundatione Bertha diruta*, VII. 50
Taus *lacus*, I. 25
Templum *Claudii Cæſaris*, I. 22
Termini *templum*, I. 21. IV. 38
Termius (*Paulus*) *auxiliorum Gallicorum præfectus*, *in Scotiam miſſus*, XV. 62
Teviotia *regio*, I. 17. V. 8
Teviotus *fluvius*, I. 17
Texa *inſula*, I. 36
Textoris *inſula*, I. 36
Thanatos *inſula*, III. 6
Thani, *i. e. regionum præfecti*, VI. 52. VII. 19
Thereus *Scotorum Rex*, IV. 13
— *ad Brittones confugit*, ibid.
Thiana *inſula*, I. 35
Thomas *Gallovidianus Alani nothus*, *cæſus*, VII. 57
Torintonius (*Pat.*) *Joan. Sandelandium occidit*, XI. 45.
Throgmortonius (*Nic.*) *Reginæ Angliæ legatus*, *nuptias Mariæ Scotæ cum Darlæo impedire conatur*, XVII. 48
Thyle *inſula*, III. 3
Tina *fluvius*, I. 18
Tireia *inſula*, I. 38
Tora *inſula*, I. 42

Trajani *dictum*, XX. 38
Trajectus *inſula*, I. 35
Tralius (*Valt.*) *Fani Andreæ Epiſcopus moritur*, X. 10
Triaracha *inſula*, I. 35
Tributorum *impoſitio periculoſa*, X. 27
— *eorum coactores partem avertunt*, ibid.
— *tributum exactum reſtitutum*, 54
— *belli cauſſa*, XIII. 15
— *coactores occiſi*, ibid.
— *Regens novorum tributorum excogitatione ſuorum animos offendit*, XVI. 7
— *tributa remittuntur*, 10
Trimarchia, II. 45. 47
Trojani *genere Græci*, II. 9
Trondra *inſula*, I. 50
Tueda *fluvius*, I. 17. 18. 19
Tuedia *regio*, I. 18. V. 8
Tuemen *inſula*, I. 42
Tuilmena *inſula*, I. 39
Tuina (*Laurentius*) *Eduardum Balliolum ad Scotiæ regnum occupandum hortatur*, IX. 4
Turgotus, *Epiſcopus Fani Andreæ*, VII. 22
Turſtanus, *Archiepiſcopus Eboracenſis ad Davidem I. pacificator miſſus*, VII. 33
Tyrannis *diu ſtare non poteſt*, VII. 1
— *ejus radices quomodo reciderit Finnanus*, IV. 15
Tyrannorum *avaritia opulentiores ad ſupplicia trahit*, IV. 21

V.

VALAIA *inſula*, I. 42
Valentinus (*Odomarus*) *Pembrociæ Regulus, Scotiæ Prorex*, VIII. 26
Valis *inſula*, I. 49
Valla *inſula*, I. 50
Vallas (*Gulielmus*) *ob ſingularem fortitudinem Scotorum Prorex appellatur*, VIII. 18
— *Anglos variis in locis ſuperat, ac multas arces expugnat*, VIII. 19
— *Creſſingamium devincit*, 20
— *in Angliam exercitum ducit*, 21
— *ejus cum Bruſſio colloquium*, 23
— *magiſtratu ſe abdicat*, ibid.
— *in patriam amor*, ibid. 25
— *a familiari ſuo proditus, ac Angli juſſu fœdiſſime laniatus*, 29
— *ejus elogium*, ibid.
Vallas (   ) *Cragiæ Comarchus, fortiſſime pugnat*, XI. 29
— *vulneribus moritur*, 30
Vallia, I. 17
— *unde dicta*, II. 27
— *ejus pars Roſſia vocata*, ibid.
Vallum Hadriani. *Vid.* Hadrianus
Vallum Severi. *Vid.* Severus
Valterus Fleanchi filius. *Vid.* Stuartus
Vanora *Arcturi Regis Brittonum uxor*, V. 28
Varar *olim dicta quæ nunc Moravia*, I. 29
Varbecus (*Petrus*) *impoſtor in Scotiam appellit*, XIII. 10
— *ficta ejus ad Regem oratio*, 12
— *ab eo honorifice tractatus*, 14
— *Catharina Gordonia uxor ei data*, ibid.
— *laqueo vitam finit*, 18
Varenus (*Joan.*) *Surriæ Comes, Scotiæ Prorex*, VIII. 17
Vaterſa *inſula*, I. 39
Vaticinium *maleficarum impletum*, X. 58
Vauſius (*Laur.*) *a Gul. Duglaſſio ſuperatus*, IX. 26
Uderga *inſula*, I. 35
Vecturiones, I. 25
Vemius (*David*) *cum aliis lacus Levini oppugnat*, IX. 18
Vemius (*Joan.*) *ad Regentem miſſus*, XVI. 8
Vemius (*Mich.*) *in Norvegiam legatus*, VIII. 3
Vemius (*Mich.*) *cohortis in Dania præfectus*,

ctus, in Scotiam rediens Regiis partibus ſe adjungit, XX. 52
Veneficarum ad Regem Duffum tollendum artificium, ejus effigiem ceream lento igne torrentium, VI. 21
Verra inſula, I. 49
Vercæ arcis forma, XIV. 22
Vervedrum promontorium, I. 31
Veſtis lugubris primum in Scotia uſus incipit, XIV. 53
Veſtmaria a Scotis occupata, V. 19
— ademta, VI. 16
— reſtituta, 18
Veſtra inſula, I. 49
Veteri ponte (Alanus a) arcem lacus Levini impigre propugnat, IX. 18
Vetuſtum Caſtellum inſula, I. 42
Vexaia inſula, I. 42
Via inſula, I. 50
Viccoilla inſula, I. 42
Viceſima rerum mobilium in Scotia imperata, X. 27
Vici Fabrorum inſula, I. 35
Victorinus in Britanniam miſſus, IV. 54
Vidogara ſinus, I. 19
Viennenſis (Joan.) in Scotiam miſſus, IX. 49
Vigilæ in caſtris neceſſariæ, VIII. 55. IX. 6 44
Vikergana inſula, I. 35
Viniramus (Joan.) de hæreſi concionatur, XV. 34
Vino e frugibus corruptis confecto Brittanni utuntur, I. 1
Vinum a Scotis ſucco veneficæ herbæ infectum, VII. 6
Viridis inſula, I. 35
— aliæ quatuor, 38
Viſtus inſula, I. 41.
Vitellius Saxo a Scotis cæſus, V. 35
Vituli marini, I. 41
Vitulina inſula, I. 35
Ulva inſula, I. 38
Ultionis importuna cupiditas pernicioſa, IV. 45. 54
Voadica fœmina Britannorum dux Romanos invadit ac trucidat, III. 3
Vodius, Vid. Silvius
Volſæus (Tho.) Cardinalis ambitioſus, XIV. 20
Vonneda inſula, I. 50
Vortigernus Monachum Brittonum Regem creat, V. 14
—— quem poſtea obtruncandum curat, 15
—— ipſe regnum occupat, ibid.
—— ac Saxones ſibi conciliat, ibid.
—— quorum auxilio Scotos Pictoſque ultra vallum Hadriani repellit, ibid.
Votimerus Brittonum Rex cum Scotis & Pictis fœdus renovat, V. 16
Ura inſula, I. 50
Urbium plurimarum nomina in BRIA, BRIGA, ſeu BRICA deſinentia, II. 31
—— item in DUNUM, 33
—— & DURUM, 34
—— & in MAGUS, 35
Urus fluvius, I. 19
Uſabraſta inſula, I. 36
Uterius fratri in Britanniæ regno ſuccedit, V. 20
—— fœdum ipſius flagitium, 22
Utile honeſto nonnunquam in aulis principum præponitur, X. 14
Vulgi ardor facile reſtinguitur, XVIII. 44
Vuſta inſula, I. 50
Uxellum apud Cæſarem forte pro Ocello, II. 36

W.

W GEMINVM non facile niſi a Germanis profertur, I. 8. II. 26
Wallia, Vid. Vallia

Wallowithia, II. 27
Walſch *ſeu Welſch Germanis quid ſignificet*, II. 27. IV. 26

X.

X LITERA *Hiſpani pro duplici SS utuntur*, II. 26

Z.

ZEAL *inſula*. I. 50
Zelandicæ *inſulæ*, I. 37
—— *alias Hetlandicæ dictæ*, I. 52
Zeviota *mons*, I. 10

FINIS.

PROPRIORUM NOMINUM IN GEORGII BUCHANANI RERUM SCOTICARUM Hiſtoria occurrentium *INTERPRETATIO.*

A.

ABERBROTHIUM, *Aberbrothock*, oppidum & Cœnobium Anguſiæ.

Abercornum, *Abercorn Caſtle*, arx in præfectura Limnuchenſi.

Aberdonia ſeu Abredonia, *Aberdeen*. Duæ ſunt eodem nomine urbes, altera ad Donæ, altera ad Deæ fluminis oſtium ſitæ; hæc Nova Urbs vulgo appellata, Scotiæ Septentrionalis facile prima, civium humanitate & ædificiorum eleganti ſtructura memorabilis, Abredæa potius appellari debuit: illa ſede Epiſcopali & Academia omnium artium ſtudiis florente nobilitata Veteris Urbis cognomine diſtinguitur. Utraque in regione Marriæ ad mille paſſuum intervallum a ſe mutuo diſtantes.

Abernethium, *Abernethy*, Ierniæ oppidum, quondam rei Picticæ caput, & Primatis Epiſcopi ſedes.

Abrenethius, *Abernethy*, cognomen.

Abredæa, *Vid.* Aberdonia.

Abria, *Lochaber*, Scotiæ Septentrionalis regio.

Abridica, *Erisbach*, inſula ad Lornæ ram ſita.

Abrinca, *idem quod* Aberbrothium.

Achleccus & Achinleccus, *Auchinleck* or *Afleck*, cognomen Scoticum.

Achnarra, *Achnar*, inſula Leogum ab occaſu ſpectans.

Ada-

Adami inſula, *Iſland Adam*, prope Haraiam.

Æbudæ, *The Weſtern Iſles*, eo nomine appellantur omnes in mari Deucaledonio a Rona ad Mannam ſparſæ inſulæ, numero fere 300, Scotiæ ab occaſu obverſantes.

Æbudani & Æbudenſes; Æbudarum incolæ,

Ægidius, *St. Giles*, Scotus vitæ ſanctitate clarus, Edimburgenſium Divus tutelaris olim habitus.

Æliotus, *Eliot or Ellot*, cognomen.

Æmodæ inſulæ, eædem quæ Æbudæ.

Æmona, *Inch Colme, or St. Columb's Iſle*, inſula in æſtuario Forthæ ſita, cœnobio D. Columbæ celebris.

Æneas, *Angus*, proprium viri nomen.

Æneia, vetus Anguſiæ regionis nomen.

Aera, *Air*, oppidi & fluvii ipſum alluentis in Coila regione nomen.

Ai vel Aii Oſtium, *Aymouth*, oppidum ad Aium amnem, qua Fortham ſubit, ſitum.

Ainia, *Enzie or Einie*, regiuncula inter Boinam & Moraviam in Præfectura Banfienſi jacens.

Aus ſeu Aius, *Eye or Aye*, Marciæ amnis.

Albinia, *Albany*, Ducis titulus, quo, qui Regem Scotorum proxime poſt regni hæredem ſanguine attingit, inſignitur. Inde

Albinus ſeu Dux Albinus, *The Duke of Albany*.

Albium ſeu Albion, antiquiſſimum Britanniæ nomen.

Album Fanum, *White Kirk*, Lothianæ orientalis pagus ad Tinam amnem.

Alectum, vetus Taoduni nomen a quibuſdam creditum.

Allerto, *Allerton or North-Allerton*, vicus in agro Eboracenſi.

Alloa, *Alloway*, arx & oppidum in præfectura Clacmanana.

Almo, *Almond*, fluv. præfecturam Edimburgenſem a Limnuchenſi dirimens.

Alnevicus ſeu Annevicus, *Alnwick*, vulgo *Annick*, Northumbriæ oppidum.

Aluredus vel Alfredus, *Alfred*, Saxonum Rex.

Ambianum, *Amiens*, urbs Galliæ, Picardiæ primaria. Inde

Ambianenſis Epiſcopus, *The Biſhop of Amiens*.

Anas Hiſpaniæ fluvius, nunc *Guadiana* dictus.

Ancramium, *Ancrum*, Baronia (ut noſtri loquuntur) in Teviotia.

Andegavia, *Anjou*, Galliæ provincia.

Andegavi & Andes, Andegaviæ incolæ.

Andegavus & Andegavenſis *ſcil*: Comes ſeu Dux, *The Earl or Duke of Anjou*.

Anguſia, *Angus*, Scotiæ regio.

Anguſius, *The Earl of Angus*, Comitis Scoti titulus.

Angli, *The Engliſh*, populus Britanniam Auſtralem incolens.

Anglia, *England*, regnum longe fertiliſſimam Britanniæ majoris partem complectens.

Annandia, *Annandale*, regio ſeu Seneſcallatus in præfectura Drumfriſienſi.

Annandus, *Annand*, fluvius, & ad ejus oſtium ſitum oppidum, unde regioni nomen inditum.

Annevicus, *Vid.* Alnevicus.

Apolecti, *The Lords of the Articles*, octo viri e tribus regni Ordinibus electi, quibus officium dabatur res in publicis Comitiis diſceptandas proponere.

Aqueus, *Stephen D'Aix*, Gallus.

Aquitania, *Aquitaine*, Galliæ provincia: jam fere pro Ducatu Guiennenſi accipitur.

Arania, *Aran*, inſula in æſtuario Glottæ. Unde

Aranius, *The Earl of Aran*, titulus primo Principis Bodiorum, deinde Hamiltoniorum, qui nunc Dux Hamiltoniæ.

Arellius, *The Earl of Errol*, titulus Comitis Scoti, qui ſummus regni Conſtabularius & Hajorum Princeps.

Areskinus, *Erskine or Areskine* cognomen. Nonnunquam pro familiæ ejus principe accipitur, qui *The Lord Erskine and Earl of Mar.*

Argathelia, *Argyle*, Scotiæ regio. Unde

Argathelius, *The Earl*, qui nunc *Duke of Argyle*, Cambellorum Principis titulus.

Armiſtrangius, *Armſtrang*, cognomen.

Arnotus, *Arnot*, cognomen.

Arundellius, *The Earl of Arundale*, Comitis Angli titulus.

Atholia, *Athole*, regio, præfecturæ Perthenſis pars. Inde

Atholius, *The Earl of Athole*, Comes Scotus, cui Stuarto erat cognomen.

Atona, *Ayton*, Marciæ oppidulum ad Aium fluv. ſitum.

Atrebates, *Arras*, populus & urbs Galliæ Belgicæ, caput regionis quæ recentioribus Arteſia, vulgo *Artois* appellatur.

Avallonia, *Glaſtney Iſland and Glaſtenbury*, inſula & in ea Cœnobium in agro Somerſetenſi.

Avaricum Biturigum, *Bourges*, urbs Galliæ, Biturigum caput.

Avennus, *Aven or Even*, multorum in Scotia fluviorum nomen.

Aumalius, *The Duke d' Aumal*, Ducis Galli e familia Guſiana oriundi titulus.

Avon, Walliæ fluvius.

Aurelia, *Orleans*, urbs Galliæ clariſſima ad Ligerim ſita.

Aureliacum, *Orilhac*, oppidum Galliæ in Arvernia ſuperiore.

Avus, *Loch-Awe*, or *Loch-Owe*, Lacus in Argathelia, e quo ejuſdem nominis fluvius erumpit.

B.

BACA, *Iſland Back*, inſula parva prope Mullum.

Badenacha, *Badenoch*, Scotiæ regio in præfectura Ennerneſſenſi.

Bajocenſis Epiſcopus, *The Biſhop of Baieux*, a Bajoco Normaniæ oppido.

Balbridum, *Panbride*, Anguſiæ vicus.

Balcomium, *Balcomy*, arx ſive villa Lermontiorum, in orientali Fifæ angulo ædificata.

Baledgar, *Ballegary*, villa Goreæ ab Edgaro exſtructa.

Balfurius, *Balfour*, cognomen.

Balliolus, *Balliol*, nomen gentilitium duorum Scotiæ Regum.

Ballus, *Ball*, ſacrificuli Angli cognomen.

Balnavius, *Balnaves*, cognomen.

Balochus, *Baloch*, i. e. maculoſus, cognomen.

Balvaniæ Baro, *The Lord Balvany*: ea regiuncula eſt in præfectura Banfienſi.

Bamburgum, *Bamborrow*, arx Northumbriæ.

Bannatinus, *Bannatine*, vulgo *Ballantine* vel *Ballanden*, cognomen.

Banus, *Bayne or Bane*, cognomen ſeu agnomen Scoticum.

Barclaius, *Barclay*, cognomen.

Barodunum, idem quod Dumbarum.

Baronia, *The Barony of Renfrew*, regio ſeu præfectura Scotica, Glottiam & Cunigamiam interjacens, olim Stuartorum patrimonium.

Baſſa, *The Baſs*, inſula ſeu ſcopulus in æſtuario Forthæ, in quo arx inexpugnabilis Gulielmi III. juſſu nuper everſa.

Batavi, *The Hollanders*, Hollandiæ incolæ.

Baugium, vel potius Balgium, *Bauge*, vicus Andegaviæ.

Bedfordia, *Bedford*, præfecturæ Anglicæ urbiſque in ea præcipuæ nomen.

Bei, Scotis ſinum ſignificat, nunc *Bay* ſcribitur.

Belgæ, olim Galliæ populu, snunc Germaniæ inferioris incolæ. Inde

Belgium, *The Netherlands or Low Countries*, quo nomine 17 Germaniæ inferioris provinciæ appellantur.

Bellomontius, *Beaumont*, cognomen & honoris titulus.

Bellus, *Bell*, cognomen.

Belſia, *Beauce*, Galliæ regio in provincia Aurelianenſi.

Benedictini, Monachi ordinis D. Benedicti, quod pulla veſte utantur, vulgo *The Black Friars* dicti.

Bertha, i.q. Perthum.

Berubium, *Dunsby Head*, Cathaneſiæ promontorium.

Bervicum, *Berwick*, Marciæ oppidum ad Tuedam ſitum.

Bilandum, *Byland*, Cœnobium in agro Eboracenſi.

Biſetus, *Biſſet or Bizet*, cognomen.

Biturigenſis Archiepiſcopus, *The Archbiſhop of Bourges*.

Bituriges, Galliæ populus, regio autem *Berry* dicitur, cujus metropolis Avaricum, *Bourges*.

Blacaterus, *Blacater or Blacader*, cognomen.

Blacneſſum, *Blackneſs Caſtle*, arx in præfectura Limnuchenſi.

Blara, *Blair*, vallis in ſuperiore Atholiæ parte; in qua

Blarum, *The Caſtle of Blair*, arx Blaræ Atholiæ regiunculæ.

Bleſenſis Comes, *The Earl of Blois*; Comitis Galli titulus, ab urbe Bleſis, *Blois*, ad Ligerim ſita.

Bodius, *Boyd*, cognomen; aliquando Bodiæ Regulus vulgo *The Lord Boyd* ea voce indigitatur, cujus familiæ Princeps eſt qui nunc *The Earl of Kilmarnock* inſignitur.

Bodotria, vetus fluvii Forthæ nomen.

Bogia & Bogiana vallis, *Strathbogy*, regio ad Bogiam fluvium ſita in præfectura Aberdonienſi.

Boina, *Boyne*, regiuncula in præfectura Banfienſi.

Bononia maritima, quæ & Bononia Belgica & Bononia Morinorum, *Bologne ſur la Mer*, caput regionis Bononienſis, vulgo *Le Bolognois*, in Picardia Galliæ provincia.

Borthuicum, *Borthwick*, arx Lothianæ. Unde

Borthuicus, *Borthwick*, cognomen.

Bothuelius, *The Earl of Bothwel*, Comitis Scoti titulus. Item, cognomen.

Bovius, *Bowes*, cognomen.

Bradus, *Braid*, cognomen.

Brechinius, *Brechin*, cognomen.

Brechinum, *Brechin*, oppidum & ſedes Epiſcopalis in Anguſia.

Brema, *Breme*, urbs Germaniæ ex Hanſeaticis una. inde Bremenſis.

Briangius, *Briangie*, cognomen Anglicum.

Briennus lacus, *Loch Broom or Brian*, lacus ſeu ſinus maris in occidentali Roſſiæ latere.

Brigida, *St. Bride*, Scota vitæ ſanctitate celebris.

Brigidana, *Bridi*, parva inſula prope Ilam.

Briſtonicus portus, *The Haven of Breſt*, in Britannia minore Galliæ provincia.

Britannia, *Britain*, inſula Europæ longe maxima, totius orbis celeberrima.

Britannia minor, *Bretagne or Little Britanny*, Galliæ provincia.

Britannodunum, *Dumbarton or Dumbritton*, oppidum & arx munitiſſima in Levinia.

Britannus, *Britain*, Joannis Richemondiæ Comitis cognomen.

Britannus, *Barton*, cognomen Scoticum.

Brittones, *The Britains or Britons*, priſci Britanniæ Auſtralis incolæ.

Brochtia, *Brochty Caſtle*, arx Anguſiæ ad Tai æſtuarium duo millia infra Taodunum ſita.

Brunus, *Brown*, cognomen.

Bruſſius, *Bruce*, cognomen. Sæpius pro Roberto I. Scotorum Rege fortiſſimo, cui id cognomen fuerat, accipitur.

Buchania, *Buchan*, regio in præfectura Aberdonienſi.

Bullocus, *Bullock*, cognomen.

Bullus, *Bull*, cognomen.

Burbonius, *Bourbon*, cognomen & familia Regis Francorum.

Burdegala, *Bourdeaux*; Vaſconiæ Galliæ provinciæ caput.

Burgundia, *Burgundy*, Galliæ provincia. Unde

Burgundiones, *The Burgundians*, ejus provinciæ incolæ.

Burgundus, i.e. Burgundiæ Dux.

C.

CALDERANUS, *The Lord of Calder*, qui nunc *Lord St. John*, & *Lord Torphichen* nuncupatur.

Caledones & Caledonii, Picti Caledoniam habitantes.

Caledonia, proprie eam Scotiæ regionem complectebatur, quæ ab orientali latere cum longo illo montium ab Aberdonia Cumbriam uſque porrectorum tractu continuatur: haud raro tamen pro univerſa Scotia accipitur.

Caledonia ſilva, ingens in ea regione ſaltus, Scotos a Pictis dirimens.

Caledonium ſeu Caledoniorum oppidum, *Dunkeld or Dunkelden*, urbs & ſedes Epiſcopalis in præfectura Perthenſi.

Calenus, *Coline*, nomen Scoticum Cambellorum familiæ frequentiſſimum.

Caliſium, *Calais*, Morinorum ſeu Picardiæ oppidum, a quo breviſſimus e Gallia in Britanniam trajectus.

Calſo, *Kelſo*, oppidum & Cœnobium Teviotiæ.

Cambellus, *Campbel*, cognomen florentiſſimæ in Scotia familiæ, cujus Princeps Comes Argathelius, Ducum numero haud ita pridem adſcriptus.

Cambri, iidem qui poſtea Valli, *The Welſh*.

Cambria, eadem quæ Vallia, olim regnum, nunc Angliæ provincia.

Cambrobritanni, i.q. Cambri.

Camelodunum, *Maldon*, Eſſexiæ oppidum. Boëtio creditur fuiſſe Pictorum regia ad Carrontem fluvium ſita, ubi caſtri Romani veſtigia quædam adhuc ſuperſunt, qui locus vulgo *Camelon* dicitur.

Camerius & Camerarius, *Chalmers or Chambers*, cognomen.

Cameronii, *The Camerons or Clan Cameron*, priſcorum Scotorum familia, cujus Princeps Toparchus de *Loch Yeal*, aut *Loch-Ioll*.

Cameronus, *Cameron*, cognomen.

Cames & Kampſos, *Keams or Cames*, arx in Bota inſula.

Camiſkennethum, *Cambuskenneth*, cœnobium prope Sterlinum.

Camnethamius, *The Laird of Camnetham*, is autem pagus eſt paullo ſupra Hamiltonium in præfectura Glottiana.

Canabea, *Canoby*, Monaſterium ſeu Prioratus (quem vocant) in Scotiæ limite ædificatus.

Candida Caſa, *Whithern*, cœnobium & ſedes Epiſcopalis haud procul a Victone Gallovidiæ oppido. Epiſcopus Candidæ Caſæ, *The Biſhop of Galloway.*

Canemora, *Kenmore*, arx Marriæ.

Cantiera, *Kintyre*, regio ſeu peninſula parvo Iſthmo a Cnapdalia diremta. Cantieræ promontorium, *The Mule of Kintyre.*

Cantium, *Kent*, Angliæ regio.

Cantuaria, *Canterbury*, Cantii caput, & totius Angliæ Primatis ſedes Metropolitica.

Capraria, *Ilan Na Buck*, inſula ad oram Lornæ prope Kerveram.

Caralia, *Carail* vulgo *Cryle*, oppidum in orientali Fifæ angulo ædificatum.

Cardroſſia, *Cardroſs*, Cœnobium in Levinia.

Carićta, *Carićt*, regio Coilam & Gallovidiam interjacens.

Carleolum, *Carlile*, Angliæ oppidum & ſedes Epiſcopalis.

Carnagius, *Carnegy*, cognomen antiquæ familiæ cujus Princeps eſt Jacobus Sutheſquiæ Comes.

Carnarivanus, ita dictus eſt Eduardus II. Angliæ Rex ab arce Valliæ *Caernarvan* appellata, in qua natus eſt.

Carnicrucius, *Cairncroſs*, cognomen.

Carnocenſis, *The Laird of Carnock*, Eques Scotus nomine Dromundus.

Carron, *Carron*, fluvius agrum Sterlinenſem interſecans.

Carruderus, *Carruders*, cognomen.

Carthus, *Carth*, duo ſunt in præfectura Renfroana ejus nominis fluvii.

Carthuſiani, Monachorum ordo vulgo *Chartreux* dictus.

Carus, *Ker* or *Car*, cognomen, unde duæ illuſtres familiæ propagatæ, quarum Principes olim Ceſfordius & Farniheſtius, nunc Rosburgi Dux, & Lothianæ Marchio.

Caſſiliſſa, *Caſſils*, arx in Carićta titulum præbens Kennedorum gentis Principi, qui Caſſiliſſæ Comes inſignitur.

Caſtellerotius vel Dux Caſtellerotii, *The Duke of Chaſtelherault*, eo titulo auctus eſt Jacobus Hamiltonius Araniæ Comes & Scotiæ Prorex ab Henrico III. Gallo. Eſt autem *Chaſtel-herault* in Pictonibus oppidum.

Catalaunum, *Chalons*, oppidum Galliæ in Campania ad Matronam fluv.

Catanci & Catana tribus, *The Clan Chattan, or Mackintoſhes*, celebris inter priſcos Scotos familia.

Cathaneſia, *Caithneſs*, regio Scotiæ in ſeptentriones longiſſime porrecta.

Cecilius, *Cecil*, cognomen Anglicum Gul. Cecilii Burlii Reguli, Angliæ Theſaurarii fama celebratum.

Cella Marnoci, *Kilmarnock*, oppidum Cunigamiæ ad Irvinum fluv.

A Cella Patricii, *Kirkpatrick*, cognomen.

Ceſfordius, *The Laird of Ceſford*, hoc titulo olim inſignitus eſt Princeps Carorum familiæ, qui nunc Dux Rosburgi appellatur.

Ceſtria, *Cheſter*, urbis & præfecturæ Anglicæ nomen.

Chualſa, *Whals-oy*, inſula, Hethlandicarum una, q. d. Balænarum inſula.

Cimbri, antiquum Danorum nomen.

Cimbrica Cherſoneſus, *Jutland*, Germa-

maniæ peninſula nunc regni Danici pars.

Cisforthana regio, tota ea regni Scotici pars quæ inter Fortham & Hadriani vallum ſeu Angliam interjicitur.

Clacmanana, *Clacmanan*, oppidulum & parva præfectura, a Fifæ provincia (cujus olim pars erat) diſrupta.

Clarentius & Clarentiæ Dux, *The Duke of Clarence*, is erat Henrici V. Angli frater.

Clarus, *Clare*, cognomen Anglicum.

Clevelandia, *Cleveland*, regiuncula, ſeu Comitis patrimonium in agro Eboracenſi.

Cliffordus, *The Lord Clifford*, Nobilis Anglus.

Cludanus, *Cludan*, Gallovidiæ fluvius.

Cnapdalia, *Knapdale*, regio Argatheliæ & Cantieræ interpoſita.

Cobeſa, *Copins-oy*, inſula, Orcadum una.

Cocburnus, *Cockburn or Coburn*, cognomen.

Cocburni Saltus, *Cockburn's Path*, ita appellatur locus anguſtus, qua rivulus (Cocburnus nominatus) Lothianam a Marcia diſterminans, ac inter duos arduos colles defluens, haud procul a mari ponte tranſmittitur.

Cocheranus, *Cocheran or Cochran*, cognomen, cujus Princeps Duni Donaldi Comitis titulum gerit.

Coclaum, *Cocklauw*, arx eſt Teviotiæ in monte ejuſdem nominis ſita.

Coila, *Kyle*, regio inter Carictam & Cunigamiam media.

Colchonium nemus, *Colchoun*, ſilva Leviniæ.

Colchonius, *Colchoun or Colhoun*, cognomen.

Coldingamia, *Coldingham*, Cœnobium Marciæ ad duo millia ab Aii oſtio.

Coleſſius, *Coleſs or Colece*, cognomen, in quo Comarchus Balnamoniæ primas olim tenebat.

Collinius, *Gaſpar de Collıgni*, *Monſieur de Chatillon*, Galliæ Thalaſſiarchus & Proteſtantium Gallicorum Dux.

Collinus, *Cullen*, fluvii & ad eum ſiti oppiduli nomen in regiuncula Boina dicta.

Colroſſia, eadem quæ Culroſſia.

Colvillius, *Colvil or Colvin*; cognomen, cujus Princeps Colvilliæ Regulus.

Columba & Columbanus, perperam quibuſdam Columbus dictus, *St. Columb or Colm*, Scotus vitæ ſanctitate celeberrimus, Abbas ordinis Sancti Benedicti, multorum Cœnobiorum fundator, e quibus inter alia eminebat Ionæ monaſterium, Bedæ *Hy*, vulgo *Icolmkill* dictum.

Columbæ inſula, *Icolmkill*, eadem quæ Iona, q.v.

Columbaria, *Ilan Calaman or Chalman*, q. d. inſula Columbarum, Æbudarum una.

Comarchus, *a Laird*, villæ vel pagi dominus.

Comernaldiæ Regulus, *The Lord of Comernald*, titulus eſt quo primum Cuminiorum, deinde, iis exactis, Flaminiorum familia aucta eſt, poſtea ad dignationem Victoniæ Comitum evecta. Eſt autem Comernaldia ſaltus in præfectura Levinienſi.

Comes Stabuli, *Lord High Conſtable*, Magiſter Equitum, quod munus apud Scotos hæreditarium per multa ſecula obtinuerunt Arelliæ Comites.

Comitia, *The Parliament.*

Comitium, *The Parliament Houſe.*

Conchyliati Ordinis Eques, *A Knight of the Cockle.* Ordo militaris inter Gallos

a Ludovico XI. in honorem Michaelis Archangeli inſtitutus; ita dictus quod ejus ordinis Equites torque aureo in formam conchyliorum confecto utantur.

Condæus, Princeps Gallus, *The Prince of Conde.*

Confraius, *Confray*, cognomen Anglicum.

Conſtabilius, *Conſtable*, cognomen Anglicum.

Conſtantinopolis, *Conſtantinople*, urbs Thraciæ celeberrima, quondam Impp. Orientalium ſedes, nunc imperii Turcici caput, olim Byzantium dicta.

Continens, *The Main Land*, ita κατ' ἐξοχὴν nominantur inſulæ Orcadum & Hethlandicarum maximæ.

Conventus Juridicus, *A Sheriff Court.*

Conventus Ordinum, *A Parliament or Convention of the three Eſtates of the Kingdom.*

Conventus Præfectus, *A Sheriff.*

Conventus Publicus, *A Parliament.*

Coplandius, *Copland*, cognomen.

Cornavia, *Cornwall*, Angliæ regio.

Cornavii, *The Corniſh or Cornwal, Men*, Cornaviæ incolæ. Item antiquum nomen Cathaneſiam habitantium.

Coſſæus, *Charles de Coſs*, Briſaci Comes, & Franciæ Mareſcallus.

Covalia, *Cowall*, Scotiæ regio inter Glottam fluv. & lacum Finum interjecta; Argatheliæ contermina, cujus a quibuſdam pars cenſetur.

Cracoviaca, *Kirkwall*, urbs Orcadum præcipua, Epiſcoporum & Comitum Orcadenſium ſedes.

Craſordius, *The Earl of Crawford*, Comes Scotus Lindeſiorum Princeps.

Crafordius, *Crawford*, cognomen, cujus princeps Kilbirniæ Comarchus nunc Garnociæ Vicecomes.

Cragiæ Comarchus, *The Laird of Craigie*, Eques Coilenſis fortiſſimæ Vallarum familiæ princeps, vulgo, diſtinctionis gratia, *Craigy Wallace* dictus.

Cragius, *Craig*, cognomen.

Cragmillarium, *Craigmiller*, arx Lothianæ duobus ab Edimburgo millibus diſtans.

Cranſtonum, *Cranſton*, arx Lothianæ 4 a Dalketho mill.

Crea, *Cree*, Gallovidiæ fluvius.

Creſſingamius, *Creſſingham*, cognomen Anglicum.

Crichtonius, *Crighton*, cognomen claræ familiæ, unde Drumfriſiæ Comites, & Frendrachtiæ Vicecomites propagati.

Crichtonium, *Crichton*, arx Lothianæ.

Criſtorfinium, *Corſtorphin*, Lothianæ vicus 2 ab Edimburgo mill. Unde

Criſtorfinianus, *The Laird of Corſtorphin*, qui nunc Foreſtariæ Regulus.

Crocus, *Monſieur de Croc*, Gallus.

Croftus, *Croft*, cognomen Anglicum.

Sanctæ Crucis Cœnobium, *The Abbey of Holy-Rood-Houſe*, in ſuburbio Edimburgenſi, infra vicum, qui inde Canonicorum, vulgo *The Canongate* dicitur; ubi nunc magnificum palatium, poſtremis Scotorum Regibus gratiſſimum, ac in paucis Britannicorum memorabile domicilium.

Crulinga, *Crowling*, inſula, Æbudarum una, prope Skiam.

Crux Regia. *The Re-Croſs.*

Cucianus, *The Earl of Coucy*, Comitis Galli titulus.

Culdei, *The Culdees*, antiquiſſimum & ſanctiſſimum apud Scotos Monachorum genus.

Culenus, *Cullen*, cognomen.

Culroſſia, *Culroſs*, oppidum ad Forthæ æſtuarium ſitum, ſub præfectura Perthenſi.

Cumbria, *Cumberland*, Angliæ regio in

in Septentrionali limite ſita.

Cuminius, *Cumin*, cognomen Scoticum nobilitate &. opibus olim clariſſimum.

Cunigamia, *Cuningham*, oppidi & regionis nomen in præfectura Acrenſi.

Cunigamius, *Cuningham*, celebre cognomen, cujus Princeps Glencarniæ Comes.

Cuprum; *Cowper*, duo ſunt hujus nominis oppida, unum Fifæ caput, alterum Cœnobium in Anguſia.

Cuſtos Regni, *A Warden or Guardian of the Kingdom.*

D.

DACRIUS, *Dacres*, cognomen, & Reguli inter Anglos titulus.

Dalhuſius, *The Lord or Earl of Dalhouſie*, titulus Comitis, Ramiſæorum Principis.

Dalkethum, *Dalkeith*, oppidum Lothianæ inter duos Eſcas ſitum.

Damiæta, *Damee*, Gallus.

Dania, *Denmark*, regnum. Dani, *The Danes*, populus.

Dantiſcum, *al.* Gedanum, *Dantzick*, nobile ad Viſtulam emporium, ac Boruſſiæ Regiæ caput.

Darlæus, Darnilæus, & Dernileus, *The Lord Darnley.* Hoc titulo inſignitus eſt (proxime poſt Regiam) Stuartæ familiæ Princeps, in primis vero memorabilis Henricus Mariæ Reginæ maritus, Jacobi VI. pater.

Darſius, *D' Arſie*, *Monſieur de la Batie*, nobilis Gallus.

Dea, *Dee*, multorum fluviorum nomen: unus Valliam, alius Gallovidiam interſecat; tertius Marriam a Mernia dirimit. Eſt & quartus in Anguſia.

Deidonum, *Dundee*, ita Taodunum Hector Boëtius patriæ ſuæ gratulans appellat.

Delphinus, *The Dauphin of France*; Galliarum hæres.

Deſertum, *Dyſert*, Fifæ oppidum.

Deſſius, *Monſieur de Deſſie*, Gallus.

Deva, *Dee*, fluv. idem qui Dea, *q. Vid.*

Deucaledonium mare, ea Oceani Hyperborei pars quæ Scotiam ab occaſu alluit.

Dicſonus. *Dickſon*, cognomen.

Diepa, *Diep*, Normaniæ oppidum maritimum.

Dirlintonius, *Lord Dirleton*, is olim Haliburtonus erat.

Dona, *Don*, Marriæ fluv. ad cujus oſtium ſita eſt Abredonia vetus.

Donaldina familia, *The Clan Donald, or Mackdonalds*, priſcorum Scotorum tribus potentiſſima, ipſis etiam Regibus gravis.

Dreſanum, *Draffin*, arx Glottianæ.

Driburgum *Drybugh*, Cœnobium in Teviotia.

Dromundus, *Drummond*, familiæ antiquæ cognomen, cujus Princeps Perthi Comes, ab Jacobo VII. Ducis titulo auctus.

Druidum Comes, *The Earl of Dreux* nobilis Gallus.

Drumfriſium, *Drumfreis*, oppidum Nithiæ, præfecturæ Drumfriſienſis, cui nomen tribuit, caput.

Drumilaus, *Drumilaw Sands*, arenæ cumulus in oſtio Tai navigantibus periculoſus.

Drumlanricum, *Drumlanrig*, arx ad dextram Nithi amnis ripam ſita, Ducum de *Queenſberry* præcipua ſedes.

Drurius, *Drury*, cognomen Anglicum.

Dublinum, *Dublin*, Hiberniæ metropolis.

Duchtius, *Doughty*, cognomen Anglicum.

Du-

Duglaſſia, *Duglaſdale and Caſtle*, vallis eſt (& in ea arx) ad ripam fluvii, qui dicitur

Duglaſſius, *Douglas Water*, fluv. in Glottam devolvens.

Duglaſſius, *Douglas*, cognomen Scoticum in multas nobiliſſimas & fortiſſimas familias propagatum, quarum omnium olim Princeps erat Duglaſſiæ Comes, eoque exſtincto Comes Anguſiæ, poſtea ad Marchionis, ac non ita pridem Ducis Duglaſſiæ dignationem evectus.

Dumbarius, *Dunbar*, antiquiſſimum inter Scotos cognomen, & familia, quam ducebant Marciæ Comites, quibus ante aliquot ſecula exſtinctis, is honos in Regiam ac deinde Duglaſſiam domum tranſiit.

Dumbarum, *Dumbar*, oppidum Lothianæ.

Dumblanum, *Dumblain*, oppidum & ſedes Epiſcopalis Taichiæ, ad Alanum fluvium, in præfectura Perthenſi, 4 mill. a Sterlino.

Dunachi vel Duncani ſinus, *Dunsby-Head or Bay*, Cathaneſiæ promontorium, & ſinus, Orcadibus e regione oppoſitus. Eſt autem Dunachus viri nomen, vulgo *Donachie*.

Dunbucum, *Dunbuck-Hill*, mons eſt Leviniæ haud procul a Britannoduno.

Dundalcum, *Dundalk*, Hiberniæ oppidum in Comitatu Louthenſi, Scotorum clade funeſtatum.

Dundargum, *Dundarg*, Buchaniæ arx.

Dundaſſius, *Dundaſs*, cognomen.

Dunelmum, *Durham*, urbs Angliæ, & ſedes Epiſcopalis, Comitatus Dunelmenſis caput.

Dunenſis, *The Laird of Dun*, Comarchi Scoti, Areskini cognominati, titulus.

Dunglaſſium, *Dunglaſs Caſtle*, arx Lothianæ.

Duni, *The Downs*, arenæ cumuli ſeu colles ad oram Cantii.

Duni Pacis, duo colles ad lævam Carrontis a Romanis congeſti, unde loco nomen, vulgo *Dunipace*.

Dunotrum, *Dunotter Caſtle*, Comitis Martialis in Mernia arx.

Dunſinnanus mons, *The Hill of Dunſinnan*, 3 a Cupro Anguſiæ oppido mill. aſſurgens.

Dunſinnana arx, *Dunſinnan Caſtle*, in eo monte a Macbetho Tyranno exſtructa.

Dunſum, *Duns*, oppidum Marciæ, 6. mill. a Bervico.

Dunum Donaldi, *Dundonald*, arx & domus Regia ad Irvinum fluv. ſita, nunc Comiti, Cocheranorum familiæ Principi, titulum dans.

Dunum, *Down*, arx Taichiæ, quondam Regia ſedes, nunc Comitis Moraviæ propria, cujus majores Dunenſes Reguli inde appellabantur.

Dunum Fermelini, *Dumfermling*, oppidum & Cœnobium Fifæ, palatio & ſepulchreto Regio celeberrimum.

Dunus, *Down*, lacus, & ex eo profluens fluvius, qui Coilam interſecans ad duo ab Aera oppido mill. in mare Hibernicum decidit.

Dunum novum, *Vid.* Noviodunum.

Duplinum, *Duplin*, arx Ierniæ ad ſiniſtram Ierni fluminis ripam in præfectura Perthenſi.

Duriſdera, *Diſdeir*, oppidum Nithiæ. Duriſderanus *The Laird of Diſdeir*.

Durovartus, *Durward*, Anglus.

E.

EBBÆ promontorium, *St. Ebbe's Head*, ad oſtium æſtuarii Forthæ prope Faſcaſtellum.

Eboracum, *York*, urbs Angliæ, unde Eboracenſis ager, *York-Shire*, & Dux Eboracenſis, *The Duke of York.*

Eccleſiæ, *Eccles*, Marciæ vicus, prope Humiam arcem.

Edimburgum & Edinum, *Edinburgh*, Scotiæ caput, ſede Regia & Epiſcopali, comitiis item publicis, & conventibus juridicis, ſuperba ædium mole civiumque frequentia, celeberrimum.

Eglintonii Comes, *The Earl of Eglinton*, nobilis Scotus familiæ Mongomeriæ Princeps.

Elbevii Marchio, *The Marquis of Elbeuf*, nobilis Gallus e Guſiorum familia.

Elgina & Elginum, *Elgin*, oppidum Moraviæ præcipuum.

Elphinſtonius, *Elphinſton*, cognomen, & familiæ Principis titulus.

Ennerbervium, *Bervy or Innerbervy*, Merniæ oppidulum, ad Bervii fluminis oſtium ſitum.

Ennergorea, *Innergowry*, vicus *or* in orientali parte regionis quæ vulgo *The Cars of Gowry* appellatur.

Ennerlothia vel Ennerlutea, *Innerlochy*, oppidum Abriæ ad Lochtiæ fluminis oſtium.

Ennerneſſa, *Innerneſs*, nobile emporium ad Neſſi oſtium, præfecturæ, cujus primaria urbs eſt, dans nomen.

Ennervicum, *Innerwick*, arx & pagus Lothianæ 4 mill. ultra Dumbarum.

Enneruria, *Innerury*, oppidum Gariochæ, qua Uria Donam influit

Eſca, *Esk*, multorum fluminum nomen, unus Merniam ab Anguſia dividit, alter eandem Anguſiam pertranſit, hic Auſtralis, ille Septentrionalis cognominatus. Alii item duo ſunt in Lothiana iiſdem cognominibus diſtincti. Quintus denique in Scotiæ limite, unde regioni nomen.

Eſcia, *Eskdale*, regio ad Eſcam jacens.

Etella, *The Caſtle of Etell*, arx Northumbriæ ad Tillam amnem.

Eubonia, eadem quæ Manna inſula.

Evia, *Ewſdale*, regio Evo fluvio rigata.

Evonia & Evonium, arx quam Boetius eandem cum Stephanoduno, Buchananus vero arcem Innerluteæ ita appellatam exiſtimat.

Evus, *Ew or Ewſe*, fluvius.

Examum, *Hexam*, oppidum ad Tinam, ad 6 millia ſupra Novum Caſtrum in Northumbria.

F.

FALAUM Fanum, *Falaw or Falaw Kirk*, Lothianæ locus 9 mill. ab Edimburgo.

Falcolandia, *Falkland*, oppidum & palatium Regium in ipſo fere Fifæ meditullio ad radices montis Lominii ſitum.

Falconarius, *Falconer*, cognomen antiquæ familiæ quæ Halkertoniæ Regulum Principem agnoſcit.

Faleſium vel Falleſia, *Fallaiſe*, Normaniæ oppidum.

Falingama, *Falinghan or Finlagan*, arx in Ila inſula in medio lacus, qui vulgo *Loch- Gurym* dicitur, ſita.

Fanum Albani, *St. Albans*, urbs Angliæ.

Fanum Andreæ, *St. Andrews*, urbs Fifæ, Primatis Epiſcopi ſede & Academia omnium artium ſtudiis florente memorabilis: aliter Fanum Reguli appellatur.

Fanum Donati, *Donator Dinnat Kirk*, Cathaneſiæ vicus.

Fanum Miniani, *St. Minans Kirk*, in Fifa regio...e... des ſacra.

Fanum Patricii, *Kirk Patrick*, oppidum ad dextram Glottæ ripam 4 mill. ſupra Britannodunum.

Fanum Reguli, *Vid.* Fanum Andreæ.

Fara, *Fair Iſle*, inſula medio ſere inter Orcadas & Zelandicas trajectu poſita.

Farniheſtius, *The Laird of Ferniherſt*, a quo recta ſerie oriundus, qui Lothianæ Marchio inſignitur.

Faſcaſtellum, *Faſtcaſtle*, arx firmiſſima Marciæ.

Ferguſius, *Fergus*, primus imperii Scotici Rex & conditor.

Ferguſii Rupes, *Carrick or Craig Fergus*, al. *Knock Fergus*, oppidum Hiberniæ in comitatu Antrimenſi, a Ferguſio I. qui illic naufragio periit nominatum.

Fermelinodunum. *Vid.* Dunum Fermelini.

Fethercarnia, *Fettercairn*, oppidum Merniæ ad Grampii radices, 3 ab Eſca ſeptentrionali mill.

Fifa, *Fife*, celebris Scotiæ provincia, æſtuariis Forthæ & Tai, Ocelliſque montibus circumvallata.

Finelaus, *Finlaw*, nomen Scoticum.

Finis, *Loch Fin*, lacus Argatheliæ, in quem irrumpit

Finus, *The Water of Fin*, ejuſdem regionis fluvius.

Flamburgum, *Flamborrouw*, oppidum maritimum in præfectura Eboracenſi.

Flaminius, *Fleming*, celebre cognomen cujus Princeps Victoniæ Comes.

Flandri, *The Flemings*, Flandriæ Belgii provinciæ incolæ.

Fluido, *Flowdon Hill*, mons in Angliæ Scotiæque confinio, Scotorum clade plus nimio memorabilis.

Forboſius, *Forbes*, cognomen numeroſæ familiæ quæ Forboſiæ Regulum Principem agnoſcit.

Fordunum, *Fordon*, oppidulum Merniæ, D. Palladii Scotorum Apoſtoli ſepulchro, & Joannis Fordoni Hiſtoriæ Scoticæ ſcriptoris natalibus clarum.

Foreſtia, *The Country of the Forreſt*, regio inter Lothianam & Teviotiam media, olim ſaltus Regius.

Foreſtarius, *Forreſter*, *Foſter or Froſter*, cognomen, & Reguli titulus.

Foreſſa, *Foreſs*, Moraviæ oppidum 8 mill. ultra Elginum.

Forfara vel Forfarum, *Forfar*, Anguſiæ oppidum, ubi toti præfecturæ, quæ inde Forfarenſis vocatur, jus dicitur.

Formanus, *Forman*, cognomen.

Fortha, *The River of Forth*, fluvius & æſtuarium Lothianam a Fifa diſterminans. Forthæ æſtuarium, *The Frith of Forth. Vid.* mare Scoticum.

Foxius, *Fox*, cognomen Anglicum.

Franci, *The Franks or French*, gens Germaniæ bellicoſiſſima, quæ, re Romana inclinata, Franconia natali ſolo relicta, Galliam occupavit, quam & in hunc uſque diem tenet, totius Europæ potentia & opibus facile prima.

Franciſcani, *The Franciſcan Friars*; Monachorum genus ab inſtitutore D. Franciſco denominatum: quod veſte glauca ſive cinerea utantur, *Gray Friars* vulgo dicti.

Fraſerius, *Fraſer or Friſel*, cognomen in varias familias tributum, in quibus præcipue eminent Lovetiæ, Saltonii & Fraſeriæ Reguli, cum ſuis quiſque tribulibus.

Froſſardus, *Froiſard*, Hiſtoricus Gallus.

Furdius, *The Laird of Ford*, i.e. Furdi Comarchus, olim *Heron* cognominatus.

Furdum, *Ford*, oppidulum Northumbriæ ad Tillam amnem.

G.

GALBRETHUS, *Galbreath* cognomen.

Galfridus, *Jeofrey or Geofrey*, nomen viri proprium.

Gallovidia, *Galloway*, Scotiæ regio ſeu provincia.

Gallovidianus, *The Lord of Galloway*.

Garenterius, *Eugene de Garentieres*, Gallus.

Gariocha, *Garioch*, regio præfecturæ Aberdonenſis pars.

Garlianus, *The Laird of Garlies*, titulus Comarchi Scoti, quo ortus eſt qui nunc Gallovidiæ Comes (e Regia Stuartorum familia) inſignitur.

Garvia, *Inch Garvy*, inſula olim arce munita, medio fere ſpatio inter auſtralem & ſeptentrionalem Reginæ Portum, in æſtuario Forthæ.

Geldria, *Gelderland*, una e 7 fœderatis Belgii provinciis.

Gerlochus, *Ilan Lochger*, inſula prope Skiam.

Gerlochus, *Loch-Ger or Gher Loch*, lacus ſeu ſinus æſtuarii Glottæ.

Germanicum mare, *The German Sea or Ocean*, quod hinc Britanniam, illinc Norvegiam, Germaniam Belgiumque interluit.

Gernico, *Girnigo*, Comitum Cathaneſiæ arx mare Germanicum deſpiciens, vulgo *Caſtle Sinclair* dicta.

Gifardus, *Giffard*, cognomen.

Gilchriſtius, *Gilchriſt*, cognomen; olim Comitis Anguſiæ Scotorum monumentis famigeratiſſimi nomen.

Gilcolumbus, *Gillicholm Or Kilcolm*, viri nomen.

Gileſpicus, *Gileſpick*, viri nomen, idem qui Archibaldus, Argatheliæ Comitibus ſatis frequens.

Gilpatricius, *Gilpatrick*, vel potius *Kilpatrick*, cognomen.

Glammis, *Glames or Glammis*, Comitum Kingorni arx 4 mill. a Forfara Anguſiæ oppido.

Glammiſius Glammiæ Regulus, *The Lord Glammis*, Leontum familiæ Principis titulus, qui nunc Strathmoriæ & Kingorni Comes inſignitur.

Glaſcua vel Glaſgua, *Glaſgow*, emporium celebre ad Glottam flumen ſitum, urbium Scoticarum poſt Edimburgum maxima & florentiſſima, ſede Archiepiſcopali & Academia bonarum artium nobilitata.

Glembervius, *The Laird of Glenbervy*, Comarchus, cognomento Duglaſſius, ita appellatus a fundo ſive valle Bervii Merniæ fluminis ripis circumfuſa.

Glencarnia, *Glencairn*, ager eſt ſive Baronia (ut noſtri loquuntur) Nithiæ, 12 a Drumfriſio mill. quo titulo inſignitur Cunigamiorum familiæ Princeps, qui Glencarnius vel Glencarniæ Comes inde appellatur.

Glenduninus, *Glenduning*, cognomen.

Gleneſca, *Glenesk*, vallis Anguſiæ, Eſcæ ſeptentrionalis (unde ipſi nomen eſt) aquis irrigua.

Gloceſtria, *Gloceſter Town and Shire*, oppidi & præfecturæ Anglicæ nomen, Duci e familia Regia dans titulum.

Glotta, *The River of Clyde*, inſignis Scotiæ fluvius, qui ex Annandiæ montibus prorumpens, in mare Deucaledonium effunditur. Glottæ æſtuarium, *The Frith of Clyde*

Glottia vel Glottiana, *Clydſdale*, ampla regio Glottæ utrimque circumjecta.

Glottiana vallis, *The Troch of Clyde*, agri tractus cum Glottæ ripis propius continuatus.

Gomeriæ Comes, *The Earl of Montgomery*, nobilis Anglus.

Gor-

Gordonius, *Gordon*, cognomen clariſſimæ familiæ, cujus Princeps Huntilææ Comes, qui nunc Dux Gordonius appellatur.

Gorea, *Gowry*, regio in præfectura Perthenſi, qua humilior eſt, *The Cars of Gowry*, qua editior, *The Brae of Gowry* vulgo appellata.

Græcina, *Grekin*, fœminæ nomen.

Graftonus, *Grafton*, Angli Hiſtorici cognomen.

Graius, *Gray*, cognomen; interdum Graiæ Regulus, *The Lord Gray.*

Grampius, *The Mountains of Granzben, or The Grampian Hills*, ingens tractus montium ab Aberdonia Britannodunum uſque procurrentium.

Gramus, *Graham or Græme*, cognomen antiquæ familiæ cujus Princeps nunc Dux Montiſroſanus inſignitur.

Grangia, *Grange*, multa ſunt hoc nomine appellata Scotiæ loca: eum præcipue Buchananus intelligit qui prope Kingornum eſt, Kircadiorum olim patrimonium. Unde

Grangianus, *The Laird of Grange*, i. e. Gul. Kircadius.

Graniſa ſeu Gramiſa, *Grams-oy*, inſula, Orcadum una.

Graſtocus, *Grayſtock*, Regulus Anglus.

Grevanus, *Grivan or Girvan Water*, Carictæ fluvius.

Gruinorta, *Ilan Grunord*, inſula in lacu Roſſiæ ejuſdem nominis.

Guſiæ Dux, *The Duke of Guiſe*, Gallus illuſtris, e domo Lotharingica.

Guſii & Guſiani, *The Guiſian Party*, Guſiorum fratrum factio, inter Gallos regnantibus Henricis II. & III. potentiſſima.

H.

HADINA & Hadintona, *Hadington*, oppidum; Lothianæ orientalis, ſive præfecturæ Hadintonanæ caput, 12 mill. ab Edimburgo, ad Tinam amnem ſitum.

Haius, *Hay*, cognomen antiquiſſimæ familiæ in qua primas tenet Arelliæ ſive Erroliæ Comes.

Halenſis, & Halenſis Regulus, *The Lord Hales*, qui poſtea Bothueliæ Comes.

Halido, *Halidon Hill*, mons Bervico imminens Scotorum clade infamis.

Halis, *Hales Caſtle*, arx ad Tinam Lothianæ amnem, 3 mill. infra Hadinam, Heburnorum Principis ſedes.

Hallus, *Hall*, cognomen.

Hamiltonium, *Hamilton Town and Palace*, oppidum eſt & magnifica ſedes Ducis Hamiltonii ad ſiniſtram Glottæ ripam.

Hamiltonius, *Hamilton*, cognomen illuſtris familiæ, cujus Princeps olim Araniæ Comes, nunc Dux Hamiltonius appellatur.

Hamptona, *Hampton Court*, palatium Regium ad Thameſin ſitum.

Hamptona Septentrionalis, *Northampton*, præfecturæ Anglicæ urbiſque in ea præcipuæ nomen.

Haraia, *Hariſh*, ita appellatur auſtralis inſulæ illius pars, cujus pars Borealis Leogus nominatur, Macclodii Haraienſis patrimonium.

Harbotilla, *Harbottle*, oppidulum Northumbriæ, juxtaque præſidium Anglicum.

Hardinus, *Harding*, cognomen Anglicum.

Harintonius, *Harrington*, cognomen Anglicum.

Harlaus, *Harlaw*, Marriæ vicus, prælio in paucis cruento memorabilis.

Hartus, *Hart*, cognomen.

Haſtingus, *Haſtings*, cognomen Anglicum.

Havartus, *Howard*, cognomen illuſtris familiæ Anglicæ, quæ Norfolciæ Ducem Principem agnoſcit.

Havicum, *Hawick*, oppidum Teviotiæ.

Hebrides inſulæ, eædem quæ Æbudæ.

Heburnus vel Heburnius, *Hepburn*, cognomen in quo eminebant Halenſes Reguli, poſtea Bothueliæ Comites, quorum ultimus ſe ſuamque fere familiam peſſundedit.

Henderlandius, *The Laird of Henderland*, Comarchus nomine Cocburnus.

Hereſius & Hereſianus, *Harris or Herreis*, cognomen, item titulus Principis ejus familiæ qui *The Lord Herreis of Torregles* eſt dictus. Is honos in nomen Maxuallium matrimonii jure poſtea eſt translatus.

Herkelaius (And.) *Sir Andrew Herclay*, Carleoli Comes.

Heriotus, *Heriot*, cognomen.

Hermitagium ſeu Eremitagium, *The Caſtle of Hermitage*, vetuſtum Lidaliæ præſidium.

Heron, *Heron*, cognomen Angl.

Hethlandicæ inſulæ, *The Shetland or Zetland Iſlands*, inſulæ Scoticarum omnium ultimæ in mari Deucaledonio ſparſæ, quarum maxima Hethlandia dicitur, vulgo *The Main Land*, i. e. Continens, ratione *ſcil.* ad minores habita.

Hiberni, *The Iriſh*, Hiberniæ incolæ: Scoti etiam inde advecti ita quibuſdam appellantur.

Hibernia, *Ireland*, inſula Britannica, quibuſdam Britannia minor dicta. Nonnulli ſcriptores Scotiam eo olim nomine etiam appellatam tradunt.

Hibernicum mare, *The Iriſh Sea*, quod hinc Hibernicum illinc Britannicum littus interluit.

Hieroſolyma, *Jeruſalem*, urbs Palæſtinæ celeberrima, ſingulari olim Dei O. M. præſentia, ac Servatoris mundi miraculis & morte longe ſupra omnes nobilitata.

Hiſpania, *Spain*, regnum ampliſſimum, omnium Europæorum ad occaſum longiſſime porrectum.

Hollandi, *The Hollanders*, Hollandiæ incolæ.

Hollandia, *Holland*, ſeptem Belgii fœderati provinciarum præcipua.

Holma, *an Holm*, i. e. planities herbida aquis aſſita.

Homildonum, *Homildon*, Northumbriæ vicus Scotis funeſtus.

Horeſtia vel Foreſtia, regio inter Taum & Deam interjecta Anguſiam Merniamque complectens.

Humber, *The River Humber.* Is non tam fluvius eſt quam æſtuarium, qua Trenta & Urus coëuntes ac in mare devoluti ſinum efficiunt.

Humium, Humia & Humum, *Hume or Home Caſtle*, arx Marciæ Humiæ Comitum ſedes.

Humius, *Home or Hume*, cognomen vetuſtæ familiæ quæ Humiæ Comitem Principem veneratur.

Hundintonia, *Huntington*, *Vid.* Venantodunum.

Hundintonius, *The Earl of Huntington.*

Huntilæus & Huntilææ Comes, *The Earl of Huntly*, Gordoniorum Princeps, poſtea Huntilææ Marchio, nunc Dux Gordonius appellatus.

Huſtonius, *Houſton*, cognomen.

I.

JARI Oſtium, *Yarmouth*, oppidum Norfolciæ maritimum, ad Jari fluminis oſtium ſitum: *al.* Gariannonum, fluviuſque Garienus, vulgo *Yare*, appellatur.

Iberus, *Ebro*, fluvius Hiſpaniæ maximus.

Iccium, & Itium, & Iccius portus, antiquus Galliæ Belgicæ portus, unde J. Cæſar in Britanniam trajecturus ſolvit, quem quidam Audomaropolim, alii Caliſium,

ſium, alii denique Bononiam maritimam fuiſſe exiſtimant.

Iceni, Britanniæ populus, Suffolcienſem, Norfolcienſem, Cantabrigienſem & Hundintonenſem præfecturas incolens. Venta Icenorum, vetus Norfolciæ oppidum, Icenorum caput, cujus veſtigia adhuc apparent in loco qui Caſtrum, vulgo *Caſter*, appellatur.

Jedburgum *Jedburgh*, oppidum Teviotiæ præcipuum, ad Jeddam ſitum.

Jedda, *The River Jed*, fluvius Teviotiæ in Teviotum cadens.

Ierne & Ierna, vetus Hiberniæ nomen. Quidam etiam eandem quæ Iernia ſeu Strathierna Scotiæ regio appellatur, fuiſſe exiſtimant.

Iernia ſeu Strathierna, *Strathern*, Comitatus ſeu Palatinatus in præfectura Perthenſi.

Iernus, *Ern*, fluvius Moraviæ: item alius Strathiernam interluens, qui e lacu ejuſdem nominis erumpens, in Taum infra Abernethium devolvitur.

Inſulanus, *The Lord of the Iſles*, Æbudarum Regulus, Macdonaldorum Princeps, qui plerumque Ilam inſulam ſuæ dominationis ſedem elegit.

Internum mare, idem quod mare Mediterraneum.

Iona, *Icolmkill*, inſula Æbudarum una prope Mullam, Divi Columbæ Cœnobio clariſſima, unde & Columbæ inſula dicitur, Bedæ *Hy*, aliis Huia vel Hoia appellata,

Jonſtonus vel Jonſtonius, *Johnſton*, cognomen antiquæ familiæ quæ Annandiæ Marchionem Principem agnoſcit.

Irlandus, *Ireland*, cognomen.

Irvinus, *Irving*, fluvius Coilam a Cunigamia dirimens, & ad ejus oſtium urbs: item cognomen.

Jus regale, *The Right of Regality*, privilegium quibuſdam nobilibus; Epiſcopis & Cœnobiarchis conceſſum, quo eis de omnibus criminibus in ſua Regalitate, quam vocant, patratis (perduellione excepta) judicandi poteſtas indulgetur; ac ipſi eorumque clientes & agri præfectus juridici ditione eximuntur.

Juti, *The Jutes or Jutlanders*, populus qui eam Germaniæ partem quæ Cimbrica Cherſoneſus dicebatur, vulgo *Jutland*, nunc ſub ditione Regis Danorum, incolebat.

Iverna, Juverna & Juvernia, antiqua Hiberniæ nomina.

K.

KELVINUS, *The Water of Kelvin*, Leviniæ fluv. in Glottam paullum infra Glaſcuam cadens.

Kennedus, *Kennedy*, cognomen clariſſimæ familiæ, cujus Princeps Caſſiliſſæ Comes.

Kennus, *The River Kenn*, Gallovidiæ fluvius.

Kentigernus, *St. Mungo*, Glaſcuenſium Epiſcopus vitæ ſanctitate clarus.

Kerius, *The Laird of Keir*, Comarchus in præfectura Perthenſi Sterlini cognominis dux.

Kerlinfordia, *Kerlinford*, oppidum Hiberniæ in Comitatu Louthenſi.

Kernici & Kernicovalli, *The Corniſh or Cornwal-Men*, Cornuvalliæ incolæ.

Ketha, *Inch Keith*, parva inſula in æſtuario Forthæ, medio fere inter Letham & Kingornum oppida trajectu.

Kethus, *Keith*, cognomen antiquiſſimæ familiæ, cujus Principes Comites Martiales Scotiæ per multa retro ſecula jure hæreditario inſigniti.

Kilblania ſilva, *Kiblain Forreſt*, in Mar-ria.

Kildrumia, *Kildrumy Caſtle*, arx Marriæ ad Donam amnem ſita.

Kilmarnocum. *Vid.* Cella Marnoci.

Kilvininum, *Kilvinning*, oppidum & Monaſterium Cunigamiæ 4 mill. ab Irvino.

Kincragium, *Kincraig*, Fifæ villa.

Kineſum, *Kineff Caſtle*, Merniæ arx mari imminens.

Kinfanius, *The Laird of Kinfawns*, Comarchus cognomento Charterius, cujus patrimonium prope Perthum ad ſiniſtram Tai ripam.

Kingornum, *Kinghorn*, oppidum Fifæ ad Forthæ æſtuarium e regione Lethæ.

Kinloſſum, *Kinloſs*, Moraviæ Cœnobium.

Kinroſſum, *Kinroſs*, oppidum ad lacum Levinum, parvæ præfecturæ a Fifa olim divulſæ dans nomen.

Kintera idem quod Cantiera.

Kirbius, *Kirby*, cognomen Anglicum.

Kircadius, *Kircaldy*, cognomen.

Kirchius, *Kirk*, cognomen.

Kircua, idem quod Cracoviaca.

Knoxius, *Knox*, cognomen.

L.

LABASTIUS, *Monſieur de la Baſtie*, Gallus.

Lambinus, *Lamby*, cognomen.

Lamota *Monſieur de La Mothe*, Gallus.

Lamyrii montes, *The Lamermoor Hills*, Marciam a Lothiana dirimentes.

Lanarcum & Lanericum, *Lanark*, Glottiæ caput, præfecturæ inde Lanericenſi dictæ nomen tribuens.

Lancaſtrium, *Lancaſter*, oppidum Angliæ ad Lunam amnem ſitum, præfecturæ ſeu Palatinatui, vulgo *Lancaſhire* dicto, dans nomen, & Ducis etiam titulum illi Regiæ Anglorum familiæ parti, quæ cum altera, Eboracenſi appellata, de regni jure bella plus quam civilia ſuſcitantes totam fere Angliam ſeque adeo ipſas peſſumdedere.

Lancaſtrius, *The Duke of Lancaſter.*

Langopus, *Langhope or Langham*, oppidulum & arx Eviæ, qua Eſca & Evus in unum coëunt.

Langoſidum, *Langſide*, locus in præfectura Renfroana 2 mill. a Glaſcua, prælio quo Maria Scota regno pulſa eſt memorabilis.

Langtonium, *Langton or Lanton*, Marciæ vicus mille a Dunſo paſſus diſtans.

Lanſacus, *Lewis de St. Galais*, Lanſaci Regulus, Gallus.

Largæ, *The Largs*, Cunigamiæ vicus ad æſtuarium Glottæ, majori Cumbræ inſulæ obverſus, Norvegorum clade nobilitatus.

Largous, *The Laird of Largo*, Comarchus Fifanus clariſſimus, a monte Largo in orientali Fifæ parte dictus.

Latimerus, *Latimer*, cognomen Anglicum.

Latonus, *Laton*, Anglus.

Laudera & Lauderum, *Lawder*, oppidum regiunculæ, inde dictæ *Lauderdale*, caput, ad fluvium Lidderum ſitum.

Lauderia, *Landerdale*, regiuncula in præfectura Bervicenſi.

Lauderus, *Lauder*, cognomen.

Leodium, *Liege or Luick*, oppidum Belgii, provinciæ Leodienſis inde appellatæ metropolis.

Leogus, *The Lews*, inſula Æbudarum maxima.

Leon, *Lyon*, cognomen vetuſtæ familiæ, cujus Princeps olim Glammiſiæ Regulus, qui nunc Strathmoriæ & Kingorni Comes.

Lermonthius, *Lermont*, cognomen.

Leſlius, *Leſly*, clariſſimæ familiæ cogno-

gnomen, cujus Princeps Rothuſiæ Comes.

Letha, *Leith*, oppidi, & amnis ad cujus oſtium ſitum eſt, nomen.

Lethintonium, *Lethington*, arx Lothianæ prope Hadinam.

Lethintonius, *The Laird of Lethington*, Comarchus cognomento Mætellanus, a quo recta ſerie ortus Lauderiæ Comes.

Levinia, *The Shire of Lennox*, vulgo præfectura Britannodunenſis.

Levinius, *The Earl of Lennox*, olim eodem cognomento Comes, quo titulo poſtea choneſtatus eſt Dernileæ Regulus: aliquot denique ex eadem familia Duces eo nomine inſigniti.

Levinus, *Levin*, duo ſunt eodem nomine amnes, alter Fifæ e lacu Levino prorumpens; alter Leviniæ (cui regioni dat nomen) e lacu Lominio oriens, qui cum Glotta ad Britannodunum commiſtus eam arcem a tergo communit.

Leviſtonius, *Livingſton*, celebre cognomen, cui præeſt Limnuchi Comes.

Licthonus, *Lichton or Leighton*, cognomen Scoticum.

Lidalia, *Liddiſdale*, regiuncula in ipſis Scotiæ cum Anglia confiniis ſita, a Lidalo amne, *Liddel Water*, denominata.

Lidalianus, *The Lord of Liddiſdale*, eo honore dignatus eſt Gulielmus Duglaſſius Scotus bellator egregius.

Ligeris, *The Loire*, fluviorum Galliæ princeps,

Ligures, Italiæ populus, eam fere regionem incolens quæ nunc Genoa appellatur.

Lilburnus, *Lilburn*, cognomen Angl.

Lilius, *Lyle*, cognomen, cujus Princeps poſtea Liliæ Regulus, nunc exſtinctus.

Limdoris, *Lundores*, Cœnobium Fifæ ad Taum fluvium.

Limnuchum, *Linlithgow*, oppidum, Lothianæ occidentalis, ſeu præfecturæ inde Limnuchenſis dictæ, caput.

Lindeſius, *Lindſay*, cognomen illuſtris familiæ, cujus Princeps Crafordiæ Comes.

Lindisfarne & Lindisfarnia, *Lindisfarn or the Holy Iſland*, inſula ad oram Northumbriæ, 7 ultra Bervicum mill. olim Epiſcoporum vitæ ſanctitate celebrium ſedes, quæ poſtea ad Dunelmum a Milcolumbo III. eſt tranſlata.

Linto, *Linton*, duo ſunt hujus nominis vici, alter Lothianæ ad Tinam, alter Tuediæ ad Linnum ſiti.

Liſmora, *Leſmore*, inſula in ſinu Lochiolenſi, Epiſcopi Argatheliæ ſedes, qui inde dictus eſt

Liſmorenſis Epiſcopus, *The Biſhop of Argyle.*

Liſto, *Kirkliſton*, vicus Lothianæ ad Almonem amnem ſitus.

Lochabria, *Lochaber*, *Vid.* Abria.

Lochindorea, *The Caſtle of Lochindores*, in præfectura Banfienſi arx.

Lochtia, fluv. idem qui Lutea.

Loganus, *Logan*, cognomen.

Logius, *Logy*, cognomen.

Lominius, *Loch Lomond*, ingens Leviniæ lacus, 24 mill. longus: item montis Fifani nomen.

Loncartis, *Loncarty*, vicus Perthenſis, Danorum clade memorabilis.

Londinum, *London*, urbs celeberrima, Angliæ caput, Europæas omnes civium numero & opibus exſuperans.

Londinus, *Lundie*, cognomen in quo Comarchus Londinius primas tenet.

Longovillanus, *The Duke of Longoville*, Ducis Galli titulus.

Longus, *Long*, fluvius in ejuſdem nominis lacum defluens, Leviniamque à Covalia diſpeſcens.

Loreſtonium, *Lawriſton*, Merniæ arx.

Lorna, *Lorn*, regio Argatheliam inter & Abriam media interjecta.

Lotharingia, *Lorrain*, Galliæ provincia.

Lotharingus & Lotharenus, *The Duke of Lorrain*, Guſiorum Princeps.

Lothiana, *Lothian*, regio perampla in tres præfecturas diremta, Limnuchenſem, Edimburgenſem & Hadintonenſem, aliter, Lothianam occidentalem, mediam & orientalem appellatas.

Lovanium, *Lovain*, Brabantiæ caput.

Lovellius, *Lovel*, cognomen.

Loxius, *Loſſy*, Moraviæ fluvius.

Lucemburgum, *Luxemburg*, provinciæ Belgicæ, Ducatus Lucemburgenſis dictæ, metropolis.

Luddus, *Ludd or Lloid*, cognomen Cambricum, ſeu Vallicum.

Luſitania, *Portugal*, Hiſpaniæ pars, nunc regnum Portugalliæ dicta.

Luſſus, *The River Luſs*, Gallovidiæ fluvius.

Lutea, *Lochty or Louchty*, Abriæ fluvius.

Lutetia, aut Lutetia Pariſiorum, *Paris*, urbs nobiliſſima, Galliæ metropolis, ad Sequanam ſita.

M.

MABANUM, *The Town and Caſtle of Lochmaban*, Annandiæ oppidum, & arx ad lacum ejuſdem nominis ſita.

Macaintorius, *Mackintoſh*, cognomen celebris inter priſcos Scotos familiæ, quæ tribus Catana, vulgo *The Clan Chattan*, appellatur. In hac etiam tribu Macpherſonii nomen ſuum profitentur. Utrorumque ſuffragiis Macaintotiæ Comarchus Princeps agnoſcitur.

Macalpinus, *Macalpin*, i.e, Alpini filius: ita dictus eſt Pictorum domitor Kennethus II. Alpini filius; legeſque ab eo conditæ Macalpinanæ appellatæ.

Macarcturius, *Macarthur*, priſcorum Scotorum in Lorna tribus.

Maccaſclanus, *Maccaſland*, priſcorum Scotorum in Levinia tribus.

Macclodius Haraienſis, *The Laird of Macleod, or Macleod of Hariſh*, vetuſtum inter Inſulares Scotos familiæ cognomen, cujus Princeps Haraiæ Comarchus.

Macdonaldus, *Macdonald or Macconel*, clariſſima & potentiſſima priſcorum Scotorum gens, cujus Principes Donaldi Inſulani dicti (quos Æbudenſes fere omnes Duces ſequebantur,) ipſis etiam Regibus bellum inferre, ac negotium haud raro faceſſere conſuevere. Sed eorum potentia jamdudum fracta, vel multum imminuta, variiſque ex eadem ſtirpe creatis familiis de principatu contendentibus, haud facile dictu eſt cui is potiſſimum honos debeatur: major tamen pars Donaldum Macdonaldum de *Slate* Equitem illuſtrem Ducem agnoſcit.

Macduffus, *Macduff*, is olim Fifæ Thanus, ejuſque poſteri Fifæ Comites appellati, antiquiſſimæ familiæ Principes, quorum hæredes ſe Vemiarum Comites profitentur.

Macgillus, Macgildus & Macgillius, *Macgill*, cognomen familiæ in qua principem tenet locum qui Cranſtoniæ Vicecomes inſignitur.

Maclelanus, *Maclellan*, numeroſæ inter Gallovidienſes familiæ cognomen, quam olim ducebat Bombiæ ſeu Fani Cutbercchti Regulus, pridem exſtinctus.

Macrobertus Struanus, *The Laird of Struan Robertſon*, Comarchus Atholius gentis ſuæ Princeps.

Macrorius, *Macrory*, cognomen.

Madritum, *Madrid*, Hiſpaniæ caput, & ſedes Regia.

Mæ-

Mætellanus, *Maitland*, cognomen antiquæ familiæ quæ Lauderiæ Comiti principem locum attribuit.

Magiſter Equitum. *Vid.* Comes Stabuli.

Magneſius lapis, *The Loadſtone*, Magnes lapis ferrum trahens, ita dictus a Magneſia Lydiæ regione ubi primum inventus.

D. Magnus, *St. Maine or St. Mans*, Abbas vitæ ſanctitate clarus, quem Orcadenſes patronum ſuum venditant.

Major, *Mair*, eo cognomine appellatus eſt Joannes Major Hadintonanus Doctor Sorbonicus, ſcriptis Theologicis ac Hiſtoria Scotica clarus.

Majus, Maja, *The Iſle of May*, inſula in oſtio æſtuarii Forthæ, in qua pharus ſive ſpecula igne perpetuo ardente navigantium iter dirigens.

Malarus, *Malair*, cognomen.

Malavillius ſeu Malavillanus, *Melvil or Melvin*, cognomen antiquæ familiæ, in qua primas tenet Malavilliæ Comes, qui jam nunc & Comes Leviniæ. Aliis Melvinus appellatur.

Malmesburium, *Malmesbury*, Angliæ oppidum, Gulielmi Malmesburienſis Hiſtorici Angli, & Tho. Hobbeſii natalibus celebre.

Mana vel Manna, *The Iſle of Man*, inſula pari prope ab Anglia Hiberniaque intervallo diſſita, Scotiæ tamen paullo propior, ejuſque olim Regibus parens, eadem quam Monam Cæſar appellat.

Manuel, *The Nunry of Manuel*, Monacharum collegium prope Limnuchum.

Marcia, *The Country of the Mers or March*, regio Scotica Angliæ confinis.

Marciæ Comes, & Comes Marcianus, *The Earl of March*, antiquiſſimæ potentiſſimæque Dumbarorum gentis Princeps, quo jampridem exſtincto, eum honorem aliæ poſtea familiæ, jam vero Duglaſſia eſt adepta.

Mare Deucaledonium, Germanicum, Hibernicum, Internum, *Vid.* Deucaledonium, *&c.*

Mare Scoticum, *The Scottiſh Sea*: ita appellatur æſtuarii Forthenſis oſtium, quod olim Scotos Pictoſque a Valentia Romanorum provincia inter duo valla, Hadriani *ſcil.* & Severi, incluſa diſterminaret.

D. Margaritæ Portus, *The Queen's Ferry*: duo ſunt hujus nominis oppidula adverſo utrinque Forthæ littore poſita, Auſtralis & Borealis cognominibus diſtincta, a D. Margarita Milcolumbi III. uxore, quæ e Lothiana Fermelinodunum ſedem Regiam petens eo in loco trajicere ſolebat, appellata.

Marini inſula, *Inch Merin*, inſularum lacus Lominii maxima.

Marria, *Marr*, regio Scotiæ ſeptentrionalis, præfecturæ Aberdonienſis pars.

Marrius, & Marriæ Comes, *The Earl of Marr*: ea dignatione olim cohoneſtati ejuſdem cognominis viri illuſtres, quam nunc per aliquot retro ſecula Areskinorum Principes tenuere.

Martialis Comes, *The Earl Marſhal of Scotland*: is titulus eſt, & officium honorarium Comitis Scoti antiquiſſimæ Kethorum familiæ Principis.

Martigius, *The Earl of Martiques*, nobilis Gallus.

Matrona, *The Marne*, fluvius Galliæ.

Maſſilia, *Marſeilles*, oppidum Provinciæ antiquiſſimum a Græcis Phocenſibus conditum.

Maubraius, *Maubray or Moubray*, cognomen.

Maufactus, *Moffet*, cognomen.

Maufetum, *Moffet*, oppidum Annandiæ aquis medicatis clarum.

Maurus, *A Moor*, Mauritaniæ incola.

Maxuallıæ Rupes, *Maxwel Heugh*, ad dextram Tuedæ ripam infra Calſonem.

Maxuallius, *Maxwel*, cognomen celebris familiæ, quæ Maxuallıæ Regulum, nunc Nithiæ Comitem, ducem agnoſcit.

Mediolanum, *Milan*, nobilis Italiæ urbs.

Meſanius, *Methven or Meſſen*, cognomen.

Megalocephalus, Μεγαλοκέφαλος, Milcolumbi III. cognomen, vulgo *Canmore*, q. d. Capito, vel *Great Head.*

Megata, *Meggat River*, Eviæ amnis.

Meldæ, & Meldenſium oppidum, *Meaux*, Briæ provinciæ Gallicæ caput, olim Jatinum dictum.

Meliſſus & Maliſius, *Meliſs, or Maliſs*, viri nomen.

Menavia, commune duarum inſularum, Mannæ *ſcil.* & Angleſeiæ nomen, quarum hæc Menavia prima, illa Menavia ſecunda Bedæ appellatur.

Meneſius, *Menzies*, cognomen.

Menevenſis Epiſcopus, *The Biſhop of St. David's*, a

Menevia, *St. David's*, oppidum & ſedes Epiſcopalis Valliæ in præfectura Pembrocienſi.

Meneviæ angulus, *St. David's Head*, promontorium prope illud oppidum.

Mentethus, *Menteith or Monteith*, cognomen.

Mernia, *The Mearns*, regio ſeu præfectura, hinc Elca ſeptentrionali, illinc Dea fluminibus terminata.

Metellanus. *Vid* Mætellanus.

Methuanum, *Methven or Meſſen*, pagus Perthenſis, & in eo arx ad Almonem fluvium 3 ſupra Perthum mill. ſita.

Milcolumbus, *Malcolm*, proprium viri.

Milfordia, *Milford*, multa ſunt hoc nomine Angliæ loca; nullus autem quod ſciam prope Fluidonem, aut in Northumbria. Irvino igitur haud invitus acceſſero, qui lib. 13. Cap. 37. pro Milfordia Milfeldiam, *Milfield*, legendum cenſet.

Millus, *Mill*, cognomen.

Molas, *Lamlaſh*, inſula ad ortum Araniæ objecta, priſcis Scotis *Ard-na-molas* dicta.

Momorantius, *The Duke of Momorancy or Montmerency*, Dux & Comes Stabuli apud Gallos, qui ſuam familiam omnium antiquiſſimam prædicabat.

Mona, hoc nomine Mannam Cæſar, Angleſeiam Tacitus appellat.

Monfortius, *Monfort*, Gallicum ac deinde Anglicum cognomen.

Mongomerius, *Montgomery*, celebre cognomen, origine (ut videtur) Gallicum, eo appellati Eglintonii Comitem Principem agnoſcunt.

Monimalium, *Monimeal*, amœna Fifæ villa 5 a Falcolandia mill. diſſita.

Monimuſcum, *Monimuſk or Monimuſs*, vicus, olim Prioratus (quem vocant) ad dextram Donæ amnis ſitus.

Monlucius, *Monſieur de Monluc*, Gallus.

Monrous, *Monro*, antiquæ inter priſcos Scotos familiæ cognomen.

Montacuti Regulus, *The Viſcount of Mountague*, nobilis Anglus qui nunc Dux Montacuti inſignitur.

Montanus, *Of the Mounth*, ita ſe appellat David Lindeſius Eques, Fecialium Scoticorum Rex. Eſt autem *The Mounth or Mount*, collis ſive mons, uti nomen indicat, prope Cuprum Fifenſium

Monumetenſis, *Of Monmouth*, ita appellatus eſt Galfridus ſcriptor Anglus a Monumethia, *Monmouth*, urbe ejuſdem nominis provinciæ præcipua.

Moravia, *Murray*, *or Murray Land*, regio maritima inter Spæam & Neſſum fluvios porrecta.

Mo-

Moravius, *Murray*, cognomen illuſtris familiæ, cujus alii alios, Atholiæ Dux ſe Principem appellat.

Moravius, *The Earl of Murray*, titulus Comitis Scoti, cui primum Randolpho erat cognomen, poſtea in Duglaſſiam, ac poſtremo in Stuartam familiam tranſiit.

Mordacus, *Murdo or Murdoch*, viri nomen.

Mortonium, *Morton Caſtle*, arx Nithiæ ad ſiniſtram Nithi ripam ſita. Inde

Mortonius, *The Earl of Morton*, nobilis Scotus e Duglaſſiana familia.

Morvillius, *Morvill*, cognomen vetuſtum, cujus Princeps olim Lauderiæ Regulus & Stabuli Comes.

Morus, *Moor*, cognomen.

Mula Gallovidiæ, *The Mule of Galloway*, promontorium Gallovidiæ, olim Novantum dictum.

Mulla, *The Iſle of Mull*, inſula inter Æbudarum maximas numerata, Abriæ ab occaſu adverſa.

Mulroſſia, *Melroſs or Mulroſs*, Cœnobium Teviotiæ pervetuſtum.

Murthilacum, *Murthlack or Mortlick*, vicus in præfectura Banfienſi prope Balvaniam, olim ſedes Epiſcopalis, quæ poſtea Aberdoniam eſt tranſlata.

Muſcelburgum, *Muſſelburgh*, oppidum Lothianæ 4 ab Edimburgo mill.

Muſgravius, *Muſgrave*, cognomen Angl.

N.

NANCÆUM, *Nancy*, Lotharingiæ caput.

Narnia, *The Shire of Nairn*, præfectura exigua inter Elginenſem & Enerneſſenſem media.

Narnis, *The Town of Nairn*, oppidulum, ejus præfecturæ caput.

Narnus, *The River Nairn*, Narniæ fluvius.

Navernia, *Strathnavern or Strathnaver*, regio Scoticarum omnium ad occidentem æſtivum ultima. Cui nomen dedit

Navernus, *Navern*, fluvius Naverniam interſecans, ac in mare Deucaledonium non procul a Vervedro promontorio devolutus.

Neobotellum, *Newbottle*, vicus ad Eſcam Auſtralem, mille paſſus ſupra Dalkethum, olim Cœnobium, nunc Marchionis Lothianæ præcipua ſedes.

Neſſum oppidum, i. q. Enerneſſa.

Neſſus, *Neſs*, lacus fluviique ex eo erumpentis, Enerneſſamque inde vocatum oppidum alluentis, nomen.

Neurgum, *Newark*, oppidum ad Trentum in præfectura Nottingamienſi.

Nicæa, *Nice*, urbs Galliæ Narbonenſis, Sabaudiæ Duci ſubdita.

Nigellus, *Neil*, viri proprium.

Nithia, *Nithſdale*, Scotiæ regio, præfecturæ Drumfriſienſis pars.

Nithus, *Nith*, fluvius Nithiam irrigans.

Nivernenſis Comes, *The Earl of Nevers*, nobilis Gallus.

Nomarcha, *A Sheriff*.

Norama, *Norham*, oppidum Northumbriæ ad confluentem Tuedæ & Tilli.

Norfolciæ Dux, *The Duke of Norfolk*, nobilium Anglicorum (poſt ſtirpem Regiam) primus, Havartorum familiæ Princeps.

Normani & Normanni, *The Normans*, populus Galliæ, qui Scandinavia profecti, in regione inde Normania dicta conſedere.

Normanus, *Norman*, viri proprium.

Northumbria, *Northumberland*, ampla Angliæ regio Scotiæ finitima, Scoticoque olim ſceptro parens.

Norvegia, *Norway*, regnum, olim ſuis, nunc Daniæ Regibus ſubditum

Nottingamia, *Nottingham*, præfecturæ Anglicæ urbiſque in ea præcipuæ nomen.

Novantum promontorium, *The Mule of Galloway*, a Novantibus eam priſcis temporibus regionem incolentibus.

Noviodunum, *Dunoon Caſtle*, arx Covaliæ.

Novum caſtrum, *Newcaſtle*, Northumbriæ oppidum ad Tinæ oſtium ſitum.

O.

OCCIDENTALES inſulæ, *The Weſtern Iſles*, quæ Æbudæ & Hebrides dictæ.

Oceanus Germanicus, *The German Ocean*, i.q. Mare Germanicum.

Ocelli montes, *The Ochell Hills*, inter Ierniam, Clacmananum & Kinroſſianam præfecturas interjecta juga attollentes.

Ochiltrius, *Lord Ochiltrie*; i. e. Ochiltriæ Regulus, cognomento Stuartus.

Odomarus, *Odomar or Aimer*, viri proprium.

Ogilvius, *Ogilvy or Ogilby*, cognomen claræ familiæ, cujus Princeps Arilææ Comes vulgo perhibetur.

Orcades, *The Orkney Iſlands*, inſulæ ultra Cathaneſiam in mari Deucaledonio jacentes.

Orcas vel Tarvedrum, *Faro Head*, promontorium in extremo ad occidentem æſtivum Naverniæ angulo.

Ormiſtonius, *The Laird of Ormiſton*, Comarchus cognomento Cockburnus in Lothiana orientali.

Ormundiæ Comes, *The Earl of Ormond*, hoc titulo auctus eſt Georgius Duglaſſius Jacobi Craſſi VII. Duglaſſiæ Comitis filius. Eſt autem Ormundia in Roſſienſi præfectura.

Oſellius, *Monſieur d'Oyſel*, Gallus.

Otterburnum, *Otterburn*, Northumbriæ vicus, Anglorum clade nobilis.

Oxonium, *Oxford*, urbs Angliæ, Academiæ Britannicarum omnium celeberrimæ ſedes, Muſiſque gratiſſimum domicilium.

P.

PALMERIUS, *Palmer* cognomen.

Panitarius, *Pantar*, cognomen.

Pannonia, ampla Europæ regio, nunc fere pro Hungaria uſurpata.

Paſletum & Paſiletum, *Paſley*, oppidum & cœnobium in præfectura Renfroana ad Carthum fluvium.

Paſletenſis liber, Annales rerum Scoticarum a Monachis Paſletenſis conſcripti. Is autem liber a nigro tegumento, vulgo *The Black Book of Paſley* appellatus.

Pennangus, *Pennango*, hoc cognomine appellatur Comarchus Coilenſis.

Pennentonius, *Pennington*, cognomen Angl.

Pennerum, *Penrith*, Cumbriæ oppidum 16 ultra Carleolum mill.

Penthlandicum fretum & Penthlandici montes. *Vid.* Picticum & Pictlandici.

Percius, *Percy*, celebre inter Anglos cognomen, unde Northumbriæ Reguli Comiteſque, aliique viri nobiles propagati.

Perthum, *Perth or St. Johnſton*, celebre Scotiæ oppidum, præfecturæ dans nomen, inter Almonem Iernumque qua Tao commiſcentur, ſitum.

Phylarcha, Gr. φυλάρχης *The Captain or Chief of a Highland Clan*, Tribus Princeps ſeu dux.

Pictavium, *Poictiers*, Galliæ Aquitanicæ urbs, Pictonum caput.

Picti, *The Picts*, gens antiquiſſima, quæ dimidiam fere Britanniæ ſeptentrionalis partem olim tenebat, poſt varia

bella

bella a Scotis tandem deleta, aut inſula expulſa.

Pictịcum fretum, *Pentland Frith*, quod inter Cathaneſiam & Orcadas interjicitur; rectius forte fretum Penthlandicum.

Pictlandici montes, *Pentland Hills*, montium in Lothiana tractus, Penthlandici potius appellandi.

Pictones, *Les Poictovins*, incolæ provinciæ Gallicæ inter Andegavos & Santones medii: regio autem Pictavia ſive Pictonum ager, *Poictou*, nuncupatur.

Pitcarnius, *Pitcairn*, antiquum inter Fifenſes cognomen.

Plantagenitus, *Plantagenet*, eo cognomine appellati ſunt Angliæ Reges ab Henrico II. (filio Gothofredi Plantageniti Andegaviæ Comitis,) ad Ricardum III. in quo Plantagenitorum ſtirps maſcula defecit. Id vero cognomen a *planta geniſta* eſt deductum.

Platycerotes, πλατυκέρωτες, *Fallow Deer*, cervi lata cornua habentes, a πλατὺς latus, & κέρας cornu.

Plexippus, *Hot-Spur*, ita cognominatus eſt Henricus Percius Northumbriæ Comitis F. a πλήξ ſtimulus, & ἵππος equus.

Pluſcartenſis liber, *The Book of Pluſcardy*, rerum Scoticarum hiſtoria a Monachis Cœnobii Pluſcarti dicti, ad Lochtiam amnem Moraviæ, 6 ab Elgino mill. conſcripta.

Pollacæ, *Pollacks*, piſcium genus in ſolo lacu Lominio repertum.

Pomona, Orcadum maxima, ob id *The Main Land*, ſive Continens, dicta.

Pontiniaci Abbas, *The Abbot of Pontigny*, id Cœnobium eſt in Altiſſiodorenſi tractu in Burgundia.

Portus Gatheli, *Port a Port*, Portus Cale, Luſitaniæ oppidum ad Durii fluminis oſtium, unde regno Portugalliæ nomen. Id noſtri a Gathelo conditum fabulantur.

Præfectura, & Præfectura juridica, *A Shire, Sheriffdom, or County.*

Præfectus Juridicus, *A Sheriff.*

Præſtonum, *Preſton*, Lothianæ vicus, 6 ab Edimburgo mill.

Præſtonianus, *The Laird of Preſton*, Præſtoni Comarchus.

Præſtonus & Præſtonius, *Preſton*, cognomen.

Prætor urbanus, *al.* Præfectus urbanus, *The Provoſt or Mayor of a Town.*

Prior, *The Prior of a Convent*, is titulus eſt Eccleſiaſticus Abbate inferior.

Priſci Scoti, *The ancient Scots*, i. e. *The Higlanders or Iſles-Men*, ita Buchanano appellantur Scoti montana loca & inſulas colentes, quippe qui lingua & moribus antiquis utantur.

Q.

QUÆSTOR rerum capitalium, *The Lord Chief Juſtice, or the Juſtice General.*

R.

RADOLPHUS, Radolfus, *Ralph*, nomen viri proprium.

Ramiſæus, *Ramſay*, celebre inter Scotos cognomen, in quo primas tenet qui olim Dalhuſiæ Regulus, nunc Comes inſignitur.

Randolphus, *Randolph or Randal*, cognomen, Thomæ Comitis Moraviæ Scotiæque Proregis fama celebratum.

Ratra, *Ratra or Ratray*, fluvius Buchaniæ.

Redmanus, *Redman*, Anglus.

Regia Crux. *Vid.* Crux Regia.

Reginaldus, *Reynold or Ranald*, cognomen.

Re-

Reginaldini & gens Reginaldina, *The Mack-Ranalds, or Clan-Ranald*, priſcorum Scotorum tribus.

Regulus, *A Lord Baron.*

Reidus, *Reid*, cognomen.

Renatus, *Rene or Renny*, nomen Gallicum, & cognomen Scoticum.

Renfroa, *Renfrew*, oppidum ad confluentem Glottæ & Carthi, 4 mill. infra Glaſcuam. Inde dicta eſt

Renfroana præfectura, *The Barony or Shire of Renfrew*, ſiniſtræ Glottæ ripæ contermina, olim Stuartorum patrimonium.

Rerigonius ſinus, ita Ptolemæo appellatur qui nunc *The Bay of Glenluce* dicitur, cui e regione oppoſitus eſt lacus Rianus, qui hinc atque hinc terram in anguſtum cogentes Cherſoneſum efficiunt, quæ vulgo *The Rins of Galloway* vocatur.

Reſtenotum, *Reſtennot*, Prioratus, quem vocant, Anguſiæ, mille paſſus, a Forfara oppido.

Rhenus & Rhenum, *The Rhine*, ingens Germaniæ fluvius, eam olim a Gallia diſterminans.

Rianus lacus, *Loch Ryan*, Ptolemæo Vidogara, Gallovidiæ ab Aquilone ſe inſinuans. *Vid.* Rerigonius ſinus.

Richemondia, *Richmond*, oppidum & præfectura Anglica agri Eboracenſis pars.

Riggius, *Rigge*, cognomen.

Rinus, *The Rins of Galloway*, Gallovidiæ peninſula. *Vid.* Rerigonius ſinus.

Rizius, *Ricio or Rycie*, cognomen hominis Sabaudi, vulgo *Seignior David* appellati, quem conjurata nobilium factio, aſpiciente Regina Maria, crudeliſſime trucidarunt.

Robertſonus, *Robertſon*, cognomen, *al.* Macrobertus.

Roffa, vulgo Rauſcheſtria, *Rocheſter*, oppidum Cantii ad Meduacum fluvium, medio fere inter Londinum & Cantuariam intervallo.

Rokesbius, *Rokesby*, cognomen Anglicum.

Rosburgum, *Roxburgh*, arx olim Teviotiæ munitiſſima, juxtaque oppidum, qua Teviotus cum Tueda aquas confundit, unde præfectura nomen, & Carorum Princeps Ducis titulum eſt adeptus.

Roſmarchia, *Roſmarky*, Roſſiæ oppidum.

Roſſia, *Roſs*, Scotiæ regio & præfectura, a mari Germanico ad Deucaledonium porrecta, ab Auſtro Moravia, ab Aquilone Cathaneſia & Sutherlandia terminata.

Roſſelinum & Roſlinum, *Roſlin*, Lothianæ arx ad Eſcam ſeptentrionalem, 5 mill. ab Edimburgo.

Roſſienſis Comes, *The Earl of Roſs*: hoc titulo olim cohoneſtata eſt perveruſta Roſſiorum familia; qui poſtea in Leſlæanam, ac deinde Donaldinam, matrimonii jure eſt tranſlatus. Eo denique inter alios titulos inſigniri conſuevere Scotorum Regum filii natu ſecundi. Eſt & Regulus Roſſienſis eodem cognomento.

Roſſienſis Epiſcopus, *The Biſhop of Roſs.*

Rotheſaia & Roſaia, *Rotheſay or Roſay*, arx & oppidulum in Bota inſula. Unde

Rotheſaius, & Rotheſaiæ Dux, *The Duke of Rotheſay*, Principis Scotiæ a Roberti III. temporibus titulus.

Rothomagus, *Rouen*, Normaniæ caput.

Rothumaium, *Rothemay*, arx ad ſiniſtram Dovernæ fluminis ripam.

Rothuſius, & Rothuſiæ Comes, *The Earl of Rothes*, eo titulo ornatus eſt vetuſtæ Leſlæorum familiæ Princeps.

Rubeus, *Monſieur de Ruby*, Gallus.

Ru-

Rubrum promontorium, *Red Head*, rupium ſeu collium in mare prominentium tractus in Anguſia, haud procul ab Aberbrothio oppido.

Rupella, *Rochel*, urbs Galliæ Aquitanicæ maritima, ſuis malis clara.

Rupes Ferguſii, *Vid.* Ferguſii Rupes.

Ruſſellus, *Ruſſel*, cognomen.

Ruvenus, *Ruthven*, cognomen antiquæ familiæ, cujus Principes primum Ruveniæ Reguli, poſtea Goreæ Comites appellati; quorum ultimus dum parricidiali auſu Jacobum VI. tollere deſtinat, ſibi mortem familiæque cladem arceſſivit.

S.

SABAUDIA, *Savoy*, Ducatus Italiæ Galliæ finitimus.

Sabrina, *The Severn*, Angliæ fluvius.

Sadlerus, *Sadler*, cognomen Angl.

Sanctæ Crucis Cœnobium, *Vid.* Crucis Cœnobium.

Sandilandius, *Sandilands*, cognomen, cujus Princeps Torphichiniæ Regulus. *Vid.* Calderanus.

Saraceni, *The Saracens*, Arabiæ populus, prius Agareni, poſtea Iſmaelitæ dicti, qui multas non Aſiæ modo & Africæ, ſed & Europæ regiones bellis & rapinis vexavere.

Sarca, *The River Sark or Sars*, unus vel duo potius Annandiæ fluvii, albi & nigri cognominibus diſtincti, qui uno tandem alveo coëuntes in æſtuarium Solvæi devolvuntur.

Sarisburius, & Sarisburienſis Comes, *The Earl of Salisbury*, nobilis Anglus.

Saxones, *The Saxons*, populus Germaniæ bellicoſiſſimus, (qui a Britonibus adverſus Scotos Pictoſque arceſſiti, ipſis quorum auxilio advenerant aut trucidatis, aut in Valliam compulſis, totam fere Angliam occupavere. Eorum poſteri ſunt qui nunc Angli appellantur.

Scandia, & Scandinavia, regio perampla Europæ, ubi nunc Sueciæ & Norvegiæ regna.

Scona, *Scoon*, nobile Cœnobium ad ſiniſtram Tai ripam, mille paſſus ſupra Perthum, ubi Scotorum Reges coronari ſoliti.

Scoti, *The Scots*, Britanniæ ſeptentrionalis incolæ.

Scotia, *Scotland*, regnum Britannicum.

Scoticum mare. *Vid.* Mare Scoticum.

Scotus, *Scot*, cognomen celebris familiæ, quæ Balcluchiæ Comarchos Principes agnoſcebat: eorum hæres eſt quæ nunc Balcluchiæ Ducisſa inſignitur.

Scrimigerus, *Scrimger*, cognomen vetuſtum, in quo primas tenebat qui Taoduni Conſtabularius, poſtea Duddopiæ Regulus, ac Taoduni demum Comes: ſed is titulus deficiente prole maſcula non ita pridem eſt exſtinctus.

Scrupus, *Scroop or the Lord Scroop*, cognomen & titulus Anglicus.

Scutatus, *A French Crown*, nummus Gallicus, Gallice *Un Ecu*.

Semplius *Semple*, cognomen, in quo primas tenet Sempliæ Regulus.

Seneciones, *The Sanachies*, *Vid.* Buchan. Lib. II. Cap. 2.

Servanus, *St. Servan or St. Serf*, Scotus vitæ ſanctitate clarus.

Sesfordius. *Vid.* Cesfordius.

Setonium, *The Palace of Seton*, Comitis Vintoniæ ſedes in Lothiana orientali, 8 ultra Edimburgum mill.

Setonius, *Seton*, inclytæ familiæ cognomen, cujus Princeps Vintoniæ Comes.

Seveſſius, *Sivez or Schives*, cognomen.

Sfortia, *Sforza* poſtremorum Mediolani Ducum cognomen.

Siaus, *Shaw*, cognomen.

Silvius, *Wood*, cognomen.

Sinclarus, *Sinclair or St. Clare*, cognomen illuſtris familiæ, quorum Principes olim Orcadum & Cathaneſiæ Comites; nunc Sinclariæ Reguli primi exiſtimantur.

Skia vel Skianachia, *The Iſle of Skie*, Æbudarum (niſi forte Leogum excipias) maxima.

Sodora, oppidum Mannæ inſulæ, in quo habitabat Inſulanorum Epiſcopus, inde Sodorenſis dictus. *Vid.* Buchan. Lib. I. Cap. 34. Irvinus tamen contendit eam oppidulum ſive ædem ſacram in Iona fuiſſe.

Soltra, *Soltra Hill*, mons eſt & in eo Cœnobium & Ptochodochium, novem ab Edimburgo mill.

Solvæus, *Solway Frith*, æſtuarium ſeu ſinus Scotiam ab Anglia ab occaſu diſterminans.

Somerſeti Dux, *The Duke of Somerſet*, nobilis Anglus.

Somervallius, *Somerville or Somervail*, cognomen.

Sophocardius, *Wiſhart or Wiſeheart*. Hoc ſibi confinxit Buchananus vocabulum, ex σοφος & καρδία, q. d. corde ſapiens: ſed male, non enim hoc verum cognominis Etymon, quippe quod origine Gallicum ſit, nam qui nobis *Witſchart* vel *Wiſhart*, illis *Guiſcard* appellatur.

Sorbonicus Doctor, *A Doctor of the Sorbon*: eſt autem Sorbona celebris Schola Theologica in Academia Pariſienſi.

Spæa, Speia & Spæus, *The River of Spey*, fluvius Scotiæ e lacu ejuſdem nominis ortus, qui Badenacham intermeans, Moraviamque a Marria & Banfia dirimens in mare tandem Germanicum ſe effundit.

Spencerus, *Spencer*, cognomen Anglicum.

Spenſius, *Spence*, cognomen.

Stamparum Dux, *Te Duke d'Eſtampes*, nobilis Gallus, a Stampis, oppido 14 leucis a Pariſiis diſtante, denominatus.

Stanlæus, *Stanley*, cognomen Anglicum in quo eminet Derbienſis Comes.

Stammoria, *Stanmore*, ericetum, in quo limes regnorum Scotiæ & Angliæ olim definitus, inter Richemondiæ Cumbriæque præfecturas. *Vid.* Crux Stammoriæ.

Stephanodunum, *Dunſtaffage or Dunſtafnage*, oppidulum Lornæ, olim Regia ſedes.

Sterlinum, *Stirling or Striveling*, urbs percelebris, juxtaque arx munitiſſima ad Fortham, præfecturæ inde Sterlinenſi dictæ; *The Shire of Stirling*, dans nomen.

Sterlinenſis ager, *The Shire of Stirling*.

Sterlinus, *Stirling*, cognomen, *Vid.* Kerius.

Stinſiarus, *Stinſiar*, Carictæ fluvius.

Strabogia, i. q. Bogia, q. *Vid.*

Strabogianus, *The Lord of Strathbogy*: is olim Cuminius erat, vel potius e Macdufforum familia oriundus, qui Strabogium ſibi cognomen aſſumſit.

Strabogium, *The Caſtle and Town of Strathbogy*, oppidum ad confluentem Dovernæ & Bogiæ fluminum ſitum, juxtaque arx Comitis Huntilææ, qui nunc Gordoniæ Dux.

Strabrocum, *Strabrock*, Lothianæ vicus ad torrentem Brocum qui in Almonem influit.

Strachanus, *Strachan*, cognomen.

Stra-

Strathierna. *Vid.* Iernia.

Strathnavernia. *Vid.* Navernia.

Strato, Stratonius, *Straton*, cognomen.

Stuartus, *Stuart*, cognomen inclytæ & antiquiſſimæ familiæ, cujus Principes (olim Scotiæ Dapiferi ſeu Seneſcalli) ad ſummum regni faſtigium jure ſanguinis evecti, per multa retro ſecula primum Scotis adjunctis deinde Anglis maxima cum gloria, æquitate & clementia imperitarunt.

Suardus, *Seward or Pſeward*, cognomen Anglicum.

Suintonius, *Swinton*, cognomen.

Sulius, *Soules or Lord Soules*, cognomen, & Souliæ ſive Lidaliæ Regulus.

Sumerledus, *Sumerled*, vulgo *Sorley Buy*, vir clarus e Donaldina familia.

Surrius, & Surriæ Comes, *The Earl of Surrey*, nobilis Anglus.

Suſſexius, & Suſſexiæ Comes, *The Earl of Suſſex*, nobilis Anglus.

Sutherlandia, *Sutherland*, regio Scotiæ ſeptentrionalis, Roſſiæ, Naverniæ & Cathaneſiæ confinis.

Sutherlandus, *Sutherland*, celebre & pervetuſtum cognomen, in quo principem locum tenet qui Sutherlandiæ Comes inſignitur.

Sylvius. *Vid.* Silvius.

T.

TAICHIA, *The Stewartry of Menteith*, regio in occidentali præfecturæ Perthenſis latere, a Taicho fluvio dicta.

Taichus, *The Water of Teith*, fluvius Taichiam inde appellatam irrigans.

Taodunum, *Dundee*, urbs Anguſiæ primaria, ad Taum, unde nomen traxit, ſita. Boëtio alia placet vocis origo, qui eam Deidonum vult appellatam.

Talbotus, *Talbot*, cognomen Anglicum.

Taliferreus, *Tailſer*, cognomen.

Tarvedrum idem quod Orcas, quod *Vid.*

Tatius, *Tate or Tait*, cognomen.

Taus, *The River Tay*, fluviorum Scotiæ maximus, qui e montibus *Carn Drum* dictis oriens, prius *Avon Dochart* appellatus, lacum Taum pertranſit, ejuſque nomine aſſumto præfecturam Perthenſem pervadit, tandemque mari commiſtus in æſtuarium Fifam ab Anguſia dirimens ſe exporrigit.

Tentallo, *The Caſtle of Tantallon*, Lothianæ arx Baſſæ inſulæ oppoſita.

Termius, *Monſieur de Terms*, Gallus.

Teſa, *The Teiſe*, Northumbriæ fluvius.

Teviotia, *Teviotdale*, Scotiæ regio Angliæ contermina in præfectura Rosburgenſi; cui nomen dedit

Teviotus, *The River Teviot or Tiet*, fluvius Teviotiam interſecans.

Thameſis, *The River Thames*, fluviorum Angliæ nobiliſſimus, a Tamo & Iſide fluminibus ad Dorceſtriam in unum coëuntibus denominatus.

Thorintonius, *Thornton*, cognomen.

Throgmortonius, *Trogmorton*, cognomen Anglicum.

Tilibardinum, *Tilibardin*, arx Ierniæ, olim ſedes Comarchi qui inde dictus

Tilibardinus, *The Laird of Tillibardin*, Comarchus cognomento Moravius, unde ortus qui nunc Comes Tilibardinus & Atholiæ Dux.

Tillus, *The River Till*, Northumbriæ fluvius.

Tina, *The River Tine*, Northumbriæ fluvius: item alius: in Lothiana orientali Hadinam præterfluens.

Tinmuthum, *Tinmouth*, q. d. Tinæ oſtium, arx Regia ad Tinæ oſtium, uti nomen indicat, ſita.

Toletum, *Toledo*, urbs Hiſpaniæ, Caſtellæ novæ caput.

Toloſa, *Tholouſe*, urbs Galliæ, Languedocii caput.

Tornacum, *Tournay or Dornick*, Flandriæ oppidum ad Scaldim.

Tralius, *Trail*, cognomen.

Trentus, *The River Trent*, Angliæ fluvius in Humbrum cadens.

Tridentum, *Trent*, urbs Italiæ Concilio ibi indicto famoſa.

Tueda, *The River Tweed*, fluvius Scotiæ notiſſimus eam ab Anglia dividens. Inde

Tuedia, *Tweddale*, Scotiæ regio a Tueda fluvio eam rigante nominata, Glottiana, Lothiana, Lauderia, ſaltu Atrico & Annandia circumcluſa.

Tuina, *Tuine or Tueng*, cognomen.

Tuiſilus, *Twiſel*, Northumbriæ fluvius.

Turones & Turo, *The City of Tours*, urbs Galliæ, caput regionis quæ dicitur

Turonia ſeu Turonenſis ager, *Touraine*. Dux Turonum ſeu Turonenſis, *The Duke of Touraine*: is titulus erat aliquot Duglaſſiæ Comitum.

V.

VALENTINUS, *Vallange* cognomen.

Valeſius, *De Valois*, cognomen Regiæ apud Gallos familiæ, prius quam domus Burbonia rerum eſt potita.

Vallas, *Wallace*, cognomen antiquæ familiæ in qua inſigniter emicuit Gulielmus Vallas Scotorum Dux longe fortiſſimus. *Vid.* Cragiæ Comarchus.

Valli, *The Welſh*, Valliæ incolæ, priſcorum Brittonum progenies.

Vallia, *Wales*, Angliæ provincia, olim regnum, in mare Hibernicum prominens, Sabrina & Dea fluminibus ab reliqua Anglia quodammodo disjuncta.

Vallis Bogiana, *Strathbogy*. *Vid.* Bogia.

Varbecus, *Warbeck*, cognomen inſignis impoſtoris, vulgo *Peter or Perkin Warbeck* appellati, qui ſe Richardum Ducem Eboracenſem Eduardi IV. filium venditabat.

Vardilaus, *Wardlaw*, cognomen.

Vareniæ Comes, *The Earl of Warren*, nobilis Anglus.

Varium ſacellum, *Falkirk*, oppidum in agro Sterlinenſi, priſcis Scotis *Egliſh-Brack*, i. e. ædes verſicolor, dictum.

Varvicum, *Warwick*, oppidum Angliæ præfecturæ & Comiti Anglo dans nomen.

Vaſcones, *The Gaſcoignois*, Vaſconiæ Galliæ provinciæ, vulgo *Gaſcoigne*, incolæ, olim Navarræ regnum complectentes.

Vauſius, *Vaus*, or *Vaux*, cognomen.

Vecturiones, Pictorum gens.

Vemium, *Weems*, duo ſunt hujus nominis in Fifa oppida, hoc occidentale, illud orientale cognominata.

Vemius, *Weems*, cognomen vetuſtæ familiæ, cujus Princeps Vemiarum Comes, ad magnum Macduffum Fifæ Thanum genus referens.

Venantodunum, *Huntigton*, urbis & præfecturæ Anglicæ nomen.

Venetiæ, *Venice*, nobiliſſima urbs Italiæ, pervetuſtæ Venetorum Reipublicæ metropolis.

Veracus, *Monſieur de Verac*, Gallus.

Verca, *The Caſtle of Werk*, arx Northumbriæ ad Tuedam fluv.

Vernolium, *Verneil*, Galliæ urbs, Sco-

Scotorum clade memorabilis.

Verulamium, *Verulam*, urbs Angliæ in præfectura Herefordienſi, olim municipium Romanum.

Veſtmaria, *Weſtmoreland*, Angliæ regio, Scotiæ fere contermina, ejuſque olim Regibus ſubdita.

A Veteri ponte, *Wepont*, cognomen.

Vedderburnus, *The Laird of Wedderburn*, Comarchus Scotus ex Humiorum familia.

Victo, & Victonia, *Wigton*, Gallovidiæ oppidum, præfecturæ dans nomen.

Vicus viridis, *Greenwich*, Eſſexiæ oppidum 4 millibus infra pontem Londinenſem.

Vidogara. *Vid.* Lacus Rianus.

Vienna, *Vienna*, celebris Germaniæ urbs Auſtriæ caput. Eſt & altera Vienna Galliæ in Delphinatu.

Viennenſis, *Monſieur de Vienne*, Gallus.

Vindocinenſis Comes, *The Earl, now Duke, of Vendome*, nobilis Gallus Regio ſanguine ortus.

Viniramus, *Windram*, cognomen.

Vodius, *Wood*, cognomen, idem q. Silvius.

Volſæus, *Cardinal Wolſey*, Archiepiſcopus Eboracenſis & Cardinalis Romanus, qui in ſumma apud Henricum VIII. Anglum gratia, & conſiliorum omnium particeps fuerat, poſtea, fortuna mutante vices, capite plexus.

Volſingamius, *Walſingham*, cognomen Anglicum.

Vottonus, *Wotton*, cognomen Anglicum.

Z.

ZEAL, *The Iſland Yell*, inſula Hethlandicarum una.

Zelandicæ inſulæ, eædem quæ Hethlandicæ.

Zeviota, *The Cheviot Hills*, montium tractus in medio inter Angliam & Scotiam limite.

Ne quod paginæ reliquum eſt vacaret, non ab re duximus ſingulas SCOTIÆ Præfecturas, prout in Rotulis quos vocant Parliamentariis citantur, & quas quæque regiones complectatur, brevi tabella hic exhibere.

Præfecturæ.	*vulgo* The Shires of		*Regiones.*
Edimburgenſis,	*Edinburgh*,	Continet	Lothianam *mediam*.
Hadintonana,	*Hadington*,		Lothianam *orientalem*.
Bervicenſis,	*Berwick*,		Marciam *&* Lauderiam.
Roxburgenſis,	*Roxburgh*,		Teviotiam, Lidaliam *&* Eſciam.
Selkirkenſis,	*Selkirk*,		Silvam Atricam.
Pebliana,	*Peebles*,		Tuediam,
Lanarcenſis,	*Lanark*,		Glottiam.
Dumfriſienſis,	*Dumfries*,		Annandiam *&* Nithiam.
Victonienſis,	*Wigton*,		*Boreales & occiduas* Gallovidiæ *partes*.
Aerenſis,	*Air*,		Coilam, Carictam *&* Cunigamiam.
Britannodunenſis,	*Dumbarton*,		Leviniam.

Botenſis,	*Bute*,	Continet	Botam & Araniam *inſulas.*
Renfroana,	*Renfrew*,		*Baroniam* Renfroanam.
Sterlinenſis,	*Stirling*,		*Agrum* Sterlinenſem, *ad utramque* Forthæ *ripam.*
Limnuchenſis,	*Linlithgow*,		Lothianam *occidentalem.*
Perthenſis,	*Perth*,		Perthiam, Atholiam, Goream, Bradalbiniam, Taichiam & Ierniam. *Item*, Glen-Sheam, Strathalaniam, Rannacham, Balvideram, Glenurchiam & Stermontiam.
Argathelienſis,	*Argyle*,		Argatheliam, Lornam, Cantieram, *inſulaſque ab occaſu* Lornæ & Cantieræ.
Kincardinenſis,	*Kincardin*,		Merniam.
Aberdonienſis,	*Aberdeen*,		Marriam, Buchaniam, Vallem Bogianam.
Ennerneſſenſis,	*Inverneſs*,		Badenacham, Abriam, *Auſtralem* Roſſiæ *partem*, & *partem* Moraviæ *ultra* Narniam.
Narnienſis,	*Nairn*,		*Occiduas* Moraviæ *partes.*
Cromartienſis,	*Cromarty*,		*Exiguam* Roſſiæ *partem.*
Fifenſis,	*Fife*,		*Omnem fere* Fifam, *præter exiguam ad occaſum partem.*
Forfarenſis,	*Forfar*,		Anguſiam.
Bamfienſis,	*Banff*,		Bamfiam, Boinam & Ainiam.
Kircudberechtenſis,	*Kircudbright*,		Gallovidiam *orientalem.*
Sutherlandienſis,	*Sutherland*,		Sutherlandiam & Naverniam.
Cathaneſienſis,	*Caithnes*,		Cathaneſiam.
Elginenſis,	*Elgin*,		Moraviam *orientalem.*
Orcadenſis,	*Orkney*,		Orcades & Hethlandicas *inſulas.*
Clacmanana,	*Clackmanan*,		*Exiguam agri* Sterlinenſis *ab ortu partem.*
Roſſienſis,	*Roſs*,		*Omnem fere* Roſſiam.
Kinroſſiana,	*Kinroſs*,		Fifæ *occidentalis partem.*

FINIS.

DE

JURE REGNI APUD SCOTOS,

DIALOGUS.

AUCTORE

GEORGIO BUCHANANO,

SCOTO.

GEORGIUS BUCHANANUS
JACOBO VI.
SCOTORUM REGI
S. P. D.

SCRIPSERAM, ante annos complures, cum apud nos res turbulentiſſimæ eſſent, Dialogum de Regum Scotorum jure: in quo, ab incunabulis ipſis, (ut ita dicam) quod jus, quæve poteſtas ſit Regibus & civibus inter ſe, explicare ſum conatus. Is liber cum pro tempore profuiſſe nonnihil ſit viſus, ut occluderet ora quibuſdam, qui clamoribus importunis magis, qui tum erat, rerum ſtatum inſectarentur, quam quid rectum eſſet ad rationis normam exigerent; rebus tamen paullo tranquillioribus, ipſe quoque arma depoſita concordiæ publicæ libens conſecravi. Nuper autem cum in eam diſputationem inter ſchedas repertam incidiſſem, ac viſus eſſem in ea multa videre, quæ ætati tuæ (in ea præſertim rerum humanarum parte collocatæ) eſſent neceſſaria, eam publicandam cenſui, ut & mei in te ſtudii eſſet teſtis, & tui erga cives officii te admoneret. Multa autem mihi faciunt fidem, hunc meum conatum non inanem fore: in primis ætas nondum pravis opinionibus corrupta, & ſupra ætatem indoles, ad præclariſſima quæque capeſſenda ſponte properans, & non modo præceptoribus, ſed omnibus recte monentibus, in obtemperando facilitas, & in rebus examinandis judicium & ſolertia: quo in genere nullius apud te magnopere pollet auctoritas, niſi probabili ratione confirmetur. Video etiam, te, naturæ quodam inſtinctu, ab adulatione, quæ & tyrannidis eſt nutricula, & legitimi regni graviſſima peſtis, adeo abhorrere, ut ſolæciſmos & barbariſmos aulicos, non minus oderis, quam, qui ſibi omnis elegantiæ cenſores videntur, eos ament & affectent, & , velut ſermonis condimenta, paſſim Majeſtates, Dominationes, Illuſtritates, *& ſi qua alia magis ſunt putida, aſpergant. Ab hoc te errore quanquam & naturæ bonitas, & inſtitutio Rectorum, in præſentia vindicent, tamen nonnihil ſubvere-*

veri cogor, ne blanda vitiorum altrix, prava conſuetudo, animum adhuc tenellum in pejorem partem detorqueat; præſertim cum non ignorem, quam reliqui noſtri ſenſus facile ſeſe præbeant ſeducendos. Hunc igitur ad te, non modo monitorem, ſed etiam flagitatorem importunum, ac interim impudentem, miſi: qui, in hoc flexu ætatis, trans adulationis ſcopulos te comitetur: nec moneat modo, ſed in via ſemel inita contineat, & , ſi quid deflexeris, reprehendat & retrahat. Cui ſi parueris, tibi tuiſque in præſentia tranquillitatem, & in futurum ſempiternam comparabis gloriam. Vale. Sterlini, Anno ſalutis humanæ M. D. LXXIX. die decimo Januarii.

REX SCOTICUS EX SENECÆ
Thyeſte verſ. 344.

REGEM non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes,
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet.
Non quicquid fodit occidens;
Aut unda Tagus aurea
Claro devehit alveo!
Non quicquid Libycis terit
Fervens area meſſibus.
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis:
Non Eurus rapiens mare;
Aut ſævo rapidus freto
Ventoſi tumor Adriæ.
Quem non lancea militis.
Non ſtrictus domuit chalybs:
Qui tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia:
Occurritque ſuo libens
Fato: nec queritur mori.
Reges conveniant licet,
Qui ſparſos agitant Daas;
Qui rubri vada littoris,
Et gemmis mare lucidum
Late ſanguineum tenent:
Aut qui Caſpia fortibus
Recludunt juga Sarmatis.
Certet, Danubii vadum
Audet qui pedes ingredi;
Et quocunque loco jacent
Seres vellere nobiles;
Mens regnum bona poſſidet.
Nil ullis opus eſt equis;
Nil armis, & inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus cum ſimulat fugas:
Admotis nihil eſt opus
Urbes ſternere, machinis,
Longe ſaxa rotantibus
Rex eſt, qui metuit nihil.
Rex eſt, qui cupiet nihil.
Hoc regnum ſibi quiſque dat.

IN
GEORGII BUCHANANI
Dialogum De Jure Regni apud Scotos,
& Rerum Scoticarum Hiſtoriam
ab eodem conſcriptam,
ANDREÆ MELVINI
EPIGRAMMA.

QUI Regi pia jura, & legum frena Tyranno,
Lege & naturæ & numinis impoſuit,
Ut regerent juſte Reges, ut vincla Tyranni
Horrerent ſævi, vel fera fata truces;
Nunc Reges miti ingenio, crudoſque Tyrannos
Æterna pingit doctius in tabula,
Ut laude exornet Reges: ut labe Tyrannos
Adſpergat, late poſtera fama volans.
Quos æquo obſtrinxit, nunc ſolvit legibus ævi:
Et facit æternos, quos dedit ante neci.

EJUSDEM AD REGEM.

DUM tu, magne puer, patribus das jura vocatis,
Et populi penſas crimina lance pari;
Jura tibi, tuus ille Solon, tuus ille Lycurgus,
Quæ recti e puris fontibus hauſta dedit,
Nobilium Regum exemplis obſignat avitis,
Hic, ubi quid fugias, quidve ſequaris, habes.
Felix, ſi fugias fugienda, ſequenda ſequaris!
Felix cum populo tuque patreſque tuo.

EJUSDEM AD G. BUCHANANUM.

SI Regi placuiſſe; eſt diſplicuiſſe Tyranno,
Cui, quicquid Regi diſplicet, uſque placet:
Nunc odiis ſævit tantum VIS EFFERA, *quantum*
Officio geſtit Rex, Buchanane, tuo.

AD EUNDEM.

QUI in Latium Solymam, in patriam Latium omne tuliſti,
Orbi infers patriæ reſque duceſque tuæ.
Quo Solyma ac Latio major ſtat maximus orbis;
Hoc major tu te es, ſe quoque nunc patria.

AD EUNDEM.

MULTUM oro Phœbi numen, doctaſque ſorores,
Dent mihi, dem quæ te carmina digna tibi.
At Phœbus nequicquam audit, mutæque ſorores:
Et concreta rigent mollia corda gelu.
Nil Phœbus ſine te, ſine te nil turba ſororum:
Unus tu des te carmina digna tibi.

GEOR.

GEORGII BUCHANANI DE JURE REGNI APUD SCOTOS, DIALOGUS.

Perſonæ

G. BUCHANANUS, THOMAS MÆTELLANUS.

I. CUM nuper e Galliis *Thomas Mætellanus* rediiſſet, eumque diligenter de ſtatu rerum Gallicarum percontatus eſſem, cœpi, pro meo in illum amore, hortari, ut in curriculo ad gloriam inſtituto perſeveraret, ſpemque optimam de progreſſu ſtudiorum ſuorum conciperet. Nam ſi ego, mediocri ingenio, re familiari prope nulla, ſeculo inerudito, ita tamen cum temporum iniquitate conflixerim, ut aliquid præſtitiſſe videar; certe quibus, feliciore ſeculo natis, ætas, opes, ingenium, abunde ſuppetunt, hi neque labore ab honeſto inſtituto deterreri deberent, neque tot adminiculis adjuti, deſperare poſſunt. Pergerent igitur, pro virili, rem literariam illuſtrare, ac ſe ſuoſque cives memoriæ poſteritatis commendare. Quod ſi paullulum conniterentur, fore, ut eam opinionem ex animis hominum tollerent, in frigidis orbis regionibus, a literis, humanitate, omnique ingenii cultu, homines tantum abeſſe, quantum a ſole abeſſent. Nam, ut Afris & Ægyptiis, aliiſque pleriſque nationibus, celeriores animi motus, acrimoniamque majorem ingenii, natura indulſerit, nullam tamen gentem ita prorſus damnavit, ut ad virtutem & gloriam aditum ei præcluſerit.

II. Hic; cum ille de ſe (qui eſt ejus pudor) modice, de me vero magis amanter quam vere, locutus eſſet; eo tandem ſermonis curſus nos pertraxit, ut, ubi ille me de perturbato patriæ ſtatu rogaſſet, & ego ei, quantum commodum mihi pro tempore videbatur, reſpondiſſem, cœperim invicem eum rogare, quænam vel Gallorum, vel aliarum, quas in Galliis conveniſſet, gentium, de rebus noſtris eſſet opinio. Non enim dubitabam, quin ipſa rerum novitas (ut ſolet) omnibus eſſet occaſionem & materiam ſermonum datura.

Quorſum (inquit ille) id ex me petis? Nam, cum & rei geſtæ ordinem teneas, nec ignores, quid maxima pars hominum loquatur, omnes propemodum ſentiant; facile conjicere potes, ex animi tui conſcientia, quæ ſit, vel ſaltem debeat eſſe, omnium opinio.

B. At enim, quanto longius exteræ nationes abſunt, eoque minores cauſſas iræ, odii, amoris, aliarumque perturbationum, habent, quæ animum a vero deflectere poſſunt, tanto plerumque & ſincerius judicant, & liberius quid ſentiant eloquuntur; eadem illa loquendi & conferendi cogitationes libertas multa eruit obſcura, impedita explicat, dubia confirmat, & improbis os occludere, & infirmiores docere, poteſt.

III. *M.* Viſne tecum ingenue loquar?

B. Quidni?

M. Quanquam vehementer efferebar cupiditate videndi, ex longinquo intervallo, patriam, parentes, propinquos & amicos, nihil tamen æque hoc deſiderium inflammabat, atque voces imperitæ multitudinis. Etſi enim vel conſuetudine me confirmatum, vel præceptis doctiſſimorum hominum, exiſtimaram: tamen, cum in rem præſentem ventum eſt, neſcio quomodo animi mei mollitiem celare non potui. Nam, cum fœdum illud facinus, non adeo pridem hîc editum, omnes uno ore deteſtarentur, auctorque incertus eſſet, vulgus, quod impetu magis fertur, quam conſilio regitur, paucorum culpam in omnes conferebat: & privati maleficii commune odium adeo in totam gentem redundabat, ut qui etiam a ſuſpicione erant remotiſſimi, ſceleris alieni infamia conflagrarent. Igitur, dum hæc velut calumniæ procella conquieſceret, libenter in hunc portum confugi: in quo tamen vereor, ne in ſcopulum impegerim.

B. Quamobrem vero?

M. Quia recentis criminis atrocitas animos omnium, jamdudum accenſos, adeo inflammatura mihi videtur, ut nullus jam defenſioni locus ſuperſit. Quî enim non imperitorum modo, ſed eorum, qui ſibi plus ſapere videntur, impetum ſuſtinere potero? qui non innoxii adoleſcentis in cæde crudelitate inaudita nos contentos fuiſſe clamitabunt, niſi in fœminas (cui ſexui etiam, captis urbibus, hoſtes parcunt) novum immanitatis ederemus exemplum? A quo vero facinore dignitas ulla, aut majeſtas, eos deterrebit, qui in Reges ita ſæviant? aut quem miſericordiæ locum relinquent, quos neque ſexus imbecillitas, nec ætatis innocentia, repreſſerit? Jus, mos, leges, reſpectus imperii, reverentia legitimi magiſtratus, quem poſt hæc vel retinebunt pudore, vel coërcebunt metu, ubi ſummi imperii vis infimorum patet ludibrio? ubi, ſublato æqui, iniqui, turpis, honeſti, diſcrimine, publico prope conſenſu, in immanem degneratur barbariem? Hæc, & his atrociora, ſcio, me, cum in Gallias rediero, auditurum: occluſis interim omnium auribus, nec defenſionem nec ſatisfactionem admiſſuris.

IV. *B.* At ego te facile hoc timore, noſtramque gentem falſo crimine, liberabo. Nam, ſi prioris atrocitatem ſceleris tantopere exſecrantur, quî convenit, ſeveritatem in eo vindicando reprehendere? Aut, ſi Reginam in ordinem redigi moleſte ferunt, prius eſt neceſſe ut probent. Igitur, tu elige, utrum e duobus atrox videri velis. Nam utrumque nec illi, nec tu, (modo vobis conſtare velitis) aut laudare, aut vituperare, poteſtis.

M. Ego vero cædem Regis utique abominor & deteſtor: gaudeoque ejus in-

invidiam a publica conſcientia remotam, & in paucorum improbitatem eſſe collatam. Hoc vero poſterius facinus neque omnino vituperare, nec laudare poſſum. Nam, quod ſcelus, ab omni hominum memoria maxime nefarium, conſilio & induſtria eruerint, ſceleratos bello & armis perſequantur, facinus præclarum & memorabile mihi videtur. Quod autem ſummum magiſtratum in ordinem redegerint, nomen Regium, quod magnum atque ſanctum ſemper apud omnes gentes fuit, contemſerint, neſcio quomodo accepturæ ſint omnes Europæ nationes, illæque in primis, quæ ſub imperio Regio vivunt. Me certe, quanquam non ignorem quid ex adverſo prætendatur, vel facinoris magnitudo, vel novitas, vehementer movet, eoque etiam magis, quod ex auctoribus ejus nonnulli mecum arcta conſuetudine ſunt conjuncti.

V. *B*. Jam propemodum videor videre, quid non tam te fortaſſe commoveat, quam iſtos alienæ virtutis iniquos judices, quibus ſatisfaciendum exiſtimas. Eorum ego tria potiſſimum genera ſtatuo, qui manus iſtam injectionem ſint vehementer exagitaturi. Unum genus eſt perniciofiſſimum. In eo ſunt tyrannicarum libidinum adminiſtri, qui nihil non juſtum & honeſtum ſibi credunt, in quo Regibus gratificari queant: quique non ex ſua quamque rem vi, ſed dominorum libidine, metiuntur. Hi ſeſe alienæ cupiditati adeo addixerunt, ut nullam ſibi, neque dicendi, neque faciendi, libertatem reliquerint. Ex hac ſecta prodierunt, qui adoleſcentem innoxium, nullis inimicitiarum cauſſis, ſed lucri, honoris, aulicæque potentiæ, ſpe, libidini alienæ crudeliſſime mactaverunt. Iſti autem, cum Reginæ vicem ſe dolere ſimulant, non illius ingemiſcunt miſeriis, ſed ſuæ ſecuritati proſpectum volunt, præmiumque ſceleratiſſimi facinoris, quantum ſpe devorarunt, ægre ſibi de faucibus ereptum ferunt. Hoc igitur genus hominum, non tam oratione, quam legum ſeveritate & vi armorum, reor caſtigandum. Alii toti rerum ſuarum ſunt. Hi, homines alioqui minime mali, non publica (quod videri volunt) injuria, ſed [1] damnis anguntur domeſticis, ideoque mihi magis egere videntur conſolatione, quam vel rationum vel legum remediis. Reliqua eſt imperita multitudo, quæ omnia nova miratur, plurima reprehendit, neque quicquam rectum putat, niſi quod ipſa aut facit, aut fieri videt. Quantum enim a conſuetudine majorum receditur, tantum a juſto & æquo recedi putat. Hi, quia non malitia & invidia, neque reſpectu ullo rerum ſuarum ducuntur, fere doceri & de errore ſe deduci patiuntur, ac plerumque, vi rationum convicti, ſeſe dedunt: quod in cauſſa religionis ſæpenumero his temporibus experimur, & ſuperioribus ſumus experti: nec fere quiſquam

——adeo ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

M. Iſtud certe veriſſimum eſſe non ſemel ſumus experti.

VI. *B*. Ut igitur cum hac multitudine agas, ſi clamoſiſſimum & importuniſſimum quemque roges, quid de ſupplicio Caligulæ, Neronis, aut Domitia-

tia-

Damnis anguntur domeſticis] Ita præferunt prima Editio Edinb. 1579. Genev. & Francof reliquæ fere omnes [*damnis aguntur domeſticis.*]

1 *Hac*

tiani, ſentiat, neminem eorum tam addictum Regio nomini fore puto, ut non jure pœnas eos luiſſe fateatur.

M. Fortaſſe verum dicis. Sed iidem confeſtim clamitabunt, eos non de Tyrannorum ſuppliciis queri, ſed juſtorum Regum indignas calamitates iniquo animo ferre.

B. Videſne igitur, quam facile multitudo placari poſſit?

M. Nondum, niſi tu quid aliud dicas.

B. At paucis faxo intelligas. Vulgus (ut ais) Tyrannorum cædem probat; erga Regum adverſam fortunam commovetur. Nonne igitur, ſi intelligat plane, quod ſit inter Tyrannum & Regem diſcrimen, poſſe fieri exiſtimas, ut in pleriſque ſententiam ſuam mutet?

M. Iſtud ſi omnes faterentur, Tyrannos jure occidi, magnus ad reliqua aditus nobis eſſet patefactus. Sed video quoſdam, nec ſpernendæ quidem auctoritatis viros, qui, cum legitimos Reges legum pœnis ſubjiciant, tamen ſacroſanctos eſſe velint Tyrannos: præpoſtero certe, niſi fallor, judicio: ſed tamen pro eorum imperio, quamlibet immoderato & intolerabili, tanquam pro aris & focis, depugnare ſunt parati.

B. Ego quoque in complures, nec ſemel quidem, incidi, qui iſtud ipſum pertinaciter defendant: ſed recte an ſecus, commodius alio loco expendemus. Interea, ſi vis, hoc nobis ſit poſitum, ea lege, ut, niſi poſterius ſatis confirmatum tibi videatur, tuo arbitrio idipſum retractare liceat.

M. Iſta quidem lege non repugno.

B. Pugnantia igitur, [1] hæc duo ſtatuemus, Regem & Tyrannum eſſe.

M. Statuamus.

VII. *B.* Qui originem ergo, cauſſaſque Regum creandorum, quæque ſint Regum in populos, populorum in Reges, officia explicaverit, nonne, ex adverſo quæ ad naturam Tyranni pertinent, propemodum explicuiſſe tibi videbitur?

M. Ita arbitror.

B. Et imagine utriuſque propoſita, nonne vulgus etiam intellecturum putas, quodnam ſit ſuum erga utrumque officium?

M. Veriſimile eſt.

B. Contra vero, in rebus diſſimillimis, quæ ſub eodem genere continentur, ſimilitudines quædam ineſſe poſſunt, quæ imprudentes facile queant in errorem inducere?

M. Poſſunt procul dubio: in eoque potiſſimum genere, ubi, qui deterior eſt, præſtantioris perſonam facile aſſumit, nihilque magis ſtudet, quam ut imperitis imponat.

B. Habeſne aliquam in animo deſcriptam Regis & Tyranni imaginem? Nam, ſi habes, magno labore me levabis.

M.

1 *Hæc duo ſtatuemus*] Orationis contextus, in primis vero Mætellani reſponſum [*ſtatuamus*] potius hic legendum poſtulare videtur.

1 *Mal.*

M. Ego profecto, utriuſque quam habeam in animo imaginem, facile poſſem explicare: ſed vereor, ea ne ſit impolita & informis. Itaque, ne, dum tu me refutes, longior inſtituatur oratio, malo audire, quid tu ſentias, qui & ætate & rerum uſu prior es; nec aliorum modo ſententias teneas, ſed ipſe etiam [1] multorum & mores & urbes videris.

VIII. *B.* Ego vero id faciam, ac libens, neque tam meam, quam veterum ſententiam, explicabo; quo major ſit auctoritas orationi, ut quæ non temporis cauſſa conficta ſit, ſed ex eorum opinionibus excepta, qui, cum extra præſentem controverſiam fuerint, non minus diſerte, quam breviter ſuum judicium protulerunt, ſine odio, ſine favore, aut invidia, [2] quorum cauſſæ procul ab illis aberant: eorumque potiſſimum ſententiis utar, non qui in umbris & otio conſenuerunt, ſed qui domi foriſque in civitatibus bene conſtitutis virtute & conſilio floruerunt. Sed, priuſquam eos proferam teſtes, pauca ex te exquirere volo, ut, cum in rebus quibuſdam, nec iis exiguis, conſenſerimus, non ſit mihi neceſſe de curſu inſtituto digredi, & in perſpicuis, & prope notis, vel explicandis, vel confirmandis, immorari.

M. Ita faciendum cenſeo: ac, ſi quid vis, roga.

B. Putaſne, tempus quoddam fuiſſe, cum homines in tuguriis atque etiam antris habitarent; ac, ſine legibus, ſine certis ſedibus, palantes vagarentur? congregarenturque, prout vel animi libido ferebat, vel commoditas aliqua utilitaſque communis eos conciliabat?

M. Ego vero iſtud credo, cum ſit & ordini naturæ conſentaneum, & omnibus prope omnium gentium hiſtoriis teſtificatum. Ejus vitæ, rudis & incultæ, Trojanis etiam temporibus, in Sicilia, deſcribit imaginem Homerus:

[3] *Nec fora conciliis fervent, nec judice: tantum*
Antra colunt umbroſa: altis in montibus ædes
Quiſque ſuas regit, uxorem natoſque; nec ulli
In commune vacat ſocias extendere curas.

Eiſdem etiam temporibus, Italia nihilo cultior fuiſſe dicitur, ut, ex fertiliſſimis prope totius orbis regionibus, facile ſit conjecturam facere, quanta tum ſolitudo & vaſtitas in citerioribus fuerit.

IX. *B.* Utrum vero exiſtimas naturæ magis conſentaneum, vitamne illam vagam & ſolitariam, an concilia cœtuſque hominum concordes?

M. Cœtus hominum procul dubio: quos
—— *ipſa utilitas, juſti prope mater & æqui,*

pri-

1 *Multorum & mores & urbes videris*] Vide Homeri Odyſſ. initio, & Horat. Art. vers. 142.

2 *Quorum cauſſæ procul ab illis aberant*] Tacit. Annal. 1. *Sine ira & ſtudio, quorum cauſſas procul habeo.*

3 *Nec fora conciliis fervent*] Homer. Odyſſ. lib. IX. 112.

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι οὔτε θέμιστες,
Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι. θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων· οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

Qui verſus Latino hîc carmine a Buchanano ipſo redditi videntur.

primum congregavit, ac juſſit

Communi dare ſigna tuba, defendier iiſdem

[1] Turribus, atque una portarum clave teneri

B. Quid? tu utilitatem primam ac ſummam conciliatricem hominum fuiſſe arbitraris?

M. Quidni? qui hominum cauſſa homines fuiſſe generatos audierim ex hominibus doctiſſimis.

B. Magnam profecto videtur quibuſdam utilitas habere vim, ad ſocietatem publicam humani generis & conſtituendam & continendam. Sed eſt, niſi fallor, congregandorum hominum cauſſa longe antiquior, & communitatis eorum inter ipſos multo prius & ſanctius vinculum. Alioqui, ſi commodi ſui privatim quiſque velit habere rationem, vide, ne illa ipſa utilitas ſolveret potius, quam conjungeret humanam ſocietatem.

M. Fortaſſe iſtud verum ſit. Sed, quæ ſit altera illa communionis hominum origo, audire cupio.

X. *B.* Ea eſt quædam naturæ vis, non hominibus modo, ſed manſuetioribus etiam aliorum animantium indita, ut, ſi etiam abſint utilitatis illa blandimenta, tamen cum ſui generis animantibus libenter congregentur. At de cæteris in præſentia nihil attinet diſputare: homini certe a natura hanc vim tam videmus alte impreſſam, ut, ſi quis omnibus eis rebus abundet, quæ vel ad incolumitatem tuendam, vel ad voluptatem & animorum oblectationem comparatæ ſunt, ſine hominum commercio vitam ſibi inſuavem ſit exiſtimaturus. Quin & illi ipſi, qui cupiditate ſcientiæ, & ſtudio veri inveſtigandi, ſe a turba removerunt, & in ſecretos abdiderunt receſſus, neque perpetuam animi contentionem ferre diutius potuerunt: nec, ſi quando eam remiſiſſent, in ſolitudine ſe continere poterant: ſed illa ipſa ſecreta ſua ſtudia libenter proferebant: &, velut in communem utilitatem elaboraſſent, in medium conferebant ſui laboris fructum. Quod ſi quis eſt, qui omnino ſolitudine capiatur, cœtuſque hominum fugiat ac devitet, id magis animi morbo, quam vi naturæ, fieri exiſtimo: qualem Timonem Athenienſem accepimus, & Corinthium Bellerophontem;

[2] Qui miſer Elæis errabat ſolus in oris,

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans

M. Non

1 *Turribus*] Ita ex Juvenalis (cujus hi ſunt verſus Satyra XV. ver. 158.) reſcribere non dubitavimus: pro quo Buchananus, memoriæ nimium (uti videtur) confiſus, [*mœnibus*] poſuit.

2 *Qui miſer Elæis*] Ita corupte libris omnibus editur hic verſus: qui optimis Cicer. Tuſcul. Quæſt. lib. III. cap. 26. (unde hoc diſtichum Buchananus deſumſit) ſic exhibetur;

Qui miſer in campis mærens errabat Alcis:

Et ita quidem legendum confirmat Homeri locus, Iliad. VI. ver. 201. quem Tullius in Latinum convertit.

Ἤτοι ὁ καππεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο,

Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων:

Huc etiam reſpexit Ovid. in devorario carmine in Ibin, ver. 257.

Quique ab equo praeceps in Alcia deeidit arva,

Exitio facies cui ſua pene fuit,

1 *In-*

M. Non admodum hìc abs te diſſentio. Sed unum eſt abs te hìc poſitum naturæ nomen, quod & ego ſæpe magis conſuetudine loquendi uſurpo, quam intelligo: & ab aliis ita varie & in tam multas res accommodatur, ut plerumque dubitem, ad quam potiſſimum eam referam.

XI *B.* Ego profectò nil aliud in præſentia intelligi volo, quam lucem animis noſtris divinitus infuſam. Nam, cum Deus

Sanctius hoc animal, mentiſque capacius altæ,

—— & quod dominari in cætera poſſet,

formavit; non modo corpori ejus oculos dedit, quibus ducibus, adverſa quæ eſſent ſuæ conditioni, fugeret; quæ commoda, ſequeretur: ſed animo etiam velut lumen quoddam prætulit, quo turpia ab honeſtis ſecerneret. Hanc vim alii naturam, alii naturæ legem, vocant. Ego profectò divinam exiſtimo: planeque illud habeo perſuaſum, quod

Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicat.

Ejus porro legis velut compendium, quod totam paucis complecteretur, Deus nobis tradidit, *Ut ipſum*, ſcilicet, *ex animo diligeremus, ac proximos velut nos ipſos.* Hujus legis omnes ſacrorum voluminum libri, qui ad mores formandos pertinent, nihil aliud quam explicationem continent.

M. Igitur humanæ ſocietatis non tu oratorem aliquem aut jureconſultum, qui homines diſperſos colligeret, ſed ipſum Deum, auctorem putas.

B. Ita profectò eſt: ac, juxta Ciceronis ſententiam, *Nihil quidem, quod in terris fiat, principi illi Deo, qui hunc mundum regit, acceptius* puto, *quam cœtus hominum jure ſociatos, quæ civitates appellantur.* Harum civitatum partes ſimiliter inter ſe junctas eſſe volunt, atque cuncta corporis noſtri membra [1] inter ſe cohærent, mutuiſque conſtare officiis, & in commune elaborare, pericula communiter propellere, utilitates proſpicere, eiſque communicandis omnium inter ſe benevolentiam devincire.

M. Igitur non utilitatem tu, ſed legem illam divinam, ab initio rerum nobis inſitam, conveniendi in unum cœtum multo auguſtiorem & diviniorem cauſſam ſtatuis.

B. Non quidem illam, ut juſti & æqui matrem, ut quidam voluerunt; ſed potius ancillam, & civitatis bene conſtitutæ e cuſtodibus unam.

M. Hîc quoque facile tibi aſſentior.

XII. *B.* Jam, velut in corporibus noſtris, ut quæ inter ſe pugnantibus conſtant principiis, morbi, hoc eſt, perturbationes, & inteſtini quidam exiſtunt tumultus; ſimiliter in his majoribus corporibus, id eſt, civitatibus, fieri neceſſe eſt, ut quæ ex diverſis, & quodammodo pugnantibus, hominum generibus, ordinibus, conditionibus, naturiſque, coëant, & eorum etiam hominum, qui non

Iidem eadem poſſunt horam durare probantes:

bre-

1 *Inter ſe cohærent*] Ita omnino legendum cum principe Editione Edimb. (*cohærent*;] non quod aliis omnibus ſcriptum eſt [*cohærere.*] Hi nimirum editores non ſatis advertiſſe videntur hujus locutionis vim [*ſimiliter atque*,] quod idem eſt ac [*ſimili modo quo.*]

brevi certe eas diſſolvi & interire neceſſe eſt, niſi adhibeatur velut medicus perturbationum ſedator, qui, temperamento æquabili & ſalubri, infirmiores partes fomentis confirmet, redundantes humores compeſcat, & ita ſingulis membris conſulat, ut neque partes imbecilliores inopia alimenti tabeſcant, neque validiores plus æquo luxurient.

M. Ita plane neceſſe eſt.

B. Qui in corpore civili hoc præſtabit, quo nomine eum appellabimus?

M. De nomine non ſum admodum ſollicitus. Quocunque enim cenſeatur, virum præſtantiſſimum, ac plane Deo ſimillimum, eum judico, qua in re ſapientia majorum multum proſpexiſſe mihi videtur, qui rem per ſe pulcherrimam nomine etiam ſplendidiſſimo decorarunt. REGEM enim, opinor, intelligis, cujus vocabuli ea vis eſt, ut rem quidem per ſe maximam & excellentiſſimam, pene oculis cernendam ſubjiciat.

B. Recte ſentis, ea enim voce Deum compellamus. Nullum enim aliud habemus auguſtius vocabulum, quo naturæ illius excellentis declaremus præſtantiam; neque convenientius, quo paternam erga nos curam & ſtudium ſignificemus. Quid alia colligam, quæ ad munus Regis ſignificandum transferimus: qualia ſunt, *Pater* Æneas, Agamemnon *populorum Paſtor*; item *Dux*, *Princeps*, *Gubernator?* Quibus omnibus ea ſignificatio ſubeſt, ut oſtendant, Reges non ſibi, ſed populo, creatos eſſe. Jam, quod de nomine ſatis inter nos convenit, ſi videtur, de officio diſſeramus, iiſdem quibus ingreſſi ſumus inſiſtentes veſtigiis.

M. Quibus tandem?

XIII. *B*. Meminiſti quid nuper dictum ſit? civitatem corpori noſtro perſimilem videri, motus civiles morbis, medico Regem? Si igitur officium medici quale ſit intellexerimus, non longe, opinor, aberimus ab officio Regis.

M. Fieri poteſt, nam cætera, quæ tu enumeraſti, perſimilia, ac pene germana, mihi ſunt viſa.

B. Noli exſpectare ut minima quæque hîc excutiam. Neque enim temporis anguſtia id patitur, nec ipſa res exigit. Sed, ſi in ſumma hæc inter ſe conveniant, cætera facile tibi ſubjicies.

M. Tu vero perge, ut facis.

B. Scopus etiam idem videtur utrique propoſitus.

M. Quinam?

B. Corporis (cui adhibentur curando) incolumitas.

M. Intelligo. Alter enim humanum, alter civile corpus incolume in ſuo ſtatu tueri, quatenus rei natura fert, & morbo affectum ad juſtam valetudinem reducere, debet.

B. Recte intelligis. Duplex enim eſt utriuſque officium: alterum in tuenda valetudine bona, alterum in reſtituenda, ſi morbo fuerit labefactata.

M. Aſſentior.

B. Utrinque enim morbi ſunt ſimiles.

M. Ita videtur.

B. Nam

B. Nam & ſua quædam nocet utrique redundantia rerum noxiarum, & neceſſariarum inopia. Et utrumque corpus prope pari ratione curatur: nempe, vel extenuatum nutricando, & leniter fovendo, vel plenum & redundans ſupervacuorum egeſtione levando, & moderatis laboribus exercendo.

M. Ita eſt. Sed hoc intereſſe videtur, quod in altero humores, in altero mores, ad juſtam quandam temperiem ſunt reducendi.

XIV. *B*. Rem tenes, Civilis enim corporis, velut & naturalis, ſuum quoddam eſt temperamentum: quam rectiſſime, opinor, *Juſtitiam* appellabimus. Ea enim eſt, quæ ſingulis proſpicit partibus, & curat ut in officio conſtent. Ea, [1] interim ſanguinis miſſione, interim noxiorum exilio, velut egeſtione, redundantia egerit; interim animos demiſſos & meticuloſos excitat, & diffidentes conſolatur; & ad illam, quam dixi, temperiem totum corpus reducit, reductumque commodis laboribus exercet, &, certo laboris & otii præſcripto temperamento, reſtitutam valetudinem, quoad ejus fieri poteſt, conſervat.

M. Cætera tibi facile aſſentior, niſi quod civilis corporis temperamentum in juſtitia collocas: cum vel ipſo nomine & profeſſione temperantia has partes ſibi vindicare jure ſuo videatur.

B. Nihil admodum referre puto, utri hunc honorem deferas. Nam, cum omnes virtutes, quarum vis in actione cernitur, in mediocritate quadam & æquabilitate ſint poſitæ, ita quodammodo inter ſe connexæ ſunt & cohærent, ut unum omnibus officium eſſe videatur, id eſt, cupiditatum moderatio. Ea quocunque in genere verſatur, non admodum refert utro nomine voces: quanquam illa moderatio, quæ in rebus communibus, & hominum inter ſe commerciis, poſita eſt, commodiſſime mihi nomine *Juſtitiæ* intelligi poſſe videatur.

M. Hîc tibi facillime aſſentior.

XV. *B*. In Rege autem creando, hoc opinor veteres fuiſſe ſequutos; ut, ſi quis inter cives eſſet ſingulari præſtantia, reliquoſque omnes æquitate & prudentia antecellere videretur, ut in apum alvearibus fieri traditur, regnum ad eum ultro deferebant.

M. Credibile eſt ita factum.

B. Quid ſi nemo unus, qualem diximus, in civitate inveniretur?

M. Jure illo naturæ, cujus ante meminimus, par imperium in pares uſurpare non poteſt, nec debet: natura enim juſtum opinor, ut, inter eos, qui cætera ſunt pares, imperandi & parendi etiam vices ſint pares.

B. Quid ſi populus, annuæ ambitionis tædio, unum aliquem non plane omnibus virtutibus Regiis præditum, ſed vel nobilitate, vel divitiis, vel rebus bello geſtis, inſignem, Regem velit eligere? nonne & hunc optimo jure exiſtimabimus Regem?

 M. Op-

1 *Interim*] [Utitur hîc Buchananus, hac voce pro *interdum*, ut paſſim Tacitus, Quinctilianus, & ejus ſeculi ſcriptores.]

M. Optimo. Populo enim jus eſt, ut imperium, cui velit, deferat.

B. Quid ſi hominem acutum, non tamen eximia artis peritia præditum, adhibeamus ad morborum curationem? huncne ſtatim medicum, ubi ab univerſis fuerit electus, arbitrabimur?

M. Minime. Doctrina enim, & multarum artium experientia, non ſuffragiis, fit medicus.

B. Quid in cæteris artibus artifices?

M. Eandem rationem eſſe omnium reor.

B. Regnandine aliquam artem eſſe putas?

M. Quidni?

B. Poteſne rationem reddere; cur ita credas?

M. Videor mihi poſſe. Nempe quæ in aliis artibus reddi ſolet.

B. Quam dicis?

XVI. *M.* Omnium enim artium ab experientia profecta ſunt initia. Nam, cum plerique temere ac nulla ratione multa aggrederentur, alii autem, propter exercitationem & conſuetudinem, eadem illa callidius facerent, animadverſis utrinque eventis, & perpenſis eventorum cauſſis, homines acuti præceptorum quendam ordinem digeſſerunt, eamque deſcriptionem *Artem* appellarunt.

B. Poteſt ergo, ſimili animadverſione, ars aliqua Regia deſcribi, ut medicinæ.

M. Opinor poſſe.

B. Quibus ex præceptis ea conſtabit?

M. Non habeo in promtu dicere.

B. Quid ſi ex aliarum artium collatione id inveſtigemus?

M. Quo pacto?

B. Hoc pacto. Grammaticorum quædam ſunt præcepta, & medicinæ, & agriculturæ.

M. Intelligo.

B. Nonne præcepta illa grammaticorum & medicorum, artes ac leges etiam appellabimus? & ita in cæteris?

M. Ita prorſus videtur.

B. Quid civiles leges? Regiæne artis præcepta quædam tibi videntur?

M. Videntur.

B. Has igitur tenere decet eum, qui Rex cenſeri velit.

M. Ita videtur.

B. Quid qui non tenet? etiam ſi populus eum regnare juſſerit, Regem eum appellandum cenſes?

M. Hîc facis ut hæream. Nam, ſi conſentire cum ſuperiore oratione velim, populi ſuffragia non magis Regem, quam alium quemvis artificem, facere poſſunt.

B. Quid hîc agendum cenſes? Nam, niſi Regem ſuffragiis electum habeamus, vereor ne legitimum ullum habituri ſimus.

M. Ego quoque idem iſtud vereor.

XVII.

XVII. *B*. Viſne igitur, quod in artium comparatione poſtremo nobis poſitum eſt, diligentius excutiamus?

M. Fiat, ſiquidem tibi ita videtur.

B. Præcepta artificum nonne in ſingulis artibus leges vocavimus?

M. Factum.

B. At vereor ne ſatis circumſpecte id a nobis ſit factum.

M. Quamobrem?

B. Quia abſurdum videretur, qui artem quamlibet teneret, eum tamen artificem non eſſe.

M. Abſurdum.

B. Sed, qui quod artis officium eſt præſtet, eum artificem exiſtimabimus, ſive id ſponte naturæ, ſive perpetua conſtantique ratione & facultate quadam faciat.

M. Ita reor.

B. Qui hanc igitur recte quidvis faciendi vel rationem vel prudentiam teneat, eum artificem appellabimus, modo exercitatione facultatem comparaverit.

M. Rectius quam illum alterum, qui nuda præcepta abſque uſu & exercitatione habeat.

B. Præcepta igitur illa non exiſtimabimus artem eſſe!

M. Minime: ſed artis quandam ſimilitudinem, aut verius umbram.

B. Quæ eſt ergo facultas illa civitatum gubernatrix, quam civilem ſive artem, ſive ſcientiam, vocabimus?

M. *Prudentiam* mihi velle dicere videris: ex quo velut fonte, leges omnes, ſi modo ſocietati hominum conſervandæ ſint utiles, proficiſci ac derivari oportet.

XVIII. *B*. Rem attigiſti. Hæc igitur ſi ſumma & perfecta in quopiam eſſet, tum natura, non ſuffragiis, Regem eſſe diceremus; liberamque rerum omnium poteſtatem ei traderemus: ſin talem non reperiamus, qui proxime ad illam excellentem naturæ præſtantiam acceſſerit, ſimilitudinem quandam in eo veri Regis amplexi, etiam Regem appellabimus.

M. Appellemus, ſi ita videtur.

B. Et quoniam adverſus animi affectiones, quæ poſſunt, & plerumque ſolent, avertere a vero, ne ſatis firmus ſit, timemus, legem ei, velut collegam, aut potius moderatricem libidinum, adjiciemus.

M. Non cenſes igitur rerum omnium arbitrium penes Regem eſſe debere?

B. Minime. Nam eum non ſolum Regem, ſed etiam hominem eſſe memini, multa per ignorantiam errantem, multa ſponte peccantem, multa prope invitum; quippe animal ad omnem favoris & odii auram facile mutabile. Quod vitium naturæ magiſtratus augere etiam ſolet: adeo ut hîc potiſſimum ſententiam illam ex comœdia veram eſſe comperiam, *Omnes licentia deteriores fieri.* Quamobrem legem ei adjungendam cenſuerunt homines prudentiſſimi, quæ vel ignoranti viam oſtendat, vel aberrantem in viam

viam reducat. Ex his, opinor, intelligis, ὡς ἐν τύπῳ, quodnam ego veri Regis officium eſſe rear.

M. De cauſſa creandorum Regum, de nomine, dequeofficio, plane mihi ſatisfeciſti. Neque tamen, ſi quid adjicere velis, repugnabo. Etſi vero animus ad ea, quæ reſtare videntur, properat, unum tamen, quod in tota oratione tua nonnihil offendebat, non puto ſilentio prætereundum: quod: videlicet ſubiniquus Regibus mihi videaris. Idque ipſum etiam antea de te frequenter eram ſuſpicatus; cum te Reſpublicas antiquas, Venetorumque civitatem, adeo profuſe laudantem ſæpe audiviſſem.

XIX. *B.* Non tu recte hîc de me ſentiebas: neque enim ego apud Romanos; Maſſilienſes, Venetos, & ſi qui alii fuerunt, apud quos potentiora fuerint legum, quam hominum imperia, tam ſuſpicio diverſam civitatis adminiſtrandæ rationem, quam æquitatem: neque multum referre puto, Rex, Dux, Imperator, an Conſul, vocetur, qui præſit, modo illud teneatur, cum æquitatis tuendæ cauſſa in magiſtratu eſſe collocatum. Imperium enim modo ſit legitimum, non eſt quod de nomine ejus contendamus. Nam & quem nos Venetorum Ducem vocamus, is nihil aliud eſt, quam Rex legitimus; & Conſules primi non modo Regum inſignia, ſed imperium etiam retinuerunt. Id modo intererat, quod non unus, ſed duo præerant, (quod etiam in perpetuis Lacedæmoniorum Regibus fieri ſolitum non ignoras) qui non in perpetuum, ſed in annum, creabantur. Illud igitur, quod initio diximus, tenere ſemper oportet, Reges primum tuendæ æquitati fuiſſe conſtitutos. Id illi ſi tenere potuiſſent, imperium, quale acceperant, tenere perpetuo potuiſſent, hoc eſt, liberum & legibus ſolutum. Sed (ut humana ſunt omnia) ſtatu rerum in pejus prolabente, quod publicæ utilitatis cauſſa fuerat conſtitutum imperium, in ſuperbam dominationem vertit. Nam, cum libido Regum pro legibus eſſet, hominesque, in poteſtate infinita & immoderata collocati, ſibi non temperarent, ſed multa gratiæ, multa odiis, multa privatis commoditatibus, indulgerent, Regum inſolentia legum fecit deſiderium. Leges igitur hac de cauſſa inventæ ſunt a populis, Regeſque coacti, non ſua in judiciis licentia, ſed, quod populus in ſe dediſſet, jure uti. Multis enim edocti erant experimentis, melius libertatem legibus, quam Regibus credi: cum alteri multis de cauſſis a vero deflecti poſſent, alteræ, adverſus preces & minas ſurdæ, unum & perpetuum tenorem ſervarent. Regibus igitur, cætera liberis, hic unus imperio modus eſt præfinitus, ut ſuas actiones & orationem ad legum præſcripta conformarent; & præmia pœnaſque, maxima ſocietatis continendæ vincula, ex earum ſanctionibus dividerent. Denique, quemadmodum ait ſummus adminiſtrandæ Reipublicæ magiſter, ut *Rex*, eſſet *lex loquens*, *lex*, *Rex mutus*.

M. Statim ab initio ita Reges laudaveras, ut eorum majeſtatem propeauguſtam & ſacroſanctam faceres. Nunc vero, velut pœnitentia revocatus, neſcio quibus anguſtiis eos concludis, & in legum prope dicam ergaſtula conjectis ne liberam quidem orationem permittis. Me autem ex magna ſpe dejeciſti: ſperabam enim fore, ut *rem* (juxta clariſſimum hiſtoriæ auctorem) in-

inter Deos hominesſque pulcherrimam, vel tua ſponte, vel a me admonitus, in orationis curſu, in ſuum ſplendorem reſtitueres: quam tu omnibus ornamentis ſpoliatam in ordinem redegiſti; & qui primus in orbe terrarum fuit magiſtratus, eum, anguſtis circumſeptum cancellis, prope contemtibilem, nulli certe ſano reddidiſti optandum. Quis enim ſanæ mentis non in mediocri fortuna ſubſiſtere privatus malit: quam in perpetuis moleſtiis, aliorum intentus negotiis, ſuæ rei negligens, totum vitæ curſum ad alienas rationes componere? Quod ſi iſta regnandi ubique propoſita ſit conditio, vereor ne major penuria Regum ſit futura, quam in prima noſtræ religionis infantia fuerit Epiſcoporum. Nec miror, ſi ad hanc formulam ſpectentur Reges, olim e paſcuis & ab aratro petitos, qui præclarum iſtum honorem acciperent.

XX. *B.* Vide, quæſo, quanto in errore verſeris, qui, non fruendæ juſtitiæ, ſed voluptatis cauſſa, Reges a populis & nationibus expetitos putes: neque honori locum eſſe exiſtimes, ubi divitiæ & voluptates non affluant. Qua in re quantum eorum amplitudini detrahas, cogita. Id quo facilius intelligas, confer mihi aliquem ex iis, quos tu videris, Regem, velut puellarem puppam veſtitum, & ad inanem pompam, magno cum faſtu, ingenti turba ſtipatum, produci, cujus tu ſimilitudinem, in eo, quem deſcribimus, Rege deſideras: confer, inquam, iſtorum aliquem cum eis, qui olim clari fuerunt, quorum etiam nunc vivit vigetque & ad poſteros celebratur memoria. Illi profecto tales fuerunt, qualem ego modo deſignavi. Audiſtine unquam fando, Macedonem illum Philippum, cum vetulæ; *Ut ſuam cauſſam audiret*, roganti, reſpondiſſet, *Sibi non eſſe otium*; illaque ſubjeciſſet, *Igitur ne ſis Rex*: audiſtine, inquam, ab anu paupercula, Regem, tot bellorum victorem, tot gentium dominatorem, ſui admonitum officii, paruiſſe; & quod Regum eſſet munus agnoviſſe? Confer igitur hunc Philippum, cum Regibus non modo maximis, qui nunc in Europa ſunt, ſed cum omni vetuſtatis memoria; nullum profecto comperies prudentia, fortitudine, laborum patientia, parem; paucos [1] magnitudine ditionis æquales. Ageſilaum, Leonidam, cæteroſque Lacedæmoniorum Reges, ſi enumerem, (at quantos viros!) obſoleta videbor exempla proferre. Unum tamen Lacænæ puellæ dictum ſilentio præterire non poſſum: ea eſt Gorgo Cleomedis filia. Hæc, cum videret ſervum hoſpiti Aſiatico ſoccos detrahentem, accurrens ad patrem, exclamavit, *Pater, hoſpes manus non habet*. Quo ex puellæ dicto de tota Laconica diſciplina, Regumque domeſtica conſuetudine, facile judicare potes. At, qui ex hac ruſtica, ſed virili, diſciplina prodierunt, hæc qualiacunque ſunt pepererunt; ex iſta vero Aſiatica, qui maxima regna, per manus a majoribus tradita, per luxuriam & ignaviam amiſerunt. Et, ut veteres omittam, talis fuit non adeo pridem apud Gallæcos Pelagius, qui in Hiſpania Saracenorum opes primus labefactavit, apud hunc quamvis

— *ignem*-

1 *Magnitudine ditionis*] Vide quæ nos ad Hiſt. Lib. I. Cap. 43.

——-- *ignemque , laremque*
Et pecus , & dominos communis clauderet umbra :
adeo tamen Hiſpanos Reges ejus non pudet , ut in maxima gloria ponant, quod ab eo ſint oriundi. Sed cum hic locus longiorem poſtulet diſputationem, unde ſumus digreſſi redeamus. Nam quod tibi ſum pollicitus, oſtendere quamprimum cupio , non a me confictam fuiſſe hanc regnandi formulam , ſed clariſſimis omnis memoriæ viris idem viſum fuiſſe : breviterque , unde hæc hauſerim , fontes commonſtrabo. Libri ſunt M. Tullii Ciceronis omnium conſenſu laudatiſſimi , qui *De officiis* inſcribuntur : horum e ſecundo libro cap. 12. hæc ad verbum ſunt. [1] *Mihi quidem non apud Medos ſolum , ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros , juſtitiæ fruendæ cauſſa videntur olim bene morati Reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis , qui majores opes habebant , ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem , qui cum prohiberet injuria tenuiores , æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat. Eademque conſtituendarum legum fuit cauſſa, quæ Regum. Jus enim ſemper quæſitum eſt æquabile , neque enim aliter eſſet jus. Id ſi ab uno juſto & bono viro conſequebantur , eo erant contenti : cum id minus contingeret , leges ſunt inventæ , quæ cum omnibus ſemper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos , quorum de juſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adjuncto vero ut iidem etiam prudentes haberentur , nihil erat quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur.* Vides ex his verbis , opinor , quam & Regum & legum expetendarum Cicero cauſſam fuiſſe exiſtimet. Poſſem hîc teſtem & adſtipulatorem laudare Xenophontem , non minus rebus bello geſtis , quam Philoſophiæ ſtudio , nobilem , niſi eum tam familiarem tibi eſſe ſcirem , ut ejus omnes ſententias notas habeas. Platonem vero & Ariſtotelem , etſi non ignoro quanti eos facias , in præſentia omitto. Malo enim e mediis rerum actionibus homines illuſtres , quam e gymnaſiorum umbris, arceſſere in ſubſidium. Stoicum vero Regem , qualis a Seneca in Thyeſte deſcribitur , multo minus ſum arbitratus tibi a me producendum : non tam quod illa veri Regis imago perfecta non ſit , quam quod illud Principis boni exemplar magis animo informari , quam aliquando [2] ſperari, poſſet. Sed & , ne in iis , quos produxi , calumniæ locus eſſet, non e ſolitudine Scytharum Reges propoſui , qui vel ſuos diſtringerent equos , vel aliud operis , quod multo magis a noſtris moribus abhorreret facerent ; ſed e media Græcia , & qui , illis ipſis temporibus , quibus omnibus honeſtis artibus Græci fuerunt florentiſſimi, aut maximis nationibus, aut bene moratis præerant civitatibus ; & ita præfuerunt , ut & vivi apud ſuos in maximo fuerint honore , & mortui poſteris præclaram ſui memoriam reliquerint.

M. Hic ego, ſi poſtules quid ſentiam , vix audeo fateri tibi vel meam in-

1 *Mihi quidem*] Hunc Ciceronis locum, prave ex corruptis ejus ſeculi codicibus deſcriptum , non ſum veritus ad optimorum exemplarium normam exigere.

2 *Sperari poſſet*] Hîc & init. cap. 22. [*poſſit*] potius legendum putem.

inconſtantiam, vel timiditatem, vel ſi quo alio nomine tibi libeat id vitium appellare. Nam quoties iſta, quæ a te modo recitata ſunt, apud hiſtoriæ præſtantiſſimos lego ſcriptores, vel a ſapientiſſimis hominibus, quorum auctoritatem non auſim defugere, laudari audio, & ab omnibus bonis probari, non modo vera, recta, ſincera, ſed etiam fortia & ſplendida mihi videntur. Rurſus, quoties oculos ad noſtri temporis munditias & elegantiam refero, antiquitas illa ſancta & ſobria, ſed horrida tamen, & nondum ſatis expolita, fuiſſe videtur. Sed hæc fortaſſe alias per otium: nunc vero, ſiquidem videtur, quod inſtituiſti perge proſequi.

XXI. *B*. Viſne igitur ut breviter quæ dicta ſunt colligamus? Ita maxime intelligemus, quid ſit præteritum: & ſi quid temere ſit conceſſum, facillime retractabimus.

M. Maxime.

B. Primum igitur convenit inter nos, homines a natura ad ſocietatem & vitæ communionem eſſe factos.

M. Convenit.

B. Ejus quoque ſocietatis cuſtodem Regem electum, virum ſumma virtute præſtantem.

M. Ita eſt.

B. Et, velut hominum inter ipſos diſcordiæ neceſſitatem Regis creandi attulerunt, ita Regum in ſubditos injuriæ in cauſſa fuerunt, ut leges deſideraremus.

M. Fateor.

B. Leges igitur ſpecimen artis Regiæ, ut præcepta medicinæ artis medicæ, cenſuimus.

M. Sic eſt.

B. Tutius autem eſſe (quoniam in neutro ſingularem & exactam ſuæ artis peritiam poſuimus) ut uterque ex artis illis præſcriptis, quam temere, curet, videtur.

M. Tutius certe.

B. Artis autem medicæ præcepta non unius generis viſa ſunt.

M. Quo pacto?

B. Quædam enim ſunt tuendæ valetudinis, alia inſtaurandæ.

M. Recte.

B. Quid Regiæ artis?

M. Totidem opinor, ſunt genera.

XXII. *B*. Proximum ergo videtur, ut conſideremus illud: Puteſne medicos omnes morbos & eorum remedia ita exacte tenere poſſe, ut nihil præterea ad eorum curationem requiri poſſet?

M. Minime. Nam & multa morborum genera nova omnibus fere ſeculis ſuppullulant: & nova item ſingulorum remedia, ſingulis prope annis, aut hominum induſtria reperiuntur, aut e regionibus longinquis apportantur.

B. Quid civitatum leges?

M. Eadem certe videtur earum ratio.

B. Igitur nec omnes morbos medici, nec civitatum Reges, ex artium ſuarum, quæ ſcripta quidem traduntur, præceptis, vel vitare vel ſanare poſſunt.

M. Non poſſe arbitror.

B. Quid ſi igitur veſtigemus, quibus de rebus leges in civitatibus ſanciri poſſint; quæ vero legibus comprehendi non poſſint?

M. Operæ pretium faciemus.

B. Permultæ & permagnæ mihi res videntur, quæ nullis legibus contineri queant: primum omnia, quæ in deliberationem futuri temporis cadunt.

M. Omnia.

B. Deinde multa præterita: qualia ſunt ea, in quibus veritas conjecturis quæritur, teſtibus confirmatur, aut tormentis exprimitur.

M. Scilicet.

XXIII. *B.* In his igitur quæſtionibus explicandis quæ erunt Regis partes?

M. Non longo hîc opus eſſe video ſermone, cum Reges, in iis, quæ in proviſione futuri temporis poſita ſunt, adeo ſibi non arrogent ſummam poteſtatem, ut ultro prudentiores in conſilium ſibi advocent.

B. Quid in his, quæ conjecturis colliguntur, teſtibus convincuntur? qualia ſunt cædis, adulterii, veneficii crimina?

M. Iſta cauſſidicorum ingeniis excutiuntur, eruuntur ſolertia, eaque fere judicum ſententiis permitti video.

B. Et recte fortaſſe: nam, ſi Rex privatas ſingulorum civium cauſſas audire velit, quando ei vacabit de bello, de pace, de iis negotiis, quæ Reipublicæ incolumitatem cotinent & conſervant, cogitare? denique quando licebit nihil agere?

M. Nec ego rerum omnium cognitionem ad unum Regem velim deferri neque, ſi deferatur, unus omnibus omnium cauſſis ſufficere poterit. Itaque placet mihi magnopere conſilium illud, non minus ſapiens quam neceſſarium, quod Moſi ſocer dedit, de onere judicandi in multos partiendo: de quo non dicam pluribus, quando hiſtoria omnibus eſt nota.

B. Sed & hi judices, opinor, ex legum præſcripto jus dicent.

M. Dicent profecto. Sed, ut video, pauca ſunt de quibus legibus caveri poſſit, præut illa ſunt, de quibus non poſſit.

B. Accedit alia res non minoris difficultatis, quod nec ea omnia, de quibus leges rogantur, præſcriptionibus certis contineri poſſunt.

M. Quo pacto?

B. Juriſprudentes, qui plurimum ſuæ arti tribuunt, quique ſe juſtitiæ ſacerdotes haberi volunt, negotiorum tantam eſſe multitudinem confitentur, ut prope infinita videri poſſit: quotidieque in civitatibus nova flagitia, velut ulcerum genera, provenire ajunt. Quid hîc aget legum lator, qui leges ad præſentia & præterita accommodat?

M. Non multum, niſi divinus quiſpiam ſit.

B. Accedit & alia, nec ea parva, quædam difficultas, quod, in tanta conditio-

ditionis humanæ inconſtantia, nihil ulla fere ars in univerſum ſtabile & firmum præcipere poteſt.

M. Nihil verius.

XXIV. *B.* Tutius igitur videtur eſſe, & perito medico de ſalute ægrotantis, & Regi de ſtatu civitatis, credi. Nam & medicus, præter artis præſcriptum, infirmum vel conſentientem, vel interim invitum, ſæpe ſanabit: & Rex novam, & tamen utilem legem, civibus aut perſuaſis, aut etiam invitis, imponere poteſt.

M. Non video quid vetet.

B. Hæc autem uterque cum facit, num tibi videtur præter legem quiſque ſuam facere?

M. Mihi quidem ex arte uterque. Nam ante poſuimus, non illam, quæ præceptis conſtat, artem eſſe, ſed vim animo comprehenſam, qua, in materia pertractanda, quæ artibus eſt ſubjecta, artifex uti ſolet. Illud autem (ſiquidem ex animo loqueris) gaudeo, te veritatis ipſius velut interdicto coactum, ut Regem, unde vi dejectus erat, eo reſtitueres.

B. Mane: nondum omnia audiſti. Eſt enim in legum imperio aliud incommodum. Lex enim, quaſi pertinax & imperitus quiſpiam officii exactor, nihil rectum putat, niſi quod ipſa jubet: apud Regem vero infirmitatis & temeritatis eſt excuſatio, & veniæ in errore deprehenſo locus. Lex ſurda, inhumana, inexorabilis eſt. Adoleſcens lubricum ætatis cauſſatur, mulier infirmitatem ſexus, alius paupertatem, ebrietatem, amicitiam. Quid ad hæc lex? *I, lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici ſuſpendito.* Non ignoras autem quam ſit periculoſum, in tanta hominum fragilitate, in ſola innocentia ſpem ſalutis habere collocatam.

M. Rem procul dubio periculi plenam narras.

B. Hæc certe quoties in mentem veniunt, quoſdam nonnihil commoveri video.

M. Nonnihil, mihi narras?

B. Itaque, cum quæ ſupra nobis poſita ſunt diligentius mecum expendo, vereor ne in hac parte medici & Regis collatio ſatis commode introducta videatur.

M. Qua in parte?

B. Cum utrumque a præceptorum ſervitute liberavimus, & prope liberam curandi poteſtatem dedimus.

M. Quid hic te potiſſimum offendit?

XXV. *B.* Ubi audieris, tum ipſe judicabis. Duæ a nobis poſitæ ſunt cauſſæ, cur non expediat populis, ut Reges legibus ſolverentur; amor videlicet & odium, quæ animos hominum in judicando transverſos agunt. At in medico timendum non eſt, ne quid per amorem peccet, quippe qui ab ægroto valetudine reſtituta etiam ſperet mercedem. Quod ſi medicum ægrotus precibus, pollicitationibus & pecunia, adverſus caput ſuum ſollicitari intelligat, alium arceſſere medicum licebit; aut, ſi alterius copia non erit, tutius eſſe reor a libris quantumvis ſurdis remedium, quam a medico corrupto,

petere. Quod autem de legum immanitate queſti ſumus, vide an ſatis nobis conſtemus.

M. Quomodo?

B. Regem optimum, qualem magis animo quam oculis videre poſſumus, nullis legibus adſtringendum cenſuimus.

M. Nullis.

B. Quamobrem?

M. Opinor, quia, juxta Paullum, ipſe & ſibi & aliis eſſet lex; ut cujus vita exprimat, quod legibus jubetur.

B. Recte judicas, &, quod tu magis fortaſſe mireris, aliquot ante Paullum ſeculis hoc ipſum viderat Ariſtoteles, naturam ſequutus ducem. Quod ideo dico, ut, quod ante probatum fuerat, manifeſtius videas, eandem ſcilicet Dei & naturæ vocem eſſe. Verum, ut quod inſtituimus agamus, qui leges primi condiderunt, quid eos ſpectaſſe dicemus?

M. Æquitatem, opinor, ut antea dictum eſt.

B. Ego nunc non id quæro, quem finem ſpectarint; ſed potius quod exemplar ſibi propoſuerint.

M. Iſtud etſi fortaſſe intelligo, velim tamen explices, ut, ſi recte ſentio, meum judicium confirmes; ſin ſecus, emendes errorem.

B. Scis, opinor, quod ſit animi in corpus imperium.

M. Scire videor.

XXVI. *B.* Nec illud etiam ignoras, quæcunque non temere gerimus, eorum prius in animis noſtris quandam ineſſe imaginem, eamque longe perfectiorem operibus, quæ ad illud exemplar ſummi etiam artifices effingunt & velut exprimunt.

M. Equidem hoc mecum ipſe & in dicendo & ſcribendo plerumque experior: ſentioque non minus animo verba, quam rebus animum deeſſe. Nam neque noſter animus, in hoc obſcuro & turbido corporis carcere concluſus, rerum omnium ſubtilitatem perſpicere poteſt: neque in animo rerum utcunque prævisas imagines ad alios oratione poſſumus ita perferre, ut non multo ſint inferiores illis, quas noſter ſibi conformavit intellectus.

B. Leges ergo qui tulerunt, quid ſpectaſſe eos dicemus?

M. Prope videor intelligere quid velis: nempe perfecti illius Regis imaginem eos in conſilio habuiſſe, & ad eam, quam proxime poterant, ſimulacrum quoddam expreſſiſſe non corporis, ſed cogitationum; idque pro legibus eſſe voluiſſe, quod ille bonum & æquum fuiſſet arbitraturus.

B. Recte intelligis: hoc enim ipſum dicere volui. Nunc vero velim conſideres, qualem illum ab initio Regem conſtituerimus. Nonne firmum adverſus odium, amorem, iram, invidiam, cæteraſque animorum perturbationes?

M. Talem certe nos eum finximus, aut hominibus illis priſcis etiam fuiſſe credidimus.

B. Leges vero ecquid ad imaginem ejus latæ videntur?

M. Nihil ſimilius.

B. Durus igitur & inexorabilis nihilo minus bonus Rex, quam bona lex?

M. Æque durus. Sed cum neutrum mutare queam, aut velle debeam, tamen utrumque, ſi queam, nonnihil inflectere velim.

B. Atqui Deus ne pauperis quidem vult ut in judicio miſereamur, ſed id unum quod rectum eſt & æquum nos jubet intueri, & ſecundum id unum pronunciare.

M. Agnoſco ſententiam, & [1] veris vincor. Quando igitur Regem ſolvere legibus non licet, quis tandem erit legiſlator, quem ei tanquam pædagogum dabimus?

XXVII. *B.* Quem cenſes potiſſimum huic muneri præficiendum?

M. Ego, ſi me interrogas, ipſum Regem. Nam in reliquis fere artibus ab artificibus præcepta earum tradi videmus: quibus & ipſi, memoriæ confirmandæ cauſſa, velut commentariis utantur, & alios ſui commoneant officii.

B. Ego contra nihil intereſſe video, Regemne liberum & ſolutum legibus relinquamus, an ei tribuamus legum jubendarum poteſtatem. Nemo enim ſe ſponte vinculis induet. Ac neſcio an præſtet ſolutum relinquere, quam circundare vinculis nihil profuturis, quippe quæ, ubi volet, exuat.

M. At tu, quando legibus potius, quam Regibus, regni gubernacula credis, vide quæſo, ne huic, quem verbo tenus Regem facis, Tyrannum imponas, qui eum

Imperio premat, ac vinclis & carcere frenet,

ac tantum non compedibus oneratum in agrum mittat, aut in piſtrinum dedat.

B. Bona verba: neminem ego ei dominum impono, ſed populo, qui ei imperium in ſe dedit, licere volo, ut ejus imperii modum ei præſcribat: eoque jure, quod populus in ſe dederit, ut Rex utatur, poſtulo. Neque has leges per vim, ut tu interpretaris, imponi volo, ſed communicato cum Rege conſilio, communiter ſtatuendum arbitror, quod ad omnium ſalutem communiter faciat.

M. Populo igitur vis hanc provinciam tribuere?

B. Populo ſane, niſi tu fortaſſe aliter ſentis.

M. Nihil minus æquum videtur.

B. Quamobrem?

M. Noſti illud, *Bellua multorum capitum.* Scis, opinor, quanta ſit populi temeritas, quanta inconſtantia.

B. Ego nunquam exiſtimavi univerſi populi judicio eam rem permitti deberi: ſed ut prope ad conſuetudinem noſtram ex omnibus ordinibus ſelecti ad

1 *Veris vincor*] Lucret. lib. 4. ver. 482.
Nam majore fide debet reperirier illud
Sponte ſua veris quod poſſit vincere falſa.
[Terentianum illud ex Phorm. III. 11. 16. *Hei veris vincor,* obverſatum fuit menti Buchanani.]

2 *Undis*

ad Regem in concilium coirent. Deinde, ubi apud eos προβούλευμα factum eſſet, id ad populi judicium deferretur.

M. Tuum quidem conſilium ſatis intelligo: ſed nihil hac tam diligenti cautione mihi proficere videris. Regem non vis legibus eſſe liberum. Quamobrem? Quia, opinor intra hominem duo ſæviſſima monſtra, cupiditas & iracundia, perpetuum cum ratione bellum gerunt; expetitæ ſunt leges, quæ licentiam eorum comprimerent, & nimium exultantia ad juſti imperii reſpectum revocarent. Quid iſti conſultores e populo dati? nonne & ipſi eodem illo inteſtino bello vexantur? nonne eiſdem, quibus Rex, malis conflictantur? Quanto igitur plures adjunxeris Regi velut aſſeſſores, tanto major ſtultorum erit numerus: a quo quid exſpectandum ſit, vides.

XXVIII. *B.* At ego longe aliud, ac tu opinaris, exſpecto. Id autem cur exſpectem, dicam. Primum, non omnino verum eſt, quod tu putas, nihil ad rem facere multitudinis advocationem, quorum e numero nemo fortaſſis erit excellenti ſapientia præditus. Non enim ſolum plus vident ac ſapiunt multi, quam [1] unus quilibet eorum ſeorſum, ſed etiam quam unus, qui quemvis eorum ingenio & prudentia præcedat. Nam multitudo fere melius, quam ſinguli, de rebus omnibus judicat. Singuli enim quaſdam habent virtutum particulas, quæ ſimul collatæ unam excellentem virtutem conficiunt. Quod in medicorum pharmacis, ac in primis in antidoto eo, quod Mithridaticum vocant, perſpicue cerni poteſt. In eo enim pleræque res per ſe noxiæ ubi confuſæ fuerint, ſalutare adverſus venena remedium afferunt. Similiter in hominibus aliis tarditas & cunctatio, aliis præceps temeritas obeſt: hæ in multitudine commixtæ temperamentum quoddam, &, quam in omni genere virtutis quærimus, mediocritatem pariunt.

M. Sit, quando ita vis, penes populum, ut leges ferat & perferat: ſint Reges velut [2] tabulariorum cuſtodes. At cum leges inter ſe pugnare videbuntur, aut non ſatis diſerte aut perſpicue cavebunt, nullaſne Regis partes eſſe voles? præſertim cum, ſi omnia e ſcripto dijudicare velis, neceſſe ſit multa ſequi abſurda? Et, ut vulgatiſſimo utar exemplo legis illius in ſcholis decantatæ, *Peregrinus ſi in murum aſcendat, capite luito:* hic quid abſurdius fieri poteſt, quam ſalutis publicæ auctorem, qui hoſtes ſubeuntes dejecit, ipſum tanquam hoſtilia auſum ad ſupplicium rapere?

B. Nihil.

M. Probas igitur vetus illud, *Summum jus, ſumma injuria.*

B. Equidem probo.

M. Si quid hujus generis in judicium veniat, miti interprete opus eſt, qui leges, ad utilitatem omnium latas, viris bonis, & nullo in ſcelere deprehenſis, calamitoſas eſſe non patiatur.

XXIX.

1 *Unus quilibet eorum*] Vocem [*quilibet*] ex prima Edit. Edimb. quæ aliis omnibus exciderat, reſtituimus.

2 *Tabulariorum cuſtodes*] *Tabularia* ſunt quæ nos *Archiva* appellamus. Virg Geo. II. 502.

Inſanumque forum, aut populi tabularia vidit.

Ubi Servius, *Populi tabularia ſunt, ubi actus publici continentur.*

XXIX. *B.* Recte ſentis. Neque, ſi ſatis animadvertiſti, aliud a me in tota hac diſputatione quæſitum eſt, quam ut illa Ciceroniana lex ſancta & inviolabilis eſſet; *Populi ſalus ſuprema lex eſto.* Igitur, ſi quid tale in judicium venerit, ut non ſit obſcurum, quid bonum & æquum ſit, Regiæ partes erunt proſpicere, ut lex ad illam, quam dixi, regulam dirigatur. Sed tu mihi Regum nomine plus poſtulare videris, quam qui eorum imperioſiſſimi ſunt ſibi ſumant. Scis enim ad judices rejici ſolere hoc genus quæſtionum, cum aliud lex dicere, aliud legis auctor voluiſſe videtur, perinde atque illas, quæ de ambiguo jure aut legum inter ſe diſcordia oriuntur. Itaque his de rebus graviſſimæ ſunt patronorum in foro contentiones, & rhetorum præcepta diligentiſſime tradita.

M. Scio iſta fieri quæ dicis. Sed mihi in hac parte non minor injuria fieri videtur legibus, quam Regibus. Satius enim puto ex unius viri boni ſententia ſtatim litem finiri, quam ingenioſis hominibus, & interdum veteratoribus, obſcurandi potius, quam interpretandi leges poteſtatem dari. Nam, dum non ſolum de cauſſis litigantium, ſed de gloria ingenii, inter patronos contenditur, interim lites aluntur, jus, fas, æquum, iniquum, in diſcrimen vocatur; &, quod Regi negamus, hominibus inferiorum ordinum permittimus, plerumque non tam veri, quam litigandi ſtudioſis.

B. Oblitus mihi videris quidnam inter nos nuper convenit.

M. Quidnam id eſt?

B. Regi optimo, qualem initio deſcripſimus, adeo libera omnia permittenda, ut ne legibus quidem ullis opus eſſet. At, cum uni e multitudine is honor habetur, qui non multo ſit aliis excellentior, aut etiam quibuſdam inferior, periculoſam eſſe liberam iſtam & ſolutam legibus licentiam.

M. Hoc vero quid ad legum interpretationem?

B. Plurimum. Niſi forte non animadvertis, quod aliis verbis infinitam illam & immoderatam poteſtatem, quam antea Regi negaveramus, ei reſtituamus: nempe, ut pro animi libidine omnia ſurſum deorſum verſet.

M. Iſtud ego ſi facio, certe imprudens facio.

XXX. *B.* Dicam ergo apertius, ut intelligas. Cum Regi legum interpretationem concedis, hanc tribuis ei licentiam, ut lex non dicat, quod lator ſenſit, aut quod in commune ſit æquum & bonum, ſed quod in rem ſit interpretis: utque is ad omnes eam actiones, commodi ſui cauſſa, velut Lesbiam regulam, inflectat. Ap. Claudius in decemviratu legem tulerat æquiſſimam, *Ut in liberali cauſſa vindiciæ ſecundum libertatem darentur.* Quid apertius dici poterat? At interpretando idem auctor legem ſuam fecit inutilem. Vides, opinor, quantam uno verſu des Principi licentiam: nempe ut, quod volet ille, dicat lex; quod nolit, non dicat. Id ſi ſemel recipiamus, nihil proderit bonas leges condere, quæ Principem bonum ſui officii admoneant, malum circumſcribant. Imo, ut dicam apertius, nullas omnino leges habere præſtaret, quam liberum latrocinium, atque etiam honoratum, ſub legis prætextu, tolerari.

M. Putaſne Regum aliquem fore tam impudentem, ut famæ opinioniſque

omnium de ſe nullam ſit prorſus rationem habiturus; aut tam ſui ſuorumque oblitum, ut in eorum pravitatem degeneret, quos ipſe ignominia, carceribus, bonorum publicatione, graviſſimis denique ſuppliciis, coërcuerit?

B. Non credamus iſta fore, niſi jampridem facta ſint, idque totius orbis maximo malo.

M. Ubi tandem hæc facta narras?

B. Ubi, rogas? Tanquam non omnes per Europam nationes non modo viderint, ſed etiam ſenſerint, quantum rebus humanis invexerit mali, non dico immoderata poteſtas, ſed effrena Romani Pontificis licentia. Ea quam ex modicis, & in ſpeciem honeſtis, [1] occeperit initiis, quam nihil minus potuerit ab incautis timeri, nemo ignorat. Primum leges erant nobis propoſitæ, non modo e penitiſſimis naturæ arcanis erutæ, ſed ab ipſo Deo latæ, a Spiritu ejus per prophetas explicatæ, poſtremo a Dei Filio, eodemque Deo, confirmatæ, tot laudatiſſimorum hominum ſcriptis commendatæ, vita expreſſæ, ſanguine conſignatæ. Neque alius in tota lege locus, aut diligentius, commendatius, aut explicatius traditus, quam is, qui eſt de officio Epiſcoporum. Illis autem legibus cum nulli ſit fas quicquam adjicere, abrogare, derogare, immutare, una reſtabat interpretatio. Eam *Romanus Epiſcopus* cum ſibi arrogaſſet, non modo reliquas oppreſſit Eccleſias, ſed tyrannidem, ſæviſſimam omnium, quæ unquam fuerunt, ſibi vindicavit: nec hominibus tantum, ſed Angelis etiam imperare auſus, Chriſtum plane in ordinem redegit: niſi id non eſt in ordinem redigere, ut quod tu velis, in cælo, in terris, apud inferos, ſit ratum: quod Chriſtus juſſit, ita demum ſit ratum, ſi tu velis. Nam ſi in rem tuam parum videatur lex facere, ita interpretando poteris deflectere, ut non modo per tuum os, ſed ex animi tui ſententia, loqui cogatur Chriſtus. Chriſto itaque per os Pontificis Romani loquente, *Chilperico Pipinus*, *Joanni Navarro Ferdinandus Arragonius* eſt ſubſtitutus: filius in patrem, cives in Regem arma impia ſumſerunt: Chriſtus veneno imbutus, deinde ipſe veneficus fieri coactus eſt, ut veneno tolleret *Henricum Lucemburgicum.*

M. Hæc ego non nunc primum audio: ſed de iſta legum interpretatione apertius audire aveo.

XXXI. *B.* Unum tibi proponam exemplum, e quo totum hoc genus quantum valeat, facile intelligas. Lex eſt; *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum:* qua lege quid apertius, quid explicatius dici poteſt? *Unam uxorem* ille *Unam Eccleſiam* interpretatur. Quaſi ea lex non libidini, ſed avaritiæ Epiſcoporum reprimendæ ſit poſita. Hæc autem explicatio, etſi nihil ad rem facit, tamen ſententiam ſane honeſtam & piam continet, niſi eam rurſus idem alia interpretatione vitiaſſet. Quid ergo hîc Pontifex comminiſcitur? Variat, inquit, perſonis, cauſſis, locis, temporibus. Quidam ea nobilitate

1 *Occeperit initiis*] Ita princeps editio Edimb. quod aliæ omnes in [*acceperit*] corruperunt.

te ſunt, ut eorum faſtui nullus Eccleſiarum numerus poſſit ſufficere. Quædam rurſus adeo pauperculæ ſunt Eccleſiæ, ut ne monacho quidem, nuper mendico, nunc mitrato, ſuppetat inde victus, ſi nomen Epiſcopi tueri velit. Inventa eſt ratio ex illa callida juris interpretatione, ut unius Eccleſiæ Epiſcopi dicantur, aliæ eis commendentur, omnes exſpolientur. Dies me deficiet, ſi fraudes colligere velim, quæ adverſus unam legem quotidie excogitantur, ſed hæc etſi indigna ſint & nomine Pontificio & homine Chriſtiano, tyrannis eorum ibi non conſtitit. Ea eſt enim omnium rerum natura, ut ubi ſemel in præceps ire cœperint, nuſquam ante conſiſtant, quam ad interitum labantur. Vis illuſtri exemplo tibi hoc commonſtrem? Meminiſtine cujuſquam inter Imperatores Romani ſanguinis, qui fuerit aut crudelior aut nequior, quam C. Caligula.

M. Nullus, quod ſciam, fuit.

B. Quod autem nequiſſimum ejus facinorum putas? Non illa dico; quæ Pontifices in caſibus reſervatis numerant, ſed in reliqua ejus vita.

M. Non ſuccurit.

B. Quale tibi illud videtur, quod equum, nomine Incitatum, ad cœnam invitavit? quod hordeum aureum appoſuit? quod Conſulem deſignavit?

M. Omnino nequiter factum.

B. Quid illud, quod eundem ſibi collegam in ſacerdotio adſcivit?

M. Serione hæc narras?

XXXII. *B.* Serio certe. Neque adeo miror tibi hæc videri conficta. Sed noſter ille Jupiter Romanus hæc, ut vera poſteris videantur, perfecit: Julium dico Tertium Pontificem, qui mihi videtur certamen de principatu nequitiæ cum homine nequiſſimo C. Caligula ſibi inſtituiſſe.

M. Quid is fecit ejus generis?

B. Simiæ ſuæ cuſtodem, hominem prope nequiorem beſtia nequiſſima; collegam ſibi in ſacerdotio cooptavit.

M. Alia legendi fortaſſe cauſſa fuit.

B. Narrantur & aliæ: ſed ego ſelegi honeſtiſſimam. Igitur, cum tantus non modo ſacerdotii contemtus, ſed etiam humanitatis oblivio, ex iſta leges interpretandi licentia, ſit nata, vide ne iſtam poteſtatem exiguam putes.

M. At mihi veteres non videntur tam magnum exiſtimaſſe hoc interpretandi munus, quam tu id videri vis. Quod vel hoc uno argumento intelligi poteſt, quod Imperatores Romani juriſconſultis id permiſerint. Quæ una ratio totam iſtam verboſam tuam diſputationem evertit. Neque ſolum id, quod de magnitudine iſtius poteſtatis dixiſti, refellit, ſed illud quoque, quod tu maxime vitas, perſpicue declarat, quam aliis poteſtatem de jure reſpondendi dederunt, eam ipſis non fuiſſe negatam, ſi id munus exercere voluiſſent, aut per occupationes potuiſſent.

XXXIII. *B.* Quod ad Imperatores Romanos attinet, quos, nullo neque judicio neque utilitatis publicæ reſpectu, milites ſibi præficiebant, hi

ſub hanc Regum, quam deſcripſimus, formulam non veniunt; ut qui a genere hominum ſceleſtiſſimo, & fere ſceleſtiſſimus quiſque, eligebantur, aut ipſi per vim in eum locum irrumpebant. Quod autem juriſconſultis poteſtatem reſpondendi de jure dederint, non reprehendo. Etſi enim ea maxima eſt, ut ante dixi, tutius iis tamen creditur, quibus tyrannidis inſtrumentum eſſe non poteſt. Deinde pluribus credebatur, quos mutua reverentia continebat in officio; ut, ſi a recto declinaſſent, alterius reſponſo refellerentur. Qui ſi etiam in fraudem conſenſiſſent, ſupererat judicis auxilium, cui non erat neceſſe pro lege habere quicquid reſponſum a jureconſulto fuiſſet. Supererat & Imperator, qui legum violatarum pœnas expetere poterat. Tot vinculis cum tenerentur aſtricti; pœnamque graviorem timerent, quam exſpectarent fraudis præmium, vides, opinor, non adeo magnum ab iſto genere hominum timendum fuiſſe periculum.

M. Eſtne præterea quod de Rege dicas?

B. Primum, ſi tibi videtur, paucis colligamus quæ dicta ſunt: ita facilius, ſi quid prætermiſſum ſit, intelligemus.

M. Ita cenſeo faciendum.

B. De origine & cauſſa creandorum Regum & legum, ſatis convenire videbamur: de auctore legis, non item. Sed viſus es mihi tandem, etſi ſubinvitus, tamen vi ipſa veritatis coactus, conſenſiſſe.

M. Certe non modo poteſtatem legum jubendarum, ſed etiam eas interpretandi, & quidem me patrono ſtrenue reclamante, Regi abſtuliſti. Qua in re vereor, ne, ſi res palam fiat, aliquando prævaricationis coarguar: adeo facile bonam, ut ab initio videbatur, cauſſam mihi de manibus extorqueri ſum paſſus.

B. Bono animo es: nam ſi quis in hac cauſſa te prævaricationis inſimulet, ego tibi gratuitum patrocinium polliceor.

M. Iſtud fortaſſe brevi experiemur.

XXXIV. *B.* Multa etiam negotiorum genera nobis viſa ſunt, quæ nullis legibus comprehendi poſſint: quorum partem ad judices ordinarios, partem ad concilium, Rege non invito, rejecimus.

M. Factum quidem memini. Atque id cum faciebas, ſcíſne quid mihi in mentem veniebat?

B. Quî poſſum, ni tu dixeris?

M. Videbaris mihi Reges quodammodo ſimiles effingere [1] ſigillis lapideis, quæ plerumque in capitulis columnarum ita niti videntur, ac ſi totam ſtructuram ſuſtineant; cum tamen revera nihilo plus oneris ferant, quam quivis alius lapis.

B. Quid, bone Regum patrone? quereris me parum oneris eis imponere, cum illi dies noctesque nihil aliud agunt, quam ut ſocios oneri ferendo quærant, aut in quos omnino ſe exonerent? Et tu interim indignari videris, quod laborantibus ſubſidium feram.

M. Ego

1 *Sigillis*] i. e. *parvis ſignis*, ſeu *ſtatuis*.

M. Ego quoque libenter iſtas auxiliares copias recipio, ſed tales velim, quæ ſerviant, non quæ imperent; quæque viam præmonſtrent, non quo velint ducant, aut verius pertrahant, vel tanquam machinam impellant; nec aliam poteſtatem Regi relinquant, niſi ut eis aſſentiat. Itaque jamdudum exſpecto, ut, abſoluto de Rege ſermone, ad Tyrannos aut quoquam alio divertas. Regem enim tam anguſtis finibus incluſiſti, ut verear, ne, ſi diutius immoremur, e maximis opibus ac ſumma dignitate velut in deſertam aliquam inſulam eum releges, ubi, omnibus exutus honoribus, in egeſtate & miſeriis conſeneſcat.

B. Tu metuebas, ut præ te fers, prævaricationis crimen. At ego metuo, ne Regi, quem defendere conaris, calumniando noceas. Primum ego eum non otioſum eſſe volo, niſi tu architectos otioſos eſſe ſtatuas: deinde bonis miniſtris & amicis, quos ego non velut cuſtodes adjeci, ſed ab ipſo in partem laboris acciri volui, eum ſpolias; eiſque abactis cohortem nebulonum circundas, qui metuendum eum ſuis reddant; neque formidabilem fore putas, niſi magnam nocendi poteſtatem ei relinquamus. Ego amari a ſuis eum volo; nec terrore civium, ſed benevolentia, ſeptum eſſe: quæ ſola arma Reges inexpugnabiles efficiunt. Id, niſi tu repugnes, brevi me effecturum ſpero. Nam, ex iis, quas tu vocas anguſtias, in lucem eum educam: unaque lege tantum ei auctoritatis & amplitudinis adjiciam, ut eo ſi amplius optet, impudens tibi videri poſſit.

M. Iſtud quidem audire aveo.

XXXV. *B.* Igitur, ut, quamprimum cupiditati tuæ ſatisfaciam, rem ipſam aggrediar. Paullo ante confeſſi ſumus, nullam legem ita diſerte ulla de re cavere poſſe, ut malitioſa calliditas locum fraudi non inveniat. Id fortaſſe exemplo propoſito facilius intelligetur. Cautum eſt legibus, ne patres ſacerdotia ſua ſpuriis ſuis traderent. Hîc, in re, ut videtur, aperta, fraus tamen inventa eſt, ut pater alium ſubſtituat, iſque ſpurio prioris domini idem ſacerdotium tradat. Deinde, cum eſſet diſerte adſcriptum legi, ne, quod pater aliquando ſacerdotium tenuiſſet, filius ulla ratione teneret: neque hac cautione quidquam profectum eſt. Reperta eſt enim adverſus eam illa coitio inter ſacerdotes, ut uterque alterius filium ſibi ſubſtitueret. Id quoque cum vetitum eſſet, etiam novo genere fraudis lex eluſa eſt. Adverſus patrem litigator ſupponitur, qui fingat ſibi in id ſacerdotium jus eſſe. Dum pater cum ſuppoſito ſycophanta umbratili pugna velitatur, filius a Pontifice Romano ſacerdotium petit, ſi neutri litigantium in illud ſit jus; utrumque litigatorem volentem ac cedentem ultro vincit, & paterno ſacerdotio per paternam prævaricationem potitur filius. Vides in una lege quot fraudum genera ſunt inventa.

M. Video.

B. Nonne tibi legum latores hîc prorſus idem facere videntur quod medici, qui cum eruptiones pituitæ, aut alterius humoris noxii, adhibito emplaſtro compeſcere nituntur, humor uno inhibitus loco pluribus ſimul exitum quærit; ac, velut hydra quædam, uno reciſo capite multa renaſcentia profert?

 M. Ni-

M. Nihil ſimilius.

XXXVI. *B.* Quod medico fuerat initio faciendum, ut totum [1] ſimul corpus noxiis humoribus levaret, nonne idem hoc loco civilis medicus facere debet, ut civitatem univerſam levet malis moribus?

M. Iſtam, etſi difficilem, tamen veram eſſe reor curandi rationem.

B. Et hoc ſi obtineri queat, paucis arbitror opus eſſe legibus.

M. Ita prorſum res habet.

B. Hanc medicinam qui adhibere poterit, nonne tibi videtur ſolus plus in publicum collaturus, quam omnes omnium Ordinum conventus ad legum rogationem coacti?

M. Longe plus procul dubio. Sed, ut Comici verbis utar, *Quis erit hic tam potens cum tanto munere?*

B. Quid ſi has partes Regi mandemus?

M. Lepide profecto: quæ prona erant & facilia, ea populo univerſo commiſiſti; ſi quid arduum eſt & aſperum, id Regi etiam ſoli mandabis, tanquam non ſatis habeas eum vinculis conſtrictum tot clauſtris circundare, ni onus graviſſimum, ſub quo etiam ſuccumbat, imponas.

B. Non eſt ita, ſed rem ab eo facilem, non contendimus, ſed ut exorari ſe ſinat oramus.

M. Quid id tandem eſt?

B. Ut quales patres erga liberos eſſe debere cenſeat, talem ſe erga cives (quos liberorum loco habere debet) in omni vita ſe præſtet.

M. Quid iſtud ad rem?

XXXVII. *B.* Hæc profecto una, certe ſumma, adverſus mores corruptos eſt medicina. Ac, ne meum putes hoc commentum eſſe, audi Claudianum: IV. Conſul. Honor. ℣. 293.

Tu civem, patremque geras: tu conſule cunctis,
Non tibi: nec tua te moveant, ſed publica vota.
In commune jubes ſi quid, cenſeſque tenendum,
Primus juſſa ſubi. Tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Noli exiſtimare poëtam, ſummo ingenio & doctrina præditum, fruſtra credere tantam in hac re vim eſſe poſitam: eſt enim vulgus ad eorum imitationem adeo compoſitum, in quibus aliqua probitatis imago elucet, adeo mores eorum exprimere conatur, ut, quorum admiratur virtutem, eorundem etiam quædam vitia, in ſermone, veſtitu, inceſſu, reddere conetur. In Regum vero cultu, moribus, oratione aſſimulanda, ſe exercent, non ſolum imi-

1 *Simul corpus noxiis humoribus levaret*] Ita legendum monſtrat orationis ſcopus & contextus, non, quod libros occupavit *ſemel corpus n. h. l.*

2 *Ne-*

imitandi ſtudio, ſed etiam ut per adulationem in potentiorum animos ſeſe inſinuent, & rem, honores, potentiam, his artibus aucupentur: quippe qui natura comparatum ſciant, ut non modo nos noſtraque amemus, ſed ſimilitudinem noſtri, licet vitioſam, in aliis amplectamur. Hoc autem quod non improbe & ſuperbe flagitamus, ſed precario impetrare conamur, majorem longe vim habet, quam legum minæ, quam ſuppliciorum oſtentatio, quam militum copiæ. Hoc populum ſine vi reducit ad modeſtiam, Regi civium benevolentiam conciliat, publice tranquillitatem, privatim ſingulorum opes auget & tuetur. Cogitet igitur aſſidue Rex, ſe in orbis theatro poſitum, omnibuſque ad ſpectaculum propoſitum, nullum dictum aut factum ſuum latere poſſe, [*ut idem Poëta ibid.* ℣. 271.]

—nec poſſe dari regalibus uſquam
Secretum vitiis. Nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit: latebraſque per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat fama receſſus.

XXXVIII. Quanta igitur Principibus in utramque partem adhibenda eſt cautio? cum neque vitia, neque virtutes eorum, latere queant, neque ſine magna rerum mutatione vulgari? Quod ſi quis adhuc dubitat, quantum in vita Principis momentum ſit ad emendationem diſciplinæ publicæ, is ponat ante oculos Romæ naſcentis primordia. Populus ille rudis bonarum artium, e paſtoribus & convenis, [1] ne quid dicam durius, collectus, ipſe natura ferox, Regem nactus ferociſſimum, cum velut caſtra poſuiſſet ad vicinarum gentium pacem ſollicitandam, & arma laceſſenda, quantum putas vicinorum odium, quantum pavorem fuiſſe? Idem ille populus, cum Regem pium & juſtum ſibi præfeciſſet, ita repente mutatus eſt, ut eum cultui deorum & juſtitiæ deditum prope nefas violare vicinis ſit viſum: iis, inquam, vicinis, quorum agros antea vaſtaverat, urbes incenderat, liberos & propinquos in ſervitutem abduxerat. Quod ſi, in illa morum immanitate & temporum incultu, tantum Numa Pompilius, e gente inimica paullo ante Rex accitus, potuit; quid exſpectabimus, aut potius quid non exſpectabimus, ab eis Principibus, qui propinquitatibus, & clientelis & vetuſtis opibus ſubnixi, imperium accipiunt? qui in eam ſpem nati & educati ſunt? Quantum autem eorum animos ad virtutem accendere debet, quod non unius diei laudem, ut hiſtriones fabula bene acta, ſperent, ſed ætatis ſuæ benevolentiam & admirationem, & perpetuam ad poſteros celebritatem, & honores divinis proximos ſibi paratos eſſe intelligant? Ejus honoris utinam, quam animo concepi, verbis imaginem exprimere poſſem. Sed, ut aliqua ex parte primis lineamentis informatam tibi eam proponam, cogita tecum ſerpentem illum æneum in Arabia deſerta a Moſe erectum, ſolo aſpectu vulnera ab aliis ſerpentibus facta ſanantem: cogita e multitudine numeroſa alios a ſerpentibus ictos, & ad reme-

1 *Ne quid dicam durius*] Buchanano ob oculos fuiſſe videtur Juvenalis Sat. VIII. ult.

Majorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

remedium præſens concurrentes, alios rei novæ miraculo attonitos, omnes immenſam & incredibilem Dei beneficentiam omni laudis genere celebrantes: cum videant letiferi vulneris dolores, non medicamentis, cum cruciatu ægri, labore medici, & amicorum aſſidua ſollicitudine, tolli; non longinquitate temporis, ſed uno momento, ad ſanitatem reduci. Jam confer mihi cum ſerpente illo Regem, ſed ita confer, ut & Regem bonum in maximis Dei beneficiis numeres: qui ſolus, ſine tua impenſa, ſine tuo labore, omnes regni moleſtias levet, perturbationes ſedet, & vetuſta etiam animorum ulcera ad cicatricem brevi perducat: nec iis modo ſit ſalutaris, qui eum cominus intuentur, ſed qui tam longe abſint, ut nec ejus videndi ſpem ullam habeant: cujus in imagine animis oblata tanta ſit vis, ut id facile perficiat, quod nec juriſperitorum prudentia, nec Philoſophorum ſcientia, nec tot ſeculorum in artibus colligendis experientia, præſtare unquam potuerit. Qui vero honor, quæ dignitas, quæ amplitudo aut majeſtas, major in homine ullo dici aut excogitari poteſt, quam ut ſermone, congreſſu, aſpectu, fama, tacita denique ſpecie animis oblata, luxu diffluentes ad modeſtiam, violentos ad æquitatem, furioſos ad ſanitatem, reducat? Poteſne, ſi velis, majus hoc a Deo rebus humanis propitio beneficium poſtulare?

XXXIX. Hæc eſt vera, niſi fallor, imago Regis, non illa circumſepti armis, ſemper metuentis, aut metum facientis, ex odio in populum ſuo populi in ſe odium metientis. Hanc imaginem, quam poſuimus, expreſſit pulcherrimis coloribus Seneca in Thyeſte. Quod carmen, cum ſit elegantiſſimum, tibi notum eſſe non ambigo. Ecquid tibi nunc humiliter & contemtim de Rege ſentire videor? & eum (quod nuper dicebas) oneratum compedibus in legum ergaſtulum compingere? Annon potius in lucem & hominum cœtus, & publicum humani generis theatrum, eum produco? non ſuperbo ſpiculatorum & μαχαιροφόρων cœtu, ſericatiſque nebulonibus, ſtipatum, ſed ſua tutum innocentia; nec armorum terrore, ſed populi amore munitum: nec modo liberum & erectum, ſed honoratum, ſed venerabilem, ſacroſanctum & auguſtum; cum bonis ominibus & fauſtis acclamationibus prodeuntem, &, quocunque progrediatur, omnium ora, oculos & animos in ſe convertentem? Quæ ovatio, quis triumphus cum hac pompa quotidiana comparari poteſt? Aut, ſi Deus humana ſpecie delaberetur in terras, quis ab hominibus major honos ei haberi poſſet, quam qui vero Regi, hoc eſt, vivo Dei ſimulacro, exhiberetur? Hoc enim majorem honorem nec amor largiri, nec metus exprimere, nec adulatio poſſet comminiſci. Hæc tibi Regis imago ecquid videtur?

XL. *M.* Splendida ſane, & adeo magnifica, ut nihil dici aut excogitari magnificentius poſſe videatur. Sed in his temporum noſtrorum corruptis moribus, difficile eſt ut hæc animi magnitudo exiſtat, niſi ad honeſtam indolem & naturæ bonitatem diligentia educationis accedat. Animus enim ab adoleſcentia bonis inſtitutis & artibus informatus, ubi & ætate & uſu rerum confirmatus, ad veram gloriam virtute nititur, fruſtra voluptatum tentatur illecebris, & rerum adverſarum labefactatur impreſſionibus. Ita enim

Do-

Doctrina —— vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant;

ut in ipſis voluptatum avocamentis virtutis exercendæ occaſionem inveniat; & quæ infirmiores terrere ſolent, difficultates in iis materiam laudis ſibi oblatam virtus exiſtimet. Itaque, cum ad omnes vitæ partes tantum ſit in liberali educatione momentum, quanta cura & ſollicitudine proſpiciendum eſt, ut tenelli Regum animi recte a primis initiis uſque imbuantur. Nam, cum multa bonorum Regum in ſuos cives ſunt beneficia, multæ contra calamitates a malis Principibus proficiſcuntur, tum nihil in omnem partem majorem mihi vim habere videtur, quam & Regum ipſorum, & aliorum, qui ſummum imperium una adminiſtrant, ſtudia & mores. Quod enim a ſingulis bene vel ſecus fit, plerumque multitudinem latet; aut, propter hominum obſcuritatem, exemplum ad paucos pertinet: at eorum, qui Reipublicæ gubernacula tractant, dicta factaque omnia, velut in *votiva tabella*, ut inquit Horatius, conſcripta, latere non poſſunt, ſed omnibus ad imitationem ſunt propoſita. Neque enim ſtudio placendi modo, ſed utilitatis blandiſſimis invitamentis animos omnium ad ſe convertunt: ac perinde ut Regum ingenia impelluntur, diſciplinam publicam ſecum circumagunt. [1] Sed illud metuo, ne Reges noſtri ſe exorari patiantur, ut hæc præſtent, quæ modo abs te poſita ſunt. Adeo enim voluptatum illecebris fracti ſunt, & falſa ſpecie honoris decepti, ut idem propemodum eos facere exiſtimem, quod Trojanis, qui cum Paride navigarunt, quidam poëtarum eveniſſe narrant. Vera enim Helena in Ægypto, apud Prothea, hominem ſanctum ac plane divinum, relicta, de ſimulacro ejus per annos decem ita pertinaciter contenderunt, ut idem finis belli pernicioſiſſimi & regni illorum temporum opulentiſſimi fuerit. Tyranni enim impotentes falſam iſtam regni ſpeciem amplexi, cum per fas nefaſque eam ſemel adepti fuerint, nec ſine ſcelere eam tenere, nec ſine pernicie amittere, poſſunt. Quod ſi quis eos admoneat, veram Helenam, de qua ſe dimicare putant, alicubi abſconditam celari, pro inſano eum haberent.

XLI. *B.* Gaudeo equidem te; ſi non illam vere Jovis filiam videris, ſaltem ex hoc qualicunque ſimulacro ejus pulchritudinem aliqua ex parte intelligere. Quod ſi iſti falſæ illius Helenæ magno cum ſuo malo amatores veræ hujus perfectam imaginem a Protogene aliquo vel Apelle depictam ſuis coloribus viderent, non dubito, quin eam & admirarentur & deperirent: ac, niſi continuo illam alteram res ſuas habere juberent, in illas graviſſimas inciderent pœnas, quas in Satyris Perſius imprecatur Tyrannis:

Magne pater Divûm, ſævos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido

Move-

1 *Sed illud metuo, ne Reges noſtri ſe exorari patiantur*] Pro *ne non patiantur*, & ita quidem antiquos nonnunquam locutos contendit Linacer de Struct. lib. 6. veluti Cic. *Vereor ne ſatis diligenter in Senatu actum ſit de literis meis.* Verum locum corruptum exiſtimat Stewechius, atque pro *ne* reponendum *ut*, cui adſtipulatur princeps Grammaticorum Voſſius, Ariſt. lib. VII. cap 67.

Moverit ingenium ferventi tincta veneno,
Virtutem videant, intabeſcantque relicta.

Atque adeo, quando in Tyrannorum mentionem incidimus, viſne ut hinc recta ad eos progrediamur?

M. Niſi quid prævertendum putas.

B. Minime autem, arbitror, aberrabimus, ſi eiſdem veſtigiis, quibus in Rege quærendo inſtitimus, ad Tyrannum reperiendum ire pergamus.

M. Ita cenſeo. Nam eo pacto quod ſit inter eos diſcrimen facillime intelligemus, ſi ex adverſo compoſiti inſpectentur.

XLII. *B.* Ac primum, ut a *Tyranni* nomine incipiamus, id cujus linguæ ſit, incertum arbitror. Itaque ſupervacuum nobis puto Græcum aut Latinum ἔτυμον in eo quærere. Quid vero veteres appellarunt *tyrannidem*, non opinor obſcurum cuiquam, qui paullo diligentius in ſtudiis humanioribus ſit verſatus. *Tyranni* enim & Græcis & Latinis vocabantur, penes quos erat libera omnium rerum poteſtas, nullis legum vinculis adſtricta, aut judicum cognitionibus obnoxia. Itaque, in utraque, ut ſcis, lingua, non modo heroes & hominum præſtantiſſimi, ſed & deorum maximi, atque adeo Jupiter ipſe, *Tyrannus* vocatur, idque ab eis, qui de diis honorifice & ſentiunt & loquuntur.

M. Iſtud quidem non ignoro: eoque magis miror unde factum ſit, ut id nomen tot jam ſeculis odioſum, atque etiam inter graviſſima convicia, habeatur.

B. Id certe in hoc vocabulo eveniſſe videtur, quod in pleriſque aliis contigit. Verborum enim per ſe naturam ſi conſideres, [1] noxia caret. Et quamvis alia levius, alia aſperius [2] ad audientium aures accidunt, tamen nihil omnino ex ſeſe habent cur animos ad iram, odium, aut hilaritatem excitent, aut alioqui voluptatem aut moleſtiam creent. Si quid autem tale nobis accidat, id non a verbo, ſed a conſuetudine hominum, & imagine ab audientibus concepta, evenire ſolet. Igitur quod verbum apud alios honeſtum eſt, apud alios ſine honoris præfatione audiri non poteſt.

M. Memini quiddam ſimile in *Neronibus* & *Judis* factum: quorum alterum apud Romanos, alterum apud Judæos, nomen, in ſummis viris ampliſſimum atque honoratiſſimum exiſtimabatur. Poſtea vero nulla ipſorum nominum, ſed duorum hominum culpa factum eſt, ut ne ſceleratiſſimi quidem hæc nomina ſuis liberis dari velint; adeo inter infamia delituerunt.

XLIII. *B.* Idem quoque in *Tyranno* eveniſſe perſpicuum eſt. Primos enim magiſtratus, qui ita appellabantur, viros bonos fuiſſe credibile eſt, vel hinc, quod nomen id aliquando tam fuerit honorificum, ut ad deos etiam transferretur.

1 *Noxia caret*] *i.e.* culpa. Servius ad Virg. Æneid. I. 45. *Hoc intereſt inter* noxam *&* noxiam, *quod* noxia *culpa eſt*, *id eſt*, *peccatum;* noxa *autem pœna.* [Vana hæc Grammaticorum diſtinctio, cum paſſim *noxa* etiam pro culpa ponatur. vid. Terent. Phorm. II. 1. 36. & ipſe Virgilii locus Servium erraſſe docet. Verior ergo Donati ſententia ad Phorm. I. IV. 48. *Noxiam eſſe per epentheſin ab eo, quod eſt noxa.*]

2 *Ad audientium aures accidunt*] Vid. ad Hiſt. lib. 1. Cap. 7.

retur. Poſteri ſuis ſceleribus ita reddiderunt infame, ut omnes tanquam contagioſum & peſtilens id fugerent, leviuſque putarent convicium, carnificem quam *Tyrannum* appellari.

M. Idem fortaſſe hîc evenit, quod Regibus Romæ, poſt Tarquinios exactos; quod in Dictatoris nomine, poſt M. Antonium & P. Dolabellam Conſules.

B. Rem tenes. Contra vero humilia & plebja nomina, virtute hominum, quibus ea contigerunt, facta ſunt illuſtria: ut apud Romanos, *Camillus*, *Metellus*, *Scropha*; apud Germanos, *Henricus*, *Genſericus*, *Carolus*. Id adeo magis intelliges, ſi animadvertas, nomine Tyranni ſublato, rem tamen atque hoc imperii genus apud multas nationes illuſtres in honore priſtino permanſiſſe: ut apud Græcos [1] *Æſymnetas*, apud Romanos *Dictatores*. Utrique enim *Tyranni* legitimi erant: ſed *Tyranni* quidem, quia legibus potentiores erant, legitimi autem, quia populi conſenſu electi.

M. Quid ego audio? legitimos etiam eſſe *Tyrannos*? Ego longe aliud certe a te exſpectabam. Nunc vero confundere videris omnium *Regum* & *Tyrannorum* diſcrimina.

XLIV. *B.* *Reges* profecto & *Tyranni* apud veteres idem plane fuiſſe videntur, ſed diverſis, opinor, temporibus. *Tyrannorum* enim nomen, opinor, antiquius fuit: deinde, ubi ejus nominis eſt pertæſum, ſucceſſerunt in eorum locum *Reges*, nomine blandiore & mitiore imperio. His quoque degenerantibus, legum adhibita eſt moderatio, quæ fines imperii infinitis eorum cupiditatibus [2] ſtatuerent. Hominibus vero, pro ratione temporum & moribus hominum, nova remedia expetentibus, & veterum imperiorum eos pertæſum eſt, & nova quæſita. Nobis vero de duobus generibus principatuum in præſentia inſtitutus eſt ſermo; de eo, in quo legum, quam Regum fortiora ſunt imperia, deque peſſimo Tyrannidos genere, in quo omnia Regno ſunt contraria: eaque inter ſe comparanda ſuſcepimus.

M. Ita eſt: ac vehementer exſpecto, ut iſthuc venias.

B. Igitur initio inter nos convenerat, Regem ſocietati humanæ tuendæ fuiſſe creatum. Officium vero ejus eſſe ſtatuimus, ut, ex legum præſcripto, jus ſuum unicuique redderet.

M. Memini.

B. Primum igitur, qui eum magiſtratum non populi voluntate accipit, ſed vi invadit, vel fraude intercipit, quo cum nomine appellabimus?

M. *Tyrannum*, opinor.

XLV.

1 *Æſymnetas*] De his ita Ariſtoteles lib. III. Polit. cap. 10. de Monarchiæ generibus agens, *Tertia*, inquit, *ſpecies eſt, ut olim in Græcia fuere, quos vocabant Æſymnetas. Eſt autem hæc ſpecies, ut ita dicam, electiva tyrannis: poteſtas autem ejuſmodi, aut quoad viveret is, qui ea potiebatur, durabat, aut tempore quodam definito, quum res ſcilicet geſtæ eſſent, deſinebat.* Vide etiam Dion. Halicarn. Antiq Rom. lib. v. cap. 73. qui Αἰσυμνήτας αἱρετὰς τυράννους vocitat, indeque ad Romanos Dictatores creandi inſtitutum permanaſſe affirmat.

2 *Statuerent*] Ita princeps editio Edimb. reliquæ omnes, *ſtatueret.*

XLV. *B.* Sunt & alia multa diſcrimina, quæ quia ex Ariſtotele facile quivis colliget, ideo breviter ea percurram. Regium enim imperium ſecundum naturam eſt, tyrannicum, contra; Rex volentibus, Tyrannus invitis imperat; Regnum, liberi inter liberos eſt principatus, Tyrannis, domini in ſervos; Regi cives excubant ad ſalutem ejus tuendam, Tyranno peregrini ad cives opprimendos: alter enim civibus, alter ſibi gerit imperium.

M. Quid eos, qui per vim, & citra populi conſenſum, ſummum imperium ſunt adepti, ita tamen multos annos civitatibus ſuis præfuerunt, ut eorum adminiſtrationis populum non pœnituerit? Quantulum enim eſt, quod in Hierone Syracuſano potuit, aut in Coſmo Medice Florentino poteſt, ad juſti Regis functionem, præter legitima ſuffragia, deſiderari?

XLVI. *B.* Iſtos quidem e Tyrannorum numero eximere non poſſumus. Præclare enim ab hiſtorico egregio dictum eſt, *Vi quidem regere patriam aut parentes quanquam & poſſis, & delicta corrigas, tamen importunum eſt.* Deinde, iſti mihi perinde facere videntur ac latrones, qui male parta commode dividendo, ex injuria, juſtitiæ, & e rapina, liberalitatis laudem quærunt: neque tamen quod petunt aſſequuntur. Nam unius maleficii odio omnem illam oſtentatæ beneficentiæ gratiam amittunt: eoque minus civilis animi civibus fidem faciunt, quod non eorum commodis, ſed dominatui ſuo, id præſtant, ut videlicet ſecurius ſuis voluptatibus fruantur, & poſteris, odio populi paullum lenito, imperium ſtabiliant. Id autem ubi perfecerint, ad mores veros redeunt. Fructus enim qui ſit ſequuturus, e ſemente facile poteſt intelligi. Ad ſuum enim unius nutum omnia revocare, & omnium vim legum in ſe transferre, eandem vim habet, ac ſi omnes leges abroges. Sed hoc Tyrannorum genus fortaſſe tolerandum fuerit, ſi abſque publica pernicie tolli non poſſit: velut quoſdam corporis morbos potius perferimus, quam vitam in ancipitem dubiæ curationis aleam conjiciamus. At, qui palam non patriæ, ſed ſibi gerunt imperium, neque publicæ utilitatis, ſed ſuæ voluptatis rationem habent, qui ſtabilimentum ſuæ auctoritatis in civium infirmitate collocant, quique regnum, non procurationem a Deo creditam, ſed potius prædam ſibi oblatam, credunt, hi non civili nobiſcum, aut aliquo humanitatis vinculo juncti ſunt, ſed Dei & hominum hoſtes maxime omnium capitales judicari debent. Omnes enim Regum actiones, non ſuas opes privatim, ſed publice civium incolumitatem, ſpectare debent: quantoque ſupra cæterorum hominum faſtigium Reges ſunt evecti, tanto magis imitari cœleſtia corpora debent, quæ nullis officiis noſtris conciliata, vim ſui caloris & luminis vitalem & beneficam rebus humanis infundunt. Hujus munificentiæ vel tituli ipſi, quibus Reges honeſtavimus: (ſi meminiſti) admonere poterant.

M. Videor meminiſſe: nempe ut paterna uterentur indulgentia erga cives, liberorum loco ſibi commiſſos; in utilitate procuranda, paſtoris diligentia: in ſalute tuenda, duces; virtutum excellentia, prætores; quæ ex uſu eſſent jubendo, imperatores ſeſe præſtarent.

XLVII.

XLVII. *B.* Paterne igitur is dici poteſt, qui cives habet pro ſervis? aut paſtor, qui gregem non paſcit, ſed deglubit? aut gubernator, qui jacturam bonorum ſemper facere ſtudeat? quique (quod dicitur) navem pertoret, in qua ipſe naviget?

M. Nequaquam.

B. Quid, qui non quæ in rem populi ſunt imperat, ſed ſibi ſtudeat uni? qui non de virtute certet cum bonis, ſed vitiis flagitioſiſſimum quemque ſuperare contendat? qui ſuos in manifeſtas inſidias ducat?

M. Profecto nec mihi dux, nec prætor habebitur.

B. Si quem ergo conſpexeris, qui Regium nomen uſurpet, nec ullo virtutis genere quemvis e multitudine præcellat, multis etiam ſit inferior, qui cives non amore patrio proſequatur, ſed ſuperba dominatione premat, qui gregem ſibi commiſſum exiſtimet, non ad cuſtodiam, ſed ad quæſtum; hunc tu Regem vere putabis, etiamſi magno ſatellitum numero ſtipatus incedat, magnificoque corporis cultu ſe oſtentet, ſupplicia repræſentet, præmiis, ludis, pompis, inſanis etiam ſubſtructionibus, quæque alia magnifica eſſe creduntur, vulgus conciliet, ejuſque applauſum captet? hunc tu, inquam, Regem exiſtimabis?

M. Non, ſi mihi conſentire velim, ſed omnis humanæ ſocietatis expertem.

B. Quibus tu finibus humanam hanc ſocietatem circumſcribis?

M. Eiſdem illis, quibus tu ſuperiore ſermone viſus es eam velle concludi: juris videlicet ſeptis: quæ qui tranſiliunt latrones, fures, mœchi, eos video puniri publice; eamque cauſſam pœnæ juſtam haberi, quod ſocietatis humanæ limites ſint tranſgreſſi.

XLVIII. *B.* Quid, qui ſepta illa nunquam ingredi voluere?

M. Deo & hominibus habendos inimicos; eoſque in luporum, aliove noxiorum animalium genere potius, quam hominum habendos putem: quæ qui alit, & ſibi perniciem alit & aliis; qui occidit, non ſibi modo ſed publice univerſis prodeſt. Quod ſi mihi legem ferre liceret, juberem (quod Romani in monſtris procurandis facere ſolebant) id genus hominum in ſolas terras deportari, aut in alto, procul a conſpectu terræ, demergi, ne contagio etiam mortuorum hominibus officeret: interfectoribus autem præmia decerni, non ab univerſo tantum populo, ſed a ſingulis: quemadmodum vulgo fieri ſolet iis, qui lupos aut urſos occiderunt, aut catulos eorum deprehenderunt. Neque enim, ſi quod hujuſcemodi monſtrum naſceretur, etiamſi vocem humanam funderet, faciemque hominis, cæterarumque partium ſimilitudines, haberet, mihi cum eo ſocietatem eſſe crederem. Aut, ſi quis hominem exuens in talem immanitatem degeneraret, nolletque cum cæteris hominibus, niſi in eorum perniciem, convenire, hominem appellandum cenſeo, nihilo certe magis quam ſatyros, ſimias, aut urſos, quamlibet vultu, geſtu & ſermone, hominem mentiretur.

B. Jam, ni fallor, intelligis qualem Regem, qualem item Tyrannum ſapientiſſimi veterum eſſe ſtatuerunt. Viſne igitur, quod in Rege informan-

do fecimus, Tyranni quoque tibi qualecunque ſpecimen proponamus?

M. Imo, niſi moleſtum eſt tibi, vehementer id cupio.

XLIX. *B.* Non oblitus es, opinor, quæ apud poëtas de Furiis, apud noſtros de Cacodæmonum natura, dicuntur: eſſe videlicet ſpiritus humani generis hoſtes, qui, cum ipſi in perpetuis cruciatibus verſentur, hominum tamen tormentis gaudeant. Hæc profecto vera eſt tyrannidis imago. Sed quia cogitatione modo & ſine miniſterio ſenſus hæc imago cerni poteſt, aliam tibi proponam, quæ non modo animum, ſed ſenſus etiam feriat, & velut in oculos incurrat. Finge te navem in mari procellis vexatam videre, littora omnia circumcirca non modo importuoſa, ſed hoſtium infeſtiſſimorum plena: ejus vero navis dominum mutuo cum vectoribus odio certantem, nec ullam tamen aliam, quam in nautarum fide, ſpem ſalutis habentem: nec hanc quidem certam, ut qui non ignoret ſe maxime barbaro generi hominum, & ab omni humanitate alieno, vitam ſuam credere, quos pecunia ſola conciliatos retineat, quique lucro majore objecto adverſus eum ipſum conduci poſſint. Talis profecto eſt vita illa, quam velut beatam Tyranni amplectuntur. Foris hoſtes, domi cives metuunt: nec cives modo, ſed domeſticos, propinquos, fratres, conjuges, liberos, parentes. Itaque cum vicinis externum, cum civibus civile, cum ſuis domeſticum bellum ſemper aut gerunt, aut metuunt, nec uſquam auxilia ſperant, præter mercede conducta: neque bonos conducere audent, neque malis fidere poſſunt. Quid iſtis tandem in vita jucundum eſſe poteſt? Dionyſius filias virgines adultas, cum novaculam admittere ad guttur timeret, a barbæ radendæ miniſterio removit; a Timoleonte frater, ab uxore Alexander Pheræus, a patre Sp. Caſſius eſt interemtus. Qui hæc ante oculos exempla propoſita ſemper habet, quam tu eum carnificinam in pectore circumferre credis? cum cogitet ſeſe univerſo mortalium generi, tanquam ſignum, in quod jaculentur, propoſitum: neque ſolum vigilans his conſcientiæ tormentis crucietur, ſed terrificis etiam vivorum & mortuorum ſimulacris e ſomno excitetur, & Furiarum facibus agitetur. Tempus enim, quod omnibus animantibus ad quietem, hominibus etiam ad curarum laxamentum, natura tribuit, illi in horrores & ſupplicia convertitur.

M. Non inſcite ſane iſta a te ſunt explicata, ac neſcio an etiam vere. Sed tamen, niſi fallor, ad noſtrum inſtitutum non adeo multum faciunt. Nam quibus in manu eſt eligere quos velint Reges, penes eoſdem eſt, electos, quibus velint, conſtringere legibus. Nobis vero ſcis Reges non eligi, ſed naſci: quibus ego ſemper hæreditarium, non minus quam ipſum regnum, exiſtimavi, ut voluntas eorum pro legibus eſſet. Neque temere in hanc opinionem ſum inductus, ſed magnis auctoribus, cum quibus errare (ſi modo in errore ſum) non me pudeat. Nam, ut alios omittam, jureconſulti affirmant, lege Regia, quæ de imperio eorum eſt lata, omnem populi poteſtatem ita in eos tranſmiſſam, ut eorum placita pro legibus haberi debeant. Ex hac nimirum lege natæ ſunt illæ Imperatoris cujuſdam minæ, ſe jureconſultis omnibus omnem ſuam, qua tantopere glorientur, ſcientiam uno edicto ablaturum.

L. *B.* Bene abs te factum eſt, quod cum rei maximæ peſſimum citares auctorem, nomen ejus ſupprimendum duxeris. Is enim fuit C. Caligula, qui etiam toti populo Romano unam cervicem optabat. In illo autem Imperatore nihil hominis, ne dicam Regis, præter formam fuit. Itaque quanta illi debeatur auctoritas, non ignoras. Quod autem ad legem Regiam attinet, qualis illa fuerit, quando, a quo, quibus verbis, lata, nec ipſi jurisperiti expediunt. Regibus enim Romanis nunquam ea poteſtas fuit: quippe a quibus provocatio ad populum erat. Rogationem vero, qua L. Flaccus, libertate populi Romani oppreſſa, per aliarum legum ſilentium ſtabilivit L. Syllæ tyrannidem, nemo unquam pro lege habuit. Ejus autem rogationis ea vis erat, ut, quæcunque L. Sylla feciſſet, ea rata eſſent. Quod jus, nullus unquam populus liber tam excors fuit, ut volens in ſe permitteret: aut, ſi quis fuit, dignus profecto fuit, qui perpetuo ſerviret Tyrannis, ſtultitiæque ſuæ pœnas lueret. Sed ſi qua talis fuit lex, exemplum nobis ad cautionem, non ad imitationem, propoſitum exiſtimemus.

M. Recte profecto mones. Sed iſta admonitio tua ad eos pertinet, quibus in manu eſt, quales ſibi Reges creent. Ad nos vero nihil omnino pertinet, qui non ſuffragiis optimos eligimus, ſed forte oblatos accipimus. Illud etiam jureconſulti nos proprie videtur reſpicere, qui majoribus Regum noſtrorum id jus in nos poſteroſque noſtros dedimus, ut ipſi poſterique eorum imperium in nos perpetuo tenerent. Illos utique (majores dico noſtros) vellem admonuiſſes, quibus integrum erat, quos vellent ſibi Reges adſciſcere. Nunc vero ſerum iſtud tuum conſilium eo valet, non ut, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, ea corrigamus; ſed ut majorum ſtultitam deploremus, & noſtræ conditionis miſeriam agnoſcamus. Quid enim reliqui eſſe poteſt in ſervitutem deditis, niſi ut alienæ ſtultitiæ pœnas luamus? &, ut leviores fiant, eas patientia leniamus; nec importune tumultuando iras eorum provocemus, quorum nec imperium rejicere, nec poteſtatem imminuere, nec vim & impotentiam effugere, poſſumus? Lex autem illa Regia, cui tu tantopere es inimicus, non eſt in Tyrannorum gratiam, ut tu videri vis, conficta: quippe quæ a Juſtiniano Principe juſtiſſimo ſit comprobata: apud quem adulatio tam aperta locum non fuiſſet habitura: nam in Principe ſtolido valet illud,

Falſus honor juvat; & mendax infamia terret,
Quem, niſi mendoſum & mendacem? ——

LI. *B.* Fuit quidem Juſtinianus, ut prædicant hiſtoriæ, vir magnus: etſi quidam in Beliſarium fuiſſe crudeliter ingratum narrent. Sed fuerit ille, qualem tu eum fuiſſe exiſtimas, meminiſſe tamen potes, ab illius ætatis fere æqualibus traditum; Tribonianum, præcipuum inter illarum legum latores, hominem fuiſſe longe nequiſſimum, & qui facile potuiſſet adduci, ut Principi quoque peſſimo gratificaretur. Sed nec boni Principes ab hoc adulationis genere abhorrent. Nam,

— *&*

—— *& qui volunt occidere quenquam,*
Poſſe volunt: ——

&

——. *nihil eſt quod credere de ſe*
Non poſſit, cum laudatur diis æqua poteſtas.

Sed redeamus ad noſtros Principes, ad quos tu ais hæreditate, non ſuffragiis regnum pervenire. De noſtris autem ſolis loquor. Nam, ſi ad exteros digrediar, vereor ne longior quam inſtitueramus fiat oratio.

M. Ita facias cenſeo. Res enim externæ non magnopere ad præſentem diſputationem pertinent.

B. Igitur, ut a primis ordiar initiis, illud ſatis convenit, Principes nobis ob virtutis opinionem delectos, qui cæteris imperarent.

M. Ita tradunt rerum noſtrarum ſcriptores.

LII. *B.* Nec minus illud conſtat, multos, qui crudeliter & flagitioſe eum magiſtratum geſſerunt, a civibus in jus vocatos; quoſdam perpetuis carceribus damnatos; alios partim exilio, partim morte multatos: quorum cum vel filii vel propinqui in eorum locum aſſumerentur, nulla unquam quæſtio adverſus interfectores decreta fuit. At qui bonos violaſſent Reges, nuſquam gentium in eos ſeverius vindicatum eſt. Et, quia longum eſſet ſingulos percenſere, e poſtremis, quorum recentior eſt memoria, paucos proferam. *Jacobi Primi* cædem, cum puerum ſex annorum hæredem reliquiſſet, adeo graviter nobilitas punivit, ut homines, clariſſimis familiis natos, divitiis & clientelis primarios, novo & exquiſito genere ſupplicii exſtinxerit. Contra, *Jacobi Tertii*, hominis flagitioſi & crudelis, mortem quis doluit, ne dicam ultus eſt? In filii vero ejus *Jacobi Quarti* morte, ſuſpicio ſceleris morte punita eſt. Neque pii erga bonos Reges tantum majores noſtri fuerunt, ſed in malos etiam lenes & miſericordes. Nam *Culenum*, ad cauſſam dicendam venientem, cum ex inimicis quidam in itinere occidiſſet, graviſſimas ex Ordinum ſententia pœnas dedit: & *Evenum*, perpetuis vinculis damnatum, cum itidem inimicus in carcere occidiſſet, itidem pœnas dedit; &, cujus vitam nefariam omnes oderant, mortem per vim illatam, ceu parricidium, ſunt proſecuti.

M. Ego non tam quid interdum factum ſit, quæro in præſentia, quam quo jure apud nos regnetur.

B. Igitur, ut eo redeamus, quemadmodum in primis Regibus, uſque ad *Kennethum Tertium*, qui primus regnum in ſua familia ſtabilivit, perſpicuum eſt, quæ fuerit poteſtas populi in Regibus creandis, & in ordinem redigendis; ita neceſſe eſt, ut is aut populo invito id fecerit, aut a perſuaſo impetraverit.

M. Negari non poteſt.

B. Porro, ſi vi coëgit populum ſibi parere, populus quoque, ubi primum ſuis viribus cœperit confidere, violentum illud imperium poterit excutere: cum a Regibus & populis recepta jura pronuncient, & natura clamet, quicquid per vim fiat, ſimili vi ſolvi poſſe.

M. Quid

M Quid ſi populus, vel fraude circumventus, vel metu coactus, in ſervitutem ſeſe dederit? quid cauſſæ prætendi poteſt, quin, in quod ſemel conventum eſt, in eo perpetuo maneat?

LIII. *B*. Si tu mecum ex convento agis, quid cauſſæ eſt, quin ego ex adverſo eas cauſſas ponam, cur pacta & conventa ſolvi poſſint? In primis autem, quæ vi metuſque cauſſa fiunt, apud omnes civitates de iis certum jus eſt, e naturæ fontibus hauſtum. Per fraudem etiam circumventis jura dant reſtitutionem in integrum, idque maxime in pupillis, eiſque perſonis ſervandum putant, quas optimo jure eſſe volunt. Quis igitur cœtus juſtius reſtitui, quam populus univerſus poſtulet? Cui cum fit injuria, ea non in unam aliquam civitatis partem, ſed in omnia civilis corporis membra late permanat.

M. Scio in privatorum cauſſis hoc jus uſurpari, nec in ullos eſſe iniquum. Sed non eſt quod de hac re magnopere contendamus, cum illud ſit longe credibilius, (quod ab hiſtoricis etiam traditur) id jus populi voluntate Regibus datum.

B. Credibile eſt etiam, non ſine magna cauſſa rem tantam fuiſſe impetratam.

M. Facile aſſentior.

B. Quam igitur cauſſam potiſſimum fuiſſe arbitraris?

M. Quam aliam, niſi quæ narratur? tædium ambitionis, tumultus, cædes, bella inteſtina, ſæpe cum internecione alterius partis, ſemper cum utriuſque maximo damno? Nam qui regnum obtinebant, quo id pacatius liberis relinquerent, fratres & fere proximum quemque exſtinguere conabantur: quemadmodum apud Turcas fieri audimus, & apud Phylarchos in noſtris inſulis & Hibernia fieri videmus.

B. Utris igitur iſtam contentionem putas magis fuiſſe pernicioſam, populone an Principibus?

M. Regibus certe: cum populi major pars, ſecura ſui, Principum ſoleat ſpectare certamina, & ſemper victoribus in prædam cedat.

B. Principes igitur (ut videtur) ſua potius cauſſa, quam ex utilitate populi, in ſua familia ſtabilem regni ſedem conſtituere voluerunt.

M. Credibile eſt.

LIV. *B*. Ut autem rem, ad perpetuum honorem, opes & incolumitatem ſuæ familiæ tantopere pertinentem, impetrarent, veriſimile eſt eos aliquid invicem de ſuo jure remiſiſſe; &, ut facilius populi voluntatem & ſtudium tenerent, & conſenſum impetrarent, aliquid ex adverſo laxamenti dediſſe.

M. Credo.

B. Illud certe mihi fateberis incredibile, ut, pro tanto beneficio Regibus impenſo, pejore ſe jure eſſe paterentur, quam antea fuerant.

M. Incredibile prorſus.

B. Neque Reges, ſi id noxium, & liberis ſuis & populo inutile, ſciſſent futurum, tanta ambitione id petiſſent.

M. Nequaquam.

B. Finge ergo aliquem e media concione liberi populi libere Regem interrogare? Quid ſi cui Regum filius ſit ſtolidus? quid ſi inſanus? coſne nobis conſtitues rectores, qui ſeipſos regere non poſſunt?

M. Nihil opinor opus fuiſſe, ut hac exceptione uterentur, cum huic generi legibus ſit proſpectum.

B. Probe ſane. Illud ergo videamus, ſi liberam legum poteſtatem Reges a populo impetraſſent, num ea inutilis fuiſſet, eis præſertim qui familiæ ſuæ in poſterum proſpectum volebant.

M. Quamobrem vero inutilem futuram cenſebimus?

LV. *B.* Quod nihil æque ad diuturnitatem dominationis faciat, ac temperamentum illud imperii, cum & Regibus eſt honorificum, & populo moderatum & ſalutare. Habet humanus animus ſublime quiddam & generoſum natura inſitum, ut nemini parere velit, niſi utiliter imperanti: neque quicquam eſt valentius ad continendam humanam ſocietatem, quam beneficiorum viciſſitudo: ideoque ſapienter viſus eſt Theopompus reſpondiſſe exprobranti uxori, *Quod adjectis Ephoris vim imminuiſſet imperii, ac minus, quam acceperat, filiis reliquiſſet regnum*: *Tanto*, inquit, *firmius*.

M. Quod de diuturnitate narras, video eſſe veriſſimum. Nam Scotorum & Cimbrorum regna longe omnium, quæ in Europa ſunt, antiquiſſima reor: neque alia re id mihi conſecuti videntur, quam ſummi imperii moderatione: cum interim Francorum, Anglorum, Hiſpanorum regna toties ex aliis ad alias familias tranſierint. Sed neſcio an Reges illi noſtri tam ſapientes fuerint, quam Theopompus.

B. Ut illi tam providi non fuerint, populumne putas tam ſtultum fuiſſe, ut occaſionem tam opportunam oblatam negligeret? aut timore adeo perculſum, aut ſeductum blanditiis, ut ſe ſponte in ſervitutem daret?

LVI. *M.* Non fuit fortaſſe. Sed fuerit (quod fieri potuit) adeo cæcus, ut quod in rem ſuam eſſet non viderit; aut, cum videret, tam commodi ſui negligens, ut comtemſerit, nonne merito ſuæ ſtultitiæ pœnas luet?

B. Non eſt veriſimile aliquid iſtorum factum eſſe, cum, uſque ad noſtram ætatem, contra obſervatum fuiſſe videamus. Nam, præterquam quod mali Reges, quoties tyrannidem in cives moliti ſunt, ſemper coërciti fuerunt, etiam in antiquis familiis vetuſti moris quædam veſtigia adhuc remanent. Scoti enim priſci, ad noſtram uſque ætatem, ſuos eligunt Phylarchos, & electis concilium ſeniorum adhibent: cui concilio qui non parent, honore privantur. Quod igitur in partibus adhuc ſumma diligentia ſervatur, in omnium ſalute negligerent? & qui in beneficii loco habiturus erat regnum legitimum, ei ſe ſponte in ſervitutem traderent? & libertatem virtute partam, armis defenſam, tot ſeculis non interpellatam, eam ſine vi, ſine bello, nec exſpectanti condonarent? Iſtam enim poteſtatem Regibus noſtris nunquam fuiſſe, præter ſupplicia male adminiſtrati regni toties expetita, *Joannis Ballioli* calamitas oſtendit: qui fere CC. LX. abhinc anno a nobilitate rejectus eſt, quod ſe regnumque ſuum *Eduardi* Angli imperio

ſub-

ſubjeciſſet: inque locum ejus *Robertus Primus* eſt ſuffectus. Oſtendit id etiam perpetuus ille mos a primis uſque temporibus continuatus.

M. Quem tu morem dicis?

LVII. *B.* Reges noſtri, cum publice inaugurantur, populo univerſo ſancte promittunt, ſe leges & majorum ritus veteraque inſtituta ſervaturos: eoque jure, quod a majoribus acceperunt, uſuros. Oſtendit totus ille cærimoniarum ordo, primique Regum adventus in ſingula oppida. E quibus omnibus facile intelligi poteſt, qualem a majoribus acceperint poteſtatem: non aliam videlicet, quam qui ſuffragiis electi in leges jurant. Hanc regnandi conditionem Davidi & poſteris ejus Deus propoſuit: tamdiu eos regnaturos promittit, quamdiu illi legibus ab eo datis parerent. Hæc quidem faciunt, ut veriſimile ſit, non immenſam, ſed intra certos terminos conſtrictam, & finitam, poteſtatem Reges noſtros a majoribus accepiſſe. Acceſſit præterea longi temporis confirmatio, & perpetui juris a populo uſurpatio, nullo unquam decreto publico reprehenſa.

M. Sed vereor ut a Regibus facile poſſit impetrari, ut, iſta veriſimilitudine abducti, in has leges, utcunque juratas, aut a populis uſurpatas, concedant.

B. Ego quoque credo non minus eſſe difficile, ut populo perſuadeamus, ut jure a majoribus accepto, tot ſeculorum uſu probato, uno perpetuo tenore uſurpato, decedat. Neque puto neceſſe conjecturis perſequi quid ſit facturus, cum videam quid fecerit. Quod ſi utriuſque obſtinata pertinacia res ad arma veniat, victor quidem quod volet jus victo dabit; ſed tamdiu dabit; donec qui in certamine erit inferior, arma recollectis viribus reſumet: quibus in contentionibus, cum populi pernicie ſemper, ſed cum exitio Regum fere, decertari ſolet. Ex hoc enim fonte omnes omnium regnorum interitus promanant.

M. Ita fieri neceſſe eſt.

B. Hæc ego altius fortaſſe, quam opus erat, repetivi: ut perſpicue intelligeres vetus regnandi apud nos jus quale fuerit. Nam ſi ſummo jure tecum egiſſem, multo breviore compendio quo volebam pervenire potuiſſem.

M. Quanquam mihi jam propemodum ſatisfeceris, tamen & iſtud quale ſit libenter ex te audiam.

LVIII. *B.* Hoc igitur primum mihi velim reſpondeas, probeſne definitionem legis a jureconſultis poſitam, qui legem eſſe ajunt, *quod populus ſcivit, ab eo rogatus cui rogandi jus eſt?*

M. Probo equidem.

B. Conſenſimus autem, legum vitiis deprehenſis, ab eiſdem earum latoribus eas vel corrigi vel abrogari poſſe.

M. Conſenſimus.

B. Illud autem, opinor, vides, qui naſcuntur nobis Reges, eos & legibus & populi ſuffragio creari, non minus quam quos ab initio diximus electos: & adverſus non modo vim & fraudem, ſed negligentiam quoque

in legibus accipiendis, non defutura populo legum latori remedia.

M. Video plane.

B. Id modo intereſſe, quod lex de noſtris Regibus ante aliquot ſecula ſit lata: regnum vero cum initur, non ferri nova, ſed vetus lex approbari, ſolet. Apud eos vero, qui ſingulis Regibus eligendis habent comitia, ſimul lex ferri, Rex fieri & probari, regnum iniri, ſolet.

M. Sic eſt.

LIX. *B.* Nunc ab initio, ſi videtur, quid inter nos convenerit, breviter colligamus: ut ſi quid temere ſit probatum, ſit & pœnitentiæ locus.

M. Placet.

B. Primum omnium, viſum eſt nobis Regem populi cauſſa creari, neque bono Rege quidquam præſtantius divinitus nobis dari, neque malo peſtilentius.

M. Recte.

B. Malum etiam Regem diximus vocari *Tyrannum*.

M. Diximus.

B. Et quia non eſt tanta bonorum copia, ut ſemper probi ſuppetant, quos eligamus; nec tanta naſcendi felicitas, ut ſors illa ſemper bonos offerat: ſi non quales optaremus, at quales vel conſenſus approbavit, vel caſus obtulit, pro Regibus habemus. Ea autem, quæ eſt vel in eligendis novis, vel in oblatis [1] forte naſcendi approbandis, alea, in cauſſa fuit, ut leges cuperemus, quæ Regibus imperii modum facerent. Eæ autem leges nihil aliud eſſe debent, niſi expreſſa (quatenus aſſequi poſſumus) boni Principis imago.

M. Id quoque ſumus confeſſi.

LX. *B.* Jam reſtat, opinor, ut de pœna Tyrannorum diſſeramus.

M. Id unum mihi reliquum videtur.

B. Igitur, ſi Rex omnia legum vincula perfringat, planeque hoſtem publicum ſe gerat, quid hîc faciendum cenſes?

M. Hæreo profecto. Nam, etſi rationes a te expoſitæ videantur convincere, nullam nobis eſſe cum eo Rege ſocietatem, tamen diuturnæ conſuetudinis tanta vis eſt, ut apud me legis vigorem obtineat. Ea adeo pertinaciter in animis hominum hæret, ut, ſi quem aliquando invexerit errorem, eum tolerare præſtet, quam, dum morbum, [2] aſſuetudine lenem, curare contendimus, totius corporis ſtatum labefactare. Ea enim quorundam morborum eſt natura, ut dolorem, quem afferunt, præſtet perferre, quam ancipitia remedia quærere: in quibus experiundis, ut cætera ſuccedant, ita tamen acres dolores in medicando afferunt, ut ipſo morbo morbi cura ſit pernicioſior. Deinde, quod me magis movet, video iſtam, quam tu vocas tyrannidem, divi-

1 *Forte naſcendi*] An potius *ſorte naſcendi*, uti mox ante loqui videtur. Vide quæ nos ad Hiſt. Lib. VI. Cap. 42. & XII. 16.

2 *Aſſuetudine lenem*] Ita prima editio Edimb. aliæ autem omnes [*levem*] exhibent: quod & rectius arbitror. Vide interim, quæ nos alibi ad Hiſt. Lib. XIX. Cap. 10. annotavimus.

divino confirmatam oraculo: &, quod tu velut legum interitum exſecraris, Deus *legem regni* vocat? Ejus loci me magis movet auctoritas, quam omnia Philoſophorum argumenta. Inde me niſi explicaveris, non erunt apud me tanti hominum commenta, ut non confeſtim ad hoſtes deficiam.

LXI. *B.* In communi, ut video, errore verſaris, eoque graviſſimo, qui tyrannidem tyrannide confirmare coneris. Quanta enim ſit conſuetudinis tyrannis, in animis hominum ubi altius radices egit, & nimium ſæpe hoc ſeculo ſumus experti, & hiſtoriæ ſcriptor vetuſtus Herodotus vetuſto nos monet exemplo. Sed mihi veteribus exemplis non eſt opus, tete ipſe conſule. Cogita tecum, quot ſint res, nec hæ exiguæ, in quibus, rationem ſecutus, ab inveterata tot ſeculis conſuetudine deſciveris: ut jam domeſticis experimentis didiciſſe potueris, nullam magis periculis eſſe plenam, quam ſit iſta, quam nos ſequi jubent, via publica. Eam te jubeo diligenter circumſpicere: quot ruinas, quantas ſtrages in ea videbis? Sed ſi ipſa (quod dicitur) luce clarius eſt, non eſt quod in re perſpicua vel probanda vel illuſtranda diutius immorer. Quod autem ad eum attinet locum, quem ex hiſtoria Regum magis ſignificas, quam explicas, vide quæſo, ne quæ in Tyrannorum vita Dominus exſecratur, tu Regibus ab eo conceſſa putes. Id ne fiat, primum te jubeo expendere, quid populus a Domino petierit: deinde, quas novæ petitionis cauſſas habuerit: poſtremo, quid populo Dominus reſponderit. Primum, Regem petunt. At qualem? legitimum? At habebant. Erat enim Samuel eis a Domino, penes quem jus præficiendi erat, datus: jus eis legitime ex legum divinarum præſcripto multos annos dixerat. At filii ejus, cum jus eo ſeniore dicerent, multa flagitioſe faciebant, & adverſus leges judicabant. Nondum video cauſſam, cur ſtatus publici mutationem, ſed emendationem potius, expoſcerent, aut certe a Domino exſpectarent, ut qui non adeo pridem totam Heli familiam a ſtirpe evertit, ob cauſſam prope ſimilem. Quid igitur petunt? Regem, qualem vicinæ gentes habebant, qui domi judex, foris imperator eſſet. Erant autem revera Tyranni. Nam, ut Aſiæ populi magis ſervili animo ſunt, quam Europæi, ita Tyrannorum imperiis facilius parebant, neque uſquam, quod ſciam, ab hiſtoricis mentio fit legitimi Regis in Aſia. Præterea, Tyrannum, non Regem, hîc deſcribi, vel ex eo facile apparet, quod in Deuteronomio formulam eis ante præſcripſerat, non modo ab hac diverſam, ſed etiam plane adverſam: ex qua formula Samuel cæterique judices tot annos jus dixerant: quam cum rejicerent, Dominus ſe rejectum ab eis conqueritur.

M. At non Tyrannum, ſed Regem, Dominus eum ubique vocat.

LXII. *B.* Vocat quidem Regem: nam Domino peculiare eſt, quoties alloquitur populum, populari uti ſermone. Itaque vocabulo utitur cum vulgo communi, ſed ne quem ambiguus ejus uſus deciperet, hîc diſerte exponit, quis eſſet ejus vocabuli uſus apud gentes vicinas.

M. Iſta ut vera ſint, illa tamen Pauli propius nos urgent, qui pro ſalute Principum nos jubet orare: tantum abeſt ut detrectare imperium, multo minus detrahere de ſolio, detractoſve trucidare, permittat. At quos Principes

commendat ille noſtris precibus? omnium, qui unquam fuerunt, crudeliſſimos, Tiberios, Caligulas, Claudios, Nerones: nam iis fere æquales ſunt Pauli Epiſtolæ.

LXIII. *B.* Quod auctoritatis tantum in Paulo eſſe ſtatuas, ut apud te omnium Philoſophorum & jureconſultorum ſcriptis una ejus ſententia præponderet, recte mihi facere videris. Sed vide ut ſatis ejus ſententias expenderis: non enim verba ſolum examinare oportet, ſed quibus temporibus, ad quos, & cur ſcripſerit. Primum igitur videamus, quid Paulus ſcripſerit. Scribit enim ad *Titum*, *cap.* III. *Admone, Principibus & poteſtatibus ſubditos dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* Vides, opinor, quos hîc parendi conſtituat fines. Idem ad *Timotheum*, *cap.* II. ſcribit, *Ut oremus pro omnibus, etiam pro Regibus & cæteris magiſtratibus; ut*, inquit, *tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Vides & hîc quem orandi finem ſtatuat: nempe non ſalutem Regum, ſed Eccleſiæ tranquillitatem: ex quo non erit difficile orationis quoque formam concipere. In *Epiſt.* autem ad *Rom.* Regem etiam definit prope ad dialecticam ſubtilitatem: *Eſſe* enim, ait, *miniſtrum, cui gladius a Deo ſit traditus, ut malos puniat, ac bonos foveat & ſublevet. Non* enim *de Tyranno*, inquit Chryſoſtomus, *hæc a Paulo ſcribuntur, ſed de vero & legitimo magiſtratu, qui veri Dei vices in terris gerit: cui qui reſiſtit, certe Dei ordinationi reſiſtit.* Sed nec ſtatim, ſi pro malis Principibus eſt orandum, hinc colligere debemus, eorum vitia non eſſe punienda; non magis certe quam latronum, pro quibus etiam orare jubemur: nec ſi bono Principi parendum eſt, ideo malo non erit reſiſtendum. Quod ſi etiam cauſſam, quæ Paulum ad hæc ſcribenda impulerit, reſpicias, vide ne vehementer hic locus contra te faciat. Scripſit enim hæc, ut quorundam temeritatem caſtigaret, qui negabant imperia magiſtratuum Chriſtianis eſſe neceſſaria. Nam, cum poteſtas magiſtratuum adverſus malos ſit comparata, ut omnes æquo jure viveremus, & exemplum juſtitiæ divinæ inter homines remaneret, nullum ejus uſum eſſe contendebant, inter homines adeo a vitiorum contagio alienos, ut ipſi ſibi lex eſſent. Non igitur hîc Paulus de iis, qui magiſtratum gerunt, agit, ſed de ipſo magiſtratu, hoc eſt, de functione & officio eorum, qui aliis præſunt: nec de uno aut altero genere magiſtratus, ſed de omni legitimi magiſtratus forma: nec ei contentio eſt cum eis, qui malos magiſtratus coërcendos putant, ſed cum hominibus omne magiſtratus imperium detrectantibus: qui libertatem Chriſtianam abſurde interpretantes, affirmabant indignum eſſe, ut qui a Dei Filio eſſent emancipati, a Dei Spiritu regerentur, ſub ullius hominis poteſtate eſſent. Eorum errorem Paulus ut refelleret, oſtendit magiſtratum rem eſſe non modo bonam, ſed etiam ſacram, nempe Dei ordinationem; & ad id inſtitutum, ut hominum cœtus & civitates ita continerentur, ut & Dei beneficia in ſe agnoſcerent, & alii ab aliis injuriam abſtinerent. Qui in honore conſtituti eſſent, Deus legum ſuarum juſſit eſſe cuſtodes.

LXIV. Quod ſi leges (ut ſunt) bonas eſſe fateamur, & cuſtodes earum honore dignos, & cuſtodum munus rem bonam & utilem fateri cogemur.

At

At terribilis eſt magiſtratus: quibus tandem? boniſne, an malis? Bonis terrori non eſt, ut qui ab injuria eos tueatur: ſin malis eſt terrori, nihil ad te, qui Spiritu Dei regeris. Quid ergo mihi opus, ut magiſtratui ſim ſubjectus, inquies, ſi Domini ſum libertus? Imo, ut te Domini libertum probes, pare ejus legibus: Spiritus enim Domini, a quo te regi jactas, idem & legum eſt lator, & magiſtratuum probator, & parendi magiſtratibus auctor. Igitur & in hac parte facile inter nos conveniet, magiſtratu in optimis etiam civitatibus opus eſſe, eumque omni honoris genere proſequendum. Quod ſi quis contra, ſentiat, eum inſanum, inteſtabilem, atque omni ſupplicio dignum, exiſtimamus: repugnat enim aperte Dei voluntati per Scripturas nobis revelatæ. Quod autem ad Caligulam, Neronem, Domitianum, & reliquos ejus generis Tyrannos, attinet, cur violati juris divini & humani pœnæ non debeant exigi, nihil hîc apud Paulum habes, qui de ipſa magiſtratuum poteſtate, non de malis, male poteſtatem eam gerentibus, diſſerat: Nec, ſi ad Pauli regulam id genus Tyrannorum examines, omnino magiſtratus erunt. Quod ſi quis contendat, malos etiam Principes eſſe a Deo ordinatos, vide ne captioſa ſit hæc oratio. Deus enim, ut malo nodo malum (quod ajunt) cuneum adhiberet, malum hominem malis puniendis interim præficit: ſed humanæ malitiæ Deum auctorem eſſe, nemo ſanus audebit affirmare: quemadmodum animadvertendi in malos eundem eſſe auctorem nemo ignorat. Magiſtratus quoque bonus fere malum hominem eligit, qui ſit carnifex in pœnis noxiorum repetendis. Hunc quidem carnificem etſi magiſtratus ad id munus aſſumit, non protinus ei impunitas omnium ſcelerum tribuitur; nec ſuperiorem eſſe vult, quam ut legibus interrogari poſſit.

LXV. Non commorabor diutius in hac ſimilitudine, ne adulatores aulici parum honorifice me de magiſtratu ſummo loqui clament. Sed utcunque clamabunt, certe illud negare non poſſunt, carnificis functionem partem eſſe muneris publici, ac fortaſſe etiam Regii, vel ipſorum Regum teſtimonio: qui, quoties aliquis e miniſtris publicis violatur, ſe ſuamque majeſtatem atque corpus violari querantur. Pœna autem ſceleratorum, ut ſi quid aliud, ad munus Regium ſpectat. Quid præfecti urbium? quid caſtrorum? quid Prætores? quid ipſi Conſules? iiſne etiam Paulus nos ſubditos eſſe jubet? an pro privatis habet? At ab omnibus non modo minoribus magiſtratibus, ſed ab eis etiam, qui ſunt Regibus æquales, ratio male obiti imperii ſolet exigi. Velim ergo, qui ex Pauli verbis tantam Regibus poteſtatem datam ſomniant, aut oſtendant, ex eodem Paulo, ſolos Reges poteſtatis nomine hîc accipiendos, ideoque ſolos legum pœnis eximendos: aut ſi, cum poteſtates dicimus, intelligantur etiam alii magiſtratus, ab eodem auctore Deo in eundem uſum inſtituti, illud quoque velim oſtendant, ubi omnes magiſtratus legibus ſoluti, & a pœnarum metu liberi pronuncientur; aut ſolis Regibus iſta immunitas ſit conceſſa, cæteris, qui in poteſtate conſtituti ſunt, negata.

M. At poteſtatibus ſublimioribus omnes vult eſſe ſubditos.

B. Jubet quidem: ſed iſto nomine *poteſtatis* neceſſe eſt ut & cæteros magi-

gi-

giſtratus comprehendat, niſi forte Paulum credamus exiſtimare, in civitatibus, quæ Regio careant imperio, nullam poteſtatem, ſed plane ἀναρχίαν eſſe.

M. Iſtud ego neque credo, nec eſt veriſimile: eoque magis in hac ſum ſententia, quod omnium hujus loci interpretum doctiorum conſenſus tecum facit, qui iſtam Pauli diſputationem adverſus eos inſtitutam putant, qui omnes prorſus leges & magiſtratus nihil ad ſe pertinere contendebant.

B. Quid autem illud, quod nuper dixi? credisne Tyrannos illos omnium ſæviſſimos ad Pauli formulam pertinere?

M. Imo: quid tu affers, cur id non credam? præſertim cum Hieremias tam ſollicite moneat Judæos, idque divinitus, ut Regi Aſſyriorum pareant, nec ulla ratione imperium ejus rejiciant. Atque inde colligunt pari ratione cæteris quoque Tyrannis, quantumvis immanibus, eſſe parendum.

LXVI. *B.* Ut prius ad id quod poſterius a te poſitum eſt, reſpondeam, illud oportet animadvertas, Prophetam non jubere, ut omnibus Tyrannis pareant Judæi, ſed uni Aſſyriorum Regi. Quod ſi tu, ex eo quod uni ſingulariter juſſum eſt, legis formulam colligere velis, primum, non ignoras, (docuit id te enim dialectica) quam abſurde ſis facturus: deinde, periculum tibi erit, ne paribus te armis oppugnatores tyrannidis aggrediantur. Nam, aut oportet oſtendas, quid ſit in hac re ſingulare, cur eam omnibus ubique imitandam proponas: aut, ſi id non potes, confitendum erit, ex aliis ſingularibus Dei mandatis, quicquid de uno aliquo ſit juſſum, id ad omnes ex æquo pertinere. Hoc ſi ſemel (quod tibi neceſſe erit) admiſeris, ſtatim tibi objicietur, Dei quoque juſſu Achab occiſum: præmium quoque divinitus interfectori & promiſſum & præſtitum. Itaque, ubi tu eo refugies, omnibus Tyrannis ideo parendum, quia Deus per Prophetam juſſerit populum ſuum uni Tyranno parere, ſtatim tibi occinetur, omnes Tyrannos etiam a ſuis occidi debere, quia Achab juſſu divino a copiarum ſuarum præfecto ſit interfectus Igitur te admoneo, ut firmius aliquod propugnaculum Tyrannis e Scriptura pares; aut, ea in præſentia relicta, ad Philoſophorum ſcholam revertaris.

M. De iſto quidem cogitabo. Sed interim, unde ſumus digreſſi, eo redeamus: quid tandem e Scripturis profers, cur liceat Tyrannos impune occidere?

LXVII. *B.* Primum, id affero, quod, cum diſerte præceptum ſit de ſcelere & ſceleratis e medio tollendis, ſine ulla exceptione gradus aut ordinis, nuſquam tamen in ſacris literis Tyrannis, quam privatis, magis eſt cautum. Deinde, quod definitio poteſtatis a Paulo tradita ad Tyrannos nihil omnino pertineat, quippe qui imperii vim accommodent, non ad populi utilitatem, ſed ad ſuas libidines explendas. Præterea animadvertendum diligenter, quantum Paulus tribuerit Epiſcopis, quorum functionem miris & veris laudibus afficit, ut qui quodammodo Regibus compoſiti ex adverſo reſpondent, quatenus materiæ utrique ſubſtratæ natura patitur. Sunt enim alteri internorum, alteri externorum morborum medici: neque tamen alte-

ros

ros ab alterorum imperio ſolutos & liberos eſſe voluit. Sed, quemadmodum Epiſcopi in civili communione vitæ exercenda ſunt Regibus ſubditi, ita & Reges Epiſcoporum ſpiritualibus admonitionibus parere debent. Horum autem Epiſcoporum, dico, cum tanta ſit amplitudo & dignitas, eos neque lex ulla divina aut humana ſcelerum pœnis eximit. Et, ut cæteros omittamus, Papa ipſe, qui quaſi Epiſcoporum Epiſcopus habetur, qui ita ſuper Regum omnium faſtigium aſſurgit, ut deus quiſpiam inter homines haberi velit, nec a ſuis quidem Canoniſtis, genere hominum ei addictiſſimo, legum pœnis eximitur. Nam, cum abſurdum exiſtimarent, deum (non enim dubitant hoc nomine eum appellare) hominum animadverſioni eſſe obnoxium, & injuſtum putarent, maxima ſcelera & fœdiſſima flagitia cuiquam impunita fore, rationem excogitarunt, qua & ſcelera plecterentur, & Papa tamen ſacroſanctus & inviolatus haberetur. Aliud enim Papæ, aliud ejus hominis, qui Papa eſſet, jus exiſtimabant: & cum Papam, quem errare poſſe negant, legum cognitioni eximant, eum tamen hominem, qui eſt Papa, vitiis & vitiorum pœnis obnoxium eſſe fatentur, neque magis diſſerendi ſubtilitate, quam animadvertendi ſeveritate, ſuam ſententiam declararunt.

LXVIII. Longum eſſet explicare, qui Pontifices, ſive (ut eorum more loquar) qui homines, qui Pontificum perſonam geſſerint, non modo vivi magiſtratum ejerare ſint coacti, ſed mortui etiam ſepulchris eruti, & in Tiberim projecti ſint. Sed, ut vetera omittam, *Pauli Quarti* memoria recens in animis adhuc hæret: in hunc odium publicum ſua Roma novi generis decreto nuper teſtata eſt. Iram enim, cui ille erat ereptus, in propinquos, in ſtatuas, in pictas ejus imagines, exercuit. Nec debet hæc interpretatio ſubtilior tibi videri, qua poteſtatem ab eo, qui præeſt, ſeparamus, quam & Philoſophia agnoſcit, & veteres interpretes probant, nec vulgus illud ineruditum & a diſputandi ſubtilitate alienum ignorat. Neque enim [1] opifices ſellularii in ſuæ artis probrum factum accipiunt, ſi quis vel faber vel piſtor ob latrocinium pœnas luit; ſed gaudent potius collegium ſuum facinoroſis hominibus eſſe purgatum. Quod ſi quis contra ſentiat, verendum reor, ne potius hominum pœna, quibus conſcientia ſcelerum eſt conjunctus, quam collegii infamia, dolere videatur. Neque Reges, opinor, ſi ſeorſum a facinoroſis & adulatoribus conſilia caperent, ſuamque magnitudinem non potius virtutum officiis, quam impunitate ſcelerum, metirentur, [2] ægre ferrent Tyrannorum ſupplicia, aut ex eorum qualicunque interitu majeſtatem Regiam imminui exiſtimarent: quin repurgatam potius a turpiſſimæ labe fœditatis eam gauderent: præſertim cum latronibus vehementiſſime, idque optimo jure, ſoleant iraſci, ſi qui Regium nomen ſuis maleficiis prætendunt. *M.* Nec

1 *Opifices ſellularii*] *i.e.* qui ſedentes in *ſellulis* opus faciunt. Liv. lib. VIII. cap. 20. *Quin opificum quoque vulgus & ſellularii, minime militiæ idoneum genus, exciti dicuntur.*

2 *Ægre ferrent tyrannorum ſupplicia*] Libris omnibus ſcriptum eſt [*nec ægre ferrent;*] nos vero particulam *nec*, utpote ſuperfluam, ejecimus.

M. Nec injuria certe. Sed, his jam omiſſis, velim ad cætera capita, quæ a te propoſita ſunt, pergas.

B. Quæ tandem capita dicis?

M. Nempe, quibus temporibus, & ad quos, Paulus iſta ſcripſerit. Aveo enim ſcire quid iſta cognitio ad præſens argumentum faciat.

LXIX. *B.* Mos hîc quoque tibi geretur. Ac primum, ut de tempore agam, ſcripſit hæc Paulus in ipſa naſcentis Eccleſiæ infantia, quibus temporibus [1] non ſolum crimine vacare, ſed injuſtas etiam criminandi cauſſas quærentibus locum maledicendi neminem dare oportebat. Deinde, ad homines ſcripſit, e diverſis gentibus, atque adeo e toto Romani imperii corpore, in unum cœtum collectos. In iis autem pauci erant opibus inſignes: qui magiſtratum gererent, aut geſſiſſent, prope nemo: qui inter cives cenſerentur, non adeo multi, & hi fere inquilini, aut etiam magna ex parte libertinæ conditionis: cæteri fere opifices & ſervi. In his non deerant, qui libertatem Chriſtianam latius protenderent, quam Evangelii ſimplicitas pateretur. Hæc igitur multitudo e promiſcua plebis turba, quæ magno labore tenuem victum quærebat, non tam ſollicita eſſe debebat de Reipublicæ ſtatu, de imperii majeſtate, de Regum vita & officiis, quam de tranquillitate publica & otio domeſtico: neque jure amplius ſibi vindicare poterat, quam ut ſub imperii qualiſcunque umbra lateret. Ea, ſi quam publicæ adminiſtrationis partem capeſſere tentaſſet, non modo ſtulta, ſed [2] inſana prorſus exiſtimari debebat: nedum e latebris ſuis prodiret, & rerum gubernacula tenentibus negotium faceſſeret. Compeſcenda etiam erat luxuries immatura, Chriſtianæ libertatis incommoda interpres. Quid igitur [3] Paulus ad eos ſcribit? Nullum procul dubio novum præceptum, ſed illa tantum vulgata, ut cives magiſtratibus, ſervi dominis, viris uxores, parerent: neque exiſtimarent jugum Domini, quamlibet leve, nos officiorum vinculis liberare: ſed animo quam antea intentiore nos eſſe debere, ut per omnes officiorum gradus nihil omitteremus, quod ad hominum benevolentiam [4] honeſtis artibus [5] comparandum facere poſſet. Ita demum futurum, ut nomen Dei propter nos inter gentes bene audiret, & glo-

1 *Non ſolum crimine vacare, ſ. i e. c. c. q. l. m. neminem dare oportebat*] Priore ſententiæ parte ſubaudiendum *omnes, Chriſtianos*, aut ſimile aliquod vocabulum: nam ſi [*neminem*] poſteriore parte poſitum huc referas, ſenſum Buchanano affinges ab ipſius animo atque rei veritate juxta alieniſſimum.

2 *Inſana prorſus*] Voculam [*prorſus*,] quæ libris omnibus præter unum Edimb. abeſt, ſuo loco reſtituimus.

3 *Paulus ad eos ſcribit*] Has quoque voces [*ad eos*] ab aliis omnibus omiſſas, e prima Edit. Edimb. repoſuimus.

4 *Honeſtis artibus*] Hæ voces poſteriorum itidem editorum negligentia deperditæ, e principe libro Edimb. revocantur.

5 *Comparandum*] Ita prima Edimb. & Genev. quod quamvis minus frequens, non tamen a recentioribus in [*comparandam*] mutari debebat: hoc enim pacto, ſi ſibi conſtare voluiſſent, infr. cap. LXXVI. *ad victoriam bello parandam* ſcriptum oportebat, quod tamen a nemine, præter unum Moſmannum anno 1700, eſt factum. Ita Cap. LXXXIX. *ad rem ſuſcipiendum*, & ibidem *ad abſolvendum hunc diſputationem*, conſentientibus omnibus libris. [Mox capit. LXXIV. *ad coërcendum injuſtas regum libidines.*]

gloria Evangelii latius propagaretur. Ad hæc præſtanda pace publica erat opus, cujus cuſtodes erant Principes & magiſtratus, etſi mali.

LXX. Viſne hujus rei manifeſtam ante oculos tibi ponam imaginem? Finge, ad Chriſtianos, qui ſub Turcis vivunt, aliquem e noſtris doctoribus ſcribere, ad homines, inquam, re tenues, animo demiſſos, & inermes, & paucos, & ad omnem omnium injuriam expoſitos: quid, rogo, aliud conſuleret, quam quod Paulus Eccleſiæ quæ tum Romæ erat, quam quod Hieremias in Aſſyria exulantibus, conſulebat? illud autem certiſſimum eſt argumentum, quod Paulus eorum hominum, ad quos tum ſcribebat, non autem univerſorum civium, rationem habebat, quod, cum maritorum erga uxores, uxorum erga maritos, parentum in liberos, liberorum erga parentes, ſervorum in dominos, dominorum in ſervos, mutua diligenter perſequatur officia, quod ſit magiſtratus officium etſi ſcribat, non tamen eos nominatim (quemadmodum in ſuperioribus ab eo factum eſt) compellat. Quam ob cauſſam nulla eum ad Reges magiſtratuſque alios dediſſe præcepta putabimus? præſertim cum eorum libido multo magis eſſet legum vinculis conſtringenda, quam privatorum? quam aliam cauſſam arbitremur, quam quod nulli tum eſſent in Eccleſia Reges & magiſtratus ad quos ſcriberet? Finge Paulum his temporibus vivere, quibus non modo populus, ſed Principes etiam Chriſtianum nomen profitentur. Sit eodem tempore Princeps aliquis, qui non modo leges humanas, ſed etiam divinas ſuæ libidini cenſeat obnoxias eſſe debere: qui ſua non modo decreta, ſed etiam nutus, pro legibus haberi velit: qui, ut inquit ille in Evangelio, *Neque Deum timeat, neque revereatur homines:* qui Eccleſiarum proventus ſcurris & balatronibus, ne quid nequius dicam, dividat: qui ſincerioris religionis cultores irrideat, & pro ſtolidis & inſanis habeat: quid de his Paulus ad Eccleſiam ſcriberet? Si ſibi conſentire volet, eum ſe pro magiſtratu habiturum negabit: Chriſtianis omnibus interdicet, ne convictu, ne colloquio, ne conſuetudine ejus utantur, civilium legum pœnas civibus relinquet: nec præter officium eos facere exiſtimabit, ſi, cum quo lege divina nullum eſt ipſis commercium, eum ne ſuum eſſe Regem arbitrentur.

LXXI. At non deerit ex aulica ſervitute, qui, quando perfugium honeſtum non ſuppetet, eo impudentiæ perveniat, ut dicat, Deum populis iratum Tyrannos immittere: quos velut ad pœnas expetendas carnifices conſtituat. Quod ut verum fatear, tamen illud æque verum eſt, Deum plerumque de plebe infima homines tenues & prope ignotos excitare tyrannicæ ſuperbiæ & impotentiæ ultores. Deus enim (uti ante dictum eſt) malum e medio tolli jubet: neque ordinem, aut ſexum, aut conditionem, ac ne hominem quidem, excipit. Neque enim acceptiores illi ſunt Reges, quam mendici. Itaque vere aſſeverare poſſumus, Deum, omnium ex æquo patrem, cujus providentiam nihil latet, potentiæ nihil reſiſtit, nullum ſcelus impune relicturum. Porro, exiſtet alius, qui poſcet, e literis ſacratioribus, exemplum Regis a civibus puniti: quod ſi proferre non poſſem, non protinus effectum erit, ut quod illic factum non legamus, id pro ſceleſto ac nefario confeſtim habeatur. Poſſum, apud multas nationes, plurimas ac ſaluberrimas

recenſere leges, quarum in ſacris libris nullum eſt exemplum. Nam, ut omnium nationum conſenſus approbavit, ut quæ lex jubet, juſta; quæ vetat, injuſta, habeantur, ita nulla unquam hominum memoria vetitum eſt, ut quod legibus non contineretur, id ne omnino fieret. Servitus enim iſta nec unquam recepta eſt, nec rerum natura tam fœcunda novorum exemplorum eam recipi patietur, ut quicquid lege aliqua juſſum non ſit, aut illuſtri exemplo proditum, pro nefario & ſcelarato ſit habendum. Itaque, ſi quis ex me requirat exemplum e ſacrorum voluminum libris, ubi malorum Regum pœna probetur, ego viciſſim ab illo petam, ubi reprehendatur. Quod ſi nihil ſine exemplo geri placet, quota civilium inſtitutorum pars nobis reſtabit? quota item legum? Maxima enim earum pars non ex veteri exemplo eſt deſumta, ſed adverſus novas & ſine exemplo fraudes ſancita.

LXXII. Sed jam plura quam neceſſe erat, exemplorum poſtulatoribus reſpondimus. Quod ſi Judæorum Reges a civibus puniti non ſunt, hi non magnopere ad noſtrum inſtitutum faciunt. Non enim ab initio a civibus creati, ſed a Deo illis dati fuerunt. Itaque optimo jure, qui honoris eis erat auctor, idem & pœnarum fuit exactor. Nos autem id contendimus, populum, a quo Reges noſtri habent quicquid juris ſibi vindicant, Regibus eſſe potentiorem: juſque idem in eos habere multitudinem, quod illi in ſingulos e multitudine habent. [1] Omnia aliarum gentium, quæ ſub legitimis Regibus degunt, jura nobiſcum faciunt: omnes nationes, quæ Regibus a ſe electis parent, hoc communiter ſentiunt, quicquid juris alicui populus dederit, idem eum juſtis de cauſſis poſſe repoſcere. Hoc civitates omnes ſemper jus retinuerunt. Itaque Lentulus, quod cum Catilina de evertenda Republica conjuraſſet, ſe prætura coactus eſt abdicare, & Decemviri, legum Romanarum conditores, cum in ſummo magiſtratu eſſent, in ordinem ſunt redacti: & Venetorum Duces aliquot, & *Chilpericus* Rex Francorum, depoſitis imperii inſignibus, in monaſteriis privati conſenuerunt: & non adeo pridem, *Chriſtiernus* Cimbrorum Rex, poſt viceſimum fere annum, quam exutus eſt regno, in cuſtodia vitam finivit. Sed ne dictatura quidem (quod tyrannidis erat genus) non in populi poteſtate erat. Semperque id jus obſervatum eſt, ut beneficia publica male collocata repeti, & libertas (cui jura maxime favent) libertis ingratis adimi poſſet. Hæc de exteris nationibus hactenus dicta ſint, ne ſoli videamur jus novum adverſus noſtros Reges uſurpaſſe. Quod autem ad nos proprie pertinet, res paucis verbis tranſigi poterat.

M. Quo pacto? hoc enim libens audire cupio.

LXXIII. *B.* Poſſem enumerare duodecim, aut etiam amplius, Reges, qui, ob ſcelera & flagitia, aut in perpetuos carceres ſunt damnati, aut exilio vel morte voluntaria juſtas ſcelerum pœnas fugerunt. Sed, ne quis vetera & obſoleta me referre cauſſetur, ſi *Culenos*, *Evenos* & *Ferchardos* commemorem, e patrum noſtrorum memoria paucos proferam. *Jacobum Tertium* omnes Or-

1 *Omnia aliarum gentium*] Ita princeps editio Edimb. quod aliæ omnes in [*alienarum gentium*] inepte mutarunt.

Ordines jure cæſum in conventu publico judicarunt, ob ſummam erga ſuos crudelitatem & flagitioſam turpitudinem: caveruntque in poſterum, ne cuiquam eorum, qui coierunt, conſenſerunt, pecuniam operamve contulerunt, ea res fraudi eſſet. Quod igitur re geſta recte atque ordine factum judicarunt, non eſt dubium quin ad exemplum in poſterum proponi voluerint: nihilo certe minus, quam L. Quinctius, qui Servilium Ahalam laudavit pro tribunali, quod Sp. Mælium, tergiverſantem & renuentem in jus venire, in foro trucidaviſſet: nec civili ſanguine pollutum, ſed Tyranni cæde nobilitatum, ille cum exiſtimavit, & univerſa poſterorum ſeries affirmavit. Qui civis affectantis tyrannidem cædem probavit, quid putas eum de Tyranno, in civium bonis latrocinium, in ſanguine carnificinam, exercente, facturum fuiſſe? Quid noſtri homines? nonne, qui facinus perpetratum ſunt publico decreto impunitate proſecuti, de eo, ſi quando poſterius acciderit, legem ſtatuiſſe tibi videntur? Nihil enim ad ſummam intereſt, de eo quod factum eſt judices, an de futuro ſtatuas: utroque enim modo de facinoris genere, & auctoris pœna vel præmio, judicatur.

M. Iſta fortaſſe apud noſtros homines valebunt: foris autem neſcio quomodo aliæ gentes hæc acceptura ſint. Illis mihi ſatisfaciendum vides: non ut in judicio de crimine, ſed in publica luce de fama, nec mea, (qui a ſuſpicione procul abſum) ſed civium meorum. Vereor enim, ne decreta, quibus te ſatis protectum putas, magis culpaturæ ſint exteræ nationes, quam facinus ipſum plenum atrocitatis & invidiæ. De exemplis vero quæ propoſuiſti, ſcis, ni fallor, quid pro cujuſque ingenio & judicio in utramque partem dici ſoleat. Velim igitur, (quoniam cætera non tam ex hominum decretis, quam e naturæ fontibus, mihi viſus es expediſſe) ſi quid habes, quod pro legis iſtius æquitate dicas, paucis exponas.

LXXIV. *B.* Etſi hoc iniquum videri poteſt, pro lege, a primis uſque temporibus regni Scotici, tot ſeculorum uſu probata, populo neceſſaria, Regibus nec iniqua, nec parum honeſta, nunc demum παρανομίας accuſata, cauſſam dicere apud exteros, tua tamen cauſſa id experiar. Ac, tanquam cum illis ipſis, qui tibi negotium faceſſere volent, agerem, primum, illud rogo, quid eſt, quod hîc reprehenſione dignum arbitramini? cauſſamne cur quæſita eſt, an legem ipſam? quæſita eſt enim ad coërcendum injuſtas Regum libidines. Hoc qui damnat, eadem opera omnes omnium gentium leges damnet oportet, eandem enim ob cauſſam omnes expetitæ ſunt. An legem ipſam reprehenditis, Regeſque ſolvi legibus æquum exiſtimatis? id quoque an expediat videamus. Ac populo quidem ut non expedire probem, non multis opus eſt verbis. Nam, ſi recte ſuperiore ſermone medico Regem comparavimus ut non expedit populo, impunitatem quem velit occidendi medico permitti, ita nec publice eſt utile, in omnes promiſcuam graſſandi licentiam Regibus donari. Populo igitur, cujus eſt in legibus ferundis ſumma poteſtas, non eſt quod ſuccenſeamus, ſi, quemadmodum Regem bonum ſibi, ita Regi non optimo legem præeſſe velit. Quod ſi Regi hæc lex non ſit utilis, videamus an agi cum populo debeat, ut aliquid de ſuo remittat jure, & de ea abrogan-

ganda non in trinundinum, ſed, more noſtro, in quadrageſimum diem indicamus comitia. Interim, ut de eadem hîc inter nos diſſeramus, dic mihi, Qui inſanum vinculis liberat, commodumne inſanientis tibi reſpicere videtur.

M. Minime.

B. Quid, qui febre laboranti, ita ut non multum abſit ab inſania, frigidam aſſidue [1] petenti det? eumne bene mereri de ægrotante putas?

M. At ego de ſanis Regibus loquor. Et recte valentibus medicina, & ſanis Regibus opus eſſe legibus nego. Tu vero Reges omnes malos videri vis, omnibus enim leges imponis.

LXXV. *B.* Minime quidem omnes: ſed nec [2] univerſum populum exiſtimo malum, & tamen lex univerſum una voce alloquitur. Eam autem vocem mali formidant; boni ad ſe nihil attinere putant. Ita nec Reges boni quod indignentur huic legi habent: & mali, ſi ſaperent, legiſlatori gratiam haberent, qui, quod ipſis inutile futurum intelligebat, id ne eis liceret, ſtatuit. Quod profecto facient, ſi ad ſanitatem aliquando redibunt: non ſecus ac morbo levati medico gratias agunt, quem, quod ægrotantium cupiditatibus non obſequeretur, oderant. Sin in ſua perſeverent Reges inſania, qui maxime eis obſequitur, is maxime judicandus eſt inimicus. In hoc genere ſunt adulatores, qui, dum eorum vitia blandiendo fovent, morbum augent, ac tandem una fere cum Regibus præcipites ruunt.

M. Negare certe non poſſum, quin tales Principes legum vinculis fuerint & ſint conſtringendi. Nullum enim monſtrum eſt violentius & magis peſtiferum homine, ubi (ut in poëtarum fabulis eſt) ſemel in belluam degeneraverit.

LXXVI. *B.* Hoc tu multo magis dicas, ſi animadverteris, quam multiplex animal ſit homo, & quam e variis monſtris compoſitum. Quam rem veteres poëtæ & acute perviderunt, & eleganter expreſſerunt, cum Promethea tradunt in homine fingendo e ſingulis animantibus aliquam particulam in eum contuliſſe. Omnium ſigillatim referre naturas infinitum eſſet: certe duo [3] monſtra teterrima in homine perſpicue apparent, ira & libido. At leges quid aliud agunt aut expetunt, quam ut hæc monſtra pareant rationi? utque, rationi dum non obtemperant, ea ſuarum juſſionum vinculis coërceant? Qui ſolvit igitur vinculis, ſive Regem, ſeu quemvis alium, non unum ille hominem ſolvit, ſed duo monſtra longe crudeliſſima adverſus rationem immittit, & ad legum clauſtra perfringenda armat: ut recte ac vere mihi dixiſſe videatur Ariſtoteles, *Qui legi pareat, eum Deo & legi parere; qui Regi, homini & belluæ.*

M. Etſi hæc ſatis concinne dici videantur, dupliciter a nobis erratum arbitror. Primum, quod poſtrema cum prioribus mihi non ſatis convenire vi-

1 *Petenti det*] An forte [*dat*,] ut ſupra lin. 4. *liberat.*

2 *Universum populum exiſtimo malum*] Genev. & Francof. *populo*, inepte.

3 *Monſtra teterrima*] Ita princeps editio Edimb. reliquæ vero omnes *deterrima.*

videantur. Deinde, quod, ut cætera nobis conſtent, nihil mihi profectum adhuc videtur ad ſummam noſtræ diſputationis. Superius enim conſenſimus, eandem Regis & legis vocem eſſe debere: hîc eum legibus facimus obnoxium. Hoc autem ut concedamus maxime verum eſſe, quid tandem hac concluſione promovimus? Quis enim Tyrannum e Rege factum in jus vocabit? Jus enim ſine viribus vereor ut per ſe ſatis ſit potens ad Regem ſui muneris oblitum coërcendum, aut invitum ad cauſſæ dictionem trahendum.

LXXVII. *B*. Vereor ut ſatis animadverteris, quæ de Regia poteſtate ſunt ſuperius diſputata. Nam ſi animadvertiſſes, facile intellexiſſes, iſta quæ modo recitaſti non eſſe inter ſe pugnantia. Id quo facilius accipias, primum mihi reſponde: Cum magiſtratus vel ſcriba præit verba præconi, nonne eadem eſt utriuſque vox? præconis, dico; & ſcribæ?

M. Eadem prorſus.

B. Uter tibi major videtur?

M. Qui verba præit.

B. Quid Rex edicti auctor?

M. Major utroque.

B. Ad hanc igitur imaginem componamus Regem, legem, & populum. Regis & legis eadem eſt vox. Uter auctoritatem habet ab altero? Rexne a lege, an lex a Rege?

M. Rex a lege.

B. Unde id colligis?

M. Quia non Rex legi, ſed lex Regi coërcendo quæſita eſt. Et a lege id ipſum habet, quod Rex eſt, nam abſque ea Tyrannus eſt.

B. Lex igitur Rege potentior eſt, ac velut rectrix & moderatrix & cupiditatum & actionum ejus.

M. Id jam conceſſum eſt.

B. Quid? populi & legis nonne eadem vox eſt?

M. Eadem.

B. Uter potentior, populus an lex?

M. Univerſus, opinor, populus.

B. Cur id opinaris?

M. Eſt enim velut parens, certe auctor, legis, ut qui eam, ubi viſum eſt, condere aut abrogare poteſt.

LXXVIII. *B*. Igitur, cum lex ſit Rege, populus lege potentior, videndum num ſit, ad quem Regem in jus vocemus. Hoc item excutiamus; quæ alterius cauſſa ſunt inſtituta, nonne ſunt minoris illis, quorum cauſſa quæſita ſunt?

M. Iſtud velim apertius.

B. Hac igitur ſequere. Frenum non equi cauſſa comparatum eſt?

M. Equi ſcilicet.

B. Quid ephippia, phaleræ, calcaria?

M. Eadem cauſſa.

B. Equus

B. Equus autem ſi nullus eſſet, harum rerum foret uſus

M. Nullus.

B. Equus igitur omnibus his præſtantior eſt.

M. Quidni?

B. Quid equus? in quem uſum expetitur?

M. In plurimos; in primis autem ad [1] victoriam bello parandum.

B. Pluris igitur victoriam equis, armis, cæteriſque rebus quæ in uſum belli parantur, æſtimamus.

M. Pluris profecto.

B. In Rege creando quid potiſſimum ſpectarunt homines?

M. Populi, ut opinor, utilitatem.

B. Quod ſi nullus hominum cœtus eſſet, Regibus non foret opus?

M. Nihil prorſus.

B. Populus igitur Rege præſtantior.

M. Neceſſe eſt.

B. Si præſtantior eſt, etiam & major. Rex igitur cum ad populi judicium vocatur, minor ad majorem in jus vocatur.

M. At enim quando ſperabimus iſtam felicitatem, ut populus univerſus in id quod rectum eſt conſentiat?

B. Id quidem vix eſt ſperandum. Exſpectare certe neceſſe non eſt: alioqui neque lex ferri, nec magiſtratus creari poſſet: neque enim ulla fere lex ſatis æqua eſt omnibus: nec hominum fere quiſquam eſt ea populari gratia, ut neminem habeat aut inimicum aut invidum & obtrectatorem. Id modo quæritur, ut lex majori parti ſit utilis, & de candidato major pars bene ſentiant. [2] Quod ſi major populi pars legem jubere & magiſtratum creare poteſt, quid vetat quo minus & ipſe de magiſtratu judicare, & judices ei ferre queat? aut, ſi Tribuni plebis Romani, & Ephori Lacedæmonii, ad leniendam vim imperii ſunt quæſiti, iniquumne cuiquam videri debet, ſi liber populus, aut ſimili aut etiam diverſa ratione, in reprimenda tyrannidis acerbitate ſibi proſpexerit?

M. Hîc ego propemodum videre videor; quid populus poſſit; quid autem velit, aut ferat, difficile eſt judicare. Major enim pars fere vetera & conſueta requirit, a novitate abhorret: quod eo magis mirandum eſt, cum in cibis, veſtitu, ædificiis, totoque ſupellectilis inſtrumento, tanta ſit inconſtantia.

LXXIX. *B*. Noli putare hæc a me dicta eſſe, quod quicquam novi in hoc genere fieri velim, ſed ut oſtenderem id vetus fuiſſe, ut Rex apud judices cauſſam diceret: quod tu propemodum incredibile, nedum novum, credebas. Nam, ut omittam quoties id factum ſit apud majores, uti ante a nobis aliqua ex parte dictum eſt, & tute ex hiſtoria facile colligere potes, au-

1 *Victoriam bello parandum*] Vide ſupra ad Cap. LXIX. Not. 5.

2 *Quod ſi*] Ita cum prima Edimb. ſcripſimus, pro quo libris aliis irrepſit, *Quid ſi*.

audiſtine unquam, ab eis, qui de regno contenderent, itum eſſe ad arbitros?

M. Apud Perſas quidem id factum aliquando audivi.

B. Et noſtri ſcriptores idem a *Grimo* & *Milcolumbo Secando* factum narrant. Sed, ne id genus cognitorum a litigantibus ipſorum conſenſu aſſumi ſolere cauſſeris, ad judices ordinarios veniamus.

M. Hîc vereor ne propemodum idem facias, ac ſi quis in Oceano captandis balænis tendat retia.

B. Quamobrem vero?

M. Quia omnis prehenſio, coërcitio, animadverſio, potentioris eſt adverſus inferiores. Regem vero ad quos judices adeſſe jubebis? Ad eoſne, in quos ipſi ſumma judicandi eſt poteſtas? quos uno illo verbo, VETO, poſſit compeſcere?

B. Quid ſi major aliqua poteſtas reperiatur, cur id juris ſit in Reges, quod Regibus eſt in cæteros?

M. Audire iſtud cupio.

B. Hanc, ſi meminiſti, in populo diximus eſſe poteſtatem.

M. In univerſo quidem populo, aut in majore ejus parte. Illud etiam amplius tibi largior, in iis, in quos populus, aut major pars populi, eam poteſtatem tranſmiſerit.

B. Bene facis, qui me iſto labore leves.

M. Sed non ignoras, majorem multitudinis partem, vel metu, vel præmiis, vel ſpe largitionis & impunitatis, corrumpi, ut ſua commoda & voluptates, publicæ utilitati, atque etiam incolumitati, præferant: qui autem iis rebus non moveantur, non adeo multi ſunt:

Rari quippe boni: numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Omnis autem reliqua colluvies, ſanguine & rapinis ſaginata, ſuam libertatem habet venalem, alienæ invidet. Ut etiam eos prætercam, quibus malorum quoque Regum nomen eſt ſacroſanctum: omitto etiam illos, qui, etſi non ignorant quid liceat & æquum ſit, tamen honeſtis periculis quietam inertiam præferunt, & in eventus exſpectationem animo ſuſpenſi ſua conſilia componunt; aut fortunam partium, non cauſſam, ſequuntur. Hæc quanta ſit futura multitudo vides.

LXXX. *B.* Magna profecto: nec tamen maxima. Nam Tyrannorum injuriæ ad multos, beneficia ad paucos pertinere poſſunt. Cupiditas enim vulgi inexplebilis, velut ignis adjecta materia vehementius accenditur: quod vero a multis aufertur per vim, paucorum magis alit famem, quam ſatiat libidinem. Deinde talium fere hominum fluxa eſt,

Et cum fortuna ſtatque caditque fides.

Quod ſi etiam in ſententia maxime perſtarent, tamen in civium numero non eſſent habendi: violatores enim ſunt humanæ ſocietatis, aut certe proditores: quod vitium ſi in Rege ferendum non eſt, multo minus in privato eſt tolerabile. Qui igitur cives habendi ſunt? Qui legibus parent, ſocietatem

hominum tuentur, qui labores omnes, omnia pericula, malunt pro ſuorum ſalute obire, quam in otio ab honeſtate ſejuncto per ignaviam conſeneſcere, qui non præſentes fructus, ſed æternitatis memoriam ante oculos propoſitam habent. Quod ſi quos timor & rerum ſuarum reſpectus a periculis revocat, tamen & facinoris præclari ſplendor, & virtutis pulchritudo, animos dejectos eriget: & qui auctores, qui duces eſſe non audebunt, comites fieri non recuſabunt. Itaque, ſi cives non e numero, ſed dignitate, cenſeantur, non ſolum pars melior, ſed etiam major, pro libertate, pro honeſto, pro incolumitate, ſtabit. Quod ſi etiam tota plebs diſſentiat, nihil iſtud ad præſentem diſputationem facit: nos enim hîc quid futurum ſit, ſed quid jure fieri poſſit, quærimus. Sed jam ad ordinaria judicia veniamus.

M. Iſtud jamdudum exſpecto.

LXXXI. *B.* Si privatus quiſpiam prædium, aut agri ſui partem, contra quam æquum eſt a Rege teneri contendat, quid hîc privato faciendum cenſes? cedetne agro, quoniam Regi judicem ferre non poterit?

M. Minime. Sed non Regem, ſed procuratorem ejus adeſſe jubebit.

B. Jam iſtud perfugium, quo tu uteris, quam vim habeat vide. Mea enim nihil refert, an ipſe Rex aderit, an ejus procurator; utroque enim modo Regis periculo litigabitur: ei, non procuratori, ex eventu judicii damnum aut lucrum accedet. Ipſe denique reus eſt, id eſt, is cujus res agitur. Nunc tu velim conſideres, quam non modo ſit abſurdum, ſed etiam iniquum, de prædiolo, de luminibus, de ſtillicidiis, adverſus Regem judicium dari; parricidii, veneficii, perduellionis, nullum eſſe judicium: in minoribus rebus ſeveritate juris uti, in maximis flagitiis ſummam licentiam & impunitatem permitti: ut plane verum eſſe videatur antiquum illud, *Leges aranearum telis eſſe perſimiles, quæ muſcas detineant, animalia majora tranſmittant.* Neque juſta eſt illa quorundam querela & indignatio, qui dicunt, neque honeſtum nec æquum eſſe, ut de Rege ab inferioris ordinis homine pronuncietur, cum in lite de pecunia vel agro jam id videant receptum: & ſummi ſecundum Regem viri plerumque cauſſam dicant apud judices, neque divitiis, neque nobilitate, nec rebus geſtis, pares; ac neque adeo multum ſupra vulgus eminentes, longeque majore intervallo infra reos, quam ſupremi ordinis homines ſint infra Reges. Nec ea tamen re optimates illi ac viri primarii de ſua dignitate quicquam detractum exiſtimant. Quod ſi ſemel illud recipiamus, ut nemo apud judicem, niſi omnibus rebus ſuperiorem, ſiſti poſſit, exſpectandum erit tenuioribus, donec Regi aut libeat, aut otium ſit, ut de nobili reo cognoſcat.

LXXXII. Quid, quod iſtorum querela non modo injuſta ſed etiam falſa eſt? Nemo enim, qui ad judicem venit, ad inferiorem venit: præſertim cum tantus honos a Deo ipſo judicum ordini habeatur, ut eos non Reges modo, ſed etiam Deos vocet, ſuamque, quoad fieri poteſt, dignitatem cum eis communicet. Itaque Pontifices illi Romani, qui Regibus pedes ſuos gratioſe indulgebant oſculandos, qui advenientibus ad ſe mulas ſuas obviam

viam honoris cauſſa mittebant, qui pedibus Imperatorum cervices conculcabant, in jus vocati parebant, a judicibus coacti ſe magiſtratu abdicabant. *Joannes Viceſimus ſecundus*, e fuga retractus, etiam in carcerem conjectus, ac vix tandem pecunia liberatus, alium in ſuum locum ſurrogatum adoravit, atque illa adoratione judicum ſententiam approbavit. Quid Synodus Baſilienſis? nonne communi omnium Ordinum conſenſu ſtatuit atque ſanxit, Pontificem ſubjectum eſſe ſenatui ſacerdotum? Quibus autem rationibus, ut id facerent, patribus illis perſuaſum ſit, e conciliorum actis repetere potes. Reges igitur, qui Pontificum majeſtatem tanto ſupra ſe fatentur eminere, ut ſuæ celſitudinis faſtigio omnibus eis obumbret, neſcio quomodo in eo ſuæ dignitatis imminutionem poſitam cenſeant, quo Pontifex e tanto altiore ſolio deſcendere ſe non putavit indignum: ut videlicet cauſſam in concilio Cardinalium diceret. Quid, quod falſa eſt eorum querela, qui indignantur ſe ad inferioris tribunal ſiſti? Non enim in judiciis damnat & abſolvit, neſcio quis Titius, aut Sempronius, aut Stichus, ſed lex ipſa: cui ut Reges parerent, honorificum judicarunt clariſſimi Imperatores Theodoſius & Valentinianus. Eorum verba, quoniam digniſſima ſunt omnium ſeculorum memoria, hic apponam. *Digna* (inquiunt) *vox majeſtate regnantis, legibus ſe alligatum Principem fateri. Et revera imperio majus eſt ſubmittere legibus principatum: & oraculo præſentis edicti, quod licere alii non patimur, indicamus.* Hæc optimi Principes & ſenſerunt & ſanciverunt: neque peſſimi eadem non vident. Nero enim in morem citharœdorum cultus, non modo geſtus & motus eorum obſervaſſe dicitur, ſed etiam, cum in judicium eſt ventum, inter ſpem timoremque ſollicitus de victoria ſtetiſſe: etſi enim ſe victorem declaratum iri ſciret, tamen victoriam honeſtiorem fore exiſtimabat, ſi non adulatione judicantium, ſed legitimo certamine eſſet adeptus; legiſque obſervationem non ad imminutionem auctoritatis, ſed ad victoriæ ſplendorem facere opinabatur.

M. Non eſt, ut video, tam inſolens tua oratio, quam initio putaram; cum Reges parere legibus volebas: nititur enim non tam Philoſophorum, quam Regum, Imperatorum & conciliorum Eccleſiæ, auctoritate. Sed quod hic dicis non hominem ſed legem eſſe quæ judicet, non ſatis aſſequor.

LXXXIII. *B.* Revoca paullum ſuperiora in memoriam. Nonne Regis & legis eandem eſſe vocem diximus?

M. Factum.

B. Quid ſcribæ, & præconis, cum legem pronunciat?

M. Eadem.

B. Quid judicis, cum legem decreto ſuo prætexit?

M. Eadem.

B. Uter vero ab utro auctoritatem habet, judexne a lege, an lex a judice?

M. A lege judex.

B. Vis igitur ſententiæ a lege eſt, ſola vero verborum pronunciatio judicis.

 M. Vi-

M. Videtur.

B. Imo nihil certius: judicum enim ſententiæ ſecundum legem pronunciatæ ratæ ſunt, ſecus reſcinduntur.

M. Nihil verius.

B. Vides igitur, ex lege judici, non e judice legi, auctoritatem eſſe.

M. Video.

B. Nec pronunciantis humilitas dignitatem legis imminuit, ſed legum dignitas, ſive Rex, ſive judex, ſive præco, eam pronunciet, ſemper eſt eadem.

M. Prorſus.

B. Lex igitur ſemel ſancita primum vox eſt Regis, ac deinde aliorum.

M. Ita eſt.

B. Rex igitur cum a judice damnatur, [¹ *a*] lege damnari videtur.

M. Plane.

B. Si a lege, igitur ſua ipſius voce damnatur; ſiquidem eadem eſt legis & Regis vox.

M. Sua, ut videtur, non minus quam ſi literis ſua manu ſcriptis teneatur.

LXXXIV. *B.* Quid eſt ergo quod de judice tantopere laboramus, cum Regis ipſius confeſſionem, hoc eſt, legem, teneamus? Quin & hoc inſpiciamus, quod modo mihi venit in mentem; Rex cum in quavis cauſſa pro judice ſedet, nonne omnes alias perſonas deponere debet, fratris, patris, propinqui, amici, inimici? ſolamque judicis perſonam retinere?

M. Debet.

B. Ejuſque unius meminiſſe perſonæ quæ actionis propria eſt?

M. Vellem iſtud magis perſpicue diceres.

B. Adverte igitur: cum quis rem alienam clam involat, quid eum facere dicimus?

M. Furari, opinor.

B. Quod nomen ei damus ob hanc actionem?

M. Furis videlicet.

B. Quid aliena uxore qui utitur tanquam ſua?

M. Mœchari.

B. Quem eum vocabimus?

M. Mœchum.

B. Quid, qui judicat?

M. Judicem vocamus.

B. Cæteris quoque ad hunc modum, ab actionibus quas tum agunt, nomina recte dari poſſunt.

M. Poſſunt.

B. Rex igitur cum jus dicet, alios omnes perſonas exuet.

M. Exuet

1 *A lege*] Præpoſitionem [*a*] hic ſupplendam, invitis licet omnibus libris, tum res ipſa, quum alter poſt verſus oſtendit.

M. Exuet profecto: & eas maxime quæ in judicando alteri litigantium officere poſſunt.

B. Quid, de quo judicatur? quod ei nomen ab actione dabimus?

M. Reum vocare poſſumus.

B. Et is nonne æquum eſt ut perſonas, quæ judicio poſſunt officere, exuat?

M. Certe is etiam, ſi quas alias perſonas, quam rei, gerat, eæ tamen nihil ad judicem pertinent: cum ne pauperis quidem in judicando Deus rationem haberi velit.

B. Igitur, ſi quis, qui pictor eſt & grammaticus, judicio contendat de arte pingendi, adverſus eum, qui pictor eſt, grammaticus vero non eſt, nihil ei grammaticæ ſcientia hic prodeſſe debet?

M. Nihil.

B. Nec pingendi peritia, ſi ei de grammatica ſit contentio?

M. Nihilo magis.

LXXXV. *B.* Igitur in judicio judex unum agnoſcet nomen; criminis videlicet, de quo reum adverſarius accuſat.

M. Unum.

B. Quid ſi Rex fiat parricidii reus, nomen Regis an quicquam ad judicem attinet?

M. Nihil: ſed parricidæ tantum, non enim in controverſiam de regno venit, ſed de parricidio.

B. Quid, ſi duo parricidæ in jus vocentur, alter Rex, alter pauper? nonne par cognitio judicis erit de utroque?

M. Par: nec minus vere quam eleganter mihi dictum videtur a Lucano,

—— Rheni mihi Cæſar in undis
Dux erat, hic ſocius. Facinus quos inquinat, æquat.

B. Vere profecto. Non igitur de Rege & paupere hîc judicabitur, ſed de parricidis. Tum enim de Rege judicaretur, ſi quæreretur de duobus uter eſſe debeat Rex: aut ſi in quæſtionem veniat, Rexne ſit Hiero an Tyrannus, aut ſi quid aliud in quæſtionem veniat, quod proprie ad Regis functionem pertineat: veluti de pictore fit judicium, cum quæritur ecquid ſciat artem pingendi.

M. Quid, ſi Rex ſua ſponte nolit, nec vi cogi poſſit, ut in jus veniat?

B. Hæc ei cauſſa cum omnibus facinoroſis eſt communis, nullus enim aut latro aut veneficus ultro in jus veniet. Sed ſcis, opinor, quid lex permittat; furem nocturnum quovis modo, diurnum, ſi telo ſe defenderit, interficere. Quod ſi aliter, quam vi, in jus protrahi non poſſit, meminiſti quid tum fieri ſoleat. Latrones enim potentiores, quam ut jure cum eis agi poſſit, bello & armis perſequimur. Nec alia fere bellorum omnium cauſſa prætenditur inter nationes, populos & Reges, quam injuriæ, de quibus,

cum judicio non poteſt decerni, [1] ferro cernitur.

M. Adverſus hoſtes quidem ob iſtas cauſſas bella geri ſolent: cum Regibus alia ratio eſt, quibus jurejurando ſanctiſſimo interpoſito ad parendum ſumus obſtricti.

B. Obſtricti quidem ſumus: ſed illi contra priores promittunt ſe ex æquo & bono jus dicturos.

M. Ita res habet.

LXXXVI. *B.* Mutua igitur Regi cum civibus eſt pactio.

M. Ita videtur.

B. Qui prior a conventis recedit, contraque quam pactus eſt facit, nonne is pacta & conventa ſolvit?

M. Solvit.

B. Soluto igitur vinculo, quod Regem cum populo continebat, quicquid juris ex pactione ad eum, qui pacta ſolvit pertinebat, id, reor, amittitur.

M. Amittitur.

B. Is etiam, cum quo erat conventum, æque fit, atque ante ſtipulationem erat, liber.

M. Eodem plane jure, atque eadem libertate.

B. Rex autem ſi facit, quæ ſunt ſolvendæ ſocietati humanæ, cujus continendæ cauſſa fuit creatus, quid eum vocamus?

M. Tyrannum, opinor.

B. Tyrannus autem non modo non juſtum habet imperium in populum; ſed etiam populi hoſtis eſt.

M. Hoſtis profecto.

B. Cum hoſte, ob graves & intolerabiles injurias, eſt juſtum bellum.

M. Juſtum ſane.

B. Quid in eo, quod cum totius humani generis hoſte, hoc eſt, Tyranno, geritur?

M. Juſtiſſimum.

B. Bello autem cum hoſte juſta de cauſſa ſemel ſuſcepto, jus eſt non modo univerſo populo, ſed ſingulis etiam, hoſtem interimere.

M. Fateor.

LXXXVII. *B.* Quid, Tyrannum hoſtem publicum, quocum omnibus bonis perpetuum eſt bellum? nonne ſinguli, e tota generis humani multitudine, jure omnes bellorum pœnas ab eo expetere poſſunt?

M. Video nationes fere omnes in ea fuiſſe ſententia. Nam & Thebe laudari

1 *Ferro cernitur*] i. e. *decernitur, pugnatur.* Virg. Æneid. XII. verſ. 709.

——— *Stupet ipſe, Latinus*
Ingentes genitos diverſis partibus orbis,
Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro.

Ita enim legendum, non, *decernere* (quod antiquis codicibus fere omnibus ſcriptum teſtatur Pierius,) oſtendit Seneca Epiſt. 58. *Quædam*, inquit, *ſimplicia in uſu erant, ſicut cernere ferro inter ſe dicebant. Virgilius hoc probabit tibi.* Stupet ipſe Latinus, &c. *quod nunc decernere dicimus: ſimplicis illius verbi uſus amiſſus eſt.*

dari ſolet, quod maritum; & Timoleon, quod fratrem, & Caſſius, quod filium interfecerit; & Fulvius, quod filium ad Catilinam proficiſcentem, & Brutus, quod filios & propinquos, cum reducendi Tyranni conſilia eos reſciſſet iniſſe, necaverit: & publice præmia erant tyrannicidis, & honores a multis Græciæ civitatibus inſtituti: adeo (quod ante dictum eſt) nullum ne humanitatis quidem vinculum cum Tyrannis eſſe exiſtimabant. Sed quid ſingulorum aſſenſum colligo, cum poſſum univerſi prope orbis teſtimonium proferre? Quis enim Domitium Corbulonem non graviter reprehendit, quod adeo generis humani ſalutem neglexerit, ut Neronem, cum facile poſſet, imperio non dejecerit? Nec a Romanis modo eſt reprehenſus, ſed a Tyridate Perſarum Rege, nihil minus metuente, quam ne id exemplum ad ſe aliquando pertineret. Sed nec peſſimorum hominum animi, crudelitate efferati, ab hoc publico in Tyrannos odio ita ſunt liberi, ut non aliquando invitis erumpat, & ad imaginem veri & honeſti eos torpere & obſtupeſcere cogat. C.Caligulæ crudeliſſimi Tyranni pari crudelitate miniſtri cum cæſo domino tumultuarentur, & cædis auctores ad ſupplicium depoſcerent, ſubinde vociferantes, *Quis Imperatorem occidiſſet?* Valerius Aſiaticus, homo conſularis, e loco conſpicuo, unde audiri & cerni poſſet, exclamavit, *Utinam ego eum occidiſſem!* Ad hanc vocem homines prope omnis humanitatis expertes velut attoniti, a tumultu ceſſarunt. Tanta enim vis eſt honeſti, ut, leviſſima ſpecie ejus animis oblata, impetus violenti conquieſcant, & furor incitatus relangueſcat, & rationis imperium amentia, velit, nolit, agnoſcat. Neque iſti, qui nunc cœlum terræ clamoribus miſcent, aliter ſentiunt. Id autem vel hinc facile intelligimus, quod, quæ nunc geſta reprehendunt, eadem, aut in ſpeciem atrociora, e vetere hiſtoria cum recitantur, laudant & probant: ex eoque aperte demonſtrant, ſe magis privatis affectionibus obſequi, quam publico aliquo damno commoveri. Sed quid certiorem teſtem quærimus, quid Tyranni mereantur, ipſorum conſcientia? Inde ille perpetuus ab omnibus, & potiſſimum a bonis, metus: & gladium, quem in alios diſtrictum ſemper habent, ſuis cervicibus ſemper impendentem vident, & ſuo in alios odio aliorum in ſe animos metiuntur. Contra vero boni, neminem metuendo, ſæpe creant ſibi periculum, dum non ex vitioſa hominum natura, ſed e ſuo in alios merito, aliorum in ſe benevolentiam expendunt.

LXXXVIII. *B.* Verum igitur illud exiſtimas, Tyrannos in ſæviſſimarum belluarum numero habendos: tyrannicamque violentiam magis eſſe contra naturam, quam paupertatem, quam morbos, quam mortem, cæteraque mala quæ poſſunt hominibus ſponte naturæ accidere.

M. Equidem cum rationum momenta mecum expendo, non poſſum negare, quin iſta vera ſint, ſed cum pericula & incommoda occurrunt, quæ hanc ſententiam ſubſequuntur, continuo velut injecto freno animus neſcio quomodo labaſcit, & a recto illo nimium Stoico & ſevero ad utilitatem ſe inflectit, & prope deficit. Nam ſi cuivis Tyrannum occidere licebit, vide quantam ad nequitiam feneſtram hominibus improbis aperias, quantum bonis periculum crees, malis licentiam permittas, omnibus omnium rerum pertur-

ba-

bationem immittas! Quis enim, cum Regem bonum, aut certe non peſſimum, occiderit, non iſtam honeſti ſpeciem ſuo ſceleri prætendere poterit? aut ſi etiam quivis e civium bonorum numero, dignum omni ſupplicio Principem vel occidere fruſtra tentarit, vel etiam cogitatum facinus peregerit, quantam omnium rerum confuſionem ſequi neceſſe eſt? dum & mali tumultuabuntur, indignati ducem ſibi ereptum, nec omnes boni factum probabunt: nec qui probabunt, omnes auctorem libertatis adverſus ſceleſtam factionem defendent, & plerique obtentu honeſto pacis ſuam ſegnitiem velabunt, aut potius virtutem alienam calumniabuntur, quam ſuam fatebuntur ignaviam? Hæc profecto utilitatis privatæ recordatio, & publicæ cauſſæ deſertæ excuſatio, & periculorum metus, animum pleriſque ſi non frangit, certe debilitat, & tranquillitatem, etſi non certiſſimam, cogit incertæ libertatis exſpectationi præponere.

LXXXIX. *B.* Tu ſi memoria teneas ſuperiora, facile metus hic tuus diſcutietur. Diximus enim quaſdam eſſe tyrannidas populi liberis ſuffragiis comprobatas, quas ob adminiſtrationis moderationem Regiis nominibus dignamur. Nemo, me auctore, non modo quemquam horum, ſed nec eorum qui per vim vel fraudem dominatum ſibi pepererunt, violabit, ſi modo civilis animi temperamentum in gubernando adhibuerint. Tales fuerunt apud Romanos Veſpaſianus, Titus, Pertinax; Alexander apud Græcos; Hiero Syracuſis: qui licet vi & armis imperium pepererunt, tamen juſtitia & æquitate meruerunt ut inter juſtos Reges cenſeantur. Præterea ego in hoc genere quid fieri jure poſſit aut debeat explico, non ad rem ſuſcipiendum exhortor. In illo enim ſatis eſt rei notatio, & dilucida explicatio: in hoc vero, & in ſuſcipiendo conſilio opus eſt, in aggrediendo prudentia, in efficiendo virtute. Hæc, cum temporibus, perſonis, locis, cæteriſque rei gerendæ inſtrumentis, aut juventur, aut evertantur, ſi quis temere attentaverit, nihilo magis ejus erroris culpa ad me pertinet, quam medico, qui remedia morborum commode deſcripſit, ejus culpa eſt præſtanda, qui alieno tempore ea ægrotantibus dederit

M. Unum mihi adhuc ad abſolvendum hanc diſputationem deeſſe videtur: id ſi adjeceris, cumulatum abs te beneficium accepiſſe me exiſtimabo: nempe, ſi quæ ſit Eccleſiæ cenſura de Tyrannis ex te intelligam.

XC. *B.* Eam cum voles ex *Epiſt.* priore Pauli ad *Cor.* tibi ſumere licebit: ubi Apoſtolus vetat, *Cum palam facinoroſis aut flagitioſis ullum convictus aut ſermonis habere commercium.* Id ſi inter Chriſtianos obſervaretur, ſceleratis, niſi reſipiſcerent, fame, frigore & nuditate pereundum eſſet.

M. Gravis profecto ſententia: ſed neſcio an populus, qui tantum ſolet magiſtratibus ubique tribuere, ſub hac formula Reges etiam complectendos credet.

B. Certe veteres Eccleſiaſtici ſcriptores ita ad unum Pauli ſententiam intellexerunt. Nam & Theodoſium Imperatorem Ambroſius e cœtu Chriſtianorum excluſit, & Theodoſius Epiſcopo paruit. Nec ullius, quod ſciam, Epiſcopi factum antiquitas majoribus eſt laudibus proſecuta: nec ullius Imperatoris modeſtia magis eſt commendata. Ad rem autem quantum intereſt,

an

an extra civitatem Chriſtianam pellaris, an igni & aqua tibi interdicatur? Magiſtratibus enim omnibus adverſus eos, qui facere imperata recuſant, hoc graviſſimum eſt decretum: & illud [1] Eccleſiaſticorum. Utriuſque autem imperii ſpreti pœna mors eſt; ſed alter corporis, alter totius hominis interitum denunciat. Igitur Eccleſia (quæ multo leviora crimina morte punienda cenſet) quem vivum e cœtu bonorum expellit, mortuum in cœtum cacodæmonum relegat, non eum morte dignum exiſtimabit?

XCI. Pro æquitate cauſſæ ſatis multa mihi dixiſſe videor: quæ ſi exterorum quibuſdam minus placeant, conſiderent, rogo, quam inique nobiſcum agant. Nam, cum permultæ per Europam ſint nationes & magnæ & opulentæ, ſuæque cuique leges, arroganter faciunt, qui formulam regnandi, quam ipſi habent, omnibus præſcribunt. Helvetii rempublicam habent: Germania nomine imperii, regno legitimo utitur: civitates (ut audio) nonnullæ per Germaniam optimatibus parent: Veneti dominatum ex his omnibus habent temperatum: Moſcovia tyrannide gaudet. Nos regnum exiguum quidem, ſed jam bis mille annos ab exterarum gentium imperio liberum, tenemus: Reges legitimos ab initio creavimus: leges & nobis & aliis æquas impoſuimus: utiles fuiſſe temporis diuturnitas commonſtrat: earum enim obſervatione magis, quam armis, adhuc hoc regnum ſtetit. Quæ tandem iniquitas eſt hæc, velle ut leges, quarum utilitatem tot ſeculis experti ſumus, aut abrogemus, aut negligamus? aut quæ eſt iſta impudentia, ut qui ſuum imperium tueri vix poſſunt, alieni regni ſtatum & ordinem labefactare conentur? Quid, quod noſtra inſtituta non modo nobis, ſed vicinis etiam, ſunt utilia? Quid enim ad pacem cum finitimis retinendam utilius eſſe poteſt, quam Regum moderatio? Ex eorum enim immoderata libidine injuſta bella temere plerumque ſuſcipiuntur, ſcelerate geruntur, turpiter deponuntur. Quid porro inutilius ulli civitati, quam malæ apud finitimos leges, quarum ſæpe contagio ſerpere latius ſolet? Aut cur nobis unis moleſti ſunt, cum tot circumcirca nationes aliis atque aliis legibus & inſtitutis utantur; penitus eiſdem, nullæ? Aut cur nunc demum moleſti ſunt, cum novi nihil ſtatuamus, ſed in vetere jure perſeveremus? cum nec ſoli, nec primi, nec nunc primum his inſtitutis utamur? At non placent quibuſdam noſtræ leges. Fortaſſe nec ſuæ. Non inquirimus curioſe in aliorum inſtituta: noſtra nobis relinquant tot annorum experimento perſpecta. Num eorum concilia turbamus? aut qua tandem in re illis moleſti ſumus?

XCII. At ſeditioſi eſtis, ajunt. Poſſem libere reſpondere; Quid ad illos? noſtro periculo, noſtro damno tumultuamur. Poſſem enumerare ſeditiones non paucas & civitatibus & regnis non inutiles. Non utar illa defenſione. Nego ullam gentem minus eſſe ſeditioſam: nego ullam unquam in ſeditionibus fuiſſe moderatiorem. Inciderunt multæ contentiones de

1 *Eccleſiaſticorum*] An hic potius [*Eccleſiaſticis*] ſcribendum, aut initio ſententiæ [*magiſtratuum omnium*?]

de legibus , de jure imperii , de regni adminiſtratione , ſed ſemper ſumma rerum ſalva : nec certatum eſt , ut apud pleroſque populos , cum plebis pernicie , neque Principum odio , ſed amore patrio , ſtudio legum tuendarum. Quoties noſtra memoria ſteterunt in procinctu magnæ ex adverſo acies? quoties non modo ſine vulnere , ſed ſine noxa , ſine convicio , diſceſſum eſt ? quoties ſimultates privatas publica ſedavit utilitas ? quoties inteſtina odia de hoſtium adventu rumor exſtinxit ? Nec in ſeditionibus tamen magis modeſti, quam fortunati fuimus , cum ſemper fere quæ pars erat juſtior, eadem fuerit felicior : & velut civilia moderate exercuimus odia , ita utiliter conſenſimus in concordiam. Hæc in præſentia occurrunt , quæ ſermones malevolorum compeſcere , pertinaciores refellere , æquioribus ſatisfacere poſſe viderentur. Quo autem jure apud alios regnetur, non putavi multum noſtra intereſſe. Noſtrum morem paucis recenſui, ſed pluribus, quam inſtitueram tamen , aut quam res expetebat : quia tibi uni hunc laborem ſuſcepi : qui ſi abs te comprobetur , ſatis habeo.

M. Mihi quidem , quod ad me attinet , abunde ſatisfeciſti : quod ſi ego item aliis ſatisfacere potero , magnum ex hoc ſermone fructum cepiſſe , & moleſtia maxima levatum eſſe me exiſtimabo.

F I N I S.

DE

DETECTIO:

SIVE,

De MARIA Scotorum *Regina*, *totaque ejus contra Regem conjuratione, fœdo cum Bothuelio adulterio, nefaria in maritum crudelitate & rabie, horrendo inſuper & deterrimo ejuſdem parricidio, plena & tragica plane Hiſtoria.*

ITEM

ACTIO

Contra Mariam, in qua ream & conſciam eſſe eam hujus parricidii neceſſariis argumentis evincitur.

Ad illuſtriſſimam Elizabetham *ſereniſſimam Angliæ Reginam.*

Auctore Georgio Buchanano, *Scoto.*

IN
M A R I A M
Reginam Scoticam.

O Regina, tuos hos nunc adverte furores,
Hæc de conſiliis ſunt manifeſta tuis.
Nobilis ille tuas vires Darnleius heros
Pertulit, heu triſtes pertulit ille faces.
Quæ mulier dulcem voluit ſic perdere formam?
Et genus, & virtus, fœdera ſacra, fides,
Uxoris pietas, leges, vindicta Deorum,
Debebant animo plus valuiſſe tuo
Siccine Bothwellum poteras ſine lege tenere?
Hunc, ſcelerata, pati ſic ſine lege mori?
Siccine Bothwelli poterant te flectere verba,
Ut ſua non juſto ſanguine vota ferat?
Non tua fœmineo ſplendeſcit vita pudore,
Sed tua monſtroſo crimine vita nocet.
O utinam proprio ſolo tuo peſſima membra
Quæ ſit, ſenſiſſent, ultio juſta Dei.
Nos o ſic ſalvi (queis tu male ſana noceres)
Evaſiſſemus damna futura diu.
Anglia nam membrum ſævum, crudelius ullum,
Invenire ſibi, nec ſibi ferre poteſt.
Nam tua perpetuum molitur vita periclum:
Et ſunt quæ volvis ſanguinolenta nimis.
Ecce Comes Regis pater, (eſt lacrymabile fatum,)
Ingenio Dux eſt obrutus ecce tuo.
Sed Deus has mentis labes, peccata nefanda.
(Cognita ſunt illi) non feret illa diu.
Tu ſperare potes vitæ tormenta, ſalutis
Amplius haud intereſt, ſpes tua mortis erit.
Aſpice divino pœnas de numine mitti:
Aſpice pro meritis fata ferenda tuis.

G. M.

In Mariam Stuartam Reginam Scoticam
S A T Y R A.

QUæ fuit egregio Derlino juncta Stuarta:
Suſtulit illa ſuum ſæva virago virum.
Et quem non potuit morientem auferre veneno,
Hunc fera ſulphureo pulvere tollit humo.
Quæ te dira movet rabies? quæ vexat erynnis?
Guiſia progenies, gens inimica Deo?
Cur petis ipſa novos thalamos? ut victima poſſit
Sæpe recens fieri, buſtaque plura dari?
Quis niſi Bothuelius tali concumbere dignus?
Lactucas ſimiles talia labra tenent.
Tigris alit mentem, panthera in pectore regnat,
Lacte lupus nutrit, corpore Dæmon ineſt.
Monſtra quis enumeret, quibus eſt imbuta Stuarta?
Omnia nemo poteſt: plurima namque latent.
Quiſquis at infelix talem dignatur amicam:
Toxica, præmonitus, multa parata ſciat.
Quod ſi difficile eſt vitam violare veneno:
Sulphureo, caveat, pulvere tecta rapi.
Opprobrium mundi, redigatur talis ad Indos:
Vel focus abſumens corpus in alta ferat.

P. R. Scotus

D E-

DETECTIO
MARIÆ REGINÆ SCOTORUM.

I. CUM rerum domi judicatarum foris rationem exigi, omnibus, quiſui ſunt juris, novum, & ob inſolentiam moleſtum eſt, tum nobis profecto longe moleſtiſſimum videri oportet: quippe quibus neceſſitas impoſita eſt, ut quorum vitia tegere cupiamus, eorum vitam cogamur oppugnare, niſi ipſi omnium ſceleratiſſimi haberi velimus. Sed magnam ejus moleſtiæ partem levat tua, ſereniſſima Regina, æquitas, quæ non minus moleſte feras propinquam, quam nos Reginam, omnium ſermone traduci; quæque non minus veri intelligendi, quam nos calumniæ vitandæ, ſtudio ducaris. Igitur, quam breviſſime fieri poteſt, rem perſtringemus: ac tanto exponemus compendio, ut ſumma rerum capita, non tam explicaſſe, quam percurriſſe videamur, a prima Reginæ inconſtantia exorſi. Ut enim præceps fuit in nuptiis faciendis ejus levitas, ita repente ſecuta eſt vel pœnitentia, vel (nullis exſtantibus cauſſis) alienatæ voluntatis indicia. Nam cum antea non modo negligenter, ſed parum honorifice Rex eſt habitus, tandem apertius odium erumpere cœpit: illa præſertim hieme, cum Peblium, non modo tenui, ſed infra privati hominis dignitatem, comitatu, non in aucupium miſſus eſt, ſed procul a conſilio, & negotiorum publicorum conſcientia, ablegatus. Neque literis committere neceſſe eſt eas res, quæ ut tum omnibus erant ſpectaculo, ita nunc, velut recens imago, [1] in omnium hærent pectoribus. Et quanquam hoc initium erat omnium, quæ ſecuta ſunt, malorum, ab initio tamen occulta erant conſilia: ut non modo vulgus, ſed ne familares quidem, & qui plurimis rebus gerendis intererant, ſatis intelligere poſſent, quid potiſſimum tum Regina ſpectaret.

Nuptiæ Reginæ Scotiæ cum Rege.

Odium Reginæ Scot. erga maritum poſt nuptias.

II. Tandem circiter menſem Aprilem anni 1566, cum a Dumbaro Edimburgum Regina rediſſet, atque in arcem ejus oppidi conceſſiſſet, ibi uſque ad puerperii tempus ſe continuit. A partu ſtatim occulta cogitati ſceleris conſilia ſeſe aperire cœperunt: quorum hæc ſumma fuit: ut, Rege qualibet ratione ſublato, matrimonium cum *Bothuelio* contraheret. Ac ne ipſa ſuſpicione perpetrati ſceleris contingeretur, ſpargere paullatim ſemina diſcordiarum cœpit inter Regem & Proceres, qui tum in Aula verſabantur: ac magis eis inflammatis, ad capitales inimicitias rem deducere. Et, ſi quando ſuſpiciones mutuas relangueſcere ſentiebat, novis utrinque delationibus irarum ſtimulos acuebat: dum Nobilitati Regem, Regi Nobilitatem in caput ejus immi-

An. 1566. April.

Perfidia Reg. Scot. erga maritum poſt puerperium.

Reginæ cum Bothuelio in necem Regis conſpiratio.

1 *In omnium hærent pectoribus*] Ita fere legendum monſtrat orationis contextus; non [*hæret*] quod habet prima, &, quod ſciam unica hujus Invectivæ editio.

 1 *Neceſ-*

Inimicitias inter Regem & Nobilitatem ſerit.

imminere, perſuadere conatur. Neque quicquam ei longius videbatur, quam ut res ad manus veniret: incerta enim utros vinci mallet, utriuſque partis cladem in lucro ſibi ponebat: quippe quæ gradum ad id, quod intenderat, ita ſibi factura videretur. Denique brevi ita omnium animos mutuis implevit ſuſpicionibus, ut nemo tum genere paullo illuſtrior in Aula eſſet, quem non in eam [1] neceſſitudinem induxerit, ut rumores de ſe fictos vel turpiter agnoſcere, vel cum arguentibus armis contendere, vel domum ſecedere cogeretur. Ac ut cætera, ſtudio ad ipſum cauſſæ caput feſtinandi, omittam, una tamen illius temporis inſignis calumnia prætereunda non eſt. Nam, cum Rex aliquando ad multam noctem cum Regina collocutus fuiſſet, ejus fere colloquii hæc ſumma fuit: *Nobilitatem prope omnem in ejus exitium conſpiraſſe, ac rationem inter ſe inire, qua eum tollere poſſent.* Rege dimiſſo, Regina *Moravium* fratrem ſuum (qui Prorex poſtea fuit) arceſſit: *Rem eſſe atrocem, ſtatim ejus præſentia opus eſſe.* Ille e profundo ſomno excitatus, trepide (veſte talari ſuper induſium lineum injecta) ut erat ſeminudus ad eam advolat. Simili prope ibi oratione uſa, quali ante ad Regem: *Quem tanto ejus odio flagrare*, ait, *ac tam ægre ferre, quod eum apud ſe gratiæ locum obtineret, ut ipſum, cum primum poſſet, de medio tollere decreverit.* Ita, quod in ipſa erat, nihil omiſit, quo minus eos committeret: & procul dubio commiſiſſet, niſi Deus homines innoxios e tam periculoſis inſidiis eximere, & ſceleratam illius nequitiam detegere ſtatuiſſet.

Comes Moraviæ Reginæ frater Prorex Scotiæ.

Lites inter Comitem Moravium & Regem per Reginam excitatæ.

Regina lenæ munus marito præſtat.

Inſidioſum Reginæ conſilium.

III. Cum hic ei conatus fruſtra fuiſſet, alia fraude hominem adoleſcentem & incautum aggreditur. Eum ſollicitat, ut, dum uterum ferret, aliquam, e magna copia, adoleſcentulam deligeret, cujus interea conſuetudine uteretur. Studium ſuum & operam pollicetur, veniam facti ſpondet: Comitis Moraviæ uxorem oſtendit: non quod lectiſſimam fœminam maxime opportunam flagitio putaret, ſed tres inimicos una opera volebat ulciſci; Regem, Comitem, ejus uxorem: & locum divortio acquirere, ut vacuum *Bothuelio* thalamum relinqueret. Partu liberata, etſi alios omnes ſatis comiter accipiebat, quoties Regem, viſendi cauſſa, adeſſe nunciabatur, & ipſa & comites vultum ſermonemque ita effingebant, ut nihil magis timere viderentur, quam ne Rex non intelligeret ſe eis faſtidio, adventum conſpectumque ejus omnibus ingratum eſſe. Contra vero *Bothuelius* unus omnia poterat: unus conſiliis, unus negotiis omnibus præerat. Adeoque Regina ſui erga illum animi propenſionem ab omnibus intelligi volebat, ut, ſi quid ab ea impetrandum foret, nemo, niſi per eum, impetraret. Adeo timebat, ne obſcurus erga eum favor eſſet.

IV. Non adeo diu poſt partum, quodam die, ſummo mane, cum paucis admodum conſciis, ad Portum (quem Novum vocant) deſcendit: omnibuſque mirantibus quo properaret, naviculam ibi præparatam conſcendit.

1 *Neceſſitudinem*] i. e. *neceſſitatem*, quo ſignificatu a Salluſtio & Tacito ea vox ſæpius uſurpatur: aliis tamen ſcriptoribus pro *ſanguinis conjunctione* aut *amicitia* longe frequentiſſime accipitur. [Vid. Davis. ad Cæſ. VIII. de Bell. Gallico. 53.]

dit: Apparaverant autem eam naviculam *Gulielmus* & *Edmundus Blacateri*, *Leonardus Robertſonus*, & *Thomas Dicſonus*, *Bothuelii* clientes, & notæ rapacitatis piratæ. Hoc igitur cum latronum comitatu, ſtupentibus omnibus bonis, ſe mari commiſit, nemine (ne ex honeſtioribus quidem miniſtris) adſumto. In Aloa vero arce, quo navis appulit, qualiter ſe geſſerit, malo apud ſe quiſque cogitet, quam ex me audiat. Unum illud affirmare audeo, nullam ibi (non dico Reginææ majeſtatis, ſed ne matronalis quidem modeſtiæ) in omnibus dictis & factis habitam fuiſſe rationem. Rex, audito necopinato Reginæ diſceſſu, terra, quantum potuit, eam eſt conſecutus: ea ſpe & conſilio, ut una eſſet, & mutua [1] conjugalium officiorum communicatione frueretur. Quam vero amice ab ea fuerit exceptus, & omnes qui aderant norunt, & qui de illis audierunt meminiſſe poſſunt. Vix enim paucis horis (dum miniſtri & equi cibo & quiete reficerentur) conceſſis, ne quid gravius accideret, diſcedere eſt coactus. Illa vero, ſi non Regia honorificentia, certe plus quam Regia, aut certe parum Regia licentia, aliquot ibi dies tranſegit. Secutæ ſunt venationes, altera ad Magatam fluvium, altera ad ſaltum, quem Glenartua vulgo vocant. Ibi quam ſe moroſe, quam arroganter & faſtidioſe erga Regem geſſerit, quod opus eſt oratione? res enim in omnium oculis geſta, & [2] memoria conſignata eſt.

Gulielmus Blacaterus, Edmondus ejus frater, Leonardus Robertſonus Tho. Dicſonus piratæ, clientes Bothuelii.

Reginæ erga Regem inſolens ſuperbia & faſtidium.

V. Ubi vero Edimburgum rediit, non in ſuum palatium, ſed in privatam, in proximo *Joannis Balfurii*, domum divertit. Illinc in alias ædes commigravit, ubi conventus anniverſarius, quem Scaccarium vocant, tum habebatur. Hæ enim ædes erant laxiores, & hortorum aderat amœnitas, & juxta hortos pene ſolitudo. Sed erat & aliud, quod omnibus his magis invitaret. Habitabat in propinquo *David Camerius*, *Bothuelii* cliens: cujus poſticum erat hortis ædium Reginæ propinquum. Per id poſticum *Bothuelius*, quoties libitum erat, commeabat. Cætera quis neſcit? Nam & rem ipſam Regina, cum multis aliis, tum Proregi & matri ejus eſt confeſſa: ſed culpam in *Rereſiam*, profligatæ pudicitiæ mulierem, conferebat, quæ inter pellices *Bothuelii* fuerat, ac tum in intimis Reginæ miniſtris erat. Ab hac (quæ ætate inclinata a meretricio quæſtu ad lenonium ſe contulerat) Regina, ut ipſa dicebat, prodita eſt. Nam *Bothuelius* per hortum in cubiculum Reginæ introductus, eam invitam vi compreſſit. Sed quam invitam *Rereſia* prodiderit, tempus veritatis parens oſtendit. Nam poſt paucos dies, Regina vim vi, ut reor, ulciſci cupiens, deſtinat *Rereſiam* (quæ & ipſa vires hominis antea erat experta) quæ eum ad ſe captivum adduceret. Regina una cum *Margareta Carvodia*, omnium ſecretorum conſcia, eam e zona ſuſpenſam, per maceriem, in hortum propinquum demittunt. Sed nunquam in re militari omnia ſic provideri poſſunt, ut non aliquid incommo-

Reginæ furtiva itinera.

David Camerius Bothuelii cliens.

Rereſia meretrix & lena.

Reginæ cum Bothuelio adulterium.

Rereſia meretrix Reginæ libidinis miniſtra, clam per zonam demiſſa, ad Bothuelium mittitur.

1 *Conjugalium officiorum*] Ita emendavimus, pro [*conjugali*] quod exemplari noſtro eſt editum.

2 *Memoria conſignata eſt*] forte *memoris* legendum.

modi interveniat. Ecce zona repente frangitur. *Rereſia*, mulier & ætate & corpore gravis, cum magno ſtrepitu cadit. Sed veterana miles, nihil tenebris, nihil altitudine maceriæ, nihil inexſpectato caſu perterrita, ad *Bothuelii* cubiculum penetrat: foribus recluſis, hominem e lecto, e complexu conjugis, ſemiſomnum, ſeminudum, adducit ad Reginam. Hunc rerum geſtarum ordinem, non modo maxima pars eorum qui cum Regina erant, ſunt faſſi; ſed & *Georgius Daglcſius*, *Bothuelii* cubicularius, paullo ante quam pœnas luit, denarravit: quæ ejus confeſſio in Actis continetur.

Fides hiſtoriæ teſtimonio confirmata.

VI. Interea Rex, propemodum relegatus, injuriis & miſeriis ablegatus, Sterlini ſe cum paucis miniſtris continebat. Quid enim aliud faceret? ut qui apud Reginam nullum gratiæ locum obtineret, ſed nec, unde pauculos miniſtros & equos aleret, ſumtus quotidianos haberet: denique qui jurgiis, ob leviſſimas nugas ortis, & quæſitis criminandi cauſſis, abigeretur. Animus tamen ejus, in amando obſtinatus, prohiberi non poterat, quo minus Edimburgum rediret, ut omni obſervantiæ genere aditum aliquem in priſtinum locum gratiæ, & vitæ conjugalis ſocietatem, impetraret. Qui iterum per ſummam contumeliam excluſus, iterum unde venerat revertitur, ut ibi (velut in ſolitudine) ſuas deploraret miſerias. Non adeo multis poſt id diebus, cum Regina ſtatuiſſet Jedburgum proficiſci, ad conventus juridicos habendos, circiter initium Octobris, *Bothuelius* expeditionem in Liddiam adornat. Ibi cum neque pro loco, quem obtinebat, neque pro familia & exſpectatione ſe gereret, a latrone moribundo vulneratus, in arcem Heremitagium, incerta etiamnum vitæ ſpe, defertur. Id ubi Borthuicum ad Reginam delatum eſt, magnis itineribus, aſpera jam tum hieme, primum Mulroſſiam, inde Jedburgum, velut inſana, pervolat. Eo etſi certi de ejus vita rumores perferebantur, tamen impatiens moræ animus ſibi temperare non poterat, quin & flagitioſam libidinem proderet, & alieno anni tempore, ſpretis viarum difficultatibus, & latronum inſidiis, ſe in iter conjiceret, cum eo comitatu, cui nemo paullo honeſtior ſuam vitam aut fortunas committere auderet. Inde Jedburgum iterum reverſa, ſummo ſtudio & diligentia ad *Bothuelium* eo transferendum omnia confert & comparat. Eoque illuc traducto, eorum convictus & conſuetudo parum ex utriuſque dignitate fuit. Ibi, ſive ob nocturnos diurnoſque labores, (ipſis parum decoros, vulgo infames,) ſive occulta aliqua numinis providentia, Regina in morbum adeo ſævum & exitiabilem incidit, ut nulla prope ſpes de ejus vita cuiquam ſupereſſet.

Rex a Regina ſpretus, rejectus & excluſus.

Octob.

Bothuelius a latrone vulneratus, de vita periclitatur.

Reginæ libido moræ impatiens.

Reginæ erga Bothuelium amor & ſtudium.

Regina morbo lethaliter laborat.

VII. Id Rex ubi reſcivit, maximis itineribus Jedburgum contendit, ut Reginam inviſeret, languentem ſolaretur, & quibus poſſet officiis ſuum animum, & ſtudium ei gratificandi, teſtaretur. Advenienti vero tantum abeſt ut hoſpitium victuſque (quod mediocribus etiam hominibus fieri ſolet) apparatus ſit, ut ne ullum quidem amici animi indicium ſenſerit. Illud vero barbaræ inhumanitatis fuit, quod Nobilibus, omnibuſque qui aderant Aulæ miniſtris, interdictum eſt, *Ne quis advenienti aſſurgeret*, *hoſpitio cederet*, *vel ad ſe, in unam ſaltem noctem, reciperet.* Cum vero *Moravii* (qui poſtea Prorex fuit) Reginæ ſuſpecta eſſet humanitas, agit cum uxore ejus, ut propere

Regis erga Reginam fides, & gratitudo.

Reginæ plusquam Scythica inhumanitas.

pere domum redeat, morbumque ſimulet, ac ſtatim decumbat, ut ſaltem hoc prætextu Rex excluderetur, per occaſionem adverſæ valetudinis. Ibi cum omnibus humanitatis officiis deſtitueretur, poſtridie in antiquam ſolitudinem, cum ſummo animi mœrore, revertitur. Interim dum Rex, in illa omnium & rerum & amicorum inopia, vix precarium invenit [1] gurguſtium, *Bothuelius* ex ædibus, ubi antea diverſabatur, velut de Rege triumphans, per ora vulgi in hoſpitium Reginæ transfertur in cœnaculum inferius, ſub eo, in quo Regina decumbebat. Ibi cum adhuc laborarent, illa e morbo, ille ex vulnere, Regina, in ſumma corporis infirmitate, tamen eum quotidie inviſebat. Et cum uterque paullulum convaluiſſent, nondum ſatis firmis viribus, ad conſuetam redierunt palæſtram: idque adeo aperte, ut nihil magis timere viderentur, quam ne ignota eſſet ſua nequitia. Fœda & aperta Reginæ adulteria.

VIII. Circa Nonas Novembres cum Jedburgo in vicum, nomine Calſo, tranſiſſet, ibi literas a Rege accepit. Quas cum legiſſet coram Prorege, Comite *Huntilæo*, & Secretario, vultu triſti, miſerabiliter ſe crucians, ac ſi in priſtinum eſſet recaſura morbum, plane ac diſerte pronunciavit: *Niſi aliqua ratione a Rege liberaretur, vitam ſibi nullo modo fore vitalem. Ac, ſi alia ratione non poſſet, potius quam in illis moleſtiis viveret, ſeſe ſibi manum illaturam.* Proximis deinde diebus, dum per Marciam rediens apud *Coldingamiam* commoratur, *Reresia*, dum per excubias tranſit, agnita, ac dimiſſa eſt. Quos autem habuerit comites, aut quo id noctis iret, Reginæ non eſt ignotum. Inde cum circiter finem Novembris veniſſet ad Cragmillarium, (ea arx ad duo paſſuum millia diſtat ab Edimburgo,) ibi præſentibus Comitibus Moraviæ (qui poſtea Prorex: nunc & ipſe occiſus eſt,) *Huntilææ*, & *Argatheliæ*, & Secretario, in ſuperioris temporis incidit orationem: ac rationem etiam, qua id fieret, ut ſibi videbatur, commodiſſimam ſubjecit. Ut videlicet litem de divortio adverſus Regem intenderet: neque dubitabat, quin id facile fieri poſſet: cum eo conſanguinitatis eſſent gradu, qui jure Pontificio vetitus eſſet matrimonium contrahentibus: literis (quod facile erat) de medio ſublatis, quibus ea lege ſolverentur. Hic cum quidam ſcrupulum injeciſſet, id ſi ita tranſigeretur, eorum filium ſpurium fore, quippe qui extra matrimonium natus eſſet, præſertim cum neuter parentum cauſſas, quæ irrita facerent matrimonia, ignoraret. Id reſponſum cum paullum in animo ſecum verſaſſet, ac ſciret verum dici, & conſilium de filio tollendo aperire non auderet, propoſitum de divortio abjecit: nec tamen unquam ab eo die Regis perimendi conſilium omiſit, uti ex iis quæ ſunt ſecuta facile intelligi poteſt.

Non. Novemb.

Regina liberationem expetit a Rege.

Reresia Reginæ nuncia iterum emittitur.

Novemb.

Regina ſub conſanguinitatis prætextu Regi intendit actionem divortii.

Conſilium de occidendo Rege agitat Regina.

IX. Rex

1 *Gurguſtium*] *i.e.* interpretante Feſto, *genus habitationis anguſtum, a gurgulione* verme dictum Dacierius tamen a *gurgite* potius deductum putat, quaſi *gurgiſtium.* Servio *taberna obſcura & latens* dicitur. Cic. de Nat. Deor. lib. I. cap. 9. *Quid autem erat, quod concupiſceret Deus mundum ſignis & luminibus, tanquam ædilis, ornare? ſi, ut Deus ipſe melius habitaret: antea videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurguſtio, habitaverat.*

IX. Rex Sterlino ad Cragmillarium reverſus, cum exiſtimaret eam placabiliorem erga ſe fore, iracundia paullum ſpatio temporis mitigata, adeo nullum animi mutati ſenſit indicium, ut nihil ei in quotidianos vitæ uſus, niſi Sterlini maneret, erogaretur. Quæ res vehementer auxit pronam ſua ſponte vulgi ſuſpicionem de quotidiana Reginæ cum *Bothuelio* conſuetudine.

Decemb.

Sub initium fere Decembris, cum legati veniſſent e Gallia & Anglia ad Baptiſmum ejus, qui nunc Rex eſt, celebrandum, hic, ut *Bothuelius* inter Proceres conſpicuus eſſet, ipſa partim ei ad veſtimenta coëmenda pecuniam erogabat, partim de mercatoribus emebat: omnibuſque conficiundis tanta diligentia præerat, quam ſi, non dico uxor, ſed ne ancilla quidem foret.

Baptiſmus filii e Regina nati. Studium Reginæ in ornando Bothuelio.

Interea legitimus ejus maritus, in filii Baptiſmo, non modo ſubſidio ejus ad ſumtus faciendos deſtitutus, ſed in conſpectum legatorum prodire vetitus: miniſtri quotidiani ei detracti: Nobilitas tota ſequi, obſervare, ac propemodum agnoſcere, prohibiti: legati exteri moniti, ne cum eo colloquerentur: cum interea majorem diei partem omnes in eadem arce diverſarentur. Homo adoleſcens ita contemtim & inhumaniter habitus ſic animum deſpondit, ut, Sterlino relicto, Glaſcuam ad patrem proficiſceretur.

Regina ornamentis & ſupellectile Regem ſpoliat.

Diſcedentem Regina ſolito proſequitur odio. Vaſa argentea, quibus a nuptiis ad eum uſque diem uſus erat, aufert univerſa, ac ſtannea ſupponit. Sed hoc ad contemtum pertinuerit: quæ ſecuta ſunt, inhumanæ feritatis & implacabilis odii manifeſta ſunt argumenta. Antequam mille paſſus Sterlino abeſſet, tam vehemens dolor ſimul omnes corporis partes afflixit, ut facile appareret, non a vi alicujus morbi, ſed ab humana fraude id profectum.

Hæ puſtularum eruptiones facile veneni ſuſpicionem arguunt.

Cujus fraudis indices liventes puſtulæ, cum Glaſcuam veniſſet, toto corpore eruperunt, tanto cum dolore, & omnium partium vexatione, ut exigua vitæ ſpe duceret ſpiritum: cum interim Regina ne medicum quidem eum adire ſit paſſa.

Comes Bedfordiæ Reg. Angliæ in Scotia legatus.

X. Cærimoniis Baptiſmi peractis, egit cum fratre *Moravio*, ut quando Comitem *Bedfordiæ*, Reginæ Anglorum legatum, ad Fanum Andreæ deducturus eſſet, a *Bothuelio* peteret, ut is quoque una proficiſceretur. Qui liberaliter quidem promiſit; etſi & ipſe, & Regina illius commenti auctor, nihil minus cogitaret: quod & eventus facile oſtendit. Nam ſimul atque Rex Glaſcuam, alii Fanum Andreæ verſus profecti ſunt, ipſa cum *Bothuelio* ſuo ad Drumenium abiit, inde Tilibardinum.

Reginæ & Bothuelii fucata conſilia, & furtivi congreſſus.

Quibus in domibus circiter octo dies tranſegerunt ita in cunctis cœnaculis, & familiari acceſſu, [1] ut omnes (præter ipſos tam projecti pudoris) contemtus & neglectæ famæ vilitas vehementer offenderet: cum jam ne velum quidem ſuæ nequitiæ eos obtendere viderent.

An. 1567. *Januar.*

XI. Cum ſub initium Januarii Sterlinum rediſſent, Regina cœpit cauſſari ædes, in quibus filius educabatur, incommodas: quod, in locis

cis

1 *Ut omnes (præter ipſos tam projecti pudoris) contemtus, &c.*] Sic potius diſpungenda ſententia videtur, *ut omnes (præter ipſos) tam projecti pudoris contemtus & n. f. v. v. o.*

1 Fa-

cis frigidis & humidis, puero a pituita eſſet periculum. Sed [1] facile apparebat, alio animo id fieri: cum & omnia, quæ cauſſabatur, vitia ab illis ædibus abeſſent, & in eis, quo puer ducebatur, adeſſent, utpote in loco humili & etiam paluſtri ſitis. Puer igitur, vix ſeptimum ingreſſus menſem, aſpera hieme Edimburgum ducitur. Ibi, quoniam primus conatus parum ſucceſſerat, & veneni vis naturali corporis firmitate victa erat, ut aliquando pareret quod tamdiu parturierat, nova de cæde Regis init conſilia. Ipſa Glaſcuam proficiſcitur: cauſſa itineris prætenditur, ut Regem vivum inviſeret, cujus toto menſe ſuperiore mortem exſpectaverat. Quæ autem vera fuerit illius profectionis cauſſa, facile ex literis ejus ad *Bothuelium* quivis intelligat. Jam ſecura de filio, quem in poteſtate habebat, tota in mariti exitium imminens, it Glaſcuam, comitata *Hamiltoniis* ac aliis paternis Regis inimicis. *Bothuelius*, ut convenerat, quæ ad ſcelus perpetrandum viſa ſunt commoda apparat: in primis ædes, neque commodas ægroto, neque Regi decoras, (erant enim laceræ ac ruinoſæ) ut in quibus nemo aliquot annis habitaverat, loco infrequenti, inter duorum templorum ruinas, circum pauca pauperum mendicabula. Et, ne ulla ſceleris patrandi commoditas abeſſet, poſticum in muro urbis ædibus conjuncto aperitur, ut in agros etiam eſſent perviæ. In hoc eligendo, ſalubritatis rationem habitam videri volebat: id quoque ne finxiſſe videretur, ipſa biduo eo, quod cædis diem præceſſerat, in cœnaculo inferiore ſub Regis cubilo pernoctavit: ac, velut ſedulo ſuſpiciones ab ſe amoliebatur, ita cædis miniſterium aliis libenter delegari volebat.

Regina filii vitam veneno petit.

De tollendo Rege via præſtruitur a Regina & Bothuelio.

XII. Triduo fere priuſquam Rex interiit, *Robertum* fratrem ſuum cum eo committere tentavit: uter eorum periiſſet, pro lucro habitura. Pro ſemine diſcordiarum, Regina ſermonis, quem Rex ſecum de fratre habuiſſet, mentionem injecit. Et quum uterque ita diſſereret, ut alterum videretur arguere mendacii, tandem a verbis pene ad ferrum deventum eſt. Sed, cum uterque jam manum capulo admoveret, Regina, velut metuens ne fieret quod expetebat, *Moravium* alterum fratrem advocat: ut illi quoque vel in præſentia exitium, vel in poſterum crimen ſtrueret. Cum illac res non ſuccederet ex ſententia, aliam derivandi criminis rationem commenta eſt. *Moravius* cum abeſſet ab Aula libenter, tum etiam juſtam abſentiæ excuſationem haberet, quod uxor partui vicina, gravi præterea morbo laborabat: interea, cum a Duce Sabaudiæ legatus adeſſet, is color viſus eſt Reginæ idoneus, ut fratrem arceſſeret. Vera autem revocandi ejus cauſſa erat, quod in eum & *Mortonii* Comitem cædem Regis transferre volebat. Et eadem opera homines populares, & tyrannidem molienti adverſarios, tolle volebat. Sed *Moravio* divina clementia, quæ ſæpe antea plurimis inimicorum eum inſidiis liberaverat, tum quoque manifeſte affuit. Nam die Dominico, qui nonus erat Februarii, cum in templum ad concionem iret, literæ ad eum affe-

Atrox ſimultas inter Regem & Robertum Reginæ fratrem per Reginam excitata.

Moravius ſeceſſionem ab Aula facit.

1 *Facile apparebat*] Ita legendum monſtrat Hiſt. Lib. XVIII, 7. & proximo verſu *illis*, non vero (*apparebit*,] & [*illius*] uti libro noſtro habetur.

Moravius revocatus, ac Dei beneficio a perpetratæ cædis omni liberatus ſuſpicione. Huntilæus & Bothueſlios cædis Regiæ Moravium & Mortonium falſo inſimulant.

afferuntur, *Uxorem abortum feciſſe, ac in exigua ſpe vitæ animam ducere.* Hoc nuncio repentino perculſus, cum a Regina commeatum peteret, ea reſpondit, *Si res ita ſe habeat, ſupervacuum fore laborem itineris, ut qui nihil ægrotæ profuturus eſſet.* Sed cum ille vehementius urgeret, illa contra petit ab eo, ut ea tantum nocte maneret, poſtridie ad uxorem abiret. Sed divina (ut ſæpe alias) clementia hominem innocentem & præſenti periculo ſubtraxit, & calumniarum ſemina ſuſtulit. Quanquam ne ſic quidem; etſi ſuſpicionum cauſſæ aberant, calumnia caruit. Nam *Huntilæus* & *Bothuelius*, cum vere non poſſent, ſparſis libellis famoſis maculam fœdiſſimi ſceleris ei aſpergere conati ſunt: &, cum cædes poſt mediam noctem eſſet perpetrata, antequam illuceſceret, per idoneos homines rumores per Angliam diſſeminarunt, qui cædis auctores *Moravium* & *Mortonium* perferrent. Sed is rumor, luce veritatis oborta, ut falſa fere ſolent, confeſtim evanuit.

De morte & cæde Regis tota tragœdia & conjuratio exponitur.

XIII. Omnibus rebus ad crudele facinus apparatis, occaſionibus autem derivandi criminis præciſis, veriti [1] populares conjurationis, ne mora aut impedimentum afferret, aut occulta conſilia nudaret, properandum ſtatuunt. Regina igitur, poſtquam cœnaviſſet, de more ad Regis diverſorium conſcendit. Ibi cum nihil omittere ſtatuiſſet, quod reconciliati amoris indicium fore videretur, aliquot horas cum eo tranſegit, vultu & ſermone magis familiari, quam ſuperioribus ſex aut ſeptem menſibus conſueverat. Adventu *Paridis*, colloquium dirimit, ac reditum adornat. Erat autem *Paris* juvenis, natione Gallus, qui in familiis *Bothuelii*, *Setonii*, ac deinde Reginæ, aliquot annis vixiſſet. Is, cum ceteræ diverſorii claves penes Regios miniſtros eſſent, confictis cauſſis, neque ſatis juſtis, nec idoneis, claves anterioris januæ, [2] & poſticæ, a *Bothuelio* retentas, cuſtodiebat. Huic ſumma erat ſecretorum inter *Bothuelium* & Reginam fides. Ejus adventus indicium (ut convenerat) erat, omnia ad facinus apparata. Eo igitur conſpecto, Regina ſtatim aſſurgit, atque aliam abeundi cauſſam ſimulans, *Ego*, *inquit*, *in Sebaſtianum vehementer deliqui*, *quæ in nuptiis ejus hodie perſonata non affuerim.* Erat is *Sebaſtianus* [3] Arvernus genere, homo & ob pſallendi peritiam & ſales Reginæ admodum gratus; & eo ipſo die uxorem duxerat. Rege propemodum ſolo in ſolitudine illa relicto, Regina diſcedit, *Comitibus Argatheliæ*, *Huntilææ*, *&* *Caſſiliſſæ* eam deducentibus. Reverſa in cubiculum, poſt mediam noctem, ſatis longo ſermone cum *Bothue-*

Regina quomodo ſe gerit ante necem Regis.

Paris Gallus miniſter conjurationis, & ſocius.

Nocturna colloquia Reginæ cum Bothuelio ante Regis interitum.

1 *Populares conjurationis*] Ita correximus, pro quo libro noſtro ſcriptum eſt [*popularis;*] cæterum *populares* hic iidem ſunt qui *conſcii* vel *participes*. Sic Salluſt. Catil. cap. 24. *Quod factum primo populares conjurationis concuſſerat.* Et cap. 52. *Ne, ſi Romæ ſint, aut a popularibus conjurationis, aut a multitudine conducta per vim eripiantur.*

2 *Et poſticæ*] Supple *januæ*, ut modo dixerat *anterioris januæ*, aliter enim *poſtici* erat dicendum; nam *poſtica* ſubſtantive acceptum nuſquam reperio. Cæterum multum dubito an ita veteres locuti ſint, quippe qui per vocem *januam* anticas ædium fores, quod ſciam, ſemper ſignificabant.

3 *Arvernus*] Ita Cæſari aliiſque antiquis auctoribus ea vox ſcribitur, non *Avernus*, ut libro noſtro editum eſt.

I Paul-

thuelio collocuta, cum vir nemo, præter cuſtodum corporis præfectum, adeſſet. Hoc quoque ſecedente, *Bothuelius* ſine arbitris relictus, paullo poſt in ſuum cubiculum recedit: veſtem, ne ab obviis agnoſceretur, commutat: penulam laxiorem, qualis Germanorum equitum eſt, ſuperinduit, & ad deſtinatum ſcelus per excubias progreditur. Quæ autem fuerit facinoris conficiendi tota ratio, ex eorum confeſſionibus, qui eo nomine pœnas luerunt, facile intelligi poteſt.

Bothuelius penulatus per excubias ad cædem Regis proficiſcitur.

XIV. Peracto, cujus cauſſa profectus erat, facinore, *Bothuelius* redit: ac, tanquam omnium, quæ geſta erant, ignarus, it cubitum. Regina interea exitus exſpectatione ſuſpenſa, mirum quam (ut ipſi videbatur) venuſte ſuas partes egit. Nam nec ad fragorem ruentium ædium, qui totam urbem concuſſerat, quicquam commota, nec ad vulgi, quæ ſecuta eſt, trepidationem, diſſonoſque clamores, (nihil enim opinor ei novum acciderat:) donec *Bothuelius* iterum e lecto, trepidum ſe ſimulans, aſſurgit, & ad eam una cum *Comitibus Argathelia*, *Huntilææ* & *Atholiæ*, item cum uxoribus *Comitum Atholiæ* & *Marriæ*, & Secretario, adierunt. Ibi, dum prodigioſum facinus narratur, dum pro ſe quiſque factum miratur, *Regis diverſorium ab imis uſque fundamentis in aëra ſublatum*, *Regem ipſum mortuum*: in illo maximo ſtupore & trepidatione omnium Ordinum, animus ille heroicus Reginæ adeo non in humiles lamentationes, & indecoras Regio nomini, ſanguini, ordini, lacrymas ſe projecit, ut priorum temporum omnem conſtantiæ fidem vel æquarit, vel ſuperarit. Illud quoque ab eadem animi magnitudine profectum, quod majorem eorum, qui aderant, partem exploratum rei geſtæ ordinem mittit, ſtationes militum ſequi jubet. Ipſa deinde ſe ad quietem componit, vultu adeo tranquillo, atque animo imperturbato, ut ad meridiem uſque diei inſequentis placide conquieverit. Sed ne omnis humanitatis expers in mariti morte videretur, [1] paullatim tandem clauditur, luctus brevi finiendus indicitur. Vulgus, incertum lugeat an rideat, in diverſas cogitationes diſtrahitur: cum juxta periculoſum eſſet, ſimulationem aulicam vel agnoſcendo palam contemnere, vel male ſimulando videri agnoſcere. Cum alius aliorum ſermo, pro cujuſque captu & ingenio, eſſet; de quæſtione interim decernenda nulla fit mentio. Tandem, poſtridie, paullo poſt meridiem, cum & pudor & timor eos cogeret, princeps auctor facinoris *Bothuelius* cum aliquot conſciis conveniunt ad *Comitem Argathelia*, quod is rerum capitalium perpetuus Quæſtor eſſet. Primum, tanquam omnium quæ geſta erant ignari, rem novam, antea inauditam, incredibilem mirantur. Deinde quæſtioni paullum vacare incipiunt: pauperculas aliquot e vicinia mulierculas convocant. Quæ incertæ utrum expediret magis loqui an tacere, etſi ſermonem temperarent, tamen, cum plus effutiviſſent, quam exſpectabant judices, tanquam temere locutæ dimittuntur. Earum enim teſtimonia, etſi quoſdam urebant, facile

Cubiculum Regis pulvere ſulphureo a fundamentis concuſſum.

Regina quo animo quo vultu, & geſtu mortem mariti accepit.

De morte Regis vix ulla quæſtio aut perveſtigatio decernitur.

[1] *Paullatim*] [Vitioſam hanc vocem puto, nec enim ſenſus conſtat, nec conſulendi editionem principem facultas, in qua forte fuerit *Palatium*: quod corruperunt vel ſcribæ, vel operæ.]

facile erat contemnere. Arceſſuntur domeſtici Regis, quos ea calamitas non abſumſerat: negant claves in ſua poteſtate fuiſſe. Quis igitur eas habebat? ajebant Reginam. Differtur quæſtio in ſpeciem, re vera ſupprimitur: ne, ſi longius progrederentur, Aulæ ſecreta in vulgus prodirent.

XV. Ne tamen res neglecta videretur, proponitur edictum, pæmia decernuntur [1] indicibus. Sed quis auderet Reginam, aut (quod pene periculoſius erat) *Bothuelium* arguere tam nefandi facinoris? præſertim cum ipſe idem auctor, judex, quæſitor, pœnæ exactor eſſet futurus. Hic tamen metus, qui ſingulorum ora comprimebat, univerſos continere non poterat. Nam & libellis propoſitis, & picturis, & nocturnis per tenebras clamoribus effectum eſt, ut facinoris auctores facile intelligerent arcana ſua illa in vulgus prodiiſſe. Et, cum nemo dubitaret, qui ſcelus deſignaſſent, qui operas contuliſſent, quanto magis ipſi ſua nomina ſupprimere conabantur, tanto magis vulgi dolor inhibitus erumpebat. Hæc etſi ſe contemnere ſimulabant, tamen interdum eos adeo ad vivum rumores ſtimulabant, ut ſuum dolorem diſſimulare nequirent. Itaque, antiquata de morte Regis quæſtione, ſubit altera multo acrior adverſus libellorum auctores, & *Bothuelii* (ut ipſi dicebant) calumniatores: quæ adeo ſevere [2] exercebatur, ut neque pecuniæ, nec hominum, nec equorum labori parceretur. Pictores omnes convocantur: qui ſcripturam facerent ad unum arceſſuntur, [3] uti de picturis & [4] libellis propoſitis indicarent. Ac niſi pictor quidam ſe eum eſſe, de cujus opere contenderetur, profeſſus fuiſſet ultro, alter innocens, levi ſuſpicione attactus, pœnas daturus erat. Additur quæſtioni conveniens edictum, quo non proponere modo, ſed propoſitum ab alio legiſſe, capitale erat. Sed nec iſti, qui capitalis pœnæ comminatione ſermones vulgi compeſcere ſtudebant, ſæviſſima Regis morte ſatiati, odium erga mortuum remittebant. Bona defun-

Judicium ſimulatis edictis fucatum.

Libellis & picturis ſceleris auctores notati. Vulgi rumores contra Reginam & Bothuelium paſſim diſſipati.

Sævum edictum contra picturas & Bothuelii calumniatores.

1 *Indicibus*] Male libro noſtro *judicibus* ſcribitur. Vide Hiſt. Lib. XVIII. Cap. 20.

2 *Exercebatur*] Non *exercebantur*, quod habet noſtra editio. Vide Hiſt Lib. XVIII. Cap. 21.

3 *Uti de picturis & libellis propoſitis indicarent*] Ita legendnm monſtrat Hiſt. Lib. XVIII. Cap. 21. ubi eadem res iiſdem pene verbis narratur, *Pictores omnes & qui ſcripturam factitabant, convocentur, ſi forte ex picturis & libellis auctores indicare poſſent.* Male igitur in prima Edit. *judicarent* hîc ſcribitur, quod & Anglico intepreti impoſuit. Hinc autem (ut id quoque obiter attingam) præter alia ejuſdem generis argumenta, apertiſſime colligitur, Anglicam hanc interpretationem (quod pleriſque hactenus perſuaſum eſt) Buchanani ipſius non fuiſſe.

4 *Libellis propoſitis*] i. e. *ſchedis intimatoriis*, quas vocant, ſive *programmatis* in foro aliiſve locis publicis affixis. Ita Cic. pro Pub. Quintio, cap. 15. *De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur.* Et Ibid. cap. 6. *Libellos Sex. Alphenus, procurator P. Quintii, familiaris & propinquus Sex. Nævii, dejicit.* Senec. de Ben. IV. 12. *Suſpenſum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus.* Ulpian. l. 43. § 8. *de furt. Solent plerique etiam hoc facere, ut libellum proponant continentem inveniſſe, & redditurum ei qui deſideraverit.* Vide etiam infra Cap. XVII. Hunc genuinum hujus loci ſenſum non aſſequutus eſt Anglicus interpres, quem *libelli* hi in foro propoſiti pro *libris editis* fefellerunt: manifeſto, ut modo diximus, indicio hunc interpretem alium ab ipſo Buchanano fuiſſe.

5 *Dis-*

functi, arma, equos, veſtes, reliquamque ſupellectilem, Regina aut ejus interfectoribus, aut paternis inimicis (non ſecus ac ſi in fiſcum relata fuiſſent) diviſit: paternoſque ejus ſubditos, velut prædæ acceſſionem, pene ad extremam redegit inopiam.

XVI. Illud vero crudelitatis novum & inauditum fuit exemplum, quod velut animum ſupplicio, ita oculos ſpectaculo trucidati corporis paſcere voluit. Spectavit enim, non modo ſecura, ſed etiam avide, corpus omnium hujus ætatis pulcherrimum. Deinde repente, ſine ullo funeris honore, nocte per bajulos, vili feretro, prope *Davidem Rizium* ſepeliendum curavit. Hæc cum omnibus nota eſſent, & minas pœnarum populi indignatio, dolendi libertas metum viciſſet, paullatim domi vultum fingere, & ſimulatione luctus populi offenſi animum placare conatur. Nam, cum in more eſſet, a priſcis uſque temporibus, ut Reginæ, poſt maritorum obitum, quadraginta dies non modo cœtu hominum, ſed lucis etiam abſtinerent aſpectu, ſimulatum quidem luctum eſt aggreſſa: ſed animi ſuperante lætitia, foribus quidem clauſis, feneſtras aperit: & abjecta lugubri veſte, intra quartum diem Solem cœlumque aſpicere ſuſtinuit. Illud incommode prorſus evenit, quod cum *Henricus Kilgreus*, ab Anglorum Regina ad eam conſolandam (ut mos eſt) veniſſet, tota ſimulationis ſcena ab homine peregrino detecta eſt. Nam cum Reginæ juſſu in palatium veniſſet, quanquam homo diu in Aulis Principum verſatus, ac minime præceps, nihil properanter ageret: tamen adeo inopportune, theatro nondum ornato, intervenit, ut feneſtras apertas, lumina vixdum accenſa, cæterum hiſtrionicum apparatum [1] disjectum deprehenderit. E quadraginta vero diebus, qui legitimi ſunt luctui, duodecim ægre, ac non plene tranſactis, cum nec ſimulatio procederet, & affectus veros tam cito prodere puderet, tandem, confirmato animo, contemtis hujuſmodi nugis, ad ſe redit, ac veros mores profitetur. Ad *Setonium* cum paucis, nec iis adeo mæſtis comitibus, advolat. Ibi *Bothuelius*, quanquam ſumma, qua tum erat in Aula, gratia, & majorum nobilitas & honores poſtulare viderentur, ut ſplendidiſſime, ſecundum Reginam, acciperetur, tamen proximum culinæ cubiculum ei datur: neque tamen omnino incommodum ad luctus minuendos: erat enim Reginæ cubiculo ſubjectum, &, ſi quid repentini doloris accidiſſet, ſcalæ erant, anguſtæ quidem illæ, ſed quæ aditum tamen *Bothuelio* ad eam conſolandam præberent.

Diræ crudelitatis exemplum in Regina erga maritum.

Rex ſine funeris honore, nocte prope Davidem Rizium ſepelitur.

Luctus Reginæ ſimulatus.

Regina, luctu longe ante tempus abjecto, ſe ſe iterum reficit cum Bothuelio.

XVII. Interea rumore in Galliam perlato, *Crocus* (qui ſæpe antea in Scotia legationibus erat perfunctus) intervenit: quanquam omnino incommode. Ejus ſuaſu, ex illo (etiam in Gallia infami) latibulo, Edimburgum reditur. [2] Sed apud *Setonium* tot commoditates habebat, ut vel cum famæ diſpendio

eo

1 *Disjectum deprehenderit*] Libro noſtro *apprehenderit* ſcriptum eſt; quod haud cunctanter in *deprehenderit* nos mutavimus. Num dubitas utra lectio ſit præferenda?

2 *Sed apud Setonium tot commoditates habebat, ut vel cum f. d. e. r. e.*] Hiſt. lib. XVIII. cap. 20. ubi hæc eadem ſententia habetur, voces [*apud*] & [*vel*] omittuntur: an vero caſu an conſilio id factum, lectori dijudicandum relinquo.

Comes Leviniæ Regis pater, Bothuelium Regiæ cædis reum peragit.

April. Judicium de cæde nullo ordine, nulla ſervata juris forma, tumultuaria feſtinatione contra Bothuelium inſtituitur.

In judicibus conſtituendis nullus habitus delectus, nec permiſſa rejectio.

eo redeundum eſſet: ibi conſilia magnis regni de rebus aguntur. Omnis autem conſultationis illud caput erat, ut *Bothuelius* cædis reus ageretur, ac per coactos ad id judices purgaretur. Leviores judicum gratia & pollicitationibus; graviores, quos ad ſpeciem addi oportebat, metu ad eum abſolvendum poſſe adduci. Nam, præter libellos paſſim ſparſos, & Regis pater, *Leviniæ Comes*, eum palam cædis auctorem deferebat. Sed inſtabat Ordinum conventus ad 13 Aprilis: ante quem diem judicium peragi volebant. Ea feſtinatio in cauſſa fuit, ut nihil jure, nihil ordine, nihil more majorum, in eo judicio fieret. Accuſatores de more citari debebant, proximi, uxor, pater, filius: ut vel ipſi adeſſent, vel procuratores mitterent: legitimi erant quadraginta dies: pater adeſſe ante 13 diem juſſus, idque ſine amicorum advocatione, cum ſua tantum familia, quæ in ſumma ejus inopia ad pauciſſimos erat redacta: cum interea *Bothuelius* cum magnis agminibus tota urbe volitaret. Et quia neminem, tam certo periculo propoſito, putabat accuſationi ſubſcripturum; tanta erat apud eum negligentia, tantus legum & judiciorum contemtus, ut conſtitueretur judicium de cæde, quæ nono die facta diceretur, cum decimo Februarii Rex fuiſſet interemtus. In judicum lectione & rejectione eadem fuit ſeveritas: a ſicariis ipſis judices lecti, cum nemo eſſet qui rejiceret.

Comes Caſſiliſſæ.

XVIII. *Comes Caſſiliſſæ*, cum multam de more ſolvere mallet, quam judex legi, neque Reginæ roganti minantique, & annulum ad fidem faciendam & precum & minarum mittenti, pareret, metu tandem relegationis & pœnæ coactus, de ſententia diſceſſit. Sedent judices, non lecti ad decernendum, ſed ſelecti ad abſolvendum: agitur cauſſa ſine adverſario: judicium capitis, in quo nemo accuſat, niſi a reo ſuppoſitus: ut non in foro cauſſam, ſed in theatro fabulam agi putares. In tanta rerum ſecuritate (videte quæſo quantum valeat in utramque partem conſcientiæ teſtimonium) prodiit derepente, ex inopinato, juvenis e familia *Comitis Leviniæ*, apud quem officii ratio vicit metum periculi. Is proteſtatur, *Eum conſeſſum judicum non eſſe: quippe in quo nihil jure, nihil ordine ageretur.* Ad hanc vocem tantus metus eſt injectus judicibus, uti omnes uno ore proteſtarentur, *Ne ſibi aliquando fraudi eſſet, quod reum abſolverent, cujus nemo eſſet accuſator:* item, *quod cædis eum abſolviſſent, quæ facta diceretur nono Februarii, cum Rex decimo die eſſet occiſus.*

Proteſtatio contra judicium.

Proteſtatio judicum.

Bothuelius in judicio abſolvitur, ubi nemo accuſare audet.

Bothuelius in cauſſæ defenſionem, ad monomachiam provocat.

Hoc eſt illud nobile judicium, quo *Bothuelius*, non crimine liberatus, ſed velut atramento ſutorio lotus, nuptias Reginæ honeſtius ambire volebat, turpior maritus futurus, quam antea fuerat mœchus. Ad cumulum hujus abſolutionis, propoſitus eſt libellus in celeberrimo fori loco, *Bothuelium, etſi legitimo judicio a cæde, cujus falſo arguebatur, legitime purgatus eſſet, tamen, quo ſua innocentia omnibus foret manifeſtior, ferro decernere paratum, ſi quis integra fama, & honeſto loco natus, eum Regiæ cædis inſimularet.* Nec defuit qui poſtridie per libellum publice propoſitum acciperet conditionem, modo locus certamini decerneretur, in quo ſine metu nomen auderet profiteri.

XIX.

Parliamentum in Scotia celebratum.

Regina poſt Regis obitum, nuptias ambit cum Bothuelio, vivente adhuc Bothuelii uxore.

XIX. In hoc motu animorum, conventus Ordinum habetur. Ibi, cum per octo fere dies de tollendo judicio, quo pater *Huntilæi* majeſtatis erat damnatus, ac filio reſtituendo in bona & honores paternos, actum eſſet: nonnulla item blandimenta plebi conceſſa; ac in primis Eccleſiæ, ut leges aliquot Papiſticæ tyrannidis, de pœnis eorum, qui contra decreta Romanæ ſedis mutire auderent, tollerentur. Hæc etſi in vulgus grata erant, unum tamen ſupererat, quod non minus Reginam angeret, quam populum offenderet, conſuetudo videlicet illa cum *Bothuelio*, nec tam palam, quam Regina cupiebat, nec tam occulta, ut populum falleret; præſertim omnium oculis in eos conjectis. Nam cum Bothuelius uxorem haberet, & divortium exſpectare longum eſſet, & interea Regina, nec palam habere, nec clam potiri, nec omnino eo carere poſſet: velamentum, ſi non honeſtum, ſaltem aliquod quæritur. Et, cum nihil aliud ſuccurreret, in primis lepidum commentum viſum eſt, ut *Bothuelius* Reginam per vim raperet, & ita ejus pudori conſuleret. Igitur paucis poſt diebus, dum Sterlino redit Regina, a *Bothuelio* capta Dumbarum ducitur. Volenſne an invita, ex literis ad eum ex itinere ſcriptis facile quivis intelliget. Sed, ut ut res erat, uti raptus injuria nuptiis honeſtis aboleretur, *Bothuelii* uxor cogitur in duplici foro de divortio litem intendere.

Regina calidiſſimo commento divortium ſerit inter Bothuelium ejuſque conjugem.

Regina per vim ſeſe rapi patitur a Bothuelio.

Bothuelii uxor propter raptum Reginæ cogitur litem divortii contra maritum perſequi.

Bothuelius ex turpi mœcho, turpior maritus, turpiſſimus vero homicida, nuptias cum Regina conficit.

XX. Apud judices auctoritate Regia delegatos ad jus dicendum in hoc genere cauſſarum, accuſat uxor maritum de adulterio, quæ una juſta apud eos erat divortii cauſſa. Apud judices Papiſticos, Ordinum quidem decreto vetitos, tamen ab Archiepiſcopo Sancti Andreæ ad hanc cauſſam cognoſcendam datos, accuſatur, quod ante matrimonium cum propinqua uxoris ſtupri conſuetudinem habuiſſet: celato interim Pontificis Romani diplomate, quo venia ejus culpæ facta erat. Nulla divortio, nec in teſtibus, nec in judicibus mora. Intra enim decimum diem, lis ſuſcepta, incepta, conteſtata, diſceptata, dijudicata eſt, apud utroſque judices. Relata ad Dumbarum divortii ſententia, *Bothuelius* omnes amicos & clientes undique convocat, ut Reginam, quæ captiva videri volebat, Edimburgum reducerent. Hi cum armati plerique conveniſſent, in itinere, dum Reginam reducunt, metus multorum animos perculit, ne aliquando accuſari poſſent, *Quod Reginam captivam tenerent. Ut cætera deſint, hoc unum ſatis argumenti eſſe, quod armati circa eam, in rebus ac temporibus alioqui pacatis, eſſent.* Hoc ſcrupulo injecto, abjiciunt omnes in medio itinere lanceas: & pacatiore, ſaltem in [1] ſpeciem, comitatu, eam in arcem Edimburgenſem ducunt, quæ & ipſa in *Bothuelii* poteſtate erat. Ibi cum *Bothuelio* commorata, dum Bannæ, quas vocant, denunciarentur, tum demum ex arce in oppidum deſcendit, & ad concilium publicum judicum acceſſit: pronunciat ſe liberam, ac ſui juris. Ac ita demum [2] innuptas illas nuptias intra diem octavum confecit; omni-

1 *In ſpeciem*] Libro noſtro [*in ſpecie*] legitur: *in ſpeciem* vero Romani dicebant, &c. ita Hiſt. lib. XVIII. Cap. 29.

2 *Innuptas illas nuptias*] Cic. de Orat. lib. 3. cap. 58. e vetere quodam Poëta,

omnibus bonis eas adeo exſecrantibus, aut certe abominantibus, ut *Crocus* Regis Francorum legatus, homo Reginæ ſtudioſiſſimus, & Guſianæ etiam factionis, & in propinquo habitans, licet multum rogatus, non exiſtimaret e ſua dignitate ad cœnam adeſſe. Hæc ad 15. Maji, An. 1567. acta ſunt. Decimo quinto vero proximi Junii, *Bothuelio*, vel conſcientia ſceleris perterrito, vel ab Regina ablegato, [1] ipſa ad Proceres, qui parricidam publicum ad ſupplicium depoſcebant, venit.

Maji. *Junii.* Bothuelius tanquam publicus parricida ad ſupplicium a Proceribus depoſcitur.

Quæ ab eo die geſta ſunt, non admodum ad præſentem cauſſam pertinent. Et quanquam longior fortaſſe, veſtra opinione, mea fuit oratio, tamen facile ſentio, dum exitum aliquem narrationis quæro, multa me præteriiſſe, plurima feſtinandi ſtudio leviter percurriſſe, nihil fere pro ſceleris atrocitate explicaſſe.

Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis. Et ita alibi locutus eſt noſter Epiſt. 27.

1 *Ipſa ad Proceres*] Ita legendum, non [*ipſe*] quod libro noſtro fertur, tum res ipſa, quum Hiſt. Lib. XVIII. Cap. 49. oſtendit.

F I N I S.

ACTIO

ACTIO CONTRA MARIAM Scotorum Reginam:

In qua ream & conſciam eſſe eam hujus parricidii neceſſariis argumentis evincitur.

I. HÆC cum & literis & teſtibus ita teneantur, & in totius populi conſcientia ſic hæreant, ut nec qui maxime occculta ea cuperent, inficiari tamen poſſint; quis locus ingenio hîc relinquitur? aut quis diligentiæ uſus eſſe poteſt, in re perſpicua vel confirmanda vel refellenda? Omnia enim tam clara, tam manifeſta, tam mutuis viribus nixa ſunt, ut externis probationibus non egeant: omnia tam teſtata, ut argumentis non ſit opus. Nam ſi quis a me, quod in aliis cauſſis fieri ſolet, tanti ſceleris cauſſas requirat, poſſem quoque de eo viciſſim quærere; cum de loco, cum de facto, cum de auctore conſtet, quorſum opus eſt in cauſſis excutiendis immorari? aut quibus facultatibus res geſta ſit, inquirere? Rurſus, cum tot odiorum cauſſæ ſuppetant, tot indicia ſe ſponte proferant, ut rebus etiam incertis fidem facere poſſent, ſupervacua tam longa rei geſtæ explicatio videri poterit. Sed tamen, cum tanta ſit & ſceleratorum in negando impudentia, & impudentium in fingendo confidentia, experiamur quibus armis veritas adverſus hæc monſtra tueri poſſit innocentiam. Igitur ſi cauſſas tanti facinoris quærant, dico fuiſſe inexpiabile odium. Quæro ab iſtis, odiumne fuiſſe negent? ac tantum fuiſſe, ut non niſi ſanguine potuerit ſatiari? Si odium negent, illud reſpondeant: cur mulier adoleſcens, dives, nobilis, denique Regina, adoleſcentem formoſum, propinquum, Regii item generis, & (quod majus eſt) amantem, ab ſe ablegavit prope in exilium, hieme aſpera, in loca nec copiis abundantia, nec incolis frequentia, ac fere ſemper latronibus infeſta? cur in colles deſertos & nudos, tenui viatico, in aperta pericula, prope nullo comitatu, dimiſit? aut quid aliud, ſi maxime odiſſet, & e medio ſublatum vellet, quid, inquam, aliud conſuluiſſet? At nihil tale timuit, credo. Sed ego iſtam animi ſecuritatem, odii obſtinati indicium eſſe arguo: præſertim cum & loca cognoſceret, & pericula non ignoraret. In illa igitur loca maritum illum, cui non ita pridem nupſerat, invitis civibus, invitis utriuſque amicis, ſine quo durare non poterat, quem vix e conſpectu dimittere audebat, in mortem incertam, ſed certa pericula, amandat.

> Actio in qua Reginæ Scotiæ arguitur parricidii.

> Odium Reginæ contra maritum implacabile demonſtratur.

II. Quæres ex me mutati animi cauſſas? Quid ſi me ignorare dicam, ſatis eſt ad id quod volo, monſtrare odium fuiſſe. Quid ſi ego quæram, cur adoleſcentem, modo viſum tam impotenter prius amaverit? cur tam properanter nupſerit, & immodice honorarit? Ita quarundam ſunt ingenia, præſertim quæ ſuæ fortunæ magnitudinem ferre non poſſunt, vehementes habent in utramque partem affectus, impotenter amant, immoderate oderunt; &, quocunque inclinant, non conſilio reguntur, ſed impetu feruntur. Poſſem e monumentis vetuſtis infinita referre exempla, ſed malo de ſe illi credere. Revocate in memoriam partem illam epiſtolæ ad *Bothuelium*, qua ſe Medeam facit, hoc eſt, fœminam, quæ nec in amore nec odio modum teneat. Poſſem & alias odiorum (etſi non juſtas) tamen quæ animum impotentem impellere & præcipitare queant, cauſſas proferre. Continebo me tamen. Et, ſi per eam liceat, utcunque de ſuis civibus merita eſt, quantum per cauſſam publicam licet, parcam ejus honori: parcam etiam plus quam per cauſſam liceat. Omitto igitur alias odiorum cauſſas, illuc redeo, odiſſe certum eſt, nec leviter odiſſe.

Odii cauſſæ exquiruntur.

Regina ipſamet in literas ad Bothuelium ſeſe Medeam, Bothuelium Iaſonem facit.

III. Vultis etiam aliud odii argumentum? Uxor indulgens, quando conjugis non poteſt, lenæ munus marito ſe præſtituram promittit. Fratris uxorem potiſſimum delegit, quam ſui loco ei objiciat. Quam hujus repentinæ mutationis cauſſam eſſe exiſtimabimus? Quæ modo omnes ſuſpicionum auras adverſus maritum colligebat, &, ubi veriſimiles non ſuppetebant, affingebat manifeſte falſas; nec id, dum amaret, ſed poſtquam odiſſe cœperat, ſollicite faciebat, cum divortii omnes quæreret occaſiones: nunc offert ultro quam amet, ſtudium ſuum oſtentat, operam pollicetur. Quid cauſſæ opinemur? ut marito gratificetur? at oderat, & ſi amaret, etiam in muliere facinus iſtud incredibile eſt. Ut Rex mutua ſtuprorum conſcientia devinctus, rivalem facilius ferret? at invitus ferebat. Ut inventa cauſſa divortii, vacuum *Bothuelio* thalamum relinqueret? hoc profecto petebatur. Sed nec hoc ſolum. Nullum in hac muliere ſimplex flagitium putatote. Oderat *Moravii* uxorem, eo odio, quod omnes mali bonos oderunt. Urebat eam diſpar utriuſque fama. Et maritum ejus cum Rege committere volebat, ut duabus ſimul moleſtiis ſe liberaret. Videtis quot quantaſque res una opera conficere conetur. Inimicum adulteri, & ſuæ licentiæ moderatorem, & maritum inviſum, ſe ſublaturam opinatur, dum per ſcelerum tot diverſa genera ad ſceleratas nuptias feſtinat.

Aliud odii argumentum. Regina operam lenæ marito pollicetur.

In uno Reginæ facto quot quantaque concurrant flagitia.

Per ſceleratas cædes & diſcordias, ad ſceleratas nuptias Regina adultera feſtinat.

IV. Quid illa *Moravii* de multa nocte tam trepida vocatio? diem exſpectare non poterat? quæ tam ſubitæ formidinis occaſio? Timebat videlicet mulier, concordiæ inter Proceres ſtudioſa, fratris amans, mariti amantiſſima, ne fratrem de nocte Rex, quem ipſa exarmaverat, aggrederetur. Exarmaverat, dico? imo omni honeſto comitatu ſpoliaverat, quem jurgiis muliebribus laceſſendum curaverat, idque per unam comitum ſuarum, non minus perfrictæ frontis, quam profligatæ pudicitiæ. Metuebat ne is adoleſcens, omnibus amicis deſtitutus, omnibus miſeriis circumventus, invaderet de nocte. Quem hominem? Reginæ fratrem, fama & opibus florentem,

tem; ſumma apud omnes ordines gratia. Ubi invaderet? in arce munitiſſima, ubi nec ad fugam eſſet exitus, nec ad Reginæ miſericordiam aditus. Qua de cauſſa invaderet? inimicitiæ erant nullæ, niſi quarum ipſa ſemen jecerat. Quid ſi idipſum maxime expetebat, quod ſe maxime timere ſimulabat? nam alioqui cur fratrem, de nocte, inermem, ad ſe advocat? cur non illud ſaltem monet, ut, quia & præter & propter fores Regis eundum erat, [1] ſaltem arma capiat? Imo, cur non aut periculi monuit, aut arceſſere in proximum diem diſtulit? ſed longe aliud agebatur. Regem a ſe, uti putabat, inflammatum odio *Moravii* dimiſerat. Itaque non difficile fore putabat, ut Rex, recenti ira percitus, ætate præceps, ob amorem credulus, inimicum, nudum, incomitatum, inermem, conficeret: atque ita Regem ad cædem ira inflammatum mittebat, *Moravium* nudum, & incomitatum, & incautum, in inſidias præcipitabat. Hæc mens, hic animus ejus erat. Sed prava conſilia, utcunque callida, non ſemper ſunt felicia.

Regina exſecrabili conſilio inimicitias inter Proceres diſſeminat.

V. Quid illud? quod poſt partum, quo tempore mulieres aliæ in maritorum caritate maxime conquieſcunt, in aſpectu allevamentum doloris ſentire ſe fatentur; quæ eo tempore maritum abigit, quid aliud facere eam exiſtimabimus, quam, quod eſt apud Comicum, *præ amore, ut fit, eum excludere foras?* At illa tenellula, quæ maritum aut excludit, aut intromiſſum ſtatim abigit, quæ ad ejus conſpectum nauſeat, cui, eo præſente, dolores oboriuntur, cum in myoparone, cum piratis & latronibus, [2] *errat per puppim, & duros gaudet tractare rudentes*; non jam quæro, quem amet, quem oderit? Quod etiam ad Aloam ſuæ voluptatis moleſtum interpellatorem abegerit; quod iterum Edimburgum ad ſe profectum rejecerit, non accuſo: non mariti odio, ſed animi ſui cauſſa, feciſſe credam. Quod rurſus Jedburgi ad ſe non admiſerit, ignoſco. Cujus enim mortem tantopere expetebat, non immerito metuebat, ne vis morbi, eo conſpecto, invaleſceret. Quod autem vetuerit, ne quiſquam eum hoſpitio ſuſciperet; ne quis cibo potuve juvaret: quod propemodum aqua, & igni interdixerit, odii profecto immanis indicium. Sed contagium etiam timuiſſe videtur, ſi vel in vicino maritus verſaretur. Quod a Cragmillario rurſus Sterlinum eum remiſerit, non queror. At quod rebus omnibus ſpoliaverit, miniſtros abſtulerit, ſumtus imminuerit, Nobilitatem alienaverit, hoſpitum conſpectu eum prohibuerit, & (quod in ipſa erat) cœlum, ſolum, aëris hauſtum vivo abſtulerit, inhumanitatem, odium, feritatem, an truculentiam appellem, dubito. Quod autem Sterlino abeunti vaſa argentea abſtulerit, ignoſco. Quid enim ei opus argento erat, qui præſentem in ſinu mortem efferret? Illud vero quantum omnium indignationem conciverit, cogitate: quod cum Rex in ſolitudine, ſqualore, & egeſtate verſaretur; interim *Bothuelius*, tanquam ſimius in purpura, legatis externarum gen-

Alia odii manifeſtiſſima indicia.

Rex toties a Regina indigniſſime acceptus, rejectus, & ludificatus.

Prodigioſa Reginæ erga maritum inhumanitas.

1 *Saltem arma capiat*] Libro noſtro male legitur [*ut ſaltem arma capiat*,] ſuperflua particulæ [*ut*,] quæ ſuperiore verſu habetur, iteratione.

2 *Errat per puppim & d. gaudet t. r.*] Male libro noſtra *erat per puppem & d. gaudeat t. r.* legitur. Vide Juven. Sat. VI, verſ. 102.

gentium oſtentabatur: & æmulus, non minus in mariti invidiam, quam ob ſui amorem, omnibus rebus ornatus produceretur; & is æmulus, qui nec genere, nec forma, nec ullis honeſtis artibus, eſſet cum marito comparandus. Hîc velim odii fuiſſe negent indicia.

Odium Reginæ in maritum quam implacabile & immane fuerit. Summa Regis humanitas, & obſequia, ſummis injuriis retaliata.

VI. At quantum & quam implacabile id fuerit odium, vel hinc colligite. Maritus, toties excluſus, toties cum ignominia dimiſſus, ad extremam redactus inopiam, in angulum extremum, procul ab Aula, procul ab oculis hominum relegatus, miniſtris & inſtrumento domeſtico ſpoliatus, & propemodum victu neceſſario fraudatus, nullis injuriis abigitur, nullo metu mortis deterretur: obſequiis, & patientia, immitis animi violentam feritatem, ſi non frangere, certe aliqua ex parte lenire conatur. Quid interim bona uxor, clemens Regina, & in calamitatibus hominum lenis & miſericors? Nec officiis, nec precibus, nec ſqualore & ſordibus mariti flectitur: neque tempore mitigatur, nec ſatiatur ſuppliciis. Imo vero obſequio irritatur, precibus accenditur, & ad omnem ejus adventum novam contumeliæ acceſſionem comminiſcitur. In quibus ubi omnem ingenii vim, & naturæ acerbitatem conſumſit: ubi miſerum adoleſcentem, nec penuria preſſum deficere, nec ab omnibus contemtum, & toties periculis objectum, tamen animum deſpondere, aut quidquam in ſe gravius conſulere videt; tandem, velut miſeriis & ſuppliciis ejus ſatiata, ſtatuit illum ærumnis, ſe moleſtiis, metu rivalem liberare: ac per idoneos ejus rei miniſtros venenum ei dandum curat: ut videlicet abſens minore ſuſpicione moreretur. Sed de veneno alio loco dicam.

Regina venefica veneno maritum tollere laborat,

VII. Ubi hæc machinatio non ſatis ex ſententia ei procedit, Glaſcuam ipſa proficiſcitur; ut quem abſentem tollere non poterat, præſentis præſens miſeriis animum truculentum & oculos etiam expleret. Et, tanquam ipſa ad exigenda ſupplicia per ſe non ſufficeret, ſuorum quidem flagitiorum adminiſtros, illius vero paternos inimicos, ante oculos adduxit, & ſupremos ejus ſpiritus his tormentis excarnificare tentavit. Sed quorſum argumenta, tanquam in re dubia, colligimus? cum ipſa non ſinat nos dubitare: ipſa, inquam, Regina palam profeſſa eſt, non apud amatorem in lecto, nec inter conſcias in cubiculo, nec apud paucos & ignobiles, fortuna ad aſſentandum natos, penuria coactos, conſilio deditos; ipſa palam confeſſa, nullam ſibi, niſi a Rege liberatæ, vitam fore: nec id ſemel, neque temere; ſed apud eos viros, quos de rebus graviſſimis adhibere in conſilium ſolebat. Temere enim effuſum credi non poteſt, quod toties, tot locis, tam diſtantibus, etiam adjectis ad fidem lacrymis, apud homines, genere, divitiis, fama, prudentia præſtantes, dixit: de quo ſuam oſtendit ſententiam, illorum captavit aſſenſum, exſpectavit conſilium. Sed ſimulaverit illa, ſimulatæ fuerint lacrymæ, qui audierunt non crediderint, & magnitudo ſceleris orationi fidem abroget. Et ego profecto me libenter in eo numero cenſerem, qui tentandi cauſſa hæc prolata, potius quam ex animo crederent, niſi res verba comprobaret, & factorum immanitas verborum acerbitatem longe ſuperaret.

Regina ſua ipſius confeſſione tenetur.

VIII. Abituro enim Glaſcuam venenum dandum curavit: per quem, in-

quies?

Veneni crimen Reginæ intenditur.

quies? quomodo? quale? unde paravit? Me iſta interrogas? quaſi ſcelerum miniſtri ſceleratis Regibus unquam deſint. At urges fortaſſe, & qui ſint iſti miniſtri, me rogas. Primum de veneno conſtat. Nam, ut hominum impudentia rem tam apertam inficiari vellet, tamen morbi genus novum, vulgo incognitum, medicis ignotum, iis præſertim qui in Italia & Hiſpania minus verſati eſſent: liventes toto copore puſtulæ eruperunt: cruciatus omnium membrorum, fœtor intolerabilis. At ſigna dubia ſunt, multorum morborum communia ſunt. Hæc ſi cauſſa apud Catonem illum Cenſorium ageretur, omnia nobis expedita forent: quippe qui nullam adulteram non eandem veneficam eſſe ſibi perſuaſerat. Quærimus locupletiorem Catone teſtem, cujus ſingulas ſententias, totidem oracula vetuſtas exiſtimavit? Cujus auctoritas in rebus dubiis ſæpe plurimum valuit, in re manifeſta ei non credemus? Dicit teſtimonium homo ſumma integritate, ſumma fide, & adverſus fœminam dicit, odio mariti, adulteri amore flagrantem, & in utroque genere morbi effrenem, & impotentem fortunæ, potentia furentem, & ſuis divitiis indulgentem. Sed vetera & obſoleta mittamus, & a cauſſa Regia vulgi inconſtantiam repellamus: neminem in re tanta teſtem recipiamus, cujus vel in fortunam ſuſpicio, vel in mores reprehenſio cadere poſſit. Quibus igitur teſtibus utemur? iſta enim lege, Regum aliquis producendus eſſet. At iſta facinora non magnis viris & bonis, ſed malis & ſceleratis miniſtris committi ſolent. Sed ut hic quoque moroſiſſimis ſatisfiat, age, Regium teſtem citemus. Legite ipſius epiſtolam: epiſtolam, inquam, ipſius manu ſcriptam. Quid ſibi vult illud? *Non multum deformatus eſt, multum tamen accepit.* Cujus tandem rei multum accepit? Res ipſa, morbus, puſtulæ, odor loquitur. Nempe illud accepit, quod deformitatem induxit, venenum videlicet. At epiſtola venenum non nominat. Illud mihi ſatis eſt quod dicitur, *Quod licet multum acceperit*, *non tamen multum deformatus eſt*, aut *licet non multum ſit deformatus*, *tamen multum acceperit*. Quid ſibi vult illud *tamen?* quid aliud, quam quicquid illud ſit quod acceptum fuerit, in eo cauſſam deformitatis fuiſſe: quod etſi multum fuerit, tamen parum ad eam, quæ expetebatur, deformitatem. Sed non fuerit venenum. Subjice aliud. Nihil comperies quod in eum locum poſſit commode ſupponi. Denique quicquid hac voce, *multum*, intelligitur, tale eſt, ut nec ipſa in tam familiari epiſtola audeat ſuo nomine appellare. Sed etiamſi tergiverſari velimus, non licet per ipſam: conferte præterita cum futuris, ex ejus in poſterum conſilio quid fecerit intelligetis.

Regina Regio teſtimonio convincitur, proprii videlicet ipſius manu, propriaque epiſtola.

Veneni certitudo certiſſimis argumentis adſtruitur.

IX. Primum *purgatione* opus eſſe ait: deinde ad Cragmillarium eum ducere ſtatuit, ubi & medici, & (quod periculoſius eſt medico) ipſa poſſit adeſſe. Demum cum *Bothuelio* conſultat, an occultiorem rationem ipſe comminiſci queat per medicinam, idque ad Cragmillarium, & a balneo. Videte quam omnia conſentiant: *Multum accepit*, & *purgandus eſt*, & *ad Cragmillarium*. Nempe in ſolitudine, & loco propter infrequentiam ad nefarium ſcelus commodo: & medicina uſurus, qua tandem? nempe illa, e qua multum antea acceperat. Unde id ſciemus? Vult occultam medicinæ rationem eſſe. Si ad ſanandum, quid opus iſta occultatione? Cur non palam, & celebri loco datur?

tur? Cur morbo levatus, jam vegetus & valens, non uſitata ratione & loco purgatur? Sed novum iſtud morbi genus erat; novis opus erat remediis. Quos igitur medicos adhibet in conſilium? Cui iſta mandatur cura, ut novam Regi medicinam conquirat? Nempe Regis inimico, Reginæ adultero, omnium bipedum nequiſſimo, & cujus domus in Gallia infamis fuit veneficiis, cujus e miniſtris eo nomine alii torti, alii in carcerem conjecti, omnes ſuſpecti fuerunt. Quando iſtam præclaram medicinam ſumturus erat? Aut in balneo, ubi ſolus loturus; aut ſaltem a balneo, ubi ſolus cœnaturus. Sic ſcilicet comparari medicina ſolet per inimicos, in loco ſecreto, nullis arbitris. Igitur quod adulter, quod adultera, quod inimicus, quod rivalis diligenter parat, & occulte dat, quale id pharmacum, apud ſe quiſque exiſtimet & expendat. Jam, opinor, odium Reginæ erga maritum, quam fuerit implacabile, quam atrox, quam obſtinatum, videtis: quem latronibus objecit, cum Nobilitate, cum fratribus ſuis committere voluit; quem nudum & inopem, oneratum contumeliis, vexatum jurgiis, veneno petitum, in ſolitudinem, ut cum ſummo cruciatu ibi moreretur, ejecit. Nunc ad alias cauſſas pergamus. Fuit quidem odium illud per ſe ſatis ad impellendum ad inimici cædem, ſæpe quæſitam, ſemel tentatam, & propemodum peractam.

X. Tamen acceſſit & alia vis acrior, quæ odium quoque inflammaret: amorem dico, quo impatienter *Bothuelium* eſt proſecuta: quem amorem qui non viderit, illum autem viderit, incredibilem fortaſſis opinabitur. Quid enim erat in eo, quod mulieri paullum honeſtiori concupiſcendum foret? Viſne

Προσωπογραφία.

eloquentiæ? an formæ dignitas? an virtus animi, quæ rerum fortuitarum acceſſione commendarentur? At de eloquentia & forma non eſt opus oratione longa: cum & qui eum viderint, vultus, & inceſſus, corporiſque totius qui fuerit habitus, meminiſſe poſſint; & qui audierint, hominis infantiam & hebe-

Hypotypoſis, ſeu evidentia, Bothuelii perſona, ingenium ac more depinguntur,

tudinem non ignorent. At fuit in ſuſcipiendis negotiis prudens, in ſubeundis periculis fortis, in dando munificus, in voluptatibus temperans. Prudentiam nec qui ſunt ei addictiſſimi tribuere audent. Fortitudinis opinionem captavit: ſed inter equites, ſedens in equo perniciſſimo, ſui ſecurus, alienæ pugnæ ſpectator: interdum fugientium terga premebat: hoſtis adverſum vultum nunquam propius intueri ſuſtinuit. Vultis præclaræ [1] fortitudinis ſpecimen? A latrone notæ ignaviæ, cui dedito, nec opinanti, lethale vulnus inflixerat, in terram proſtratus, vulneratus, incruentis plagis contuſus: ac interemtus eſſet, niſi latronem moribundum vires defeciſſent. Poſſem inanes ejus in Gallia minas commemo-

Vecordia Bothuelii.

rare, poſſem poſtremam ejus [2] uſque Cimbros trepidam fugam. Sed illius diei malo repetere memoriam, quo, eo relicto, Regina ad Nobilitatem cæ-

dis

1 *Fortitudinis ſpecimen*] Ita reſtituimus, pro quo mendoſe *fortitudinis ſpeciem* libro noſtro eſt editum, ut & ſequenti linea *nec inopinanti*, pro *necopinanti*.

2 *Uſque Cimbros*] *Uſque* non ſemper (quod Grammaticorum vulgus autumat) Accuſativo poſtponitur ita enim Cic. 4 in Verr. cap. 49. *Tum ex ampliſſimo collegio decemvirali ſacerdotes populi Romani* ——— *uſque Ennam profecti ſunt*. Ita apud eundem legas, *uſque Puteolos*, *uſque Romam*, *uſque Laodiceam*. Juvenal. Sat. x. *Uſque Auroram & Gangem*.

3 *Poëta*

dis Regiæ vindicem acceſſit. Stabant in procinctu acies, erat *Bothuelius* militum numero par, loco longe ſuperior: erat propoſitum victori præmium, Regina ejus amantiſſima, regnum, opes, honores, & ſibi & poſteris: adhæc ſcelerum præteritorum impunitas, in poſterum ſumma licentia; amicos honeſtandi, inimicos ulciſcendi poteſtas: victo autem ignominia, contemtus, egeſtas, exilium; denique omnia quæ poſt acciderunt, aut in poſterum evenire poſſunt, ante oculos erant. Aderant, præter duos exercitus, fortitudinis & ignaviæ cujuſque ſpectatores & teſtes, Regina certaminis præmium, & *Crocus* Regis Gallorum legatus. Exſpectatis quid ibi magnificus fortitudinis oſtentator fecerit? Primum inſigni equo vectus proceſſit ante aciem: homo, civilis ſanguinis parcus, ſui prodigus, poſcit quîcum ſingulari certamine extra ordinem decernat. Et quum plurimi ex acie adverſa, genere & honoribus clari, nomina profiterentur, ſtatim refrixit impetus, reſedit magniloquentia: ac, niſi Regina, tanquam tragicus e machina Deus, ſuam interpoſuiſſet auctoritatem, ſuumque columbulum Dionæum pugnare vetuiſſet, non exitus modo, ſed ne color quidem recuſati certaminis fuiſſet repertus. At, certamine ſingulari interpellato, in acie tamen fortiter ſe geſſit. Imo primus, ac principio fere ſolus, fugit, ac tandem ſuæ fugæ comitem reliquum exercitum traxit.

Crocus Gallorum legatus in Scotia.

Ignava & imbellis Bothuelii timiditas.

Sed belli offenſiones virtutibus civilibus penſavit. Quibus tandem? aut quæ virtutes eo exſpectari poterant? ab homine ſcilicet in aula Moravienſis Epiſcopi, hoc eſt, longe corruptiſſima, educato, in vino & ſtupris, inter viliſſima ſolutæ illius diſciplinæ miniſteria. Ubi adolevit, in alea & ſcortis ita patrimonium ampliſſimum prodegit, ut etiam (uti [1] Poeta quidam ait) *deeſſet egenti æs, laquei pretium:* qui non modo domus alienas ſtupro, ſed ſuam quoque inceſtu polluit.

Bothuelii educatio flagitioſa.

XI. Hunc igitur hominem cum a Regina dico fuiſſe amatum, nec amatum tantum, ſed & flagitioſe & impotenter, qui rem ignorant, eis fortaſſe prodigia loqui videbor. Dicat fortaſſe aliquis, Eratne alius in toto nobiliſſimæ juventutis grege dignior, qui amaretur? Erant profecto multi. Erat omnibus rebus, quæ amorem conciliare ſolent, omnium longe primus, ipſius maritus. Quid igitur tam diſparem amorem, tam a ratione abhorrentem, conciliavit? Si dicam morum ſimilitudinem, veriſimilem quidem amoris cauſſam, ſed quibuſdam fortaſſe falſam, videbor afferre. Nec ego libenter in hanc orationem ingredior: nec rumoribus de ea per Gallias ſparſis in matrimonio priore accedo: (quanquam reliquæ vitæ flagitia eos non de nihilo fuiſſe ortos coarguant:) & multa, quæ poſt ejus in Scotiam reditum divulgata ſunt, non libet credere: per me quidem oblivione ſepeliantur: aut, ſi id fieri non poteſt, fide careant, falſa fictaque credantur. Nec in amore cauſſas diligentius examinare neceſſe eſt, qui temerario animi perturbati impulſu ita fertur, ut plerumque in amentiam deſinat: *quem ſi* con-

De Regina, cum eſſet in Gallia, non optimi ſparſi rumores.

1 *Poëta quidam*] Is eſt Horatius 2.Sat. II. 98. ubi tamen Cl. Bentleio aliiſque *as* potius (quod nonnullis codicibus MSS. habetur) quam *æs* legendum placet.

conſilio regere velis, nihilo plus agis, quam ſi des operam ut cum ratione inſanias.

XII. Sed ne hîc quidem cauſſæ deſunt. Erat enim in utroque, ſi non formæ, ſi non rerum externarum, ſi non virtutum, certe maximorum vitiorum ſimilitudo. Mulier adoleſcens ad ſupremum potentiæ gradum ſubito provecta, cum nunquam legitimi regni ſpeciem oculis vidiſſet, auribus audiſſet, aut animo propoſuiſſet, adhæc impotentibus propinquorum conſiliis inſtructa, (qui & ipſi in Gallia tyrannidem moliebantur,) jus, fas, leges, inſtituta majorum, ad ſuum unius nutum revocare ſtudebat: hujus impotentiæ voces indices plerumque erumpebant: hoc dies noctesque meditabatur. Sed huic ejus cupiditati obſtabat mos patrius, leges & inſtituta, & præcipue Optimatum conſenſus, quibus ſalvis eo pervenire non poterat. Eo igitur ut perrumperet, quicquid in mora eſſet, tollere decrevit. Sed non ſatis conſtabat quo modo, aut quibus miniſtris id aggrederetur. Fraude graſſandum erat, quando res perfici aliter non poterat. Unus igitur ad id *Bothuelius* maxime viſus eſt idoneus, homo in ſumma egeſtate incertum [1] magis flagitioſus an ſceleratus; & qui inter diverſæ religionis factiones, ambarum contemtor, utriuſvis ſtudium ſimularet. Is cum operam *Hamiltoniis* ad *Moravii* cædem ante obtuliſſet, ſpem dabat, emolumento majore propoſito, majus aliquid eum auſurum. quippe quem domeſticæ ruinæ præcipitem impellerent, nec pietatis, aut honeſti reſpectus a facinore revocaret. In libidinis vero uſu immoderato non minus gloriam quærebat, quam alii dedecus vitant & infamiam.

Bothuelius omnis religionis contemtor.

Bothuelius ad Moravii cædem operam conjungit cum Hamiltoniis.

XIII. Mulier igitur immoderatæ licentiæ avida, quæ leges carcerem, juris temperamentum ſervitutem exiſtimaret, cum in viro non ſatis materiæ ad res perturbandas videret, elegit hominem, qui nec in fortunis haberet quod perderet, nec in fama quod contaminaret; nec iis fulcimentis niteretur, ut non facile ſubverti poſſet, quoties ejus faſtidium ſubiret: cujus intemperantiam illecebris caperet, egeſtatem pecunia expleret, fidem conſcientia ſcelerum illigaret. Hi ſunt fontes illius, non immoderati, ſed inſani amoris, infamis adulterii, ſceleſti parricidii; quo, velut pignore, ſanguinariæ illæ nuptiæ coierunt. Hæ ergo ſceleris ſuſcipiendi cauſſæ fuerunt, odium implacabile mariti, & amor adulteri immoderatus. Accedebat & illa ſpes, crimen a ſe in alios transferri, & ſupplicia in vilia inimicorum capita derivari poſſe; & homines a culpa maxime alienos, ſui loco, placandæ populari iræ victimas poſſe ſupponi. Alioqui quo pertinebat illa pene conſerta inter Regem & *Robertum* fratrem pugna? quo femina diſcordiarum

Reginæ effrenis licentia, libido immoderata, aſtuta conſilia, amor inſanus, turpe adulterium, parricidium horrendum, ſanguinariæ nuptiæ.

1 *Magis flagitioſus an ſceleratus*] Quamvis *flagitium* & *ſcelus* indiſcriminatim plerumque uſurpentur, hic tamen a Buchanano aperte diſtinguuntur. Differentia autem ab Auſonio Popma aliiſque hæc fere ſtatuitur; *Flagitium* eſt quod fit libidine vel nequitia, *ſcelus* quod vi aut malitia committitur. Cic. in Catil. *Quæ libido ab oculis, quod facinus a manibus tuis unquam, quod flagitium a toto corpore abfuit.* Idem Varroni, *Cum omnes in omni genere & ſcelerum & flagitiorum volutentur.*

2 *In*

rum cum Proceribus ſparſa? quo tanta diligentia [1] in *Moravio*, pridie quam cædes facta eſt, retinendo? aut quæ cauſſa ejus arceſſendi? Venerat e Sabaudia legatus: qua de re? magnam fuiſſe oportuit, & quæ ſine conventu Procerum tranſigi non poſſet. Imo Sabaudius, ad Baptiſmum invitatus, ſero ac re peracta venerat: cum & tam levi de re mittere pigeret, & Gallis & Anglis eo munere perfunctis defuiſſe puderet, non legatus ad Baptiſmum, ſed officii neglecti excuſator. Is, ut honeſtius dimitteretur, ab uxore moribunda *Moravius* arceſſitur, idque nunciis frequentibus. Quis igitur erat ejus præſentis uſus futurus? ut in conſcientiam ſceleris eum aſciſcerent? Cur nunquam antea id tentatum? an tum demum in illo puncto, in illo parricidii momento, eum adjungere volebant? levem videlicet hominem & inconſtantem, & ad omnes temporum articulos conſilia mutantem, vita ſuperiore infamem, rebus præſentibus non confiſum? nihil horum ne nunc quidem dicere audent. Falſam igitur ejus retinendi cauſſam cum non queant comminiſci, quæ vera fuerit apud ſe quiſque facile colliget: nempe eadem, quæ primum *Atholium*, quæ poſtea illum e palatio demigrare compulit; quæ toties eum in mortis periculum adduxerit; quæ, falſis inimicorum rumoribus in Anglia ſparſis, eum calumniata eſt, quæ libellis famoſis parricidarum eum perſecuta eſt; quæ effecit, ut potius in exilium abiret, quam in Aula inter ſicariorum gladios cum magno vitæ diſcrimine verſaretur.

Cauſſa, cur Moravius pridie ante cædem Regis arceſſitus a Regina, excuſatur.

XIV. Sed quid prodeſt iſta cauſſæ æquitas, apud auditores, vel rei, ut geſta eſt, ignaros, vel ultro averſos & invidos, vel confictis rumoribus opportunos? qui hominum leviſſimorum convicia pro teſtimoniis habent, & eis credunt, qui domi cum omnia ſe poſſe jactent, nec judicum ſententiis ſe committere audent, neque armis ſe defendere potuerunt: &, velut ſcelerum conſcientia judicium timuerunt, ita furore ex conſcientia orto in bellum præcipites ruerunt: e prælio trepide fugerunt: nunc quoque, cum numero & opibus freti adverſariorum prudentiam irrideant, potentiam præ ſua contemnant, tamen veris virtutibus diffiſi ad latrocinia ſe convertunt: & mentem ſceleratam, inteſtinis conſcientiæ terroribus vexatam, ad convicia, ad calumnias, ad mendacia transferunt. Quos pro meo in cives meos amore monitos velim, ut ab hac, ſive ſtultitia, ſeu furore, ſeu maledicentiæ morbo, deſiſtant; & ne, quorum aures falſis rumoribus nunc onerant, illuceſcente veritate, odio ſui adverſus preces occludant & obſtruant. Neque enim ſemper erit fictis locus: ſed velut ad Solem caligines, ita ad veritatis lumen evaneſcunt mendacia.

Sana & amica auctoris ad cives ſuos admonitio.

XV. Patrandi vero ſceleris commoditates, & ſpem celandi, non habeo neceſſe pluribus proſequi: cum & faciendi facultas, & locorum opportunitas, & occaſionum momenta, in ipſorum poteſtate eſſent. Celare vero factum quorſum erat opus, cum vulgati nulla pœna metueretur? [2] Quam enim pœ-

1 *In Moravio* —— *retinendo*] Ita legendum ſententia poſtulat, non quod noſtro libro ſcriptum eſt *cum Moravio.*

2 *Quam enim pœnam metuerent*] Noſtro libro

pœnam metuerent in tam firma conſpiratione ? cum & legum , quarum ipſi moderatores erant , vis eſſet exſtincta : & majoris partis hominum mentes ſocietate ſceleris devinctæ , aut ſpe impulſæ , aut præmiis occupatæ , aut metu tantæ ex adverſo potentiæ debilitatæ forent & coërcitæ. Sed utcunque hæc ſe habent , tamen operæ pretium erit , & rei geſtæ ordinem , & conſiliorum temeritatem , inconſtantiam , & exitum perſpicere. Simul enim intelligetis , non voluntatem celandi facinoris defuiſſe , ſed emotæ mentis furorem rationem omnem conſiliorum pervertiſſe : dum interdum , velut famæ verba daturi , cogitatum nefas occulere conantur , interim ita graſſantur aperte , ut de exiſtimatione ſecuri , non magni facere videantur , quam in partem homines factum interpretentur. Venenum enim Glaſcuam profecturo datum eſt occulte : & ſatis cautum videbatur , ut abſens lento morbo conficeretur. Cætera vero ita crudeliter tractabantur , ut , ſi morbus fortuitus fuiſſet , tamen ſuſpicio veneni eſſe poſſet. Maritus enim , & unici filii & primogeniti pater , illius , inquam , filii pater , cujus tanto cum faſtu , tanto ambitu , Baptiſmus eſt celebratus , cum prope nudus , velut ex incendio eſſet emiſſus , in itinere maximis doloribus cruciatus , cum Glaſcuæ lethali morbo vexaretur , quid optima uxor interea ? quid ? Ad morbi primum nuncium convolat ? præſentia ſua , familiari alloquio , vultu denique ipſo ægrum conſolatur ? & , cum vitam retinere [1] nequeat , extremum ejus haurit ſpiritum ? oculos morientis claudit ? cæteraque bonarum matronarum præſtat officia ? Imo vero , quæ jamjam moriturum emiſerat , & vix ad paucos dies infelicem ſpiritum poſſe ducere eum exiſtimabat , in diverſam longe regionem ruſticatum abit : & Nobilium ædes cum ſuo Adonide perambulat : & hoſpitales domos luſtrorum ſuorum veſtigiis conſpurcat : & ſub ipſam (ut ex veneni vi divinabat) funeris horam Sterlinum redit. Ibi , dum tardius opinione res procedit , & juventæ vigor cum doloris acrimonia colluctatur , ne omnino ſuo deeſſe videretur officio , ſemper Glaſcuam proficiſci adornat , nec unquam proficiſcitur.

Regina odio mariti , & adulteri amore , aperte inſaniens.

Regina veneficii arguitur.

Regina quo modo in morbo mariti ſe gerit.

XVI. Tandem ſpe , quam certam in animo præceperat , deſtituta , ad alia ſe conſilia confert. Edimburgum delata , convocat in conſilium adulterum , cum paucis ſecretorum conſciis : decernunt omnino Regem occidendum : nec ſatis liquet quo genere mortis tolleretur. Quod ex ejus epiſtola facile poteſt colligi , in qua cum Medea , venefica juxta ac ſanguinaria , ſe aliqua ex parte comparat : item ex altera , in qua de veneno deliberat. Rex autem , qui jam amatorium poculum deguſtaſſet , incertus an magis blandis ejus ſermonibus crederet , an pravitatem naturæ metueret , quanquam interdum de reconciliatione non deſperaret , tamen ſemper timori propior erat. Sed cum neque vitam , neque mortem in ſua poteſtate haberet , cogitur præteritas injurias muſſare , præſentem timorem diſſimulare , & de futuro ſpem fingere. Itaque non velut maritus educitur ; ſed tanquam funus effertur:

Rex occidendus decernitur. Epiſtolas has ad calcem libri adjectas reperies.

libro [*metueret ;*] at pluralem hic adhibendum monſtrat orationis contextus.

1 *Nequeat*] Contrario errore *nequeant* hic pro *nequeat* noſtro libro eſt editum.

1 *Tri-*

tur : aut verius , ad lanienam trahitur. Regina de adoleſcente, omni injuriarum genere vexato , venenis cruciato , circumvento inſidiis , ad ſupplicium tracto , gloriabunda triumphum ducit : ſequuntur currum paterni inimici , de induſtria adhibiti , ut & ipſi tam miſero ſpectaculo paſcerent oculos , & cujus mortem propinquam exſpectabant, animi ejus mœrore interim fruerentur. Et , ne ulla deeſſet ſacrificiorum cærimonia , *Joannes Hamiltonius* Sancti Andreæ Archiepiſcopus , tanquam ſacrificulus adhibetur , homo antea omni genere flagitii pollutus , & in ſpoliis & cæde civium ſuorum paſtus , & vetus multarum palmarum laniſta. Vulgus toto itinere mœſtum , nihil boni augurabatur. Comites Reginæ , neque [1] triſtitiam ſatis ſimulare , neque lætitiam diſſimulare poterant : cum ſceleris ſuſcepti atrocitas in eventus exſpectationem gaudium immoderatum ſuſpenderet. Ducitur Edimburgum , non in palatium. Cur ita ? ne videlicet contagio peſtilentis morbi filio adhuc tenello noceret. Quaſi a veneno etiam læſis contagii ſit metus. Sed verior illa cauſſa , ne præſentia ejus incommoda eſſet , & voluptatibus libere frui volentibus , & de morte conſulentibus.

Regina, cum veneno non poteſt, ferro mari tum exſtinguere aggreditur.

Joan. Hamiltonius Archiepiſcopus.

XVII. Quo ergo ducitur? [2] In oppidi partem maxime deſertam , antea ſacerdotum regno incolumi, ſed aliquot jam annis a nemine habitatam : ac niſi ad illud nocturnum ſacrificium fuiſſent ædes refectæ , ſua ſponte ruituras. Cur hîc potiſſimum delectus eſt locus ? Aëris ſalubritas prætenditur. Bone Deus ! occiſura maritum loci ſalubritatem quærit ? in quem uſum ? non profecto ut vitam ſervet, ſed ut corpus ſupplicio reſervet. Huc illa ſpectat uxoria diligentia , & de mariti vita ultima ſollicitudo. Metuit ne pœnis eripiatur : vult ut ſe ſentiat mori. Sed quænam ſit iſta ſalubritas videamus. Ut videlicet inter mortuorum ſepulchra vivendi quæramus præſidia? Nam in vicino erant duorum templorum ruinæ : ab oriente monaſterium Dominicanorum fratrum , ab occidente templum Virginis , cui , ob loci ſolitudinem, Campenſi nomen fecerunt : a meridie muri urbis : & in iis, ut undique perviæ eſſent, poſticum aperitur : a ſeptentrionibus paucæ pauperum ædiculæ, tum quidem in ruinam pronæ , quondam ſacerdotum & monachorum proſtibula : cujus loci nomen ipſum faciem & naturam facile indicat : nam *Angiportum Furum* appellant. Nulla alia in propinquo domus, præter ædes *Hamiltoniorum* , quæ ad jactum fere teli aberant ; & ipſæ tum vacuæ. In eas commigrat Archiepiſcopus ſancti Andreæ , ſemper antea in locis urbis frequentioribus diverſari ſolitus. Is quoque eam noctem , qua Rex interemtus eſt, egit pervigilem. Nunc vos rogo , quando oculis non poteſtis , ſaltem animo cernite veterum ſacerdotum ædes , inter ſepulchreta , inter duorum templorum ruinas poſitas, & ipſas ruinoſas, prope locum furum & latronum receptatorem, non longe ab hoſtili præſidio, quod januam ædium ſpectabat, per

Simulatæ ſalubritatis prætextus.

Uxoria, crudelitas contra maritum inaudita.

Joannes Hamiltonius, Archiepiſcopus S. Andreæ ſanguinariæ hujus conjurationis antesignanus.

1 *Triſtitiam ſatis ſimulare*] Ita emendandam liquet ſententiam, noſtro autem libro nullo fere ſenſu [*ſimulatam*] legitur.

2 *In oppidi partem m. d. a. ſ. r. incolumi*] Supple e proxima clauſula , [*habitatam*] ac mox [*ſua ſponte ruituras,*] ſupple [*in ædes.*]

Locus ad cædem Regis quam maximeopportunus a Regina electus.

per quam ſi quis fugiſſet, inſidias vitare non poterat. Hujus loci faciem cum in animo vobiſcum cogitatis, cum ruinas templorum, ſepulchra mortuorum, latibula furum, proſtibula meretricum, auditis, nonne, non modo ædes ipſæ, ſed ſingulæ [1] partes viciniæ, nefas proclamare videntur? In hoſpitiumne divertiſſe, an in latronum ſpeluncam intruſus eſſe Rex videtur? Nonne illa deſerta vaſtitas & infrequentia metum ſceleris ſimplicioribus facere, ſuſpicionem callidioribus injicere, occaſionem hominibus pravis dare poterant?

Contra Archiepiſcopum rationes colliguntur.

XVIII. Quid inimici hominis in ea loca inſolens adventus, nocturnum prope in ipſis foribus pervigilium? cur hunc potiſſimum hoſpitio locum præter morem delegit? At ædes vacuæ erant, fratris erant, propinquæ Regis hoſpitio erant. Vacuæ ſemper antea fuerant: cur nunquam antea in eas divertiſti? cur celebritate urbis, vicinitate Aulæ neglecta, in ſolitudinem te conjeciſti? quam utilitatem, quam commoditatem, quam voluptatem hîc ſecutus es? Ut homo antea ſemper popularis auræ captator, & cœnarum aucupiis Aulicos complectens, ſponte in abſtruſum angulum, extra cœtum & celebritatem, te abderes? amœnitas te loci capiebat? & homo ſacerdotiis obrutus verius quam onuſtus, templorum ruinis animum oblectabas? Sed fuerit adventus in ea loca fortuitus: ſuas etiam cauſſas, ſi non veras, ſaltem veriſimiles habuerit: quid ſibi volebat pervigilium inſolitum? quid trepidatio nocturna tuorum? quos tamen in publico tumultu egredi vetuiſti. Sed quid erat cur egrederentur? ut rem, cujus tu auctor & machinator eras, reſciſceres? At e ſpecula tua fragorem ruinæ auribus, fumum & cinerem oculis, gaudium animo, hauriebas: ſulphuris odorem pene naribus imbibebas. At emiſiſſes qui elapſos ex incendio exciperent: neminem fugientem videbas? Itaque lumina, quæ ex editioribus locis tota nocte domi tuæ apparuerunt, tum demum, tanquam re bene geſta, ſunt exſtincta.

XIX. Sed ad Regem redeamus. Non ſatis erat poſticum in muris aperuiſſe, per quod latrones immitterent, inſidias ante fores collocaſſe, ne quis evaderet, duorum apud ſe oſtiorum claves retinent: inferioris domunculæ

Rex, ſubmotis miniſtris omnibus, ſolus cum Duramio famulo relinquitur.

alteram, ubi parietibus ſuffoſſis, ſulphureo pulvere cuniculos oppleverunt: ſuperioris, ut aditus ſicariis ad Regem dormientem eſſet. Deinde e paucis miniſtris majorem partem ſubtraxerunt, ut qui antea non tam adhibiti erant ad uſum domeſticum, quam ad ſecreta ſpeculanda, quæ ad Reginam deferrent. Hi, variis cauſſis confictis, alii alio diſcedunt. Ultimus *Alexander Duramius*, cum ſatis juſtam abeundi excuſationem non haberet, extruditur a Regina.

Alexander Duramius.

Ipſa interim, ne ſuis deſit partibus, dum *Bothuelius* tragicam mortis ſcenam inſtruit, quotidie Regem inviſit: animum amore ægrum, nunc blandis pollicitationibus erigit, nunc jurgiis oppugnat, ſuſpicionibus exercet, ac vere

Promethei fabula.

fabulam illam poëticam ludit, in qua Promethei jecur, ad novas quotidie pœnas excreſcens, ab aquila advolante corroditur. Ad hanc enim imaginem

Rex impiæ Reginæ impoſtura deluſus.

illa miſellum adoleſcentem interim ſpe fovet & refocillat, in nullum alium uſum,

[1] *Partes viciniæ*] An forte vicinæ?

uſum, niſi ut perferendis doloribus vita ſufficiat. Quæſo, apud animum quiſque ſuum cogitate, in recenti ſcelere qui fuerit motus animorum: cum ne nunc quidem hæc ſine indignatione poſſint audiri. Ædes ab humano commercio prope ſemotæ, ab homine omnium nequiſſimo, ab inimico, ab uxoris adultero, parantur, ad lanienam, quam ad habitationem commodiores; & adoleſcenti parantur, ob ætatem incauto, ob amorem ad inſidias aperto, miniſtris ſpoliato, deſerto ab amicis: ædes, inquam, laceræ, ſolæ, ab omni parte non modo apertæ, ſed etiam perviæ; ut quarum claves penes inimicos eſſent: nemo intus præter juvenem a morbo non ſatis validum, & ſenem ætate infirmum, & duos peregrinos, locorum, rerum, hominum ignaros: nemo in propinquo, præter inimicos & latrunculos, habitabat. Sed mulier provida diligenter id caverat, ne a latronibus eſſet periculum. Nihil enim apud eum reliquum fecerat, quod latrones invitaret. Inimicos autem ſpectatores, non actores hujus tragœdiæ volebat eſſe: facinoris vero gloriam ſibi & *Bothuelio* reſervabat.

Rex in ædes deſertas, & procul diſſitas, ad cædis opportunitatem relegatus.

XX. Quid interim illa Reginæ ſollicitudo? quid inſolita concurſatio? & malitioſa, non officioſa ſedulitas? Quotidie inviſit: in multas horas ſermonem protrahit: in cubiculo inferiore duas noctes quieſcit: ſi modo ſpiritum illum atrocem ſcelerum conſcientia a furiarum ſtimulis conquieſcere patiatur. Metuebat videlicet, ne ſi ædium pars inferior vacua fuiſſet, ſtrepitus molientium cuniculos, & inferentium pulverem ſulphureum, aliquem e miniſtris in ſuſpicionem fraudis induceret.

Parietes per ſubterraneos cuniculos pulvere ſulphureo oppleti.

Volebat etiam ipſa ſuis oculis rem tantam cernere, potius quam fidei miniſtrorum credere: volebat animo futurum gaudium prælibare: ignem, fumum, pulverem, ruentis domus fragorem, trepidationem, tumultum, pavorem miniſtrorum, latronum, civium, quando oculis & auribus non poterat, animo ſaltem haurire. Omnibus igitur rebus ad funeſtam illam noctem præparatis, ultima ſubit famæ cura: ſegregat a ſe ſuſpiciones: adit maritum, oſculum pangit, annulum pignus amoris donat, ſolito blandius alloquitur, prolixius pollicetur: fingit ſibi curæ eſſe ejus valetudinem: nec intermittit cum adultero conſuetudinem.

Aſtuta Reginæ ſedulitas in amolienda a ſe mariticidii ſuſpicione.

Εὐνῆς σφάκτης.

Hæc qui propius intuebantur, nihil boni divinabant. Nam quanto majora placati animi ſigna Regina oſtentabat, tanto in animo quiſque ſuo atrociora omnia præceperant. Alioqui enim unde illa repentina mutatio? unde tanta cura de eo, cui venenum ſuperiore menſe dederat? quem nuper non modo cupiebat occiſum, ſed occidentem videre volebat: cujus morti fratrem, imo duos fratres impendere geſtiebat: & ipſa, velut laniſta, Rege gladiatore, funus Regium apparabat: Ante paucos menſes ipſa e vita diſcedere volebat, ne Regem viventem aſpiceret: unde nunc repentinum de ejus ſalute ſtudium?

Regina altera manu demulcet, altera occidit maritum.

XXI. Exſpecto ut ſe dicat placatam fuiſſe. Tu marito placata? quem *in illud deſertum* (ut cum Poëta loquar) *Furiarum caſtrum* ablegaſti? cui inter meretricum proſtibula, pauperum mendicabula, latronum latibula jacenti, ædes ab omni parte ita pervias feciſti, ut plures aditus, quam miniſtros, qui clauderent, relinqueres? quæ ſicarios ad cædem, fures ad prædam invitaris? miniſtros, qui vitam ejus tueri poſſent, abegeris? nudum, ſolum, inermem latro-

Probationum argumenta graviſſima, quibus Regina neceſſario coarguitur parricidii.

latronibus objeceris trucidandum? cum, in hoc mariti miſero ſtatu, adulter in palatio habitaret, in cubiculo frequens eſſet, cum ei dies noctesque fores omnes paterent, maritus, interdicto Nobilitatis commercio, miniſtris adire vetitis aut ablegatis, ad ludibrium, (atque utinam ad ludibrium tantum,) in ſolitudinem abjectus relinqueretur? Ac de cæteris miniſtris nihil quæro. Non interrogo ſollicite cur diſceſſerint, cur tum potiſſimum Regem reliquerint, cum eorum opera & miniſterio potiſſimum egeret; cum convaluiſſet, cum prodire inciperet, nec alios comites haberet? De *Alexandro Duramio* ſilere non poſſum: quem illi cuſtodem, tibi delatorem habueras. Quid autem erat quod obſervaret? quod ad matronam, mariti amantem, conjugii tenacem, de pellice ſollicitam, deferret? Verebatur videlicet, ne & adoleſcens, & formoſus, & Rex, in aliquam, ſe abſente, oculos conjiceret? Imo hoc ipſum maxime cupiebat. Nam & ipſa maritum eo antea invitaverat: occaſiones ipſa obtulerat: & ſponte oblatas commonſtrarat. Hoc erat, quod cauſſas divortii quærentem maxime eam urebat, quod ne tenuem quidem ſuſpicionem pellicatus invenire poterat. Cur ergo adhibiti obſervatores? ne quis Nobilium, ne quis clientum, ne quis omnino alienus eum adiret: ne quis conveniret, qui inſidias detegere, de periculo admonere poſſet? Hunc vero ipſum *Alexandrum* quam ſollicite ſervat, cum maritum occidat, quam cæteris abactis [1] ſero dimittat, in ipſo prope mortis articulo, cum delationibus jam nihil amplius eſſet opus. Pridie enim quam parricidium illud factum eſt, unus e miniſtris ſecretorum conſiliorum conſciis relictus erat *Alexander*.

Alexandri Duramii callida excuſatio.

XXII. Is cum noctem illam, non minus infamem quam funeſtam, appropinquare ſentiret, præparat abſentiæ futuræ excuſationem, (ut ipſi viſum eſt) non incallidam, ut caſus eum expuliſſe, non ipſe ſponte deſeruiſſe dominum videretur. Ignem in ſtramenta lectuli ſui injicit: ac flamma latius fuſa, tumultu excitato, ſtragula ſemiuſta e cubiculo Regis ejicit. Sed poſtridie, cum ea excuſatio non ſatis ex ſententia procederet, quippe cum, audiente Regina, Rex eum blandius rogaret, *Ne ſe ſolum ea nocte desereret*, *atque etiam invitaret ut una ſecum cubaret*, (quod & antea ſæpe fecerat,) ſingulari enim præter cæteros benevolentia Rex eum complectebatur: hic *Alexander* deprehenſus morbi metum ad priorem excuſationem adjecit, ac ſe, ut liberius curaretur, in oppido pernoctaturum. Hîc quoque cum parum proficeret, Regina ſuam auctoritatem interpoſuit: & *Regem non recte facere*, ait, *qui adoleſcentem, contra valetudinis rationem, ſecum retineret*. Deinde ad *Alexandrum* converſa, juſſit, quo ei commodum eſſet, abire: & ille cum dicto abiit. Nolo hîc diligentius exſequi omnia criminum veſtigia. Neque quæram curioſius, ignis ille pridianus, fortuitus, an fraude ſuppoſitus fuerit: neque illud rogabo, cur homo, ſæpe antea in lectum Regium receptus, illa potiſſimum nocte id recuſet? morbum in cauſſa fuiſſe credamus. Hoc tantum quæro, cujus generis fuerit is morbus, illo ſtatim momento temporis immiſſus, qui ſine ulla medi-

Alexander Duramius Regi adhibitus, non ſervus, ſed obſervator, non famulus, ſed cuſtos, & delator, & deſertor, & proditor.

1 *Sero dimittat*] *Dimittit* videtur legendum, totaque ſententia interrogationis ſigno claudenda.

medicorum cura ante lucem eum reliquerit? cujus nullum, neque ante, neque poſtea, neque in illo temporis puncto, ſignum apparuerit? Sed, opinor, illo tacente, vos ſatis intelligitis. In homine maleficii conſcio, mortis metus vicit officii rationem. Quod niſi *Alexander*, antea delator, nunc deſertor & proditor, omnium ſcelerum conſcientia teneretur, nonne Regina, cætera tam crudelis, unam illam victimam inferiis mariti impendere potuiſſet?

Rereſia meretrix ſtrenua Reginæ mortis miniſtra.

XXIII. Hæc dum fiunt multum noctis proceſſerat: & *Rereſia*, ſtrenua miles, ante ſignum datum in aciem proceſſit, foras prodiit, equum conſcendit: & quanquam, ut futuræ procellæ conſcia, timet, tamen in equo ſedens Reginam exſpectat, ſed longiuſcule ab ædibus. Interim *Paris* advenit, colloquium dirimitur, ſurgitur. Subiit enim, eo conſpecto, nefas illud, quod non niſi magnis piaculis averruncari poſſet, quod Regina in cœna nuptiali *Sebaſtiani*, cantoris, ac tantum non ſcurræ, non ſaltaverit: quod marito nondum ad juſtam valetudinem perducto aſſederit: quod in convivio domeſtici paraſiti hiſtrionicam non egerit. Digna profecto res excuſatione. Sed quid faceret? abeundum erat Paride conſpecto: ita enim convenerat, & aliquid erat prætexendum. Quid? ſuperioribus noctibus, quibus maturius diſceſſerat, nulla interpoſita excuſatione, nunc demum media fere nocte diſceſſus erat excuſandus? Sed fuerit. Nihilne aliud ſubibat aptius quam nuptiæ *Sebaſtiani*? Ego contra contendo, ſi vel fratris, vel ſororis nuptias reliquiſſet, ut maritum etiam leviter languentem viſeret, eam omnibus juſtam excuſationem habendam eſſe. Quid ſi Regi etiam, non marito, quid ſi aliis e Proceribus id officii præſtitiſſet? tanti ſunt nuptiæ *Sebaſtiani*, ut mimica ibi ſaltatio præferenda ſit conjugali officio & caritati? Sed profecto aliud in hac excuſatione, & dolore neglecti officii latet, nec tamen ita latet, ut non tranſpareat. Nimia iſta, in excuſando, ubi nihil opus eſt, diligentia, ſuſpicionem occulti facinoris, & quod detegi nolis, habet: & cauſſæ levitas ſuſpicionem auget: præſertim cum alia in promtu eſſent, quæ cauſſari potuiſſet.

Nocte, qua Rex interimitur, Regina ad ſignum datum a Rege diſcedit, frivolo prætextu diſceſſum excuſans.

Regina nihil habet quo ſe excuſet, tot hic concurrunt veriſimilia.

XXIV. Sed excuſationem accipiamus, quando Reginæ juſta eſt viſa. Quo deinde abit? in cubiculum ſuum recta. Quid deinde? feſſa labore diurno, & nocturna vigilia, it cubitum? Imo cum *Bothuelio* prope ſolo, deinde etiam ſolo, colloquitur: quid autem locuta ſit, res ipſa prodit. *Bothuelius* enim cum veſtem, velut decubiturus, exuiſſet, ſtatim aliam ſumit: ad facinus abiens, noluit agnoſci. Laudo hominis calliditatem. Sed per cuſtodias eundum erat. Hic miror amentiam. Sed mentes, cogitatione ſcelerum obſeſſæ, fere ſeſe ſua inconſtantia produnt: & ad cætera plerumque cæcæ, unum illud vident, [1] in quod animum intenderunt. Quid autem geſſerit, Regis mors, ipſius fuga, noxiorum confeſſio, & cætera, quæ cædem ſecuta ſunt, declarant. Excitato in urbe tumultu, ille, quaſi omnium ignarus, per eaſdem cuſtodias redit cubitum. Cum ruinæ fragor aures, tremor etiam omnium ædes concuteret, Regina, in exſpectationem eventus

Bothuelius, poſt colloquium Reginæ, ad cædem Regis ſe accingit.

Regis mors.

ere-

[1] *In quod*]. Ita omnino legendum, non quod in noſtro codice ſcriptum eſt [*quo*.]

erecta, & vigilans, nihil ſentit: *Bothuelius* nihil ſentit: mira ſurditas. At cæteri per urbem, qui vigilabant, exterrentur, qui dormiebant expergiſcuntur.

Bothuelius hujus fabulæ choragus, poſt ex chorago fit nuncius.

XXV. Tandem ſurgit iterum *Bothuelius*: & in eadem fabula, e Poëta fit nuncius, accurrit ad Reginam: eodem fit aliorum, qui in palatio divertebant, concurſus: res aliis vera, aliis ſimulata, ſed omnibus mira videri. Quid Regina? quid faceret? fert moderate ſuam felicitatem: in meridiem placide conquieſcit. Poſtridie tamen, ut in fabula decoro ſerviret, luctum ſimulat, quem nec diu fingi ſinit una habitans lætitia, nec omnino negligi patitur pudor. Hæc cum ſubjecta ſint oculis, manibus contrectentur, in auribus & conſcientia omnium habitent, adhuc de auctore cædis, tanquam dubio, quærimus? At Regina negat. Quid negat? ſe cædem illam feciſſe. Tanquam multum interſit, auctor ſis, an miniſter: jubeas, an facias? Conſilium, operam, opes, auctoritatem, ad eam patrandam adhibuit: neque cauſſa cur id fecerit, latet: nempe ut impuræ illæ nuptiæ cum *Bothuelio* fierent.

De auctore Regiæ necis nemini dubitandum in tanta veritatis luce.

Ex cauſſis a cæde Regis conſequentibus contra Reginam arguitur.

XXVI. Quæ omnia etiam ſi argumenta, ſi tot e conſciis teſtes deeſſent, ipſius teſtimonio, ipſius literis teneatur neceſſe eſt. Et, ſi alia omnia deficerent, quæ cædem ſecuta ſunt, auctorem facile coarguunt: quod in mariti morte, non modo non doluerit, ſed, ut in re præclare geſta, quieverit: quod non luxerit, ſed propemodum palam ſit lætata: quod defuncti corpus non ſuſtinuit modo ſpectare, ſed avide ſpectaverit: clam, de nocte, ſine funeris honore, ſepelierit; aut potius, latronis inſtar, abſconderit. Nam ſimulatio illa luctus tam inconſtans ipſa ſe facile prodidit. Quid enim ille ſeceſſus ad *Setonium* ſibi volebat? Cur celebritatem urbis, & oculos hominum fugit: An quia pudebat palam lugere? an quia non potuit lætitiam diſſimulare? aut ut occulte ſe totam in luctus daret? Imo ad *Setonium* totam luctus perſonam abjecit: in campos quotidie cum ſicariis ibat: nec modo priſtinam conſuetudinem repetivit, ſed luſus viriles, & cum viris, & palam affectavit: ita popularium ſuorum exiſtimationem facile contemnebat. Sed male ſit *Kilgræo*, male ſit *Croco*, qui tam incommode intervenerunt, & perſonam detractam exteris oſtenderunt: multa facta negari, multa appoſite fingi, multum rumoribus profici, ſine illis poterant.

Regina an luctum ſimulabat magis, aut lætitiam diſſimulabat, ex viri morte, difficile eſt dictu.

Hen. Kilgræus Anglus, & Crocus Gallus, duo legati, lætitiæ Reginæ teſtes.

Quæſtio de Regis interitu, quomodo, & per quos tractata.

XXVII. Sed quæſtio de cæde habita eſt. Per quos? Per *Bothuelium* inprimis, aliosque nonnullos, qui noxios legum pœnis eximere tentarunt, & hodie tentant: & nunc palam oſtendunt, quid tam occulte ſenſerint. Sed qua diligentia, qua ſanctitate, quæſtio illa tractata eſt? Pauperes e vicinia hoſpitii Regii, nec proferre audebant quæ viderant & audierant: & ſi propius rem attigiſſent, vel metu reticere cogebantur, vel ut vani contemnebantur: cautiores *Bothuelium*, inter quæſitores ſedentem, lædere non audent: miniſtri, unus & alter, qui cladi ſuperfuerunt, interrogantur, latrones quomodo ingreſſi ſint? *Claves*, ajunt, *penes nos non erant.* Quis eas habuit? dictum eſt Reginam habuiſſe. Cœperant Aulæ ſecreta palam fieri. Quæſtio differtur, nunquam repetitur. Quid hac quæſtione ſanctius? ſed tamen nonni-

nonnihil ea profectum eſt. Nam quod quæſitores tacere volebant, vulgus clamat: quod ſupprimunt, erumpit: quod celant, eluceſcit. At edictum proponitur: facti impunitas, indicii præmia proponuntur. Quis autem tam demens fuiſſet, ut, in tam manifeſto vitæ periculo, adverſus judices, qui [1] vitæ neciſque ſui poteſtatem haberent, teſtimonium dicere, aut indicium profiteri auderet? Exſpectandum ſcilicet erat, ut qui Regem trucidaſſent, indici cædis parcerent? præſertim cum omnes viderant de cæde Regia quæſtionem omiſſam, de libellis cædem coarguentibus ſevere exerceri? Judicium vero, quo *Bothuelius* purgatus eſt, quale fuerit audiſtis. Nempe per ipſum coactum: judices ab ipſo lecti: accuſatores ab eodem ſuppoſiti: legitimi accuſatores adeſſe vetiti, niſi gladiis inimicorum cervices ſubjicerent. Indictum judicium, nec in diem legitimum, nec more patrio, nec de cæde Regis, ſed de ea cæde, quæ pridie quam Rex interemtus, facta dicatur. Hic cum *Bothuelius* gratia & opibus, Regina minis & precibus apud judices contenderent, exſpectatis, quid homines, præter leges, præter morem patrium lecti, pronunciarint? Rem ſententiis ſuis non attigerunt: tantum judicium non eſſe legitimum ſunt teſtati, cum ſibi caverunt, ne ea res ipſis aliquando fraudi foret.

Judicium, quo Bothuelius purgatus, qualem fuerit.

XXVIII. Deinde, ut omnes intelligerent, quid ferro, flammis, veneno petitum eſſet, nuptiæ aliæ dirimuntur, aliæ coeunt: idque tanta feſtinatione, quanta nec ad triumphum de præclara victoria fuiſſet properandum. Tamen, ut in illis illegitimis nuptiis aliquid legitimi moris obſervaretur, Bannæ præclaræ publicantur: in quibus denunciandis, etſi metus mortis Eccleſiæ Miniſtro, niſi paruiſſet, fuerit intentatus, is tamen inter denunciandum palam teſtatus eſt, *Se cauſſam ſcire, cur illæ nuptiæ legitimæ non eſſent.* Sed in tanto cœtu hominum, quotus quiſque erat, qui id ignorarat, quippe qui meminiſſent duas uxores nondum dimiſſas *Bothuelium* habuiſſe, tertiam nec legitime nuptam, nec rite dimiſſam. Verum non id agebatur, ut legitimi moris cærimoniæ obſervarentur: ſed, ut in comœdiis fieri ſolet, quandam vulgatæ conſuetudinis ſpeciem & imitationem curabant. Nam qui omnia jura humana ſæpe violaverat, religionem omnem abjecerat, facile jus divinum contemnebat.

Bothuelius, mactato Rege, uxorem illico repudiat, ac Reginam ducit. Bannæ proclamatæ, & refutatæ.

XXIX. Explicaſſe mihi videor paucis pro rei magnitudine, ſed fortaſſe pluribus, quam neceſſe erat, propter probationum perſpicuitatem, quo conſilio, qua ſpe cædes nefaria ſit ſuſcepta, quanta cum crudelitate perpetrata, quibus indiciis teſtimoniis, & literis ipſius Reginæ, tota res teneatur; & ita teneatur, ut tanquam ſubjecta oculis cerni poſſit: proponam tamen & univerſi populi teſtimonium, quod quidem minime negligendum eſſe arbitror. Singuli enim plerumque fallunt, & ab aliis item falluntur: at nemo omnes decipit, aut ab omnibus decipitur. Hoc populi, quod dixi, teſtimonium hujuſmodi eſt. Cum Reginæ prodeunti in publicum, a maxima vulgi parte ſolitum eſſet proclamari, *Bene & feliciter*, quæque alia vel amor

Contra Reginam nullum gravius teſtimonium, quam publicum populi ſententiam.

1 *Vitæ neciſque ſui*] Durior paullo locutio, proſa; cujus tamen non deſunt apud probatiſſimos auctores exempla. Vide Sanctii Minerv. lib II. cap. 13.

Verba cujuſdam fœminæ contra Reginam exclamantis.

amor exprimit, vel adulatio comminiſcitur, poſt cædem Regis eunti ad arcem, per celeberrimum urbis vicum, mœſtum paſſim erat ſilentium. Sed cum aliquando mulier, e turba, ſola bene precata Reginæ eſſet, alia ſtatim, ita ut ab omnibus audiri poſſet, exclamavit; *Ita cuique ſit ut promeretur.*

EPILOGUS ſeu CONCLUSIO,

Firmis colligens argumentis, Reginam ob mariti necem, juſtiſſimo judicio, ſuo privatam eſſe principatu.

Maria Scotorum Regina ob deteſtandum parricidium merito dejecta de dignitatis tolio.

XXX. HÆC cum ita, ut dixi, geſta ſunt, non deſunt tamen, qui non duriter modo, ſed etiam crudeliter actum cum Regina dicant; quod poſt tam exſecrandum facinus a rerum gubernaculo remota fuerit: &, cum de ſcelere inficiari non queant, de ſceleris pœna conqueruntur. Non reor quenquam futurum tam impudentem, ut nullam tam nefario facinori pœnam deberi exiſtimet. Sin de gravitate querantur, vereor ne omnibus bonis non tam clementer & modice, quam diſſolute & negligenter feciſſe videamur: qui tantum tamque inauditum nefas tam levi pœna proſecuti ſimus. Quid enim crudeliter in auctorem tam immanis facinoris conſuli poteſt? in quo omnia divina & humana jura violata, contemta, & pene exſtincta ſunt. Singula flagitia ſuas habent pœnas, & humanitus & divinitus conſtitutas: &, ut ſcelerum ſunt quidam gradus, ſunt etiam in pœnis ſuppliciorum acceſſiones. Occidit aliquis hominem? facinus per ſe immane. Quid, qui etiam familiarem? qui patrem? quid qui in uno ſcelere omnia hæc complexus eſt? Ejus profecto neque vita pœnis exigendis, neque corpus perferendis, neque judicum ſolertia excogitandis ſufficere poteſt. Quid eſt horum, quod in hoc ſcelere non contineatur? Omitto illa vulgaria, hominem adoleſcentem, innoxium, civem, familiarem, ſobrinum: factum etiam, ſi fieri poteſt, excuſemus: fecit temere mulier adoleſcens, irata, læſa, ſumma ante vitæ innocentia: & hominem flagitioſum, adulterum, durum maritum, Regem crudelem occidit. Hæc, ſi in cauſſa, non ſingula, ſed univerſa etiam eſſent, non ad deprecandum ſupplicium, ſed ad commiſerationem fortunæ valere deberent. Quid, quod nihil horum ne falſo quidem prætendi poteſt? Facinus ipſum per ſe odioſum, in muliere prodigioſum, in uxore, non modo immoderate amata, ſed vehementer etiam culta, incredibile: & adverſus eum perpetratum, cujus ætas veniam, caritas amorem, propinquitas reverentiam, innocentia favorem demereri poterat: adverſus eum, dico, adoleſcentem, in quo nulla peccandi cauſſa juſta prætenditur, omnia peccatorum tormenta conſumere, vel etiam ſuperare, cujus tandem crudelitatis eſſe ſtatuemus?

Multo mitius inflictum Reginæ ſupplicium, quam ſceleris ejus atrocitas commerebatur.

XXXI.

XXXI. Sed hæc in aliis valeant ad odium, ad pœnas, ad exempla poſteritati prodenda. Hic vero multa ætati, multa generi, multa * Regio nomini condonemus. Ego certe is non ſum, qui ſummo jure ſemper utendum cenſeam, ne in privatis quidem & plebejis hominibus. Sed in ſummo ſcelere, juris omnem vim ſolvere, &, ubi peccandi nullus eſt modus, infra modum in vindicando deſcendere, ad omnium legum interitum, & everſionem ſocietatis humanæ pertinet. In hoc autem ſcelere tanta eſt omnium flagitiorum colluvies, omnis immanitatis acerbitas, omnis humanitatis oblivio, ut ſupra fingendi vel excogitandi nullus ſuperſit locus. Ac ſuperiora illa omitto. Non inquiram nimium diligenter in facta Principum: neque ad vulgarem trutinam ea examinabo: non exigam vulgares officiorum gradus: ſi quid ſit, quod ſine ſcelere prætériri poſſit, libenter ſilebo: ſi quid vel ætatis, vel ſexus, vel temeritatis etiam excuſationem admittere poſſit, non urgebo. Atque, ut reliqua præteream, † duo ſunt omnino ſcelera, quæ neque pro magnitudine ſatis explicari, neque pro immanitate ſatis puniri poſſint: matrimonii dico, & Regiæ majeſtatis violationem. *Matrimonium* enim, ut inquit Apoſtolus, *vere magnum continet myſterium.* Nam ut conſervatum omnia inferiora officiorum genera in ſe complectitur, ita violatum omnia evertit. Qui parentem violavit, omnem pietatis reverentiam ex animo ejeciſſe creditur: at mariti cauſſa relinquet homo patrem & matrem. Ac cæteri quidem officiorum vel gradus, vel ſimilitudines, in brutis animantibus aut omnino non inſunt, aut certe ſunt obſcuriores: || caritatis vero conjugalis, nullum fere eſt animal, quod ſenſum aliquem non habeat. Hoc igitur myſterium qui non modo violat, ſed prorſus contemnit, non leges, non ſocietatis humanæ fundamenta omnia evertit, ſed omnem naturæ ordinem, quod in ſe eſt, ſolvit & perturbat. Qui vero Regem, qui vera eſt in terris Dei * imago, non violat, dico, ſed trucidat, & ita crudeliter trucidat novo & inuſitato atrocitatis genére, ut non ſimplici ſupplicio impotens & incredibilis truculentia ſit contenta: nonne ipſum tibi Deum de cœlo, quantum in ipſo eſt, detrahere voluiſſe videatur? Quem igitur ad miſericordiam aditum ſibi reliquerunt, qui non modo omnem crudelitatis modum, ſed etiam fidem, in odii injuſti libidine explenda ſuperarunt?

* Regio nomini multa condonanda ſunt; at non omnia tamen. Porro ſi nomini & titulo Regis tantum tribuendum ſit, quanto amplius vitæ Regis deferendum eſt? Ideoque quiſquis vitam Regis eripit, indignum ſe ſtatuit, cui Regii nominis titulus ad impunitatem patrocinetur.

† Duo ſunt ſcelerum genera, quibus nullo modo parcendum: matrimonii, & Regiæ majeſtatis violatio.

|| Caritas conjugalis ſi in brutis etiam retinetur animantibus; quanto minus in hominibus ejus ferenda eſt violatio?

XXXII. At parci oportere dicent nobilitati, dignitati, ætati. Si quidem illa ei pepercit, in quo hæc omnia, vel majora, vel certe paria fuerunt. Valeat Regii nominis majeſtas: quantum ſibi ad ſalutem valere debeat, ipſa prodidit exemplum. Committamus ei noſtram ſalutem, quæ ſoror fratrem, uxor maritum, Regina Regem excarnificavit? Committamus noſtram ſalutem ei, quam nunquam pudor a libidine, ſexus a crudelitate, ab impietate religio revocavit. [1] Committamus veniam ætati, ſexui, errori, cum nullis

Quod ſi lex Dei vitam non permittit ei, quæ torum maritalem commaculavit; quid fiet ei, quæ non torum, ſed vitam etiam mariti e medio ſuſtulit?

1 *Committamus veniam ætati*] Inſolens loquendi genus videtur *committere veniam:* forte Buchananus *concedamus* ſcripſerit, quod parum diligens librarius, eodem vocabulo ſemel atque iterum e ſuperiore commate oculis, ut fit, oberrante, in *committamus* mutaverit.

lis odiorum juſtis cauſſis , in propinquo, Rege , marito , hæc omnia contemſerit ? † Quæ hæc injuſtæ iræ ſupplicia expetiverit , quid eam contumeliis provocatam facturam exiſtimabimus , adverſus homines nulla ſanguinis propinquitate conjunctos , libidini ſuæ obnoxios , & non in æquam vitæ ſocietatem , ſed in tutelam datos , in carnificinam redditos ? cum interpellatæ libidinis impotentia , & naturæ immanitas licentiæ armis munita , in miſerorum civium bonis & ſanguine debacchabitur ? Quod eſt igitur hoc crimen , cujus rei traducimur ? quæ eſt hæc noſtra crudelitas? Quod videlicet mulierem , ſine modo , ſine modeſtia furentem , & viribus poteſtatis, ad civium incolumitatem tuendam acceptæ , ad omnium perniciem abutentem , ſub propinquorum & benevolentium tutela continuerimus? & a qua, jure , ſcelerum ſupplicium expetere poteramus , nullam graviorem ei pœnam irrogaverimus , quam ut a ſcelere perpetrando eam prohibuerimus ? || Non enim ei libertatem , ſed effrenem flagitiorum licentiam ademeramus. In quo magis formidamus nimiæ lenitatis apud bonos omnes reprehenſionem, quam apud malos crudelitatis calumniam.

* Princeps Deì imaginem refert in terris. Qui igitur majeſtatem lædit, Deum lædit. Qui vero occidit, perinde facit ac ſi Deum ipſum de cœlo detrahere gygantea audacia aggrediatur, nec venia dignus, nec vita. Si majeſtatem vel leviter læſiſſe capitale ſit, & morte vindicandum quid tum erit occidiſſe ?

† Quæ mulier in maritum & Regem tam temere etiam amata, tam crudeliter graſſata eſt, quid eam injuriis læſam in alios facturam exſpectabimus ?

|| Defenſio judicii adverſus Reginam Scot. inflicti.

LITERÆ REGINÆ SCOTIÆ,

Ad Comitem Bothuelium *ſcriptæ.*

EPISTOLA PRIMA.

POSTEAQUAM ab eo loco diſceſſi , ubi reliqueram cor meum, facilis eſt conjectura , qui meus fuerit vultus : cum plane perinde eſſem atque corpus ſine corde. Ea fuit cauſſa, cur toto prandii tempore , neque contulerim ſermonem cum quoquam , neque quiſquam ſe offerre mihi ſit auſus: ut qui judicarent id non eſſe ex uſu. Ad quatuor paſſuum millia antequam ad oppidum acceſſiſſem , homo honeſto loco natus , a Comite Leviniæ *ad me venit , atque ejus nomine ſalutavit. Excuſavit Comitem , quod non ipſe obviam proceſſiſſet : id enim quo minus auderet , in cauſſa fuiſſe , quod verbis aſperioribus* Cunigamium *compellaſſem. Petivit etiam ut inquirerem de ſuſpicione mea adverſus Comitem. Poſtrema hæc ſermonis pars , ab ipſo , injuſſu Comitis , erat adjecta. Ego reſpondi , nullam adverſus timorem eſſe medicinam : neque, ſi extra culpam eſſet , tam meticuloſum futurum : neque me , niſi ad dubitationes, quæ in ejus literis erant, aſperius reſpondiſſe. In ſumma , impoſui homini ſilentium. Longum eſſet cætera perſcribere. D.* Jacobus Hamiltonius *mihi obviam venit. Is oſtendit ſuperiore tempore , cum de meo adventu audiſſet , eum diſceſſiſſe ac* Huſtonum *ad ſe miſiſſe, qui diceret , ſe nunquam fuiſſe crediturum, quod aut ipſum*

Reginæ excors erga Bothuelium amor, & impudens.

ipſum perſequeretur, aut Hamiltoniis *ſe conjungeret: ſe vero reſpondiſſe, ſui itineris cauſſam unam fuiſſe, ut me videret: neque cum* Stuartis, *aut* Hamiltoniis, *injuſſu meo, ſe conjuncturum.*

Luſſius, Huſtonus, Caldoellii *filius, comitati quadraginta circiter equis obviam venerunt.* Luſſius *dixit, ſe a Regis patre in eum ipſum diem, ut cauſſam diceret, arceſſitum, contra quam chirographo promiſiſſet: id chirographum penes ſe eſſe: tamen cum de meo adventu reſcitum eſſet, diem prolatum: ſe arceſſitum a Comite, ire nolle: ac jurat ſe nihil unquam ab eo velle. Nemo oppidanorum me convenit, quæ res facit, ut eos credam ab illo ſtare: præterea bene loquuntur, ſaltem de filio. Nullos præterea Nobiles video, præter meos comites: Rex arceſſivit* Joachimum *heri, ac eum interrogavit, cur non prope ſe diverterem? id enim ſi feciſſem ſe citius ſurrecturum: Item cur veniſſem? an reconciliationis cauſſa? ac nominatim, an tu hic eſſes? an familiæ catalogum feciſſem? an* Paridem & Gilbertum *accepiſſem, qui mihi ſcriberent? an* Joſephum *dimiſſura eſſem? Miror quis ei tantum indicarit: etiam uſque ad nuptias* Sebaſtiani *ſermo pervenit. Ego eum de ſuis literis rogavi: in quibus queſtus erat de quorundam crudelitate. Reſpondit, ſe nonnihil eſſe attonitum, meumque ei conſpectum tam jucundum, ut putaret ſe lætitia moriturum. Offendebatur, eo quod tam cogitabunda eſſem. Ego diſceſſi ad cœnam. Qui has fert tibi, de meo adventu narrabit.*

Rogavit me ut redirem: quod & feci. Suum mihi morbum explicavit: ſeque nullum teſtamentum facturum, niſi id unum, quod omnia mihi relinqueret: me autem ſui morbi cauſſam fuiſſe, quod moleſte tuliſſet me tam alieno erga ſe animo fuiſſe. Ac poſtea, inquit, me rogas, quid ſibi velit illa crudelitas, cujus mentio eſt in meis literis? Regis ſtudium & caritas ſingularis erga Reginam. *Ad te unam id ſpectat, quæ meas pollicitationes, ac pœnitentiam recipere non vis: fateor a me peccatum eſſe: ſed non in eo, quod ſemper negavi. Peccavi etiam adverſus quoſdam civium tuorum, quod mihi abs te condonatum eſt. Ego ſum adoleſcens; ac tu dicis, quod poſt veniam ſæpe abs te datam, adhuc ad peccata redeo. Nonne homo, qua ego ſum ætate, conſilio deſtitutus, bis aut ter labi poteſt? aut pollicitis non ſtare? ac deinde ſui errati pœnitere, & rerum uſu corrigi? Quod ſi veniam impetrare potero, polliceor me nunquam poſthac peccaturum. Nihil autem aliud peto, niſi ut communi menſa & lecto, tanquam conjuges, utamur. Ad hæc niſi tu conſentias, nunquam ex* Rex menſam & lectum communem ab uxore petens non admittitur. *hoc lecto reſurgam. Te rogo ut mihi indices quid decreveris. Novit autem Deus quid pœnarum feram, quod Deum mihi te fecerim, ac nihil aliud niſi te cogitem. Quod ſi quando te offendo, tu ipſa in cauſſa es: nam cum aliquis me offendit, ſi id perfugium haberem, ut apud te queri poſſem, ad neminem alium querelam deferrem. Sed ſi quid audio, nec te familiariter utor, cogor id in pectore clauſum tenere: quæ res ita me angit, ut mentem & conſilium mihi prorſus excutiat.*

Ego ſemper ei reſpondebam: ſed nimis longum eſſet omnia perſcribere. Rogavi eum cur diſceſſum adornaret in iſta nave Anglica. *Ille id pernegat, adjecto etiam juramento. Sed confeſſus eſt ſe cum* Anglis *colloquutum. Poſtea rogavi eum de quæſtione* Gulielmi Hiegait. *Id quoque negavit, donec ipſa verba quæ pro-*

prolata erant, ei detuliſſem. Tum dixit ſe certiorem a Minto factum, dici quendam e concilio literas de ſe mittendo in carcerem, ac, niſi pareret, occidendo, ad me detuliſſe ut ſubſcriberem: ac ſe idem ex ipſo Minto quæſiſſe, eumque reſpondiſſe ſibi verum videri. De hoc capite eum cras conveniam. Quod ad reliqua de Gulielmo Hiegait, ea confeſſus eſt: nec id niſi poſtridie quam veneram. Magnopere cupiebat ut ego in ejus hoſpitio apud eum diverterem. Ego recuſavi, ac dixi ei opus eſſe purgatione, nec id hic fieri poſſe. Dixit ſe accepiſſe quod lecticam mecum attuliſſem: ſe vero maluiſſe mecum una proficiſci. Credebat, opinor, quod in carcerem eum aliquo amandatura eſſem. Ego reſpondi, quod ductura mecum eſſem ad Cragmillarium, ubi & medici & ego poſſemus ei adeſſe: neque longe a meo filio abeſſe. Ille reſpondit, ſe, ubi vellem, paratum eſſe, modo de eo quod peteret ſecurum ſe facerem. Cupiebat ne a quoquam conſpiceretur. Iraſcitur, quoties ei mentionem Walcarii facio, ac ſe dicit aures ei e capite avulſurum: ac mentiri eum ait. Nam de hac re eum interrogaram: ac de eo quod iratus eſſet quibuſdam Procerum, atque eis minaretur, id negat, & ait omnis ſibi caros eſſe; ac me rogat ne quid ſecus de ſe crederem. Quod ad me attinet, ſe malle de vita diſcedere, quam quicquam committere quod me offenderet.

Regina fingit cauſſas a marito diſcedendi.

Ac poſtea tantum minutarum adulationum tam moderate ac tam prudenter mihi effudit, ut tibi res admirationi ſit futura. Pene oblita eram, quod dixit in hoc negotio Hiegait, non poſſe de me quicquam ſuſpicari. Se enim nunquam crediturum, quod ego, quæ propria ejus caro eſſem, quicquam mali ei facerem. Etiam ſe reſciiſſe, quod ego ei rei ſubſcribere recuſaſſem: quod ſi quis ſuam vitam peteret, facturum ut ſatis magno ei conſtaret. Sed ſibi neminem nec ſuſpectum eſſe, nec futurum: ſed ſe omnes dilecturum, quos ego diligerem. Nolebat permittere, ut a ſe diſcederem, ſed cupiebat ut una ſecum vigilarem. Ego ſimulabam omnia videri vera, ac mihi curæ eſſe: atque excuſavi quod illa nocte vigilare non poſſem. Ait ſe non bene dormire: nunquam vidi eum melius habere, aut loqui humilius. Ac niſi experimento didiciſſem, quam eſſet ejus cor cereum, meum adamantinum, & quale nullum telum penetrare poſſet, niſi quod e tua manu veniat, prope erat ut ejus miſerta fuiſſem. Sed ne time, præſidium ad mortem uſque cuſtodietur: tu vide ne tuum capi ſinas a gente illa perfida, quæ non minore contentione tecum de hoc ipſo aget: arbitror in eadem ſchola doctos fuiſſe. Iſte ſemper in oculis habet lacrymam, ſalutat omnes etiam uſque ad infimos: & miſeris modis eos ambit, ut ad ſui miſericordiam eos perducat. Hodie patri ejus ſanguis e naribus & ore fluxit: tu conjice quale id ſit præſagium: nondum eum vidi, continet enim ſe in cubiculo. Rex poſcit, ut meis manibus ſibi tradam cibum: ſed tu nihilo magis iſthic ſis crediturus, quam ego hic ero.

Regina ſuo indicio tanquam ſorex ſuam ipſa impietatem & ſcelus prodit.

Videtur hæc mariticida ex præſagio paterni ſanguinis audaciam ſumere graſſandi in necem ſui mariti.

Hæc eſt mea primi diei expeditio, eandem cras finiam. Omnia ſcribo, etſi non ſunt magni ponderis, ut tu optima ſeligendo judicium facias. Ego in negotio mihi maxime ingrato verſor. Nunquid ſubit cupiditas ridendi, videndo me tam bene mentiri, ſaltem diſſimulare tam bene, ac interim vera dicere? Omnia mihi aperuit ſub nominibus Epiſcopi & Sutherlandi. Nec tamen adhuc colloquuta ſum, aut verbo attigi quicquam eorum, quæ tu mihi declaraſti: ſed tantum vi adulationum & precum ago, ut a me ſit ſecurus: & conquerendo de Epiſcopo, omnia de

Impudens & mendax Reginæ diſſimulatio & perfidia in maritum.

de eo expiſcata ſum: cætera audiſti. Nos ſumus conjuncti cum duobus infidis hominum generibus. Diabolus nos ſejungat, ac nos conjungat Deus in perpetuum, ut ſimus fidiſſimum par, quod unquam junctum eſt. Hæc mea fides eſt, in ea volo mori. Excuſa quod male pingam: dimidium te oportet divinare, ſed ego ei rei mederi non poſſum. Non enim optime valeo, & tamen magna fruor lætitia ſcribendo ad te, cum alii dormiunt: quando ego dormire non poſſum, ut illi faciunt, nec ut ego vellem, hoc eſt in tuo complexu, mi care amice, a quo precor Deum, ut omnia mala avertat, & quietem mittat. Ego eo ut meam quietem inveniam in craſtinum, ut tum mea Biblia finiam. Sed angor quod ea me a ſcribendo de meipſa ad te impediant, quia tam diu eſt. Fac me certiorem quid de re, quam noſti, decreveris, ut alter alterum intelligamus, ne quid ob id ſecus fiat. Ego nudata ſum, ac dormitum eo, nec tamen me continere poſſum, quo minus quod reſtat chartæ deformiter conſcribellem. Male ſit iſti variolato; qui me tot laboribus exercet: [1] *nam abſque eo, eſſet ut materiam multo elegantiorem ad diſſerendum haberem. Non magnopere deformatus eſt, multum tamen accepit: pene me ſuo enecavit anhelitu: eſt enim gravior, quam tui propinqui, & tamen non accedo propius ad eum, ſed in cathedra ſedeo ad pedes ejus, cum ipſe in remotiſſima lecti parte ſit.*

Em precatio Reginæ contra maritum.

Regina libidine æſtuans, & amore Bothuelii inſaniens.

De Rege marito intelligit, quem ipſa veneno deformavit, quum occidiſſe potius cogitarat.

Nuncius patris in itinere.
Sermo D. Jacobi Hamiltonii.
De eo quod Luſſæ Comarchus *mihi retulit de dilatione.*
De quibus interrogavit Joachimum.
De ordinatione familiæ.
De meo comitatu.
De cauſſa mei adventus.
De Joſepho.
Item de ſermone inter me & illum.
De ejus voluntate placendi mihi, & de ejus pœnitentiis.
De interpretatione ſuarum literarum.
De negotio Gulielmi Hiegait, *& de ſuo diſceſſu.*
De Domino de Leviſton.

Pene oblita eram, quod Dominus Leviſtonius, *D.* Rereſiæ *dixit in aurem, dum cœnaret, quod præbiberet eis quos noſſem, ea lege ut ego rebiberem eorum nomine. Ac poſt cœnam dixit, mihi dum ad ignem calefiebam, cum ei inniterer: Bella, inquit, hujuſmodi hominum viſitatio. Non tamen tanta e tuo acceſſu poteſt eis eſſe lætitia, quanta in moleſtia quidam hodie relictus eſt: qui nunquam lætus erit, donec te iterum videbit. Ego de eo quæſivi quiſnam is eſſet. Ille arctius corpus meum comprimens, reſpondit, unus eorum, qui te reliquerunt: tu quis ſit divinare potes. Ego hodie elaboravi uſque ad horam ſecundam in hac armilla, ut*

D. Leviſtonius.

1 *Nam abſque eo, eſſet ut materiam, &c.*] Rectius mea ſententia; *Nam abſque eo eſſet, materiam, &c.*

ut clavem includerem, quæ ſubtus annexa eſt duobus funiculis: male autem facta eſt ob temporis anguſtiam, ſed faciam pulchriorem. Interim proſpice, ne quiſquam eorum qui hîc ſunt videat: quia omnes mortales eam agnoſcent, tanta feſtinatione in omnium oculis facta eſt.

Inſtitutum hoc odioſum non aliter quam de cæde mariti intelligi poſſe videtur.

Nunc proficiſcor ad inſtitutum meum odioſum. Tu me adeo diſſimulare cogis, ut etiam ipſa horream: ac tantum non proditricis partes me agere cogis. Illud reminiſcere, quod niſi tibi obſequendi deſiderium me cogeret, mallem mori, quam hæc committere: cor enim mihi ad hæc ſanguinem fundit. Breviter negat ſe mecum venturum, niſi ea lege, ut ei pollicear me communi cum eo menſa & toro uſuram velut antea, ac ne ſæpius eum derelinquam. Hoc ſi faciam, quicquid velim faciet, ac me comitabitur. Sed me rogavit, ut ſe exſpectarem in diem perendinum. Valde ferociter ab initio loquebatur (ut qui has fert tibi narrabit) de colloquio cum Anglis, *de ſuo diſceſſu: ſed tandem reverſus eſt ad ſuam humanitatem. Inter alia conſilia, quæ mihi retulit, ſe ſatis ſcire quod meus frater ad me detuliſſet, quæ ipſe cum eo egiſſet* Sterlini. *Quarum rerum dimidium negavit, ac maxime illud, quod fratris mei cubiculum eſſet ingreſſus. Ut ego facilius fidem apud eum aſſequerer, neceſſe mihi erat quædam fingendo ei obſecundare. Quamobrem cum rogaret, ut ei pollicerer, cum primum revaluiſſet, communem nobis fore lectum: ego diſſimulanter dixi, ac fingens me bellis ejus pollicitationibus fidem habere, me conſentire, niſi ille interea propoſitum mutaret: ſed interea videret ne quiſquam id reſciſceret, propterea quod Proceres noſtris colloquiis offendi non poſſent, nec ideo male velle, ſed in timore futuros, quod comitatus fuiſſet: ſi aliquando inter nos concordes eſſemus, ſe daturum operam, ut intelligerent quam parvi eum æſtimaſſent. Item quod mihi conſuluiſſet, ne gratiam quorundam ſeorſum a ſe expeterem.*

Has ob cauſſas eos in magna ſuſpicione futuros, ſi ego faciem ſcenæ ad contrariam huic fabulam inſtructæ, in præſentia eis inſciis turbarem. Tum ille vehementer lætus ſubjecit: Et tu putaſne quod pluris illi te æſtimabunt ob hanc cauſſam? ſed valde gaudeo, quod ſermonem de Proceribus injeciſti, nunc quidem credo te cupere, ut una concorditer vivamus: nam ni ita eſſet, majora quam uterque timemus incommoda utrique poſſent evenire. Sed nunc quod tu vis, volo, & quod amabis amabo, & cupio ut eorum ſimiliter concilies amorem: quid poſtquam non petunt vitam meam, omnes amo ex æquo. Circa hoc caput hic tabellarius multa minuta tibi declarabit: quia nimis multa ſuperſunt ſcribenda, & jam ſerum eſt: huic adhibebis fidem juxta tuum verbum. Breviter, meo juſſu quovis ibit. Hei mihi, nunquam quenquam decepi: ſed ego me in univerſum tuæ voluntati ſubjicio. Fac me certiorem quid faciam: & quicunque ſequatur eventus, tibi obſequar.

Turpis Reginæ ſubjectio.

Etiam tecum perpende, an comminiſci queas aliquam occultiorem rationem per medicinam. Sumturus eſt enim & medicinam & balneum ad Cragmillarium. *Non poteſt domo egredi ad multos dies. Breviter, quantum intelligere poſſum, in magna ſuſpicione verſatur: nihilo tamen minus magnam habet fidem orationi meæ, nec tamen uſque adeo, ut quicquam mihi effutiat. Nihilominus ego ex eo, ſiquidem tu vis, omnia apud eum profitear & agnoſcam. Sed nunquam gaudebo in quovis homine, qui mihi fidit, decipiendo: nihilominus tu mihi potes omnibus in rebus*

De veneno dando conſpirat Regina cum Bothuelio.

bus

bus imperare : noli ideo ſiniſtram opinionem de me concipere : quia tu ipſe hujus rei mihi auctor es : nunquam enim iſtud in eum committerem meæ propriæ ultionis cauſſa. Interim me attingit in loco ſuſpecto : idque ad vivum hactenus proſequutus eſt : ſua crimina eſſe palam : ſed ſunt qui majora committant, & opinantur ea ſilentio tegi, & tamen homines de magnis juxta & parvis loquuntur. De Rereſia *ait, Deum precor, ut officia, quæ tibi præſtat, ſint tibi honori. Ait etiam quoſdam credere, ac ſe id verum exiſtimare, me non habere poteſtatem mei intra me : idque quia recuſaverim conditiones a ſe oblatas.*

Rereſia meretrix.

Breviter, certum eſt quod de eo, quod ſcis, ſuſpicetur : ac de vita etiam. Quod ad poſterius, cum primum ego duobus aut tribus bonis verbis eum compello, gaudet, ac timere deſinit. Non vidi eum hac veſpera, quia tuam armillam conficiebam : cui nullam poſſum ceram invenire, id enim unum ad perfectionem ei deeſt: & adhuc vereor, ne aliquod ſe offerat infortunium, & conſpici poſſit, ſi te contingat lædi. Fac me certiorem num eam velis habere : & ſi pluſculum pecuniæ velis habere: & quando debeam redire : & quem in loquendo modum mihi ſtatuam. Inſanit ad mentionem de Lethintonio*, de te, de fratre meo. De tuo fratre nihil loquitur. De Comite* Argatheliæ *in timore verſor, quoties eum audio loquentem. Pro certo habet eum nihil de ſe male opinari. De eis, qui extra ſunt, nihil neque boni, neque mali loquitur, ſed ſemper hunc locum vitat. Pater ejus domi ſe continet: nondum enim vidi. Omnes* Hamiltonii *hîc adſunt, & me comitantur, valde honorifice. Alterius omnes amici me comitantur, quoties eum viſo. Petit a me ut cras tempori adſim, ut eum ſurgentem videam. Ut paucis abſolvam, hic tabellarius reliqua tibi narrabit. Si quid novi hîc diſcam, veſperi faciam commentarium : ille tibi explicabit meæ moræ cauſſam. Crema has literas, ſunt enim periculoſæ, nec quicquam bene in eis dictum. Ego enim nihil cogito niſi moleſtias. Si fueris* Edimburgi *cum has accipies, fac me certiorem. Noli offendi, quia non nimium fido. Nunc poſtquam ob ſtudium tibi obſequendi, mi care amice, neque honori, neque conſcientiæ, nec periculis, neque quantævis magnitudini parco, rogo in bonam partem accipias, ac non juxta interpretationem fallacis fratris uxoris tuæ : cui rogo nullam* [1] *adhibeas fidem adverſus fideliſſimam omnium, quas aut habuiſti aut habebis, amicam. Noli eam intueri, cujus fictæ lacrymæ non debent tanti eſſe, quanti fidi labores, quos ego perfero, ut merear in ejus locum ſuccedere : quem ut obtineam, Ego eos prodo (idque adverſus ingenium meum) qui impedimento eſſe poſſent. Deus mihi det veniam. Et Deus tibi det, mi unice amice, eum ſucceſſum, & felicitatem, quam tua humilis & fidelis amica tibi optat, quæ brevi ſperat aliud de te in præmium mei moleſti laboris. Serum eſt : tamen nunquam cupio ceſſare a ſcribendo ad te. Tamen nunc poſt oſcula manuum tuarum, finem meis literis imponam. Excuſa meam in pingendo imperitiam : eaſque relege. Excuſa curſionem characterum : quia heri chartam non habebam, cum id quod in commentario erat ſcriberem. Reminiſcere*

tuæ

Regina adultera honorem ſuum ſimul & conſcientiam proſtituit.

Uxorem Bothuelii profligat Regina, quæ maritum ejus ſola poſſideat.

1 *Adhibeas fidem*] Jam inde ab Auſonii temporibus invaluit hæc formula, pro qua optimi Latinitatis auctores *fidem habere*, *addere* vel *adjungere*, dicebant. Vide Cellar. Cur. poſter. pag. 396.

tuæ amicæ, ac ſæpe ad eam reſcribe. Redama me, uti ego te amabo. Reminiſcere ſermonis de Rereſia.

De Anglis.
De matre ejus.
De Comite Argatheliæ.
De Comite Bothueliæ.
De hoſpitio Edimburgi.

Alia Reginæ Epiſtola ad *Bothuelium.*

VIDETUR cum tua abſentia conjuncta eſſe obliviſcentia, præſertim cum in tuo diſceſſu promiſeris, quod me certiorem faceres, ſi quid incidiſſet tibi novi per ſingula prope momenta. Eorum exſpectatio propemodum in tantam lætitiam me conjecit, quam in tuo reditu ſim acceptura: quem diſtuliſti ultra quam promiſeras. Quod ad me attinet, quanquam nihil audiam præterea ex te novi, tamen juxta partes mihi commiſſas, hominem adduco mecum ad Cragmillarium *die Lunæ, ubi erit toto die Mercurii. Ego autem ibo* Edimburgum, *ut mittam ex me ſanguinem, ſi nihil interea novi in contrarium de te audiam. Eſt hilarior ac vegetior quam unquam eum videris. Subjicit mihi in memoriam omnia, quæ efficere queant ut me credam ab eo amari. In ſumma, diceres quod me cum ſumma obſervantia colat & ambiat: qua de re ita magnam capio voluptatem, quod nunquam ad eum ingredior, quin dolor lateris mei infirmi me invadat: ita me male habet. Si* Paris *ad me afferet id, cujus cauſſa eum miſeram, ſpero me melius habituram. Oro, fac me certiorem de tuis rebus prolixe: & quid mihi ſit faciendum, ſi tu non eris reverſus cum ego illuc venero. Quia niſi tu rem geras prudenter, video totum onus in meos humeros inclinaturum. Proſpice omnia, ac prius tecum rem expende. Hæc tibi mitto per* Betonem, *qui proficiſcitur ad diem dictam D.* Balfurio. *Non dicam plura, niſi quod te rogo ut de tuo itinere me certiorem facias.* Glaſcua, *hoc ſabbato mane.*

Regis erga Reginam ſumma obſervantia.

Reginæ erga Regem ſumma ingratitudo & malitioſa impietas.

Alia

Alia Epiſtola ad eundem.

DIUTIUS *illic morata ſum, quam volebam, niſi id factum fuiſſet, ut aliquid ex eo exſculperem; quod hic tabellarius tibi indicabit: quæ eſt belliſſima occaſio, quæ ſe poterat offerre ad excuſandum noſtra negotia. Promiſi me ipſum cras ad eum adducturam: tu rem cura, ſi tibi commoda videtur. Nunc, Domine, ego pactum violavi: quia tu vetuiſti me vel ſcriberem, vel mitterem ad te. Non tamen hoc feci, quo te offenderem: & ſi ſcires quanto in metu ego ſum in præſentia, non tot in animo haberes contrarias ſuſpiciones: quibus tamen ego faveo, & boni conſulo, tanquam profectas ab ea re, quam ego omnium, quæ ſub cœlo ſunt, maxime cupio, & diligentiſſime perſequor, qui eſt tuus favor: de quo mea me officia certam & ſecuram facient. Quod ad me attinet, nunquam de eo deſperabo: ac te rogo, ut juxta tua promiſſa animum tuum mihi exponeres: alioqui ſuſpicabor fieri malo meo fato, & ſiderum favore erga illas (quæ nec tertiam habent partem fidelitatis, & voluntatis tibi obſequendi, quam ego habeo) ut ipſæ velut ſecunda* Jaſonis *amica, me invita, priorem apud te locum gratiæ occupaverint. Nec hoc eo dico, quo te cum homine, ea qua ille erat infelicitate, comparem: nec me cum muliere tam aliena a miſericordia, quam illa erat. Quanquam tu me cogis, aliqua ex parte, ut illi ſim ſimilis omnibus in rebus, quæ ad te pertinent: aut quæ te ſervare & cuſtodire queant illi, cujus unius jure totus es. Siquidem id tanquam meum mihi vindicare poſſum, quod paravi te unum fideliter, imo unice amando, (quod & facio, & faciam dum vixero) ſecura omnis laboris & periculi, quæ illinc impendere poterunt. Et ob hæc omnia mala, quorum tu mihi cauſſa fuiſti, hanc repende gratiam, ut * loci memineris, qui hic vicinus eſt. Non poſtulo ut cras mihi promiſſa ſerves, ſed ut congrediamur, & nullam fidem ſuſpicionibus adhibeas, niſi rebus exploratis. Ego vero nihil aliud a Deo peto, niſi ut ea intelligas, quæ ſunt in animo meo, qui eſt tuus: & ut te præſervet ab omni malo, ſaltem dum mihi ſupererit vita: quam & ego non duco mihi caram, niſi quatenus & ego & illa tibi placemus. Ego eo cubitum, & tibi valedico: fac me certiorem ſummo mane de tua valetudine: ego enim ero in moleſtia donec intelligam. Si avis evaſerit e cavea, aut ſine compare, velut turtur, ego remanebo ſola ut lamenter abſentiam tuam quamlibet brevem. Hæc epiſtola libenter faciet quod ego ipſa facere non potero, niſi forte tu (quod metuo) jam dormias. Non ſum auſa ſcribere præſentibus* Joſepho, Sebaſtiano & Joachimo, *qui nihil aliud quam diſceſſerant, cum ego cœpi hæc ſcribere.*

Regina favorem adulteri quam callide eblanditur.

Recte iſta ſeſe cum Medea confert, niſi quod illa filios hæc ipſum maritum occiderat.

Reginæ inſanus in Bothuelium amor.
* Videtur locum cædi perpetrandæ deſtinatum innuere.

Cataſtrophe hujus Tragœdiæ.

HÆ quidem cauſſæ Reginam ad id conſilium impulerant. Erant & *Bothuelio* ſuæ rationes, quæ animum non leviter moverent. Nam, cum abſolutio illa infamis magis rem augeret, quam ſuſpicionem levaret, neque celari res poſſet, ad ultimum remedium decurrit: ut videlicet veniam omnium a ſe perpetratorum a Regina impetraret. Sed cum ex amore patrio in hoc genere diplomatum graviſſimum crimen nominatim aſcribere, cætera velut appendicem in genere tantum adjungere [[1] *oporteret*,] cædem Regis fateri nec honeſtum, nec tutum videbatur. Aliud igitur crimen gravius, aut certe non minus atrox, aut inveniendum aut perpetrandum erat, ſub cujus umbra cædes Regia lateret. Neque aliud ſuccurrebat, niſi ſimulatus ille raptus, quo ſimul & Regina ſuæ voluntati, *Bothuelius* ſecuritati proſpiceret.

Fucus Bothuelii in occultando facinore.

1 *Oporteret*] Cum alioquin imperfecta eſſet ſententia, nos verbum [*oporteret*] hic inſerendum exiſtimavimus: id vero ſi minus arrideat, poteris ejus loco [*ſolitum eſſet*] ſubſtituere. Vide Hiſt. lib. XVIII. Cap. 27.

F I N I S.

CHA-

CHAMÆLEON,

Written by

Mr. GEORGE BUCHANAN,

Againſt the LAIRD of

LIDINGTONE.

From the Manuſcript *in the* Cotton Library.

CHAMÆLEON,

Written by Mr. GEORGE BUCHANAN

Againſt the LAIRD of

LIDINGTONE.

THAIR is a certane kynd of Beiſt callit *Chamæleon*, engenderit in ſic Countreis as the Sone hes mair Strenth in than in this Yle of *Brettane*, the quhilk albeit it be ſmall of Corporance, noghtheleſs it is of ane ſtrange Nature, the quhilk makis it to be na leſs celebrat and ſpoken of than ſum Beaſtis of greittar Quantitie. The Proprieties is marvalous, for quhat Thing evir it be applicat to, it ſemis to be of the ſamyn Cullour, and imitatis all Hewis, excepte onelie the Quhyte and Reid; and for this caus anciene Writtaris commonlie comparis it to ane Flatterare, quhilk imitatis all the haill Maneris of quhome he fenzeis him ſelf to be Freind to, except Quhyte, quhilk is taken to be the Symboll and Tokin gevin commonlie in Deviſe of Colouris to ſignifie Sempilnes and Loyaltie, and Reid ſignifying Manlineſs and heroyicall Courage. This Applicatioun being ſo uſit, zit peradventure mony that hes nowther ſene the ſaid Beiſt, nor na perfyte Portraict of it, wald beleif ſick thing not to be trew. I will thairfore ſet furth ſchortlie the Deſcriptioun of ſic an Monſture not lang ago engendrit in *Scotland* in the Cuntre of *Louwthiane* not far frome *Hadingtoun*, to that effect that the forme knawin, the moiſt peſtiferus Nature of the ſaid Monſture may be moir eaſelie evitit: For this Monſture being under coverture of a Manis Figure, may eaſeliar endommage, and wers be eſchapit than gif it wer moir deforme and ſtrange of Face, Behaviour, Schap and Membris. Praying the Reidar to apardoun the Febilnes of my waike Spreit an Engyne, gif it can not expreme perfytelie ane ſtrange Creature, maid by Nature, other willing to ſchaw hir greit Strenth, or be ſum accident turnit be Force frome the common Trade and Courſe. This Monſtre being engenderit under the Figure of a Man Chyld, firſt had ane Proprietie of Nature, flattering all Manis Ee and Senſis that beheld it, ſo that the common Peiple wes in gude Hoip of greit Vertuus to proſper with the Time in it; other ferdar ſeing of greit Harmes and Dampnage to cum to all that ſould be familiarlie acquentit with it. This Monſture promovit to ſic Maturitie of Aige, as it could eaſelie flatter and imitat every Manis Countenance, Speche and Faſhions, and ſubtill to draw out the Secreittis of every Manis Mynd, and depravat the Counſellis to his awin propter Gayne, enterit in the Court of *Scotland* the   , and having eſpyit out not onelie Factiouns bot ſingular Perſonis, addreſſit the ſelf in the begyning to *Iames* eſter Erll of *Murray*, and *Gilbert* than Erll of *Caſſillis*, Men excellent in the Tyme, in all Vertuus perteining to ane nobill Man, and ſpeciall in luſe of the Common welth of thair Cuntre: And

ſeing that his Nature could not bow to imitat in Veritie, but onelie to contrafat ſenzeitſlie the Gudnes of thir two Perſonis, nor zit change thame to his Nature, thocht expedient to leane to thame for a Tyme, and clym up be thair Branches to hiear Degre, as the Wod bind clymeth on the Oik, and ſyne with Tyme diſtroyis the Tre that it wes ſupported be. So he having cum to ſum Eſtimatioun throw hanting of thir nobill Lordis (quha wer than eſtemit of every Man as thair Vertuus meritit) wes ſone be gud Report of thame, and ane fenzeit Gudnes in him ſelf put in Credeit with the Quene Regent, verelie an nobill Lady and of greit Prudence, bot zit could not eſpy the gilt Vyces under Cullour of Vertew hid in the ſaid Monſter, ſpeciallie being clockit be favour of the two forſaid Lordis, in quhais Company hir Grace wald nevir have belevit that ſic ane peſtilent Verm could have bene hyd. The firſt Experience the ſaid Quene had of him wes in ſending him to *France* for certane Biſſines occurrent for the Tyme, quhair he did his Commiſſioun ſa weill to his awin Intention, and ſa far frome the Quenis Mynd, that he diſſavit the Cardinall of *Lorayne*; quha untill that Day thocht him ſelf not only auld Practicien, bot als Maiſter, zea Doctour *Subtilis*, in ſic Matters of Negociatioun. His fals Dealing being ſone perſavit, and he greitlie hatit, zit ſche being ane Lady of greit Prudence could not defend hir ſelf frome ſubtilltie, bot within ſchort Tyme be meanis of ſic as belevit him to be thair Freind, he crap in Credence agane be ane other Dur, and under ane other Cullour: Bot zit could not ſa weill as he wald invent new Falſhead, becaus of the auld Suſpitioun, and being of auld ſuſpectit, ſone perſavit, and in dangerie to be taken reid hand and puneiſt efter his Meritis, he fled out of *Leyth*, and coverit himſelf with the Cloik of Religioun ſa lang as it could ſerve, bot nevir ſa cloſſe bot he keepit ane refuge to ſum Sanctuarie of the Papiſtis gif the Court had changeit. As to the Biſchoppis of *Santandrois* and *Glaſgow*, and utheris diverſe, quhais Cauſis wer in his Protectioun, and thairfore the haly Doctour *Cranſtoun* deptit to him largelie of the Spoyle of Sanct *Salvatoris* College, and wes mantenit be *Chamæleon* aganis all Law and Reſſoun; beſide that he wes ane Man contaminat in all Kynd of Vycis. How far afoir the cumming hame of the Quene the Kingis Moder, he wes contrary to all hir Actiouns, and favourabill to hir Adverſaries, and inclynit to hir Deprivatioun, it is notourlie knawin bayth in *Ingland* and *Scotland*, be ſic as mellit than with the Affairis of the Eſtait in bayth the Realms. Efter the Quenis cumming hame he enterit ſchortlie be changeing of Cullouris, and turning out the other Syde of his Cloik, and hilding him be the Branches of the Erll of *Murray*, and for ane Tyme applying him to the Quenis G. heir, that he allone wes hard in all ſecreit Matteris, caſting of lytill and lytill the Erll of *Murray*, and thinking that he wes ſtrang anewch to ſtand by himſelf, on leaning to the Erll of *Murray*. And becaus the Erll of *Murray* pleſit not mony Interpryſis of Marriage than attemptit, as with the Princes of *Spayne*, with the Duke of *Anjou*, wit the Empriaris Brother, the ſaid *Chamæleon* applyit himſelf to all thir Partiis, and changeing Hew as ye Quene ſweyit the Ballance of hir Mynd, and followit the Appetyte of hir Luſt. And at lang the Quene be Avyis of hir Oncles devyſit to deſtroy the Erll of *Murray*, thinking him to be ane greit Brydill to refrane hir Appetitis, and Impediment to

leif at libertie of her Pleſſoure; not that evir he uſit ony Violence anentis hir, bot that his Honeſtie wes ſa greit that ſche wes eſchamit to attempt ony thing indecent in his Preſence. Sche than being deliberat to diſtroy him be the Erll of *Huntlie*, went to the North, and he in hir Company; and howbeit the Treſſoun wes oppynnit planelie, and *Johnne Gordoun* lying not far of the Town (*Aberdeen*) with an greit Powar, and the Erll of *Murray* expreſslie ludgeit in an Hous ſeparate frae all uther Habitatioun, and his Deid be diverſe wayis ſocht; this *Chamæleon*, quhether of Sempilnes, or for layk of Foirſicht, or for bauldnes of Courage, I refer to every Manis Conſcience that doith knaw him, he alone could ſe no Treſſoun, could feare no Dangear, and wald nevir beleif that the Erll of *Huntlie* wald take on Hand ſic ane Interpryis; howbeit thair wes gevin Advertiſement of it out of *Ingland* and *France*, Letteres taken declarand it, and the Mater manifeſt before all Menis Ene. It wer to lang to reherſe, and not verie neceſſar for the preſent, it being knawin to ſa mony, quhat divers Purpoſis wer tane, quhat Dangearis eſchapit all the tyme of that Voyage, untill the Quene come to *Abirdene* again, and how miraculous wes the Victorie: Bot ane thing is not to be pretermittit, that the ſaid *Chamæleon* wes ane of the reddieſt to gnaw the Bainis of the Deid, to ſpoyle the Qwyck, and mak his Proffit at that Marcat. Efter this the ourſey Trafficque of Mariage growing cald, the ſaid *Chamæleon* going in *Ingland*, delt ſa betuix the Proteſtantis and Papiſtes, that he changeit dalie Colouris, ſumtyme flattering the ane, ſumtyme the other, and making every ane of thame beleif that he labourit onelie for thame, and amangis other thingis be an prevy Intelligence with the Quene and verre few of the Nobilitie, practizit the Marriage of the Quene and *Henry* Lord *Dernlie*, of the quhilk he mad nevir the Erll of *Murray* prevy, untill all wes endit. Howbeit the Erll of *Murray* did nevir Thinge, nor tuke nevir Propoſe without his Adviſe and Counſale. Heir the Mater quhilk he had raſchelie brocht on, wes neir the Point Seing that the Quene of *Ingland* diſſagreit with it for certane Reſpectis, and the Lordis of *Scotland* for the cauſe of the Religioun, to the manteinance of the quhilk thay deſſyrit ane Promeis of the Quene and the ſaid Lord *Dernlie*, the *Chamæleon* in ſecreit flatterit the Quene, and openlie tuke the Colour of Religioun: And at the lang (ſeing my Lord of *Murray*, for being preciſe and plane in all Doingis caſt aut of Court) cled himſelf onelie in the Quenis Colouris, untill that *David* prevalit agains him, and had in a manner the haill Credeit of all weehtie Materis. At this Poynt thinking himſelf in werſe Caiſe than he beleivit, ſocht to make an other Change of Court, and ſet up new Play again, awaytit on the Court ſumpart diſgracit, louking for ſum new Cullour to apply him ſelf to. In this mene tyme the Quene ſeking to move ſum thing in the Religioun, maid ane Querell agains certane Lordis of the Principallis of *Scotland*, the quhilkis, albeit that ane reſſonabill Power faillit thame not, and that the Favouir of the Cuntre wes for thame, zit to ſchaw thair Innocency, quhen thai could not breke the Quenis obſtinat Mynd of thair Diſtructioun de Prayer and Sollicitacioun of Freindis, thay left the Cuntre and went in *Ingland*, zit *Chamæleon* held the ſmall Grip that he had in Court ſecunding to *David*. In this mene tyme the Parliament ſet to forfalt ſick Lordis as had fled in *Ingland*, except the Duke, quha did

be

be Interceſſioun of Silver by his Remiſſioun fra *David*. The reſt of the Lordis quhilk were of Wiſdome or Eſtimatioun, partlie requirit be the King, quha wes in na Credit in reſpect of *David*, partlie for thair awin Libertie, conſpyrit the Deid of the ſaid *David*, and executit the ſame. *Chamæleon* cheifeſt Enemy to *David*, eftir the Kingis Grace, zit not being advertiſit be the Lordis of thair Enterpriſe, and ſuſpectit of the Quene, knawing his Dowbilneſs, quhyther for verie Feare, or preparing ane Entre to the Quenis favour, fled as uthers did, and eftir lang Fetchis brocht agane to the Court, keſt clene frae him all Colouris of the Kingis, and cled him agane in the Quenis Colouris, and wes ane of the principal Inſtrumentis that increſſit Diſſenſioun betwix hir and the King: The quhilk Practize, howbeit he wald have diſſimulatit, ſum tyme brake out with him; as to ane nobill Woman, praying *God to gif the King and the Quene Grace to agrie*, he anſwerit, *God let thame nevir agre*: For thay leving in Diſſenſioun, he thocht that his Dowbilnes could not be eſpyit out. And than ſeing the Erll *Bothuile* cum in Credeit, he flatterit him; and evin as thay agreit in all Pointis to put down the King, ſeing that he proſpering thay could have na Lyff, ſa eftir the King deid, the Erll *Boithuele*, having in that Practize knawin his Falſet, and fearing his Inconſtancy, and deſyring to be deliverit of ſic an Witnes, ſocht his Deid: And he having na Refuge to the Quene for the ſamyn cauſe, tuke for a tyme the Erll of *Mortonis* Collouris, an being borne furth be him agains the Erll of *Boithuiles* Power and Hatrent, ſa lang as he wes in Feare lurkit under the Erll of *Mortonis* Wingis, and the Feir paſt ſchew himſelf the ſaid Earls Enemie: And having no ſufficient Cauſe, nor appearand Indice of Separatioun of Company and Kyndnes, he fenzeit that the ſaid Erll of *Mortun* had conſpyrit his Deid, to be execute by ſome of the Erllis Friendis; and to prove the ſaid Conſpiracy, alledgit an famous Witnes (*majorem omni exceptione*) the nobill and vertuus Lady *Gyltoun*. Now to returne agane to our Propoſe, eftir the Deid of the King devyſit be him, executit be the Erll *Bothuile*, for Feir of the ſaid Erll he lurkit a quhile out of Court, untill the Tyme the Quene at *Carberrie-Hill* come to the Lordis, and the Erll *Boithuile* fled to *Dunbar*. Than he come to Parliament, and with ſume otheris participant of the Kingis Slaughter, wald have had the Quene ſlane be Act of Parliament; and not finding mony conſenting thairto, and ſpeciallie the Erll of *Murray*, than choſen Regent, being in the contrair, he ſollicitat ſome previe Men to gar hang hir on hir Bed with hir awin Belt, that be that way he and his Partinaris in the Kingis Murthoure mycht be deliverit of an Witneſſe; knawing weill the Quenis Nature, that quhen ſhe wes miſſcontent of ony Man, ſche wald tell all ſic Secreittis as ſche did knaw of him. This Propoſe not proceeding as he deſyrit, he turnit him firſt in flattering with the Quene, and ſend to hir being in *Lochlevin* ane Picture of the Deliverance of the Lyoun by the Mouſe, and nixt turnit his haill Wit to the Diſtruction of the Erll of *Murray*, thinking that the Wickit could not proffeit greitly, ſo juſt a Man having the ſupreme Power; and als ſeing that the Quenis Craftineſs wes abill at the lang to overthraw the Erll of *Murrays* Sempilnes. So he bendit all his Wittis to the ſaid Erllis Everſioun, and the Quenis Reſtitution, and procedit in this Cauſe, partlie be

making an Factioun of the Counſalleris, and Partakeris of the Kingis Murthoure, of Men lycht of Fantaſie and Covatous of Geir; partlie be correpting of my Lord of *Murrayis* Freindis and Servandis, and travellit principallie with the Laird of *Grange*, thinking that it ſould be an greit Strenth to the Factioun, to have the Caſtell of *Edimburgh* at thair Command. The Regent being divers Tymes advertiſet of thir Practizis, wes of ſo upright Nature, that he wald beleif na thing of ony that he had takin in freiendſchip, quhilk he wald not have done himſelf, and als, mony of the Factioun in the begyning thocht it had bene bot ane Ligue defenſive agains the Power of the Great, that is accuſtimat to overthraw the ſmall in Tyme of Troubill.

In this mene Tyme come the Deliverance of the Quene out of *Lochlevin*, the quhilk he wes not ignorant of, and ſpecially be the meanis of his Couſing *Johne Hamiltoun* of the *Cochnoch*(al. *Cobeug*) zit he tareit with the Regent to keip ane Cullour of Honeſtie, and that with the Quenis Conſent, quha had given him and divers otheris that were in my Lord of *Murrayis* Company fre Remiſſioun for all by paſt.

Bot the Battel chanſing utherwaies than he deſyrit and belevit, zit he perſiſtit in his Propoſe to deſtroy the Regent, not opinlie, bot be ſecreit Meanis. As being ſent divers Tymes to commune with the Lord *Flemyng*, evir did the contrair of the Propoſe that he wes ſend for, and evir tendit to hald the Cuntre in Unquietnes; and in all Aſſembleis for Appointment, tendit to have all by paſt remittit, to keip ay Thevis and Revaris in Courage, and to abaſe the Hartis of trew Subjectis, that ſould haif na hoip of Redreſſe of Wrangis done to thame be the Kingis Rebellis. Efter that be the Dilligence and Wiſdome of the Regent the Cuntre wes brocht to ſum Stay, and Juſtice lyke to haif the over Hand, the Kingis Rebellis purchaſſit at the Quene of *Inglandis* Handis, that ſche ſould conſider the greit Wrangis (as thai ſaid) done to hir nixt Nychtbour, and being nixt of Blude to hir, and other be hir Requeiſt or Puiſſance caus hir be reſtorit agane to her formar Authoritie. The Quenis Majeſtie of *Ingland* having zit no leſs regaird to Juſtice nor to Conſanguinitie, deſyrit ſome of the Principallis of the Nobilitie to repair to hir or hir Deputties for thir Requeiſtis and Complayntis, and my Lord deliberat to go in Perſoun wes in Doubt, having ellis enterit in ſum Suſpicionis of this *Chamæleon*, quhethir he ſould tak him with him ſelf, or leif him beheind: For taking him he doubtit not bot he wald hinder the Actioun in all Manner poſſibill, ad leaving him behind, that following his natural Complexioun he wald trubill the Cuntre, in ſick maner that it ſould not be eaſelie in lang Tyme brocht to Reſt agane. At lang having deliberat to take him with him, and perſwadit him bayth be Giftis of Landis and Money, he fand to be trew in deid all that he ſuſpectit afore; for everie Nycht in a Manner he communicat all that wes amangis us with ſum of our Adverſaris, and armit thame ſa far as he could agains the ſaid Regent. Bot the Force of the Reſſonis, and Cleirnes of tha haill Deductioun of the Caus that my Lord Regent uſit, wes ſa perſwaſive to the Auditouris, that be *Chamæleons* Advertiſement, the Kingis Mother diſſchargeit hir Commiſſiouners to proceed forther, and differrit to ane mair commodious Tyme for hir: For it wes weill knawin to hir, that the Quenis Majeſtie of *Ingland* and hir Counſall had allowit the ſaid Regentis Proce-

din-

dingis, and the Ambaſſadour of *Spayne* ſeing the horribill Cryme ſa abhominabill to all honeſt Men, refuſed to ſpeik ane Word in the Mater, and the *Frenſche* Ambaſſadour excuſit himſelf that he ſpake be command of [*his*] Maiſter.

In this mene Tyme the ſaid *Chamæleonis* ſecreit Practize with the Duke of *Norffolk*, ſuſpectit afore begouth to brek out be ſum Letters of Maiſter *Johne Leſſleis* callit Biſchope of *Roſs*, and als be the Duke himſelf, put in Hoip of Mariage of the *Scottis* Quene be thame, the quhilk Practize wes handillit: Sumpart putting Feir to the Regent, that he could not returne in *Scotland* with his Lyff without the Dukis Favour, be reaſſoun of greit Preparationis that wes maid aganis the Regent on bayth the Bordoris of *Scotland* and *Ingland*: Partlie be tempting of the ſaid Regentis Mynd, quha anſwerit to the Duke of *Norffolk*, *That he wald be glad that the Quene recognoſcing hir Falt, and repenting, ſould marry ony gude Chriſtian Man of nobill Houſe.* The Rumour of this Dealing wes ſa openelie ſpoken in the Court of *Ingland*, that the Quenis Majeſtie wes conſtraynit to wryte to hir Lieutenentis to mak the Regent be put ſauf in *Scotland*; and ſo he wes without any Recounter, bot of the Erll of *Weſtmureland* not far frome *Durame*, quho ſeing the Regentis Company, and ryding throw thame, thocht not beſt to matche with thame. The nixt Aſſemble wes at *Glaſgow*, quhair the *Hamiltonis* bragging, bot could not be Party, be Meanis of him and otheris thair Favoureris with the Regent, wer reſſavit to ſic an Appointment as wes greitlie to thair Advantage, and the ſaid Regentis Diſſadvantage. And quhen thai ſould haif gevin Pledgis to performe the ſaid Appointment, as wes compromittit, thay did bot ſeke dalay; and ſo the Principallis of thame [*wer*] committit to Ward in the Caſtell of *Edinburg*. The haill Mater wes ſecreitlie handillit be the *Chamæleon.* The quhilk handilling apperit more planelie at an Conventioun at *Sanctandrois*; quhair thair wes twa Headis principallie diſputit, Firſt, *Gif the Erll of* Huntlie *ſould haif general Remiſſioun for all Reif and Oppreſſioun done be him and his Friendis in all tymes bypaſt*; Or, *Gif the Kingis Actioun pardonit, prevat Men ſould have Actioun to crave thair awin Geir*: Nixt, *Gif the Erll of* Huntleis *haill Aſſiſtaris ſould be comprehendit in ane Remiſſioun with him.* The quhilk twa Headis the *Chamæleon* and his Complices preaſſit erniſtly be al Meanis to be reſſavit, as ſaid is, and that not without boiſting of *Franche* Men and *Spanzaris*, and mony uther Inconvenientis; and all this done to diſſcourage the Kingis trew Liegis, and lychtning the Hartis of Rebellis in Hoip of Impunitie of all Wrongis that thai ſould do in Tyme to cume, and to hald the haill Cuntre in Rebellioun and Inquietnes, to conſume at the lang the Regent, quilk thai knew to be puir of Subſtance and liberall of Courage. And zit wer not thir Thingis mair ſubtilly devyſed, nor thai wer conſtantlie reſiſtit be the Regent and his trew Counſall. And ſeing that thai could not come to thair Propoſe this way, thay cauſit new Articles to be deviſit in *Ingland* towching the Quenis cuming hame: To the quhilk albeit thair wes ſufficient anſwer mad in *London*, zit for the ſamyne Caus wes devyſit ane Aſſemble of Lordis in *Sanct Johneſtoun*, with ane Additioun of ane Commiſſioun of Divorcement of the Erll *Boithuile* and te Quene, and to the effect of the haill, mony Writingis [*wer*] purchaſſit of boith wiſe Men and greit Men of *Ingland*, ſchawing planelie

 that

that it wes ane Foly to *Scotland* to preſſe to reſiſt the Marriage betwix the Quene and Duke of *Norffolk*; for it wes devyſit be ſic Wiſdom, and to be executit wiht ſic Force, as *Scotland* wes not abill to reſiſt; and not without Conſent of the Quenis Majeſtie of *Ingeland*. Heir, albeit *Chamæleon* and all his Quhelpis ragit nevir ſa faſt, the contrair wes concludit, and ſchawen to the Quenis Grace of *Ingland* be *Alexander Hume* Gentleman of my Lord Regentis Hous. And becaus the Quenis Majeſtie wes not fully ſatisfeit at that Tyme, ane uther Convocatioun wes hald at *Stirling*, to the quhilk *Chamæleon*, aſſurit of my Lord Regentis Clemencie, and proude in his awin Conſait, bot feiring for his Demeritis, efter ſum Dubitatioun come to *Stirling*; and wes in Doubt not without Caus. For, about this Tyme, my Lord Regent, advertiſit that the *Hamiltonis* had decreitit to murthoure him, he ſchew bayth the Taill and the Authour to the *Chamæleon*, of the quhilk the *Chamæleon* reprovit vehemently the *Hamiltonis* that could not keip thair Counſall mair ſecreit; and this advertiſing being ſchawin be ſum of the *Hamiltonis* to my Lord Regent, zit he ſufferit pacientlie. At *Stirling* the Articles being declarit at greiter length, the *Chamæleon* wes attecheit be Juſtice, and chargit of the Kingis Murthoure, the quhilk greivit him havelie, and preſſit at my Lord Regentis hand the Cryme to be changeit, and he to be accuſit of the Troubles lyke to ryis in *Ingland* and *Scotland* throuch the forſpoken Mariage, for he thocht that Mater to be conſavit and devyſit ſa ſubſtantiallie, that nouther Force nor Wit could maik Impediment to the Performance of it, and belevit ſuirlie that ſic ane Cryme ſould redound to his greit Prayſe and Opinioun of Wiſdom. This not obteinit, he obteinit aganis all the ſaid Regentis Friendis will, to be ſend to Ward in the Caſtell of *Edinburghe*; quhair he wrocht againis the Nature of the *Chamæleon*, for he changeit the greitar part of thame of the Caſtell to his Collour ſa weill, that the Conſpiracy of the Regentis Deid lang afoir conſavit, wes than brocht to effect. Eftir the quhilk he wrocht be ſic Meanis, that he perſwadit the haill Lordis than preſent in *Edinburgh* to be enlargit of his Ward, under Promeis to compeir and anſwer to the Cryme of the Kingis Murthoure layd to his charge, at ſic Day as he ſould be callit, and under Hoip to be an gude Inſtrument of Concord amangis the Lordis; and ane Day prolongit to ſick of the *Hamiltonis* as wald purge thame ſelfis of the Murthoure of the Regent unto the firſt Day of *Maii*, Bot ſone being adjoinit with uthers of his Factioun, he changeit that Collour, and perſwadit utheris Complices of the Murthoure for Feir, and ſum ſempill Perſones be ane fals Collour of Proffeit, to convene to an ſchorter Day, *viz.* the tent Day of *Apryle*, aſſuring thame that the Caſtell (as it wes) being thairs, and the Town als, (for the Capitane of the Caſtell wes Proveiſt) that this Rumour ſould caus mony to convene to thame, and thair Adverſaris diſſgracit ſould haif na Place to convene togidder; and that the Quene of *Ingland* troublit alreddy with Civile Warre at hame, mycht the mair eſelie condiſcend to that Side, wrait to hir Letteres partlie flattering, partlie threatning, and to ſchaw hir thair greit Power, ſend ane Roll of the Lordis of thair Syde, quhairin wes comprehendit ſum Lordis neutrallis, and mony of the Adverſaries, beleving that Leyis maid in *Scotland* could not be tryit in *Londoun*. And ſeing that the Town of *Edinburgh* could not be perſwadit to rebell with thame,

and that the Cuntre convenit not as thai hoipit, and the breking of the Bordouris ſuccedit not to thair Proffeit, the moſt part flittit Camp, and went to *Lynlythquow*, and thair ſet furth thair Proclamatioun dytit be *Chamæleon* (as wes afore the Erll of *Weſtmuirlandis* ſecond Proclamatioun) and thairby ſet up the Quenis Authoritie quhair of he (tarreing in the Caſtell of *Edinburgh*) kepit himſelf clene, as *Pilat* weſching his Handis of the Deid of Chryſt. And ſens that Tyme, as afore, this gud Subjecte and Servand to the Kingis Grace confortit with Counſale, and conveyit out of the Cuntre the Rebellis of *Ingland*, the ſamyne being Enemies to the King of *Scotland*, and prattit proudlie, vanting that his Pen ſould be worth ten thouſand Men, and threitnit ſchamefullie (gif he had reſervit any Schame) the Quenis Majeſtie of *Ingland* with Wordis of quhilk the Memory ſould be rather aboliſhit be Punitioun of him, than cheriſit for thair Impudencie; and feirit not to maik ſa opin a Leye to Nobillmen of *Ingland*, as that the Kingis trew Subjectis acknawledging his Authoritie wer not able to aſſembill togidder fyve hundred Horſe, quhair thai ſaw within few Dayes moir than fyve thouſand aſſemblit out of ane Cornar of *Scotland*: And ay ſensyne he hes bene at all Convocatiouns of the Kingis profeſſit Enemies in *Scotland*, in *Dunkeld*. in *Athol*, in *Strabogie*, in *Braidatbine*, and ellis quhair, and kepis Contrebank to Mr *Johne Leſſlie* of *Kinguſce*, in all Directionis to put the King out of his Eſtait, his Realme, and at lenth out of this erdlie Lyffe.

Now, I pray you, eſpy out quhat Proffeit the Quene our Kingis Modder ſall gadder of him that hes bene (as ſche knawis) ſa oftentyme Traitour to hir Modder, to hir ſelfe, to hir Sone, to hir Brother, and to hir Cuntre. Sche will be Exemplis conſidder, that how mony Collouris that evir this *Chamæleon* change, that it can nevir againis the Nature of it turne perfytelie Quhyte.

Reſpice finem,
1570. *Reſpice funem.*

ADVERTISEMENT.

THAT Mr. George Buchanan *is the Author of the preceeding* Satyr, *is evident, not only from an old, (if not an original)* Copy *thereof in te* Cotton Library, *bearing this Title*, CHAMÆLEON, written by Mr. *George Buchanan* againſt the Laird of *Lidingtoune*, 1570, *but likewiſe from the Teſtimony of his Contemporary, the learned Mr.* Camden, *who in his* Annales Rerum Anglicarum & Hibernicarum, regnante *Elizabetha*, Part. *II.* ad annum 1573, *ſays*; Lidingtonius Letham miſſus, vi morbi, nec ſine ſuſpicione veneni exſpiravit, vir inter *Scotos* maximo rerum uſu, & ingenio ſplendidiſſimo, ſi minus verſatili: quo nomine *G. Buchananus* æmulus eum viventem ſcripto quodam, cui *CHAMÆLEON* titulum fecit, ut Chamæleonte mutabiliorem depinxit, nec non ut Regis aviæ, matri, Moravio, ipſique Regi & patriæ hoſtem

ſtem verſicolorem acerrime perſtrinxit. *We have followed that Copy in the* Cotton Library, *as we find it tranſcribed by the ingenious Mr.* David Grawfurd *of* Drumſoy, *late* Hiſtoriographer *for* Scotland, *in his valuable* Collections *he gave in to the* Lawyers Library *at* Edinburgh: *And have rather choſen to preſerve the* obſolete *words and old way of* Spelling, *than to change either, as has been lately done in an* Edition *of it printed at* London anno 1710; *being perſwaded, that tho theſe Alterations might make it more agreeable to ſome* Modern *Ears, yet the more* Curious *will be better pleaſed to ſee it in the very ſame Dreſs in which it came from the Author.*

FINIS.